

JO. LAURENTII
B E R T I
F L O R E N T I N I

FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI

O P U S

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS.

Rmus Pr Mr Laurentius Berti Florentinus
Or. Erem. S. Augni:
S.C.M. Francisci I. Rom. Imp. Theologus,
et in Acad. Pisana Eccl. Hist. Professor.

JO. LAURENTII
B E R T I
F L O R E N T I N I

FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI

O P U S
DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

Nunc primum ſeptem voluminibus comprehenſum, & præter uberrimum, generalemque rerum indicem ad calcem appoſitum,

INTEGRA ADVERSARIORUM IN AUCTOREM OPUSCULA, QUÆ HACTENUS PRODIERUNT,

Necnon Apologeticas omnes ejuſdem Diſſertationes complectens.

EDITIO NOVISSIMA

Ab Auctore recognita, Scholiis perpetuis ac novis quibuſdam Diſſertationibus illuſtrata, atque ad uſum quoque Scholæ Ægidianæ accommodata.

TOMUS PRIMUS

CONTINENS

PROLEGOMENA AC DISPUTATIONES DE EXISTENTIA, ET PROPRIETATIBUS UNIUS DEI; DE SUMMA TRINITATE; DE ANGELIS; DE RERUM CORPOREARUM PRODUCTIONE, AC DE PRIMO HOMINE.





VENETIIS,
MDCCLX.
Ex Typographia Remondiniana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

TYPOGRAPHUS LECTORI.


HEOLOGICAS lucubrationes præclari Scriptoris JOANNIS-LAURENTII BERTI Eremitanæ S. AUGUSTINI Familiæ Sodalis, post varias editiones Romæ, Venetiis, Bipontii, aliisque in locis procusas, prælo committere ego itidem deliberavi. Movit me primum Auctoris haud obscurum, sed honestum splendidumque nomen; tum litteratorum virorum impulsus, studiosorumque ardentissimum desiderium; ulterius ipsius Operis utilitas ac præstantia. Nam qualem famam in Litteraria Republica BERTIUS sibimet comparaverit, neminem esse arbitror, qui prorsus ignoret. Neque enim sola Augustinensis Respublica hunc alumnum suum amore summo, atque maxima æstimatione prosequitur, eumdemque ad præcipua, & amplissima gymnasia per Italiam constituta regenda, atque instituenda promovit, honoribusque non vulgaribus condecoravit; quos inter, iis neglectis, quæ non sapientiæ, sed humanæ sollertiæ & spernendæ erga res mortalium solicitudinis præmia esse solent, illud commemorandum est, quod hujus Theologi Scripta cunctis sacra doctrina formandis, tanquam norma, a qua deflectere nequeant, proposita fuerunt a supremis Augustiniani Ordinis Moderatoribus: verum etiam Cæsarea Pisarum Academia, illum secretioribus musis dantem operam, nec nimia cura expetentem publice docendi munus, inter clarissimos, quibus abunde locupletatur, sublimiorum scientiarum professores adscivit, & Augustissimus Romanorum IMPERATOR & Beneficentissimus & gloriosissimus Dominator Etruriæ Theologum suum nominavit. Ampliora vero decora prætermitto, quæ vel ejus modestia parvipendit, vel impedire studuit invidorum & calumniantium æmulatio. Sed quod spectat ad Auctoris ingenium, eruditionem, assiduumque laborem; quoniam ab eo quidquam in ejus commendationem & laudem huic Monito inserere prohibemur; isti quidem Theologicæ disciplinæ libri, ceterique plures ab

eodem

[illegible]

TYPOGRAPHUS
LECTORI.



HEOLOGICAS lucubrationes praeclari Scriptoris JOANNIS-LAURENTII BERTI Eremitanae S. AUGUSTINI Familiae Sodalis, post varias editiones Romae, Venetiis, Bipontii, aliisque in locis procusas, praelo committere ego itidem deliberavi. Movit me primum Auctoris haud obscurum, sed honestum splendidumque nomen; tum litteratorum virorum impulsus, studiosorumque ardentissimum desiderium; ulterius ipsius Operis utilitas ac praestantia. Nam qualem famam in Litteraria Republica BERTIUS sibimet comparaverit, neminem esse arbitror, qui prorsus ignoret. Neque enim sola Augustinensis Respublica hunc alumnum suum amore summo, atque maxima aestimatione prosequitur, eumdemque ad praecipua, & amplissima gymnasia per Italiam constituta regenda, atque instituenda promovit, honoribusque non vulgaribus condecoravit; quos inter, iis neglectis, quae non sapientiae, sed humanae sollertiae & spernendae erga res mortalium solicitudinis praemia esse solent, illud commemorandum est, quod hujus Theologi Scripta cunctis sacra doctrina formandis, tanquam norma, a qua deflectere nequeant, proposita fuerunt a supremis Augustiniani Ordinis Moderatoribus: verum etiam Caesarea Pisarum Academia, illum secretioribus musis dantem operam, nec nimia cura expetentem publice docendi munus, inter clarissimos, quibus abunde locupletatur, sublimiorum scientiarum professores adscivit, & Augustissimus Romanorum IMPERATOR & Beneficentissimus & gloriosissimus Dominator Etruriae Theologum suum nominavit. Ampliora vero decora praetermitto, quae vel ejus modestia parvipendit, vel impedire studuit invidorum & calumniantium aemulatio. Sed quod spectat ad Auctoris ingenium, eruditionem, assiduumque laborem; quoniam ab eo quidquam in ejus commendationem & laudem huic Monito inserere prohibemur; isti quidem Theologicae disciplinae libri, ceterique plures ab

eodem

eodem BERTIO publici juris facti exhibere unicuique poterunt luculentissimum apertissimumque testimonium. Neque cordatum aliquem, & a studiis partium sejunctum, dicturum puto his in libris proscripta contineri JANSENIANORUM dogmata, posteaquam Romæ repetito acerrimoque judicio fuerunt discussi, ac probati. Qui autem, aut ineptis libellis, aut thesibus absque delectu ad disputandum propositis, Auctorem orthodoxum carpere audent & vellicare, viderint ipsi quomodo obtemperent Apostolicæ Sedis sanctionibus, districte mandantibus, ne quis invidioso JANSENISMI nomine Catholicum aliquem Scriptorem traducant, nisi legitime constiterit, vel omnes, vel saltem aliquam ex famosis proscriptisque propositionibus tradidisse, vel propugnasse. Multo minus turpissimam illam notam inobedientiæ, & pervicaciæ adversus Apostolica decreta effugiet quisquis Augustinensem Theologum damnati dogmatis assertorem iniquissime nuncupaverit, posteaquam Censores in Urbe Roma doctissimi, Supremæ Inquisitionis Consultores, unus & alter Sacri Palatii Magister, atque tres inter Purpuratos Patres Theologica doctrina præstantiores, data opera BERTII libros pervolutarunt, discusserunt, & immunes ab omni labe, editis quoque Censuris, affirmavere. Sane imperitorum quorumdam dicteria, Italicis etiam animadversionibus castigata, a semel inito consilio egregiam hanc, & perutilem THEOLOGIAM elegantioribus typis iterum cudendi me retrahere minime potuere; quin potius impulerunt quam maxime: tum quia criminationes & objectamenta insimulantium in caussa fuerunt, ut plurimi ad Augustinianum Systema accuratius explorandum intenderint animum, & illud ex BERTIO in lucidiori prospectu positum, & vindicatum adoptaverint, aliorumque placitis duxerint præferendum, adeo, ut in florentissimis Scholis, (quidquid nonnulli Medistæ, & Ferrariensis Seminarii neoteristes oblaterent) triumphum egerit, & in dies honorificentius obtineat, atque longius lateque propagatum sit, teneatque penes plurimos principatum: tum quia prædictarum editionum exemplaria ob illorum inopiam cœperunt magnopere desiderari, ac viri per Italiam, & extra Italiam præclarissimi me ad hanc novam editionem exornandam, & quamcitius perficiendam vehementer hortati sunt;

datisque

datisque ad me litteris gratiarum & humanitate plenissimis vir summus Vaticana purpura, & omnigena sapientia ornatissimus, necnon alii Romani Præsules, & non infimi subsellii Theologi, instituti mei, & suscepti consilii rationem plurimum laudaverunt, atque ad executioni mandandum traxerunt quodammodo, & compulerunt. Unus duntaxat e MEDISTARUM cœtu, qui se Jansenistarum, (ita Augustinianos, ac Thomistas improbe appellitat) malleum esse, & Molinianæ Scholæ vindicem & invictissimum propugnatorem, perperam ac temere gloriatur, me ab hoc opere perficiundo conscripta epistola ausus est dehortari; cum BERTIUS e contra, deliberationis meæ certior factus, insimulatoris sui non spernenda, sed tenenda dixerit hortamenta, inanis gloriæ, æque ac latratus rabularum contemptor. Quod utique religiosissimi viri temperamentum fecit, ut memorati MEDISTÆ irridens incitamenta, ad editionem istam curandam vehementius inflammarer, pluribusque, ac melioribus suadentibus, & impellentibus obtemperarem. BERTIUS vero, tametsi multis distentus occupationibus, & longæva etiam ætate gravatus, cœpit Scholastica dissidia fastidire, & tranquillo pacatoque animo quod reliquum vitæ est parva opuscula legendo, & scribendo peragere; postulanti tamen mihi morem gessit, ac sedulam navavit operam, ut hæc Editio rerum copia, dissertationum delectu, & adnotationum accessione, præcedentibus antecelleret. Atque id præstitit, quod brevi subjiciam. Editionem Romanam duxit esse ceteris anteponendam, in qua ipsemet menda ob incuriam typographi admissa, quotquot legenti occurrerunt, emendare curavit. Deinde SCHOLIA adjecit permulta, quibus obviæ aliæ quæstiones facile expediuntur, & iis, quæ pertractantur, robur accedit, ac fulcimentum. Præterea cum in statuendo discrimine divinorum auxiliorum, quibus in prima conditione indigebat creatura rationalis, & quibus eget modo post prævaricationem primorum parentum, recentiores S. Augustini discipuli recesserint a majoribus, qui Ægidii Romani, & Sancti Thomæ Aquinatis inconcussis firmissimisque principiis utuntur; illa nunc discrepantia composita, in id prudens Auctor totus incubuit, ut gravis illa controversia, a decertando pro gratia per se ipsam efficaci neminem e nostratibus amoveret. Pro-

letarium quoque, & ex Univerſitate Ingolſtadii erumpentem PROBABILISMI Defenſorem, & audacter ANTIPROBABILISTAS canina rabie mordentem temperanter repreſſit, naviterque adverſariorum ſuorum crambem veterem recoquentium cohibuit garrulitatem. Plures alias inſuper addidit Diſſertationes, ut DE GRATIA SUFFICIENTE, DE HÆRESI JANSENIANA, DE POTESTATE ROMANI PONTIFICIS IN TEMPORALIA REGUM, &c. quæ omnia, ut melius dignoſcerentur, nos commatibus in margine appoſitis hoc pacto „ imprimenda curavimus. Demum ne diſſimulaſſe credatur præcipua Criminatorum ſuorum objecta, hæc una cum ſuis Apologeticis Diſſertationibus complexus eſt: qua in re ipſis adverſariis proculdubio gratificatur, ac ſe Theologica ſcripta edidiſſe demonſtrat inquirendæ veritatis amore, non libidine diſputandi, & ſi aliquando ſtylum acuit, id feciſſe immaniter laceſſitum atque coactum, honoris fideique ſuæ flagitante ratione. Accedit ad hæc omnia accuratiſſimus uberrimuſque rerum & verborum index, opus univerſum complectens, a nobis improbo labore, ſummaque diligentia nunc primum confectus, quem ad calcem poſtremi voluminis opportune collocavimus. Vides, opinor, humaniſſime Lector, quid Editionem noſtram majori in pretio habendam eſſe perſpicue, & evidenter oſtendat: qualem vero nos diligentiam, & ſolicitudinem adhibuerimus, ut huic Editioni noſtræ neque decor, neque typorum nitor & elegantia deeſſet, noſtrum non eſt aſſerere, ſed aliorum dijudicare. Vale.




PRIO-

PRIORIS VOLUMINIS
PROPOSITIONES.

minime

ccxvii.

cclxiii. Non



CEN-

CENSURA.

DE mandato Reverendissimi Patris Magistri Regentis Fratris Nicolai Antonii Schiaffinati Generalis legi libros, quorum titulus est, *De Theologicis Disciplinis*, elucubratos opere & studio admodum Reverendi Patris Magistri Fratris Joannis Laurentii Berti Florentini; in quibus nihil sane offendi, quod sanam Orthodoxamque doctrinam undique non redoleat, immo omnia ibidem perspicue, apposite, graviterque ita discussa, omnigenaque eruditione referta conspexi, ut nedum Tironibus nostratibus dirigendis, & ad bona studia inflammandis, sed etiam doctis, veteranisque in abditiora sacræ doctrinæ penetralia inducendis utilia, idoneaque mihi videantur. In his siquidem Auctor ita Scholasticam methodum sectatur, ut linguæ barbariem quondam Peripatum obtinentem penitus exuat, ac perpetuo declinet. Dogmaticas, Polemicasque controversias passim occurrentes ita pertractat, ut & offusas sub peregrinæ eruditionis specie a versutis Novatoribus tenebras, arcessitis undique e sacratiori penu illustribus testimoniis, omnino depellat; & sacrorum Oraculorum, sanctorumque Patrum auctoritatem a malignantium, aut minus critices peritorum calumniis egregie vindicet; Scholasticas demum, adiaphorasque quæstiones ea modestia, brevitate, ac perspicuitate dissolvat, ut & planiorem, ac Augustini sensibus accommodatiorem sententiam domesticis Juvenibus aperiat, & externarum Academiarum sibi adversantium placitis debitum honorem ubique servet: eaque propter censeo e re Augustinianæ Scholæ esse, quod præfatum Opus typis mandetur.
Romæ die 26. Septembris anno 1737.

Fr. Benedictus Augustinus Gattini Pratensis, Sacræ Theologiæ Magister, Procurator Generalis Ord. Erem. S. P. Augustini.

CENSURA.

OPus inscriptum *De Theologicis Disciplinis*, ab A. R. P. Magistro Fratre Joanne Laurentio Berti Florentino in Scholæ Augustinianæ commodum elaboratum vidi, pervidi, probavi. Vidi, inquam, ut mandatis Universi Nostri Ordinis Magistri obtemperarem: pervidi, ut voluptatem, quam in semel legendis hisce lucubrationibus perceperam, mihi ingeminarem: probavi, ut non solum Nostratium, sed Externorum etiam Magni Augustini studiosorum utilitatem proveherem. Est enim Opus perspicua, claraque methodo digestum; solida, sanaque doctrina instructum; ac multiplici, minimeque obvia eruditione respersum: totum denique spirat, atque exhibet Augustinum. Est igitur cum aliis titulis, tum hoc uno nomine publica luce dignissimum. Sic censebam
Romæ in D. Augustini pridie Idus Sextiles 1737.

F. Hieronymus Augustinus Zazzeri Ord. Erem. S. P. Augustini Sacræ Theologiæ Magister, Ex-Assistens Italiæ, Congregationis Sacrorum Rituum Consultor, & in Archigymnasio Sapientiæ Urbis Sacræ Script. Interpres.

F. NICOLAUS ANTONIUS
SCHIAFFINATI
NEAPOLITANUS

S. Joannis ad Carbonariam, Sacræ Theologiæ Magister Regens, totius Ord. FF. Erem. S. P. AUGUSTINI *Prior Generalis, & Commissarius Apostolicus.*

CUm opus inscriptum *De Theologicis Disciplinis*, a Rev. Patre Magistro F. Joanne Laurentio Berti Florentino elaboratum, duo nostri ejusdem Ordinis Theologi a Nobis deputati recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; Nos tenore præsentium facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos reliquum spectat, videbitur.
Datum in Conventu nostro S. P. Augustini de Urbe die 10. Martii 1739.

F. Nicolaus Antonius Schiaffinati Generalis, & Commissarius Apostolicus.

Nostri mun. aff. Sig.

Magister Fr. Augustinus Gioja a Juvenatio Ordinis Secretarius.

Reg. lib. 6.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Philippus Spada Episc. Pisaur. Vicesg.

CENSURA.

CUm ex mandato Reverendissimi Patris Joannis Benedicti Zuanelli Sacri Apostolici Palatii Magistri accurate perlegerim tria *Theologicarum Disciplinarum* Volumina, quorum in priori disputatur de Existentia, & Proprietatibus unius Dei, in altero de Summa Trinitate, de Angelis, de rerum corporearum productione, in tertio denique de Originali peccato, de hæresibus adversus liberum arbitrium, & gratiam, ac de ipsa gratia Reparatoris; Opus elucubratum per Adm. Rev. P. Mag. Joannem Laurentium Berti Florentinum Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, tantum abest ut in eo quidpiam a recta fidei, vel morum norma alienum offenderim, ut potius miratus sim Authoris ingenium, eruditionem, ac doctrinam. Quamobrem studiosorum omnium Sacræ Theologiæ bono lucubrationes hujusmodi publica lucis usura dignissimas censeo.
Datum in Conventu Transpontino Idibus Octobris anni 1737.

F. Petrus Thomas Cacciari Carmelita Sacræ Theol. Mag. & Doctor, Romani Cleri Examinator, atque in Collegio de Propaganda Fide ejusdem sacræ Disciplinæ Lector.

CENSURA.

UT mandatis obsequerer Reverendissimi P. Jo. Benedicti Zuanelli Sacri Apostolici Palatii Magistri, attente legi Librorum *De Theologicis Disciplinis* tres priores Tomos, Opus sanæ doctrinæ & eruditionis plenum, ab Adm. Rev. P. Mag. Jo. Laurentio Berti Eremita Augustiniano sollerter, atque ingeniose elucubratum, in quo nihil Fidei Catholicæ, aut bonis moribus adversum, quamplurima Sacræ Theologiæ studiosis utilissima deprehendi: in cujus fidem, &c.

D. Antonius Andreas Galli Abb. Canon. Regul. SS. Salvatoris, & Sac. Congr. Indicis Consultor.

IMPRIMATUR.

F. Jo. Benedictus Zuanelli Ord. Præd. S. P. A. Magister.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del *P. F. Gio. Paolo Zapparella* Inquisitor Generale del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato *Jo. Laurentii Berti Florentini &c. Librorum de Theologicis Disciplinis Editio Novissima ab Auctore recognita MS.*, non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza a *Giambattista Remondini* Stampator *di Venezia* che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 4. Aprile 1758.

(*Gio. Emo Proc. Ref.*
(*Marco Foscarini Cav. Proc. Ref.*
(*Alvise Mocenigo 4°. Cav. Proc. Ref.*

Registrato in Libro a Carte 34. al Num. 281.

Giacomo Zuccato Segretario.

Adì 11. Aprile 1758. Registrato nel Magistrato Eccellentissimo degli Esecutori contro la Bestemmia.

Francesco Bianchi Segretario.

A U-

AUCTORIS
AD AUGUSTINENSES
Theologicis Disciplinis formandos

ΠΑΡΑΙΝΕΣΙΣ.



Irari vos credo, Juvenes ornatissimi, unde fit, quod præ ceteris Studiorum nostrorum Moderatoribus, qui & ingenii acumine, & delectu orationis, & humanarum divinarumque rerum cognitione præpollent, ego potissimum Theologicas Disciplinas nova quadam methodo exornatas ante conspectum vestrum exhibeam, hac præsertim ætate ob literarum cultum splendoremque vere aurea, in tanta optimorum librorum copia, ex amplissima autem Magni Augustini familia, in qua & omnium minimum me esse cognosco, & innumeros plane video huic implendo muneri idoneos, necnon doctrinæ laude nominisque celebritate clarissimos. Quamquam vero mihi videor hujusmodi cogitationibus vestris plenissime satisfacturus, si dixero me ad scribendum supremi Antistitis, Nicolai Antonii Schiaffinati olim Neapolitanæ S. Joannis Congregationis, nunc universi Ordinis vigilantissimi Præsidis auctoritate finisse compulsum; quod nullus æquus æstimator reprehendet in homine vinculis juramentorum obstricto; credo tamen ideo vigilantissimum Præsulem in me animum convertisse, quod viri exercitatissimi opus aut minus elaboratum, aut brevi absolutum nunquam prodire paterentur in lucem, vel prima fortassis divinarum scientiarum rudimenta publici juris facere minime dignarentur, sublimioribus studiis addicti, moliendisque duntaxat summæ eruditionis voluminibus. Cum itaque temporum angustiæ cogerent, atque ageretur tantum de Tironibus erudiendis, neque essent opuscula ista Eruditorum manu terenda; scribendi onus impositum mihi est, obscuro scilicet homini, cujus fama periclitari non posset, eo forte consilio, ut his additis incitamentis viri illi doctissimi ac celeberrimi perpolitum aliud Theologicum Opus aggrederentur, quod nullatenus morosi Critici fastidirent, atque cum uberiori proventu repeterent Candidati. Neque ab instituto deterrere nos potuit magna illa multitudo Scriptorum, qui de rebus Theologicis accurate, ornateque disseruerunt: quippe non omnia, quæ conscribuntur, in manus incidunt singulorum; & perutile est de eisdem quæstionibus plures a pluribus libros perfici, quibus, si fieri potest, etiam ad negligentiores veritatis aliquando perveniat, quemadmodum initio magni Operis de Trinitate, & in libro de unico adversus Petilianum Baptismate scite beatissimus Augustinus admonuit. Urget præterea, torporemque nostrum vehementer excitat numerus ille Scriptorum, ex quo & sententiæ complures spargi cœperunt adversus instituta Majorum, & plura exorta fuerunt quæstionum genera, quæ veteres prætermiserunt Scholastici, nunc autem dedecus est ignorari. Quæ cum ita sint, non abs re factum puto, si Theologicas Disciplinas ex Antiquorum placitis, studiisque Recentiorum complexus fuero, in quibus nova simul ac vetera proferantur; omniaque ad certa principia, duce præsertim & facem præferente Augustino, quantum poterit imbecillitas ingenii mei, revocavero. Æquo igitur animo labore hoc nostro, Juvenes, unusquisque vestrum fruatur: navate operam Theologiæ; id vero quanta animi voluptate, & qua ratione facere debeatis, quantum denique, si feceritis, gloriæ decorisque possit vobis ipsis accedere, non rhetoricorum pompa verborum, sed hortatoria dicturus sum oratione.

Non illam vobis propono, Augustinianæ Doctrinæ Cultores, percipiendam voluptatem, quæ in omni sensu implicata penitus insidet, & majores partes animi a virtute detorquet, sive quam malorum escam Plato appellabat, Tullius vero decoris labem, atque illecebram turpitudinis; sed quæ interiorem hominem, mentem scilicet rationalem honestissima suavitate perfundit, & maximum habet cum virtute commercium; explet autem insatiabilem in cognoscendis rebus ardorem, animumque incommutabili bono conglutinat. Illud quidem manifesta veritatis contemplatione, atque indissolubili perpetuoque nexu in cælesti Jerusalem possidendum, multimodis nos allicit ac demulcet: at nulla

est in hac mortalium peregrinatione, si una excipiatur Theologia, tam excellens facultas, cujus ope humana ratio luce divina illustretur, & consortium quodammodo habeat supernæ felicitatis. Memineritis, opinor, quanta inviti etiam ac reluctantes legeritis sub ferula Grammaticorum poetarum figmenta; nec prorsus ignoratis quam anceps sit, contentiosa, & per anfractus discurrens scientia illa, cui novissimam dedistis operam, nimirum Physiologia. Proh quanta animi ægritudine in literarium ludum urgebamini adolescentuli, memoriæ mandantes plenum armatis equum, incendium Ilii, errores Æneæ, amorem Didonis, Creusæ umbras, atque fabellas hujusmodi plurimas; de quibus legentes mœrentem fletum, ac verba Augustini, (*Conf. 1. cap. 17.*) *Ita ne aliud non erat, ubi exerceretur ingenium meum?* optime percipietis quale vos traxerit aspersum felle atque amarissimum blandimentum. Posteaquam vero accessistis ad Philosophicas Institutiones, ut mittam barbarismos latinitatis, & torquentes ingenia complexiones tecnasque Dialecticorum, quæ neque nos, veluti testa odorem quo recens imbuta est, provecta jam ætate abjecimus; quid vobis, quæso, aut certitudinis, aut jucunditatis attulerunt Categoriæ Aristotelis, Platonicorum archetypi, Epicuri atomi, Cartesii elementa, atque alia complura, scitu quidem aliquo modo necessaria, sed innumerabilibus controversiarum ambagibus implicata? Nunc autem his omnibus ad naturæ opera investiganda improbo labore comparatis, en vobis profero incommutabilem veritatem, Deum Unum, Deum Trinum, Deum Conditorem universorum, Deum Largitorem gratiarum omnium, Deum humani generis Reparatorem, Deum, inquam, Deum, in quo bonitatis ac sapientiæ thesauri inveniuntur absconditi. Profecto si ratione, atque experimento comprobatas scientias ceteris præferendas esse jure meritoque arbitramur, quemadmodum Mathematicas firmis innixas definitionibus, exploratisque theorematibus, anteponimus Physicis, ac Logicis Institutionibus, quarum illæ circa sensuum ministeria versantur, hæ autem circa humanæ mentis idola; longe supra ceteras se extollunt Theologicæ meditationes, quibus non traduntur Græcorum Philosophorum inventa, non corporum generationes, non pugnæ elementorum, non sensibilium facultatum officia, non quantitatis proprietates ac dimensiones; sed mysteria gentibus abscondita, impervia sensibus, immutabilia, spiritalia, divina; eaque Prophetarum vaticiniis, revelatione Spiritus Sancti, statutis Ecclesiæ, testimoniis Patrum, & certitudine miraculorum apertissime confirmata. Quamobrem nullam ex universis naturalibus humanisque scientiis, quantam ex una Theologia, potest rationalis homo percipere voluptatem, sive res ipsa spectetur, & inconcussa atque exploratissima veritas, sive præceptionum, aut locorum, unde argumenta deducuntur, perspicui fontes, ac regula stabilis & immutabilis. Neque vero spiritualium æternorumque bonorum ubertatem & copiam ostendunt Theologicæ disquisitiones ad excitandum inutile desiderium, & quasi ad animum excruciandum. Sit hæc miserrima aliarum scientiarum conditio, ad ea, quæ consequi non possumus, cupiditatem accendere, aut de iis, quæ si adipiscamur, deteriores efficimur, laboriosa exercitatione disserere. Perpauci enim minimam partem assequuntur bonorum, quæ in rerum creatarum complexu a natura ministrari demonstrat Philosophia; omnesque e contra temporum vicissitudini subjiciuntur, & properant ad interitum, humana duntaxat investigantibus teterrimum & miserandum. Verum Theologi in Deum, qui simul & via & veritas & vita est, animum intendentes non solum ubi perennis felicitas sita sit non ignorant; verum etiam plenissimum rectissimumque, quod arripiant iter agnoscunt, discernentes a superstitione religionem, ab hæresi fidem, a Satanæ conventu Ecclesiam Catholicam, a mercenariis pastores, a morum corruptelis regulas probitatis; ut non possint, nisi summa pervicacia reddantur rebelles lumini, extremam subire calamitatem. Itaque, lectissimi Adolescentes, cum nihil tam honestum ac sanctum, tam gratum ac perjucundum in hac mundanarum rerum varietate possit excogitari, quam accedere ad beatissimam illam vitam, quæ in contemplatione consistit; bene ac sapienter exclamabat in commendationem sacræ doctrinæ eximius Ecclesiæ Doctor Hieronymus, (*Epist. 155.*) *Quid hac voluptate jucundius? Qui cibi, quæ mella sunt dulciora, quam Dei scire prudentiam, & in abdita ejus intrare, & sensum Creatoris inspicere, & sermones Domini Dei tui, qui ab hujus mundi sapientibus deridentur, plenos discere sapientia spiritali?* Cedat, cedat Theologicis contemplationibus consideratio naturæ, quam Cicero dixit animorum ingeniorumque pabulum: cedat inspectio astrorum, cui deditus Ptolomæus putabat se pedibus contingere sidera, atque attolli ad consortium Deorum: cedat con-

vivio-

viviorum apparatus, cedat divitiarum opulentia, cedat corporum forma, valetudo, & integritas, cedat honoris splendor, decorisque amplitudo: cedant denique quæcunque alia tam animi, quam corporis oblectamenta.

Sed audio quosdam hactenus dictis repugnantes in me verba contorquere, propterea quod nullus Scholasticis honor soleat ætate hac nostra deferri, ipsaque Theologica studia permultis adeo videantur aspera, ut quæ tædio affecti compendiosis notis, sparsisque lacunis dictante Magistro scriptitarunt, ea blattæ tineæque corrodant. Hos paullulum alloquar, opus est. Ergone ex ipso veritatis fonte, quem vobis attingere singulari Numinis providentia datum erat, ad cisternas dissipatas, quæ salubres aquas continere non valent, atque a sacrarum literarum consortio, vel ad temporalium rerum administrationem, vel ad vitam otio & longuore torpentem, tandem animum convertistis? Ergone fuit literarii certaminis vestri meta commodiorem agere vitam, præesse ceteris, laureæ ornamenta capessere, & ampliori nomine celebrari, ita ut post tam miseram compensationem virtutis, unusquisque vestrum, quasi accepto bravio, stadium percurrere in posterum detrectaret? At non ista mehercle sunt, de quibus Præco divinus inclamat, *Currite ut comprehendatis*. Nam qui habitat inaccessibilem lucem, ipse requirentibus veritatem merces est, nec aliis, nisi iis, qui fuerint mundi corde, & humiles spiritu, repromissa. Accepimus, spectatissimi Adolescentes, cur isti queruli supernarum veritatum jucunditatem minime degustaverint; ideo nempe, quia superbia tumidi, noxiisque irretiti cupiditatibus, non ipsam sapientiam revera meditarentur, sed res illas mortalium, in quarum affluentia deprehendit Ecclesiastes vanitatem, & spiritus afflictionem. Atque hoc erat, de quo initio orationis vos commonefaciendos esse putavi, quando me demonstraturum dixi, qua ratione dauda sit opera Theologicis Disciplinis. Quum etenim harum notitia melior sit cunctis pretiosissimis, neque omne desiderabile possit ei comparari; profecto turpe est disciplinas ipsas postponere humanæ vitæ solicitudini; magis turpe illas temporis progressu deserere; turpissimum vero non incommutabilis veritatis, sed quæstus vel ambitionis caussa easdem appetere. Rectissimum propterea quisquis ad Theologiam accedit, sibi finem proponat: inquirat cælestia: terrena contemnat: ad fores sapientiæ quotidie vigilet, neque abjiciat eam, cum invenerit. Quotidianæ lectioni preces præmittat: Deo, quicquid didicerit, gratias referat: caveat ne scientia absque caritate animum inflando ipsum reddat insipientibus deteriorem. Hoc erga Auctorem omnium servato fine, modum etiam in ceteris teneat: præscriptam a Præceptore methodum non immutet: disputationibus assiduus intersit: fugiat rixandi libidinem, & puerilem ostentationem decipiendi adversarium. In usu facultatum, quas sibi sedulo comparavit, tale studeat servare temperamentum, ut eloquentiam non affectet; vitet tamen orationis barbariem; utatur logicis potius ac metaphysicis institutionibus, quam traditis in Scientia naturæ: argumentationes autem neque sophistice perstringat, neque rhetorice exornet. Animadvertat præterea magno sibi futuras esse adjumento Hebraicas Græcasque literas, quarum notitia planior redditur Scripturæ sensus, refellitur Judæorum pervicacia, detegitur hæreticorum calliditas, percipiuntur Veterum dogmata, & controversiæ innumeræ dirimuntur. Interdum quippe pendet ab una dictione quæstio universa; quemadmodum, ut ex multis producam exemplum aliquod, interpretatio vocabuli *Siloh* demonstrat an ad Messiam spectet Jacobi vaticinium, *Alma* an Virgo sine maritali complexu pepererit, *Emmanuel* an sit una in Christo persona; sæpenumero aut suffixum, aut punctum, aut litera pædagogica omnem tollit dubitationem, ut contingit in hujusmodi disputationibus, An primus homo fuerit sepultus in Hebron, an Diabolus verum serpentem assumpserit, an Messiæ pedes ac manus fuerint transfigendæ: frequenter uno Græcorum articulo explodimus cavillationes hæreticorum, pugnantes præsertim pro Verbi divinitate, & pro subsistentia Spiritus sancti. Impossibile est etiam, ut antiquas hæreses insectemur, nisi perdiscamus quid sit Homoousion, quid Hypostasis, quid Theotocos, ut prætermittam alia vocabula Græcorum quamplurima: immo qui cum Latinis tantum versabitur, etiam nomina sacrorum librorum ignorabit, Geneseos, Exodi, Deuteronomii, Paralipomenon, Evangelii, Apocalypsis; quid plura? ipsius, quam tradimus Theologiæ, & scientiarum reliquarum etymologiam, nominisque rationem. Igitur perutilem esse Theologo utriusque linguæ notitiam nemo jure negabit. Idem de Ecclesiastica Historia judicium ferendum est, nisi hanc magis etiam necessariam æstimare velimus: historia enim, paucis exceptis parabolis, vetus Testamentum comprehenditur: histo-

historiam vitæ, ac mortis Reparatoris nostri enarrant Evangelistæ: ex historia Religionis Christianæ dignoscitur institutio & progressus: historiæ commemorant profligatas hæreses, & confirmatas Majorum traditiones in Synodis Oecumenicis: in historia demum recondita sunt omnia fidei nostræ præclarissima monimenta. At quoniam historiam universam memoriæ mandare est impossibile; neque tempus superest statutis studiorum vestrorum annis pervolutandi Eusebium, Socratem, Theodoretum, Evagrium, Baronium, aliosque in hoc argumento percelebres; conscriptis industria vestra brevissimis catalogis, quorum unus enumeret sacros libros eorumque argumenta, alter supputet per Epochas sæcula, tertius tradat seriem Romanorum Pontificum, quartus celebriorum Conciliorum, quintus sanctorum Patrum, postremus Hæreticorum, qui ad hanc usque ætatem vexarunt Ecclesiam, aliquam saltem sacræ Historiæ Epitomen perlegere minime negligatis. Sint vobis usui pro conficiendis catalogis accurati recentiores, Petavius, Pagius, Schelstratus, aliique complures, non quidem singuli, sed unus, aut alter: atque Historiæ compendium eligite, quale olim ad quartum usque sæculum protraxit Severus Sulpitius, ac postea ad ætatem nostram Bossuetius. Interim compilatas ab Heterodoxis Historias, in quibus latet anguis in herba, prorsus abjicite; etiamsi audiatis non absque laude celebrari Centuriatores, Basnagium, Clericum, Usserium, Caveum, & ceteros hujus furfuris: hos omnes disciplinis jam imbuti tanquam hostes adite, expugnate, refellite, extrahite ex ipsis visceribus viperarum adversus venena medicamentum. Præter hæc universim dicta, ut palam fiat quam solemniter mentiatur Antonius Charlas, dum in sua Paræneſi de omnibus sacrorum Virorum Ordinibus ausus est indiscriminatim pronuntiare, quod Theologia in Monasteriis tradita longe ab eruditione Ecclesiastica distare solet, multique Theologiæ Professores se in Ecclesiasticæ antiquitatis studio peregrinos monstrarunt; vos saltem, Adolescentes optimi, in singulis fidei controversiis expendite priori loco sacras literas additis Catholicorum interpretationibus, consulite traditiones Apostolicas, exquirite Ecclesiæ definitiones, examinate testimonia Patrum, attendite verborum omnium scopum ac sensum, probate communes Theologorum assertiones: atque hæc vestra propugnacula sint; non mentis figmenta, non fallaciarum structura, non jejuna, vel spinosa ratiocinatio. Pugnantia Scholarum placita versate cum ingenii moderatione: parum vos exerceant Veterum quodlibeta: sive Aristoteles dixerit, sive Socrates, sive Plato, vera tantum probate: ante Interpretum Commentaria scrutamini textus Auctorum, sæpenumero magis, quam sint aliorum interpretamenta, perspicuos. Hæc vobis monita præscribo; reliqua vos usus, atque experimentum docebit.

Dummodo studia vestra his præceptionibus dirigantur, firmissimam habeo spem, fore ut aliquando consequamini ampliora Ordinis munera, Ecclesiasticas dignitates, atque in literaria Republica nomen honestissimum & celeberrimum. Convertite, quæso, oculos in peristylii, gymnasiique parietes, & paullulum contemplamini pictas Majorum imagines, necnon ea, quæ iis apposuit Curtius, aut Pamphilus, Epigrammata. Refert hæc tabula Romanum Ægidium Bituricensium Antistitem, quo post Augustinum neminem plura, neminem accuratius scripsisse affirmat Sabellicus, ac tantæ auctoritatis & doctrinæ virum, ut illum adhuc viventem Generalia Comitia Florentiæ habita Scholarum nostrarum Ducem elegerint. Proximus est Gregorius Ariminensis, quem nullus veterum Scholasticorum in Augustini lectione superavit, ut recte Norisius, Macedo, Deschampsius, aliique plurimi contestantur. Exhibent tabulæ reliquæ Thomam de Argentina, Gerardum Senensem, Paulum Venetum, & Scholasticos alios innumeros, quorum scripta dignis, plenisque laudibus celebrantur. Inter istos vero illi maxime, qui ad exercitationes Scholasticas addiderunt peritiam linguarum, eloquentiam, historiam, ac multiplicem eruditionem, non solum inter Nostrates, verum etiam inter viros cujuscunque Ordinis celebriores laudibus splendidissimis cohonestantur. Quis enim non congerit laudes omnes in Onuphrium Panvinium, quem alii helluonem Antiquitatis, alii Fastorum Conditorem, alii Romanæ & Ecclesiasticæ Historiæ Patrem appellant? Quis amplissimis præconiis non exornat Ægidium Canisium decus Purpuratorum Patrum singulare, a Jovio, Sadoleto, Bembo ob poesim, solutamque orationem Maroni ac Tullio comparatum, declaratumque publicis Leonis Decimi testimoniis hominem egregium atque dignissimum? Quis gloria & prædicatione non effert Hieronymum Seripandum Cardinalem amplissimum, ac in Tridentino Concilio Apostolicæ Sedis Legatum; qui, ut Donius scribit, linguæ Græcæ & Hebraicæ, ac divinarum, humanarumque

scientia-

ſcientiarum cognitione ad miraculum imbutus in ſe omnium admirationem convertit ? Quis ad ſidera uſque non extollit inclytum & percelebre nomen Henrici Cardinalis de Noris, Auguſtinianorum librorum Vindiciis ſtrenuiſſimi, ſuorum obtrectatorum invicti Debellatoris, reconditarum Hiſtoriarum Scriptoris accuratiſſimi, & poſteriorum Chronologorum omnium Ducis ac Principis ? Chriſtianum etiam Lupum ob Moralium doctrinarum gravitatem ac pondus, ob illuſtratos ſacrorum Conciliorum Canones, ob hiſtoricarum Diſſertationum copiam atque præſtantiam quis non laudat, non prædicat, non commendat ? Hi quidem, & qui brevitatis gratia prætermittuntur ſilentio, tantam adepti ſunt gloriæ lucem atque amplitudinem, eo quod Scholaſticam Theologiam bonarum artium ſocietate honeſtarunt, peregrinas linguas excoluerunt, luſtrarunt vetera monumenta, rudera quoque confractoſque lapides pervolutarunt. Fateor non omnes tales ingenio ac fortuna præditos eſſe, ut poſſint ad horum doctrinam & decora, adhibito etiam omni conatu, pertingere: ſed qui parem ipſis dignitatem non aſſequetur, aliquam ſaltem, nec mediocrem reportabit; ſi nullam prorſus arripiet, ſatis illi glorioſum erit promeruiſſe: ſi nec promeruerit, honeſtum valde atque decorum curam omnem & diligentiam ad promerendum locaſſe. Monui quippe, atque iterum moneo, non eſſe ſolam hominum exiſtimationem, & cumulatam honoribus famam ſapientiæ virtutiſque mercedem: ſapientia ipſa ſuimet corona eſt, & ſcientiarum omnium, quæ ſunt participationes veritatis æternæ, ipſa veritas præmium ac retributio. Porro hæc merces rependitur iis omnibus, qui bene utuntur diſtributis a Deo talentis, ſive decem, ſive quinque, ſive duo tantum acceperint; illique ſoli remuneratione fruſtrantur, qui unum ſibi collatum tenent pigritia atque inertia reconditum in ſudario. Fruuntur ſupernæ veritatis luce ex Magni Auguſtini diſcipulis, non tantum Proſper hæreſis Semipelagianæ devictor, Fulgentius Propugnator divinæ Gratiæ, & profligator Arianorum, Thomas Præſulum & Concionatorum Exemplar, aliique inter Sanctos relati, & literis æque ac ſanctitate conſpicui; verum etiam permulti ex ordine illorum, qui ad cathedras regendas inepti e Schola exierunt inſtructi ſaltem, ac parati ad reliqua Religioſæ vitæ exercitia. Verum in tanta ſanctorum Virorum multitudine nullus prorſus poterit connumerari, qui Superiorum nutu inter ſtudentes cooptatus propter pigritiam aut ignaviam ſacrarum diſciplinarum ſtudia neglexerit. Quæ cum ita ſint, vos ſpectatæ indolis Juvenes oro, atque obteſtor, ut ſi quis vobis ineſt ſelicitatis amor, ſi quis ſcientiæ ardor, ac ſtimulus honeſtatis; in Theologicas veritates omnem ingenii facultatem intendatis, additoque ſacræ eruditionis ornatu exhibeatis vos dignos Auguſtini diſcipulos, athletas fidei, Evangelii miniſtros, atque hoſtes acerrimos hæreticorum. Ad hanc rem libros iſtos conſcribere juſſus cauſſa duntaxat veſtræ utilitatis ſuperavi metum conſequentis laboris; voſque demiſſe precor, ut fraterna caritate quicquid vobis profero excipiatis: ſi quid erit perutile, Deo primum, deinde Auguſtino referatis acceptum; errores autem mihi illorum auctori æquo animi condonetis. Ad te denique ſupplex accedo, Pater ac Magiſter omnium optime, AURELI AUGUSTINE, pro me, hiſque adoleſcentibus ſacra doctrina imbuendis patrocinium tuum enixe deprecaturus. Te optimum Fidei Magiſtrum, Legis Oraculum, Eccleſiæ auctoritatem ac Ducem, ſplendidiſſimum ſcientiæ ſolem, munitionem contra hæreticos partem, Doctorum omnium ſuſtentaculum, Pontifices, Patres, Theologi, univerſi demum fideles proclamant. A Te profligatas quaſcunque hæreſes, productas in lucem veritates fidei Catholicæ, firmiſque & invictis rationibus ſolidatas, declarant Conſtitutiones Romanorum Pontificum, definiunt Oecumenicæ Synodi, teſtantur totius orbis Epiſcopi. Verbis præſertim tuis Sententiarum libri, in quos tot Scholaſtici Commentaria ediderunt, ſuere conſcripti, iiſdem fabricati canones Conciliorum, ex iis depromptæ Scripturarum ſanctarum perſpicuæ & dilucidæ expoſitiones. Etiamſi tui, Præſul ac Pater ſanctiſſime, non eſſemus, cum abſque ulla dubietate doctrinam tradideris ſanctarum Scripturarum auctoritati in omnibus concordiſſimam, & nullus Doctorum abſtruſa quælibet diligentius exquiſierit, verius invenerit, veracius protulerit, luculentius enodaverit, robuſtius defenderit, effuſius diſſeminaverit; poſtularet æquitas ipſa, ne alium in Scholarum noſtrarum columen, ac præſidium præeligeremus. Nunc vero, quoniam Tui ſumus, impellit nos præter æquitatem filiorum neceſſitudo, atque in tui clientelam trahit etiam amor ac pietas. Ex illa itaque beatorum Spirituum patria, ubi præfulges inter Doctores Eccleſiæ, tanquam ſol rutilans inter ſidera, dirige me ſcribentem; & pro ea

gratia,

gratia, quam in te pusilli cum magnis miramur, quid tenere debeam ostende. Theologicis studiis addictos, quibus decretum est Te suscipere, colere, tuaque dicta quasi propria defendere, omni caritate ac benevolentia prosequere; & excubante pro universis membris corporis Christi vigilantissima industria tua, Eremitanam Familiam paterno, & singulari amore complectere.





IN LIBROS
DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS PROLEGOMENA.



DIVINARUM RERUM disciplinam, *quam proprie sapientiam nuncupari*, affirmat in lib. XIV. cap. I. de Trinitate maximum Catholicæ Ecclesiæ lumen ac firmamentum Augustinus, non solum contentiosam illam, quam Scholasticam dicunt, & quæ sublimiori & longe jucundiori, quam appellant dogmaticam, viam sternit, eamque validissimo præsidio tutatur, verum etiam hanc ipsam, in qua Fidem, Sanctorumque dogmata contra impiorum machinamenta vindicamus ac propugnamus, quantum vires tenuissimi ingenii mei suppetunt, adolescentibus nuper Philosophiæ doctrina formatis, divino implorato Numine, tradere aggredior. Quoniam vero quisquis in novam aliquam facultatem intendit animum quænam ea sit, quæ præsertim comprehendat, qua methodo teneatur, quidque voluptatis afferat non mediocri solet inquirere solicitudine; huic ego morem gerens Isagogicam Diatribam præmittere excogitavi: ut habita instituti mei ratione, in ipsoque limine dicendorum varietate, & utilitate perspecta, arduum quidem iter, sed felicitatis decorisque plenum arripiat. Etsi enim ego talis profecto non sum, qui vel eruditione, vel argumentorum copia Scholasticas disputationes efficere possim pleniores; dabo tamen operam, ut pluribus antiquorum Scriptorum dumetis purgata, ac interdum recentiorum flosculis, placitisque conspersa amplior videatur via, quam juniores in scholarum latebris versaturi animo ingrediantur alacriori. Illud autem me consecuturum esse confido; si Augustinenses discipuli, quorum tantummodo caussa universam Theologiam his libris mandare satago, una cum his elucubrationibus Opera Sanctissimi Protoparentis assidue legant & pervolutent, *humiliter orantes misericordiæ Dominum, ut eumdem spiritum intelligentiæ legentes accipiant, quem ille accepit ut scriberet; & eamdem illuminationis gratiam adipiscantur ut discant, quam ille adeptus est ut doceret*. S. Fulg. Lib. II. de Verit. Præd. & Grat. cap. 18.

CAPUT I.

De notione, variisque generibus Theologiæ.

ITAQUE altissimam hanc facultatem Græco vocabulo *Theologiam* appellamus, quo *significari intelligimus de divinitate rationem, sive sermonem*, ait lib. VIII. de Civit. Dei cap. I. S. P. Augustinus. Nam Græca lingua Deum dicimus τὸν Θεὸν, sermonem vero τὸν λόγον. Qua generali appellatione omnem de supremo Numine orationem, sive per scientiam ac disputationem instituta sit, sive fabulis, rhetorumque figmentis exculta, sive sacra, sive superstitiosa ac profana, non incongrue dicere possumus Theologiam. Eapropter quæ de summo Deo tradidit Plato, & quæ de idolorum cultu Numa Pompilius, laudato nuper libro cap. 9. Magnus Augustinus Theologiæ nomine haud veritus est insignire. Sed quemadmodum naturali ratione tantummodo ducti vix divinam attingimus existentiam, ac nonnulla summi Dei attributa, quæ humanam nullatenus superant perceptionem; ita naturalis illa Platonis, aliorumque Philosophorum supremæ caussæ notitia ad Ontologiam, non ad specialem aliquam Sapientiam videtur spectare. Quæ vero de Gentium diis veteres idololatræ commenti sunt, tantum Theologiæ nomine censenda erunt indigna, quantum longe recedunt a veritate. Theologos ergo proprie dicimus, quos ex revelatis arcanis de divinitate audimus differentes, ut recte observarunt Budæus in Commentariis, & in Prolegomenis Dionysius Petavius. Atque inde promanavit Theologorum nomen; quo primum appellatos novimus Christi discipulos ab Areopagita in suo, ut vulgo creditur, de Divinis nominibus libro, ubi ait: *Aderat & Petrus supremum decus, & antiquissimum Theologorum culmen*. Hactenus de vocabuli significatione.

Pagani triplicem Theologiam habuere, Fabulosam, qua utebantur in theatris vario carminum genere ad numinum suorum flagitia, erroresque narrandos; hujusque Ethnicorum poetarum pleni sunt libri: Naturalem ac physicam, per quam Deorum genus eorumque naturam atque proprietates philosophi scrutabantur, ut præstiterunt olim Cicero in libris de Natura Deorum, Macrobius in Saturnalibus, nec non posterioribus temporibus Lilius Giraldus Ferrariensis, Vossius, & quos contra Polytheos disputans opportunior loco commemorabo: Civilem denique, quæ in urbibus commorantes, & confluentes ad templa erudiebat circa ritus ac sacrificia ad cultum peragenda Deorum. Quam postremam Numa septem Latinis, ac septem Græcis libris explicavit, quos erutos ex agro Petilii sub Janiculo a cultoribus altius terram molientibus, refert Livius Historiarum xl. ad annum Urbis Conditæ DLXXIII., fuisse Senatus judicio concrematos.

Universam hanc idololatrarum gentium Theologiam perstringit Apostolus in Epist. ad Rom. cap. 1. v. 23. his verbis: *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum*. Quibus redarguit primo eos, qui corporeos homines superstitioso cultu venerati sunt, non solum Romanos, sed & Græcos, & Persas, aliosque populos mortales Deorum turmas sacrilega religione prosecutos; quamquam unicuique naturali rationis acumine notum est quod de vero Deo scripsit Antiphanes, *ὀφθαλμοῖς οὐχ ὁρᾶται, οὐδενὶ ἔοικε, oculis non videtur, nemini est similis*. Quare imbecilles infirmosque Deos ipsos fatetur in Epistola ad Matrem Alexander Rex Macedonum invictissimus, ut recte in libro de idolorum vanitate affirmavit Cyprianus, Felix in Octavio, & Athenagoras in Apologia pro Christianis. Et deinde damnat Paulus Ægyptios, quorum aquatica, terrestria, & volucria numina commemorant Theophilus Antiochenus, Strabo, Philo, atque Virgilius, Juvenalis, synchronusque Paulo Lucanus. At quoniam Deorum gentium vanitatem modo refutare non vacat; audiatur S. Thomas hæc ad Apostoli testimonium adjiciens: *Videtur autem Apostolus triplicem Theologiam tangere Gentilium. Primo quidem civilem, quæ observabatur a Pontificibus in adoratione idolorum in templo, & quantum ad hoc dicit*: Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei. *Secundo Theologiam fabularem, quam poetæ tradebant in theatris, & quantum ad hoc dicit*: Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium. *Tertio Theologiam naturalem, quam observaverunt Philosophi in mundo* par-

partes mundi colentes, & quantum ad hoc dicit: Et coluerunt, & servierunt creaturæ potius, quam Creatori. Hæc S. Thomas.

Eamdem idolis addictæ Gentilitatis divinam, si ita fas est nominare, scientiam jure, ac merito S. Pater Lib. VIII. de Civit. Dei cap. 5. Platonicorum Theologia existimat deteriorem. Nam qui hanc olim sectati sunt, licet fidei lumine destituti, esse unam universorum caussam, unumque beatitudinis largitorem nequaquam dubitaverunt. *Cedat eis igitur*, sic eximius Ecclesiæ Doctor effatur, *non solum theologia illa fabulosa Deorum criminibus oblectans animos impiorum; nec solum etiam illa civilis, ubi impuri Dæmones terrestribus gaudiis deditos populos Deorum nomine seducentes, humanos errores tanquam suos divinos honores habere voluerunt: ubi ad spectandos suorum criminum ludos cultores suos tanquam ad suum cultum studiis immundissimis excitantes, & sibi delectabiliores ludos de ipsis spectatoribus exhibentes: ubi si qua velut honesta geruntur in templis conjuncta sibi theatrorum obscœnitate turpantur, & quæcunque turpia petuntur in theatris comparata sibi templorum fœditate laudantur. Et ea, quæ Varro ex his sacris, quasi ad cælum & terram, rerumque mortalium semina interpretatus est, quia nec ipsa illis ritibus significantur, quæ ipse insinuare conatur, & ideo veritas conantem non sequitur: & si ipsa essent, tamen animæ rationali, quæ infra illam creatura ordine constituta sunt, pro Deo suo colenda non essent, nec sibi præferri debuit tanquam Deos eas res, quibus ipsam prætulit verus Deus. Et ea, quæ Numa Pompilius revera ad sacra ejusmodi pertinentia secum sepeliendo curavit abscondi, & aratro eruta Senatus jussit incendi.* His autem prædictas superstitiosæ Theologiæ species & enumerat Augustinus, & quali in existimatione habendæ sint luculenter demonstrat.

Verum mitto profanorum hominum rudimenta, & ad Theologiam nostram sermonem verto. Quam definire possumus *rerum divinarum vel ex naturaliter cognitis, vel ex revelatis principiis comparatam doctrinam.* Et si ea ex principiis naturaliter notis deducitur, pertinet, ut jam diximus, ad Ontologiam, seu Metaphysicam, quæ singularum rerum creatarum, ac supernarum inquirit essentiam. Si autem ex iis, quæ per revelationem innotescunt, proficiscatur, erit illa Theologia, quæ particularem constituit sapientiam; & quæ nonnullis divinitus animo illabitur, qualem habuere Salomon, & Apostoli, qui Spiritu Sancto repleti, *cœperunt loqui magnalia Dei*, nec non Sanctorum plurimi, etiam feminæ, ut nostri Ordinis Sanctimonialis Clara, quæ non semel de altissimis Fidei nostræ mysteriis fertur disseruisse. Sed ut plurimum studio ac labore comparanda est; nam Spiritus, ubi vult, spirat, & prout vult, gratiarum charismata dividit. Habes hinc, ut arbitror, discrimen inter *infusam*, & *acquisitam* Theologiam.

Porro hanc ratione methodi dividunt in Positivam, Scholasticam, & Mysticam. *Positivam* aliqui eam dicunt, quæ non servatis dialecticæ præceptis fusiori quodam dicendi genere divinam Scripturam, Fideique exponit mysteria; sed alii dictam putant, quod sua principia *supponat*, atque ex sacris literis, Apostolicis Traditionibus, & Catholicæ Ecclesiæ statutis suas inferat positiones. *Scholasticam* nuncupamus Theologiam illam, quæ ad syllogisticæ artis regulas sese accuratius accommodat, neque a priori diversa est, nisi methodo disputandi; unde qui servato verborum delectu & ampliori oratione sua ex Theologicis fontibus deprompserit argumenta, non tam Scholasticam, quam Positivam tenere is videbitur Theologiam; eritque hac temporum ætate auditoribus suis haud ingratus, sive in rerum divinarum contemplatione, sive in iis, quæ ad formandos mores pertinent, occupabitur: etenim hæc Theologia præstat utrumque, & pro argumenti diversitate *Speculatrix* dicitur, & *Moralis*. Mysticam porro nominamus illam, quæ non in sola contemplatione versatur, sed in Deum dirigit cordis affectum; de qua possumus ea verba Davidis usurpare Psalm. XI. 7. *Eloquia Domini eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.*

Ratione autem argumentorum, quæ Theologo pertractanda sunt, dividere possumus Theologiam in Polemicam, Dogmaticam, & Adiaphoram. *Polemica*, id est, bellatrix ea est, qua cum hæreticis, ceterisque fidei hostibus funem ducimus contentionis, ea nempe, quæ in dirimendis controversiis inter Fideles & Heterodoxos tota versatur. *Dogmaticam* ego quidem illam appello, quæ Patrum placita, sententiasque ad trutinam revocat; quippe *Dogma* idem est, ac scitum, vel decretum, etiamsi *Polemicas* theses sermonis usus & consuetudo *Dogmaticas* indiscriminatim denominet. *Adiaphoram* autem dico, quæ absque fidei discrimine, errorisque periculo exercitationis caussa inter Doctores exagitatur, ut eam de suis distinctionibus Scoti, ac Divi Thomæ discipuli digladiantur. Denique ratione subjecti dividi potest Theologia in Theologiam *Dei*, *Beatorum*, *ac Viatorum*, quæ proculdubio satis solo nomine comprehenduntur. Atque hanc Theologiæ partitionem si quis minus aptam arbitrabitur, alteram fortasse meliorem excogitet proprio marte, vel consulat initio sui Apparatus Petrum Annatum.

S C H O L I O N.

„ DElevimus in hoc priori ceterisque Capitibus, seu dissertationibus, *Divi* vocabulum, *Sancti* apposita voce. Etsi enim & prius epitheton viris probatæ virtutis, atque iis maxime, quibus cultum Sancta Romana Ecclesia solemni definitione decrevit, recepta jam, & pervulgata consuetudine solet attribui; quidam tamen emunctarum narium Critici id vitio minus castigatæ locutionis adscribunt. Verentur enim, ne occasio detur Heterodoxis acrius nos superstitionis & idololatriæ insimulandi, quasi par, idemque summo Numini hujusque servulis exhibeamus obsequium. Nam *Divus*, & *Diva*, inquiunt, ab Æolico, seu Cretico Δίος exortum vocabulum, *Deum Deamque* significat. Consuevetunt autem veteres profanorum numinum cultores Augustis Principibus, Octaviano, Tiberio, ceterisque, necnon aliis rerum inventoribus, atque sapientiæ celebritate clarissimis, *Divi* addere appellationem, existimantes absumptos ex hominibus referri inter Deos. Quare nos viris Sanctis *duliæ*, ut græcissantes loquimur, non *latriæ* cultum honoremque deferentes, lubentius *Sancti* dictionem usurpamus, quam *Divi*. Enimvero *Sancta*, non Deos tantum immortales, sed æraria quoque sacra, templa, mœnia urbium, virosque pios ac integerrimos, quos Græci vocant ὅσιος, aut ἅγιος, leges item sacratissimas, & quidquid legum sanctione munitur, & inviolatum perseverare necessum est, Tullius, aliique Latinæ linguæ Proceres appellavere. *Sanctos* itaque, id est, voce derivata a *sancio*, quod idem sonat, ac *decerno*, vel *consecro* eos, qui in beatorum patria fulgent eximiæ virtutis, gloriæque splendore, & decernentibus Ecclesiæ pastoribus colendi sunt a nobis & invocandi, castigatius, ut opinor, vocabimus, at non quempiam *Divos* dicentem recepto more, ac sensu catholico, vellicantes. Eamdem ob rem *Apotheosis*, quæ est hominis vita functi relatio inter Deos, nisi repudiato, seposito tamen vocabulo, utemur verbo *Canonizationis*, a Latinis rejecto quidem inter barbara, sed a Catholica Ecclesia scite prudenterque usurpato. *Theologiæ* nomen Varronis quoque auctoritate roboratum, etiam dum insectamur Ethnicorum deliramenta, cum Augustino & Doctore Angelico ducimus retinendum. Sunt enim, ut scribit Apostolus in prima ad Corinthios Epistola cap. 8. 5. θεοὶ πολλοὶ, καὶ κύριοι πολλοί, quamquam λεγόμενοι, nomine tenus, atque in sola idololatrarum existimatione. Ita si quis cum Abate Hyperboreo, vel cum Hesiodo Deorum generationem dixerit θεογονίαν, modo execretur fabulosam Deorum propaginem, illum æquo lubentique animo patiemur.

C A P U T II.

Num Scholastica Theologia, quæ Dialecticam in usum assumit, sit penitus abjicienda?

IN SCHOLASTICAM THEOLOGIAM, quam diximus Dialecticæ usum ac philosophicam methodum differendo complecti, contumeliosis verbis ac dicteriis hæretici fere omnes debacchantur. Opponebat olim Augustino Cresconius Grammaticus, quod & ille Dialecticus esset, ac in Fidei quæstionibus disputandi artem adsumeret, ut refert idem Sanctus Doctor lib. I. cap. 13. Novatores quoque ut eam omnino perderent, nullum non lapidem moverunt; nam Wiclephus in articulis a Synodo Constantiensi damnatis asseruit Universitates & studia Theologorum, quorum gymnasia castra Cainitica nuncupabat, eo modo Ecclesiæ prodesse, *sicut prodest diabolus*. Et Lutherus lib. 2. de abroganda Missa nostrorum Scholas *lupanaribus* comparat, appellatque D. Thomam *phialam iræ Dei*. Joannes Calvinus in suis Institutionibus hæc audacissime eructat: *Tota Papatus Theologia immane est chaos, & horribilis labyrinthus, quia neglecto Christo sibi insanis, & ventosis speculationibus indulget.* Pari audacia in sua Apologia Philippus Melanchthon ait Lutetiæ Parisiorum natam esse profanam Scholasticen, eaque admissa obscuratum Evangelium ac Fidem extinctam. Eo autem dementiæ devenerunt Withembergenses Hæretici, ut anno 1520. Scholasticorum libros feretro impositos sacras defunctorum celebrantes vigilias magna ministrorum, populique frequentia ad mediam deferrent urbem, ac in ardentem rogum projicerent, ut in Appendice ad Naucleri Chronicon refert Surius. Qua impia improborum hominum indignatione satis, superque apparet quanto animi odio & veteres, & recentiores hæretici communionis Romanæ Theologos, quos dicimus e Schola, prosequantur.

Connumerandus est his Nicephorus Gregoras, qui circa annum 1328. floruit, Andronico Juniore imperante, & in Latinos iniquissimus non tantum invehitur, quod ex Petri successione arrogent sibi Primatum; sed etiam acriter illos reprehendit eo quod temere, ac superbe, præsertim Itali, in Theologiam disputantes insiliant. Quam Scholarum invidiam longa queri-

monia

monia adauget Erasmus afferens in quæstionum nostratum delectu plurimas offendi supervacaneas, & satius esse ad bene, beateque vivendum Deum humili religione diligere, quam de ipsius natura, ac personis plura operosa inquisitione tractare. Ad ejusmodi criminationem proniores videntur moderni Scriptores, qui cum nudam, ac subtilem physiologiam, quæ penes nos hactenus obtinuit, cachinnis ac risu excipiunt; tum hanc differendi methodum damnant, exercitationes despiciunt, vocabula, quorum forte significationem ignorant, barbarismos censent latinitatis. Non obscuræ sunt in hujuscemodi commentationibus Constantini Grimaldi lucubrationes; quas literatorum horum judicio probatas damnat Magistra veritatis Ecclesia.

Ego quidem caussam, cur id genus hominum nostras parvipendant cathedras mihi videor divinare. Nam vel de Sectariis loquimur ab Ecclesia alienis, vel de Catholicis viris, qui in Scholasticos communi quodam odio feruntur. Sectarii nollent nos ad evitanda ipsorum sophismata instructos, sed in ratiocinando difficiles, quo majori conatu ac dolo ea, quæ proferremur, dogmata impeterent; unde traditur dixisse Bucerus, *Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam:* dignissimi, quos Dominicus a SS. Trinitate de Theologicis disciplinis optime meritus, libr. 2. Biblioth. sect. 1. cap. 3. comparet Philisteis, qui devictis ad Gabam Hebræis prohibuerunt, ne deinceps fabros ferrarios haberent, auctore lib. 6. Antiquit. cap. 7. Josippo, ut soli possent contra hostes lanceas, gladiosque tractare. Hi vero duplici de caussa in subtiles, & acutas disputationes declamant; quarum una est, quod experimentali philosophiæ impensius navantes operam remotiora a sensibus vix delibaunt; altera, quod dicendis in foro contentiosis incumbunt orationibus, sermonisque fucum ubique expetunt, ignari gravissimum auctorem Clementem Alexandrinum in I. Stromateon monuisse, neque probandum esse ciborum apparatum, *in quo plura sunt condimenta, quam quæ parata sunt ad alendum, neque scitum esse sermonis usum, qui oblectandis potius, quam juvandis auditoribus servit.* Sed ne videamur cultum, ornatumque in Theologis nostris damnare, nimiumque futilibus argumentationibus indulgere, exponam modo quodnam ferendum sit in hac dissertatione judicium.

PROPOSITIO I. Theologo usus dialecticæ summopere est utilis ac necessarius.

OSTENDITUR I. propositio depromta ex sacris litteris argumentatione. Theologi munus est incredulos & contradictores arguere, detegere impugnantium sophismata, ac interroganti de his, quæ profitemur, congruam veramque rationem reddere. At hæc omnia suppeditat ars dialecticæ, quæ nexus argumentorum, sermonum versutias, & oppositionum indicat solutionem. Est ergo viro Theologo dialecticæ usus apprime necessarius & utilis. Priorem propositionem tradunt expresse divinarum oracula Scripturarum; nam Apostolus affirmat opus esse, ut Ecclesiarum Rectores fidelem sermonem amplectantur, ut exhortari possint, & eos, qui contradicunt, arguere; quoniam, inquit, in Epistola ad Titum cap. I. v. II. *multi sunt docentes quæ non oportet.* Et Petrus Epistola I. cap. 3. v. 15. *vult nos paratos esse ad satisfaciendum omni poscenti rationem de ea, quæ est in nobis, spe;* nimirum apologiam exhibere, si quis a nobis caussam poposcerit Religionis. Debemus etiam, ut hortatur Sapiens cap. 8. v. 8. *scire versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum.* Quod vero hæc omnia ad munus pertineant dialecticæ satis constat.

Probatur II. ex PP. S. Clemens Alexandrinus in 6. Strom. scribit: *Sepimentum est dialectica, ut ne a sophistis veritas conculcetur.* Basilius in Caput I. Is. *Facultas dialecticæ muri instar est dogmatibus, quod ea non sinit facile diripi, & quorumlibet incursioni patere.* Gregorius Nazianz. Orat. 20. summis laudibus Basilium ipsum extollit, quod apprime calleret dialecticam, in eaque adeo præstaret, ut *iis, qui cum eo disputabant, facilius esset ex labyrinthis sese extricare, quam argumentorum ejus laqueos effugere.* Ambrosius in cap. 5. Lucæ: *Quæ sunt Apostolorum, quæ laxari jubentur, retia, nisi verborum complexiones, & quasi quidam Orationis usus, & disputationum recessus, qui eos, quos ceperint, non amittant?* Atque ne singulos commemorem, S. P. Augustinus, cujus in II. Libro de Doctrina Christiana cap. 31. hæc sunt verba: *Disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in literis sanctis sunt, penetranda & dissolvenda plurimum valet. Tantum ibi cavenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium.* Ex quibus Patrum testimoniis illud contexitur argumentum. Ea facultas Theologo perutilis est, ac necessaria, quæ est contra impugnatores sepimentum veritatis, & muri instar universis dogmatibus, & quæ a doctissimis, sanctissimisque viris commendatur, ac valere plurimum dicitur ad omnium quæstionum genera. Talem esse artem disputandi, seu dialecticam asserunt Sancti Patres. Hi igitur artem istam perutilem viro Theologo judicant, ac maxime necessariam.

Tertio loco propositio demonstratur ratione. Dialectica duo præstat, disputandi peritiam, qua absque erroris periculo unum ex alio deducitur, & notitiam sophismatum, qua adversariorum tela retundimus. Atqui utrumque munus exercere debet Theologus, qui & theses suis ex fontibus profert, & atheorum, damnatorumque hominum declinat argutias. Ei ergo erit pedissequa ars disputandi. Urget hoc argumentum contra Cresconium Grammaticum S. P. lib I. cap. 13. ubi ait: *Quid est enim aliud dialectica, quam peritia disputandi? Quod ideo aperiendum putavi, quia etiam ipsam mihi objicere voluisti, quasi Christianæ non congruat veritati; & ideo me doctores vestri velut hominem dialecticum merito fugiendum potius, & cavendum, quam refellendum, revincendumque censuerint. Quod cum tibi non persuaserint, nam te adversus nos etiam scribendo disputare non piguit; tu tamen in me dialecticam criminatus es, quo falleres imperitos, illosque laudares, qui disputatione mecum congredi noluerant. Sed tu videlicet non dialectica uteris, cum contra nos scribis? Ut quid te ergo in tantum disputandi periculum projecisti, cum disputare non noveris? Aut si nosti, cur dialecticus dialecticam criminaris, ita vel temerarius, vel ingratus, ut aut imperitiam, qua vinceris, non refrænes, aut doctrinam, qua juvaris, accuses?* Utuntur quippe non semel contra nos disputationibus iidem Hæretici, qui in disputando peritiam criminantur. Et Arnobius Junior in conflictu objicienti Serapioni quod in dialecticum sophisma prorumperet, ita occurrit: *dialecticum sophisma duas facies recipit; & ut verum probetur, quod adstruitur, & non verum ex aliqua parte arguatur.*

Postremo contra eos, qui Theologos dialectica utentes, tanquam fallaces & captiosos, admonent esse vitandos, ita ex Augustino argumentor. Paulus Apostolus cum Stoicis, qui certissime dialectica arte pollebant, non semel contulit; vel ipse dialecticus erat, vel, si non erat dialecticus, & Christiano homini dialectici sunt evitandi; ergo ipse a dialecticis sese subduxisset, quod non fecit. Si fuit & ipse dialecticus, ergo non est dialectica, tanquam vitium, in Theologo viro redarguenda. *Stoici certe*, inquit citato lib. cap. 14. S. Pater, *maxime dialectici fuerunt: cur Apostolus Paulus, ne conferrent cum illo, non eos cautissime devitavit, & vestros Episcopos laudas, quod nobiscum velut cum dialecticis nolint habere sermonem? Aut si & Paulus dialecticus erat, & ideo conferre cum Stoicis non timebat, quia non solum acute disputabat sicut & illi, sed etiam veraciter, quod non illi; jam cave cuiquam dialecticam pro crimine objeceris, qua usos Apostoles consiteris.* Idem argumentum urget cap. XVIII. ejusdem libri de Christo.

In cujus argumenti confirmationem addere possumus exemplo Pauli, imo & Christi dialectica usos fuisse Ecclesiæ Patres, præsertim Justinum in Apologia pro Christianis, Athanasium contra Arianos, Basilium & Gregorium Nyssenum contra Eunomium, Cyrillum Alexandrinum in Dialogis, Hieronymum contra Helvidium, & Vigilantium, sanctissimum denique parentem Augustinum contra Academicos, Manichæos, Donatistas, & Pelagianos, ut in hujus decursu Operis horum, aliorumque Patrum magna ex parte construendi argumentis, facile quisque conjiciet.

PROPOSITIO II. Non superfluit, sed viro Theologo plurimum confert etiam naturalis Philosophia.

Hanc propositionem probo I. Scripturarum divinarum auctoritate. Sapientiæ VII. v. 12. Salomon de se ait: *Et lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia, & ignorabam quoniam horum omnium mater est.* Et quænam hæc Sapientia fuerit, v. 17. exponens sequitur: *Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram: ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & commutationes temporum, anni cursus, & stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, &c.* Paulus etiam ad Coloss. I. v. 28. *Quem nos annuntiamus*, inquit, *corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni sapientia*, divina nempe, & humana. Unde sic arguo: Verus Deus proculdubio utilia docet, nec unquam ipse vanam ac perniciosam scientiam rationalium hominum menti indidit: utiliter quoque ad homines perficiendos ea adsumitur sapientia, quam proprio usu Apostoli commendarunt. Sed Deus bonorum omnium largitor etiam naturalem rerum notitiam docuit Salomonem, eamque Paulus in corripiendis, formandisque neophytis adhibuit. Ergo hæc Theologo non vana erit, & noxia, sed perutilis, & accommoda.

Secundo assero Sanctorum Patrum momenta. Clemens Alexandrinus lib. I. Strom. docet, *Philosophiam ante Domini adventum Græcis ad justitiam fuisse necessariam; nunc autem ad Religiosam pietatem utilem esse, eo quod prævia quædam eruditio sit iis, qui fidei per demonstrationem fructum colligunt:* rursus, *philosophiam ipsam ad sapientiam comparandam conducere.* Plura ex Clemente collegit Canus libro IX. de loc. Th. capite V. ac Petavius in Prolegomenis cap. IV. Accedit Hilarius, qui lib. 12. de Tr. ait: *Fidem non nudam Apostolus, atque inopem rationis reliquit: quæ quamvis potissima ad salutem sit, tamen nisi per doctrinam instruatur, habebit quidem inter*

adversa tutum refugiendi recessum, non etiam retinebit constantem retinendi securitatem, eritque ut infirmis sint post fugam castra, non etiam ut arma habentibus adsit interrita fortitudo.

Ulterius sic ab exemplo argumentor. Philosophia, naturalique ratione & Christus, & Apostoli, maximique Ecclesiæ Doctores sæpe sæpius veritatem firmarunt: non est igitur Theologis Philosophiæ usus interdicendus. Ant. pr. 1. Christus Dominus Matth. XXII. v. 20. ex imagine numismatis infert Cæsari solvendum esse tributum. 2. Paulus Ep. 1. ad Corinth. cap. 12. probat, non opus esse, ut omnes in Ecclesia omnium gratiarum genere, ac scientiarum munere polleant, quod in unoquoque corpore diversa sint membra, quorum singula suam habent energiam: nam, *si totum corpus*, inquit v. 17., *oculus; ubi auditus? si totum auditus? ubi odoratus?* &c. 3. Gregorius Thaumaturgus eruditum de Anima conscripsit volumen solis Philosophicis argumentis compactum rogatus a Tatiano, quem sic alloquitur: *Jussisti, præstantissime Tatiane, ut cum efficacibus argumentis, sive demonstrationibus, sermonem, atque disputationem de anima tibi conscriptam mitterem, eaque in re nullis scripturarum uterer testimoniis*. Athanasius sacrilegos homines, qui ex divinitatis doctrina cauponariam exercebant, redarguit, ut in Orat. de ejus laudibus narrat Nazianzenus, *texto flagello, & probabilibus argumentis ad persuadendum accommodatis*. Origenes studia Philosophiæ detrectantibus, ut scribit Euseb. Historiæ Eccl. lib. VI. cap. 15. reposuit se naturalibus scientiis sedulam dedisse operam, sed facem sibi prætulisse Apostolicos doctores Panthænum, Heraclam, aliosque. Didymus de se in suis ad Ecclesiasten Commentariis fatetur Grammaticæ, Rethoricæ, ac Philosophiæ operam non exiguam navasse; ac de postrema ait: *Nec minus adeunda Philosophia est, ut facilis suppetat demonstrationum facultas in iis, quæ contraria videntur*. Quod de Didymo narrat etiam in VIII. Hist. Tripart. cap. 8. Theodoretus. Augustinus denique, ut Melitonem, Justinum, Lucianum, Damascenum, aliosque innumeros prætermittam, nonne lib. XIX. de Civit. Dei cap. 4. & in toto Opere Imperfecto contra Julianum, ex morte, hujusque vitæ miseriis demonstrat Originale peccatum ab Adæ posteris contrahi? Christus ergo, ac PP. quod demonstrandum erat, etiam philosophia, ac naturali ratione plura ad fidem moresque pertinentia confirmaverunt.

Postremo nonnullas hujus assertionis rationes producam. Harum prima sit: Theologo frequenter occurrit, ut hæc vocabula Generatio, Processio, Hypostasis, Libertas, Natura, aliaque plura, quæ partim sermonis usus, partim vero hæreticorum invexit versutia, usurpare debeat ratiocinando: Atqui horum notionem ideamque suppeditat philosophia: Ergo hæc illi multum affert commodi, & ancillatur. 2. Cuique ut ad fidem veniat exhibenda sunt, quæ illi videntur familiaria; uti Paulus in medio Areopagi ex ipsa aræ inscriptione occasionem arripuit annunciandi Evangelium, neque cum Epicureis ac Stoicis disserere detrectavit, prout Actor. narrat historia cap. XVII. v. 17. & 23. factus Hebræis Hebræus, Philosophis Philosophus, ut omnes lucrifaceret: At etiam Theologus congredi debet aliquando cum acutissimis Philosophis, qui solius rationis ductu reguntur: Congruum est ergo ut eos naturalibus, physicisque argumentis alliciat, ac trahat. 3. Supernaturalis scientia, etsi philosophiam supergreditur, huic tamen non adversatur; fides etenim rationem superat, non evertit; Ergo si contra doctrinam Salvatoris hostes physicis insurgant argutationibus, debent naturali Scientia retundi, ostendendo huic eamdem Christi Doctrinam non esse contrariam. Audias Clementem Alexandrinum in 1. Strom. *Porro Græca philosophia ad Doctrinam Salvatoris accedens, non potentiorem facit veritatem, sed sophisticam adversus eam impressionem imbecillem reddens, propulsansque dolosas contra veritatem insidias, congruens vineæ sepimentum, & vallum dicitur.*

PROPOSITIO III. Non debet Theologus naturali solummodo duci philosophia, sed illam in obsequium fidei captivare revelationibus divinis subnixus.

Assertum istud, quod maxime notari vellem, eo namque præcipua corruunt objecta adversariorum, probo 1. ex Sanctis PP. Joannes Damascenus Dialogorum primo ait: *Porro docet Reginam ancillarum quarumdam uti ministerio. Accipiamus igitur doctrinas istas tamquam veritatis famulas, & impietatem, qua tyrannico dominatu sibi eas usurpavenat, procul amandemus: neque bonis male utamur; nec ad circumveniendos simpliciores convertamus artem illam disputandi*. Ac S. Pater Augustinus Epist. CCXXII., iterato monet, *Ut in quibusdam rebus ad doctrinam salutarem pertinentibus fides præcedat rationem*. Cyrillus pariter in lib. IV. Commentariorum ad Joannem, *Post fidem*, inquit, *cognitio sequitur, non illam antecedit*.

Deinde probatur ratione. Etenim discursus Theologicus, ut scribit Quæst. 1. art. 2. Gregorius noster Ariminensis, cui ceteri omnes assentiuntur, constat ex revelatis propositionibus, vel saltem ex altera hujusmodi. Debent enim alia esse principia Theologiæ naturalis, alia supernaturalis, atque, ut docet Magister Sententiarum in Prologo, Fides nostra Davidicæ turris clypeis communiri: Atqui Theologus principiis naturalis philosophiæ hæret tantum, quando asserta argumento a sola ratione petito corroborat: Ergo si Philosophiæ tantum insistat, nunquam Theologico procedet discursu.

PROPOSITIO IV. Scholastica methodus, ad quam Petrus Lombardus Theologiam revocavit, non est absolute necessaria, bene tamen perutilis, & accommoda.

Constat prima pars; siquidem ante Magistrum pluribus sæculis Fides perseveravit, floruit maxime virtus, Patres Orthodoxi quamplurimos Hæreticos confutarunt, quamquam non erat præsens methodus Theologicas res pertractandi. Constat etiam altera pars; quippe optandum est, ut in tradendis disciplinis confusio, quantum fieri potest vitetur, agendo primum de natura & existentia objecti, deinde de ejus proprietatibus, & consequenter de reliquis ad idem spectantibus, singula ad certa capita revocando: Sed hoc præstat Scholastica methodus: Ergo, &c.

PROPOSITIO V. Theologia Scholastica, quidquid reclament nebulones, est utilis, necessaria, & ad profligandas hæreses, fidemque servandam aptissima.

Sequitur assertum ex dictis, ac ostenditur primo: Vera Scholastica Theologia ea est, quæ ad oracula Scripturarum, ad Apostolorum traditiones, ad antiquorum testimonia Patrum addit pro arguendis erroribus, ac veritatibus confirmandis aliqualem usum dialecticæ: quæ nititur quandoque naturali philosophiæ, ut sapientes fidei lumine destitutos sibi captivet, & in obsequium veritatis devincat: quæ demum differendo non vagatur inordinate, ut facere cogebantur antiqui modo unum dogma, modo alterum, cum varii errores insurgerent, vindicando; nam ego istam de Theologia ideam habeo, quidquid contendant qui in frivolis, minimisque præcipuam operam perdunt. Sed dialectica in unaquaque scientia apprime requiritur, ut apparet ex priori propositione: naturalis philosophia, ut ostendi propositione secunda, a Theologo jure adhibetur; atque recta methodus, præterquamquod accidentaria est, nec scientiæ naturam immutat, ut dicebam nuper, scilicet propositione præcedenti, a cordato viro rejici non debet. Ergo Scholastica Theologia utilis est, necessaria, & ad fidem juvandam idonea.

Comprobatur Conclusio Summorum Pontificum auctoritate; nam Urbanus IV., Innocentius VI., & Joannes XXII. Summam D. Thomæ plurimum commendaverunt, ut videre potes apud Contensonium in illius doctrinæ defensione, & Eminentissimum Gotti Quæst. 1. dub. III. §. 2. num. XIV. Innocentius IV. mandavit Alexandro Alensi ut Summam Theologicam ederet, quam Alexander IV. suo probavit diplomate. Sixtus V. in Bulla, in qua D. Bonaventuram connumerat eximiis Ecclesiæ Doctoribus, ait: *Cujus tam salutaris Scientiæ cognitio, & exercitatio semper certe maximum Ecclesiæ adjumentum afferre potuit sive ad Scripturas ipsas vere, & sane intelligendas, & interpretandas; sive ad Patres securius, & utilius perlegendos; sive ad varios errores & hæreses detegendas, & refellendas..... Quanto igitur magis illi, idest Heretici, hanc munitissimam Scholasticæ Theologiæ arcem oppugnare, & evertere conantur, tanto magis nos decet hoc invictum Fidei propugnaculum defendere, & hæreditatem Patrum nostrorum conservare, & tueri*. Magnifice pariter hanc Theologiam extollit Conc. Lateranense IV. damnans ejus impugnatorem Abbatem Joachimum: Viennense Concilium de parvulorum Baptismo: & Sacra Tridentina Synodus sess. 5. de Reform. cap. 1. ubi præcipit ut hujus Theologiæ instituantur Magistri indicta præbenda ac stipendio.

Tandem quis sibimet persuadeat inutilem esse scientiam tanto labore a Viris doctissimis, ac sanctissimis comparatam; cujus toto terrarum orbe viget usus; quam universæ celebriores Academiæ profitentur; & quæ in dies clarissimorum Virorum exercet ingenia? *Erit ergo Theologia Scholastica*, ut quidam ait apud Franciscum Henno quæst. VII. concl. *Ecclesiæ lumen, Fidei columen, trutina veritatis, errorum clava, fulmen hæresum, fax mysteriorum, & Catholicæ doctrinæ lapis lydius*. Fortasse vellent Theologi, ut acerbiori stylo facultatem suam vindicassem, ac detractoribus vicem reddidissem; sed frugi scriptori, qualem me esse desidero, est a loquacitatis libidine temperandum.

S C H O L I O N.

» Tametsi *Scholasticum* Latini dicunt *declamatorem*, vel *causidicum* & frequentius *eruditione præditum & elegantia sermonis*, interdum etiam apud Auctores de divinis Officiis pertractantes Ecclesiasticum virum *præfectum Scholæ Cantorum*; recte tamen illum *Scholasticum* appellamus, qui in Scholis docendo, aut addiscendo versatur: Theologiam vero *Scholasticam* illam, cui in Scholis operam impendimus, peculiari adhibita methodo circumscriptæ ratiocinationis, & ad leges dialecticorum elaboratæ. In qua utique Theologia res quæ traduntur, quæstionumque delectum, a forma, & a Syllogismorum, vel aliarum argumentationum complexione, distinguamus oportet. Nam res, seu objectum, in quo explanando eadem Theologia occupatur, est Deus & quidquid ad ipsum propius attinet, quacunque idcirco

» alia

> alia re sublimius atque præstantius. In Deum vero auctorem conditoremque universorum, & rationalis creaturæ principium ac finem, intendere mentis aciem, omnemque, aut præcipuam saltem contemplationem, esse inutile exercitamentum nemo unus, quantumvis inscius, vel improbus, audebit asserere. In methodum itaque Scholasticam, quæ ratiocinando progreditur, sive in externa quædam, obsoleta, & nimium acri contentione, aliorumque confutationibus admodum verbosis, in sacram scientiam intrusa, illos invehi arbitramur, qui debacchantur in Scholasticam Theologiam. Atqui methodum illam, modo non hæreat ineptis cavillulis, emotæque mentis idolis absurdisque præceptionibus, sed probatæ fidei munimentis, cujusmodi generis sunt libri divinitus inspirati, documenta Majorum, definitiones Apostolicæ sedis, & Œcumenicarum Synodorum, aliaque, quæ Theologis sunt, qualia Philosophis esse solent *Topica* Aristotelica, methodum, inquam, illam reprobare non debet quisquis in qualibet scientia, vel arte laudat industriam, studium institutoris auctorisque perficientis, seu expolientis illius scientiæ artisve materiem. Inutilium vero disputationum permixtionem, disceptationemque prolixam, tamquam in auro cererisque metallis scoriam, sordesque expurgandas, uti incipientibus ad explorandas absque fidei periculo nativas ingenii vires, studiorumque rudem molem paullatim perficiendam, lubenter indulgenterque permittimus; ita proficientibus ducimus prohibendam. Atque his omnem de utilitate Scholasticarum disputationum altercationem facile componimus & elidimus. Qui enim Dialecticam, & Philosophiam in Theologo damnant, de illa, quæ inanis est, fallax, & ad decipiendum a Gentilibus & ab hæreticis in usum assumpta, verba faciunt; eosque ut eam evitent consulto admonent, qui ad solius humanæ rationis trutinam pensitant fidei mysteria ordinem excedentia naturæ, & quæ superna revelatione didicimus, subjiciunt philosophicis commentationibus; cum hæ subesse divinis revelationibus potius debeant, & in obsequium fidei captivari. Neque enim inferiora superioribus imperare, legesque præscribere possunt, sed ab his regi, hisque obtemperare debent, quemadmodum recta ipsa ratio commonstrat. Huc ergo spectat, quod ajebat ad Colossenses Apostolus cap. 2. *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam*; & quæ Tertullianus cap. 7. de Præscript. Gregorius Nyssenus in 2. adversus Eunomium libro, Hilarius in 12. de Trinitate, aliique Patres proximo capite producendi tradiderunt, cavendum nobis a versipelli Dialectica, *artifice struendi & destruendi*, prætendendas non esse contra adversarios *dialecticæ subtilitatis argutias*, vitandas *captiones sophisticas*, abjiciendas *callidæ Philosophiæ tortuosas quæstiones*, aliaque hujus generis hortamenta, maxime observanda cum fidei hostibus disserendo. Qui cum nos nimium Aristotelicæ philosophiæ addictos, Syllogismis duntaxat, argutiisque deditos cognoverunt, tumidi exoticarum linguarum peritia, & plurium testium congerie, impetere nos, & fere obruere tentarunt, barbariem irridendo, librosque magistrorum nostrorum temere, & sacrilege in ignem projiciendo. At cum nostrates ad comparandam sibi eruditionem, philosophicis meditationibus paullulum remissis, animum applicuerunt, hæretici commentis Philosophorum, & syllogismis artificiose contextis nos impetunt, & exagitare adnituntur; ea nos in parte, quemadmodum solent ductores exercituum callidi, aggredientes, in qua nos imbecilliores esse opinantur. Quare juniores, qui lucubrationibus istis utuntur, commonefacio, ne abstineant quidem a verborum ornatu, a linguarum peritia, a veterum Patrum lectione, quæ omnia magnopere laudo atque commendo, sed nec methodum Scholasticam penitus abjiciant, aut parvipendant. Irrepsit autem alicubi apud nos consuetudo, ut in publicis disputationibus æque propugnantes, ac impugnantes theses, oratione utantur florescente rhetoricorum luxu verborum, quotquot possunt objectamenta inserendo, prurientes auditorum aures vellicando, scholarum methodo prorsus neglecta: quam si adhibeas, mirum in modum torquentur, repetunt expolitas oratiunculas, & nihil, quod objecta diluat atque evellat, perspicue breviterque reponunt. Qui concertationibus istiusmodi intersunt, mirantur tenacitatem memoriæ, laudant expolitam locutionem, gratulantur ablegatam futilium quæstionum farraginem; sed non perpendunt vim adversantium argumentationum, non acquiescunt responsionibus, atque a consessu discedunt, tamquam si adfuissent puerorum exercitationi Academicæ, in qua elegiæ & epigrammata memoriter recitantur. Verbo dicam: Vellem, ne Scholastica methodus, quam perutilem demonstravi, omnino neglecta jaceret, quamquam non rudem, non futilem, non incedentem squallido laceratoque amictu diligam, sed pulchram, gravem, & quantum patitur rerum conditio, expolitam quoque & excultam.

CAPUT III.

Solvuntur ea, quæ contra Scholasticam Theologiam objiciuntur.

Ea modo, quæ contra vindicatam hactenus Theologiam ab ejus impugnatoribus opponuntur, sunt diluenda: quorum aliqua solam philosophiam perstringunt; aliqua vero in methodum, rationemque Scholasticorum invehuntur. Sunt autem ista.

Opp. I. Philosophiam, humanamque sapientiam nobis sacri libri interdicunt. Ergo huic nihil est operis impendendum. Prob. ant. Nam Ecclesiastes cap. 1. 13. legitur: *Et proposui in animo meo quærere, & investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum.* Et Apostolus ad Colossens. II. 8. *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.* Et 1. ad Corinth. cap. II. v. 4. *Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Cujus generis plura in divinis occurrunt literis.

Confirmatur I. Ex Patribus; etenim S. Basilius sic libro 1. contra Eunomium invehitur: *Hæc illum ex mundi sapientia garrire, a qua in præceps abreptus hanc sermonis novitatem ingressus est, non est difficile monstrare. Aristotelis enim sunt, ut qui legerunt testari possent, sermones illi de habitu, & privatione in libro ejus, qui inscribitur Categoriarum.* Et infra de iis, qui sæculari humanaque reguntur sapientia exponit illud Psalmi CXVIII. v. 85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* Consimilia habet Gregor. Nyssenus lib. 2. contra eumdem Eunomium, & Cyrillus Alex. Thes. XI. Quid vero de cavenda Philosophia non ait Tertullianus? Is lib. de Præscript. cap. VII. dialecticam appellat coactam, duram, versipellem, molestam operariam contentionum, ac artificem destruendi; & demum esse ab Ecclesia eliminandam his verbis affirmat: *Quid ergo Athenis, & Hierosolymis? quid Academiæ, & Ecclesiæ? quid Hæreticis, & Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis, qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate quærendum. Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum Christianismum protulerunt.* In libro quoque de Anima non semel clamat, *auferendam esse argumentationem.* Item Leo Magnus sermone V. de Nat., *Abigatur*, inquit, *terrenarum caligo rationum, & ab illuminatæ fidei oculo mundanæ sapientiæ fumus abscedat.*

II. Confirmatur ab exemplo. I. quoniam Apostoli, qui tamen veri fuerunt Theologi, neque Dialecticam, neque Philosophiam habuerunt, licet juxta Domini pollicitationem illos Spiritus Sanctus omnem docuerit veritatem. 2. Augustinus disputans contra insaniam Manichæorum, qui gloriabantur se initium, finem, & mundi caussam adinvenisse, ait lib. 1. de Actis contra Felicem cap. 10. *Non legitur in Evangelio, Dominum dixisse, mitto vobis Paraclitum, qui vos doceat de cursu Solis, & Lunæ. Christianos enim nos facere volebat, non Mathematicos. Sufficit autem, ut homines de iis rebus, quantum in schola didicerunt, noverint propter humanos usus.* Ad usum ergo Theologiæ humanæ rationis doctrinam nihil prodesse ex Augustino didicimus. 3. Narrat Socrates Historiarum lib. 1. cap. 8., quod cum in Nicæna Synodo Dialectici quidam argumentantes omnia turbarent, ita illos simplex quidam Laicus compellavit: *Christus & Apostoli non artem nobis Dialecticam, nec inanem versutiam tradiderunt, sed apertam, ac simplicem sententiam, quæ fide bonisque actibus custoditur.* Quibus dictis assenserunt omnes, & ipsi Dialectici æquiore animo quieverunt. Hinc ista emergit argumentatio: Si Dialectica ac Philosophia Theologo aliquid afferret utilitatis & commodi, has disciplinas docuisset Apostolos Spiritus Domini, eisque Concilia ac Patres insurgentes hæreses depulissent: Atqui oppositum omnino accidit: Ergo &c.

Rursus confirmatur tertio. A philosophia deteriora hæresum portenta promanarunt: Ergo tantum abest, ut Ecclesiæ sit utilis, quin potius ei nocet quammaxime. Prob. antecedens auctoritate, & experimento: Auctoritate, nam Tertullianus lib. de Anima cap. 3. Philosophos appellat *Patriarchas Hæreticorum*: Et cap. VII. de Præscript. hoc discrimen statuit Hæreticos inter & Catholicos, quod hi in simplicitate Dominum quærant, illi autem inferant *Aristotelem, qui illis Dialecticam instituit.* Ambrosius lib. 1. de Fid. cap. 3. & in Ps. CXVIII. scribit, Arianos in perfidiam ruisse, quod elegerint disputationum tendiculas *secundum Dialecticæ disciplinam*: & S. P. Aug. serm. 81. de Tempore asserit cinipheas, qui tertia plaga vexarunt Ægyptios designare, Philosophos simul, & Hæreticos, qui verborum *stimulis animas terebrant.* Accedunt experimenta; etenim Aristotelicis inventis ad exitium, ac pestem abusi sunt Arius, Eunomius, Aetius, ut scribunt Rufinus, Basilius, Gregorius Nyssenus, Epiphanius, Socrates. Qua-

pro

propter anno 1204. Philippo Augusto Rege Francorum, Aristotelis Metaphysicam Parisius damnatam esse narrat in libro de Gestis Philip. Rigordus. E secta quoque Platonicorum prodiisse omnes fere superiorum ætatum hæreses Valentini, Marcionis, Manetis, aliorumque nebulonum, initio primi libri de Trinitate ostendit Petavius. Auctoritate ergo, atque experimento compertum est singulas hæreses philosophorum tendiculis fuisse consutas.

Resp. ad argum. nego ant. Sacræ enim literæ volunt Ecclesiæ Doctorem idoneum esse ad hortandum, docendum, corripiendum, ad distinguendas versutias sermonum, ac respondendum stultis juxta stultitiam suam. Monent tantum ne ad humanarum rationum momenta Christiana Fides potissimum exigatur; quod & nos præcepimus superiori propositione III. Itaque ad locum Eccles. repono, Ecclesiasten de felicitate hujus vitæ verba facere, & diligenti creaturarum omnium inquisitione hoc unum evincere, quod omnia vana sint, obnoxia mutationi, ac spiritus afflictio, ita, ut in nullo hujus sæculi bono rationalis hominis vera consistere valeat beatitudo, idque contra eos, qui hanc sive in voluptatibus, sive in affluentia deliciarum, sive in humana locaverunt sapientia. Propterea non dixit *occupationem pessimam* esse scrutari humana intelligentia cælestem, terrenamque creaturam, sed in ista occupari; idest tamquam finem illam habere. De quo loco tum quod apertissimus sit cuique legenti, tum quod disertissime, ut cetera omnia, expendatur a Cano lib. IX. cap. 9. satis mihi videor dixisse. Alterum Pauli ex Epist. ad Coloss. immerito in nos detorquent, cum ibi hortetur fideles, ut caveant ab Epicureorum secta: quæ per inanes fallacias Dei providentiam evertens a vera religione, quam Atheniensis conculcaverat Epicurus, plurimos retrahebat. Explodit ergo Paulus illam dumtaxat philosophiam, quæ adhæret falsis improborum hominum traditionibus. Quod etsi vulgari populo Apostolus vetaret philosophiam, non idem judicium ferendum esset de Pastoribus, & Doctoribus; quorum non solum est credere, sed etiam reddere rationem poscentibus. Enim vero neque nos universis Ecclesiæ membris necessariam ducimus esse Theologiam, sed tantummodo Corpori. Addo, nos Philosophiam eodem fine in Scholis recipere, videlicet, ne quis nos seducat, *& decipiat per philosophiam, & inanem sapientiam*; facilius enim evitantur jacula, quæ prævidentur.

Ad I. Confirmationem dico Patres illam tantum philosophiam abjicere, quæ sola naturali ratione arcana fidei scrutatur; necnon fallacem Dialecticam, quæ tricis & sophismatibus ingenia implicat tardiora. Et merito, cum nata vix religione, Christiana Fides Paganos habuerit irrisores, hostesque implacabiles Hæreticos, qui in eam Platonis & Aristotelis nefaria dogmata inducere tentaverunt ex horum philosophorum officina prodeuntes. Ceterum Philosophiam, & Dialecticam ancillam fidei, & veritatis indagatricem non semel commendarunt, quippe qui optime noverant esse contra Sophistas veritatis sepimentum. Basilius ergo, Nyssenus, Cyrillus eo pacto loquuntur contra Arianos, qui per ideam humanæ generationis divinum Verbum creatum esse temere contendebant; statuebantque, ut ait lib. I. de Fide Divus Ambrosius, *Omnem vim venenorum suorum in Dialectica disputatione*. In eo sensu, ait Leo Magnus, illuminatæ fidei oculum non esse fumo mundanæ sapientiæ offuscandum. Facillimum est ergo veteres inter se conciliare, si dicamus reprobari ab illis usum Philosophiæ tamquam pestilentem, ac noxium, quando sola credendi ratio in humana ratiocinatione concluditur; & cum ad circumveniendos rudes callida, & versuta Dialectica identidem usurpatur: non vero procul amandandas esse mundanas disciplinas, cum præsidio sunt Religioni, eique tamquam ancillæ deserviunt.

Addam nonnolla de Tertulliano, cujus præsertim testimonio inimici Scholastices abutuntur. Is citato libro de Præscript. Philosophos carpit, qui *gloriæ solius, & eloquentiæ libidinosi si quid in sanctis Scripturis offenderunt digestum pro instituto curiositatis ad propria vertetunt: qui affectant veritatem & affectando corrumpunt, qui de una via obliquas multas, & inextricabiles tramites sciderunt*; tales enim *fuisse illius ætatis Philosophos*, affirmat cap. XLVII. Apologetici. Quos ego non philosophos dixerim, sed philodoxos. Et in libro de Anima loquitur contra asserentes eam esse mortalem pertinaciter innixos solis sensuum animadversionibus, quibus observabant homines nasci, crescere, & mortalia appetere ad vitam alimenta: cujusmodi erat quidam medicus Soranus nomine, de quo cap. VI. ejusdem libri. At Tertullianum minime usum improbasse philosophiæ satis constat. Primo quia in lib. de Resurrect. Carnis asserit, quod *nos quoque provocent Hæretici philosophari*: quibus verbis, ait in Notis ad cap. VII. de Præscript. Jacobus Pamelius, *necessariam esse aliquam Philosophiæ scientiam satis indicat*. Deinde in eodem libro aperte sese explanat ubi ait: *Est quidem & de communibus sensibus sapere in Dei rebus, sed in testimonium veri, non in adjutorium falsi: quod sit secundum divinam, non contra divinam dispositionem; quædam enim & natura nota sunt, ut immortalitas animæ, &c.* Præterea Tertullianus ipse disputans contra Marcionem probat dari non posse duo summa magna, quia hoc est esse summum magnum par non habere: probat lapsum hominis Deo non esse imputandum, quoniam Deo coæternam esse bonitatem apparet ex universi factura: probat materiam non esse Deo coæternam, quia is debet esse caussa omnium, ut illum Deum confiteri possimus. Immortalitatem vero animæ nonne demonstrat in libro de Resurrect. Carnis ex Platone, ex communibus sensibus, ex hominum conscientia? Invehitur ergo in eos tantum, quibus nulli assentiri dogmati libet, quod humana ratione non capitur; vel qui ventosa sapientia auram captant, & circumveniunt simpliciores, homines non solum fidei, sed etiam Reipublicæ perniciosissimi, expulsi olim a Thebanis, a Spartiatis, ab Argivis, ut idem Tertullianus scribit in suo Apologetico, atque imperante Domitiano ab ipsa Roma, ut refert Eusebius in Chronico.

Ad 2. Confirmat. Resp. nullo ex adductis momentis improbari in Theologo physiologiam. Nam primum ab exemplo Apostolorum in Adversarios retorquetur. Apostoli non fuerunt Grammatici, non eloquentes, sed ex tempora ad Philosophos ac Tyrannos revincendos sapientissime loquebantur. Ergo si exemplum placet Apostolorum, ignorare debemus Grammaticam, esse barbaros, & repente colloqui, implentes in nobis promissum Christi, Matth. X. v. 19. *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini*. At non valet in nobis exemplum Apostolorum; nam illis omnia divinus Spiritus suggerebat: nos autem sumus hoc peculiari munere destituti. In secundo, ac tertio non est cur diutius immoremur; nam Augustinus jure reprehendit Felicem Manichæum cum nihil pertineat ad Christianam Fidem, de qua cum hæretico disputat, esse Mathematicum, & siderum cursum metiri: & Socrates loquitur de quibusdam dialecticis, qui licet Scripturarum auctoritatem reciperent, spretis divinis literis, solis paralogismis conabantur adstruere Filii divinitatem.

Ad ultimam Confirmat. dist. ant. A philosophia promanarunt hæreses, cum aliqui sacras literas, ac traditiones arte dialectica tentarunt convellere, & credendi regulam in sola humana sapientia constituerunt; conc. E philosophia hæreses derivarunt, quum posita in divinis revelationibus ratione credendi, humanis disciplinis usi sunt in fidei præsidium ac fulcimentum, neg. Jam habes quid respondeas ad utramque hujus antecedentis probationem. Tantum nota, Magdeburgenses inter Tertulliani errores collocare, quod affirmaverit ex philosophia ortas hæreses; ut observat Pamelius in Notis loc. cit. Sed nos Tertullianum, aliosque commodius interpretamur.

Secundo respondetur, Hæreticos abuti etiam Scriptura sacra, ut scribit Hilarius ad Constantium Augustum: *Nemo hæreticorum est, qui se non secundum Scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur*; & tamen sacras literas noxias, & inutiles esse nullus dixerit.

Opp. 2. Scholastica Theologia Fidei Catholicæ adversatur. Ergo merito ipsi litem plures intentant. Pr. ant. Scholastices non est certe ad credendum necessaria; neque ad fidem formandam exigitur, dicente Tertulliano de Præscript. cap. 8. *Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium*. Deinde ejus perfectionem minuit, cum perfectius sit simpliciter credere, quam veritatem inquirere: unde Cassianus serm. de Fide ajebat: *Quid mihi quærere quomodo verum sit quod Deus dixit, cum dubitare non debeam quin verum sit quod Deus dixit?* Ad hæc tollit ipsius fidei quodcunque meritum, auctore Gregorio Hom. 26. *Fides amittit meritum, ubi ratio præbet experimentum*. Denique removet a Dei cultu, cum viri docti videantur contemplationi veritatum æternarum minus dediti, & ad perfectam vitam capessendam parum idonei. Sed facultas, & ars quæ ad fidem non exigitur, quæ minuit ejus perfectionem & tollit meritum, quæ reddit hominem erga Deum tepidiorem, Fidei censenda est adversari: Ergo, &c.

Resp. nego ant. Ad ejus probat. singulas propositiones distinguo: Scholastices non exigitur ad Fidem, idest, non conducit ad nova dogmata invenienda; Esto; idest, nullo modo deservit ad defensionem, & explicationem eorum dogmatum, quæ sunt tradita; nego. Perfectius est simpliciter credere, quam veritatem scrutari libidine rixandi, & contentionis prurigine, co. ad ipsius Fidei præsidium, & proximorum institutionem, nego. Fides amittit meritum, ubi ratio præbet experimentum rationis, & ubi hoc experimentum quæritur motivo incredulitatis; ut in Thoma, qui noluit credere Christum resurrexisse, antequam vulnera ejus palpasset, & de quo laudato loco sermonem habet Gregorius, id quidem verum est: ubi additur experimentum rationis ad revincendam obcæcatorum perfidiam; id falsum est. Viri docti quandoque tepidiores sunt ob doctrinam, quoniam hæc seipsa a Dei cognitione, & amore retrahat; Est propositio Moliniana sexagesima quarta ab Innoc. XI. proscripta in Bulla, *Cælestis Pastor*, & injuriosa innumeris Ecclesiæ Patribus, qui pietatem ac sapientiam conjunxere; oppo-

op posita quoque naturali rationi, quæ docet majorem esse Dei amorem, ubi major est Dei cognitio. Removet aliquando a Dei cultu propter cupiditatem, vel curiositatem, cui nimis addicitur: concedo hanc propositionem, & nego consequentiam.

Opp. 3. Saltem verum est, quod contra Scholasticos objiciebat Pappus Argentoratensis, Scholasticos ipsos nunquam inter se convenire, atque de rebus ad fidem pertinentibus scandalosa contentione differere.

Resp. Id nobis ab Hæreticis opponi, quod in eos adamussim quadrare compertum est, cum ad invicem contentionibus pugnent infensissimis, & ex una illorum secta innumeræ statim prodierint, ita ut repeti debeant verba Hilarii ad Constantium: *Periculosum nobis, atque miserabile est, tot nunc Fides existere quot voluntates: & tot nobis doctrinas esse quot mores.* Vide de innumeris Novatorum placitis Historiam Variationum Jacobi Bossuetii. Nos autem duo quæstionum genera distinguimus, alterum earum, quæ dogmata fidei comprehendant, cujusmodi sunt, an Deus sit unus, an sit in divinis Personis Trinitas, an Verbum carnem assumpserit; alterum illarum, quæ in utramque partem absque fidei discrimine defendi possunt, veluti quando de virtuali ac formali attributorum divinorum distinctione, de præcipua Incarnationis Dominicæ caussa, de simultanea rerum productione altercamur. Neque nos latet, Sanctum parentem Augustinum lib. de Peccat. Orig. cap. 23. scripsisse: *Longe aliter se habent quæstiones istæ, quas esse præter fidem arbitratur,* (Cælestius) *quam sunt illa, in quibus salva fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit, & sententia definitiva suspenditur, aut aliter, quam est, humana, & infirma suspicione conjicitur.* Itaque in iis, quæ ad fidem spectant, quoniam certa nituntur revelatione, penitus consentimus; sed in iis, quæ ancipiti hærent fundamento, iniquus est quisquis in nobis unanimem sensum expostulat, maxime dum is in fidei capitibus dissentit ab aliis.

Dices: Quid sibi vult in his pertractandis illa turpis, & lutulenta vocabulorum barbaries, *Entitas, quidditas, opus operatum, materialiter, formaliter*, aliorumque plurium, quibus a Scholasticis suo nitore, ac puritate expoliata est Theologia?

Resp. Et his vocabulis suam subesse ideam, eaque, licet obscuram reddant latinitatem, tollere sermonis æquivocationem, & planiori via exorta dissidia dirimere. Recordamur scripsisse Augustinum Enarrat. in Psalm. 36. *Non timeamus ferulas Grammaticorum, dum tamen ad veritatem solidam, & certiorem perveniamus:* & lib. 4. de Doctrina Christiana cap. 11. *Bonorum ingeniorum insignis est indoles in verbis verum amare, non verba:* tum in lib. contra Adim. cap. 71. *Mundanis scriptoribus tota cura de verbis est; nostris de rebus.* Attamen propter eos, qui ad Religionem, optimosque mores trahendi sunt & alliciendi, ornatum delectumque verborum laudamus; quamquam ego eloquentiam nunquam ostentans contentus ero duntaxat, ut quod intelligo declaretur, *Quoniam inter se habent nonnullam similitudinem vescentes, atque discentes; propter fastidia plurimorum, etiam ipsa, sine quibus vivi non potest, alimenta condienda sunt;* inquit, S. P. cit. lib. iv. de Doctrina Christiana cap. 11.

Opp. 4. Argumentorum tria sunt genera, primum, quod dicitur *demonstratio*, alterum proprium dialecticæ, ac *probabile*, tertium ad decipiendum, idest *sophisma*: Atqui ex his nullum in divinis rebus explicandis afferre potest utilitatem: Ergo debet Theologus omnium argumentorum genera deponere, & argumentantibus Scholasticis nuncium mittere. Minor probatur. Demonstratio propositiones exigit confessas, & certas, quæ sint conclusione notiores, & quæ vel inductione, vel sensibus, vel experientia reddantur manifestæ; quarum nulla in Fidei dogmatibus potest occurrere, eo quod ad contemplandum difficiles sint rerum divinarum ratione. Syllogismus vero ex opinabilibus, & verosimilibus procedens ad veritatis inquisitionem valde est imbecillis. Atque sophisma, & fallax argumentatio in absurda dilabitur, & veritatem minutis ambagibus dissecat: unde elegantissime in Præfat. ad Apoth. ait Prudentius:

Iccirco mundi stulta elegit Deus,
Ut concidant sophistica.

Igitur nulla argumentorum species videtur cum Theologicis disciplinis miscenda. Ita contra Scholasticos irascitur Græculus Scriptor Nicephorus Gregoras.

Resp. nego min. Ad probationem dico veram demonstrationem exigere quidem principia, quæ conclusione sint notiora; sed minime opus est, ut hæc notitia manifesta sit sensu, atque experimento; nam ad scientiam per demonstrationem comparandam sat est, si principia nota sint lumine superioris scientiæ, quemadmodum *Prospectiva procedit ex principiis notis per Geometriam, & Musica ex principiis notis per Arithmeticam*, ait D. Thomas qu. 1. art. 2. Porro Scholasticæ Theologiæ principia fide, ac revelatione nota sunt, ideoque demonstrationa poterunt inde deduci. Si vero intendat Gregoras, has demonstrationes Catholicæ Fidei non suffragari; jam congruum in solutione 2. Oppos. habuit responsum. Argumenta vero probabilia proferuntur a nobis vel ad solam veritatis ampliorem confirmationem, vel ad probandum ea, quæ licet salva fide possimus ignorare, utiliter tamen, ut dicam infra, discutiuntur. Sophismate denique non utimur ad implicandos simpliciores, sed ad ipsos compescendos Sophistas.

Contra Gregoram producunt Petavius cap. v. Proleg. & Auctor Bibliothecæ Theologicæ libro 2. sect. 1. Emmanuelem Calecam, qui robustiori oratione contra tetricos, qui nolebant processionem Spiritus Sancti a Patre, & Filio argumentationibus concludi, quemadmodum præfato argumento contendit Nicephorus, plura veriora, ac solidiora depromit. Ostendit hunc esse sibi contrarium, quoniam contra argumentationem loquitur argumentando: demonstrat Paulum argumentatione redarguere eos, qui ex rebus aspectabilibus noluerunt agnoscere Creatorem: usum esse syllogismis etiam Christum Lucæ cap. xx. v. 20. & Matth. cap. 22. v. 32.: reprehendendos fore Græcos omnes, qui Processionem Spiritus a solo Patre argutissime conantur inferre, si nefas est processionem ab utroque argumentis conficere: colloquium denique, & communionem de medio tolli, si a Theologia syllogismi penitus excludantur. Hæc breviter delibavi; propterea quod argutatio Gregoræ, si firma esset, efficeret illud tantum, non esse Scholasticen veram scientiam, quod cum ex dictis, tum ex sequenti cap. poterit quisque conjicere falsum esse.

Opp. 5. Recens admodum est in Ecclesia Scholastices; atque, ut ei majorem tribuamus antiquitatem, Divi Joannis Damasceni ætatem nequaquam præcedit. Supervacua est igitur, & ad labefactanda bonorum ingenia illepide a Philosophorum Commentatoribus est adinventa.

Resp. dist. ant. Nupertrima est, ac junior, quantum spectat ad methodum, ac partium dispositionem, quæ pro Doctorum arbitrio, si ita lubet, potest, etiamnum immutari; concedo: est recens ac nova quantum spectat ad ejus dogmata, vel usum, nego; dogmata enim, quæ propugnamus perantiqua sunt, & usus ea ratiocinationibus confirmandi, ut dictum est Proposit. 1. & 2., vetustissimus.

Insurges. Atqui Scholastici opus ac tempus conterunt in pluribus metaphysicis quæstionibus agitandis, quæ apud priscos Ecclesiæ Patres fuerunt prorsus inauditæ.

Resp. Has quæstiones in Theologiam ab ipsis Hæreticis fuisse inductas. Illi enim, ut rudes per elementa mundi a veritate traducerent, elegerunt aucupia verborum, ad quæ declinanda necesse fuit sacram doctrinam pluribus dissertationibus exornari. Insurgentes enim E. G. Ariani, qui, ut scribit Epiphanius Hæres. 76. in disputandi palæstra diligenter exercitati in id incubuere, ut divini Verbi rationem nova doctrinæ imagine invetterent, & ejus divinitatem trecentis sophisticis argumentis nisi sunt impugnare, Theologos impulerunt, ut de divina, æternaque generatione subtilius & accuratius inquirerent. Idem dicendum est de Sabellianis, Nestorianis, & de Græcis, qui Spiritus Sancti a Filio originem præfracte negantes in Theologiam disputationes de relationibus, de personarum notione, de principii unitate, aliisque similibus invexerunt. Quid? nonne ipsi Calviniani, ut Christi Corporis in Eucharistia præsentiam impugnent, ex idea Corporis, quod loci extensione circumscribitur, impossibilitatem illius præsentiæ in cœlo ac in terra demonstrare conantur, provocantes nos ad investigandam corporum, ac specierum naturam? Desinant ergo nos vitreis hisce jaculis lacessere: quippe *didicimus singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret*, ait lib. 2. de Dono Persev. cap. 2. Augustinus.

Insistes: In pluribus occupantur Scholastici, quæ non solum inutilia sunt, verum etiam futilia, ac propemodum insana. Hujusmodi sunt supervacaneæ illæ quæstiones, quarum plerasque recenset ad cap. 1. Epist. 1. ad Tim. Desiderius Erasmus. Videtur ergo in Theologis ventosa illa loquacitas, quæ, ut ait D. Bern. sermone 58. in Cant., *sterilitatem magis intulit terris, quam fertilitatem.*

Primo respondere possem has quoque quæstiones plurimum Theologo utilitatis afferre, quatenus ingenium acuunt, & ad polemicam exercitationem juvenes reddunt instructiores. Nam & milites, priusquam ineant cum hoste certamen, instruunt se apparenti hostilitate ad bellum; & nautæ, antequam se navali prælio committant,

Tranquillo prius arma lacu, clavumque, levesque
Explorant remos, atque ipsa pericula discunt.

Ita nimirum Constantino Grimaldo respondet Epist. 1. Aletinus. Bern. vero in eodem libro Serm. 36. satis Theologos com-

commendat, dicens: *Non ignoro, quantum Ecclesiæ profuerint literati sui, sive ad refellendos eos, qui ex adverso sunt, sive ad simplices instruendos*. Sed, ut liberalis sim adversariis; dico Erasmi argumento non impeti Scholasticam, sed eos, qui plures quæstiones prosequuntur, quas *nec juvenes portare possunt, nec senes ferre*, inquit Canus lib. IX. de loc. Th. cap. VII., ubi hæc aliaque Theologorum vitia expolito genere orationis castigat. Quamquam in delectu quæstionum, quas notat Erasmus, sunt multæ ad depellendas hæreticas cavillationes necessariæ, ut demonstrat Patavius cap. V. Proleg. num. VI., quales sunt, an numerus Personarum in divinis pertineat ad substantiam, an ad relationem; an potestas creandi possit communicari creaturis; an Deus generet Deum, & aliæ id genus quamplurimæ. Multas quoque in ludibrium vertit insulsis putidisque vocabulis, veluti quum eam quæstionem, possit ne Deus assumere irrationalem naturam, ita proponit, an hæc propositio Deus est scarabæus, aut cucurbita, tam possibilis sit, quam hæc, Deus est homo. Et tamen is est, qui de Colloquiorum utilitate ait: *Indecorum est, Theologum jocari*. Erit qui dicat mirum non esse, vituperari Theologiam ab Erasmo, qui encomium fecit Moriæ. At ego homini non succenseo: juste enim ab illo Theologorum ordo lacessitur, si *tantum jocatur in ociosas illorum disceptatiunculas; nec has ipsas tamen simpliciter improbat, verum eos damnat, qui in his solis Theologicæ rei puppim, ut ajunt, & proram collocant, quique logomachiis, ut Divus appellavit Paulus, ejusmodi sic occupantur, ut nec Evangelicas, nec Propheticas, nec Apostolicas literas vacet legere*: qua moderatione sese excusat in Epist. ad Dorpium. Quod si dixisset ubique, gratias monenti referrem; neque ulla mordacitate sugillassem hominem in studiis sæpe, multumque versatum, hoc saltem in campo, in quo procax detractorum Scholastices illiberalitas me fecit nimium expatiari.

S C H O L I O N.

„ SI quis pugnaciter contenderet, adhuc vim inesse op-
„ positioni productæ superius num. 3., adhibeat Scho-
„ lasticæ Theologiæ Defensor breviorem hanc, & magis
„ expeditam responsionem, contentiones illas prolixas, lu-
„ culentam verborum fæcem, quæque irridet scriptor *Epi-*
„ *stolarum obscurorum virorum*, vitio temporis, pravoque
„ seculi genio esse adscribenda, nequaquam Theologiæ.
„ Nunquid enim Latinam linguam repudiandam esse ar-
„ bitrabimur, quoniam post seculum Christiani nominis
„ quartum, ferrea nimirum, & lutea ætate, in illam in-
„ numera barbara, & dispuncta verba irrepserunt? Permulta
„ itidem decimo septimo seculo prodierunt cujusque argu-
„ menti scripta, adeo a veterum eleganti stylo abhorren-
„ tia, poemata, orationes, lucubrationes aliæ, ut modo
„ in ore omnium versetur, si quid inconcinnum edatur,
„ olere ejusdem seculi rusticitatem. Neque tamen futurum
„ fore crediderim, qui artem omnem, scientiamque fugil-
„ let, propterea quod eo temporis infacundi rudesque præ-
„ ceptores & artifices extiterunt. Hi præterea si ab aliis
„ superati sunt eloquentia & venustate sermonis, fortasse
„ alios acumine ingenii, & rationum pondere supera-
„ runt. Sed nec defuere ab exortæ Scholastices primordiis
„ ad nostra usque tempora viri doctissimi, qui Theologi-
„ cas quæstiones accurate simul, & diserte pertractave-
„ runt, quorum nomina recensere quibusdam videretur
„ supervacaneum, quibusdam vero plenum aut livoris, aut
„ imperitiæ negocium.

C A P U T IV.

De iis, quæ in sacræ Doctrinæ Proœmio disputare Theologi consueverunt.

QUAMQUAM probe tueri possum nullas esse supervacaneas quæstiones, in quas rhetoricantes Critici cristas efferunt; attamen ut omnem de me tollam suspicionem, velle de quæstiunculis, ut ajebat Erasmus, tamquam pro focis, & aris certare, proœmiales uno tantum capite expedio. Hujusmodi istæ sunt, an Theologia veram habeat rationem scientiæ, an ad praxim, vel speculationem pertineat, an naturalis sit, an sit unus simplex habitus, an ejus objectum sit Deus; quas modo paucis resolvo.

PROPOSITIO I. Theologia proprie ad scientiam refertur: at non est ejusdem rationis cum aliis scientiis.

Prior pars, quæ est omnium fere Theologorum, prob. 1. auctoritate S. P. Augustini lib. XIV. de Trinit. cap. 1., ubi de Theologia ait: *Huic scientiæ attribuitur illud tantummodo, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*. Deinde suadetur ratione: Scientia est habitus constans, qui ratione moveri, ac labefactari non potest: Talis est Theologia: Ergo est scientia. Altera pars, quam propugnat Gregorius noster Ariminensis, Frassenius, ceterique Scotistæ, ostenditur 1. contra quosdam Divi Thomæ discipulos Angelici Præceptoris apertissimo testimonio in III. dist. 33. q. 1. *Si esset aliqua scientia, qua non posset reduci ad principia naturaliter cognita, non esset ejusdem speciei cum aliis scientiis*. Secundo firmatur hoc ratiocinio: Nulla scientia, quæ habeat communem rationem cum ceteris, præcipue innititur auctoritati: quippe si auctoritati innitatur, vel ad fidem spectat, vel ad sapientiam comparatam ex fide, dicente Augustino in lib. de Utilit. credendi cap. 21. *Quod intelligimus debemus rationi, quod credimus auctoritati*: Theologia divinæ auctoritati principaliter innixa est: Igitur Theologia non eamdem cum ceteris participat rationem scientiæ.

Opp. 1. Scientia quælibet ex principiis per se notis procedit; Theologia non utitur principiis per se cognitis: Ergo non est ullo pacto scientia.

Resp. Dist. ma. Si ea sit scientia undequaque naturalis, conc. si ea sit, vel in rerum notitia, vel in suis principiis, extra naturalium scientiarum ordinem; nego. Fateor Theologiam habere principia, quæ artem, experimentum, humanamque rationem superexcedunt, quale est divinum Verbum, sive scriptum, sive oretenus traditum; sed est tamen immobilis in mente ratio, rectam præseferens ac firmissimam cognitionem. Quamvis enim Aristoteles, aliique Philosophi scientiam arbitrabantur, cui communis est, ac evidens in principiis intelligentia; hi naturalem describebant, cujusmodi potuit eis esse nota. Datur superior scientia nullis ænigmatum involucris obtecta, tanto scientiæ nomine dignior, quanto non percipit veritatem lumine rationis humanæ, quæ potest errare; *sed certitudinem habet lumine divinæ scientiæ, quæ decipi non potest*; ut utar verbis S. Thomæ 1. p. q. 1. art. 5. Atque hinc est, quod Theologia neque est Fides, neque cum Fidei habitu incompossibilis. Non est Fides, quoniam hæc immediate versatur circa principia Theologiæ, divinamque revelationem; scientia vero Theologica erga veritates, quæ ex principiis illis inferuntur. Non est incompossibilis cum Fide, quia Fidei habitus non consistit quidem cum naturali evidentia; bene tamen cum sapientia derivata ex principiis divinitus revelatis.

Opp. 2. Singulare est Theologicæ facultatis objectum: Sed de singulari objecto non est scientia: Ergo non est scientia Theologicæ facultatis.

R. dist. ma. Theologiæ objectum est singulare, & unius generis cum rebus creatis variabilibus, contingentibus, & mutationi obnoxiis; nego: Singulare est, sed sempiternum ac perpetuum, atque immutabili æternitate consistens, concedo. Quod si argumentum urgeas de aliquo Theologiæ partiali objecto, dist. min. Non est scientia de objecto singulari, in se ipso tantum inspecto, concedo: prout subest divinæ infallibili revelationi, nego.

PROPOSITIO II. Theologiæ habitus ad praxim simul, & speculationem reducitur.

Ita Theologi nostri, ac Thomistæ, nec non Juenin, Petavius, Boucat, Habert, aliique recentiores, contra Frassen, Henno, ceterosque Scotistas. Ac probatur 1. auctoritate Augustini, qui cap. ult. Enchiridii, ait: *Omnia præcepta divina referuntur ad caritatem, de qua dicit Apostolus, Finis præcepti caritas*: Theologia de divinis quoque præceptis instituit disputationem: Ergo refertur etiam ad caritatem, quæ præcipuum est, ac maximum rationalis creaturæ officium. Probatur præterea argumentatione Gregorii Ariminensis q. 5. Prologi attic. 4. Aliquis Theologicæ scientiæ actus nullius praxis est directivus, ut demonstratio hujusce veritatis, Deus est unus, Deus est trinus: aliquis e contra ad praxim ordinatur, ut disquisitio hujus asserti, Christus colendus est adoratione latriæ; in quo exhibetur species adorationis debitæ Christo: Scientia quæ modo contemplatur veritatem, modo dirigit humanos actus, ex æquo refertur ad speculationem, ac praxim: Ergo theologica scientia ad praxim, & speculationem simul reducitur. Et corroboratur propositio. Theologus scrutatur ea quæ sunt Dei, & prout est prima veritas, & prout est rationalis Creaturæ ultimus finis: Deus, ut est prima veritas, est terminus altissimæ contemplationis; ut vero est finis ultimus, est principium, ac regula humanarum actionum: Ergo Theologus inquirit ea, quæ sunt Dei, quatenus objectum est tum speculationis, tum praxeos.

Opp. 1. In eodem objecto reperiri nequeunt duæ oppositæ differentiæ, cujusmodi sunt speculativum, ac practicum. Igitur uni, eidemque scientiæ convenire non valent.

Resp. dist. ant. In objecto inferiorum scientiarum, quod creatum est ac finitum, & in quo eadem veritas non est simul ratio speculationis, & actionis, transeat: in eodem objecto summo ac divino, in quo permanet scrutanda veritas, & ultimus universorum finis, nego. Vel cum Gregorio nostro idem antecedens distinguo: in eodem objecto relate ad eumdem scientiæ actum, con. comparate ad varios actus, ac partes, nego.

Opp. 2. Qualiscumque Theologica veritas ad Dei cultum, ac dilectionem ordinatur: Est ergo Theologia tantummodo practica.

Resp. dist. antecedens: Quæcunque Theologiæ pars ad amorem Dei cultumque refertur, excitans pium cordis affectum, concedo: exhibens caritatis regulas, ac præcepta; nego. Fateor universam sacram Doctrinam ad dirigenda virtutum officia multum conferre; non

enim

enim ignoro, Auguſtinum lib. III. de Doctrina Chriſt. cap. 10. iſta proferre: *Hæc omnia ad caritatem nutriendam atque roborandam, & cupiditatem vincendam atque extinguendam valent*: Sed ſcientia undequaque practica ea eſt, quæ tota, ac natura ſua ad uſum, & vitæ exercitationem refertur, ut ea pars philoſophiæ, quæ dicitur Ethica; ea pars Geometriæ, quæ traditur problematibus. Si enim ad conſtituendam practicam ſcientiam ſufficit animum afficere, atque ad virtutum officia inflammare; jam nulla erit ſcientia non practica, quum omnis notitia veritatis rationalem voluntatem alliciat.

PROPOSITIO III. Quamvis principia Theologiæ lumine ſupernaturali innoteſcant, attamen illa ad naturales ſcientias pertinere videtur.

Id aſſerunt omnes fere Doctores contra Contenſ. diſſert. I. cap. 2. ſpec. 3. & P. Boucat. diſſert. Præambula art. 3. concl. 3. ac primo oſtenditur: Theologica ſcientia non habetur propter ſolam notitiam principiorum, quæ ſunt divinitus revelata, nam *hac ſcientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipſa fide plurimum*, ut inquit lib. 14. de Trinit. cap. I. Auguſtinus; ſed propter connexionem illorum principiorum cum aſſertionibus inde illatis: neque enim aſſentimur huic concluſioni, *Chriſtus riſivus eſt*, quia Deus revelaverit; ſed quoniam connectitur cum iſto principio nobis revelato, *Chriſtus eſt homo*: Atqui connexio inter principia revelata, & concluſionem inde illatam naturali lumine nota eſt, ut vel ethnicus hanc poſſit animadvertere: Ergo naturalis eſt ſcientia, quæ per Theologiam comparatur. Ulterius S. Thomas diſputans q. 1. art. 2. num Sacra Doctrina ſit ſcientia, ait: *Sacra Doctrina eſt ſcientia, quia procedit ex principiis notis lumine ſuperioris ſcientiæ, quæ ſcilicet eſt ſcientia Dei, & beatorum*; Sed ex quo Theologiæ principia nota ſint lumine ſcientiæ Dei, & beatorum, non conſequitur Theologiam viatoris hominis eſſe Dei, ac beatorum ſempiternam viſionem: Ergo ex quo principia Theologiæ ſupernaturali revelatione comperta ſint, minime infertur ipſam Theologiam eſſe ſupernaturalem ſcientiam. Ad hæc: Acquiritur Theologia naturaliter, humano ſcilicet ratiocinio, inſtitutione doctoris, diſcipulorum ſtudio, ac labore: Scientia, quæ naturaliter acquiritur, naturalis eſt: Ergo naturalis eſt ipſamet ſcientia Theologiæ. Denique: Supernaturalis habitus a Deo infunditur: Habitus Theologiæ non infunditur: Igitur habitus Theologiæ ſupernaturalis non eſt.

Oppones I. Notitia perfectior naturali, cenſenda eſt ſupernaturalis: Theologia habet notitiam, & certitudinem perfectiorem notitia & certitudine naturali: Ergo habet notitiam & certitudinem ſupernaturalem.

Reſp. diſt. min. Et hæc potior certitudo habetur de ſolis ſacræ doctrinæ principiis, circa quæ verſatur fides, & non ſcientia; conc. Et hæc notitia perfectior, eſt de connexione horum principiorum cum aſſertionibus inde illatis, in quam fertur habitus Theologicus, & non fides; nego: talis enim connexio cognita eſt naturaliter.

Opp. 2. Cum P. Boucat. Legitur Sap. x. v. 10. *Dedit illi ſcientiam Sanctorum*, quod recte poteſt intelligi de Theologia, qualis traditur in ſcholis: Scientia Sanctorum eſt intrinſece ſupernaturalis: Ergo &c.

Reſp. Hoc loco commemorari viſionem Jacob, de qua cap. XXVIII. Geneſeos; quando nempe vidit myſticam ſcalam, deſcendentes, & aſcendentes Angelos, illique innixum Dominum gloriæ. Itaque ſcientia Sanctorum ſignificat divinorum Myſteriorum revelationem. Eſt & Sanctorum ſcientia illa, de qua Job cap. XXVIII. v. ult. *Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia; & recedere a malo, intelligentia*.

Opp. 3. Contenſ. Theologia habet objectum ſupernaturale, qui eſt Deus, ut a fide cognoſcitur; neque aliis principiis, ac motivis per ſe utitur, quam ſupernaturalibus Fidei articulis: Erit ergo ſupernaturalis & ipſa.

Reſp. diſt. ant. Et ipſum objectum, principia, & motiva ſupernaturalia ſpectantur a Theologia immediate ac proxime, ratione divinæ revelationis, prout referuntur ad Fidem; nego: remote tantum, & ratione connexionis, quæ naturali acumine percipitur, & qua comparatur ſcientiæ habitus; conc. Vide, ſi lubet, contra Contenſon Clariſſimum Virum Cardinal. Gotti Quæſt. 2. de Nat. Th. dub. 3.

Opp. ult. Theologia eſt, ut ſcholæ loquuntur, ſcientiæ beatorum ſpirituum ſubalterna: Hæc eſt ſupernaturalis: Ergo etiam illa.

Reſp. nego maj. enim vero ſcientia ſubalterna, (ut appellant,) a ſuperiore ſumit principia; ut medicina a naturali philoſophia, proſpectiva a geometria, ars frenofactoria ab equeſtri. Theologiæ vero non ſuppeditat principia ſcientia beatorum, qui Deum revelata facie intuentur, ſed Fides, ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. Vel data maj. & min. nego conſ. quippe etiam naturalis ſcientia, referri poteſt ad ſupernaturalem, tamquam ei ſubalterna, ſi, quemadmodum Theologia, principiis ſupernaturalibus innitatur.

PROPOSITIO IV. Theologia ſive ſpeculatrix, ſive moralis, ſive polemica unus eſt habitus.

I. Probatur: Omnium Theologicarum veritatum idem eſt objectum, de quo mox quæram; eadem principia, nimirum divinæ revelationes: Sed ex unitate ſubjecti, atque ex unitate principiorum infertur unitas ſcientiæ, vel habitus: Ergo, &c. 2. Ita corroboratur: Eadem intellectualis potentia ſeſe extendit ad plura perceptibilia, tametſi unum eſt altero difficilius: eadem ſenſibilis facultas, puta oculus, vel auris, ad ſingula colorata, ac ſonora; unus Fidei, aut Caritatis habitus ad omnia, quæ oportet credere, & quæ jubemur diligere, licet unum præ alio ad videndum, credendum, & diligendum magis ſit arduum. Una ergo eademque Theologia ſat eſt ad omnes aſſequendas veritates, quæ ad ſuum pertinent objectum.

Opp. 1. Theologia therica ac poſitiva, & Theologia ſcholaſtica diſcriminantur ab invicem. Etenim una amplior eſt & loquentior, altera rixis, & argumentis aſperrima; illa ſcripturis utitur, hæc naturali quoque ratione; prior planior videtur & certa, ſecunda anceps ac ſinuoſa: Ergo diverſam habent methodum, diverſa principia, diverſam difficultatem; quæ omnia etiam diſtinctionem arguunt habituum.

Reſp. hæc omnia ſolam accidentariam diverſitatem inferre; delectus enim verborum non parit Theologiam, ſed ad inſtar veſtis exornat. Neque obeſt habituum unitati diverſa actuum difficultas; cum una E. G. virtus Caritatis in amicos pariter & inimicos feratur, quorum illi lubentiſſime diliguntur, hi difficulter. Naturali autem ratione non utitur Theologus per ſe, ſed ſecundario duntaxat, ideſt, tamquam inſtructus philoſophia. Hanc tamen, ut inquiunt, elevat, ac revelatis principiis adnectit; quorum ductu omnia refert ad idem objectum, ex quo unitas ſcientiæ promanat.

Opp. 2. Tametſi eadem humana ratio ad naturales ſcientias comparandas conducat, & eadem infuſione primus homo omni naturalium rerum notitia donatus fuerit, nihilominus ſcientiæ naturaliter acquiſitæ, & ſcientiæ infuſæ in Adam conſtituunt diverſas ſcientiarum ſpecies. Ergo etiamſi ex eadem divina revelatione Theologus res omnes diſcutiat, erit tamen Theologia diverſarum ſcientiarum complexio.

Reſp. nego paritatem: Etenim naturalis ratio, & infuſio omnium ſcientiarum in Adam, eſt cauſſa effectrix, non ſpecificativa & formalis; iſta namque non eſt lumen, ſive naturale, ſive ſupernaturale illud ſit, ſed tendentia in objectum: ac præterea naturales ſcientiæ objecta plura habent, quorum unum non refertur ad aliud. E contra in Theologia divina revelatio eſt etiam cauſſa formalis; & quæcunque in ea pertractantur, ſingula in idem objectum collineant.

PROPOSITIO V. Hujus ſcientiæ objectum attributionis eſt Deus: objectum adæquatum eſt omnis concluſio, quæ inferri poteſt ex propoſitionibus fidei; objectum formale eſt ipſa revelatio divina.

Oſtenditur prima pars: Attributionis objectum illud appellant, ad quod omnia revocantur, quæ in aliqua ſcientia expenduntur: Omnia, quæ expendit Theologia revocantur ad Deum vel unum, vel Trinum, vel omni perfectione exornatum, vel Conditorem univerſorum, vel finem ultimum rationalis creaturæ, vel humani generis Reparatorem, &c. Ergo Deus eſt objectum attributionis Theologiæ. Pars altera ſic probatur: Adæquatum alicujus diſciplinæ objectum illud eſt, in quo illa tota verſatur: Theologia ſiſtit tota in propoſitionibus, quæ deducuntur ex notis fide principiis: Ergo ſunt hæ objectum hujus diſciplinæ adæquatum. Poſterior pars hac ratione monſtratur: Objectum formale dicitur illud, cujus ratione ſcientia attingit objectum adæquatum: Theologia attingit objectum adæquatum ratione divinæ revelationis. Ergo &c.

Opp. 1. Baſilius Epiſt. 141. Cyrillus Alex. lib. 1. in Joan. Nazianz. Orat. XXXVIII. Ephrem Antiochenus in Epiſtol. adverſus Eutychianos, aliique plures affirmant Incarnationis myſterium nullatenus ad illam Theologiam pertinere, quæ eſt de Divinitate ſcientia: Ergo non omnia, quæ inquirit Theologus, ad ipſum Deum revocantur.

Reſp. Theologiæ vocabulum, ſi vocis etymon expendatur, ſignificare tantum de Divinitate rationem: ſi vero pro hac ſcientia uſurpetur, denotare de Deo, & de iis, quæ ad Deum ſpectant, diſputationem ex Fide cognitis derivatam, ut dixi priori cap. Itaque Græci Patres duas in Chriſto contra Eutychianos diſcernentes naturas, divinam ſcilicet, & humanam, admonent, quod diſputare de illa pertinet ad Θεολογίαν, agere de iſta ſpectat ad οἰκονομίαν, & maxima, prudentique advertentia a Theologia Chriſti Incarnationem ſecernunt. Hinc diſt. ant. Et laudati Patres *Theologiæ* vocabulum appoſite uſurpant ſecundum vocis etymologiam; conc. juxta peculiarem notionem Theologicæ diſciplinæ; nego antecedens.

Opp. 2. Exiſtentia objecti non probatur ab ulla ſcientia, ſed præſupponitur: Theologia probat Dei exiſtentiam: Ergo Deus non eſt Theologicæ ſcientiæ objectum. Et confirmatur, quandoquidem conſideratur Deus ut auctor naturæ, atque ut auctor ſupernaturalis: Ut auctor naturæ percipitur naturali ratione, ut auctor ſupernaturalis attingitur Fide.

Resp. omiſſa maj. diſt. min. Theologus demonſtrat divinem exiſtentiam ex principiis extraneis, ac philoſophicis, quæ ultro ad ſublimiorem doctrinæ ubertetem divinis literis, & ſecræ diſciplinæ apparatu exornat; conc. ex propriis, ſibique intrinſecis principiis; nego. Ad Confirmat. dico, Deum eſſe objectum Theologiæ, ec Fidei, ſed diverſimode: Fidei, inquit Sylvius, quetenus reveletur immediate: Theologiæ, quatenus percipitur per diſcurſum, qui fit ex erticulis Fidei, tanquam principiis: quod ego præmonueram Prop. I. Reſp. ad 1. At de his ſatis, ne clamitet Eraſmus: *Nunc neque quæſtiuncularum ullus eſt finis*, cit. ad Dorpium Epiſt.

SCHOLION.

PAucis præcedentes quæſtiones non admodum neceſſarias abſolvimus. Ac quantum ed primam ettinet; ſi *ſcientiam* dicamus, certam notitiam per demonſtrationem comparatam, neſcio, an quis hæſitare queat, an Theologia ſcientia ſit appellande. Certitudo tamen hæc vel ad fidem, vel ad philoſophiam ceteraſque natureles ſcientias refertur: Si ad fidem, hæc theologicis demonſtrationibus firmior eſt, utpote divinis innixa revelationibus; ſi ed ſcientias rationali diſcurſu acquiſitas, in ſe quidem certior nobis videtur Theologia, quæ præter rationis acumen ſuperni luminis irradietur ſplendore. Reſpectu tamen humanæ mentis, principia, & quæ illinc inferuntur, perſcrutantis, nullus dubito demonſtrationes complures philoſophicas & mathematicas eſſe Theologicis lucidiores & certiores, ingeniumque noſtrum vehementius ad præbendum aſſenſum pertrahere. Ita diverſis rerum notionibus explanetis, iſtiuſmodi quæſtiunculæ facili negocio ſolvuntur. In ſecunda non moror; neque enim repugnet eamdem ſcientiam modo in veritatis contemplatione verſari, modo in operis faciundi regulis perſcribendis. Nunquid te matheſeos theoremeta non docent figuratum planarum, ſolidarumque quantitatem ac proportiones, ſimulque problemata ipſarum figurarum conſtructionem ac dimenſionem? In poſitione pariter tertia piget me detineri. Etenim Theologiæ objectum ordinem rerum naturalium excedit, principia quædam, quibus innititur, fide duntaxat, non lumine cuique naturaliter indito, pervia ſunt & elareſcunt; ſed horum principiorum cum Theologicis theſibus nexus, & comparetus ratiocinatione habitus, in quo ſcientiæ ratio ſita eſt, in rerum naturalium ſerie comprehenditur. *Habitum* Philoſophi dicunt comparatam pluribus actibus diſpoſitionem ec promptitudinem inhærentem animo; quod eſſerendum præſertim eſt de ſcientiis, ad quarum perfectionem amplitudinemque paullatim & magno cum labore pervenitur. Sunt enim præter naturaliter ecquiſitos alii habitus ſupernarum virtutum, cujuſmodi eſt gratia adoptionis atque ſanctificans, quam dicimus *habitualem*, in enimam nullo præpeditam impedimento, quo abjiciantur, immiſſi divinitus, non per gradus parteſque divulſas, ſed eadem ſupremi Numinis inſpiratione. Atque hi quoque habitus temetſi abſque mora inſerantur, attamen perficiuntur exercitamento virtutum, & fidelium animabus in id opitulante gratia adnitentibus, etiam etque etiam augentur. Ex quo autem ſcientiæ habitus præſtet illam facilitatem atque aptitudinem, nequaquam infertur æque in ſingulis ectibus exerendis eſſe expeditum, & pro varia illorum qualitete hebituum multiplicandam eſſe virtutem. Illa enim major, aut remiſſior in operando facultas atque energia ex exterioribus objectorum adjunctis, non ex intima potentiæ virtutiſque habitudine eſt repetenda. Eadem quippe vi ſentiendi fecile proximiora, difficulter autem remotiore attingimus objecta; & citharœdus, aurifaber, erchitectus, quantumvis artis ſuæ polleant præceptionibus, etque ſint experimentis exculti, alacriter temen unum, langnide & remiſſe opus alterum exequuntur. Atque eodem immutato habitu ſcientiarum, aſſertionibus aliis incunctenter & ebſque formidine ulla eſſentimur, aliis vel non ſine hæſitatione mentiſque fluctuantis perplexitate, vel non ſine diuturna difficillimarum quæſtionum meditatione. Quamquam vero non omnia, quæ a Theologis pertractantur, ſint Deus ipſe; ad hunc tamen referuntur, ideoque idem Deus eſt Theologiæ objectum princeps, ſeu, ut in Scholis loquimur, *attributionis*. Enimvero quemadmodum quidquid in ſacris litteris traditur, euctore Auguſtino lib. 2. de Civit. Dei capite penultimo, ad Deum ſpectant, propterea quod *in Sacra Scriptura aut Dei præcepta inſinuantur, aut mirabilia narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia poſtulantur*; ita quicquid ſcrutantur Theologi, cum ſint vel incommutabilis Dei ſubſtantie, vel arcanum Trinitatis Myſterium, vel peractæ a Deo Verbo humanæ redemptionis œconomia, vel effecte, quibus Dei omnipotentia, providentie, juſtitia, miſericordia, aliaque attributa ſplendeſcunt, vel collata gratiarum munera, præceptaque nobis propoſita, & neceſſario adimplenda ad capeſſendam beatitudinem, quæ in perſpicua Dei viſione, eique per inviolabilem fragrantiſſimumque voluntatis affectum firmiſſime adhæſione conſiſtit, ad Deum referri non dubitamus. At quoniam hæc omnia peculieres rationes habent, etque reſpectus, nec ſingula præciſe e Theologis expenduntur *ſub ratione divinitatis*; fuit veterum quorumdam opinio, Deum ſub hac ipſa ratione non eſſe objectum Theologiæ. Hi nimirum, ut conſueverunt antiqui, ſubtilius, quam opus ſit, veſtigare ſtuduerunt materialis & formelis objecti diſcrimina. Ceterum & peracutus Auguſtinianus Theologus Gregorius Ariminenſis q. 4. Prologi, ubi opinionem illam amplectitur, recte ſapienterque ſcribit: *Conſtat quod aliqua conſiderantur Theologice de Deo, quæ non competunt ſibi, niſi in quantum Deus eſt, V. G. quod ſit Trinus & unus, immenſus, omnipotens, ſapientia, bonitas, magnitudo, & generaliter omnis perfectio aut plenitudo per eſſentiam, & multa alia ſimilia; ita quod hujuſmodi non conſiderantur a Theologo de Deo ſub alia ratione, quam ſub ratione Deitatis. Cetera vero, quæ conſiderantur de Divinis Perſonis ſingulariter, ut actus nationales & proprietates, etiam de ais verificantur in quantum ſunt Deus, ſpecificative tantum, non autem reduplicative: quæ etiam de creaturis conſiderantur in attributione ad Deum, etiam conſiderantur in quantum attributionem habent ultimate ad ipſum in quantum Deus eſt; ſicut de omnibus diligenter conſideratis poteſt oſtendi*. Hactenus Gregorius. Inquirunt nonnulli, an Theologia noſtra ſit *ſubalternata* ſcientiæ Dei, & Beatorum: Negant aliqui, quia ſcientia *ſubalternata* diverſum & inferius habet objectum a ſcientia *ſubalternante*, & illius principia ſunt concluſiones iſtius. Omnis eutem Theologia iiſdem principiis utitur, & circa idem objectum verſatur, cum hoc duntaxat diſcrimine, quod viatoribus eadem principie ſunt revelata per fidem, Beatis vero meniſeſta per lumen gloriæ, & per viſionem Dei intuitivam. Iſtiuſmodi *ſubalterna*, & *ſubalternantis* ſcientiæ diſcrimina, ſole fortaſſis vocabulorum barbaries parum utili ſubjecit diſputationi.

CAPUT V.

De variis Propoſitionum generibus, quæ a Theologo propugnari debent, vel impugnari.

NON ebs re factum puto, ſi Theologica Aſſerta ſub Propoſitionum titulo expoſiturus, diverſas harum ſpecies, quantum ſpectat ad Sacræ Doctrinæ candidatos, nunc explanabo; cum ee, quæ de hac argumentationum parta dicuntur in ſcholis, ut ad nexum ſyllogiſmorum adſumuntur, nota ſint ex dielectica Inſtitutione. Itaque propoſitionum quædam ſunt propugnandæ Theologo, quædam refutandæ. Prioris generis ſunt articuli noſtræ Fidei, dogmata Catholicæ Eccleſiæ, ſententiæ Petrum, Communia doctorum ſcita, & quæ inſuper, ſalva veritate, utiliter in alterutrem partem videbuntur, abſque rixandi prurigine, exagitanda. De his omnibus paullulum verba faciam; quoniam ad eam Theologiæ partem ettinent, quæ de Locis Theologicis ſolet inſcribi, & quæ non exiguam expoſtulat a nobis operam, ſi pro rei dignitate, atque diſſertationum copia volumus iſtam exornare. Eſt ergo Articulus Fidei principalis quædam veritas omnibus ad explicite credendum propoſita, & diſtinctam præſeferens difficultatem: cujuſmodi ſunt quæ in Apoſtolorum Symbolo continentur; in quo icciroo paſſio, mors, ac ſepulture Chriſti ad unum Articulum ſpectant, propterea quod ſi Filium Dei ſuffixum Cruci, & vere dolorum noſtrorum credas fuiſſe participem, nulla hæſitatione fateberis eſſe, poſteaquam emiſit ſpiritum, conditum monumento. Differunt autem Articuli Fidei ab Eccleſiæ dogmetibus, quod illi primarii ſint, ec veluti rerum credendarum Capite ſingulis fidelibus propoſita, eiſque ad conſequendum æternem ſalutem neceſſarie: et Fidei dogmata latius pateant, eaque dicantur, quæ ad ille capita reducuntur, continentia quidquid Catholici profitentur; E. G. Deum eſſe in Perſonis trinum, in Chriſto duas neturas, ac voluntates exiſtere; aliaque hujuſmodi. Ite nempe Conceptio, & Nativitas Chriſti, erunt Fidei articulus: quod naſcens fuerit reclinatus in præſepio, pannis involutus, adoratus a Magis, &c. dogma Catholicum. Quapropter ſupervacanaum eſt diſputare, An ſingula fidei dogmate ſint proprie erticuli Fidei: quem tamen quæſtionem pertractat Petrus Annatus in ſuo Apparatu lib. 1. art. VIII. & ex eo Cerdinalis Vincentius Gotti in Tractatu Iſagogico dub. VI.

Porro propoſitiones Fidei Joannes de Turrecremata Sum. Eccl. p. 2. cap. 9. ad ſeptem gradus redegit, quos appoſite diſtinctos arbitramur, etiamſi Canus lib. XII. cap. VI. more Juriſperitorum traditos putat, & minutius in tenuiſſimas conciſos particulas. Eſt itaque primus ordo propoſitionum Fidei earum, quæ in ſacris libris habentur expreſſæ, E. G. *Verbum erat in principio: Verbum caro factum eſt*. Secundus earum, quæ ee ſacris lite-

literis certissima consecutione inferuntur, E. G. *Christus est omnium Redemptor: Ejus corpus in Eucharistia continetur*. Tertius illarum, quæ constant Divina, & Apostolica traditione, E. G. *Libri, quibus modo utitur Romana Ecclesia, sunt revera divini: Tenenda est perpetua Deiparæ Virginitas*. Quartus earum, quæ definitæ fuerunt in generalibus Ecclesiæ Conciliis, E. G. *Animæ in Purgatorio detentæ juvantur Sanctorum precibus: Statim ac purgatæ sunt, beata perfruuntur visione*. Quintus earum, quæ statutæ sunt irrefragabili Romanæ, & Apostolicæ Sedis auctoritate; ut, *Hæresim continent quinque Jansenii propositiones: Hæ a recta fide in sensu auctoris aberrant*. Sextus earum, quæ probantur unanimi Sanctorum Patrum consensu, accedente Ecclesiæ judicio. Postremus denique illarum, quæ ex tertio, quarto, quinto, ac sexto genere firmissimam habent consecutionem.

Ex Patrum vero sententiis tres propositionum ordines videntur distinguendi. Unus illarum, in quibus universi conveniunt; & hæ certissimæ sunt, neque absque Fidei discrimine, ut nuper diximus, possunt negari. Alter earum, in quibus multi ex Patribus consentiunt, ceteris reclamantibus; quæ erunt plus, minusve probabiles, pro Patrum majori, aut minori numero, & auctoritate: inter quos illi erunt ceteris præferendi, qui occasione insurgentium hæresum idem argumentum accuratissime pertractarunt. Postremus est illarum propositionum, quæ ab uno tantum vel altero proferuntur, vel incidenter explanantur; quæ parum firmæ sunt, & absque temeritatis nota negari poterunt. Doctorum autem Scholasticorum placita in duplici sunt differentia, communia scilicet, quibus universi subscribunt; atque uni, vel alteri particularia: quorum illa pro firmissimis habenda sunt; altera nullam penes nos habent auctoritatem, nisi ubi validissimo rationis præsidio corroborantur. Sed hæc omnia opportuniori loco a nobis explicabuntur.

Ad illas modo propositiones, quas impugnare debemus, orationem converto: sunt autem propositiones: *Hæretica, erronea, sapientes hæresim, temeraria, scandalosa, piarum aurium offensiva, seductrices simplicium, impia, blasphema, injuriosa, Schismatica, Judaica, Athea, improbabiles*. Quarum notarum plures uni, eidemque propositioni possunt competere: unde de Wiclephi articulis legitur in Concilio Constant. sess. VIII. *Notorie hæretici, & a Sanctis Patribus reprobati; alii non Catholici, sed erronei; alii scandalosi, & blasphemi; quidam piarum aurium offensivi; nonnulli temerarii, seditiosi &c.* Definivit quoque Innocentius X. Jansenianas propositiones esse *Hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, blasphemas, impias, contumeliosas, divinæ pietati derogantes, immittentes offensionem in aures pias*.

Quænam sit *hæretica* propositio, ex dictis facile conjicitur. Cum enim propositio de Fide ea sit, quæ in sacris literis, in receptis ab Ecclesia traditionibus, in decretis ac definitionibus Ecclesiæ expresse continetur, aut inde certa, manifesta, firmissimaque consecutione deducitur; illa propositio hæretica censenda est, quæ uni ex iis e diametro deprehenditur esse contraria, exempli gratia hæc: *Homo non tenetur amare Deum, neque in principio, neque in decursu suæ vitæ*, quæ adversatur apertissimo Caritatis præcepto, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Est autem quælibet hæretica, quemadmodum & Catholicæ Fidei propositio, vel in materia Juris, vel in materia Facti cum Jure conjuncti, quod modo appellant Dogmaticum. Si quis autem hujusmodi aliquam propositionem enunciat, non continuo dicendus erit hæreticus; cum hæresis sit *error in Fide cum pertinacia*: quorum unum, videlicet quod sit *error in Fide*, spectat ad ipsius propositionis naturam: alterum, idest, *pertinacia*, ad proferentis perfidiam. Est igitur proprie hæreticus quisquis errori circa Fidem pertinax, ac protervus adhæret. Atque huc spectant propositiones sapientes hæresim, & hæresi proximæ; illæ nempe, quæ damnatis hæresibus valde videntur affines.

Propositio *erronea*, ut ratione & re ab hæretica secernatur, videtur ea, quæ opponitur veritati, quam unanimis Sanctorum Patrum, ac Doctorum sententia existimat revelatam, sed nondum Ecclesia talem esse definivit. Hujus propositionis notio non eadem est omnibus, sed quam nupertime tradidi, videtur communius recepta. Gaspar Juenin suarum Institut. p. I. dissert. V. quæst. II. reprehendit Canum, quoniam erroneam propositionem putat esse illam solam, quæ adversatur alteri, qua non evertitur Fides Catholica: sed, me quidem judice, immerito. Quippe Canus plures errorum gradus constituit: in quorum altero eamdem erroneæ propositionis tradit notionem, quam approbat Juenin. Is enim, *Propositio*, inquit, *erronea est ea, quæ negat veritatem, quam communis Ecclesiæ sensus judicat esse mediate revelatam, quamvis Ecclesia id nondum definierit*. Et Canus pariter lib. XII. cap. X. *Quum veritas aliqua, sapientum quidem opinione vehementi, Fidei veritas est, sed non est plane ab Ecclesia definita, nec certo argumento demonstrata; tunc veritati illi adversari non est hæreticum, sed erroneum*. Conveniunt ergo adinvicem; neque Juenin animadvertit varios illos errorum gradus, quos Canus distinguit: in quorum primo locat errores, quibus Fides quatitur, sed non evertitur, idest, qui Catholicæ veritati adversantur, sed tamen non sunt hæretici; veluti si quis dixerit: *Non licere Fratribus in mendicitate vivere, ac teneri victum quærere labore manuum*. Quænam tamen sint propositiones adversæ veritati Catholicæ, quatientes Fidem, & immunes ab hæresi, non tam aperte rationi nostræ succurrit; quamquam habet fortasse Canus, quo propriam tueatur opinionem.

Temerariam propositionem illam dicunt, quæ nulla ratione, nulla auctoritate affirmatur, & quæ communi opponitur Doctorum sensui, ut velle futurum judicii diem absolute definire: item quæ contra Ecclesiæ decreta in disputationem vocatur, ut asserere *Mariam semper Virginem fuisse originali labe contaminatam*. De quo Apostolica Sedes, etsi nondum contrarium statuit, vetat ne disceptetur. Rursus quæcumque insolenter, & nimium audacter profertur, ut contendere *beatam Virginem non esse in cælos cum corpore assumptam*. Observat Cardinalis Gotti in has quandoque prorumpere eum intemperatæ critices studiosos, tum Morales quosdam Theologos, qui levissimis permoti conjecturis novas doctrinas inducunt. Vocatur *scandalosa*, quæcumque occasionem præbet proximo spiritualis ruinæ, aut illum removet ab exercitamento virtutum: talis esset adoranti Eucharistiam dicere: *Quisnam scit hanc hostiam esse revera consecratam?* vel jejunanti juxta Ecclesiæ consuetudinem suadere, multa sequi incommoda valetudinis ex præcepta corporis afflictatione. *Piarum aurium offensiva* est, quæ obscœnum aliquod & indecorum in verbis continet; a qua iis præsertim cavendum est, qui agunt de sexto præcepto Decalogi. Maxima etiam cura ab isto propositionum genere abstinere se debent, qui de Partu Virginis disserunt, ne sacratissimum mysterium aliqua corporearum partium commemoratione polluatur.

Seductiva simplicium est, quum error fraudolenta verborum æquivocatione ad circumveniendum rudes contegitur; ut cum Nestorianis asserere *Mariam esse Dei susceptricem*; aut cum Semiarianis, *Verbum esse Patri Homœusion*, idest, simile, quasi non genuisset Virgo personam Verbi, & illud Patri consubstantiale non esset. *Impia* est, quæ removet a Dei cultu, & a Caritatis erga homines officiis: E. G. *Animæ unitæ abstinere sese debent a bonorum operum exercitio: Non est eleemosyna ex omnibus superfluis in pauperes eroganda*. *Blasphemam* appellant & propositionem, quæ in Deum, vel Sanctos convicium ejaculat; cujusmodi est illa, *Deus est auctor peccati, & prædestinat pro suo beneplacito quem libuerit ad sempiterna supplicia*; aut, *Gregorius Magnus fuit primus inter Pontifices Antichristus*. Auctor Biblioth. Theolog. inter blasphemas enunciationes illas connumerat, quibus sacra irridentur; ut quod Sanderus lib. III. de Schismat. Anglicano refert de Elisabetha, quæ quum adepto regno sacro oleo inungeretur, dixit circumstantibus nobilioribus ancillis, *Abite, ne fœtor hujus olei vos offendat*.

Injuriosa est ea propositio, quæ detrahit honori illorum, qui in Ecclesia insigniti sunt charactere, vel dignitate, videlicet Summis Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis, & universo Ordini Clericorum, vel Monachorum. *Schismatica* porro est, quæ scissioni Corporis mystici Ecclesiæ viam sternit, ac ejus membra disrumpit, veluti si quis dicat legitimum *Romanum Pontificem esse Antipapam: Regem Angliæ esse in sua ditione verum caput Ecclesiæ*. *Judaicam* propositionem dicimus, qua etiamnum asseruntur antiquæ promissiones, aut cæremoniæ, ut, *Nondum advenit Messias: Circumcidendus est infans*. *Athea* est, quæ Dei existentiam, aut providentiam tollit, ut *Non est Deus; Fortuito eveniunt singula; Post mortem corporis nihil*. *Improbabilem* liquet esse propositionem absque ulla veritatis imagine pronunciatam. At qui harum omnium uberiorem peroptat expositionem legat Canum lib. XII., Annatum lib. I. artic. V. Turrecrematam Sum. Eccles. lib. IV. p. 2. Dominicum e SS. Trinitat. lib. 2. Bibl. sect. VII. Juenin in Prolegom. dissert. V. Gotti quæst. I. dub. V. aliosque.

Pro hujus capitis coronide sedulo animadvertendum est, ferre quarumlibet propositionum censuram ad nullum privatum hominem pertinere; sed ad evitanda contentionum scandala servandum ubique esse Innocentii Papæ XI. monitum in Decreto, quo LXV. morales propositiones damnavit: *Ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque in posterum se abstineant, & ut paci, & caritati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quam in thesibus, disputationibus, ac prædicationibus, caveant ab omni censura & nota, necnon a quibusvis conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a Sancta Sede recognitæ, super iisdem propositionibus judicium proferatur*. Quæ cum

ita sint, videant, qua mutua caritate sese invicem prosequantur primi quidam, & contentiosi Theologi, qui aliorum dogmata judicio Ecclesiæ adhuc immunia, vocant Calviniana, Pelagiana, Janseniana, & si quid est aliud auditu horribilius. A quorum consuetudine est mihi longo itinere recedendum; & si aliquando æstu disputationis abreptus in idem, quod damno, crimen dilabar, hanc a lectoribus meorum opusculorum gratiam deprecor, ut inconsulto loquenti humanissime indulgeant. Ita enim spero fore, ut mihi hanc ipsam vicem rependant, & errantem me ad semitam veritatis hac solertia, & cautione reducant. *Quis enim non sentiat*, ait lib. de peccato Origin. cap. 23. Augustinus, *in his, atque hujusmodi variis, & innumerabilibus quæstionibus, sive ad obscurissima opera Dei, sive ad Scripturarum abditissimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti, ac definire difficile est, & multa ignorari salva Christiana Fide, & alicubi errari, sine aliquo hæretici dogmatis crimine?*

SCHOLION.

,, Animadvertas oportet, num saluberrimis Innocentii XI. monitis obtemperent nonnulli Scholasticæ Theologiæ Doctores, qui oppositas sibi sententias propugnantibus contumeliosas notas inurunt. Hujus ne generis sint, aut non sint, qui nos, ac discipulos nostros traducunt invidioso Jansenistarum nomine, nolumus affirmare. Hoc tantummodo, quod norunt omnes, asserimus, neminem posse Jansenismi insimulari, *nisi prius legitime constiterit, aliquam ex quinque propositionibus docuisse, & tenuisse*, Decreto Innocentii XII. emanato die 6. Januarii anno 1694. atque excæcari malitia, & magis tenebras illos diligere, quam lucem, qui *cum erroribus damnatis confundunt sententias illas ac doctrinas, quæ palam & libere in Catholicis Scholis*, etiam post editam Constitutionem *Unigenitus* sub oculis Romanorum Pontificum *docentur ac defenduntur, ac propterea minime fuerunt proscriptæ*; idque Constitutione *Pastoralis* Clementis XI. edita V. Kal. Septembris anno 1718. Quid est ergo, quod Molinistæ, qui se peculiari titulo Apostolicæ Sedi jactant devotos esse, & addictos, non cessant in nos vetustas criminationes urgere? Eis fortasse animum adauget, extimulatque pronam ad calumniandum libidinem, quod nos Jansenianis accensendos crediderint post Anonymum, qui testimonia quædam ex libris nostris mutilata, rejectisque iis, quibus fides, ac doctrina, quam tradidimus, meridiana luce clarescit, in unum collegit, duo Galliarum Præsules, Viennensis, & Senonensis Archiepiscopi. Sed ne *Vindicias* nostras editas contra illorum accusationes commemoremus; neque enim nobis fas est de opusculis nostris ferre judicium, nec tali inflati sumus ingenioli nostri æstimatione & arrogantia, ut hinc aliquid prodiisse, aut prodire posse arbitremur libratum, irreprehensibile, atque expolitum: eorumdem Episcoporum exemplum deberet adversarios nostros ad silendum compellere. Quamquam enim hi sinistre de conscriptis lucubrationibus nostris judicaverint; *Judicia* tamen sua ad *Benedictum XIV.* confirmanda, vel improbanda miserunt: a quo, libris nostris severiori subjectis examini, inventisque ab intentata criminatione immunibus, neque ob violatam fidem spongia indigentibus, prælaudati scrutatores commoniti, diu silentium servarunt, & Censuræ illorum nonnisi post aliquot annos, clanculum disseminari cœperunt, & in lucem emitti illorum obstetrice manu, quibus inane consilium est Augustinianæ ac Thomisticæ scholæ inconcussa dogmata in exsilium expellere, propria autem diu multumque exagitata, & nescio quo fato ad tantam celebritatem evecta, tanquam exploratissima venditare, atque ad fastigium illud, quod Catholicæ Fidei proximum est, audacter depressis aliis extollere. Quandoquidem ergo ad Apostolicam Sedem Adversarii nostri provocarunt, hujusque judicio subscribendum esse putarunt, quod & nos ultro lubenterque facimus, ut quemlibet Augustini discipulum, & Catholicum decet hominem; oro, obtestorque Adversariorum quemlibet, ut me satis hactenus lacessitum, dicteriisque jactatum, quod reliquum est mortalis hujus vitæ sinat absque inutili contentione peragere, ac postmodum in vulgus etiam, si hoc libuerit, scriptis, verbisque prodat, quidquid Sedes Petri, & Magistra veritatis Ecclesia, aut pro Scholæ nostræ assertionibus, aut contra istas definiendum esse statuerit.

,, Neque tamen, quamvis vehementissime provocatus, & immaniter lacessitus, auctor ego futurus sum vel Augustiniensium, vel alterius Scholæ Molinistis adversanti cuipiam, ut in scientiam *Mediam*, vel gratiam, quam potissimum a voluntatis humanæ consensu effectum sortiri autumant, Semipelagianæ hæreseos audeat opponere pravitatem; quippe probe scio, Summi Pontificis Pauli V. sanctione in exitu Congregationum de Auxiliis cautum fuisse, *ne assertores unius sententiæ oppositam aliqua censura proscinderent, reservato ut æquum erat Apostolicæ Sedi judicio*; prout monui lib. XIV. cap. 10. Innocentius item X. Decreto suo emissu die 23. Aprilis anno 1654. inhibuit, ne Acta prælaudatarum Congregationum, & Exemplar, seu autographum Constitutionis contra Ludovici Molinæ sententiam, pro una, vel pro altera parte producantur, eisque adhibeatur aliqua fides: quoniam revera perdifficilis controversia supremo Sedis Apostolicæ judicio finita non fuit, neque delineata Constitutio adprobatione Pauli V. fuit corroborata, aut juxta Romanæ Ecclesiæ consuetudinem promulgata. Quamobrem nullam huic constitutioni vim inesse, ac posse systema Molinæ etiamnum propugnari absque nota Semipelagianismi, immo nec ulli fas esse idem systema tanquam ab Ecclesia reprobatum, damnatumque insectari, invidiosam illi notam impingendo prævenientem Dei gratiam deneganris hæreseos, fatentur Natalis quoque Alexander in Historia Eccl. 5. Seculi cap. 3. artic. 8. Hyacinthus Serry in Schola Thomistica Vindicata pag. 8. aliique cordati viri quamplurimi. Nihil itaque in votis habendum est magis, quam ut Decreta Pauli V. anni 1611. Innoc. X. an. 1654. Innocentii XI. an. 1679. Innoc. XII. an. 1694. Clementis XI. an. 1718. Benedicti XIII. an. 1724. Clementis XII. an. 1733. religiosissima veneratione custodiantur, inter Catholicorum Scholas foveatur concordia, & siquis juxta Scholasticorum morem repetat suarum opinionum ex Ecclesiasticis definitionibus fulcimenta, utatur quidem ea libertate, quam ipsi Ecclesia & jus largiuntur, sed illa minime abutatur in aliorum dedecus atque ignominiam; quod neque Ecclesia permittit, neque juris æquitas postulat, neque recta aliqua ratio suadet.

CAPUT VI.

De requisitis ad assequendum Theologicas veritates dispositionibus, atque de hujus nostri Operis instituto.

UT in propugnandis veris, atque in refutandis errorum dogmatibus cum doctrinæ laude, & moralium virtutum incremento versetur quisquis ad Theologicas disciplinas convertitur; operæ pretium est, ut mentem, ac voluntatem certis quibusdam regulis, ac præceptis ad has capessendas disponat. Principio quantum ad mentem attinet, deserviunt Theologo omnes naturales scientiæ, de quibus non incongrue beatus Thomas quæst. 1. artic. v. interpretatus verba Proverbiorum cap. ix. vers. 3. *Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis*. Aliquæ tamen sunt Theologo necessariæ; aliquæ utilissimæ; aliquæ ornatum addunt solummodo. Necessaria est dialectica, & naturalis Philosophia; quæ duo Scholasticæ methodum, & humanas rationes suppeditant, ut cap. II. demonstravi. Assiduum præterea studium in sacris literis, in Apostolicis traditionibus, in Romanorum Pontificum statutis, in Sanctorum Patrum sententiis, in historicis monumentis collocandum est; inde enim, veluti ex perennibus fontibus, argumenta exhaurit Theologia. Nam si humanis rationibus primo insistimus; potius erimus contentiosi philosophi, quam sacrarum doctrinarum cultores. Cavendum est igitur, ne Theologiæ ingressus limina in sinistram deflectat partem, ubi degunt ii, *Qui*, inquit Cyrillus Alexand. lib. II. Thesauri, *nihil aliud, quam Aristotelem ructant, & istis potius disciplinis, quam Scripturarum scientia sese venditant.*

Utilissimæ videntur Theologo linguæ, præsertim Hebræa, & Græca: illa ad majorem divinarum Scripturarum intelligentiam, hæc etiam ad Sanctorum Patrum lectionem. Quamquam enim Vulgata nostra authentica est, ceterisque Sacrorum Bibliorum versionibus longe præstantior, necnon præclara Græcorum Opera Latina fecit Scriptorum industria; utilis tamen est linguarum notitia ad cognoscendas idiomatum proprietates, ad evitandum errorem ex amphibologia latini sermonis, atque ad intelligenda quædam vocabula propria, quæ in sola lingua, a qua derivantur, etymologiam servant, & tamen ipsa nunquam immutantur, ut *Adam*, *Abel*, *Cain &c.* & quædam alia, quæ commode in alienam linguam transferri forte non poterant, vel saltem in gratiam antiquioris linguæ etiamnum perseverant, ut *Raca*, *Anathema*, *Marana*, *Mammona*. Hinc S. P. August. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 11. trium linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ magnopere studium commendat, easque in caussa mortis suæ Christus ipse videtur probasse. Viennense Concilium, ut habetur in Clement. 1. Tit. de Magistris, statuit, ut in præclarissimis Universitatibus Bononiensi, Parisiensi, & Salmanticensi trium harum linguarum pararentur præceptores; quod ut servetur in generalibus Religiosorum studiis non semel decreverunt Pontifices, quorum statuta recitat in sua Medulla linguæ Sanctæ

Ctæ

ctæ Paulus Mediceus. Gregorius item XIV. Seminarii nostri Bononiensis Institutor, præcipit, ut Hebrææ linguæ Novitiis rudimenta tradantur. Id vero hoc præsenti tempore specialiter est executioni mandandum; quum Hæretici continuo nos ad Hebraicos, Græcosque Codices provocent freti hac linguarum peritia, & Patres Latinæ Ecclesiæ contemnentes, qui ea præditi non fuerunt, ut constat in editis contra S. P. Augustini Opera a Joanne Phereponо Animadversionibus, tali audacia conscriptis, ut non solum Catholicis viris, verum etiam nonnullis Hæreticis stomachum moverint. De advocando autem Latinæ orationis præsidio hoc loco non loquor; nam auditoribus nostris ea lingua disciplinæ traduntur. Vellem tantum, ut de se ipso scripsit Peravius in Proleg. cap. VII. num. X. scribendi, ac dicendi stylus *neque barbarus, ac non latinus esset, & oratorio tamen ille fuco, ac pigmentis careret*.

Pari ratione de ceteris quibusdam facultatibus arbitror esse judicandum; quemadmodum de utilitate Matheseos ostendit erudita dissertatione Rabbius vir doctrina, ac morum suavitate conspicuus. Demonstrat enim quantum utilitatis afferant Theologo Geometria, Cosmographia, Arithmetica, & ceteræ mathematicæ disciplinæ. Hæ tamen valde humilem ac prudentem hominem requirunt. Ut enim exemplum proferam de Arithmeticis; habent quidem omnes Sacrarum literarum numeri aliquam significationem, quam ingeniose exponit aliquando Augustinus in numero E. G. septenario, quadragesimo, trigesimo octavo &c. at si quis arbitratur numeros ubique eamdem significationem præferre, is meo judicio decipitur. Etenim quis probet, binarium V. G. exitiosissimum esse, ut conatur demonstrare Petrus Bongus in libro de Numerorum Mysteriis, ex eo quod duo sunt duces dæmoniorum Behemot, & Leviathan; duo genera delictorum proprium & alienum; duo damnatorum pœnæ sensus & damni: & quia duo cæci clamabant in Hierico secus viam; duæ mulieres fornicatæ sunt in Ægypto Oolla, & Oliba; duos menses puella Jephte flevit virginitatem suam; duobus testibus damnatur reus? Profecto si hoc modo nugari fas est, dicam ego e contra optimam esse dualitatem, quoniam Deus duplicem condidit creaturam, spiritualem, & corpoream; duplicem in se naturam copulavit divinam, & humanam; necnon in duobus mandatis universa lex pendet; duo ad efficiendum Sacramentum concurrunt, verbum, & elementum; duo inde effectus promanant gratia, & character; duo visi fertilissimam Palæstinæ terram primitus invenerunt; duo fuere Hebræorum salvatores, Moyses, & Aaron; duo Apostoli, qui prima vice sequuti sunt Christum, Petrus & Andreas; duo sunt rerum omnium principia, materies ac forma. Et quod dictum est de binario, de omnibus aliis numeris in quodam meo Ms. contra Bongum opusculo demonstravi, probans nullam certam significationem inesse numeris, nisi quam Sacræ literæ, ac Patres deprehenderunt; eamque non ratione numerorum haberi, sed rerum. Itaque hac lege tantum Arithmetica utilis esse potest Theologo: quod affirmo de ceteris scientiis mathematicis, quæ nisi ad hanc normam expendantur, erunt Theologo parum utiles. Hactenus de iis, quæ ad Theologiæ studium ex naturalibus scientiis prærequiruntur.

Ex parte autem voluntatis requiritur cordis mundities, inanis gloriæ contemptus, discendi ardor, & qui erat initio commemorandus, timor Domini. De cordis munditie hæc habentur Sap. I. v. 3. & seq. *Perversæ enim cogitationes separant a Deo: probata autem virtus corripit insipientes. Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur a superveniente iniquitate.* Et revera animus terrenis cupiditatibus irretitus nunquam poterit in summi boni contemplationem assurgere: unde Orat. XXXIII. ita loquitur Nazianzenus: *Non cujusvis est de Deo differere, sed eorum duntaxat, qui corpus, & animam a vitiorum sordibus purgarunt, aut jam hoc agunt, ut se a vitiorum labe purgent; impura enim rem puram attingere periculo non caret, quemadmodum nec ægris oculis solis radios intueri.* Hac de re, ut arbitror, antiquiores Theologi incipiebant in libros sententiarum Commentaria ab ea quæstione, *Quid sit frui, & uti*, in qua docebant non esse rebus creatis fruendum noxia delectatione, sed esse illas in usum assumendas ad finem ultimum consequendum; initio commonefacientes oportere cuique, sed præsertim disserenti de Deo, ne sit temporalium bonorum aut vana cupiditate illectus, aut damnabili fruitione illaqueatus. Huc etiam spectat ille timor, de quo regius Vates Ps. 110. v. 9. *Initium sapientiæ timor Domini.*

Præterea ad Theologiam accedenti necessaria est humilitas, & inanis gloriæ contemptus. Ait enim Spiritus Sapientiæ apud Is. cap. LXVI. v. 2. *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Et Augustinus lib. III. Confess. cap. V. *Institui animum intendere in Scripturas Sanctas, ut viderem, quales essent: & ecce video rem non compertam superbis, neque nudatam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam, & velatam mysteriis: & non eram ego talis, ut intrare in eam possem, aut inclinare cervicem ad ejus gressus, &c.* Atque Augustini verbis addere possum exemplum ejusdem; qui cum humilitate, & caritate plurimos antecelleret, talem habuit divinarum scientiarum intelligentiam, ut indutus virtute ex alto abundantius omnibus laboraverit: atque illius ministerio Dominus uberiorem fidelibus suis præbuerit instructionem. Comparatur autem hæc humilitas non solum consideratione sui ipsius, verum etiam hujus scientiæ scopo, atque argumento. Nam sive ingenii acumine polleas, sive memoriæ tenacitate, sive utroque, ceterisque donis ad naturam, & gratiam pertinentibus; neminem fugit, omne donum desursum esse descendens a Patre luminum: quod si horum donorum minorem partem acceperis, te non latet nullum hominum esse odibiliorem superbo ac paupere. Argumentum vero Theologiæ eo majorem postulat humilitatem, quo sublimius est, & in illo plures temporis, ac operis fecere jacturam: quippe de summo Deo disserendum est, qui habitat lucem inaccessibilem. Scopus denique, ac finis in omni quidem scientia, sed præsertim Theologiæ, debet esse Dei honor, sui ipsius ac proximorum ædificatione promovendus: quem finem nunquam assequuntur qui superbia elati studiis, ut promoveantur ad Religionis gradus, totis nervis incumbunt. Memoria tenendum est quod serm. XXXVI. in Cant. scripsit Bernardus: *Sunt namque qui scire volunt eo fine tantum ut sciant ipsi, & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causa, pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæstus est. Et sunt quoque qui scire volunt ut ædificent, & caritas est: & item qui scire volunt ut ædificentur, & prudentia. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut bene faciant.* Et infra: *Volo proinde animam primò omnium scire seipsam, quod id postulet ratio & utilitatis & ordinis. Et ordinis quidem; quoniam quod nos sumus, primum est nobis: utilitatis vero, quia talis scientia non inflat, sed humiliat, & est quædam præparatio ad ædificandum; nisi enim super humilitatis stabile fundamentum, spirituale ædificium stare minime potest.*

Exigitur denique in Theologiæ candidato ardentissimus discendi ardor; neque oblivioni debet mandari saluberrimum Ecclesiastici monitum cap. VI. v. 23 & seq. *Sapientia enim Doctrinæ secundum nomen est ejus, & non est multis manifesta: quibus autem cognita est, permanet usque ad conspectum Dei. Audi fili, & accipe consilium intellectus, & ne abjicias consilium meum. Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum: subjice humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris vinculis ejus. In omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tua conserva vias ejus. Investiga illam, & manifestabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam.* Hujus moniti rationem profert S. P. Augustinus Epist. 137. ad Volusianum, amplitudinem scilicet, ac profunditatem doctrinæ: *Latet*, inquit, *altitudo sapientiæ, ut acutissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate addiscendi hoc contingat, quod eadem scriptura quodam loco habet, cum consummaverit homo, tunc incipit.* Neminem tamen deterrere debet hæc divinarum scientiarum præstantia, quin, cum ipsa ad amorem Dei inflammet, & mentem nostram igne naturam mutante collustret, eamque Cœlestium Spirituum faciat consortem; hanc ardentius concupiscamus, quæ animam rationis participem ad inseparabilem Dei conjunctionem disponit. His fere verbis ad Theologiæ studium nos hortatur Diadochus Episcopus in libro de spiritali perfectione cap. 67.

Superest, ut nonnulla dicam de Theologiæ partibus, atque de ordine, & instituto hujus Operis. Sanctus Joannes Damascenus, qui floruit Imperante Leone Isaurico Iconomacho, libris quatuor de Fide Orthodoxa universam Theologiam primus omnium eo ordine complexus est, quem deinde secuti sunt Petrus Lombardus Magister Sententiarum, ceterique Scholastici. Qui in priori libro de Deo uno, ac de Trinitatis Mysterio pertractant: in II. differunt de Angelis, de creatione hominis, ejusque lapsu: in III. de humani generis reparatione: in postremo de Sacramentis, quibus Christi Redemptoris nostri meritum vulneratis per peccatum hominibus applicatur. Paullulum ab ea methodo recedit S. Thomas Aquinas, qui Theologicam Summam in tres tantum partes divisit: in quarum una de Deo uno, Trino, & Creatore, in altera de Deo ultimo fine, in tertia de Christo, & ab eo institutis Sacramentis, pluribus quæstionibus & articulis plenissimas disputationes comprehendit. Ex nostris vero Scriptoribus fere omnes Magistri Sententiarum methodum tenuere, ut Ægidius Romanus, Gregorius, Gerardus, Argentinas, & quotquot in Ægidium superioris, hujusque ætatis Scriptores Commentaria ediderunt.

Verum cum hi omnes, ut erat Patrum nostrorum consuetudo, & ingenium, operam ac laborem insumpserint enn-

enucleandis contruversiis innumeris, quas ætate nostra mutabilis hominum sensus fastidit; compellor in his opusculis veterum plura penitus prætermittere, quædam minus necessaria extremis, ut inquiunt, labiis gustare, multa historicis, dogmaticis, criticisque ornare dissertationibus. Quæ omnia si pro rarum amplitudine ac dignitate me facturum esse polliceor, ridebunt me jure homines universi. Neminem quippe fugit quanta scripserit de solis Patrum dogmatibus Dionysius Petavius, qui tamen illorum Sententias vix recitavit, neque de his definivit: quanta insuper Thomassinus, qui neque totam Theologiam in ea parte prægrandibus voluminibus explicavit. Historicas item dissertationes quam fuse pertractet Natalis Alexander nemo non novit; de Ecclesiæ Conciliis quanta conscripserit Christianus Lupus habemus præ oculis: sola polemica Theologia quantum temporis, ac laboris postulet, ex solo Bellarmino possumus conijcera. De solis Ecclesiæ Sacramentis quam late differant etiam brevitatis amatores, scripta ostendunt Estii, Juenin, Tournely, aliorumque. Ipsa moralis Theologia a P. Vanroy brevissime simul ac nervose tradita plures Tomulos implevit; pluresque pariter Complexio recentiorum quæstionum, quam superioribus annis elaboravit noster Aurelius Pietre. Si quis igitur numeris omnibus absolutam a me expectat Theologiam, is proculdubio me ad scribendum Superiorum meorum mandato compulsum tenrat penitus exanimare. Pruferam itaque quidquid imbecillitas mea, & angustia temporum patitur: neque libello titulum facio ampullosum, *Theologia Scholastica*, *Positiva*, *Moralis*, *Polemica*, qui discendi cupido ubertima spondeat: neque *Apparatus Theologicus*, qui solam methodum, & elementa suppeditet; neque *Theologica Institutiones*; quo vocabulo, non disputationes significantur, sed regulæ ac præcepta. Opportunius videtur, si hunc præseferat titulum *de Theologicis disciplinis*; idest, qui uni, aut alteri Theologiæ, itemque ampliori, ac breviori conveniat; neque ostentet scribentis audaciam, neque deprimat diginitatem scientiæ.

Iste autem erit dissertationum nostrarum ordo. Agendum principio de vero ac supremo Numine, & contra Atheos, ac Polytheos pugnandum: tum divinæ perfectiones sese offerent examinandæ: Trinitas deinde Personarum contra pertinaces Impugnatores acerrime est vindicanda. Quod implere conabimur novem prioribus libris. Accedent posthac Tractatus de Cælestibus Spiritibus, de rerum corporearum productione, præsertim vero de homine primo, ipsius lapsu, pœnitentia, exilio, propagatione posterorum, atque peccati, pœnarumque in singulos transfusione. Id vero complecti curabimus dissertationibus quatuor, idest a libro decimo ad XIV. Præterea tradenda est rationalis Creaturæ institutio, non quidem quantum spectat ad commodum, & utilitatem reipublicæ, id enim proprium est Ethices, sed quatenus dirigentibus legibus, & auxiliante divina Gratia conari debet, ut finem ultimum assequatur, & ab illo vitiis & peccatis avertitur. Quapropter hæc tertia pars sex libros de divina Gratia, & exortis adversus illam hæresibus, in quibus libris situm est universum Augustinianæ Doctrinæ Systema, deinceps pertractationem de legibus, & insuper quatuor libros de humanis Officiis comprahendit; ideoque extenditur a quartodecimo libro ad quartum, ac vicesimum. Differandum deinceps quinque libris de Salvatoris nostri ad reparandum humanum genus adventu, de ejus Vita mysteriis, & miraculis plena, de Apostolis quos elegit, & de Ecclesia ab ipso instituta. Itaque hæc quarta pars libro vicesimo quinto inchoata complebitur in vicesimo nono. Disputabimus denique de septem Ecclesiæ Sacramentis, quibus Christiana Religio nutritur ac roboratur, a libro trigesimo ad postremum. Ita fiet, ut quinque partibus, libris autem triginta septem nostrum de Theologicis disciplinis Opus comprehendatur commode quiquennio absolvendum.

In feriis autem, festisque diebus, quibus consuetæ lectiones prætermittuntur, præ manibus habendi erunt libri, quorum usus in singulis hisce partibus debet esse frequentior, & qui titulum referent: *Librorum de Theologicis disciplinis Supplementum*. Pertractabitur in his de locis Theologicis accuratius, & de controversiis raliquis in hoc priore Opere prætermissis: quarum amplitudo ac dignitas uberiorem, ac singularem postulat tractationem. Sparsa tamen in libris istis XXXVII., & suo quæque loco distributa occurrent quæcunque magis necessaria videbuntur, & convenientia cujusque libri argumento. Qui vero in pervolutandis Theologicis dissertationibus offendent difficilia, atque ad ea percipienda indiget spiritu intelligentiæ, quemadmodum hortatur Beatus Jacobus in Epistola Catholica cap. 1. v. 5. *postules a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei.*

SCHOLION.

„ Supplementum, quod hisce Theologicis exercitationibus subjicere cogitaveram, aliis distractus opusculis, nondum perfeci. Æquum est igitur, ut adolescentes Theologiæ sedulam operam navaturos, unde probationes petere debeant, saltem commonefaciam. Eloquentissimus & eruditissimus Melchior Canus, cujus libris pervolutandis apprime deditos novi perpolitos & graves evasisse disputatores, addiscendi cupidis fontes aperiet limpidissimos atque uberrimos. Pertractans ipse *de Locorum Theologicorum numero & ordine* ita capite ultimo prioris libri exquisitissimi Operis scribit:

“ Primus locus est auctoritas sacræ Scripturæ, quæ libris Canonicis continetur.

“ Secundus est auctoritas traditionum Christi & Apostolorum, quas, quoniam scriptæ non sunt, sed de aure in aurem ad nos pervenerunt, vivæ vocis oracula rectissime dixeris.

“ Tertius est auctoritas Ecclesiæ Catholicæ.

“ Quartus auctoritas Conciliorum, præsertim Generalium, in quibus Ecclesiæ Catholicæ auctoritas rasidet.

“ Quintus auctoritas Ecclesiæ Romanæ, quæ divino privilegio & est, & vocatur Apostolica.

“ Sextus est auctoritas Sanctorum veterum.

“ Septimus est auctoritas Theologorum Scholasticorum, quibus adjungamus etiam Juris Pontificii peritos. Nam Juris hujus doctrina, quasi ex altera parte, Scholasticæ Theologiæ respondet.

“ Octavus ratio naturalis, quæ per omnes scientias naturali lumine inventas latissime patet.

“ Nonus est auctoritas Philosophorum, qui naturam ducem sequuntur. In quibus absque dubio sunt Cæsarei Jurisconsulti, qui veram & ipsi (ut Jureconsultus ait) Philosophiam profitentur.

“ Postremus denique est humanæ auctoritas historiæ, sive per auctores fide dignos scriptæ, sive de gente in gentem traditæ, non superstitiose atque aniliter, sed gravi constantique ratione ”. Hactenus Canus.

„ Ex quibus unusquisque percipit, unde Theologus sua depromere debeat argumenta, ex septem nempe prioribus locis, tanquam propriis & ad facultatem suam pertinentibus, ex tribus vero posterioribus, tanquam adscititiis, & veluti ex aliis, exterisque scientiis, emendicatis. Verum est, S. Thomam q. 1. art. 8. ad 2. tantum tria recensera loca Theologica, nimirum *auctoritatem Scriptura, Doctorum, & Philosophorum*: Sed prælaudatus Melchioe Canus libro XII. cap. 3. respondet, Doctorem Angelicum *restricte breviterque, ut solet, Theologiæ locos indicare, non omnes, sed plerosque.* Addit S. Thomam, si locorum usum silentio præterivir, persecuturum, *nisi aliquis casus aut occupatio consilium ejus prævenisset*; divinæ etiam providentiæ ait esse, ut priores aliquid relinquant posterioribus, *in quo elaborare quoque ipsi, & exercere utiliter non solum memoriam, sed etiam ingenium possent.* Videtur Canus existimare sibi, ingenioque suo divini Numinis providentia reservatum, ut ipse nullius adminiculis, ac proprio marte, hanc perutilem Theologiæ partem expleat. Sylvius autem inter eos, qui in S. Thomæ Summam Commentaria ediderunt, non vulgaris, nec ignobilis Scriptor ait, *non fuisse B. Thomæ propositum recensere omnes locos Theologicos, sed solum ostendere Theologiam esse argumentativam, eo quod habeat aliquos locos; locus autem est sedes argumenti*. Quæ responsio vera est, & consona titulo prædicti articuli 8. Nam quod subinde inquit Sylvius sub tribus illis locis reliquos comprehendi, nimirum, sub auctoritate Scripturæ *auctoritatem Traditionum, Conciliorum, Ecclesiæ, & Pontificum, &c.* non videtur adeo perspicuum, ut nequeat absque temeritate negari. Si adolescentium aliquis Cani methodo non assuetus, & oppositionum a solutionibus fraquenti separatione, interjectisque præceptionibus implicatus, perutile illud opus non adinveniat mentis suæ imbecillitati accommodatum, habet quoque opus illud elegantissimum ad plenioram ordinem, & ad vulgarem Scholarum consuetudinem revocatum.

DE



DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER PRIMUS,

In quo contra Atheos, ac Polytheos unius Supremi Numinis defenditur existentia.



N DEI OPTIMI MAXIMI vindicanda existentia præstat Theologicarum Exercitationum ponere rudimentum, ac illud in principio statuere Deum esse, & quidem unicum. Nam Theodorus Cyrenaicus, ut scribit Laertius in Aristippo, & in priori libro de Natura Deorum Marcus Cicero, omnes de Diis sustulit opiniones. Protagaras dubitavit, an revera aliquod Numen extaret, ut ait lib. 2. de Principiis Theodoretus. Epicurus teste Plutarcho de Placitis Philosophorum existimavit omnes Deos humana specie præditos esse, nec res humanas curare. Diagoras quoque Milesius, auctore Suida, appellatus est Ἄθεος, quod nullos Deos arbitraretur existere: in quorum deliramenta consensere Lucilius quidam Tulosæ anno 1619. igni Senatus Decreto damnatus, aliique obscurioris nominis Romæ ætate nostra, anno scilicet 1719. perpetuis addicti carceribus. Utinam non occulte serperet hæc, nescio, num ignorantiam dicere debeam, num insaniam.

Caussa cur mortales in eam miserrima cæcitate devenerint est, quod in voluptate ac tranquillitate animi, quam frustra in temporalium bonorum participatione existimarunt consistere, amore sæculi ceterisque cupiditatibus in pœnalem cæcitatem dejecti finem suum irrationabiliter locaverunt. Recte proinde in Atheos declamat S. P. Augustinus Enarrat. in Psalmum XIII. *Dum amant hoc sæculum, & non amant Deum; ipsæ sunt affectiones, quæ corrumpunt animam, & sic excæcant, ut posset etiam dicere imprudens in corde suo: Non est Deus*; & lib. de vera Relig. cap. 38. *Nego*, inquit, *esse quemquam istorum, qui nihil colendum existiment, qui non aut carnalibus gaudiis subditus sit, aut potentiam vanam foveat, aut aliquo spectacula delectatus insaniat.*

Revera Epicurus perditissimæ hujusce sectæ signifer atque, ut ait Creechius Censura in librum 1. Lucretii, insanientis sapientiæ consultus erro, putabat sublata opinione de Providentia, & de pœnis post mortem futuris, tolli molestiam omnem, & formidinem, atque levari nos metu mortis, ac superstitione Deorum: e contra hæc remorari animi quietem, & quamplurimas secum trahere perturbationes. Quo nihil absurdius poterat excogitari; quippe Supremi Numinis cura bonos tristitia liberat, neque ullus horret parentes optimos, principesque benevolos, quorum amorem studiumque longe superat beneficentissima Dei caritas. Ex quibus consequitur Atheorum insaniam, a turpitudine morum, tanquam ab impuro fonte manasse: *Boni siquidem*, ut elegantissime scribit ad Joan. Gratianum Joannes Antonius Vulpius, *suppliciorum terrore, quæ apud inferos esse constat, quod videlicet ad se non pertineant, minime percelli solent.*

Licet hoc explorato principio absurda Atheistarum opinio radicitus convellatur, appareatque nullum penitus eis consentire qui probe vivat; est tamen ista impietatis moles, & hydra vitiorum pluribus argumentationum generibus exterminanda. Harum quædam metaphysicæ sunt, aliquæ physicæ, morales aliæ, Theologicæ multæ. Primi generis argumenta petuntur a recentioribus Philosophis ac Theologis ex indita omnibus idea entis perfectissimi; ab antiquioribus vero ex ente necessario, & contingenti. Physica deducuntur ex prima caussa, motu, ac serie caussarum secundarum. Moralia ex compagine & ordine universi, atque ex communi omnium hominum sensu. Theologica ex Scripturis, ex Patribus, ex miraculis, aliisque capitibus; quæ ad refutandos Atheos minime valent, nisi postquam Sacrarum literarum veritas, & Christianæ Religionis monimenta fuerint invictissime confirmata. Hæc ergo postrema argumenta erunt modo prætermittenda, sed in decursu Theologiæ sese ultro offerent. Quare ad alia, etiamsi potest ea sibi jure tribuere Philosophus, stylum verto.

CAPUT I.

De illo argumentorum genere, quod petitur ex omnibus ingenita idea Dei.

COMPERTUM est omnibus, ut arbitror, qua via ad probandam Dei existentiam progrediatur Cartesius meditat. 3. & 5. & quam magnifice glorietur se id efficere certioribus argumentis, quam ullum sit Geometricum Theorema. Illius philosophiæ elementa, & canones sunt, cogitationes nostras esse aut ideas, sive rerum imagines, aut affectus, aut judicia: idearum alias esse innatas, veluti cum intelligimus quid res sit, quid sit veritas, quid cogitatio: alias adventitias ab externis rebus formatas, cujusmodi sunt rerum corporearum imagines: alias denique nobis confictas, ut chimæra, sirenes. Idea itaque innata est impressa a nobis ab auctore naturæ cognitio, non comparata discursu, neque sensibus hausta.

Præterea certum est hujus sectæ Philosophos asserere ideas omnes, quamquam sunt inter se pares, & certæ in quantum sunt modi cogitandi, differre tamen adinvicem, prout referuntur ad res, quas repræsentant; itaut idea substantiæ plus in se contineat *realitatis objectivæ*, quam idea cujuscumque modi adventitii, & consequenter idea Dei realitatem omnem, ac perfectionem exhibeat. Porro omnem ideam affirmant habere sui caussam; nam si quis habeat ideam machinæ, in qua omne excogitabile artificium contineatur, inde optime infertur ideam istam ab aliqua caussa profluxisse. Cum vero omnis caussa debeat vel formaliter, vel eminenter effectum suum continere, inferunt ingenitam ideam Dei, quæ omnem cogitabilem perfectionem repræsentat, pendere ab aliqua caussa, in qua sit omnis illa perfectio, nempe a Deo revera existente.

Rursus docent, certissimum judicii canonem esse, ut quidquid in aperta, & clara idea alicujus rei relucet, id certissime de eadem re possit enunciari; & quemadmodum est impossibile nos non existere dum cogitamus, mentem non esse distinctam a corpore, & dari montem absque valle, quia in idea cogitantis, in idea mentis, in idea montis, existentia, spiritualitas, & vallis elucet; pari ratione evidentissime demonstratur summi Numinis existentia, quoniam hæc in idea clara Dei lucet, atque splendescit.

Brevissime his expositis, quæritur, an Athei his argumentis possint aperte convinci. Affirmant non solum Cartesiani omnes Philosophi, sed etiam ex viventibus Theologis nostris plures doctrina atque eruditione præstantissimi; a quorum nomine jubeor ab ipsorum modestia abstinere; ex aliis Honoratus Tournely quæst. 1. art. 1. & 3. Juenin tom. 2. quæst. 2. demonstrat. 8. & quotquot placitis adhærent Cartesianorum. Negant contra antiquiores omnes Theologi; & Cartesium impugnant, non tantum Socinus in Prælect. Theolog. cap. 2., Wolzogenius in Meditationes metaphysicas Renati Descartis medit. 3., quos tamen neque Crellius sequitur, neque Smarcius & ipsi Sociniani,

verum

verum etiam plures Catholici ac sapientissimi viri, ut Illustrissimus Daniel Huetius in Censura cap. iv. & Nicolaus l' Herminier de Exist. Dei q. 1. Imo Recentiorum argumenta praeviderat, eaque longo temporum intervallo solverat vir in Augustiniana lectione versatissimus, magnique nominis Theologus Gregorius de Arimino, dist. 3. qu. iv. artic. 1. Quid nobis videatur sequentibus Propositionibus explicabimus.

PROPOSITIO I. Valde probabile est, inditam esse singulis hominibus ab universorum Auctore ingenitam, atque anticipatam ideam sui.

Pr. 1. Sacrarum literarum testimoniis. Ps. iv. v. 7. habetur: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Joan. 1. v. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Paulus etiam ad Romanos 2. v. 14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*: Atqui illud lumen signatum super nos, ea lux, quæ illuminat singulos omnino homines, ea lex rationalis creaturæ inscripta conscientiæ, est impressa unicuique idea, ac notitia supremi Numinis: Ergo ejusmodi idea ac notio naturaliter indita est omnibus rationalibus creaturis.

Respondet Nicolaus l' Herminier hæc, aliaque divinarum Scripturarum loca exponenda esse sive de sola naturali intellectionis facultate; sive de operibus Dei ita nostræ obviis comtemplationi, ut ad Auctoris sui cognitionem nos trahant; sive de gratiarum beneficiis, quæ nobis uberrime conferuntur. Addit Franciscus Henno neminem ex Patribus ejusmodi verba interpretari de ingenita nobis idea, sed de Providentia Dei, de ipsius imagine, de sola lege naturæ.

Verum etiamsi ultro fatemur recte, & commode prædicta sacrorum librorum loca de intellectiva facultate, de rerum creatarum notitia, de supernaturalibus donis, de impressa nobis divina imagine, de Providentia, & de naturali lege a Patribus explicari; impius enim esset, ac stultus, qui putaret hæc omnia nequaquam nos ad cognitionem manuducere Creatoris: non excludunt hæ interpretationes ideam ingenitam, sed stabiliunt. Mens enim creata, & externa opera Dei, cum sint coarctatæ virtutis, non possunt esse caussa, ut mox dicam, percipiendi incommutabile bonum, nisi firmissima, ac perpetua veritatis regula accedat. Fides, aliaque gratiarum dona non conferuntur singulis; & proculdubio vivida, ac supernaturali notitia Dei carent quamplurimi. Extat quidem in nobis Providentia Dei, Conditoris imago, naturæ lex: sed Providentia illa cum nobis rationem indidit, hanc necessariis adminiculis, ac stabili veritatis regula communivit: legem naturæ, quæ ab æterna non deviat, idea, ac notitia ingenita non immutat, sed constituit; neque ea lex æquipararetur æternæ, nisi principio cohæreret invariabili.

Neque verum est, Patres recitata sacrarum Scripturarum loca nullibi de ingenita notitia Dei interpretari. Producta Psalmistæ verba ita exponit S. P. Augustinus Enarratione in eumdem Psalm. num. viii. *Hoc lumen est totum hominis & verum bonum, quod non oculis, sed mente conspiritur. Signatum autem dixit in nobis, tanquam denarius signatur regis imagine. Homo enim factus est ad imaginem, & similitudinem Dei, quam peccando corrupit*. Nos autem ideæ ingenitæ nomine nihil aliud intelligimus, quam lumen nobis affulgens, firmamque veritatem, quæ non conspicitur oculis, non hauritur sensibus; & quæ ob originalem labem sopita, a creaturis veluti excutitur & excitatur, nempe illud idem, quod percipit Sanctus Pater. Deprompta ex Evangelio Joannis sic explanat D. Hieronym. ad cap. 1. Epistolæ ad Galatas: *Ex quo perspicuum fit natura omnibus Dei inesse notitiam; nec quemquam sine Christo nasci, & non habere in se semina sapientiæ, & justitiæ, reliquarumque virtutum*. At quid sunt ideæ a nobis assertæ, præterquam certa rerum notitia naturæ indita, atque veritatis ac bonarum virtutum una cum Dei gratia fontes & semina? Postremum locum Apostoli ita exponit Origenes in priori contra Celsum libro: *Non est mirandum, Deum eorum, quæ per Prophetas, & Servatorem docuit, semina indidisse omnium mortalium animis, ut in divino judicio omnis homo sit inexcusabilis habens legem mentis scriptam in corde suo*. At hanc legem mentis, rationisque mortalium omnium animo insitam, hanc eamdem ideam ingenitam appellamus.

Hinc probatur 2. propositio Patrum auctoritate. Justinus Martyr Apologia 1., quæ tamen vulgo nuncupatur secunda, *Dei*, inquit, *appellatio nomen non est, sed rei inenarrabilis naturæ hominum insita opinio*. Eusebius lib. 2. Præparat. Evang. cap. 9. *Eximium illud ac salutare in primis, quod Dei nomen, essentiamque significat, ipsius naturæ ductu, impressisque animo per sese notionibus, vel divinitus potius inspiratis nemo non intelligit. Hoc enim omnes populi communi quodam rationis sensu percepere, cum id omni animo ratione, & intelligentia prædito, idem hujus universitatis artifex naturalibus quibusdam cogitationibus inseverit*. Tertullianus lib. de Testimonio Animæ cap. v. *Magistra natura, anima discipula. Circumventa ab adversario meminit sui auctoris: sed quis ejusmodi eruptiones animæ non putaverit doctrinam esse naturæ congenitæ, & ingenitæ conscientiæ? Certe prior natura quam litera; & prior sermo quam liber; & prior sensus quam stylus; & prior homo ipse quam Philosophus, & Poeta*. Arnobius lib. 1. contra Gentes: *Quisquam ne est hominum, qui non cum istius principis notione diem primæ nativitatis intraverit? Cui non sit ingenitum, non affixum, imo ipsi pene in genitalibus matris non impressum, non insitum, esse regem ac dominum cunctorum quæcunque sunt moderatorem?* Consulto ex pene innumeris Antiquorum testimoniis hæc protuli, quæ non videntur recte explicari per cognitionem comparatam per sensuum officia, ut occurrit l' Herminier; quod sic ostendo. Non est e sensibus hausta illa idea ac notitia, quæ naturæ hominum insita est, quæ per sese hominum imprimitur animo, quæ est doctrina quædam ingenita & congenita conscientiæ nostræ, quæ denique ante primum nativitatis diem rationali animæ affigitur: Talem esse ideam ac notitiam Dei affirmant apertissime Patres: Ergo asserunt hanc summi Dei notitiam ac ideam ministerio sensuum non esse acquisitam.

Tertio loco probatur ratione Augustinianis testimoniis corroborata. In idea ac notione, qua Deum percipit communis hominum ratio, relucet infinitas, independentia, immutabilitas, & quæcunque alia perfectio: Idea hæc repræsentans debet esse ingenita, naturæ indita, anticipata, non comparata per sensus: Ergo esse debet congenita & naturæ inspirata idea ac perceptio, quæ nos reddit de existentia summi Dei certiores. Major propositio constat; eamque tradit Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 7. ubi ait: *Omnes pro excellentia Dei certatim dimicent, nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est*. Minorem vero hisce momentis demonstro. I. Hæc idea Dei in hominum mente firmissimum ac immutabile judicium parit: Non esset idonea hujusmodi judicii caussa, nisi esset congenita & naturaliter indita: Ergo indita est, congenita est. Prob. minor. Lex & regula firmissimi ac immutabilis judicii extra omnium corporearum, & finitarum rerum ordinem, quæcumque eæ sint, statui debet; nam omnis caussa debet effectum suum vel formaliter, vel eminenter in se continere; nulla autem res finita, mutabilis & creata tantam habet præstantiam, ut exhibere possit illam summæ perfectionis ideam; ideoque hæc neque a nobis ipsis proficiscitur, neque a parentibus, neque a præceptoribus, neque a contemplatione rerum aspectabilium. *Hæc autem lex*, inquit S. Pater Augustinus lib. de vera Religione cap. xxx. num. 56. *cum sit omnino incommutabilis, mens vero humana, cui talem legem videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris, satis apparet supra mentem nostram esse legem, quæ veritas dicitur*. Et paullo supra dixerat, absque ista incommutabili lege non solum de omnium artium præstantia, verum & de æqualitate & inæqualitate corporum, de locorum, ac temporum intervallis, de majoribus ac minoribus figurarum spatiis rectum fieri non posse judicium. *Quis est*, ait, *qui summam æqualitatem vel similitudinem in corporibus inveniat, audeatque dicere, cum diligenter consideraverit, quodlibet corpus vere ac simpliciter unum esse: cum omnia vel de specie in speciem, vel de loco in locum transeundo mutentur, & partibus constent sua loca obtinentibus, per quæ in spatia diversa dividuntur? Porro ipsa vera æqualitas ac similitudo, atque ipsa vera & prima unitas, non oculis carneis, neque ulla tali sensu, sed mente intellecta conspicitur. Unde enim qualiscumque in corporibus appeteretur æqualitas, aut unde convinceretur longe plurimum differre a perfecta, nisi ea quæ perfecta est mente videretur: si tamen quæ facta non est, perfecta dicenda est?* Vide & lib. ii. de lib. arb. cap. xii. num. 34. Quod si requiritur lex incommutabilis ac sempiterna, ut certum proferatur judicium de rebus aspectabilibus, quanto magis erit necessaria ad percipiendam sempiterni numinis existentiam?

Præterea: Sensuum ministeria hebetiorem ac tardiorem mentem reddunt, & veritatis assecutionem non juvant, sed retardant; Ergo inde certa, & invariabilis veritas non elucet: *Noli quærere quid sit veritas*, ait idem Augustinus lib. 8. de Trinitate num. 3. statim *enim se opponent caligines imaginum corporalium, & nubila phantasmatum, & perturbabunt serenitatem, quæ primo ictu diluxit tibi, cum dicerem, Veritas*.

Ad hæc: Quælibet idea mediis sensibus comparata non est semper eadem in omnibus; quippe corporei sensus educatione, ætate, rerum præsentia, locorum ac temporum intervallis commutantur: Sed idea Dei penes omnes homines cujuscunque ætatis, regionis ac temporis una est, eadem est, perpetua & incommutabilis est: Ergo hæc idea sensuum ministerio non comparatur. Augustini est argumentum istud lib. 2. de lib. arbitrio cap. 20. ubi ait: *Quapropter nullo modo negaveris esse incommutabilem veritatem hæc omnia, quæ incommutabiliter vera sunt continentem; quam non possis dicere tuam, vel meam, vel cujuscunque hominis; sed omnibus incommutabilia vera cernentibus, tanquam miris modis secretum, & publicum lumen præsto esse, ac se præbere communiter*. Plura afferrem,

nisi

nisi hactenus dicta ad explorandam Augustini mentem sufficerent.

Fortasse dicet aliquis Sanctum parentem Augustinum fuisse Platonicum, ac tandem Platonis dogmata retractasse. Sed hæc objicienti repono: utique Platonis philosophia magna ex parte purgatissimo Augustini arrisit ingenio; sed maximæ illi referendæ sunt gratiæ, quod cum videret statuendum esse immutabile judicii criterium, & commentitias jure censeret innumeras propemodum ideas a Platonicis excogitatas, & quæ Aristotelem, aliosque Philosophos a Magistro suo separarunt, necnon in orbem tantam Aeonum, Deorumque turbam invexerunt; Augustinus Platonis non discipulus, sed castigator, videns multitudinem idearum unam statuit æternam a Deo indistinctam, invictumque unius Numinis testimonium. In qua sententia adeo perstitit, ut illam in primo Retractationum cap. 4. his verbis firmaverit: *Sed hoc quoque improbo: credibilius est enim propterea vera respondere de quibusdam disciplinis etiam imperitos earum, quando bene interrogantur, quia præsens est eis, quantum id capere possunt, lumen rationis æternæ, ubi hæc immutabilia vera conspiciunt: non quia ea noverant aliquando, & obliti sunt, quod Platoni, vel talibus visum est*. Quo in loco retractat quidem quæ dixerat lib. 2. Soliloq. cap. 20. eruditos liberalibus disciplinis illas in se oblivione obrutas quodammodo refodere, & scientiam omnem esse reminiscentiam; sed antiquam de congenito sempiternæ veritatis lumine confirmat opinionem, imo per istam Platonicum errorem impugnat.

Denique probatur Propositio: Quod omnibus hominibus insita sit & congenita aliqua Dei notitia, consentiunt ipsi Scriptores Ethnici, ab impiorum pectoribus erumpente manifestissima veritate: Jamblicus enim in libro de Mysteriis, quem ex Græco Latinum fecit noster Nic. Scutellius, cap. 3. lib. 1. *Coheret*, inquit, *nostra ipsi substantiæ de Diis innata cognitio*. Cicero in 1. de natura Deorum: *Quæ gens unquam vel fuit, vel est aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quamdam deorum, quam Epicurus appellat* πρόληψιν, *idest anteceptam rationem, & animæ præviam rei quamdam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quæri, nec disputari possit*. Et Seneca Epistola 117. *Deos esse inter alia sic colligimus, quod omnibus de Diis opinio insita est: nec ulla gens usquam est a Deo extra leges, moresque projecta, ut non aliquos Deos credat*.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

Opp. 1. Hæc de ingenita Dei notitia opinio adversatur recepto in Scholis Axiomati: *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu*; imo Apostolo in Epistola ad Romanos cap. 1. v. 20. scribenti: *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus, & divinitas*: quibus verbis docet Paulus Creatoris existentiam non ex anteceptis ideis, sed probari tantum ex aspectabilibus creaturis. Quod repugnat communi Axiomati, & præsertim divinis litteris, absonum, & commentitium figmentum habendum est: Ergo commentitia censenda erit & absona opinio de ingenita Dei notitia.

Resp. nego majorem; quippe vulgare illud axioma, *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu*, exponi debet de perceptione rerum corporearum, & de acquisita, non vero de congenita, & antecepta. Aut si de ista quoque volumus axioma illud accipere, in eo tantum sensu a nobis admittitur, quod anima corpori colligata & immersa a rebus sensibilibus excitatur, ut ad inditam, atque anticipatam ideam advertat. Itaque juxta Peripateticorum, Epicureorumque mentem proloquium illud vulgare rejicimus, sicut & aliud, quo humana mens comparatur tabulæ dolatæ, in qua imago nulla sit picta. Cohærenter dicimus Apostolum asserere hoc unum, quod per creaturas elevamur ad notitiam Dei, quoniam videntes creaturas quaslibet esse finitas ac dependentes, & proinde non esse summum bonum ac summum verum, convertimus animum ad seipsum, ubi in idea summi boni ac summi veri Divinam existentiam attingimus. Audiamus Augustinum hæc omnia explicantem Enarrat. in Psalm. xli. num. 7. *Video enim quæ fecerit Deus meus, non autem video ipsum Deum meum, qui fecit hæc. Sed quoniam sicut cervus desidero ad fontes aquarum, & est apud eum fons vitæ, & in intellectum scriptus est Psalmus filiis Core, & invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: quid agam, ut inveniam Deum meum? Considerabo terram: facta est terra. Est magna pulchritudo terrarum, sed habet artificem. Magna miracula sunt seminum, atque gignentium; sed habent ista omnia creatorem. Ostendo magnitudinem circumfusi maris, stupeo, miror, artificem quæro: Cælum suspicio, & pulchritudinem siderum: admiror splendorem solis exserendo diei sufficientem, lunam nocturnas tenebras consolantem: mira sunt hæc, laudanda sunt hæc, vel etiam stupenda sunt hæc, neque enim terrena, sed jam cælestia sunt hæc: nondum ibi stat sitis mea: hæc miror, hæc laudo; sed eum, qui fecit hæc, sitio. Redeo ad me ipsum, & quis sim etiam ipse, qui talia quæro, perscrutor: invenio me habere corpus & animam; unum quo regam, aliud quo regar; corpus servire, animam imperare. Discerno animam melius esse aliquid quam corpus, ipsumque inquisitorem talium rerum non corpus, sed animam video, & tamen hæc omnia quæ collustravi, per corpus ea me collustrasse cognosco. Terram laudabam, oculis cognoveram; Cælum, sidera, solem, lunamque laudabam, oculis cognoveram. Oculi membra sunt carnis, fenestræ sunt mentis: interior est qui per has videt; quando cogitatione aliqua absens est, frustra patent. Deus meus, qui fecit hæc, non istis oculis est inquirendus. Aliquid etiam per seipsum conspiciat, utrum sit aliquid quod non per oculos sentiam, quasi colores & lucem; non per aures quasi cantum, & sonum; non per palatum & linguam, quasi saporem; non per totum corpus, quasi mollitiem, & duritiem, rigorem, atque fervorem, asperitatem, levitatemque pertractem; sed utrum sit aliquod intus quod videam. Quid est intus videam? quod neque color sit, neque sonus, neque odor, neque sapor, neque calor, aut frigus, aut duritia, aut mollitudo. Dicatur ergo mihi, quem colorem habeat Sapientia. Cum cogitamus justitiam, ejusque intus in ipsa cogitatione pulchritudine fruimur, quid sonat ad aures? quid tanquam vaporem insurgit ad nares? quid ori infertur? quid manu tractatur, & delectat? Et intus est, & pulchra est, & laudatur, & videtur: etsi in tenebris sunt oculi isti, animus illius luce perfruitur. Quid est illud quod Tobias videbat, quando videnti filio cæcus consilium vitæ dabat? Est ergo aliquid, quod animus ipse corporis dominator, rector, habitator videt; quod non per oculos corporis sentit, non per aures, non per palatum, non per corporis tactum, sed per seipsum: & utique melius quod per seipsum, quam quod per servum suum. Est prorsus: seipsum enim per se ipsum videt, & animus ipse, ut norit se, videt se. Nec utique ut videat se, corporalium oculorum quærit auxilium; immo vero ab omnibus corporis sensibus, tanquam impedientibus, & perstrepentibus abstrahit se ad se, ut videat se in se, ut noverit se apud se*. Hactenus Augustinus demonstrans quomodo res corporeæ nos ad percipienda invisibilia manuducant, revocando animum ad seipsum, in quo summa veritas non per sensus, sed per inditam ipsi animo perceptionem conspicitur.

Insurges: Quum a rerum aspectabilium contemplatione in Dei notitiam assurgimus, idea & conceptus summi boni efficitur per negationem finitatis, dependentiæ, aliarumque imperfectionum, quas in creaturis deprehendimus: Idea ergo Dei non ingenita & indita est, sed acquisita.

Resp. nego ant. Si enim recitata verba Augustini attentissime legeris, non icciroo percipitur summum bonum, independens, infinitum, æternum, quoniam res creatæ sunt dependentes, finitæ, temporales; sed contra creatæ res deprehenduntur finitæ & imperfectæ, propterea quod a summo ac perfectissimo bono deficiunt; idest quia habent artificem, & longe absunt a perfectione auctoris, qui interiori percipitur animo. Ergo non infinitum per ideam finiti, sed finitum per ideam infiniti dignoscitur; nam quod intrinsece est limitatum, & variabile, non potest esse certa regula firmissimæ atque incommutabilis veritatis. Vide alia Augustini verba in 3. prob., cui assentitur Boetius lib. 3. de Consolat. Philosoph. Prosa 10. ubi ait: *Omne, quod imperfectum esse dicitur, in diminutione perfecti imperfectum esse perhibetur*.

Insistes: Si idea ex rebus aspectabilibus comparata non potest esse certissimum judicii criterium, quia creaturæ omnes finitæ sunt ac mutabiles; ergo neque Deum potest repræsentare idea ingenita atque antecepta, cum & ipsa creata sit, ideoque coarctata ac finita.

Respondent aliqui ideam creatam ac finitam non posse repræsentare Deum adæquate, bene tamen inadæquate. Verum videtur mihi hæc responsio totum ideæ ingenitæ systema pervertere, neque argumento satisfacere. Evertit ideas ingenitas, quia inadæquate Deum repræsentant etiam ideæ ex creaturarum contemplatione formatæ. Non satisfacit argumento, quia idea creata semper in se finita est, & consequenter nequit esse ullius judicii, etiam inadæquati, constans, & immutabilis regula. Cartesiani vero aliqui respondent, esse quidem creatam ejusmodi ideam; sed tamen spectari posse dupliciter; primo modo, quatenus esse *formale, & proprium in mente nostra habet*: deinde *secundum esse Vicarium*: & priori modo a nobis pendere, & esse pro lubitu variabilem, idest posse nos libere cogitare, vel non cogitare: secundo autem modo habere caussam necessariam, exhibere infallibiliter veritatem, neque penes nos esse, aliter, atque aliter de eadem re, quæ vera sit judicare. Ita Cartesii mentem explicat Antonius Le Grand Instit. Philosoph. P. 2. cap. 2. num. x.

At juxta Augustini principia responderem, quod lex illa, per quam mens rationalis de rebus certa judicia pronuntiat, non est perceptio, aut aliquid se tenens ex parte potentiæ tantummodo; sed ipsum lumen indefectibile veritatis perenniter menti assistens, & perceptionem illam in intellectu producens. Constat id ex hactenus dictis, quoniam omne creatum intrinsece mutabile debet esse: & expresse infertur ex verbis S. P. Augustini libro de vera Religione cap. xxxi. *Nec jam illud ambigendum est, incommuta-*

mutabilem naturam, quæ supra rationalem animam sit, Deum esse; & ibi esse primam vitam, & primam essentiam, ubi est prima Sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium recte dicitur, & ars omnipotentis artificis. Itaque ad argumentum dist. consequens: ipsa idea ingenita creata est, quatenus dicit perceptionem rationalis animæ, concedo: quatenus dicit indefectibile lumen, quo hæc perceptio producitur, nego.

Urgebis adhuc: Si ipsum indefectibile lumen humanæ menti perpetuo adesset, rationalis creatura intuitive Deum videret, & quidem naturaliter: Hoc damnatum est a Viennensi Concilio, & improbatum a Patribus, qui ad hujusmodi Visionem requirunt Lumen Gloriæ: Ergo rationali animæ illud lumen indefectibile minime illabitur.

Resp. dist. ma. Videretur a creatura rationali intuitive Deus, si ei adesset indefectibile lumen per modum naturalis legis exhibens solam existentiam Dei, & ceteras divinas perfectiones confuse, atque inferens perceptionem ænigmaticam; nego. Videretur intuitive, si lumen istud æternum mentem illustraret, & adesset per modum specialis objecti, præsentans distincte omnem divinam perfectionem, inferensque cogitationem vividam, claram, plenissimam; conc. Atque me explico ex ipso Peripateticorum systemate. Docent hi oculum intueri propria sensatione colores, non tamen videre perspicue illam speciem, quæ oculo colores præsentat. Quare? Propterea quod species illa ad visionem tanquam medium, non tanquam speciale objectum concurrit. Parisiformiter non intuebimur Deum vivide & clare, dum in corpore vivimus, eo quod indefectibile lumen est præsens menti, quatenus medium est, & naturalis lex discernendi, non prout est objectum speciale, quod perspicua cognitione percipiatur. Adde animam corpori colligatam, & mutabilibus phantasmatibus addictam non posse lumen illud propria sensatione percipere, esto ratione hujus luminis cetera omnia cognoscat: quemadmodum existens in Theatro, & scenicis objectis immersus, hæc vivide conspicit medio lumine; quod tamen in homine comicis distracto vividam sui perceptionem non excitat. Porro Viennense Concilium, ac Patres damnant eos, qui arbitrabantur Deum absque superno lumine gloriæ posse vivida, speciali, & plenissima perceptione videri; quales fuere Beguardi, aliique; de quibus alibi. Illam vero imperfectam, & ænigmaticam Dei visionem adstruit beatus Paulus I. ad Corinthios cap. XIII. v. 12. *Neque enim quod ait Apostolus, Videmus nunc per speculum in ænigmate, &, Nunc scio ex parte, non cernitur mente: cernitur plane, sed beatissimos nondum facit. Illud enim beatissimos facit, quod ait, Tunc autem facie ad faciem, &, Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum*: ait S. P. Aug. lib. I. Retract. cap. XIV. num. 2. Lege & libri X. caput IX.

At rursus persistes: Si ea veritas incommutabilis, quæ Deus est, naturaliter illucet rationali creaturæ, igitur hæc naturaliter in Deum tendet, naturaliter habebit in se fidei semina, naturaliter erit Christiana: quæ profecto Semipelagianismum redolent.

Resp. non sapere Semipelagianismum, si quis asserat esse in nobis naturalem perceptionem Dei ut Auctoris naturæ, & in hunc rationalem creaturam naturaliter tendere; sed Semipelagianorum hæresis est in viribus naturæ initialem gratiam, & fidei locare primordia. Fides equidem ea, quæ sunt ordinis naturalis, non spectat, sed superiora, & recondita, quæ nequeunt naturali lumine hominibus innotescere, ut sunt Trinitas, Incarnatio, aliaque revelata. Neque Dei existentia objectum est fidei, nisi prout creditur propter testimonium Dei revelantis, atque parati sumus illam fateri, quamquam naturali obvia non foret rationi. Quod si fides ampliori quadam significatione accipiatur, nempe pro quacunque notitia Dei; nullus negat indita cuique semina Christianæ fidei. Sed ista minus proprie dicitur fides, eoque tantum sensu, quo Tertullianus loquens de iis, qui licet falsis diis mancipati sæpe sæpius Deum nominant, cap. XVII. Apologetici clamat: *O testimonium animæ naturaliter Christianæ!*

Opp. 2. Congenita idea Dei vel est habitus, vel est actus: non est actus quoniam omnis actus elicitur, & non infunditur; non est habitus, quia homini indita est sola naturalis facultas intelligendi: Ergo hæc idea Dei congenita fictitia est. In hoc argumento satis deprehendi insitæ ideæ figmentum existimat eruditus Theologus Nicolaus L'Herminier.

Resp. Ideam si accipiatur pro sola mentis perceptione esse actum; nec tamen elicitur a sola humana mente, ut supra diximus: si vero sumatur pro lumine, & incommutabili lege veritatis, datur per modum habitus, neque est sola facultas naturalis intellectionis, ut videtur fateri Honoratus Tournely; sed ipse Deus nobis intime præsens, tanquam perpetua regula ac norma, ad quam judicia nostra exigantur.

Opp. 3. Idea innata Dei vel est notitia alicujus Dei, qualiscunque ille sit; vel idea ac notitia Dei, ut est summum bonum universe; vel idea entis perfectissimi præcise: non est idea qualiscunque Dei aut veri, aut falsi, quia hæc idea non datur; non est idea Dei, prout Deus est summum bonum universe; si enim idea Dei, & idea summi boni promiscue accipiantur, sequitur Gentes, quæ Deum ignorant, nunquam peccare, nam quivis homo etiam Ethnicus semper agit propter bonum, ideoque semper propter Deum: non est denique idea entis perfectissimi præcise; quicunque enim fatentur se habere ideam entis perfectissimi, non admittunt propterea existentiam Dei; cum Epicurei, Spinosa, & alii Athei, qui ens aliud non agnoscunt præter mundum universum, fateantur se habere ideam entis perfectissimi, & tamen negent Dei existentiam. Agitur ergo de idea veri Dei, prout est mundi auctor, & rector; sed hujusmodi idea non est innata sed adventitia: Ergo, &c. Ita ratiocinatur idem L'Herminier.

Resp. Ideam Dei nobis ingenitam esse ideam summi boni, ac perfectissimi entis. Neque hinc infertur Ethnicos semper agere propter Deum, & nunquam peccare; quum rationem summi boni constituant sæpenumero in eo, in quo constitui non debet. Insuper ad agendum propter Deum non sufficit agere universe propter bonum, sed opus est ut agatur propter summum bonum; nam Deus non est bonum qualecunque, sive verum, sive apparens, sive finitum, sive infinitum; sed summum bonum, infinitum bonum, verum bonum. Ideam vero summi boni, ac perfectissimi entis, quam affirmant se habere Athei, quis non videat esse ideam perverse confictam, non inditam nobis, atque anteceptam? Summum bonum quamlibet perfectionem complectitur. Itaque cum aut Epicurus, aut Spinosa, aut quisvis Atheus in Mundo omnem perfectionem deprehenderit, tunc poterit jure merito ideam perfectissimi entis cum idea mundi confundere. Verum perdet operam; nam si circumeat universas creaturas quærens summum bonum, undique illæ clamabunt: *Quære super nos, non sumus*. Creatio denique, & qualecunque opus ad extra, libere fit a Deo, ideoque in ingenita notitia Dei non relucet: sed Deus concipitur ut mundi auctor, & rector per ideam ex ejus operibus acquisitam.

Opp. ultimo Henno: Habitus primorum principiorum sufficit ut firmissimum proferatur judicium: Sed habitus primorum principiorum est acquisitus: Ergo habitus acquisitus sufficit ut judicium certissimum proferatur.

Resp. eadem brevitate, qua Henno argumentationes omnes conglutinat, nego minorem: habitum enim primorum principiorum, qui sit irrefragabilis veritas, nullum agnosco præter ideam ipsam ingenitam, & intime nobis assistens indefectibile lumen.

PROPOSITIO II. Supposita idea congenita Dei singulis hominibus insita, facile demonstratur Deum ipsum existere.

Prob. Quælibet idea habet caussam, in qua aut formaliter, aut eminenter præcontinetur: Idea entis summe perfecti, ut ostendimus Propos. præcedenti, neque formaliter, neque eminenter in creaturis præcontinetur: Ergo creaturæ nequeunt esse caussa ideæ entis summe perfecti; & consequenter hæc idea ab ipso Deo proficiscitur. Et confirmatur: nam, ut ex dictis constat, quidquid in idea congenita, & clara alicujus rei elucet, id firmissime, & absque erroris periculo debet de eadem re enunciari: In idea Dei, quæ exhibet notionem summi boni, ideoque cujusque perfectionis, elucet quoque existentia, cum & ipsa sit aliqua perfectio rei: Ergo existentia invicto, certoque judicio debet enunciari de Deo. Quibus argumentationibus utuntur non solum Platonici, & Cartesiani Philosophi, sed etiam S. P. Augustinus lib. VIII. de Civit. Dei cap. 6., in quo ubi ostendit inesse animis hominum speciem intelligibilem rerum, infert hanc speciem, si est prima & incommutabilis, esse incomparabilem, in eaque omnem contineri perfectionem, ideoque rectissime ex ea consequi quod existat rerum omnium principium.

Opp. 1. Tametsi in idea substantiæ cogitantis actualis existentia reluceat, & in idea creaturarum existentia possibilis; nihilominus certus non ero substantiam cogitantem actu existere, aut creaturam existere posse, nisi supposita divina providentia ac veracitate, quæ non patitur quemlibet hominem decipi: Ergo etiamsi in idea, ac notione entis summe perfecti resplendeat existentia actualis, non proinde certus ero de summi Numinis existentia, nisi divina veracitate supposita: & consequenter prædicta argumenta petunt principium, idque supponunt quod probant. Antecedens admittitur a Cartesio, qui medit. III. ait: *Sum certus me esse rem cogitantem. Unde vero certus sum? quia claram & distinctam ejus habeo perceptionem. Quid si etiam hic me Deus fallat, ut id clare, & distincte percipere mihi videar, quod nihilominus falsum est? Fieri sane potest. Examinare igitur debeo, quamprimum occurret occasio, an sit Deus, & si sit, an possit esse deceptor.*

Resp. nego antecedens, non enim Cartesium nos undequaque sequimur, sed Augustinum. Ab illo dialelysmon & circulum committi contendit Huetius Censuræ cap. IV. n. X. quippe revera probat Deum existere, quia ego cogito, & vera est idea quæ est in me; & deinde probat veram esse ideam quæ est in me, quia Deus est, & non potest esse deceptor. Scribit etiam Wulzogenius in Critica Meditationis III. Cartesium binis præcedentibus Medd. inanem lusisse operam, quippe antequam demonstret esse Deum qui non possit decipere, nequit certus esse, id esse

verum,

verum, quod de sua natura clare, & distincte sibi visus est percepisse, se nimirum esse substantiam cogitantem. Itaque nos cum Augustino idearum ingenitarum nomine non intelligimus solam perceptionem mentis, sed legem incommutabilem, & indefectibile lumen, ut satis in superiori Proposit. explicavimus. Idea sic accepta non est clara & certa supposita divina veracitate, sed e contra certi sumus Deum esse veracem, quoniam veracitas relucet in idea entis undequaque perfecti. Ex quo autem hæc idea sit ipsum divinum lumen increatum, ideoque ipsemet Deus, non consequitur nos quoque peccare διὰ κύκλου, per circulum, ac petitionem principii: siquidem idea non est divinum lumen prout existit in se, sed divinum lumen prout est nobis intime præsens; & consequenter non proficiscitur nostra argumentatio a præsupposita divina existentia ad hanc eamdem probandam; sed a manifesta existentia divini luminis in mente nostra ad demonstrandam Dei existentiam in se.

Opp. 2. Ex quo in idea E. G. trianguli dilucide percipiatur non posse dari triangulum, cujus tres anguli non sint duobus rectis æquales, non consequitur existere actu triangulum: & ex quo in conceptu ideaque creaturæ existentis reluceat perspicue ipsamet existentia, non proinde certi sumus creaturam existere: Ergo neque certo percipimus extare Deum, ex eo quod in idea clara Dei obvia sit existentia.

Resp. nego consequentiam, & paritatem. Etenim in nulla idea ingenita cujusque creaturæ venit existentia actualis: ad essentiam quippe rei creatæ pertinet duntaxat quod possit esse, non quod sit actu. Quapropter idea creaturæ actualiter existentis est idea factitia, non antecepta. Hæc videntur statuta idea cuique insita facile a Cartesianis explanari, ut ab Edmundo Purchotio cap. II. Pneumatologiæ 1. & 2. argum. metaphysico, & Antonio Le-Grand loc. cit.

PROPOSITIO III. Quod idea entis perfectissimi, ex qua modo demonstrabatur Deum esse, reapse sit cuique congenita, & indita, non est ita certum, ut ex ea possint Athei evidenter convinci: at certum est dari hanc ideam aut insitam, aut a sensibus haustam, ex eaque divinam probari existentiam.

Habet hæc propositio duas partes, quarum prima est contra omnes Cartesianos, qui arbitrantur se demonstrare ideas congenitas probationibus geometricis, non probabilibus tantum ac plausibilibus: altera pars revocari nequit in dubium.

Itaque primam Propositionis partem sic ostendo. In primis, si dixeris pluribus Theologis hujus, atque antiquioris ætatis, datur notitia Dei anticipata & ingenita, quæ non comparatur per sensus, hi salva Fide ideam istam dari negabunt: Ergo a fortiori poterunt eamdem ideam negare Athei.

Deinde: Probaturus adversus Atheos existere hanc ideam, aut conaberis id efficere sacris literis, aut Patrum testimoniis, aut natureli ratione. Si urgeas divinarum Scripturarum auctoritatem, Atheus eas spernit; quin & Theologi plurimi illas interpretantur non recurrendo ad ullam hujusmodi ideam; cujus existentia si expresse comprobaretur ex sacris literis, pertineret ad fidem: quod nemo potest asserere. Si provocas Atheum Sanctorum Patrum sententiis; in eumdem incidis scopulum: nam pervicax ille Atheus Patrum doctrinæ non credit, & surdo canis. Fidelis vero Sanctorum dicta libenter excipit; sed ea non prorsus absurde exponit de notitia acquisita, non de antecepta. Ergo cum Atheis retione, non auctoritate certandum est. Jam vero cogeris ostendere congenitam ideam Dei argumentis a ratione petitis: quæ ad duo capita revocabuntur, sive ad perceptionem Cartesii, sive ad legem incommutabilem, quam ego cum Augustino propugno. Atqui neutra nedum Atheo, verum nec unicuique fideli firmissimum extorquet assensum.

Loquamur de sententia Cartesii. Hujus doctrinæ prolixius expositæ hæc est summa: Cum ego sim substantia cogitans, ideam entis perfectissimi in mente habeo: Hæc idea a me non proficiscitur, quia ejus objectivam realitatem non æquo: Ergo alia præter me illius ideæ existit caussa. Principio indubitanter asserit se esse substantiam cogitantem, quod ait posse in dubium revocari, nisi prius examinetur, num sit Deus, & possit esse deceptor: quod ait Huetius evertere quod Cartesius molitur, & esse jocularem petitionem principii. Deinde affirmat se habere dum cogitat ideas in mente, & utique innatas. Quamdiu non noverit Deum deceptorem non esse, dubitare debet, an ideæ quas habet sint mera phantasmata, aut maligni spiritus illusiones: cumque omni sensu non careat, erunt fortassis hæ ideæ imagines rerum per sensus perceptarum, quæ adhuc ejus menti obversentur. Ait inter alias ideas, se habere ideam entis perfectissimi, & hanc a se distinctissime percipi. Sed videtur aliquibus rem implicatam narrare; quandoquidem si talis idea distincte percipitur, habet realitatem subjectivam finitam ac terminatam, ideoque finita ac terminata erit quoque realitas objectiva: & si dixerit ideam illam non repræsentare infinitum in tota sua latipatentia; non erit hæc idea infiniti, quemadmodum non erit imago hominis, quæ extremum refert capillum. Docet sa non esse caussam illius ideæ; sed cum ipse Cartesius fateatur ideam nullam ex se realitatem formalem exigere, præter illam quam mutuatur a cogitatione, cujus est modus, sequitur quod idea habeat ab ipsa cogitatione etiam realitatem objectivam, & quod caussa hujus ideæ sit ipsamet cogitatio, non Deus. Præterea cum non sit, ut modo dicebam, nisi idea ac perceptio finita, poterit aliunde proficisci, quam a re infinita, ac summe perfecta. Ire eludit præfatum argumentum Cartesii Wolzogenius; qui breviter a me dicta late explicat, & amplioribus notis confirmat. Addit Huetius, Cartesium sese proprio gladio jugulare; aperte enim fatetur quod non possit percipi Infinitio rei infinitæ, nisi negative: ideoque percipitur res infinita per ideam finiti, non e contra, ut alibi affirmat; atque hanc manifestissimam repugnantiam non satis candide ab ipso excusari in Epistola xv. & xvi. Tom. 2. Vide Censuram Huetii loco cit. num. iii. & iv.

Alterum Cartesii argumentum eadem facilitate convellitur; tum quia perceptio quæque, licet clara, est finita & variabilis, & per consequens non potest esse incommutabile veritatis criterium; tum etiam quia Cartesiani asseverenter docent, posse Deum efficere ut vera sint, quæ clarissima perceptione nobis videntur esse falsa. Ergo, inquit Huetius cap. ii. num. xii., fieri quoque potest, ut clare, & distincta perceptio non sit norma veritatis. Itaque hujusmodi argumentatio: Datur idea ingenita qualis adstruitur a Cartesio, Ergo datur Deus, non est contra Atheos invictissima, quia potest impune negari antecedens.

Videamus modo de idea cuique indita, qualem statuimus ex Augustino. Noster Ariminensis Dist. iii. q. iv. art. 1. duplici via omnia S. Patris loca explicat absque Dei notitia congenita. Primo animadvertit quod aliquid cognosci in veritate superna potest diversa ratione explanari; vel enim cognoscitur objective, sive ut in objecto cognito, quemadmodum res absentes percipiuntur in propria specie: vel cognoscitur caussaliter, sicuti color dicitur videri in lumine, non quod videatur in eo tamquam in medio cognito, cum color videatur immediate in seipso, sed quia lumen est partialis caussa visionis, qua color in se videtur. Augustinus itaque affirmat omnia cognosci in prima veritate secundo modo, idest caussaliter, non objective; tamquam in lumine quod est caussa nostræ perceptionis, non tamquam in idea, sive specie. Et revera Augustinus lib. 2. de lib. arbitrio cap. 17. ait: *Sicut multa, & diversa sunt, quæ in luce solis vident homines, lux tamen ipsa una est; ita lux sapientiæ, in qua ipsa videri possunt, omnibus sapientibus est una communis.* Quo in loco S. Pater supernam veritatem comparat luci, quæ caussat visionem rerum corporearum, quæ tamen in seipsis videntur, & non in luce. Hæc non diffitentur Peripatetici; qui existimant omnem notitiam esse haustam a sensibus. Quis enim sanæ mentis neget unquam, primum ac summum verum ad nostras perceptiones tamquam caussam concurrere?

Præterea observat Gregorius, quod S. Pater in eodem libro de libero arbitrio cap. 4. volens ostendere Deum esse, incipit a rebus immediate notis, puta, quod nos sumus, vivimus, & intelligimus; & deinde progreditur per gradus perfectionum, quia scilicet viventia præstantiora sunt iis, quæ tantum sunt, & intelligentia iis, quæ tantum sunt, & vivunt; & tandem probat quod sit veritas, quæ mentibus nostris est præstantior, & inde concludit Deum esse, idque præstat quoque in viii. de Civit. Dei cap. 6. & Enarrat. in Ps. 41. *Ex quibus apparet*, ait Ariminensis, *quod notitia Dei non est prior, nec ex illa proceditur ad notitiam aliorum: sed e contra ex aliis nobis notis probatur esse aliquam veritatem primam incommutabilem; ex qua caussaliter nota sunt nobis quæcumque incommutabiliter vera sunt.* Eadem ratione Augustinianam sententiam expediet Thomista cum suo Angelico Præceptore; qui 1. Parte quæst. xii. art. xi. ad 3. hæc habet: *Omnia dicimur in Deo videre, & secundum ipsum de omnibus judicare, in quantum per participationem sui luminis omnia cognoscimus, & dijudicamus. Nam & ipsum lumen naturale rationis participatio quædam est divini luminis, sicut etiam omnia sensibilia dicimur videre, & judicare in sole, idest per lumen solis. Unde dicit Augustinus primo Soliloquiorum, Disciplinarum spectamina videri non possunt, nisi aliquo velut suo sole illustrentur, videlicet Deo.* Ita nimirum absque ulla idea congenita & antecepta depromptis ex Augustino argumentis occurrunt.

Hæc nullatenus nos a statuta superius congenita idea Dei debent removere: nam Philosophiæ Cartesianæ Censoribus respondendum est, a nobis non in sola perceptione, sed in æterno & indefectibili lumine, quod proculdubio realitatem habet objectivam, hanc ideam constitui. His vero, Gregorio videlicet, ac D. Thomæ in eo assentior, quod sempiternum lumen est caussa nostræ perceptionis: sed nego istud æternum lumen immediate in se non videri, nec in se videri lumen solis, quando per illud corporea conspicimus. Utique lumen non videmus intuitive, propterea quod concurrit ad visionem tamquam medium, non tamquam objectum, quod propria sensatione percipiatur. Videtur tamen, & videtur in se, & per illud res corpo-

veræ videntur, non contra illud videtur per res corporeas. Idem affirmamus de sempiterno veritatis lumine relate ad quælibet intelligibilia. Supra rem totam in Resp. ad 1. Oppos. explicavimus. At quorsum hæc? Ingenue fatendum erat, sententiam de anteceptis ideis non omnibus probari, neque ex hoc fonte hauriri invictissimum contra Atheos argumentum.

Ceterum, quod erat altera pars Propositionis, datur notitia entis perfectissimi, aut sit naturaliter indita, aut acquisita: Ergo datur Deus. Probatur consequentia: Si hæc idea & notitia est ingenita, nullam aliam habet caussam nisi lumen incommutabile veritatis, imo hoc ipsum incommutabile lumen nobis intime assistens est ipsa idea: Lumen istud indefectibile veritatis est Deus: Ergo si datur notitia ingenita Dei, datur Deus. Atque hoc argumentum ex 1. & 2. Proposit. satis corroboratur. Si vero hæc idea entis summe perfecti sit e sensibus hausta, ita argumentor: Efficitur idea summi boni, summi veri, summe perfecti, quia inter creaturas conspicimus unam magis bonam, magis veram, magis perfectam altera, ideoque creaturæ magis, minusve approximantur bonitati, veritati, & perfectioni, quæ sic ceteris supereminet, ut superiorem non habeat: Sed bonitas, veritas, & qualiscumque perfectio, quæ ita ceteras antecellit, ut superiorem non habeat, est Deus: Ergo si datur idea entis summe perfecti etiam a sensibus hausta, existit Deus. Utitur hoc argumento Augustinus Enarrat. 2. in Ps. 26. & lib. VIII. de Civit. Dei cap. 6. Anselmus in Monologio cap. 4. Richardus Victorinus lib. 1. de Trinitate cap. 11. D. Thomas quæst. 2. art. 3. Prob. 4. Ægidius noster dist. 3. p. 1. princ. 1. art. 3. Philosophi ac Theologi omnes: explanatque illud diserta eruditione Petavius lib. 1. cap. 2. num. VI. VII. & VIII.

Opp. 1. Ex pluribus creaturis, quarum una magis participat rationem mali quam altera, non potest hauriri idea summi mali existentis. Ergo ex pluribus creaturis, quarum una est altera melior, effici nequit notio existentis summi boni.

Resp. ideam summi mali existentis commentitiam esse, ac repugnantem. Quid est enim malum, nisi alicujus boni defectus? Igitur summum malum oportet omni careat bonitate: At existentia est bonum aliquod: Nequit ergo summum malum percipi cum existentia. Bonum contra est perfectio carens aliquo malo: erit itaque omne bonum expers quacumque malitia: Atqui non existere aliquod malum est: Ergo omne bonum concipi numquam potest absque existentia. Quamobtem nego præfati argumenti consecutionem.

Opp. 2. Ex quo detur unus E. G. color lucidior altero, unum animal alio perfectius, minime sequitur dari colorem lucidissimum, aut perfectissimum animal: Igitur ex quo aliqua creatura sit melior altera, frustra arguitur quod existat res optima, & singulis creaturis præstantior.

Resp. retorquendo argumentum: nempe ex quo unus color præcellat alteri recte consequitur dari albedinem, quæ est color aliis lucentior; & ex quo unum animal superet aliud infertur existere hominem, animal rationale brutis perfectius. Ergo ex quo una res sit melior altera probatur dari rem optimam singulis rebus præstantiorem. Verum tamen est, quod in idea hujus coloris vividioris, scilicet albedinis, atque in idea istius animalis rationalis, videlicet hominis, non relucet infinitas, neque necessaria existentia; quoniam idea infinitatis repugnat cum idea rei finitæ, cujusmodi est quilibet color; & idea necessariæ existentiæ adversatur ideæ rei contingentis, cujusmodi est quodcumque animal. At idea infinitatis comprehenditur e contra in idea summi boni; quandoquidem idea summi boni qualemcumque exhibet perfectionem: infinitas autem aliqua perfectio est. Sed de ideis, quantum Augustiniani Theologi intererat, hactenus.

S C H O L I O N.

„ DE *ideis*, quarum vocabulum a græco verbo εἴδω,
„ *video*, derivatum est, perplexa est apud Philoso-
„ phos quæstio, ac majorum hominum numerus innatas in-
„ genitasque videtur abjicere. Disserui de iis juxta Philo-
„ sophiæ rudimenta, quibus nostrates, dum hæc manda-
„ bam litteris, imbuebantur. Nunc ita statuendum puto.
„ *Ideæ* istæ, rerumque *species* non sunt ipsæ mentis perce-
„ ptiones, motionesque cerebri, sensoriorumque organo-
„ rum: quique id autumant cum Lockio, & Hobesio,
„ animam non esse immortalem & a re corporea distin-
„ ctam facile sibimet persuadent, cum insanæ mentis deli-
„ ramento fideique jactura. Si ideas intellectuales ab ex-
„ citatione corporeorum organorum sejunctas *in mentis per-*
„ *ceptione* sitas esse affirmaveris, tolerabilior erit opinio,
„ non tamen anticipatis inditisque ideis incommutabilem
„ veritatem exhibentibus accommodata; siquidem nec per-
„ ceptiones mentis existunt *immutabiliter*, nec semper ani-
„ mus cogitat, objectaque contemplatur. Sententiam quo-
„ que Nicolai Malebranchii asserentis Deum humanæ men-
„ ti κατὰ οὐσίαν, *secundum essentiam* uniri, atque in
„ ejus lumine cuncta a nobis cerni & cognosci, passim
„ rejiciunt recentiores Philosophi; quorum nonnulli pu-
„ tant eamdem sententiam viam sternere *Spinosismo*,
„ Deumque cum anima mundi, materieque tenuissima, &
„ undique diffusa, confundere. Quamquam aliud revera
„ est, Deum cunctis adesse, mentem occulta veritatis, quæ
„ ipsius natura est, virtute illustrando, aliud animam di-
„ vinæ essentiæ participare incommutabilem perfectionem,
„ illiusque quasi esse portionem abscissamque particulam;
„ quemadmodum aliud est oculum colorata objecta attin-
„ gere adjutum lumine solis; aliud vero lumen istud ocu-
„ lo videnti κατὰ οὐσίαν, *essentialiter*, conjungi. Quæ
„ insuper Lucretius, ceterique Epicurei autumarunt, nil
„ esse aliud ideas præter imagines quasdam, seu idola ab
„ objectis corporeis ad cerebrum advolantia, nobis expli-
„ care nequeunt quomodo simulacra illa, & imagines per-
„ cipi a nobis queant, nec sese invicem collidant, & fran-
„ gant, fibrasque cerebri concutiendo & vellicando efficiant
„ animi cogitationes. Sunt quoque placita ejusmodi rudi-
„ menta quædam viam sternentia ad animorum immorta-
„ litatem, & spirituales atque a materia extensa secretas
„ substantias cum atheis denegandas; nisi forte dixeris ad
„ illam sensibilium idolorum incursionem & cerebri com-
„ motionem, inditam spiritualis animi facultatem, ob cor-
„ poris suique harmoniam, legemque admirandam, quodam-
„ modo excitari, ut ad ea, quæ sibi objiciuntur, intuen-
„ da contemplandaque convertatur; eo ferme pacto, quo
„ per sensationes excitari ideas ingenitas Cartesiani con-
„ tendunt. Sed has ideas existere, ut diximus, non est
„ adeo, ut jactitant, exploratum: immo experientia com-
„ pertum est, nullas mentis nostræ ideas affulgere, ante-
„ quam sensuum utamur officio. Enimvero animas spiri-
„ tuales jam rerum imaginibus exornatas e superiori vita
„ ad corpora tanquam ad pœnalem carcerem ob perpetrata
„ crimina delabi, deliramentum est Platonicorum, Orige-
„ nistarum, & aliorum, qui pro suo arbitratu, nulla du-
„ cti ratione, nulla præcedentis & ad libidinem confictæ
„ vitæ reminiscentia & cognitione suffulti statuerunt ea-
„ rumdem animarum circulum atque transmigrationem.
„ Quoniam vero anima creatur, dum corpori inseritur;
„ quisnam asserere potest puerulos, dum maternis claudun-
„ tur visceribus, per congenitas rerum species ideasque ali-
„ quid reipsa cogitare ac percipere? Certe nullus morta-
„ lium quid unquam perceperit, aut cogitaverit, reminiscitur;
„ eademque ratione, si quis oppositum asserat, refelli po-
„ terit, qua confutantur propugnantes Platonicam illam,
„ & commentitiam præexistentiam animorum. Id enim,
„ cujus neque experimentum, neque rationem, neque re-
„ miniscentiam proferre possumus, a nobis frustra gratisque
„ affirmatur. Quod si aliquis etiam parentis occlusus ute-
„ ro rationis fungeretur officio; id non absque sensuum
„ ministerio nativitatem præveniente contingeret, gratia
„ præcurrente naturam, ut legimus de Domini beatissimo
„ Præcursore Joanne. Sane nunquam ego in mente mea
„ anticipatam aliquam congenitamque ideam deprehendi,
„ sed tantum post vocabulorum sonum atque explicatio-
„ nem exerere cœpi aliquod mentis opus. Ad innatas ideas
„ referri docent, quod in substantia cogitante percipiatur
„ existentia, in triangulo intelligantur adesse tres anguli,
„ in monte agnoscatur subjacens vallis, aliaque id genus
„ complura: verum non antea mihi notiones istæ advene-
„ re, nisi postquam assecutus fui substantiæ, trianguli,
„ montisque naturam, hisce auditis intellectisque nomini-
„ bus. Demum (neque enim in his, quæ ad jura spe-
„ ctant Philosophorum, fas mihi est immorari diutius)
„ nihil verius, quam id, in scholis sæpe sæpius repetitum,
„ aliam esse speciem *impressam*, aliam *expressam*, siquidem
„ objecta quælibet contemplando, aliqua menti nostræ
„ obversatur imago: atque dum loquimur, verbum quod
„ foris sonat, illius, quod latet in mente, imago quædam
„ est & figura. Quid sit autem species illa *impressa*, iis-
„ dem, quas paullo supra leviter attigimus, subjicitur dif-
„ ficultatibus.
„ In hac rerum ambiguitate censeo essentiam animæ non
„ in actuali cogitatione & perceptione consistere; sed in re
„ persistente, cui inest facultas cogitandi ac percipiendi: nam
„ cogitatio ac perceptio actus mentis est pertransiens, mutatio-
„ ni obnoxius, & adventitius: anima vero substantia, perma-
„ nens, immortalis. Puto autem affirmasse Augustinum, secum
„ animam notiones rerum ideasque attulisse, quemadmodum
„ in libro de quantitate animæ cap. 20. ait secum attulis-
„ se *omnes artes*: quod in primo Retractationum non alio
„ pacto accipiendum esse monet, nisi *quia natura intelligi-*
„ *bilis est, & connectitur non solum intelligibilibus, verum*
„ *etiam immutabilibus rebus, eo ordine facta, ut cum se*
„ *ad eas res movet, quibus connexa est, vel ad se ipsam,*
„ *in quantum eas videt, in tantum de his vera respondeat.*
„ Ratio autem, quæ semper inest menti, & qua duce
„ scientiam acquirit, tum ad incognita ducit, quando ve-
„ luti quodam adspectu vel in seipsam, vel in ea, quæ se-
„ cum connectuntur, acie intellectionis convertitur, & a
„ sensatione progreditur ad cognitionem rerum, quas sen-
„ su minime attingit, ut dum ex fumo adesse ignem ap-
„ prehendit. Quare sensus a mente, & visio oculi a co-
„ gnitione rationi innixa distat plurimum, & adspectus
„ oculi adspectum mentis præcedit, quod de sensationibus
aliis

„ aliis dictum volo. Hine ab uno adspectu ad alia adspicienda progreditur; id vero non *ratio* tantum dicitur, verum etiam *ratiocinatio*. Profecto in objectis, quæ ille mentis adspectus, seu ratio intuetur, aliqua occurrunt perspicua ac aperta, de quibus incunctanter & absque hæsitatione judicium profert; aliqua obscuriora quæ non assequitur, nisi accuratius quod sibi objicitur contemplatione rimetur, veraque a falsis imaginibus, & certa e dubiis sejungat, eo ferme pacto, quo corporeus oculus pictam imaginem nulloque velo contectam cernit, tectam vero, nonnisi discisso velamine. Quapropter, ubi E. G. Trianguli nomen percepit, aut oculis adspexit figuram, sine ulla erroris suspicione in illo tres angulos affirmat adinveniri, eosque inter se æquales esse in triangulo æquilatero, secus in Isocele vel scaleno. Si vis, ut affirmet lineam alteri inhærentem duos angulos rectos efficere, vel duobus rectis æquales; opus est, ut ab illo trianguli adspectu procedat ad anguli recti hauriendam notitiam, agnoscatque rectum esse, in quo linea una super alteram perpendiculariter cadit, aut cujus extensio quartam circuli pertem complectitur. Hinc de una in alteram ideam progrediens ad assequenda abstrusiora matheseos theoremata gradatim adscendit: quod non *ratio* dicitur semper affulgens menti quatenus intelligibilis est, sed *ratiocinatio*, seu usus & exercitatio rationis, qua perducitur ad inquirendam capessendamque scientiam, rerumque, quas ignorabat, notitiam certam, atque evidentem. Atque anima, quam diximus naturam *intelligibilem*, sive ratione præditam, seipsam quoque interiorem, quem commemoravi, adspectum in se reflectendo intueri valet & contemplari, quomodo facies & corporis oculus faciem & oculum videt, dum in se ope speculi species & imago sui retorquetur. Sibi enim intime præsens est, atque ut sunt cetera omnia, intelligibilis, non minus percipiendi capax, quam ut a seipsa percipiatur. Ita ergo a rebus adspectabilibus ad semetipsam se retrahens, & quasi ab exterioribus per quæ sensibus distracta vagatur, sese ad interiora revocans videt se esse idoneam ad intelligenda quæ corporalia sunt, & quæ corporis sunt expertia, se persistere, & plura cognoscere, e se cognitionem ei advenientem, & in dies proficientem, esse distinctam, non semper se extitisse, nec potuisse seipsam e nihilo producere; ideoque e testimonio etiam conscientiæ suæ ad supremi numinis agnitionem pertingere. Hoc itaque modo etiam ex sui ipsius idea & perceptione rationalem animum assurgere ad agnoscendam primæ causæ existentiam haud vereor, & subscribo utroque pollice viro hujus ævi doctissimo.

„ *Preterea vel mens, quam certo existere novi,*
„ *Hoc habet a sese; major natura vel olli*
„ *Largita est; at id ipsa sibi concedere nunquam*
„ *Evaluit, quoniam & simul omnia cuncta dedisset;*
„ (*Quod magis huic facile est, qui sese eduxit, ut*
„ *esset,*
„ *A nihilo*) *parti neque passa fuisset ab ulla*
„ *Deficere. Ergo aliquam, que mentem effecerit, extra*
„ *Esse Potestatem magnam fateamur, oportet.*
„ *Rursus id inquiro, natura hec altera major*
„ *Unde sit? A sese si constat, summa profecto*
„ *Est eadem: sin que prestantior altera, ut esset,*
„ *Huic dedit, hanc iterum rationem, iterumque sequendo*
„ *Demum erit in Summa sistendum, unde omnia pen-*
„ *dent,*
„ *Natura, quam nos Numenque, Deumque vocamus.*

Id tamen genus probationum ad pervulgatas, quæ petuntur ex causarum ordine ac serie, revocatur: de quibus proximo capite.

CAPUT II.

Adversus Atheos argumenta reliqua producuntur.

SOLIS a natura insitis perceptionibus pergebat Renatus Cartesius ostendere Deum esse; at denique in vulgatissimam ratiocinationem prorupit: *Si sit alia prater Deum caussa, queri potest an sit ex se, vel ab alio? si ex se, erit Deus; si ab alia, toties queretur, donec ad illam perveniatur, que a se, & sit Deus, cum in infinitum progredi non liceat.* Quod animadvertens Socinianus Cartesii Censor, *Cur, queso,* inquit, *per tot ambages & meandros eo contendit auctor, quo trita via jam pridem alii pervenerunt?* De ideis & nos quidem, ut juxta Augustinum statuerentur, plura diximus: nolumus tamen ab ea semita deflectere, qua ceteri omnes incedunt; atque hoc loco alias probationes afferre instituimus.

Primum momentum metaphysicum ex rerum creatarum contingentia.

Quæcumque oculis nostris conspiciuntur, contingenter existunt; nam videmus arbores germinare & arescere, fontes fluere & exsiccari, animantie generari ac perire, ipsumque præstantissimum animal hominem, Ps. LXXXIX. 6. comparari herbæ, quæ *mane floreat & transeat, vespere decidat, induret, & arescat*: Hæc rerum aspectabilium contingentia supponit extantiam entis necessarii, ac summe perfecti, quod existat immutabiliter, & a se: Ergo ens summe perfectum ac necessarium, nempe Deus, revera existit. Prob. min. Si omnia essent contingentia, neque esset ens summum ac necessarium, cum res contingens ita sit ut possit non esse, rationabiliter fieret suppositio, quod nulla res existeret: Ea suppositione facta manifestum est existere ens summum ac necessarium: ergo si omnia aspectabilia contingenter sunt, consequitur entis summi ac necessarii existentia. Minor facile ostenditur, quippe si supponatur, nihil existere, nihil erit producibile, omniaque impossibilia; quod enim nihil est, non potest esse caussa rei existentis.

Confirmatur ex Damasceno libro 1. de Fide Oth. Quidquid est mutabile & contingens, creatum est, vel increatum: Si creatum; ergo oportet esse conditorem omnium rerum mutabilium & contingentium. Si increatum, ergo non erit contingens, sed immutabile, quoniam non potest esse mutationi subjectum, nisi quod esse cœpit e mutatione.

Rursus corroboratur: Quæ contingenter existunt nullam habent vim sese conservandi, possunt enim contingentie singulis momentis desinere: Igitur quod perseverent, beneficium est alicujus causæ, quæ ea servet, & in dies quodammodo reproducat: Atqui non minor potentia requiritur ad rem producendam, quam conservandam: Ergo si ut perseverent indigent causa, ac principio non contingenti, tali caussa ac principio indigent quoque ut existant.

Respondet Epicureus dari quidem ens necessarium, ac perpetuum, at illud nullum esse præter insectiles atomos, cum experientia compertem sit ex nihilo nihil fieri, & nihil in nihilum reverti, ut decem argumentis demonstrat Lucretius Lib. 1. de rerum natura ab eo versu,

Nam si de nihilo fierent, ex omnibu' rebus
Omne genus nasci posset &c.

Sed nihil absurdius Epicuri deliramentis. Primo quoniam atomorum quædam sunt solidiores, quædam humectiores, quædam rotundæ, quædam aliis instructæ figuris, & omnes perpetua collisione franguntur, adeoque nequeunt esse insectiles ac persistentes. Deinde dato Epicureis quod omnes atomi, & rerum aspectabilium semina sint perfecte solida, soliditas non potest percipi nisi partium contactu; partium vero contactus non datur nisi in corporibus concretis: aut saltem si atomi deprehenduntur solidæ, deprehenduntur eo contactu, quo percipiuntur solida corpora quæque concreta. Itaque si ex soliditate posset argui æterna existentia, quælibet corpora concreta, quæ tactu percipiuntur solida, forent æque indissolubilia, ac atomi & semina. Ulterius, ut demonstrat Thomas Creechius Censura in librum 1. Lucretii, argumenta, quibus Epicurei adstruunt suis atomis æternitatem, vitiosa innituntur suppositione. Detur enim, quodlibet e quolibet oriri non posse, res nasci statutis temporibus, agros fertiliores reddi agricolarum industria, detur quidquid affirmat Lucretius: quomodo inde efficitur, ipsas atomos non fuisse productas, & nihil fieri supremi Numinis providentia? *Neutrum*, ait Creechius, *concludet; ideoque decem argumenta perierunt*. Rectissime igitur creditur Deus omnia de nihilo fecisse, *quia etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, hec ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est*, inquit S. P. Augustinus lib. 1. de Genes. contra Manichæos.

Respondet Spinosa nullum dari ens contingens ac producibile, sed res omnes solum produci ratione extensionis, quippe omnis substantia definitur, *Ens per se subsistens*: Atqui omnes res corporeæ sunt substantiæ: Ergo existunt per se, nec sunt eb ente aliquo necessario productæ.

Verum Spinosa inaniter fucum facit: definitio enim substantiæ, quod sit *ens per se existens*, est definitio substantiæ Dialecticorum, idest ideæ, qua percipitur res in se existens, non subjecto adhærens, ut figura, extensio, motus, & alia quæ dicimus accidentia: quæ definitio convenit etiam substantiæ productæ, & a necessario ente distinctæ, ut animæ, corpori, plantæ, rebusque universis spiritualibus, & corporeis. Quid est ergo proprie substantia? id quod est, (aut a se, aut a Deo sit) & non advenit rei quæ est. *Dicitur homo, dicitur cælum, dicitur sol, luna, lapis, mare, aer: omnia ista substantia sunt, eo ipso quo sunt*: ait Augustinus in Psalm. LXVIII. serm. 1. n. 5. Si contenderet Spinosa, a nulla secunda causa produci novam substantiam, & formas quasque esse materiæ congeriem, modum ac dispositionem, quia nulla substantia potest ex nihilo a creatura produci, tametsi obvia esset responsio, quod formæ educuntur e subjecto, quo non eget caussa creatrix, concederem argumentum; non enim quisquis negat formas Peripateticas æstimandus est athens, dummodo afferat permixtionem, & particularum congeriem, in qua statuit formas, fieri circa materiam a Deo productam, quæcunque ea demum sit.

Respondent alii Athei, ineptam esse illam consecutionem, quæcumque res aspectabiles sunt contingentes, ergo con-

contingens erit tota rerum aspectabilium complexio; non enim a distributivo ad collectivum, a partibus ad totum tenet argumentatio.

Sed futilis sane responsio; nam etiamsi non valeat illatio a partibus ad totum in quibusdam enunciationibus, quæ pertinent ad extensionem continuam, vel discretam, E. G. tenuissimæ sunt singulæ guttæ aquarum, pauci sunt incolæ unius oppidi, ergo parum extenditur mare, neque multitudinem efficiunt homines universi: valet nihilominus id genus argumentationis in ceteris, præsertim, quæ ad essentiam pertinent, V. G. Quilibet lapis est corpus, singuli homines sunt rationales, unaquæque particula aquæ est fluida, igitur omnis acervus lapidum habet extensionem, universa hominum collectio pollet ratione, fluidus est oceanus, aut fluvius. Certe quod res contingentes possint non esse, ad earum spectat essentiam; si enim ita essent ut non possent non esse, incommutabiles forent, non contingentes.

Oppones: Ex quo singula possibilia possint esse, non consequitur, ergo omnia possibilia collective possunt actu existere: Ergo ex quo contingentia singula possint non esse, non infertur, quod omnia contingentia, collective valeant actu non existere, Resp. nego paritatem. In idea ac perceptione possibilium venit existentia possibilis, non actualis, ideoque repugnat quod omnia collective possibilia actu existant; quandoquidem si omnia possibilia sint actu, jam nullum remanet quod sit potentia, & consequenter tollitur omnis possibilitas. Contra in idea contingentium percipitur ex æquo potestas existendi, & potestas non existendi; ac proinde semper sunt contingentia ac mutabilia, sive supponantur in actuali existentia cum potestate ad non existendum, sive non extantia actu cum possibilitate existendi.

Momentum secundum Physicum ex motu, ac serie caussarum secundarum.

Sensu vividissimo omnia moveri conspicimus;
Nam certe non inter se stipata cohæret
Materies, quoniam minui rem quamque videmus,
Et quasi longinquo fluere omnia cernimus ævo,
Ex oculisque vetustatem subducere nostris:

Ait idem Lucretius lib. 2. Sed quæcumque moventur, primitur a superna caussa, quæ sit immobilis, moveri debent: Ergo existit hæc caussa suprema atque immobilis, quæ Deus est. Minor probatur; etenim, quæ moventur vel moventur a se, vel ab alio; non a se, alias erunt primum principium movens immotum, quod nos dicimus Deum: ergo moventur ab alio: Atqui in caussarum serie repugnat processus in infinitum: Sistendum est igitur in aliqua prima causa movente quascunque alias, quæ causa est Deus. Quod in caussarum serie repugnet processus in infinitum demonstrant omnes Theologi, & Philosophi, quia alias nullus effectus produceretur in tempore; cum enim res præsertim corporeæ moveantur, & agant temporum intervallo, si numero infinitæ essent causæ, a motione illius causæ quæ nunc agit nullis sæculorum spatiis ad primam causam moventem posset perveniri. Singulare autem exemplum protulit ante Mersennium sapientissimus noster Ægidius 2. Met. q. 18. ex numerorum ratione. Enim vero si non detur unitas, quæ est principium numerorum, nullus numerus poterit supputari; nam nisi sit unitas, non potest dari binarium, quia illud resultat ex duplici unitate; & nisi detur binarium, excogitari nequit numerus quaternarius, resultans ex duplici binario, &c. At causæ subordinatæ, quarum una movet alteram, se habent ad instar numerorum, quorum unus alium supponit: Ergo nisi detur caussa movens unica ac prima, nulla alia caussa movens poterit excogitari.

Quod vero prima caussa ceteras omnes præmovens sit Deus, ita evincitur ex Augustino lib. x. Confes. cap. VI. Quocunque corpore perfectior est anima, quæ corpus movet; Ergo qualicunque re mota præstantior est caussa, quæ movet omnia. Rem autem omnium præstantissimam esse Deum fatetur singulorum hominum sensus. *Veritas enim dicit mihi: Non est Deus tuus cælum, & terra, neque omne corpus. Hoc dicit eorum natura videnti: Moles est, moles minor est in parte, quam in toto. Jam tu melior es, tibi dico, anima, quoniam tu vegetas molem corporis tui, præbens ei vitam, quod nullum corpus præstat corpori. Deus autem tuus etiam tibi vitæ vita est.* Sed lege totum Caput præcitatum magni Augustini.

Hoc argumentum videtur invictissimum etiam Hugoni Grotio, qui libro I. de Veritate Religionis Christ. ita breviter ac diserte illud proponit. *Res aliquas esse, quæ esse cœperint, sensu ipso & confessione omnium constat. Eæ autem res sibi non fuerunt caussa, ut essent: nam quod non est agere non potest; nec ipsa res esse potuit, antequam esset. Sequitur igitur, ut aliunde habeant sui originem; quod non tantum de illis rebus, quas ipsi aut conspicimus, aut conspeximus, fatendum est; sed & de iis, unde illæ ortum habent, donec tandem ad aliquam caussam perveniamus, quæ esse nunquam cœperit, &c.*

Respondet Epicureus dari quidem motus, sed horum primam effectricem caussam esse atomos, quæ per inane infinitum deorsum tendentes interjecto inani cohærescunt, rerumque omnium formas efficiunt.

Belle Lactantius Firmianus libro divinarum Instit. III. cap. 17. ait: *Nemo ista præter unum Leucippum somniavit, a quo Democritus eruditus hæreditatem stultitiæ reliquit Epicuro.* Et quidem Epicurei opinantur corpuscula deorsum descendere, quoniam eo genere motus corpora quoque concreta feruntur. At inepta est consecutio: lapis, lignum, & omne grave tendit deorsum, ergo eadem ratione moveri debent horum concretorum particulæ; rotæ enim, elateres, & reliquæ partes machinæ non moventur seorsum, quomodo faciunt conjunctæ. Præterea vel atomi recta moventur lineis parallelis, vel paullulum incurvantur, ut ex ipsis fiant concreta. Si hoc secundum asserat Epicurus, motus atomorum non erit essentialiter rectus; si primum affirmet, ergo nunquam cohærescent ad perficienda corpora, nisi ab exteriori aliqua caussa inclinentur; parallelæ enim lineæ nunquam sese intercidunt quocunque protrahantur. Dato igitur unicuique corpori motu recto, ut non diffitentur recentiores Philosophi plurimi, *quæ nova caussa in natura est, quæ declinet atomum? aut num sortiuntur inter se, quæ declinet, quæ non? aut cur minimo declinet intervallo, majore non? aut cur declinet uno minimo, non declinet duobus, aut tribus?* Ita hortos Epicuri, ait Creechius, vastat Cicero in lib. de Fato. Apposite de insanissimo Philosopho Augustinus lib. III. contra Academicos cap. x. num. 23. *Iste luxuriosus cum atomos quasi ancillulas suas, idest corpuscula quæ in tenebris lætus amplectitur, non tenere viam suam, sed in alienos limites passim sponte declinare permittit, totum patrimonium etiam per jurgia dissipavit.*

Respondent quidam Pagani Sinenses omnium rerum caussam esse bonitatem quamdam essentialem undique diffusam, sed a materia indistinctam, quæ est aut materies quædam subtilior, aut quinta Pythagoricorum essentia.

Hoc Indorum systema aperte dictis confoditur. Etenim hæc bonitas si est a se, erit Deus; si ab alio, erit a Deo, & erit bonitas per participationem, non per essentiam. In subtiliori autem materia, quam Pythagoras quintam vocat essentiam, locare summam bonitatem, putidum figmentum est: quippe si hæc summa bonitas est ipsa materia in quolibet corpore divisa, quomodo est una, quomodo universalis, quomodo undique circumfusa? Sed neque differt ille, nisi nomine tenus, ab errore Epicuri & Spinosæ, quem nuperrime refutavi. Non opus est igitur, ut in eo refellendo immoremur. *Videte, quam expedita sit sententia Catholicæ disciplinæ, quæ aliud dicit bonum, quod summe, ac per se bonum est, & non participatione alicujus boni, sed propria natura & essentia; aliud, quod participando bonum, & habendo, habet de illo summo bono, ut bonum sit, in se tamen manente illo, nihilque amittente. Ita Deus summum bonum est, & ea quæ fecit bona sunt omnia, quamvis non sint tam bona, quam est ille ipse, qui fecit. Quis enim hoc tam insanus audet exigere, ut æqualia sint artifici opera, & condita conditori? Quid amplius desideratis? An etiam vultis aliquid planius?* Augustinus lib. II. de moribus Manichæorum cap. IV.

Opp. I. Ut servetur caussarum series, non opus est deveniamus ad primam, res enim creatæ ad instar catenularum in circulo connectuntur, & sese movent ad invicem; Ergo athei effugiunt processum in infinitum, etiamsi negent existere primam caussam.

Resp. nego ant. Etenim partes circuli non a se invicem producuntur, sed tantum inter se habent connexionem & ordinem, & nihil implicat quominus plures partes distinctæ sibi mutuo cohæreant. At res productæ a suis caussis efficiuntur, & necesse est caussam vel tempore, vel natura suis effectibus anteire. Sic in describenda circuli peripheria unum punctum effluit ab alio, & nunquam consurgeret circulus, si non esset primum punctum, unde alia ad efformandam lineam exirent.

Opp. 2. Creata voluntas movet seipsam ad bonum quidem in sententia illorum qui negant victricis ac prædeterminantis gratiæ necessitatem, ad malum vero in omnium Theologorum sententia: Ergo falsum est moveri ab alio quidquid movetur.

Resp. voluntatem creatam ad bonum moveri per virtutem sibi a Deo inditam, sive sit gratia prædeterminans, sive indifferens, ideoque virtualiter moveri ab alio: imo ad primam intentionem finis, nullatenus seipsam movet, sed movetur; cum illa prior intentio sit prorsus indeliberata. Moveri autem ad malum non est aliquid efficere, sed deficere. *Tu fortasse*, ait S. P. Augustinus lib. 2. de libero arbitrio cap. 20. *Tu fortasse quæsiturus es, quoniam movetur voluntas cum se avertit ab incommutabili bono ad mutabile bonum, unde ei iste motus existat; qui profecto malus est, tametsi voluntas libera, quia sine illa nec recte vivi potest, in bonis numeranda sit.... Omnem rem, ubi mensuram & numerum, & ordinem videris, Deo artifici tri-*

tribuere ne cuncteris. Unde autem ista penitus detraxeris, nihil omnino remanebit: quia etsi remanserit aliqua formæ alicujus inchoatio, ubi neque mensuram, neque numerum, neque ordinem invenias, quia ubicunque ista sunt forma perfecta est, oportet auferas etiam ipsam inchoationem formæ, quæ tanquam materies subjacere videtur artifici. Si enim formæ perfectio bonum est, nonnullum jam bonum est & formæ inchoatio: ita detracto penitus omni bono, non quidem nonnihil, sed omnino nihil remanebit. Omne autem bonum ex Deo: nulla ergo natura est, quæ non sit ex Deo.

Momentum III. petitum ex rerum aspectabilium compagine.

Si infimæ sortis Philosophus, ac prorsus non stupidæ mentis homo universum intueatur, fieri non potest quin statim percipiat ex recta partium concatenatione, fuisse productum a caussa, quæ sit maxima sapientia ac ratione prædita, neque somniare poterit fortuita corporum incursione fuisse compactum: Hæc causa auctrix, quæ universorum molem tanto artificio construxit, Deus est: Ergo nullus, nisi forte mente & oculis captus, hujus Dei existentiam inficiabitur. Minor propositio probatur primo contra omnes Atheos pluribus exemplis. Unum affert Tullius lib. 2. de natura Deorum illius, qui cum in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit, cum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, statim intelligit esse aliquem qui præsit, & cui pareatur. Alterum proferunt Philo lib. 1. de Monarchia, Athanasius in libro contra Gentiles, Auctor Quæstionum quæ tribuuntur Justino, quæst. 3., & S. P. Augustinus lib. II. de Civit. Dei cap. 4. ab eo, qui in civitate, vel exercitu leges optimas, cives, milites, plebem in suo ordine videns, non dubitat, quin civitas a Principe, & exercitus ab Imperatore regatur. Aliud exemplum producit Creechius Censura in 2. librum Lucretii, & Antonius Le-Grand p. 2. Philosoph. cap. 4. ex Sphæra Archimedis, & machina Protagoræ, quas nemo sanæ mentis dixerit fortuito natas, non arte ingenioque perfectas; quid plura? Atheum ita perstringit Chrysostomus in Ps. 13. *Non est fundamentum; & quomodo stat ædificium? non est carina; & quomodo consistit navigium? non est fabricator navis; & quomodo navis compacta est? Non est ædificator; & quomodo domus facta est? non est architectus; & quis urbem condidit? non est agricola; & quomodo agri tulere manipulum? non est musicus; & quomodo in mundi lyra apparet concentus? non est qui provideat, & quomodo per omnia pervadit providentia? non est auriga; & quomodo elementorum quatuor currus agitur? non est statuarius; & quomodo homines veluti quædam statuæ in mundo facti sunt? &c.* Si tanti luminis beneficio Athei rerum omnium artificem minime videant, repetam cum Augustino enarrat. in Psalm. LXXIII. n. 25. *Et quid faciam talibus? ostendam quod non vident? non possum: non enim propter illos Deus visibilis* (idest corporeis oculis) *debet fieri.*

Deinde terratum orbem non esse casu productum ostendo particulariter contra Gregem Epicuri, qui fatetur factum, sed sola repentina incursione atomorum putat compaginatum. Si contigit aliquando ut casuali seminum dispositione omnia aspectabilia consurgerent, cur nunquam accidit, ut denuo talem ordinem mobiles atomi nanciscantur, neque prodeunt ex luto novi homines, neque novæ arbores, novaque elementa sua sponte gignuntur? Si homines fortuito sunt progeniti, quænam caussa naturam compulit, ut duos tantum produceret, eosque masculum, & feminam ad futuram prolis generationem? Quod si plures homines ex materiei incursione procreati sunt, cur ubique terrarum corpus habent eisdem partibus instructum, neque diversam habent figuram, structuramque membrorum? Ad hæc: nunquam nostra, majorumque ætate compertum est quod atomi casu motæ lapides levigarent, atque his aptatis invicem muros, oppida, urbesque construerent. *Si mundum*, inquit Cicero lib. II. de natura Deorum, *efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest, quæ sunt minus operosa, & multo quidem faciliora? Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem cœli ornatum suspexisse videantur.* Præterea nullus nisi forte insanus omnigenas apicum formulas, literasque græcas, latinas, hebraicas flante vento permixtas speraret ita ad invicem necti, ut characteribus, lineisque dispositis nulla scribente manu Homeri Iliades, Virgilii Aeneidas, aut Davidis Psalmos componerent. Atqui longe mirabilior ordo & harmonia in partibus universi spectatur. Ergo insipiens est qui existimat omnia incursu particularum esse tam concinne disposita. Postremo: ipsemet Lucretius invitus, vel incautus libro 1. scribit Epicurum nec fama Deorum, nec fulminum timore compressum religionem pedibus subjectam calcasse, providentiam curamque Deorum dejecisse; & tamen firmissimam naturæ legem, & præscriptos ordines materiæ testatur, quibus vere florescunt rosæ, æstate segetes maturescunt, autumno vites vinum fundunt, & qui nisi essent, omnia incertis spatiis, atque alienis anni partibus exorirentur, arbusta extemplo prosilirent, subito infantes adolescerent, neque augendis, procreandisque rebus ullus esset seminum usus.

Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni,
Quod certis in rebus inest secreta facultas:

Atqui hæc naturæ constantia, facultas ista secreta, invariabilis ille rerum nascentium reditus, nequeunt esse munera materiei expertis ingenio, & casu permixtæ: Ergo erunt opera providentiæ, & imperii sempiterni rerum omnium Artificis. *Unde ego*, ut Lactantii utar verbis cap. 2. de Opificio Dei, *philosophorum, qui Epicurum sequuntur, amentiam soleo mirari, qui naturæ opera reprehendunt, ut ostendant nulla providentia instructum esse, ac regi mundum: sed originem rerum insecabilibus, ac solidis corporibus assignant, quorum fortuitis concursionibus universa nascantur, & nata sint.*

Quoniam vero inter naturæ fetus, quos damnat Epicurus, haud infimum tenet locum fabrica humani corporis, ex ea divinitatem effectricem ita hoc momento liceat comprobare. Aut spectetur exterius, aut intra artus moles corporea hominum, clamat esse Deum artificem suum. De exterioribus illorum membris vide Tullium in 2. de Natura Deorum, & loco nuper citato Firmianum. In omnibus sensuum organis providum auctorem miramur: patet auditus, quo excitemur a somno, aures extra eminent ne voces adjectæ labantur: palpebræ mollissimæ sunt ne lædant faciem: oculi ut suo munere fungantur altissimum tenent locum: stat homo erectus, ut contempletur gyrum, harmoniam, lucem, motumque cœlorum constantissimum; quorum, ut legimus Ps. XVIII. *in omnem terram exivit sonus*, idest, delineatio eorum, eo quod ubique celebretur perfectissimi operis summa, & ad normam exacta pulchritudo, inquit Jacobus Benignus Bossuet Meldensium Episcopus. Convertatur ad internas corporis partes animus. In oculo namque nectuntur musculi, quibus undique globulus fertur: tunicæ quæ radios frangunt, & congregant: humor aqueus, crystallinus, vitreus, qui a prioribus justo intervallo retinam separat. In aure malleus sunt, incus, & stapes, quæ efficiunt ne tympanum laxetur, aut æquo tentius evadat: teres ligamentum, quod moderatur auditorii musculi actionem: cochlea item, quæ in testudinis formam efficta soni confusionem amolitur. Infinitus essem, si vellem singula sermone comprehendere. Et tamen hæc omnium minima de auctore suo perhibent testimonium. Quid vero de Anima? Stulti illi philosophi compositam putant ex minutis particulis auræ, aeris, caloris; sed cum in his perceptionem nequaquam valeant apprehendere, coguntur addere quartum nescio quid innominatum, situm in pectore, & sensus, ac cognitionis principium, tanquam araneum tractans ad captandas muscas filamenta: de quo Lucretius in III.

Jam triplex animi est igitur natura reperta.
Nec tamen hæc sat sunt ad sensum cuncta creandum:
Nil horum quoniam recipit mens posse creare
Sensiferos motus, quædam qui mente volutent.
Quarta quoque his igitur quædam natura necesse est
Attribuatur; ea est omnino nominis expers.

Prætermitto stirpes, miniarias fodinas, aquarum rivos, volucrum indolem, animantia omnia, memor verborum Augustini Serm. XXVII. in Ps. 118. *Quis enumerat saltem generatim testimonia Dei? Cœlum, & terra, visibilia, & invisibilia opera ejus dicunt quodam modo testimonium bonitatis, & magnitudinis ejus; & ipse cursus frequens, usitatusque naturæ, quo temporum rapacitas volvitur, in rerum quarumque generibus quamvis temporalibus atque mortalibus, quæ certe consuetudine viluerunt, si pius considerator advertat, perhibet testimonium Creatori.*

Momentum IV. depromptum ex naturali hominum instinctu.

Accedit ad probandam Summi Numinis existentiam naturalis cujusque creaturæ rationalis affectio: ex qua mihi argumenta quatuor, eaque planissima suppeditantur. Sit primum: Omnes innatum habent æternum vivendi desiderium; quod desiderium cum sit commune, & proinde a natura insitum, vanum non est: At perennem vitam, sive sit animæ unitæ corpori, sive inde divulsæ, præstare non potest nisi potentissima caussa, nempe Deus: Ergo existit iste Deus. Quidam urgent hoc argumentum de innato desiderio videndi Deum, & fruendi corporis immortalitate: sed arbitrantur alii istiusmodi desiderium ad gratiam spectare, non ad naturam. Secundum argumentum depromitur a Lactantio, Tertulliano, Arnobio, & etiam Seneca in libro IV. de Beneficiis ex communi loquendi consuetudine; nam *cum jurant, cum optant, cum gratias agunt, non Jovem aut Deos multos, sed Deum nominant; adeo ipsa veritas cogente natura etiam ab invitis pectoribus erumpit: & si belli tremor infremuerit, si morborum pestife-*

ra

ta vis, si sæva tempestas, si grando increbuerint, si alimenta frugibus siccitas denegaverit, ad Deum confugiunt, Dei petitur auxilium, Deus ut subveniat oratur; ait in 2. lib. cap. 1. Lactantius. Lege Tertullianum cap. xvii. Apolog. & Arnobium in 1. adversus Gentes. Addo Arrianum dissertat. Epicteti lib. II. cap. 7. asserere gentes olim Deo supplicasse ea precum forma, qua a primis sæculis nititur Catholica Ecclesia, nimirum Κύριε ἐλέησον, quæ est manifesta naturæ Opificis, ac Rectoris invocatio. Addo timorem, quo impii scelere patrato agitantur, *testimonium illis reddente conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus*, ut inquit Apost. ad Rom. 2. v. 15. Quem timorem ut tollerent Athei dixerunt Superos nulla angi mortalium solicitudine, & animam evaporantibus atomorum effluviis ad instar fumi dissolvi. Videtur tamen, ut ait Cicero in 3. de nat. Deorum, *Epicurus ludere, dum negare Deos esse non audet, sed nihil agere, nihil curare confirmat, membrisque humanis esse præditos, sed eorum membrorum usum nullum habere*. Lucretius ipse Deo sapientiam attribuit lib. iv. de natura rerum, dicens:

Nam si, ut ipsa petit majestas cognita rerum,
Dicendum est: Deus ille fuit, Deus, inclute Memmi,
Qui princeps vitæ rationem invenit eam, quæ
Nunc appellatur sapientia, &c.

Atque, ut liberalior sim, licet mortalis foret anima, pœnarum metus minime tolleratur; quippe ipsa mors maxima foret calamitas: eamque statuere, juxta Epicurum, finem miseriarum, perinde est, ac si jactam procellis in motivum solatii proponatur naufragium. Rationabilius ergo alliciuntur boni spe perennis felicitatis; & improbi timore æternorum suppliciorum concutiuntur. Argumentum ultimum petitur ex aris *Ignoto Deo* olim erectis. Legimus enim in Laertio de Epimenida Cretensi, qui sine nomine aras sacravit, quod nesciret, cui deorum esset pro avertenda pestilentia sacrificandum. Veteres quoque Romani, ut scribit Agellius lib. II, cap. xxviii. ubi terram movisse senserant, nuntiatumve erat, ferias edicto imperabant; sed Dei nomen, cui servare ferias oportebat, edicere quiescebant, ne alium pro alio nominando falsæ religioni populum alligarent: nesciebant quippe Pontifices, ut scribit Varro, per quem Deorum terra tremeret. Invenit etiam Paulus Athenis aram dicatam *Ignoto Deo*, ut legimus in cap. xvii. Apostolorum Act. v. 23. hujusque aræ caussa fuit duplex; una, victoria a Persis reportata, cum Athenienses exercitum ducerent in Græciam, altera pestis grassata pridem Athenis: ex qua cives suspicati sunt esse Deum aliquem, quem ipsi absque honore reliquissent, quique iratus immiserit pestilentiam. Quam caussam probat Œcumenius; confirmatque exemplum aliarum gentium, quæ, ut tradunt Macrobius, Pausanias, aliique, multas excitabant aras cum tali inscriptione θεῷ ἀγνώστῳ, *Ignoto Deo*. Iccirco, quod affirmant Baronius, Lorinus, Cornelius a Lapide, ceterique interpretes, fuisse ab Atheniensibus erectam aram *Ignoto Deo, quod accepissent ab Hebræis esse* יהוה *Deum scilicet ineffabilem*, nullo innititur fundamento, præsertim cum Judæi nomen tetragrammaton numquam vulgo efferrent, ne fieret ludibrio gentilibus: hi vero nullatenus Judæis crederent. Hucusque dicta sic brevissime proponuntur. Constat ex communi ad semper vivendum instinctu, ex loquendi ac deprecandi consuetudine, ex improbæ conscientiæ stimulis, ex aris erectis *Ignoto Deo*, existere supremam caussam omnium auxiliatricem, & aliquem bonorum operum remuneratorem, vindicemque malorum: Igitur manifestum est esse Deum.

Momentum V. Ex communi Sapientum confessione.

Ad existentiam Dei comprobandam v. loco produco omnium Philosophorum consensum. In Jonica secta asseruit Mentem procreatricem rerum omnium Anaxagoras; imo ante illum idem tradiderant Thales & Xenophanes: Pythagoras cum universa Italica Schola Deum agnovit in se se totum, mundique Opificem: Plato pro rei dignitate de divina natura in Timæo, aliisque commentariis disseruit; eumque secuti sunt Speusippus, Maximus Tyrius, Plotinus, Jamblicus, Proclus, Apulejus, ceterique Platonici. Primam caussam assecutus est Aristoteles, & ipsius discipuli Heraclides, Theophrastus, Simplicius: Socrati hujus veritatis confessio mortem attulit: Antisthenes Cynicorum, & Zeno Stoicorum principes hanc doctrinam sequacibus suis tradiderunt. Nec ipsi Epicurei, ut diximus, Deos penitus sustulerunt. Luculenta de Deo testimonia reliquerunt Seneca, Tullius, Epictetus, Marcus Aurelius. Horum verba collegere Clemens Alexandrinus in libris Stromateon, Justinus in Apologetico, Lactantius in libro de ira Dei, Minucius Felix in Octavio, Athenagoras, Cyrillus, Eusebius, Augustinus, aliique: atque ex his omnibus operose Augustinus Steuchus in libris de perenni Philosophia, erudite in libro 1. de Progressu Idololatriæ Gerardus Vossius, brevissime lib. 2. Quæstionum Alnetan. Petrus Daniel Huetius. Quos, dum vacat, lege.

Etiam Poetæ Deum commemorarunt. Homeri carmina, ubi phœnix Ulyssem affatur, recitat in sua Apologia Justinus Martyr. Ex Parænetieis Phocylidi plura laudat Eugubinus lib. 3. de perenni Philosophia cap. II. Orphei, Arati, Hesiodi, & Sophoclis multa proferunt Athenagoras, & Lactantius; quamquam Orphei carmina videantur supposita, cum Origenes lib. 1. contra Celsum testetur ad ætatem suam minime pervenisse. Nonnulla exscripsit vir clarissimus Dionysius Petavius lib. 1. cap. 3. De Virgilio sat est si legeris Minucium. Lucanum adeas libro nono Pharsaliæ ab eo versu, *Hæremus cuncti superis, temploque tacente*: Horatium libro iii. Carm. 4. ab eo: *Qui terram inertem, qui mare temperat*: Manilium ab illo prioris libri: *At mihi tam præsens ratio, &c.* Ovidium initio Metamorphoseon ad istum, *Hanc Deus, & melior litem natura diremit*. Præclara etiam sunt Sibyllarum testimonia; sed de harum auctoritate inter doctos non convenit.

Denique, inquit loco citato cap. 1. doctissimus Abrincensis Episcopus: *Consentientes habemus potissimum eas gentes, quæ aliquam ab ingenio & elegantiori cultu duxerunt commendationem, Romanos, Græcos, Ægyptios, Assyrios, Chaldæos, Persas; qui ignem & solem, non ut Deos, sed ut supremi Dei, rerum omnium principii, & auctoris imaginem coluerunt; Brachmanes, quæ Indicæ gentis, Sinenses, quæ Orientis totius cultissima pars est: inter quos secta quædam summum Mundi opificem Tao appellat, nomine, uti conjicio, ab Ægyptiorum Theuth deducto*. Hujus argumentationis summa est. Incredibile est sapere qui Deum negant, si Deum esse fateantur non solum Fideles, sed etiam Philosophi Ethnici, Gentiles Poetæ, Nationesque totius Orbis terrarum: Philosophi, Poetæ, Gentes universæ esse aliquem Deum profitentur: Ergo incredibile est non nihil sapere, qui Deum negant.

Momentum ultimum, quod exhibet numerus, vita, & ignorantia Atheorum.

Tam exiguus est numerus Atheorum, ut probabilis sit illorum opinio, qui censent nullos unquam speculative, & directe fuisse Atheos; quamvis fuerint plures practice, scilicet vita, ac moribus. Nam Scriptura, ac Patres, ubi tales perstringunt, designant Atheos corde, non mente, ut in Psalm. ix. v. 32. *Dixit in corde suo, oblitus est Deus*: & Apostolus ad Titum 1. v. 16. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*. Quod enim L' Herminier opponat verba Sap. xiii. *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his, quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex: sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem & lunam, rectores orbis terrarum Deos putaverunt:* id quidem nihil me commovet. Nam si de mente, non de cordis affectu essent accipienda, & falsum esset quod sequitur, *Quorum si specie delectati, deos putaverunt: sciant quanto his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem, & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit fortior est illis*. Atque si priora illa verba rigorose acciperentur, frustra Theologus ille Deum ex creaturis conatus esset ostendere, quem athei ex his *non potuerunt intelligere*, & frustra contenderet illos omnes vincibili laborasse ignorantia. Ergo multi non potuerunt Deum intelligere cupiditatibus præpediti, non mente obcæcati: quod nos dicimus esse atheum practice. Tales fortasse fuere, quos cap. præcedenti memoravimus; non tamen Andreas Cæsalpinus. Cujus error fuit Angelos, & animas nil esse præter particulas Dei tenuissimis corporibus sociatas; quod utique impietate non caret: sed auctore Vossio in II. de Idolol. cap. XL. statuit unam caussam motricem cœlestium orbium, quæ est per se una substantia; unde frustra Cæsalpinus ab L' Herminier inter Atheos connumeratur. Verum quidquid sit de existentia Atheorum, pugnaciter assero numquam tales fuisse, qui rationis ductum persequerentur.

Arbitror quoque non omnes fuisse Atheos, qui hoc nomine sunt appellati. Primo quoniam Gentiles vocabant Atheos, quicumque Deos gentium pro Diis non haberent; quemadmodum Euripides discipulus Anaxagoræ, quod in fabula Phætontis solem dixerit auream glebam, quinque talentis & exilio mulctatus est. Deinde quia etiam Christiani a Gentilibus Athei dicebantur, ut in II. Apologia affirmat Justinus; qui & ipse Lucianum appellat Atheum, secutus in hac parte adversariorum sententiam. Plures itaque fuerunt impietatis accusati, non quod revera Deum esse negarent, sed quod vulgares Græcorum Deos irriderent.

Præterea qui de Deo asseruerunt absurda, fuerunt inquinati perditissimis moribus; & e contra Dei notitiam custodierunt, qui fuere vitæ consuetudine probatissimi. De Theodoro namque Cyrenaico legimus in Laertio, postquam impie Deum omnem negavit, docuisse citra pudorem committenda esse adulteria, sacrilegia, atque nefanda cum scortillis facinora. Et de Epicuro, quem sui probum, honestumque prædicarunt, libro 1. de Nat. Deorum refert

fert Cicero, quod contumeliose Aristotelem vexaverit, Phædoni Socratico turpissime maledixerit, Metrodori Sodalis sui fratrem Timocratem plenis voluminibus conciderit, in Democritum Magistrum suum fuerit ingratissimus, & Chrysippum numquam, nisi Chesippum vocarit. Fuisse tamen gravem ac temperantem, atque solo pane cibario, & aqua vitam transegisse ad auram pseudogloriæ captandam propter veterum omnium testimonia concedimus. Titus Lucretius amatorio poculo in furorem versus propria se manu interfecit, librorumque quos per intervalla insaniæ (etsi id non probet Creechius, nec Fabricius,) conscripsit, pœnam luit anno U. C. DCCIII. ante Aeram Christianam LI.

Tandem, si qui sunt divinitatis plane inscii, ut Tartari, Cariabæ, & Canadensium plerique; tanta earum gentium est feritas & immanitas, ut belluis potius, quam hominibus sint comparandi. Inter sapientes, ut probatum est, aut nulli fuerunt, aut perquampauci. Horum opinio flocci habenda est, propterea quod statim, ac universim rejecta sit, tamquam proveniens non ex recta ratione, quæ hominibus est communis, sed a studio novitatis, a mente corrupta, a pravo eorum ingenio, quorum interest, ne sit Deus scelerum suorum ultor, ac vindex. Hujus ergo probationis hæc erit synopsis: Athei aut nulli reapse fuerunt, aut admodum pauci, & hi rursus aut insipientes, aut improbissimi: Iniquum est velle consentire rudibus, stultis, scelestissimis; non sapientibus, honestis, ac ferme universis: Ergo iniquum est velle Atheis assentiri.

SCHOLION.

„ INter Atheos, adversum quos capite superiori pugnavimus, pervicaciores videntur, qui nullum existere Deum autumant, præter materiam undique diffusam, & per omnia confluentem & commeantem; quod impium deliramentum hauserunt ex veteribus Philosophis, Poetisque, tradentibus Deum esse omnia, cunctaque creata aut Dei portionem, aut partem, aut ipsam unam indivisamque materiam, diversas figuras, corporeasque affectiones subeuntem, haud veriti asserere mentem quoque humanam esse quamdam divinæ naturæ emanationem. Atque hoc commentum, quod viri docti appellant Enthusiasmum Platonicum, & cui Siamenses, Japonenses, & Mahumetanorum plures adhærent, impio *Spinosistico* Systemati fundamenta supposuit.

„ Subvertitur illud his recentiorum Philosophorum argumentis, quibus evincitur materiam de se inertem esse, motus expertem, ad hanc aut illam figuræ formam, ut vel experientia constantique sensu percipimus, prorsus indifferentem, atque certo certius carentem consilio & ratione. Hinc Lactantius lib. 2. de origine erroris cap. 9. refellens Tullium, qui disputans de natura Deorum ait, *Non est probabile, eam materiam rerum, unde exorta sunt omnia, esse divina providentia effectam; sed habere, & habuisse vim & naturam suam:* Lactantius, inquam, Tullium id asserentem refellens scribit: *Natura enim, qua dicitis orta esse omnia, si consilium non habet, efficere nihil potest; si autem generandi, & faciendi potens est, habet ergo consilium, & propterea Deus sit necesse est.*

„ Verum Tullius suamet ratiocinatione refellitur. Nam libro primo Tusculanarum Quæstionum demonstrans existere immortales animos, quamquam illos non intuemur, præmissa eleganti rerum adspectabilium descriptione, *Hæc igitur*, inquit, *& alia innumerabilia cum cernimus, possumus ne dubitare, quin his præsit aliquis vel effector, si hæc nata sunt, ut Platoni videtur: vel si semper fuerint, ut Aristoteli placet, moderator tanti operis, & muneris? sic mentem hominis, quamvis eam non videas, ut Deum non vides: tamen ut Deum agnoscis ex operibus ejus, sic ex memoria rerum, & inventione, & celeritate motus, omnique pulcritudine virtutis vim divinam mentis agnoscito.* In libro etiam secundo de nat. Deorum ita Cicero loquitur: *Quid enim potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum cælum suspeximus, cælestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen præstantissime mentis, quo hæc regantur? Quod ni ita esset, qui potuisset assensu omnium dicere Ennius?*

„ Aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes, Jovem;

illum vero & Jovem, & dominatorem rerum, & omnia nutu regentem, &, ut idem Ennius, Patrem divumque hominumque, *& præsentem ac præpotentem Deum; quod qui dubitat, haud sane intelligo, cur non idem sol sic, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim est hoc illo evidentius?* Atque in eodem libro ita loquitur Tullius: *Ut si quis in domum aliquem, aut in gymnasium aut in forum venerit: cum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri judicare, sed esse aliquem intelligat, qui præsit, & cui pareatur: multo magis in tantis motibus, tantisque vicissitudinibus cum multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immensa & infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari.* Hoc autem allatum a Cicerone exemplum supra Mon. 3. productum fuit.

„ Profecto petitum ex rerum creatarum contemplatione argumentum ad revincendos atheos ceteris aptius atque robustius censendum est. Enimvero illud proponit auctor libri Sapientiæ cap. 13. 5. his verbis: *A magnitudine speciei & creaturæ poterat Creator horum cognoscibiliter videri.* Illud invicta Machabæorum parens lib. 2. cap. 7. 28. ita filium adolescentulum alloquens: *Peto, nate, ut aspicias ad cælum, & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus.* Illud quoque Apostolus Paulus scribens ad Rom. cap. 1. 19. 20. *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas; ita ut sint inexcusabiles.* Hujus rei divinæ litteræ rationem quoque apertissimam tradunt, ubicumque affirmant, cælum, terram, firmamentum, cunctaque Dei omnipotentis opera gloriam ipsius enuntiare, laudare nomen, & exaltare virtutem, ut legimus initio Psalmi 18. & in Cantico puerorum capite tertio Danielis. Recte idcirco sapienterque ajebat magnus Augustinus lib. 11. de civit. Dei cap. 4. *Mundus ipse sua ordinatissima mutabilitate, & mobilitate, & visibilium omnium pulcherrima specie quodammodo tacitus, & factum se esse, & nonnisi a Deo ineffabiliter, atque invisibiliter magno, & pulchro fieri se potuisse proclamat.* Neque Augustinus tantum vim hujus argumentationis percepit, eamque ratus est plurimum valere ad confutationem atheorum: sed etiam ea usi sunt alii Patres, Clemens Alexandrinus in quinto libro Stromateon, Tertullianus in 1. adv. Marcionem, Gregorius Nazianzenus Oratione quarta ac tricesima, Joannes Damascenus de fide Orthodoxa, Titus Bostrensis lib. 2. adversus Manichæos, Boethius in 3. de Consolatione Prosa 12. nec non Philo Judæus in libro primo de Monarchia, Dio Chrysostomus oratione 12. Simplicius, Sextus Empiricus, aliique in priori capite libri 1. Theologicorum Dogmatum laudati a Viro Societatis Jesu doctissimo Dionysio Petavio. Addere possumus ex Patribus Joannem Chrysostomum hom. 9. ad Populum Antiochenum, Lactantium lib. 2. cujus supra meminimus, Minutium Felicem in Octavio, & alios. Neque tamen probationem istam depromptam ex universi constitutione, ordine, pulchritudine, atque regimine, ceteris præferendo, alias excludimus a Theologis, & Philosophis illustratas, ac petitas maxime a serie causarum efficientium, quarum una producitur ab alia; nec tamen in iis procedi potest in infinitum, sed necessum est ut deveniatur ad unam supremam, principem, improductam, quæ sit a se, aliarumque omnium principium: necnon ex rerum productarum contingentia, qua esse possunt ac perire, & modo formam unam recipiunt, modo alteram, ideoque non habent a seipsis existentiam, nec in aliquo existendi modo determinationem; prout S. Thomas 1. p. quæst. 2. art. 3. & complures Theologi ratiocinantur.

„ Quod nuper dixi de rebus productis, quarum materia ad hanc vel ad illam formam, ad hanc item vel ad illam figuram indifferens est, refellit systema Spinosæ autumantis Deum esse materiam æternam, unam, immutabilem, eamdem in cunctis rebus, tametsi variis modis affectam: idque in tertio Antilucretii libro hac ratione refutat Melchior S. R. E. Cardinalis de Polignac:

„ *At quia quod per se est, infinitum esse necesse est,*
„ *Nec tamen id rerum innumero, velut ante docebam,*
„ *Fas reperire fuit, monstro nil territus omnem*
„ *Abjecit numerum: nec multis partibus auctam*
„ *Materiæ summam voluit Spinosa, sed unam*
„ *Atque individuam, vere sine partibus ullis,*
„ *Immensamque atomum. Demens, qui se ipse, Deumque*
„ *Confudit ranis ac muribus: & proprium nil*
„ *Sensit inesse sibi, vel cum se scire videret*
„ *Ignorante alio, atque alio lætante doleret.*
„ *Egregium numen, cultro quod scindere possis!*
„ *Non scinditur, ait, quamvis quæ membra videntur*
„ *Corporis immensi forte in diversa locorum*
„ *Transtulerim; quod scindit enim, & quod scinditur unum est.*
„ *Insulse: si carnificem gladiumque necata*
„ *Distingui nolit, nec progenitore creatum,*
„ *Nec pastore lupos, nec vivis luce carentes.*
„ *Nam varios res una modos assumere quamvis*
„ *Temporibus possit variis; pugnantia numquam,*
„ *Ut mortem vitamque, assumet tempore in uno.*
„ *Nec simul esse potest quadrata simulque rotunda,*
„ *Et capere adversas cum simplicitate figuras:*
„ *Vel si quadratur partim, partimque rotunda est,*
„ *Non jam individua, aut simplex, aut una putetur.*

CAPUT III.

Reliqua Epicuri, Lucretii, Spinosæ, aliorumque Atheorum cavillationes dispelluntur.

Plura contra Atheismum conscripsi. Reliquum est, ut Atheorum argutiunculæ convellantur; maxime quod dissertationem susceperim amplam, eaque sit majori ex parte absoluta.

Opponunt ergo 1. Deum nemo vidit unquam; Ergo creditur Deum esse propter educationem Parentum, hominumque insinuationem, cum præjudicio rationis.

Lepide respondet Grotius lib. 1. de Verit. Rel. Christ. cap. II. Ne bestias quidem capere quid sit homo; multo minus scire qua ratione homines respublicas instituant ac regant, astrorum cursus metiantur, mare navigent. Sed olim hæc S. Pater in Psalm. LXXII. n. 25. *Non video, inquit, quid crediturus sum? Anima enim tua videtur, ut opinor? Stulte, corpus tuum videtur; animam tuam quis videt? Cum ergo corpus tuum solum videatur, quare non sepeliris? Miratur, quia dixi, Quare non sepeliris? Et respondet, (sapit enim ad hoc) Quia vivo. Unde scio quia vivis, cujus animam non video? unde scio? Respondebis, Quia loquor, quia ambulo, quia operor. Stulte, ex operibus corporis agnoscis viventem: ex operibus creaturæ non potes agnoscere Creatorem?*

Reponit Atheus, & hanc animam nihil esse præter volubiles auræ ignisque particulas: una cum corpore nasci, adolescere, interire: experimento compertum esse quod in puero non viget animus, deficit in sene. Abs re ergo est exemplum allatum ab Augustino.

Resp. Sit anima, prout vis, ac pereat. At tu illam præcipue locas in quarto quodam innominato maxime mobili, ac persubtili, quod neque vides, neque scis definire. Ergo, te judice, est aliquid quod non videtur. Verum Atheum habeo: Non sufficiunt, inquit, ad animæ perceptionem atomi aereæ & igneæ, quoniam hæ nequeunt efficere motus sensiferos, ideoque hi tribuendi sunt cuidam naturæ, quæ est expers nominis, &

Qua neque mobilius quidquam, neque tenuius extat,

ait Lucretius. Atqui hæc natura tenuissima & persubtilis non est corpus, sed spiritus; quippe si non potest inesse vis sentiendi & cognoscendi in particulis auræ & caloris, neque sita est in aliqua corporea natura, qualiscumque ea sit, cum vis intelligentiæ omne corpus quantumvis diminutum, superexcedat: Ergo Anima erit Spiritus, ideoque immortalis. Utique si anima corpus esset, ejus particulæ deberent esse volubiles ac tenuissimæ: sed illam corpoream esse nondum Athei probaverunt. Nam quod affirmant animam nasci, adolescere, ac deficere, quia puer est ad percipiendum ineptus, & senex desipit, id hoc exemplo Thomas Creechius diluit Censura in III. Lucretii. *Similiter artificem peritissimum in machina colloces, aliæ vero partes istius machinæ nimis rigescant, aliæ sint æquo flaccidiores, deterantur aliæ, aliæ autem nimis turgescant; & deinde stulte expectabis ordinatos motus, licet maxime elaboret peritissimus ille artifex.* Sed de immortalitate animæ non est hujus loci disserere. Illud tantum animadverte, Epicureos illam idcirco negavisse, quod hominis beatitudinem in corporis constituerent voluptate, ut dixi initio istius libri: unde sequitur loco nuper laudato Augustinus: *Et forte qui dicit, Cum mortuus fuero, postea nihil ero, & literas didicit, & ab Epicuro didicit hoc, nescio quo deliro philosopho, vel potius amatore vanitatis, non sapientiæ, quem ipsi etiam philosophi porcum nominaverunt: qui voluptatem corporis summum bonum dixit, hunc philosophum porcum nominaverunt, volutantem se in cœno carnali. Ab illo forte didicit iste literatus dicere, Non ero posteaquam mortuus fuero.*

Opp. 2. Mundus, & quidquid in eo continetur, a nullo artifice sempiterno, & ratione ac sapientia prædito productus fuit: Ergo illius artificis existentia ex rebus procreatis minime evincitur. Antecedens pluribus momentis ostenditur. I. Imperceptibile est Deum sempiternum mortalem fecisse Mundum, & postquam innumerabilibus ante sæculis cessavit, repente extitisse fabricatorem universorum: cur delectari voluerit, quasi signis, arboribus, animantibus, sideribus: quomodo potuerit inde gloriam voluptatemque nancisci, si nunquam potuit honore, & felicitate carere: quærendum esse, quibus usus sit ferramento, vectibus, machinis, ministris ad tale opus construendum: si ut melius habitaret, corpoream lucem, cœlosque creavit, consequens esse, ut prius infinito tempore in tenebris, tamquam in gurgustio latuerit. II. Si hominum caussa hæc constituta fuerunt; Sapientum ne, an stultorum? non sapientum, nam propter paucos tanta facta non est rerum creatarum molitio, perpauci enim sunt, qui sapiant: non stultorum, quoniam ii potius debuerant tali beneficio privari. Urget hæc duo argumenta Vellejus apud Ciceronem lib. I. de Natura Deorum. III. Temere & fortuito Mundum esse conditum infert Lucretius lib. V. ex confusione, atque inordinatione partium, quarum plurimæ sunt penitus hominibus destitutæ vel propter assiduum frigus, vel propter nimium calorem; aliæ volucribus, belluis, ac reptilibus destinatæ, ut aer, montes, silvæ, mare, paludes. IV. Agri natura sua sentibus obducuntur, & terra maxima hominum industria ac labore sata frugesque producit; interdum vero subita grandinum tempestate, vel aquarum inundatione perduntur camporum germina: in qua sane vicissitudine nihil divinum apparet. V. Si pro hominibus prudens artifex procreasset terrena, non productæ essent immanissimæ feræ, quæ nobis mortem intentant, neque easdem maria, saltusque enutrirent; aut saltem non inesset viventibus vitæ amor, & mortis horror. Cum igitur fortuito eventu accidant morbi, pestilentiæ, & intempestivus viventium interitus, apparet nullam esse supremi numinis providentiam. VI. Si aliquis Deus pro hominibus Mundum creasset, foret homo omnium animalium præstantissimum: At non ita est: Hominis infelicitatem testatur vagitus infantium, humani corporis nuditas atque imbecillitas, vestium, alimentorum, domorumque indigentia. Quare videtur quodlibet, vel minimum animal hominem sua conditione antecellere: ut enim pecudes, ac bruta nascuntur, non egent præceptoribus, nutricibus, indumentis, neque turribus, mœnibusque, ut se, ac sua ab hostium incursione defendant. Hæ sunt præcipuæ Atheorum argutiæ.

Resp. ad argumentum nego ant. ad 1. probat. dico primum quod illud etiam docere debent Epicurei, cur materia æterna sit, habeatque ingenitum motum, & tamen post innumera sæculorum spatia apparuerit Mundus iste sensilis, cui & ipsi contra quosdam Philosophos attribuunt principale tempus, ac futurum interitum. Illa autem quies per immensa tempora in summe perfecta caussa nulla ratione fingitur; siquidem tempus mensura est existentiæ creaturæ mutabilis, & antequam creatura esset, tempus non erat; quod proinde, ut fuse tradit Plato in Timæo, cum cœlo, ac terra creatum est. Hinc Augustinus lib. XII. de Civit. Dei cap. XV. ait: *Ubi nulla creatura est, cujus mutabilibus motibus tempora peragantur, tempora omnino esse non possunt.* Et lib. XI. Conf. cap. 13. *Si enim ante cœlum, & terram nullum erat tempus, cur quæritur, quid tunc faciebas? non enim erat tunc, ubi non erat tempus: nec tu tempora præcedis, alioquin non omnia tempora præcederes, &c.* Neque ministris, instrumentis, vectibusque eget omnipotens artifex; quin e contra horum necessitas arguit artificis impotentiam. Sed de hoc priori argumento vide citato loco Augustinum, nec non Petrum Abaelardum lib. 3. Introduct. cap. 6. & Franciscum Piccolomineum lib. de Placitis veterum Philosophorum cap. 20.

Alterum sic diluitur: non est Deus, ut fingitur, adeo parcus, & malevolus, ut nihil agat caussa nostri, sed omnia suipsius emolumento. Produxit ergo mundum propter homines, (quamquam causa princeps fuit infinita ejus bonitas) & principaliter propter sapientes; quorum nomine non Stoicos, non Platonicos, non Epicureos significamus, sed rectos ac integros, quorum magna semper fuit in omni ætate multitudo. Quod vero multi sint mali, id non a summo bono procedit, sed ab humanæ voluntatis arbitrio: cujus vitium etiamsi sapientissimus auctor præviderat, nihilo tamen minus maluit hominem condere, ut sapientes Creatorem diligerent, quam majus non permittere, ut libertatis beneficium in rationali creatura periret. Cumque in improbis Dei justitia, exercitatio bonorum, & superni numinis providentia deprehendatur, *Melius judicavit de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere*: ait in Enchiridio ad Laurentium S. Pater.

Tertio autem argumento occurro affirmans partes mundi, quas Lucretius inordinatas appellat, maximum commodum afferre, & esse singulas Opificis sui testimonium. Nam montes fluctus maris coerçent, defæcatissimum habent aerem, sylvas ac secessus, quibus degunt armenta, necnon homines a mundanis curis semoti: rupes metallorum ac marmorum continent fodinas: quæ omnia si in planicie essent, non daretur diversa terræ facies, nec ferarum antra essent ab hominibus segregata; sed forent omnia confusione permixta. Flumina vel imperia dividunt, vel pisces alunt, vel hortos irrigant, vel urbes exornant. Nulla dicitur esse in mundo fertilior terrarum pars India; quæ *tota*, inquit Strabo lib. XV., *amnibus irrigatur*: nullaque apud Europæos venustior Italia, quam abluit Tibris, Padus, Arnus, Athesis. Ex mari consurgunt nubes, imbres, multique vapores, quibus fecundantur campi, & aer reparatur: cum enim solis ardores irrequietis ignibus totam regionem inter cœlum ac terram exagitent ac resolvant; necessarius erat latissimus aquarum cumulus, ex quo aer posset restaurari, terraque esset hominibus habitabilis. Mitto navigiorum, quibus a remotissimis orb ad nos amplissimæ deferuntur divitiæ, per quammaximam commoditatem. Caloris, ac frigoris, nisi alia vis esset, profecto hæc non est parva, quod in rectissima cœli revolutione dum frigus nobis tellurem gravidat, remotissimis terræ partibus æstivus ardor maturas fruges apportat. Detestabile est ergo Lucretii vitium, quod ea, quæ primo aspectu deformia videntur magno verborum apparatu commemorat, altoque silentio illorum præterit utilitatem.

Ad

Ad quartum vera est responsio, quod terræ sterilitas pœna est peccati Adæ, cui post transgressionem dictum fuit a Domino Gen. III. v. 17. *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, &c.* Sed quoniam divinam legem, ac justitiam Athei contemnunt, dico ex tanta rerum vicissitudine induci homines, ut terrena cuncta despiciant, & labore manuum suarum victitantes nequaquam otio torpescant; nam ut apposite Manilius lib. 1. Astronom.

Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemque
Advigilare sibi jussit fortuna premendo.

Ejusdem rationis est quod quinto loco consequitur. Mors enim, & ferarum inimicitiæ sunt originalis culpæ stipendium: quam si Atheus ignorat, experiri saltem potest, vino, livore, ac venere sibimet homines exitium accelerare. Nullas item esse inter feras, quæ aut ad victum, aut ad voluptatem, aut ad morborum medicamenta non conferant: quod, cum plura legi possint apud Tullium in 2. de Nat. Deorum, & Steuchum in VII. de perenni Philosophia, satis est innuisse.

Ad postremum, quo Lucretius naturam in homine fabricando iniquitatis insimulat, eamque Plinius lib. VII. tanquam novercam conviciis proscindit, non alia est adhibenda responsio, quam Lactantii in libro de Opificio Dei. Nam unumquodque animal vel a conditione naturæ, vel a ratione instrui necesse est; si autem naturalibus munimentis instruatur, supervacanea est ratio: quid enim excogitabit? quid faciet? quid molietur? in quo lumen illud rationis ostendet? Si autem ratione sit præditum, quid opus erit sepimentis corporis, cum semel concessa ratio naturæ munus possit implere? Respondemus itaque Atheis longe potiorem esse hominum conditionem, quam pecudum; quippe illi quidquid necessarium est prudentia sibi comparant, & industria conservant. Neque enim ullum futurum fuisse arbitramur, qui, si illi data fuisset optio, non elegisset sapientiam cum imbecillitate corporis, potiusquam brutorum feritatem absque ratione.

Opp. 3. Contingem omnia casuali atomorum incursione demonstrant ostenta, quæ in omnium rerum generibus conspiciuntur: nam Augustinus in XVI. de Civit. Dei cap. VII. & VIII. plura enarrat monilm hominum, sive androgynorum, sive lunatas plantas, sive binos tantum digitos habentium, sive brutorum capita, aliave membra referentium. Quandoque etiam equos, vitulos, avesque, mulieres fuisse enixas produnt historiæ: neque in solis hominibus, in piscibus, in quadrupedibus, in quacumque animantium, ac plantarum specie monstrosa haud raro spectantur: Atqui si rebus singulis præesset sapiens, ac providus auctor, ille portenta ejusmodi averteret: Non ergo extat auctor iste sapiens, providusque.

Resp. nego min. nam quælibet ostenta, ac monstra supremi Numinis existentiam commonstrant, non avertunt. Etenim cum sint, fatentibus Atheis, certæ naturæ leges, ac imperturbabilis ordo, ut supra cap. 2. mom. 3. probatum est; quidquid præter naturæ cursum contingit, ostendit esse primam caussam, quæ, prout lubet, rerum naturalium ordinem immutat, ut nova ac mira cernentes in sui convertat admimtionem. *Deus enim creator est omnium, atque ubi, & quando creari quid oporteat, vel oportuerit ipse novit: sciens universitatis pulchritudinem quarum partium vel similitudine, vel diversitate contexat. Sed qui totum inspicere non potest, tanquam deformitate partis offenditur: quoniam, cui congruat, & quo referat ignorat*, ait S. Pater loco nuperrime laudato. Insuper hæc ostenta vel sunt supra naturam; eaque a nobis vera miracula appellantur, ac evincunt esse Deum omnipotentem, qui facit mirabilia magna solus, in nostræ quidem Fidei, ac veritatis invictissimum argumentum, nunquam vero in gratiam Atheorum. Vel sunt præter naturam, qualia a nobis dicuntur *monstra*; istaque ex defectu caussarum secundarum proveniunt, non superioris ac primæ, quæ omnes effectus suos ita constituit, ut possint sæpenumero commutari, ac deficere.

Opp. 4. Creaturæ contingentes sunt, & nullam habent cum infinita caussa proportionem: Ergo nequeunt nos in Dei notitiam certissime manuducere.

Resp. dist. ant. Contingentes sunt, scilicet, mutationi obnoxiæ ac defectibiles; conc. idest a caussa productrice, ut existant, nequaquam pendent; nego. Potest artifex domum E. G. ædificare, & non ædificare. At constructa domo firmissime ratiocinamur: Est domus; ergo ab artifice constructa est. Possunt pariter produci, & non produci creaturæ: existentibus tamen recte infertur, sunt, igitur a supremo conditore fuerunt productæ. Proportio item inter effectum & caussam necessaria non est ad probandam solam ejusdem caussæ existentiam: non enim necesse est domum vivere ac intelligere, ut certo scias vixisse cæmentarios, atque intellexisse architectum: imo nulla caussa æquivoca eamdem habere potest cum effectu suo perfectionem.

Opp. 5. Quod est omnino simplex, aut totaliter cognoscitur, aut totaliter ignoratur: Deus est omnino simplex: Ergo Deus aut totaliter cognoscitur, aut ignoratur totaliter: Atqui a Viatoribus nequit perfecte cognosci: Ergo debet penitus a Viatoribus ignorari.

Resp. ex doctrina nostri Ariminensis plures esse voces & conceptus simplices in se, quæ tamen plura connotant, id est, consignificant, ut terminus iste *creatio*, cui respondet res quælibet producta ex nihilo. Talem conceptum, ac terminum appellat præclarissimus Doctor conceptum, ac terminum connotativum, atque complexum. Itaque dist. maj. Quod est prorsus simplex, vel totaliter cognoscitur, vel totaliter ignoratur, si non valeat exprimi voce, & conceptu connotativo & complexo, esto: si vocem, & conceptum connotativum, complexumque habeat, nego majorem.

Opp. ultimo. Ipsi corporeæ materiei nequaquam repugnat summa Providentia, ac Sapientia; aviculæ namque dum nidos struunt, ovisque incubant, ingenium magnum præseferunt: apis plusquam humana sapientia mella colligit, & ædificat laquearia: formica minimum animal adeo est provida ac solers, ut Proverb. VI. vers. 6. legatur: *Vade ad formicam, o piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat.*

Resp. aves, formicam, apem, omnia viventia ac mortua dirigi ab auctore naturæ, & prædita esse sapientia, quam scholæ appellant *passivam*. Intolerabilem vero esse Atheistarum dementiam, qui cum videant animantia hæc minima omnium hominum artem, & opificium excedere, velint tamen singula sine sapientissimo Opifice procreata. Quis enim peritissimus artifex unam aviculam, apemque humana efficiet industria? Itaque mittamus insipientes, quos vel una bestiola confutat.

SCHOLION.

„ Leviora quædam remanent discutienda. Quorum primum est, non esse numerum Atheorum tam exiguum atque spernendum, ut præcedenti capite 2. *mom. ult.* dicebamus. Enimvero præter Americanos, vetustos Æthiopes, & philosophos quoque pollentes ingenio, quorum argumenta complexus est Cicero in libris de Nat. Deorum, plures extitisse, qui etiam in cultissima Italorum regione professi sunt Atheismum, Samuel Parckerus, Buddeus, Reimannus, aliique, qui de Atheismo ac superstitione scripsere, litteris tradiderunt. Quibus ii accensendi sunt, quos in suo opere inscripto *Athei detecti* ingeniosus enumerat Harduinus. Labascit itaque argumentum illud, quo Dei existentiam commonstrari solet ex parvo numero, & ex ignorantia Atheorum. Deinde longe plures sunt, qui non unum, sed Deos plurimos coluerunt: plures item, qui *Pantheismum* commenti sunt, scilicet, omnia Deum esse putarunt. Ut ergo ex istorum sententia nequit inferri vel multos Deos existere, vel Deum esse quodcunque sumus, quocumque movemur; ita ex aliorum assertione non demonstratur invicte unum supremumque esse Numen. Præterea: Quot fuere, non philosophi tantum, verum etiam, ut inquiunt nonnulli, veteres Patres, & proculdubio Gnosticorum ingens numerus, qui materiam, ex qua corporea quælibet condita sunt, putarunt ingenitam esse, & Deo coæternam? Ex productione itaque materiæ, rerumque ipsa conflatarum, non videtur evinci virtus, & persistentia Conditoris. Insuper quæcunque creata sunt, limitationem habent, atque finitatem, ideoque caussam infinitam perfectissimamque sui productricem non postulant. Postremo videtur aliquibus legislatores virosque prudentes ad cohibendos improbos religionem Numinisque potentiam excogitasse, ut nimirum timore concussi, & formidine pœnæ a perpetrandis sceleribus retraherentur, eo ferme pacto, quo pueruli solent deterreri inanibus spectris ac larvis: unde Petronius Arbiter in Satyrico,

„ *Primus in orbe Deos fecit timor, ardua cœlo*
„ *Fulmina quum caderent.*

„ Hæc tamen eadem, qua præcedentia objectamenta, facilitate diluuntur. Ac primum quidem, nam qualicunque numero sint Athei, quos ego puto esse perpaucos, quoniam inter Americanos quoque rudiores inveniri specimen quoddam religionis, & aliquam numinis, quod formidant ut reverentur, obscuram licet & confusam persuasionem viri docti fatentur: solvit cavillulum illud Lactantius, scribens lib. 1. de falsa mfigione cap. 2. *Nemo est tam rudis, tam feris moribus, qui oculos suos in cœlum tollens, tametsi nesciat cujus Dei providentia regatur hoc omne quod cernitur, non aliquam tamen esse intalligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulcritudine, temperatione:*

» *nec posse fieri quin id, quod mirabili ratione constat, consilio majori aliquo sit instructum*. Prudentius item in Apotheosi.

» *Attamen in cœlum quoties suspexit, in uno*
» *Constituit jus omne Deo, cui serviat ingens*
» *Virtutum ratio, variis instructa ministris.*

» Illi itaque Athei inexcusabiles sunt, ignorantia laborant vincibili, & sola rerum creatarum contemplatione illam possunt quamfacillime exuere. Alterum eadem facilitate expeditur, tum quia Deum unum esse ratione assequi possunt cultores numinum profanorum; tum etiam quia in Deorum multitudine unum ceteris antiquiorem, ac potentiorem esse non denegant, sit Jupiter, sit alius quispiam. Vide Clementem Alexandrinum in Protreptico ad Gentes, Justinum in libro de Monarchia, ceterosque collectos ab Augustino Engubino in libris de Perenni Philosophia, a Nicolao Lenglet in notis ad Lactantium lib. 1. cap. 5. &c. Ejusdem est generis, quod sequitur tertio loco; siquidem & materiam non semper extitisse physicis argumentationibus demonstratur, eo quod ens æternum debet esse immutabile, simplex, neque contingentibus, variisque mutationibus obnoxium; & si disputandi gratia demus eamdem materiam semper fuisse, non tamen inde consequeretur non fuisse creatam a Deo in illorum sententia, qui sempiternam dixere: atque ulterius tametsi fuisset æterna, quod nec fuisse, nec esse potuisse nos arbitramur, quum iners sit, & ad sibi figuram & formam dandam prorsus impotens, eguisset artifice, qui ex illa cuncta educere & effingere valeret. Quapropter Ovidius, qui in Metamorphoseon priori libro informem illam & indigestam materiam ante res omnes extitisse supponit, ei Deum distinctionem, propriamque & singularem elementorum rerumque compositarum distributionem addidisse, scite eleganterque affirmavit, Ita enim ait:

» *Ante mare & terras, & quod tegit omnia cœlum,*
» *Unus erat toto naturæ vultus in orbe,*
» *Quem dixere chaos, rudis indigestaque moles.*

» Illa vero permixtione & confusione descripta, prælaudatus Poeta prosequitur:

» *Hanc DEUS, & melior litem natura diremit.*
» *Nam cœlo terras, & terris abscidit undas:*
» *Et liquidum spisso secrevit ab aere cœlum.*
» *Quæ postquam evolvit, cæcoque exemit acervo,*
» *Dissociata locis concordi pace ligavit.*

» Et post pauca:

» *Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille Deorum,*
» *Congeriem secuit, sectamque in membra redegit,*
» *Principio terram, ne non æqualis ab omni*
» *Parte foret, magni speciem glomeravit in orbis.*
» *Tum freta diffudit, rapidisque tumescere ventis*
» *Jussit, & ambitæ circumdare litora terræ.*
» *Addidit & fontes, & stagna immensa, lacusque,*
» *Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis;*
» *Quæ diversa locis partim sorbentur ab ipsa,*
» *In mare perveniunt partim, campoque recepta*
» *Liberioris aquæ, pro ripis litora pulsant.*
» *Jussit & extendi campos, subsidere valles,*
» *Fronde tegi sylvas, lapidosos surgere montes.*
» *Utque duæ dextra cœlum, totidemque sinistra*
» *Parte secant zonæ, quinta est ardentior illis:*
» *Sic onus inclusum numero distinxit eodem*
» *Cura DEI, &c.*

» Tametsi ergo materia fingatur æterna, non excluderetur supremus & omnipotens Deus, qui ex præexistente materia universas res corporeas condidisset in tempore. In quarto autem argumento solvendo non morabor. Etenim causa effectus finiti, si non sit prima, & ipsa ab alia dependet, & commutabilis est, contingens, imperfecta. At si prima causa sit, independens est ab alia, a se & per se subsistens, immutabilis, perfectissima. Quamquam in serie causarum secundarum, licet ipsæ mutabiles sint ac finitæ, relucet invariabilis ordo, & lex quædam perpetua motus, dispositionis, actionis, quæ longe illarum naturam virtutemque supergreditur, & auctorem suum ostendit potentia summa, & sapientia incomprehensibili præditum. Amplior quoque & dispar virtus necessaria est in Causa prima, quæ res producit ex nihilo, & in causa secunda quæ res educit ex materia existente: atque delirat omnino, qui in utrisque similem agendi vim ac potestatem credit inesse. Detur tandem legislatores aliquos, ut Lycurgum, & Numam, statuisse cultum Deorum, legesque ad incutiendum impiis terrorem, civesque in officio continendos: lex tamen omnium vetustior, si de legibus scriptis loquamur, est Mosaica religionis causa potissimum promulgata. Sed ad improbos perterrefaciendos quid præstaret notitia Numinis, si nullum esset, idque possent iidem improbi sibimet suadere? Oportet etiam, ut quemadmodum in moderatore Reipublicæ est facultas largiendi præmia ad incitamenta virtutis, & irrogandi pœnam ad scelerum cohibitionem, ita sit utraque facultas in Universi Moderatore, alioqui præferenda esset dignitas ac potestas peculiaris rectoris, dignitati ac potestati rectoris universorum. Ceterum magis iis timendum esse, qui ut liberius indulgeant voluptatibus, vitiisque dent operam, dicunt in corde suo, *Non est Deus*, quam timendum sit nobis, qui Deum misericordem simulque justum agnoscentes ducimur non tantum pœnæ formidine, sed etiam spe retributionis & amore justitiæ, sapienter demonstrat hisce versibus Eminentissimus Auctor Antilucretii lib. I.

» *Durum opus est, ais. At gratis bona nulla parantur.*
» *Nonne etiam ipsa tibi venit, erupitque labore voluptas?*
» *Ignotus Deus est, inquis. Sed noscere quanti est?*
» *Cujus res agitur, lite hac pendente? Dei ne,*
» *An tua? Si obscurum est vitam post fata futuram;*
» *Clarius est ne tibi penitus nihil esse futurum?*
» *Si liquet, ostendas, etenim vulgata neganti*
» *Hoc incumbit onus: si non liquet, inde timendum.*
» *Nil metuis, certique loco tibi stare videtur*
» *Quod dubium est. Sequeris dulces pro luce tenebras;*
» *Nempe placent: Placet exitium: Nox te illa necabit.*

CAPUT IV.

Quædam præcedentium consectaria proponuntur, atque explanantur.

INquirunt Scholastici, an hæc Propositio, *Deus est*, sit per se nota, an saltem adeo sit naturali rationi obvia, ut nullus hominum, quantumvis sylvestris ac rudis, possit eam impune, & absque culpa ignorare: quæ duo, tametsi ex dictis apertissime consequuntur, sunt tamen hoc loco juxta scholæ consuetudinem definienda. Itaque propositionem per se notam eam dicimus, quæ sola clara perceptione terminorum redditur manifesta, neque ut illi assentiamur opus est ratiocinatione, & discursu. Quod enim Theologi dividant propositionem per se notam, in per se notam in se, & per se notam respectu nostri, prioremque definiant eam, in qua de re aliquid enunciatur quod ipsi essentialiter convenit, propter illorum auctoritatem recipio; sed hanc dici vellem *essentialem*, non *per se notam*: quippe notum aliquid appellatur relate ad mentem, quæ noscit. Illud ergo quæritur tantum, sitne per se nobis manifestum Deum existere; præsertim cum omnes fateantur Deo essentialiter competere existentiam, quod, ut monui, dicunt esse notum *quoad se*. Porro affirmativam sententiam tenent, quotquot ideam Dei ingenitam defendunt, necnon Scotus, Aureolus, D. Bonaventura, horumque discipuli, qui tamen diversa a nobis ratione ducuntur. Aliorum quidam docent illam propositionem nullatenus esse notam viatoribus, ut Thomistæ omnes, & ex nostris Gibbon, Puteanus, Benedictus a Sancto Jacobo, ac sapientissimus Magister Henricus Florez, quem Deus optimus maximus diu servet incolumem. Quidam vero affirmant notam esse sapientibus tantummodo, ut Ægidius, Gerardus, Argentinas, Lafosse, Gavardi, aliique Nostrates.

PROPOSITIO I. Hæc enunciatio, *Deus existit*, est nobis per sese nota ac manifesta.

Probatur: Propositio dicitur per se nota, cui perceptis terminis absque alia ratiocinatione humana ratio assentatur: Huic enunciationi, *Existit Deus*, perceptis terminis absque ullo medio discursu mens assentitur: Ergo enunciatio ista, *Deus existit*, dicenda est per se nota. Minor probatur iisdem momentis, quibus cap. 1. statuimus inesse cuique Dei notitiam ingenitam, quorum summa hæc est: Alicui enunciationi statim ac voces, terminique innotescunt, ratio humana assentitur, quotiescumque in clara eorumdem terminorum perceptione elucet quidquid in propositione enunciatur, etiamsi aliquando primo aspectu minime a rudibus intelligantur. Est enim per adversarios per se nota nobis hæc propositio: *Incorporea non sunt in loco commensurative*, tametsi ignarus statim non percipiat quid sit res incorporea, quidque loco commensurari, quoniam ubi quisque hujus enunciationis intima perceptione penetrat terminos, ei penitus acquiescit: Atqui in clara idea, ac notione hujus nominis *Deus* relucet apertissime existentia, quamvis ultro daremus Adversariis, esse inter incolas Capitis Bonæ Spei, & Canadensium plerosque barbaros plane inscios, ut nunquam Dei nomen audierint, de quibus sup. cap. 2. mom. ult. Ergo huic propositioni, *Existit Deus*, quisque perceptis vocabulis absque ullo discursu acquiescit. Minor propositio, præterquamquod cap. 1. comprobata est, traditur ab Augustino lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 1. ab Anselmo in Alloquio cap. 2. necnon a Cicerone in lib. 1. de Nat. Deorum, a Sexto Empirico in VIII. adversus Mathematicos; neque, fatentibus omnibus, quisquam est, qui certa animi notione non præsentiat, talem esse Deum, ut in omni natura nihil possit esse præstantius. Sed in perceptione, ideaque rei perfectissimæ ac præstantissimæ elucet existentia, quæ est prima

rerum

rerum omnium perfectio, ut diximus Prop. 2. cap. 5. Ergo, &c.

Resp. Ludovicus Habert, in notione summi boni includi quidem existentiam objectivam, sed non realem; idest, terminum illum *Deus* excitare in intellectu ideam summi boni, ideoque existentis; sed utrum revera istud summum bonum detur a parte rei, non ipsa terminorum apprehensione probari, sed inspectione creaturarum. At hæc responsio nequit sententiam nostram labefactare, eo quod realis existentia est maxima perfectio, & consequenter in idea summi boni concipitur etiam existentia realis, ut loco citato demonstravimus: ac præterea summi boni existentia non solum rerum creatarum contemplatione, sed etiam intima conscientia, insitaque idea deprehenditur.

Opp. 1. cum Friderico Gavardi, & Henrico Florez. Propositio per se nota a nullo negatur: Hæc propositio, *Existit Deus*, negatur ab aliquibus: Ergo non est per se nota omnibus. Minor est S. P. Augustini, qui serm. 10. de verbis Domini explanans verba Psalm. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*, ait: *Insania ista paucorum est*; & Tract. 106. in Joannem: *Exceptis enim paucis, in quibus nimium natura depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem*. Igitur aliqui licet perpauci, Deum negans.

Possem respondere juxta ea, quæ diximus cap. 2. num. ult. nullum fortassis fuisse atheum speculative; & producta Augustini testimonia de improbis, qui Deum negant, practice esse exponenda; siquidem S. P. in Psalmum XIII. ait: *Nec ipsi enim sacrilegi & detestandi quidam philosophi, qui perversa, & falsa de Deo sentiunt, ausi sunt dicere, non est Deus. Ideo ergo dixit in corde suo; quia hoc nemo audet dicere, etiamsi ausus fuerit cogitare. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in affectionibus suis: idest, dum amant hoc sæculum, & non amant Deum; ipsæ sunt affectiones, quæ corrumpunt animam, & sic excæcant, ut possit etiam dicere imprudens in corde suo, non est Deus*. Quo in loco Augustinus docet esse quosdam atheos, qui dati in reprobum sensum cogitant Deum non esse, ne illum tanquam Deum glorificent; at nequeunt quod cogitant ignorare, ut sequenti propositione plane ostendam. Veruntamen transm. maj. dist. min. Hæc enunciatio, *Existit Deus*, negatur ab aliquibus, perceptis terminis, eorumque inspecta notione, nego. Nulla habita ratione terminorum, ac ideæ, quæ hisce terminis subest, conc. minorem. Porro hæc propositio, *Omne totum est majus sua parte*, consensu omnium est per se nota; & tamen aliqui eam negaverunt, ut scribit Ægidius Romanus in III. dist. 39. q. 3. & Mag. Florez in quæst. 1. de Exist. Dei num. 3. quoniam nondum plane rerum significationem perceperant. Igitur nihil mirum, si quidam barbari, rudesque negaverint propositionem illam, *Existit Deus*, non attendentes ad notionem terminorum, qui ampliorem quoque exigunt expositionem, quam postulet præcitatum Geometricum axioma.

Dices: Si requiritur terminorum perceptio; erit ergo ea propositio tantum sapientibus per se nota, ut affirmat Ægidius, imo & Psalmista, ubi ait: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*.

Resp. nihil magis me in votis habere, quam præclarissimis Theologis consentire, maxime vero Romano Ægidio omnium nostrum facile principi. Sed assero ad percipiendam significationem hujus nominis, *Deus*, nullius opus esse scientiæ comparatæ ratiocinio ac discursu; sufficere autem naturalem rationem, intimamque conscientiam. Nam quod Psalmista ait negare, quod Deus sit, solos insipientes, id parum Adversariis suffragatur; tum quia Augustinus nomine insipientium comprehendit etiam sacrilegos, ac detestandos philosophos, qui humana sapientia pollebant: tum etiam, quoniam non solum scripturarum more; verum etiam Platonico dicuntur insipientes qui improbi sunt, etiamsi sapere plurimum videantur. Paucis id expressit in notis Psalm. doctissimus Bossuet, & venuste Italico carmine Cl. Gregorius Redi.

Opp. 2. cum Thomistis. Ad propositionem per se notam requiritur cognitio terminorum, & immediata, &, prout Scholæ loquuntur, quidditativa: Terminus istius Propositionis, *Deus est*, non cognoscitur immediate, sed ex rebus aspectabilibus, & ex effectibus, non in se, atque intuitiva visione, nisi in cœlesti Patria a beatis: Ergo ea Propositio, *Existit Deus*, nulli creaturæ, si beati excipiantur, est per se nota.

Resp. conc. prima parte majoris, nimirum quod termini propositionis per se notæ debeant immediate cognosci, nego alteram, scilicet quod necessario cognosci debeant *quidditative*, si per cognitionem quidditativam intelligas vividam, ac plenissimam Dei visionem; quod si intelligas cognitionem inadæquatam, idest, solius existentiæ, & etiam aliarum perfectionum notitiam confusam, & ænigmaticam, ut explicavi in Resp. ad 2. Opposit. Prop. 1. Cap. 1. huic etiam parti subscribo. Servata autem syllogistica forma, dist. minorem: Deus cognoscitur mediate per creaturas, tantum, nego. Per creaturas, & per indefectibile lumen unicuique intime præsens, concedo. Vide quæ diximus loco nuperrime citato. Neque dicas propositionem per se notam nullatenus posse per effectus demonstrari, ut manifestum est de illo metaphysico principio, *Quodlibet est, vel non est*; id enim valet, quotiescumque propositionis subjectum nullos habet effectus, quibus comprobari possit illius existentia; secus si effectus habeat, ut Deus caussa, ac principium universorum.

Opp. 3. Ex quo in clara Dei perceptione concipiatur summe bonum ac perfectissimum ens, & perfectio sit Dei providentia, ac simplicitas, non infertur, quod hæc propositio, *Deus est simplex*, *Deus omnibus providet*, sit nobis per se nota: Ergo ex quo in idea Dei, ac summi boni eluceat existentia non consequitur, per se notam esse hanc propositionem, *Existit Deus*.

Resp. Gaspar Juenin non eamdem esse rationem de providentia & simplicitate, ac de existentia Dei, multi enim dediti corporis sensibus cogitarunt in ipso Deo humani corporis figuram; multi existimarunt Providentiam, quæ sese ad res vilissimas demittat, vanam esse solicitudinem: e contra neminem prorsus fingere posse quod existentia aliqua perfectio non sit: idque probat ex Augustino, qui lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 7. docet homines, quoniam diversis moventur bonis, partim ad corporis sensum, partim vero ad animi intelligentiam summum bonum concipere. Sed non opus his rimulis. Nego antecedens: nam hæ propositiones, Deus est simplex, Deus est infinitus, summe sapiens, immensus, provisor universorum, &c. sunt & ipsæ nobis per se notæ, quoniam in clara summi boni perceptione, atque in intimo, & incommutabili lumine, simplicitas, infinitas, sapientia, ac providentia relucent immediate. Neque obest, quod nonnulli hæc divina attributa negarunt; negarunt enim, propterea quod ad corporis sensum, non ad mentis rationem summi boni notionem fingere maluerunt: quod recte ac sapienter docet citato loco Augustinus, qui nos invictissime percipere Deum esse in ipsa veritate, intimoque incommutabili lumine, probat luculenter cum locis priori capite adductis, tum de libero arbitrio a capite quinto ad decimum quintum, ubi de divina existentia per ideam ingenitam manifesta disertissime disputat. Sed in hoc priori Corollario non debet ulterius oratio nostra immorari.

Alterum, quod ex dictis consequitur est, neminem posse invincibili circa Dei existentiam laborare ignorantia: non enim ignoratur invincibiliter, quod interna animadvertentia, pluribusque cuivis notis momentis potest dignosci. Cum tamen Molina, aliique nonnulli sentiant oppositum, addam & de hoc asserto longe probabiliorem sententiam, nostris Theologis, ceterisque fere omnibus communem. Est autem ignorantia invincibilis ea, quæ humanis mediis adhibitis nequit dispelli; qualis esset in homine pagano ignorante nondum sibi revelata fidei mysteria: de qua ignorantia, ejusque generibus erit opportuniori loco inquirendum.

PROPOSITIO II. Nullus, quantumvis agrestis ac barbarus potest Creatorem suum invincibiliter ignorare.

Prob. 1. Psalmo 78. v. 6. hæc habentur: *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt*. Sap. XIII. v. 9. *Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum; quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt?* Et in Epist. ad Rom. cap. 1. v. 18. *Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent; quia quod notum est Dei manifestum est in illis*. Quibus aperte asseritur reos esse, maximumque promereri supplicium quotquot ad idola conversi Dominum ignoraverunt, quem ex procreatis rebus poterant naturali ratione comprehendere: sed invincibilis ignorantia delinquentem subtrahit a judicis ira, reddit excusabile quodcunque scelus; quoniam humana industria vitari non potest, nec imputari liberæ voluntati quidquid absque culpa penitus ignoratur: Ergo si gentes, quæ Deum non noverunt, neque invenerunt Dominum ex aspectabili sæculo, inexscusabiles sunt, supplicioque mulctandæ, nullatenus ignorantia possunt invincibili laborare. Quod argumentum ita proponitur a Lactantio in 1. Divinarum Institut. *Quam sibi veniam sperare possunt impietatis suæ qui non agnoscunt cultum ejus, quem prorsus ignorari ab homine fas non est?*

Secundo probatur ex PP. Nam Gregorius Magnus lib. 17. Moralium cap. 3. scribit: *Eo ipso quod homo rationalis est conditus, debet ex ratione colligere, eum qui se condidit, Deum esse*. Tertullianus lib. de Spectac. cap. 2. *Nemo negat, quia nemo ignorat, quod ultro natura suggerit Deum esse universitatis conditorem*. Et in Apologia cap. 17. *Hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt*. Item adversus Marcionem I. *Anima a primordio conscientia Dei dos est: eadem nec alia & in Ægyptiis, & in Syris, & in Ponticis, &c.* Hilarius quoque XI. de Trinit. de Deo ait: *Neque mundo ignorabilis effici potest*. S. P. Augustinus vero lib. 2. Quæst. Evangelicarum cap. 46. *Apud Dominum*, inquit, *etiam illi sunt inexcusabiles, quibus lex data non est, quia per creaturam poterant cognoscere Creatorem*. Tractatu etiam CVI. in Jo. *Hæc est vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omnino, & penitus possit abscondi*. Nec non Enarrat. in Ps. LXXIV.

Ps. lxxiv. *De nullo loco judicat, qui ubique secretus est, ubique publicus? quem nulli licet ut est cognoscere, & quem nemo permittitur ignorare.* Paulus quoque Orosius in lib. Histor. 6. cap. 1. *Deum quilibet hominum contemnere ad tempus potest, nescire in totum non potest.* Adde loca producta cap. 1. prob. 2. non enim alia proferam in confirmationem veritatis, de qua idemmet Tullius in 1. de legibus scripsit: *De hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam ferrea, quæ non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.*

Tertio probatur propositio argumentis a ratione petitis, quorum nonnulla seligam. Sit vero primum. De priori Decalogi præcepto, *Unum Deum cole*, ut ostendam in lib. xxi. dari non potest invincibilis ignorantia: Ergo neque de summi Numinis existentia, quæ a memorato præcepto jam manifesta supponitur. Accedit alterum: Quisquis invincibiliter Deum ignoraret, quantumvis flagitiosissimus, numquam peccati theologici foret reus, sed philosophici tantum. Est enim peccatum philosophicum actus humanus disconveniens rectæ rationi, non tamen transgressio divinæ legis, si perpetretur ab eo qui Deum ignorat: Atqui hæc propositio anno 1690. ab Alexandro VIII. proscripta est: & peccatum philosophicum est commentitium: Ergo Deum nemo potest invincibiliter ignorare. Postremo: Ignorantia invincibilis ea est, quæ humanis mediis, aliisque in nostra potestate positis nequit superari: Ignorantia existentiæ Dei e quocumque licet ferreo ac sylvestri mediis, quæ in ejus sunt potestate, facillime tolli potest: Ergo in nullo, quantumvis immansueto ac rudi, ignorantia divinæ existentiæ censenda est invincibilis. Minor constat; nam unusquisque præditus est intelligentia ac ratione, qua sive per insitam sibi ideam Dei, sive per rerum corporearum contemplationem, potest summi boni, ac primæ caussæ sibi comparare notitiam. Atque etiamsi rationalis facultas se sola in Dei cognitionem minime posset assurgere, præsto tamen sunt singulis hominibus in Adversariorum nostrorum sententia auxilia supernæ gratiæ: quem tamen ad cognoscendam Existentiam Dei necessariam non esse, vera est, & communior sententia.

Opp. 1. Ad solam fidem pertinet superni Numinis existentia: Potest ergo impune ab iis, quibus non est revelata, ignorari; quales erant, inquit Molina, incolæ Brasiliæ, antequam a Lusitanis subjugarentur.

Resp. nego ant. Etenim & ad naturalem rationem, & ad fidem simul spectat supremi Conditoris cognitio, eo sensu, quem explanavi postreme instantia 1. Opp. cap. 1. Imo est D. Thomæ sententia, cui assentiuntur & nostri, quod *Deum esse* non sit Fidei objectum, sed ad Fidei articulos quoddam præambulum. Sed tradita e me responsio conformior est Augustino, qui in II. de lib. arb. cap. xv., ait: *Est enim Deus, & vere, summeque est: quod jam non solum indubitatum, quantum arbitror, fide retinemus, sed etiam certa, quamvis adhuc tenuissima forma cognitionis attingimus.*

Opp. 2. Puer in sylvis, aut apud Atheos parentes, quorum dictis plurimum fidit, enutritus nunquam audit Deum esse: id ergo ignorat excusabiliter.

Resp. nego conseq. Ille enim puer, quidquid sibi parentes ac præceptores curent insinuare, clariori lumine inditæ sibi conscientiæ, & creaturarum Conditorem suum conclamantium potest divinam existentiam attingere. Neque a culpa erit immunis propter domesticorum traditionem; quibus si non fideret negantibus ea quæ oculis conspiciuntur, vel obvia sunt naturali rationi, neque debet aures præbere dicentibus, *Non est Deus.*

Insurges: Ad invincibilem ignorantiam tollendam duo requiruntur, unum ut aliqua Dei cogitatio pulset animum, alterum quod talis cogitatio aperte proponatur cum debito comparandi perfectiorem cognitionem: Fieri potest, ut nulla Dei cogitatio animum subeat, neque prædicto puero cum tali debito proponatur: Ergo potest in puero illo reperiri invincibilis ignorantia.

Resp. nego majorem: nam si ad ignorantiam vincibilem necessaria esset prævia aliqua cogitatio, quotiescumque datur incogitantia, atque inadvertentia, daretur ignorantia invincibilis. Quare satis est, si ea cogitatio præsto sit, & sine ullo labore possit haberi: alias invincibiliter prima principia omnibus per se nota, nec non meipsum ignorarem, cum aut dormio, aut aliud cogito. Nec etiam necessaria est perfecta, ac certa cognitio; cum ad operandum non sit necessaria certitudo metaphysica, sed sufficiat moralis. Atque hinc est, quod ipse Amicus, qui præfato utitur argumento, concludit tandem: *Quamvis hæc probabilis sit: probabilius tamen defendi potest sententia opposita, ut neque in paucis, neque ad tempus perfecta ratione utentibus dabilis sit invincibilis ignorantia de Deo.*

Urgebis adhuc: Saltem in priori instanti, quo ipse puer pervenit ad rationis usum, hac invincibili ignorantia poterit affici, & a Deo aliquantisper averti.

Resp. nego propositionem loquendo de instanti morali, quo deliberate incipit agere, ac sese ad aliquod bonum convertit: nam de instanti physico fateor, quod ante deliberatum voluntatis motum sit necessaria animadvertentia, & cogitatio: sed dum mens animadvertit & cogitat; imo, ut dicebam, dum facile potest animadvertere & cogitare, nulla est talis ignorantia, quæ dici valeat insuperabilis. Est tamen opinio aliquorum, qui existimant in primo instanti rationis puerum illum teneri ad convertendum sese in Deum sub ratione boni in communi, non sub particulari, prout est universarum rerum principium ac finis. At sub ista quoque ratione potest Auctoris sui existentiam percipere ex illa eademmet Boni idea insita illius menti, ex intima sui ipsius conscientia, atque ex rerum aspectabilium contemplatione.

Opp. 3. Quamplurimi adeo sunt rudes ac plumbei, ut ratiocinio uti non possint, quo divina existentia firmissime demonstratur, maxime cum Petrus de Alliaco, aliique Theologi arbitrentur argumenta, quæ ad probandam Dei existentiam proferuntur, probabilia quidem esse, sed non plane demonstrativa: alii insuper in suorum criminum pœnam in tantam prolabuntur cæcitatem, ut nequeant in Dei notitiam, & cogitationem assurgere: Ergo in his saltem erit invincibilis ignorantia.

Resp. falsum esse antecedens, non enim invenitur homo rationis compos, qui adeo sit stupidus ut ad intimam sui conscientiam nequeat advertere, neque tam scelestus, ut omni penitus lumine vel naturali, vel supernaturali destituatur. Sed dato antecedenti, nego cons. quippe ad tollendam ignorantiam invincibilem non requiritur evidens demonstratio, sed sufficit tantum probabilis.

Opp. ult. Hugo Grotius, & alii interpretantur verba Apostoli ad Rom. 1. v. 19. *Manifestum est in illis*, multis inter ipsos, scilicet Pythagoreis, Platonicis, Stoicis, quorum argumenta convincendo Aristoteli, & Epicuro sufficiunt. Eumdem præferunt sensum Patrum testimonia. Crimina denique patrata ab ignorantibus Deum rectæ adversantur rationi, sed non manifestatæ divinæ legi. Corruunt ergo momenta pro hac assertione producta.

Resp. nego ant. de omnibus indiscriminatim sermonem instituunt Sacræ literæ ac Patres, omnesque rationali lumine præditi sunt; & si philosophi soli Atheos profligarunt, poterant tamen singuli Atheos detestari. Labitur quoque absque æterna lege humana ratio, quemadmodum occasu solis offunduntur tenebræ: est enim ratio humana æternæ participatio legis, sicuti terrenorum corporum splendor solis irradiatio. Ea propter si Deum tollas, evertitur lex æterna; si legem æternam, extinguitur ratio; si rationem, natura perit humana; neque aliquid fingi potest ineptius, quam opus rationi dissonum, nec æternæ legi repugnans.

SCHOLION.

„ Propositio prima non videtur firmissima demonstratione comprobari, quoniam apertissimum non est dari ingenitam, & perspicuam ideam Dei. Id saltem in controversia positum est. Illud etiam Cartesianum pronunciatum, *Quidquid in idea clara alicujus rei evidenter elucet, id de ipsa re potest affirmari*, non est adeo pervulgatum, ut singuli illud percipiant. Atque ut verum sit, negetur a multis posse illud absque ratiocinatione illucescere. His vero excussis, immobili stat loco Thomistarum sententia: cujus fundamenta sunt objecta, quæ præsidio ingenitæ illius ideæ dissolvimus. Nostræ itaque præferenda est sententia, quam tradit S. Thomas 1. p. q. 2. art. 1. de verit. q. 10. art. 10. & in 1. contra Gentiles cap. 11. Accedit, quod propositioni per se notæ ita unusquisque præstat assensum, ut nemo illius oppositæ assentiatur. At sunt nonnulli, in quibus adeo depravata est natura, ut Deum esse non putent, insipientes saltem, & Athei. Sequeretur hic duntaxat, propositionem illam *Deus est* notam esse sapientibus, quod tradunt Æegidiani nostri. Verum & Sapientes quod Deus sit ratiocinatione assequuntur. Illos autem, quos Æegidius ait fuisse etiam qui negarunt axioma Geometricum *Omne totum est majus sua parte*, ignorasse puto significationem vocabulorum, eisque fuisse similes, qui circulum quadratum, & nivem atram vocarent: quod evenire non potest nisi terminis non perceptis, aut mente prorsus emota.

„ Usi sumus in probatione tertia secundæ propositionis condemnatione *peccati philosophici*. Dari hoc peccatum propugnarunt quidam anno 1686. in Thesibus Divioni Burgundiæ urbis, & rursus anno 1688. Claromontis Arverniæ. Franciscus Morenas in sua Ecclesiastica Historia tom. 10. pag. 198. ait propugnatum fuisse non absolute, quasi detur reipsa, sed ex suppositione, & hypothesi quod aliqui destituti sint qualibet Dei cognitione. Didicit Morenas hac ratione purgare illius peccati assertores e Patre Daurigny tertio Memoriarum Historicarum volumine pag. 336. utrumque refellit epistola decima octava Eusebius Philalethes. Ut ut sit, illa *de peccato philosophico* assertio ab Alexandro VIII. proscripta fuit: ideoque positionis nostræ fulcimentum firmiter perseverat.

C A-

CAPUT V.

De Polytheismi, sive Idololatriæ caussa & origine.

Atheis, quantum temporis angustia patitur, refutatis, stylum acuo adversus Polytheos, idest, plurium divinitatum cultores; quorum populus & amplior fuit apud Gentes, & pervicacior. Etenim quidam adeo in Deos fuere liberales, ut Homerus, Hesiodus, & Chrysippus magnam illorum invexerit turbam: Orpheus vero, auctore Theophilo Antiocheno lib. ad Autolycum III. ducentos sexaginta duos commentus sit, quos profana Græcorum, ac Romanorum prosecuta est Religin. Manetem Persam duos constituisse, unum efficientem quælibet bona, alterum omnia mala inferentem tradunt Athanasius, Epiphanius, Augustinus, Nicetas, aliique. Faustus autem multos finxit, & inter eos duodecim quosdam magnos, ternos per quatuor tractus, quibus ille unus circum agitur, quem vocat regentium regem, sceptrigerum, perennem, floreis coronis cinctum, & facie rutilantem, ut inquit S. P. Augustinus lib. contra eumdem Faustum xv. cap. 5. Prætermitto Tritheitas, quos in errorem induxit effrænis divinorum mysteriorum, audaxque curiositas; & quorum sectam instituit initio sexti seculi Joannes Philoponus, eamque in Polonia restituit Georgius Paulus, & Casanovius a Valentino Gentili, ut in libro de unitate divinæ essentiæ conqueritur Theodorus Beza, fascinati: in quam insaniam anno 1567. prolapsus est ejusdem Bezæ discipulus Petrus Statorius. Tale vero non est aliorum Polytheorum nomen, præsertim Ægyptiorum qui etiam stipitibus, brutis, arboribus, aliisque genua curvarunt, ut illorum singularem mentionem faciamus.

Deorum originem in particulari contexere non est hujus loci, atque instituti; sed sat erit nunc Polytheismi investigare principium: quod Rab. Maimonides in libro de idololatria refert ad Enos. Alii Hebræis infensissimi, nisi intrusum, instauratum contendunt a Mose. A sola historia rerum ab ipso Mose gestarum universam Theologiam Gentilium promanasse, omnesque populares Deos esse eamdem Personam Mosis, conatur ostendere in Demonstratione Evangelica a tertio ad undecimum caput clarissimus Daniel Huetius. A Cham Noemi filio, ejusque posteris idolorum cultum promanasse existimant alii. Et quoniam ad refellendum errorem maxime conducit lutulentum, fœdissimumque fontem inquirere; hæc omnia brevi hac dissertatione resolvam.

PROPOSITIO I. Qui putant Enos fuisse superstitiosi Polytheismi auctorem labili fundamento nituntur.

Prob. Hæc aliquorum Hebræorum opinio nullo comprobatur momento præter quam versu 26. cap. IV. Genes. *Sed & Seth natus est filius, quem vocavit Enos: Iste cœpit invocare nomen Domini*; ubi legendum putant, *Tunc cœpit profanari nomen Domini*: Hoc momentum inane est, atque infirmissimum: Ergo nullo firmo divinæ literæ testimonio præfata corroboratur assertio. Prob. minor. 1. auctoritate nostræ Vulgatæ, in qua Amama nil reprehendit præter pronomen *Iste*, quod male putat substitui pro adverbio *Tunc*; quod valde futile est, tum quia Vulgatæ nostræ lectionem confirmant versiones vetustissimæ, ac Patres, probatque etiam vir illi criminatori summus Hugo Grotius: tum etiam, quia Lucas Burgensis, atque idemmet Castalio ita verba Geneseos exponunt, quod Enos vivente, eoque auctore, certis constitutis ritibus instauratus sit Dei cultus: quæ est Steuchi, omniumque Latinorum interpretum expositio: tum denique, quoniam Enos proprie tribuitur, quod ipse primus Dominum invocaverit, eo quod ille, ut scribit Augustinus lib. xv. de Civit. Dei cap. XVIII., *De Patre generationum in meliorem partem, hoc est superna civitatis separatarum, primus commemoratur exortus*. II. probatur minor; nam præcitato textu non profanatio divini nominis innuitur, sed cultus & invocatio; Chaldæus enim juxta Complutensem editionem legit: בְּכֵין, שׁרִיאוּ בְּנֵי אֱנָשָׁא לְצַלָאָה בִּשְׁמָא דַייָ scilicet, *Tunc cœperunt homines orare in nomine Domini*: cui interpretationi suffragatur etiam ratio, quia ab Enos cœpit generatio justorum, qui in sacris literis speciali quodam titulo *filii Dei* nuncupantur.

Opp. 1. Rab. Maimonides, & Kimki ita Geneseos locum explanant, ut sub Enos filii Adam post idololatriam erraverint, eamque interpretationem patitur Hebraicus textus.

Resp. falsam esse horum Rabbinorum explicationem, cujus occasio fuit hebraicum verbum הוחל, quod modo pro *incipere*, modo pro *violari*, ac *profanari* usurpatur; sed priori sensu positum esse ratione, & auctoritate nuper ostendi; atque Maimonidi opponimus Aben-Ezram, qui & ipse ita exponit: הטעם שהחלו להתפלל, idest *Tunc cœperunt ad orandum*.

Opp. 2. Ipse Enos cœpit vocari Dei nomine, voluitque Deus appellari. Hoc videtur voluisse in sua versione Aquila, nec dissentiunt Cyrillus, & Irenæus, qui filios Dei commemoratos cap. VI. Genes. v. 2. & 4. intelligunt filios Enos. Is ergo qui sese Dei nomine compellavit, idololatriæ fuit auctor.

Resp. gratis admissa ad Aquilæ interpretatione, quæ tamen subobscura est, ac multiplicem sensum patitur; gratis etiam dato, quod Enos primus omnium appellatus sit Deus, nego consequentiam; siquidem juxta Cyrillum, & Irenæum Dei nomen Enos accepit, ut solent angeli, ac justi: quod aperte in eum locum explicavit Emissenus, dicens: *Speravit Enos Deus dici, idest filius Dei: Justi enim qui erant ex semine Seth filii Dei vocabantur*.

PROPOSITIO II. Ab Hebræorum gente non fuit exortus Polytheismus, neque illum Judaico populo Moyses præscripsit.

Probatur 1. ex ipsis Hebræorum legibus, quarum præcipuum mandatum est Exodi xx. v. 3. *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles*. Si quæ autem imagines in sacris literis commemorantur, illæ aut non erant ad adorandum expositæ, aut speciali mandato ad ornatum templi sculptæ erant, nunquam tamen ut idola religioso cultu asservatæ.

Deinde sinceram verissimamque Mosis religionem, quam erga unum Deum Hebræorum populo tradidit, demonstrat ejusdem zelus, nam conflato ab Aaron vitulo arripiens idolum combussit, & contrivit usque ad pulverem, dixitque fratri, Exodi XXXII. v. 21. *Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum?* atque eo jubente quasi viginti tria millia hominum, qui peccaverant, gladio ceciderunt.

Præterea accedit ipsorum Ethnicorum testimonium. Tacitus enim Historiarum v. scribit: Judæi *mente soli, unumque numen intelligunt, & nihil quidquam prius imbuuntur, quam contemnere Deos*. Quomodo ergo Polytheos, idololatrasque censebimus? Testatur Mosen instituisse sacrificia in detestationem Deorum Gentium. *Cæso*, inquit, *ariete, veluti in contumeliam Hammonis. Bos quoque immolatur, quem Ægyptii Apin colunt*. Affirmat nullam a Judæis imaginem servari, *Nulla*, ait, *simulacra urbibus suis, nedum templis sinunt*. Tradit jam olim ab exitu de Ægypto Hebræos fuisse gentem diis invisam, atque inde expulsam Hammonis oraculo. Hæc Tacitus: qui tamen sibimet contradicit, dum scribit, Judæos malos cultus ac mores instituisse in odium Ægyptiorum; etenim ibidem ait eos *corpora condire, non cremare more Ægyptio*. At antiquissimum fuisse in Ægypto morem condiendi cadavera affirmant Strabo lib. XVI. Herodotus lib. XI. cap. 86. atque, ut alios omittam, lib. 2. Stromat. S. Clemens Alexandrinus. De Judaica quoque religione hæc Dio lib. XXXVII. *Nullam statuam Hierosolymis habebant, & Deum ineffabilem quemdam, & visui non obnoxium arbitrantes magna religione, & super ceteros homines eum colunt. Cui & Templum maximum, & pulcherrimum construxerunt*. Ceteri scriptores appellarunt Hebræos curtos, sabbatarios, recutitos, clementes in porcos, numquam tamen idololatras; sed cum eos viderent absque Deorum simulacris orare, suspicati sunt quod colerent cœlum, ac nubes; unde de iis Juvenalis;

Nil præter nubes, & cœli lumen adorant.

Igitur ex Hebræorum legibus, ex factis Mosaicis, atque ex testimoniis etiam Gentilium manifestum est, Polytheismum non esse a Mose institutum, neque probatum.

Opp. 1. Conflato in solitudine vitulo, Aaron ædificavit altare coram eo, & præconis voce clamavit, *Cras solemnitas Jehovæ est*: Exodi XXXII. 5. Sed Jehova est verus Deus: Ergo Aaron credidit vitulum in deserto conflatum esse verum Deum.

Respondet Vossius lib. I. Idololatriæ cap. 3. Hebræos in deserto sub vituli simulacro revera unum Deum coluisse, peccasse tamen peccato maximo eo quod adoraverint verum Deum in effigie Deorum Ægyptiorum: quod etiam affirmat de idolo Michæ, ac de vitulis, quos in Dan, & Bethel collocavit Jeroboam. Iccirco poterat jure, & absque mendacio clamare Aaron, *Cras solemnitas* יהוה, *Domini est*. Sed melius respondetur, hunc esse sensum verborum Aaron, *Cras solemnitas Jehovæ est*, scilicet vituli, quem vobis pro vero Deo constituistis: nec necesse est recurrere ad interpretationem Vossii, ac Professorum Leydensium, contrariam Patribus, ac præsertim Augustino scribenti in Ps. LXXIII. *Vitulus ille, quem adoravit populus infidelis apostata, quærens Deos Ægyptiorum, dimittens eum, qui liberavit de servitute Ægyptiorum*. Resp. Lyranus ac Vatablus Aaron hoc dixisse, quod speraret Mosen quamprimum rediturum ad cultum Idoli in Jehova festum commutandum. Hanc postremam responsionem adhibet quoque Eminentissimus Gotti: qui & aliam addit ex Grotio, quia Aaron sperabat veri Dei spiritum in eam imaginem venturum, sicut de astrorum spiritibus gentes aliæ sentiebant. Sed absit tanta ab Aaron insania; licet parum referat, si dicamus Aaron nondum Pontificem constitutum peccasse, ut concedere videtur A Lapide. Neque Grotius ait, *sperabat*; sed *sperabant*, scilicet idololatræ, non Aaron: unde ego arbitror Grotium inclinare in sententiam Vossii, Calvini, ac Leydensium, existimantium Hebræos in vitulo aureo adorasse spiritum veri Dei.

Opp. 2. Ipse Moses æneum serpentem infixit perticæ, ut eum aspiceret populus: Atqui hæc est imago ac simulacrum

lactum Æsculapii, ei simillimum, quod ab Epidauro urbe Peloponaesi adductum Romam narrant Ovidius in Fastis, & Propertius in Eleg. lib. 2. Ergo Moses falsi numinis sculpsit imaginem, eamque erectam ad adorandum exposuit.

Resp. nego conf. non enim, ut adoraretur a populo, erexit Moses æneum serpentem, sed ad conferendam ei sanitatem. Ita respondet Tertullianus lib. 3. contra Marcionem, & S. P. Augustinus libro x. de Civitate Dei cap. VIII. Neque Moses Deo mandante serpentem erexit in memoriam Æsculapii, aliorumve numinum Ægyptiorum, sed in promissionem Salvatoris, quod idem Augustinus serm. x. de Tempore his demonstrat. *Hoc mihi videtur quod duas significationes habere possit, unam propter diuturnitatem, quia vasa ænea diutius durare solent; aliam propter vocis claritatem: nam inter omnia metalla vasa ænea majorem tinnitum reddere, & longius sonare solent; Christi doctrina non in una tantum Judæorum gente innotescere, sed per universum mundum claro salutiferæ prædicationis sono poterat pervenire: ideo serpens ille æneus efficitur, ut doctrina Christi in universo mundo clarius prædicetur, &c.*

Opp. 3. Tacitus citato loco de Judæis scribit: *Effigiem animalis, quo monstrante sitim, famemque depulerant, penetrali sacraverunt.* Erat autem hæc effigies caput Asini, de qua Justus Lipsius Comment. in Tacitum ait: *Hoc de capite Asini magno consensu omnes veteres tradiderunt; ne tantopere noster culpetur, tanquam mendaciorum plenissimus Scriptor.* Meminit hujus Asinini capitis Posidonius, Apollonius, & Apion Grammaticus, cujus hæc sunt verba apud Josephum lib. 2. contra Apionem: *Dum Antiochus Epiphanes expoliasset templum, illud caput invenit ex auro compositum multis pecuniis dignum.* Consensu itaque Scriptorum, & rei eventu manifestum est, Judæos caput Asini ex Majorum instituto superstitiosa religione servasse.

Resp. Tertullianus in Apolog. cap. XVI. hanc de Asinino capite narrationem puram fabulam esse. I. quia idem Tacitus in eadem Historia refert Cn. Pompejum, cum Jerusalem cepisset, & adiisset templum speculandis Judæorum arcanis, nullum illic reperisse simulacrum. II. quoniam si id Hebræi coluissent, nusquam nisi in sacrario fuisset servandum, quo solis Sacerdotibus licitum erat adire, conspectu ceteris interdicto per velum oppansum. In sacrario autem nihil dignum reprehensione ab Antiocho fuisse adinventum probat Josephus contra Apionem plurium Gentilium Historicorum testimonio, Polybii Megalopolitani, Strabonis Cappadocis, Castoris Chronographi, aliorumque. Extra sanctuarium vero unicuique fas erat inspicere. III. Neque Tacitus, neque ullus idololatra potest hæc Judæis objicere, cum Gentes ipsæ hæc aliaque horribiliora monstra adoraverint. Vide Tertullianum loco citato, Josephum Hebræum, & Marcum Minucium in Octavio. Observa etiam, an Tacitus sibi constet, qui supra scripserat Judæos, nullum penitus colere simulacrum. At Lipsius non ideo excusat Tacitum a mendacio, quod verum aliquid enarraverit, sed asserit non esse in eum fabulam referendam, quam tradiderunt Scriptores alii. Qui tamen illam acceperunt ab Apione Grammatico puguantia narrante, dum ait Asininum caput inventum ab Antiocho, postquam scripserat sublatum a Zabido. Fabula derivata est a malitia, aut ignorantia Ægyptiorum, qui legentes, vel audientes hebraicam vocem פי יהוה *Pijaho*, idest, *Os Domini*, in sacris litteris usitatissimam, commenti sunt Judæos PIEO, sic illi appellant Asinum, adorara: vel a quodam Templo Judaici ritus condito ab Onia in Ægypto, quod propterea dictum fuerit, *Ὀνίου ἱερὸν*, *Templum Oniæ*, sed Alexandrini sic acceperint, quasi esset appellatio *ἀπὸ τοῦ ὄνου*, *ab Asino*.

Opp. ultimo: Joseph lib. VII. de Bello Jud. cap. XII. inter cetera prodigia, quæ evenerunt ante dirutum incensumque a Tito templum, istud enarrat: *Festo autem die, quem Pentecosten vocant, nocte Sacerdotes intimum templum more suo ad divinas res celebrandas ingressi, primum quidem motum, quemdamque strepitum senserunt: postea vero subitam vocem audiere, quæ diceret: Migremus hinc.* Et Cornelius Tacitus: *Expansæ repente Delubri fores, & audita major humana vox, Excedere Deos; simulque ingens motus excedentium.* Cum ergo in extrema populi calamitate Dæmones, ac Dii gentium Jerosolymis emigraverint; consequens est, ut antecedenter fuerint Hebræis plures Dii Templi præsidium, populique numina tutelaria.

Resp. nego conseq. Etenim emigrantes a Jerosolymis spiritus, cum non fuerint Apis, neque Scrapis, neque Numen aliud Judaico populo invisum, nulli fuerunt nisi custodes Angeli Urbem deserentes, ac cœleste præsidium in posterum denegantes; vel ipsum summum Numen ad vindictam a scelestissimo populo provocatum per se, vel per Angelos suos terribili voce clamans, *Migremus hinc*.

PROPOSITIO III. Idololatria a posteris Cham originem ducit; & longe ante Mosen fuerunt Dii gentium, non solum numina naturalia, sed etiam animalia.

Demonstratur 1. Præclarissimorum Scriptorum auctoritate. Ita enim docent Hebræorum doctissimi Abenesdras, & alii, Lactantius lib. 2. Institut. cap. 14. Hieronymus cap. 2. in Oseam, S. P. Augustinus lib. VIII. de Civit. Dei cap. 24. Veteres omnes, qui de Idolorum vanitate scripserunt. Quibus addo Lilium Gyraldum Ferrariensem in Syntagm. Deorum, Joannem Boccaccium in sua Genealogia, Paulum Perusinum, cujus Commentaria de Diis Boccaccius exscripsisse, sed immerito, fertur. De hoc etiam argumento erudite scripsera Vossius amplissimo volumine de Idololatria Gentium, Grotius in celebri Explicatione Decalogi, & Joannes Clericus in Prolegom. Historiæ Eccles. sect. 2. Hanc sententiam explico simul, ac probo. Principio homines pro Diis venerati sunt astra, sidera, & ignem; idque longe ante Mosen; quippe Ignis colebatur in Ur Chaldæorum, cujus cultum fugisse Abraham vetustissima est Hebræorum traditio, neque videtur a sacris literis discrepare. Justinus quoque cum Tryphone disputans scripsit Deum dedisse antea Solem adorandum, permittendo nimirum, non approbando.

Una cum astris Dii vocati sunt, divinisque culti honoribus Reges, atque Reginæ. Ita Chrysostomus in 2. ad Corinth. cap. XII. Et colligitur ex Diodoro, qui lib. 1. Biblioth. ait, Idololatriam ab antiquis temporibus in cultu regum fato functorum fuisse sitam. Ægyptii Isidem & Osiridem Reges suos tanquam Deos habuerunt: cumque eos puderet mortuorum animos colere, commenti sunt Isidem eamdem esse ac Lunam, & Osiridem eumdem cum Sole. Phœnices, auctore Athenæo, regem suum פרנך, Kronon in eam stellam, quam Græci a Phœnicibus edocti τὸν Κρόνον, Latini autem Saturnam vocant, consecraverunt. Astarte in Veneris stellam, Hammon in Arietem pariter sacrati sunt. Hos antiquissimos Reges fuisse posteros Noe, qui Mosen præcesserunt, salva Huetii veneratione, quem virum ob maximam eruditionem summo honore prosequor, certissimum puto, atque alibi ostendo Neptunum idem esse cum Japete filio Noe, Vulcanum cum Tubalcain, Martem cum Belo primo Rege Assyriorum, Apollinem cum Jubal Citharæ inventore, Saturnum cum ipso Noha, &c. consecrantibus posteris Cham Patrum suorum memoriam. Cumque habeamus ante Mosen Deorum historiam, falsum est omnes populares Deos Gentilium unam esse cum eodem Mose personam. At ad institutum revertor.

Cum sidera habeant quamdam cum animantibus similitudinem, cœperunt homines Regum suorum adoratores fingere idola animalium, ita ut Bos dictus sit Apis ob Lunam; Phœnix, draco, & accipiter propter Solem; Ibis ob Mercurium; Canis ob Sirium: atque hinc paullatim adinventæ sunt aliæ Deorum imagines, avium, pecudum, piscium, & monstrosæ quamplurimæ, quibus essent capita brutorum, membraque hominum. Quapropter idolum vituli conflatum ab Hebræis erat, ut arbitror, imago lunæ, & Apis: colebantque Gentes in animantium formis sidera, in sideribus Regum suorum animos. Ultro idololatria processit, nam intervallo temporis relata sunt in Deorum numerum ipsamet animalia, serpentes quoque, & crocodili; tandem etiam lapides, ac plantæ, reputantibus Polytheis Deum quidquid eis utile videbatur.

Ex quibus colligitur idololatriam principio fuisse absque idolis, ac simulacris: hæc autem primo fuisse animantium, deinde alicujus Monstri, in his illudentibus simpliciores homines per oracula, ac signa mendacii malignis spiritibus. Idola humanam effigiem repræsentantia primus omnium traditur fecisse Ninus Rex Assyriorum, de quo loco citato Hieronymus. Hunc Ninum puto fuisse filium Nembrodi, filii Chus, filii Cham, filii Noe. At non omnia idola hominum vel animantium imaginem referebant: sed & erant quædam cum stellarum figuris; quibus icunculis ex veteri Syrorum superstitione arbitrabantur se futura prænoscere. Appellantur hebraice *Teraphim* תרפים: erantque hujus generis ea, quæ Rachel abstulit Labano patri suo Genes. XXXI. v. 19. & quibus divinationis caussa execranda superstitione suspendebant inaures, ut scribit S. P. Augustinus Epist. LXXIII. & infertur ex cap. XXXV. Genes. v. 4. Consimile idolum habuit Nero, cujus monitione dicebat se futura prænoscere, ut narrat Suetonius. Hæc est verissima origo Idololatriæ, quam a Chananæis ad Ægyptios, hinc ad Phœnices, ab his ad Græcos, a Græcis vero ad Romanos fuisse derivatam constat omnium Historicorum consensu. Nunc vero contra hanc idololatriam natam ab homine, cui Pater suus maledixit, communibus Scholasticorum, ac specialibus quoque argumentis Dei unitatem vindicare conabor.

SCHOLION.

„ IDolum in solitudine a Judæis erectum non fuisse vi-
„ tulum, sed *aureum* tantummodo *caput vituli*, qui-
„ dam recentiores nituntur ostendere. Producunt testi-
„ monia Lactantii lib. IV. Instit. seu de vera sapientia
„ cap. 10. Cyprianum de bono patientiæ prope finem,
„ Ambrosium Epist. 62. & Augustinum in Psalmum 73.
„ Addi potest Tertullianus contra Judæos, & Auctor Re-
„ cognitionum inter Opera Clementis lib. I. cap. 13. Vi-
„ detur hæc opinio probabilis tum horum auctoritate Scri-
„ ptorum, tum symbolo lunæ, quod Aegyptii venera-
„ bantur in Api, aut in Serapide. Certe Hieronymus he-
„ braice doctissimus in caput 7. Hieremiæ ait Dominum

„ ira-

„ iratum Judæis, *post offensam idololatria, caputque vituli*, & in caput 5. Amos, *Aurum in caput vituli transmutarunt*. Bovem tamen coluisse Ægyptios tradiderunt Cicero in 1. de natura Deorum, Plinius lib. 8. cap. 46. aliique. Extant versus in Elegia 7. Tibulli lib. 1.

„ *Te canit, atque suum proles miratur Osirim*
„ *Barbara, Memphitem plangere docta bovem.*

„ Bovem Heliopolitanos Soli, Memphitas Lunæ consecrasse asserit Ælianus in Historia Animalium libro 11. capite 11. Firmus, & Rufinus per Serapidem cultum volunt ab Ægyptiis Josephum, eo quod illis frumenti penuria laborantibus provide prospexerit. Haud inverisimile eamdem opinionem insedisse animis Judæorum, ad quorum genus memoratus Joseph pertinebat.

CAPUT VI.

Unum esse Deum demonstratur.

NOrunt omnes Tertulliani adagium lib. 1. contra Marcionem, *Deus si unus non est, non est*. Omnia quippe argumenta quæ probant Dei existentiam, demonstrant quoque unitatem, ut recte animadvertit lib. 2. Theologicorum Dogmatum cap. 1. vir clarissimus Ludovicus Thomassinus. Superaddam tamen, ut id exploratius fiat, Momenta quædam ex Sacris literis, ex miraculis, ex Theologicis rationibus, & ex ipsa Gentilium Theologia, indigitans, ubi possint hæc pleniori doctrina petractata a studiosis adolescentibus reperiri. Neque hoc loco prætermitto divinas Scripturas, quæ & valent contra Tritheitas, & argumenta suppeditant contra omnes Idololatras validissima.

Momentum I. e sacris literis erutum.

Divina Scriptura nil frequentius admonet, quam unum esse Deum, non solum Hebraici populi, verum etiam universorum: Huic & propter Scriptorum auctoritatem, & propter veracitatem divinam, quæ duo nunc præsupponimus, firmissima habenda est fides: Igitur unus est Deus. Major probatur; etenim Deut. XXXII. v. 39. legitur: *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me*: IV. Regum cap. V. v. 15. *Vere scio quod non sit alius Deus in universa terra*. Ps. 17. *Quis Deus præter Deum nostrum?* & 82. *Tu solus altissimus super omnem terram*. Is. XXXVII. *Tu es Dominus solus*. I. ad Corinth. cap. VIII. v. 4. *Scimus quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus nisi unus.*

Neque id solum Scriptura narrat, sed etiam rei eventu confirmat, ratione universi, productione hominis, punitione impiorum, ac præsertim idololatrarum. Nam qui vitulum conflatum adoraverunt, cæsi sunt jubente Domino Exodi XXXII. fere viginti tria millia hominum: sociati Idololatris Israelitæ traditi sunt in manus Regum terræ, Judic. cap. III. & e contra ad Deum suum reversi, fuerunt a Philisthiim tyrannide liberati. Periit Rex Achab in bello propter cultum idolorum, obiitque Ochosias consulens Beelzebub Deum Accharon, ut Regum narrat historia. Exaltat e contra idolorum eversores Jacob, Moses, Josue, &c. Et quod enarrat Scriptura confirmavit posteriorum sæculorum historia, ac miserabile fatum Neronis, Diocletiani, Maximini, Licinii, Juliani Apostatæ, aliorumque, qui idolorum cultum instaurarunt. Si enim dii gentium essent; virtute ac potentia summa pollerent, & potuissent contra Deum Israel salvare eos, qui eorum cultum summopere promovebant; neque ipsis invitis unius Dei religio longe lateque fuisset diffusa. Urget hoc contra Ethnicos argumentum Lact. lib. 2. divin. Instit. cap. 4. Tertul. in Apologetico cap. 26., & S. P. Augustinus in 1. de Civit. Dei cap. 4. ubi deorum vanitatem ostendit ex quo cultores suos, sibique addictas civitates non potuerunt servare.

Respondent Gentiles vel hæc falsa esse, vel similia a suis quoque diis fuisse patrata. Addit Phereponus Animadvers. in Augustini Opera pag. 576. imprudentes videri Patres, qui iis armis usi fuerunt, quæ & Ethnici adversus Christianos tractare poterant.

At prior responsio propellitur ab Augustinno lib. x. de Civit. Dei cap. VIII. & XVI. Si enim pertinaciter negare velimus historias, nullis libris præbenda erit fides, multo minus Ethnicorum, qui vel Magi fuerunt, vel poetæ, & a suis quoque, ut infra ostendam, despiciuntur. Animadversio autem Phereponi impudentissima calumnia est, ac puerilis ratiocinatio. Nam libri Ethnicorum testantur urbes & cultores idolorum cecidisse diis invitis & contra pugnantibus: sic Ilium eversum invito Neptuno, sic a naufragio liber, & Turni victor Æneas repugnante Junone. Infirmos ergo ac nullos hos Deos valide Augustinus demonstrat. E contra si Hebræorum, aut Christianorum templa diruta sunt, si in occisione gladii mactati fideles, si vera Religio ab hostibus perturbata, hæc omnia Deus noster prædixit, & evenerunt eo permittente ac volente in pœnam impiorum, nominisque sui exaltationem: eo vel maxime quod vera Religio crevit inter magna discrimina; idololatria vero nunquam post fata revixit. Perperam itaque in Patres Phereponus debacchatur.

Momentum II. ex innumeris a Deo patratis miraculis.

Idololatrarum punitioni accedunt mirabilia, quæ in sui cultus exaltationem operatus est Deus. Plenæ sunt his sæculorum omnium historiæ. Enimvero de Mose in libro Exodi legimus colubrum in virgam, & aquam vertisse in sanguinem, per undas maris Rubri populum traduxisse, eo petram percutiente saluberrimam fluxisse aquam, & orante cœlos mannam distillasse. Quæ fecit Josue in transitu Jordanis, atque in expugnatione urbis Jericho, quæ Gedeon in Madianitas, quæ David in Philisthæos, quæ Daniel apud Babylonem, quæ denique Machabæorum exercitus contra potentissimum Antiochum in ceteris Scripturæ libris recensentur. Atque hæc in conspectu idololatrarum pro unius veri Dei cultu fuere perfecta. Servatoris nostri Christi signa ac prodigia in novo habentur testamento: Petri, Pauli, ac Stephani in Actibus Apostolorum; Discipulorum Christi ac Martyrum in Tabulis, & Ecclesiasticis Monumentis. Sufficiat hæc commemoravisse: in libro enim de Angelis ostendam hæc fieri nisi divina virtute non posse. Ergo cum Deus sit, qui facit mirabilia magna solus, neque inveniri possint miracula perpetrata ab aliquo Gentilium Numine, prout ostendam infra solvens argumenta Ethnicorum; consequens est unum esse Deum, qui ab Hebræis, & Christi Fidelibus adoratur. Utuntur hoc argumento S. P. Augustinus lib. XXI. de Civit. Dei cap. VIII. aliique Patres, nec non Hugo Grotius lib. 1. de Verit. Relig. Christ. n. XIII. & lib. IV. num. VIII., Clericus etiam in Hist. Eccl. anno CLVII. num. IX. & 2. & in Prolegom. sect. 2. n. XI. & XII. quos propter eos nomino, qui negant miracula esse veræ Religionis argumentum. Ex Scholasticis vero ad probandam Dei unitatem hoc præsidio utuntur Antonius Boucat dissert. 2. art. 2. & ex mirabilibus ordinis naturalis satis ingeniose ratiocinatur noster Gavardi Quæst. 1. de subst. Dei art. III. n. 10.

Si dixeris hæc miracula fieri a spiritibus Deorum administris; Respondeo id quidem verum de pluribus esse, quæ peraguntur ab Angelis, qui sunt administratorii spiritus. At sola Dei potestate, nutuque hæc efficiunt, sicut in regnis bene constitutis, nihil ministri extra communes leges operantur, nisi unius summi Rectoris arbitratu.

Momentum III. sive plurium argumentorum a ratione complexio.

Comprobat Dei unitatem etiam manifestissima ratio. Primo: Deus est summe magnus: ergo est summe unus. Ita argumentatur Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 7. Tertullianus in 1. adversus Marcionem, & Auctor librorum de Trinit. qui inscribitur Novatianus, Anselmus lib. de Incarnat. cap. 4. & D. Thomas in 1. contra Gentes c. 42. Ant. est communis omnium de Deo sensus: conseq. probatur; quoniam hoc est esse summum, par non habere: par autem non habere uni tantum competit; *Duo ergo summa magna quomodo consistent?* inquit Tertullianus.

Præterea: Si plures sunt Dii, vel differunt essentialiter, vel accidentaliter: In Deo neque essentialis, neque accidentalis differentia potest excogitari: Ergo non sunt plures Dii. Probatur mi. si namque differunt essentialiter, idest quomodo species a specie sub eodem genere distat, perfectio essentialis quæ in uno est deerit alteri, & neuter erit summe perfectus: si vero differant tantum accidentaliter, idest, aut sapientia, aut jurisdictione, aut loco, aut felicitate, neuter erit omnipotens, neuter immensus, neuter beatissimus. Quod si dixeris differre tantum numero, ut plura ejusdem speciei individua, ac tamquam Plato distat a Socrate; vel a se invicem propagati sunt, veluti homo generatur ab homine, vel nullus habet ab altero originem: si propagati sunt a se invicem, is erit primus ac summus, a quo alii ortum habent; quod si a nullo habent originem, erunt plures species, seu naturæ diversæ, reditque prior argumentatio. Quam urget in lib. de Trinit. Boetius, Lactantius lib. 1. divinarum Institutionum, Petavius lib. 1. Theolog. dogm. cap. IV. n. II. Thomassinus lib. 2. cap. 1. n. VIII. Instantiam, quam patitur argumentum, petitam ex divinarum Personarum distinctione diluam paulo infra. Reducuntur ad hæc duo genera argumenta omnia ab idea entis a se, infiniti, singularis, omnipotentis, ultimi finis: quæ icciroo omitto, sed rerum multarum cupidus ea adinveniet apud Ægidium, Gibbon, Gonet, & Suaresium, qui hæc planissime enucleant.

Tertio, Unus est mundus: Ergo unus illius opifex. Consequentia probatur; nam sicut unius Regni unus est Princeps, ita unius Mundi unus debet esse Conditor ac Rector; alias non foret universalis Dominus. Quamquam

enim sunt in Mundo Respublicæ in quibus principantur Optimates, unus tamen hanc Regiminis formam proposuit, unus jecit urbium fundamenta, ut Athenarum juxta Platonem Pallas, Romæ Quirinus seu Romulus, Patavii, ut fertur, Antenor. Atque si compatiuntur Principatus consortium homines, pati non potest summus Deus; illi enim infirmi, & errandi capaces egent alterius consilio ac potentia; Deus autem summe verax ac potens neque consultatione indiget, neque auxilio. Quod si dixeris plures mundos fabricatos esse, vel diversas ejusdem mundi partes a Diis pluribus, subsistit adhuc argumentatio. Nam vel multorum opera ad universas creaturas moliendum erat requisita, vel unus poterat omnes constituere: si poterat unus, cur alios adhibuit? aut necessitate, aut libertate: si necessitate, ergo impotens est, non Deus; si libertate, non sunt igitur plures Dii necessarii. Si autem singulorum opificium requirebatur, consequitur omnes fuisse imbecilles. Vide in Oratione contra Gentes Athanasium. Atque huc spectat argumentum petitum a mundi ordine ac regimine, quod Hieronymus in Epist. ad Rusticum, & Cyprianus in lib. de Vanit. idolor. explicant comparatione apium, gruum, armentorum, & exercituum, quibus omnibus unus est imperator; & Athanasius, eodem loco, exemplo navis, quæ, nisi unus regat clavum, cursum recte non tenet; & citharæ, quæ non edit concentum, nisi unus philarmonicus eam plectro feriat.

Denique: irrupto semel limine unitatis, innumeri propemodum consurgent Dii; semel enim effusam divinitatem nemo poterit sistere, & cum numerus eo sit perfectior quo major, multitudinis Deorum non erit terminus: Atqui Deos innumeros nullus sibi conscius fatebitur; Ergo neque plures. Argumentum est Tertulliani contra Marcionem: eo utitur noster Gibbon in hac quæst. n. IX. accuratius vero Thomassinus loc. cit. num. VII. & ampliori etiam eruditione doctissimus Cardinalis Gotti n. VII. & VIII.

Momentum IV. a Gentilium testimonio, atque Idololatrarum amentia.

Auctoritate quoque Gentilium refutatur Polytheismus, cum unum Deum fere omnes Scriptores etiam Idolis mancipati profiteantur. De Platone, Porphyrio, Jamblico, Proclo, aliisque hujus sectæ constat unum statuisse summum Deum, aliorum quidem, sed inferioris sortis, progenitorem. Empedocles, & Antisthenes multos populares Deos, at naturalem unum agnoverunt. De Aristotele, Simplicio, ac universa Peripatetica Schola compertum est, unicum rerum omnium constituisse principium. Quid senserint Cicero, Varro, Plutarchus ostendit in præclarissimo Opere de Civit. Dei Augustinus, & qui in illud Commentaria ediderunt, Vives, & Coquæus: Veterum Poetarum consensum probant Clemens Alexandrinus in Protreptico, Athenagoras, Lactantius, Tertullianus. Hoc argumentum proponunt quotquot de summo Deo disputationem instituunt, at ornatissima eruditionis copia Gerardus Vossius in 1. de Idololatria cap. 2. & Petrus Daniel Huetius in Concordia rationis & fidei lib. 2. num. XIII.

Si reponas longe majorem fuisse numerum illorum, qui plures Deos coluerunt, ut animadverti initio cap. V. Respondeo horum nullam habendam esse rationem. I. quia & ipsi unum Deum aliis præesse opinabantur: quem, auctore Plutarcho in Iside & Osiride, incolæ Thebaidos Cneph appellabant: ceteri idololatræ ignorabant quisnam esset, aut quo nomine vocaretur, si de Ægyptiis loquamur; at si de Romanis, Græcisque, erat iis omnium Princeps aut Jupiter, aut Saturnus. Idem fatentur omnes Gentiles, ut in Concilio Carthaginensi sub Cypriano ait Saturninus Confessor, & in Epistolis ad Augustinum Longinianus, & Maximus: idem nota inscriptio Delphici Templi Εἷς εἶ, *Unus es*, de qua Eusebius lib. 11. Præparat. Evangelicæ cap. 7. idem oracula Apollinis apud Porphyrium, de quibus Augustinus lib. XIX. de Civit. Dei cap. 23. idem denique Romani, qui cum Pantheon, idest, Deorum omnium Templum, modo Sanctæ Mariæ ad Martyres Sacrum curante Agrippa excitarent, Jovi tamen Victori dicarunt.

Secundo: demus existimasse idololatras Deos imperio ac virtute pares; eorumdem tamen stultitiam certis rationibus comprehendimus. Principio ex hoc ipso capite, quod summæ dementiæ est plures Deos inter se æquales excogitare, ut probat Momentum præcedens. Deinde quia ii Dii aut erunt boni, aut mali: si boni, servabunt ordinem inter se: si est inter eos ordo, erit unus summus, ad cujus præscriptum ceteri erunt colendi; ut nos Angelis & Sanctorum animabus præstamus religiosum obsequium: at vero in hac hypothesi Dii non sunt. E contra si mali, non erunt illud summum bonum, quod sæpenumero memoravimus. Ulterius Gentes cultum flagitiosissimis hominibus vita functis impendunt, impio in fratrem Romulo, ebrioso Baccho, Jovi in patrem sacrilego; imo Arimanio, Cacodæmoni, malo Genio, quibus & omne hostias mactant Indi, Æthiopes, ac Persæ. Rursus sacrificia immolant, ut cap. præcedenti diximus, animantibus, quæ cum ratione careant, sunt ipsis cultoribus deteriora: multo minus sunt hominibus comparanda sol, luna, astra, elementa; quæ nec vivunt, nec sentiunt: longius ab adoratoribus suis distant Numina, quæ nec subsistunt, & sunt corporum affectiones, ut motus & salsedo maris, valetudo, eventus, cupiditas, quæ sub nomine Salariæ, Veniliæ, Fortunæ, Amoris superstitiosa gentilitas venerabatur. Quis vero dixerit Deum esse cultore suo inferiorem, Dominum servulo, Opificem structura sua, Auctorem figmento, ac plasmate? Denique extremam Gentium stultitiam eadem ipsarum produnt sacrificia, ac ritus; dira præsertim consuetudo idolis humanas victimas, puerorum quoque ac virginum, cruenta immolatione mactandi. Nefanda hæc sacra commemorant Lactantius, Plutarchus, Porphyrius, Saubertus. De turpitudine Sacrorum Matris magnæ scribit elegantissime S. Pater in VII. de Civit. Dei cap. XXV. & XXVI. de placentis conspersis adipe ab Hebræorum feminis Gentilium more oblatis Reginæ cœli, ut legitur in Hierem. cap. 44. venustissimus noster Poeta Joannes Baptista Cotta in Adnot. ad Hymnum VII. ubi cœli reginam recte docet esse lunam. Nam (addam hæc ad præclarissimum Scriptorem, quem honoris caussa nominavi) Hebræi cœli reginam vocant בעלת, & a Philone Biblio dicitur Βάαλτις, ab Abydeno vetustissimo Scriptore apud Eusebium in fine IX. de Præparat. Evangel. Βῆλτις, Beltis, uxor Beli, & prima Regina Assyriorum, qui, ut capite præced. diximus, in *sole*, & *luna* Reges suos adorarunt. Atque factæ talibus Diis, Deabusque hujusmodi placentæ, ac liba satis vesanam redarguunt superstitionem.

Tria ad hæc regerebant Pagani. I. Se non colere lapides ac metalla; sed simulacra, altaria, custodiam ignis & cetera id genus esse immortalium Deorum symbola: ita Celsus apud Origenem lib. VII. II. Ajebant conficta esse probra de ipsorum Diis enarrata. III. Idola solum sculpta esse accersendas ad aereas potestates.

Verum commentitia sunt hæc omnia. Et primum quidem: nam certum est simulacrorum inventores existimasse Deos esse corporeos, atque ipsis idolis simillimos; aut saltem consecratione ita statuis alligari, ut arbitrarentur se carere Diis, cum essent ablatæ eorum icunculæ. Habes exemplum Michæ Judicum XVIII. v. 24. & plurima apud Ethnicos de asportatis Penatibus ne restaurari possent urbes hostium eversæ. Quapropter sive statuam, sive præsentem Deum dicant se colere, perinde est, ac eodem pacto insanire. Ejus generis est responsio altera; nam Deorum flagitia non nostri Scriptores primo commemorarunt, sed Homerus, Varro, Phornutus, & alii: qui si commentitia narrant, erunt ejusdem furfuris Deorum virtutes, necnon Saturni, Jovis, Martis, aliorumque Deorum nomina. Atque si falsa sunt, saltem Pagani Deorum probra imitantur, ut constat in Terentiana, Eunucho Act. III. scena V. & arbitrantur Deos delectari obscenissimis sacrificiis, quæ perstringit ingeniose Augustinus in II. de Civit. Dei cap. XXIX. *Et fiunt miseris*, ut scribit Cyprianus Epistola II. *religiosa delicta*. Tertiam denique responsionem ita impugnat Athanasius in Orat. contra Gentes: *Si hæc simulacra facta sunt, ut per ea advocent potestates; cur hæc iisdem, quas invocant, potestatibus pluris faciunt? cur iisdem simulacris Dei nomen, & honorem imponunt, ac præstant?* Quod si reponant se idolis potestates has anteferre, ingeret se iterum prior refutatio.

SCHOLION.

„ EXpedita est via ad revincendos plurium Deorum cultores, quam innuimus supra mom. 3. num. 3. Per illam graditur in libro 1. de verit. Relig. Christ. cap. 3. Hugo Grotius. Is ad alia argumenta, quæ breviter, sed nervose complectitur, istud addit: *Præterea si duo essent, aut plures Dii, libere agentes & volentes, possent contraria velle: impediretur autem alter ab altero, quo minus quod vellet efficeret: impediri autem posse Deo indignum est*. Non videtur nobis tam obvium argumentum prætereundum, tametsi cuique legentium occurret ex iis, quæ paullo infra contra adstruentes duo principia, bonum unum, alterum malum, disputabimus.

„ De uno tantum colendo Deo recte Lactantius in 1. divin. Instit. cap. 3. *Nemo est, qui quidem sapiat, rationemque secum putet, non unum esse intelligat, qui & condiderit omnia, & eadem qua condidit, virtute moderetur. Quid enim multis opus est ad mundi regimen sustinendum? nisi forte arbitremur, si plures sint, minus habere singulos nervorum atque virium. Quod quidem faciunt ii, qui multos esse volunt; quia necesse est imbecilles esse, siquidem singuli, sine auxilio reliquorum, tantæ molis gubernaculum sustinere non possent. Deus autem, qui est æterna mens, ex omni utique parte perfectæ consummatæque virtutis est*.

„ Quod diximus mom. 4. Unius Dei religionem plurium quoque Gentilium comprobari consensu, ii, quos eo loci laudavimus, attestantur. Sophocles apud Justinum in lib. de Monarchia, & apud Athenagoram in Legatione pro Christianis, tradidit Deum esse, & unum esse, & condidisse orbem, & ad eum exprimendum, miseriam-

„ que

„ que hominum sublevandam simulacra in cassum adhiberi, ut libro 2. Alnetan. Quæstionum cap. 1. refert doctissimus Episcopus Abrincensis: qui plures alios profert idem asserentes. Addendos puto Philemonem, & Orpheum; quamvis hunc nunquam extitisse refert ex sententia Aristotelis Cicero lib. 1. de Nat. Deorum, ullaque Orphei scripta ad suam pervenisse ætatem tradat in primo contra Celsum Origenes. At contra sentiunt Tatianus, Cyrillus in 1. contra Julianum, Lactantius de falsa Religione cap. 5. Tzetzes quoque in Historia Orpheum vixisse ait centum ante bellum Trojanum annis. Etsi detur ejus opera fuisse supposita (ex Vossio enim didicimus adscribi a Pythagoricis cuidam Cercopi, quem error librariorum Cecropem fecit), non inde consequitur ea, quæ tribuuntur Orpheo, non fuisse Gentilium veterum asserta. Nam & Hierocles unum esse ait, quem appellari docet Ζῆνα & Δία, per quem omnia existunt ac vivunt. Illum quoque Proclus vocat *fontem omnis vitæ* πηγὴν πάσης ζωῆς, & Apulejus *rerum omnium exertorem*. Similia ceteri philosophi ac poetæ scripserunt.

„ Non prætermisimus *mom.* 4. ad refellendos idololatras Deorum suorum flagitia, turpissimasque libidines. Illorum imbecillitatem eleganter in 1. libro de civit. Dei cap. 2. demonstrat S. P. Augustinus, quod ea nocte, qua Troja capta & incensa fuit a Græcis, Neoptolemus Pyrrhus filius Achillis occidit Priamum ad aras, atque invita Minerva Diomedes & Ulysses rapuerunt Palladium, simulacrum scilicet Palladis, quod ajunt Æneam adduxisse in Italiam, atque ex Alba Longa, aut ex Lavinio translatum Romam, & in Æde Vestæ locatum. Profert vero S. Pater Virgilii versus ex secundo Æneidum:

„ *Vidi Ecubam, centumque nurus, Priamumque per*
„ *aras*
„ *Sanguine fœdantem quos ipse sacraverat ignes.*

„ Tum versus alios de Diomede, & Ulysse:

„ *Cæsis summæ custodibus arcis*
„ *Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis*
„ *Virgineas ausi divæ contingere vittas:*
„ *Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri*
„ *Spes Danaum, fractæ vires, aversa Deæ mens.*

„ Idem Augustinus imbecillitatem ac dissidia Deorum demonstrat sequenti capite 3. exemplo Junonis, quæ apud eumdem Virgilium Æn. 1. inducitur infesta Trojanis, Æolo ventorum regi adversus eos irritando dicere:

„ *Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,*
„ *Ilium in Italiam portans, victosque Penates:*
„ *Incute vim ventis, submersasque obrue puppes,*
„ *Aut age diversas, & disjice corpora ponto.*

„ Quæ mulier irata dicens, & Æolo etiam Deiopejam nympharum suarum pulcherrimam promittens in conjugem, consequi minime potuit, ne Troades in Italiam adsportarent Penates, Neptuno, quem non latuere sororis doli & iræ, ventos in fugam compellente, commotosque fluctus sedando. Atque de ipsa Deorum Dearumque pugna legimus apud Ovidium 2. Tristium:

„ *Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo,*
„ *Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.*

„ Ipsis itaque Poetarum figmentis, quibus describitur multitudo Deorum, eorumdem divinitas evertitur & impugnatur.

CAPUT VII.

Objectiones contra prolata Momenta solvuntur.

IN Polytheorum patrocinium primo loco afferri possunt Divinæ Scripturæ. Habetur namque Exodi VII. v. 1. Mosen fuisse Deum Pharaonis. In Psalm. LXXXI. legitur: *Deus stetit in synagoga Deorum*, Et infra: *Ego dixi Dii estis, & filii excelsi omnes*: quo testimonio Christus propriam divinitatem comprobavit Joannis cap. X. v. 35. Ad Corinth. prima cap. VIII. v. 5. *Siquidem sunt Dii multi, & Domini multi*. Corruit ergo Momentum primum petitum ex sacris literis.

Resp. nego consequentiam, quæ haud recte ex productis locis infertur, ut ostendam singulorum explicatione. Exodi VII. Moses dicitur Deus constitutus: ergo non erat ille Deus natura sua, sed Dei vicem gerebat. Deinde ibi appellatur Deus solo vocabulo Elohim אלהים, quo judiciaria potestas significatur: ideoque sensus est Mosen electum a Deo fuisse, ut divina judicia contra Pharaonem exequeretur, unde transtulit Jonathan, *Ego te constitui timorem Pharaonis*. Præterea ibidem v. 2. aperte innuitur quo sensu Moses dicatur Deus: *Tu loqueris omnia, quæ mando tibi ..... Sed ego indurabo cor ejus, & multiplicabo signa, & ostenta mea in terra Ægypti*. In Psalmo item LXXXI. est vocabulum אלהים: & sensus est, *Deus stetit in synagoga judicum*; exercent enim Reges, ac Judices ministerium ipsius Dei, qui Proverbiorum VIII. v. 15. ait: *Per me reges regnant, & legum Conditores justa decernunt*. Propterea dicit Psalmista Deum judicaturum ipsos judices, qui perverse agunt, ut proceres Israel, qui Absalomum fuerant secuti: *Deus*, inquit, *stetit in synagoga Deorum: in medio autem Deos dijudicat. Usquequo judicatis iniquitatem: & faciem peccatorum sumitis?* Quod ex eodem Psalmo profertur, idem omnino est: videlicet, *Dii estis*, Judices estis, atque secundum legem, ac præscriptionem meam ad regendos populos constituti, Diique participatione regiminis, non sempiterna substantia; *Vos enim* (nota quænam illico subsequantur) *sicut homines moriemini: & sicut unus de principibus cadetis*. Quomodo eo loci Christus suam probat Divinitatem, & invidorum retundit criminationem, ostendam in lib. de Trinitate contra Arianos, qui hoc testimonio abutuntur. Demum Apostolus de fallaci gentium opinione, non de proprio sensu loquitur, cum statim addat: *Nobis tamen unus Deus*. Atque ad communem hanc interpretationem addo Græcum textum, Καὶ γὰρ εἴπερ εἰσὶ λεγόμενοι θεοὶ *Nam & si sunt qui dicuntur Dii*, scilicet qui Deorum habeant nomen: quod satis indicat Gentilium idola esse tantummodo θεοὺς λεγομένους, Deos nomine, atque appellatione.

Instabis. Concordant Divinæ Scripturæ cum Theologia Paganorum. Hæc docet unum Deum præesse cœlo, idest, Saturnum, alios aliis partibus mundi: hominis satorem esse Jovem: huic adstare Consentes, quos consulat in rebus maximis; unum denique esse Deum Hebræorum, ceteros nationum ceterarum: Atqui hæc omnia divinæ affirmant Scripturæ: Ergo his Deorum pluralitas nequaquam adversatur. Prob. min. Primo Geneseos legitur: *In principio creavit Deus cœlum, & terram*: Hebraice אלהים ברשית ברא observa vocabulum אלהים, *Elohim*. Cap. 2. v. 7. habetur, *Formavit igitur Dominus Deus hominem*: Hebraice ויצר יהוה nota Dei nomen יהוה *Jehova*: Ergo cœlum condidit Deus *Elohim*, & iste est *Saturnus*; hominem vero plasmavit Deus יהוה *Jehova*, & iste est *Jupiter*. Eodem cap. 1. v. 26. Sator hominum *Jehova* ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Consultat ergo Deus *Jehova* senatum Deorum in plasmatione præstantissimæ creaturæ, idest, hominis. En *Jovem* in synagoga Deorum *Consentium*: denique cap. 2. v. 4. ubi omnium rerum commemorantur generationes, legimus, *In die quo fecit Dominus Deus cœlum, & terram*, in hebræo Codice, יהוה אלהים ביום עשות. Occurrit istic & nomen Dei Conditoris hominum, יהוה *Jehova*, & aliorum Deorum, qui ceteras res procrearunt, אלהים *Elohim*: Igitur diversi Dii diversis rebus præsunt, unus cœlo, alter hominibus, iste Hebræis, ille Philisthiim, &c. probatque Gentilium Theologiam ipsa divinarum scripturarum auctoritas.

Resp. nego min. Ad probat. dico I. Deum Creatorem cœli, & Deum Conditorem hominis esse unum; nam cap. 1. v. 1. dicitur cœlum, & terram creasse Deus אלהים. Vers. 26. ait: *Faciamus hominem*, Deus אלהים. Cap. 2. v. 7. habetur formasse hominem, Deum יהוה, versu 5. creasse cœlum & terram, Deum יהואלהים. Est ergo idem אלהים ac יהוה, idemque Sator hominum, & Creator cœlorum. Quanquam principio commemoratur nomen אלהים, non יהוה, vel quia istud revelatum est Moysi, eratque olim ignotum; vel quia speciali quodam providentiæ titulo Deus universorum appellari voluit Deus hominum. II. Ea verba, *Faciamus hominem*, nequaquam significant consultationem Deorum; non enim requiritur Senatus consultus, ubi omnia moderatur perfectissima sapientia: sed significatur hic aliquarum Personarum distinctio, ut explicabimus agentes de Trinitate. Quod si gratis admittatur expositio veterum Hebræorum existimantium Deum Regum more nihil inconsultis angelis moliri, vel etiam opinio Platonis, qui in Timæo commentus est summi Dei ad Deos minores colloquium; erit verus Deus unus ille summus, cui obtemperant Angeli, Diique minores. III. Optime dicitur cap. 2. v. 4. Deum ac Dominum, *Elohim*, & *Jehova* operatum esse universa; sed unius Dei plura sunt nomina. יהוה *Jehova* incommutabilem existentiam, אלהים, *Elohim*, ut scribit Aben-Esra, denotat intelligentiam, sapientiam, prudentiam. Postremum nomen pluralis est numeri, sed communis significationis, quam a verbo adjuncto, ejusque numero, ac suffixis distinguimus: in omnibus vero productis locis singulari verbo conjungitur; & cap. 1. legimus ברא אלהים, *creavit Deus*: versu 26. ויאמר אלהים *Et ait Deus*: cap. 2. v. 7. וייצר יהוה אלהים, *Et formavit Deus*: Unus itaque, ac singularis ubique Deus.

Opp. 2. Contestantur Deorum pluralitatem innumera fere miracula. Ergo fatendum est plures esse Deos. Antecedens probatur I. Ex Idolorum oraculis, quorum plura numerat Celsus Pythias, Dodonidas, vatesque Clarii Apollinis, & Jovis Ammonis, atque conqueritur horum vaticinia nihili fieri a Christianis. II. Ex prodigiis patratis ab Iside, in cujus templo excubantes infirmi a medicis desperati, plurimi capti ocu-

oculis, mutilati, oppressi languoribus in pristini vigoris integritatem restituebantur; ut scribit lib. I. Diodorus Siculus. III. Ex gestis ab Apollonio Tyanæo, qui Romæ puellam revocavit ad vitam, evanuit ab oculis Domitiani, & raptus in cœlum est, ut refert Philostratus, inter Virginum, Divorumque concentus. IV. Ex miraculis Æsculapii, in cujus Romano Templo ad insulam Tiberinam appensa erat marmorea Tabula sanatorum ab ipso hominum exemplis inscripta, cujus etiamnum fragmentum extat apud Gruterum pag. LXXI. V. Ex prodigiis Vestalium, de quibus narratur ab Ovidio in 2. Fastorum compressa Sylvia, Vestæ simulacrum manus opposuisse oculis, divinumque ignem quasi sensu præditum sese contraxisse sub cineres. De Æmilia narrat Dionysius lib. 2. Antiquit. Roman. implorato Deæ præsidio, abscissam stolæ carbasinæ laciniam in frigidos injectam cineres extemplo a flammis fuisse correptam, cum ipsa tamen ignem negligentius asservasset, & foret extinctus. De Tucia scribunt idem Dionysius, & Valerius Maximus lib. VIII. cum accusaretur violatæ pudicitiæ accessisse prosequente universo populo ad Tiberim, & vacuo cribro haustam aquam pertulisse usque ad forum. De Claudia etiam narrant cingulo traxisse navim deferentem Idæ simulacrum, & in Tiberis vado hærentem. VI. Ex patratis a Vespasiano, & Hadriano: quorum ille, auctore Tacito lib. IV. cap. 81. cæcum, & ægrutum manuum impositione sanavit; is vero, Spartiano teste, cæcum a nativitate Pannonium nomine illuminavit; quod simile est miraculo Christi, de quo Joannes cap. IX. v. 32. *A sæculo non est auditum quia quis aperuit oculos cæci nati*. Sunt & alia in dissertationibus de Angelis expendenda.

Resp. nego ant. ad probat. dico nullam fidem habendam esse Gentilium miraculis, quæ & ipsorum Scriptores celeberrimi in dubium revocant, *ut nulla idonea Testium fide suffulta, planeque conficta*, ait Historiarum initio Livius antiquorum fabulas sequentibus verbis excusans: *Datur hæc venia antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia urbium augustiora faciat*: & si quædam facta concedantur, aut talia fuerunt quæ in admirationem traherent rerum naturalium ignaros, aut beneficia malorum spirituum fraude conficta, aut non ab his, sed a suprema mente patrata. Ad quæ distinguenda alibi certas regulas tradam: nam satis est modo si prædictorum miraculorum falsitas ostendatur. Oracula itaque Apollinis, Ammonis, aliorumque Deorum nullam notam præseferunt divinitatis: primo, quia illorum verba fuerunt ambigua, ut demonstrat ex Œnomai locis Eusebius lib. IV. P. E. a cap. 20. ad 26. Grotius etiam in IV. de Verit. Relig. Ch. num. IX. & in libro de Oraculis Ant. Van-dale: eaque ipse Cicero in II. de Divinat. flexiloqua & obscura appellat. II. Quoniam hisce oraculis Religionis nostræ veritas firmatur, & aliquando apud Paganos aliquorum vatum opera usus est Deus, ut ad mysteria fidei nostræ, & ab idolis aversionem superstitiosos disponeret. Nam idolorum oraculis manifestatum est Deum esse unum, Hebræam gentem sapere quæ numen ingenitum veneratur, ut probat Augustinus lib. XIX. de Civit. Dei cap. 23. & Paræneticus ad Græcos, qui tribuitur Justino: venturum quoque ab Oriente, qui rerum omnium potiretur, Regemque omnium Regum, ut fatetur Suetonius in Vespasiano, Tacitus lib. IV., & Cicero in II. de Divinat. III. Quia si quid definitius prædictum est, poterat ex caussis naturalibus præsentiri, ut medici prædicunt exitium aut sanitatem, ut Anaximander, & Pherecydes terræmotus prænunciarunt, ut astrorum inspectores de pluvia, nive, grandine vaticinantur. IV. Quia hæc oracula fieri ab Antitheis ac dæmonibus ex eo constat, quod in amores illicitos, in improborum hominum laudes, in cædes ac bella, in horribiliora crimina ab ipsis Gentilium legibus damnata cultores suos fraudulenter alliciant. Hæc de Oraculis.

Patrata ab Iside miracula nulla sunt. Refert enim loco citato Diodorus ægros in ejus templo abreptos somno de morborum remedio fuisse admonitos, quod evenire poterat fraude sacerdotum, qui nocte adloquerentur infirmos, & cum essent medicæ artis peritissimi præscriberent pharmacum: aut propterea quod somniarent ægroti de remedio, de quo antecedenter agentes medicos audierint. Quod si pauci extemplo curati sunt, fuit sanitas restituta in iis languoribus, qui aut sola imaginatione, cujus maxima vis est in chronicis morbis, aut agente totus cacodæmone graves admodum videbantur.

Apollonium Tyanæum præstigiis, magicisque artibus deditum ostendit Eusebius contra Hieroclem, nec dissentit Tatianus in Annotatis ab Hugone Grotio ad IV. de Relig. Christiana num. VIII. Dicam de ipso breviter: alia ab ipso patrata narrantur Romæ anno Aeræ Christianæ XCII. Domitiani Imperatoris XII. alia Ephesi in Xysto anno XCVI. ac I. Nervæ: alia in ejus excessu in Cretensi Templo Dianæ Dictynnæ. Omnia in Christi contemptum ficta a Philostrato constat comparatione factorum; quod & ipse dicatur ab aliorum oculis evanuisse, Demetrio ac Damadi Puteolis conspectum, creditumque phantasma se iis præbuisse tangendum, ascendisse in cælum inter angelorum, ac virginum choros: Deinde Philostrati mendacia se se produnt, dum scribit Domitillam fuisse sororem Domitiani, & Clementem perpaucis diebus ante Domitiani obitum fuisse trucidatum, cum oppositum doceant Dio, Suetonius, Eusebius. Item dum recitat orationem, quam ait ab Apollonio conscriptam; & ex nugis, ac stylo manifestum est Criticis omnibus, foetum esse ipsius Philostrati genuinum. Rursus dum fatetur plura a se de Apollonio narrari ex incerto rumore, neque reperiri veridicum testem, cum & Damis ad Nervam magistri jussu profectus sit, ne ullus eum morientem videret. Sed concedamus liberaliter omnia. Nullum Apollonii factum est, quod superet virtutem dæmonum. Romæ enim raptus a Domitiano, Ephesi quæ Romæ contigerant edoctus fuit a malo Genio. Duo tantum mirabiliora videntur: resurrectio cujusdam puellæ; idque Philostratus ipse in dubium revocat, asserens quod forte vitalis auræ scintilla intra puellam compressa medicos delituerit. Assumptio in cælum in Templo Dictynnæ; & hanc fabellam plura momenta confutant: unum, quod alii narrant Apollonium mortuum Ephesi, alii in Lindo, alii in Creta, ut fatetur ipse Philostratus: alterum, quod scribat Apollonium a Sacerdotibus Dianæ conjectum in vincula, nec potuisse canes arcere qui Templi custodiebant fores, nisi objecta illis offa: tertium, quod sine ullo auctore, ac teste hæc omnia Philostratus fabulatur. Quid plura? Neque illud mirandum est, Dæmones una cum corpore malefici spiritum asportasse.

Veniamus ad Æsculapium. I. Videant idololatræ qualis iste sit Deus, quem de cœlo a Junone percussum fulmine narrant Polyanthus Cyrenæus in libro de Ortu Æsculapii, Sextus Empiricus in I. adversus Mathem. cap. XII. Telesarchus, Chalcedonius, qui Clementi Alex. VI. strom. vocatur Melesagoras; unde sanator Glauci, filiarumque Prutei non potuit salvare selpsum. II. Æsculapii curationes suspectas ostendit, & comico sale conspergit Aristophanes in Pluto, quoniam Sacerdotes noctu cum puellis ægros circuibant, idoli, divarumque speciem simulantes. Postremo: nunquam Æsculapius verbo & imperio quemquam sanasse legitur, sed tantum potionibus, succisque herbarum ac graminum: necnon quamplurimi ejus medicamine ebibito sese perniciosius habuerunt. Vide in I. contra Gentes Arnobium.

Jam ad Vestales. Corrupta Sylvia apparuisse in Vestæ idolo præfatum ostentum scribit quidem in II. Fastorum Ovidius, sed in VI. ait:

Esse diu stultus Vestæ simulacra putavi:
Mox didici curvo nulla subesse tholo.

Nulla erat ergo in Templis effigies Vestæ, licet in antiquis numismatibus plures conspiciantur, non solum mulieris sedentis, ut scribit Plinius; sed etiam stantis, ut in nummo Vespasiani apud Lipsium cap. III. In nummis tamen Faustinæ, & Q. Æmilii sunt Vestæ inscriptiones absque effigie. De Æmilia & Tucia resp. Augustinus lib. XXII. de Civitate Dei cap. XI. quæ ab his gesta sunt non excedere naturalem Dæmonum facultatem: alii Theologi affirmant non repugnare quin vera miracula in veritatis testimonium, atque innocentiæ patrocinium etiam a paganis efficiantur. Augustini de Vestalibus judicium firmissimum est: nam in Tucia Dæmonis apparet calliditas, qua ipse falsam de Virgine suspicionem Romanorum animis insinuavit, ut confirmandi idololatriæ cultum per cribri aquam præberetur occasio. Dionysius enim eodem loco scribit, accusatorem Tuciæ posthac multum diuque conquisitum nec vivum usquam comparuisse, nec mortuum. Demum ne Vestæ patrocinio tribuamus Tuciæ, Æmiliæ, Claudiæ, aliarumque salutem, faciunt consimilia Vestalium exempla. Aquiliam namque Severam, repudiata Paula quod maculam haberet in corpore, contra jus, fasque uxorem duxit Avitus, tenuitque cum probro atque dedecore, nec Vesta illatum Virgini suæ stuprum vindicavit, ut narrat Jo. Xiphilinus in vita Sardanapali. E contra Ant. Caracalla Vestales quatuor occidit; ex quibus una, quam vitiare non poterat, (obstiterat enim Virgo) non opitulante Dea viva sepulta est, exclamans scire ipsum Antoninum se virginem esse. Ergo Vesta ignis sui custodes neque incontaminatas in extremo periculo liberavit, neque a furentium libidine reddere potuit immunes.

De Hadriano, ac Vespasiano affirmant uno ore Theologi esse per simulationem facta quæ nobis sexto loco opponebantur; idque non gratis, sed auctore Tacito, qui refert curatos a Vespasiano non fuisse humana arte insanabiles, neque cæco, cui visum restituit, exesam prorsus vim luminis: auctore quoque Spartiano, qui affirmat Hadriani miracula a Mario Maximo irrideri tanquam simulationes ad levandam Imperatoris stultitiam adhibitas. Nam Antoninus Pius, ut Hadrianum volentem se occidere in spem induceret recuperandæ salutis, ei febrienti Pannonium tanquam veterem cæcum præsentavit, ut apparenter illuminatus oppressum desperatione virum levaret. Lege Salmasium Hist. Augustæ in Spartiano. Hæc communiter Theologi: quibus perpauca addam. Quantum attinet ad Hadrianum, tametsi eum febris reliquit, quod passim in debilitatis corpore contingit, invaluit tamen ejus morbus, eodemque anno a. d. VI. Idus Julias obiit apud Bajas. Vespasianum vero inquit Tacitus Alexandriæ sanasse quem-

dam

dam oculorum tabe notum, aliumque ægrum manu, *Monitu Serapidis Dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit?* Suetonius scribit hunc non manu ægrum fuisse, sed *debilem crure*. Ergo neque de re gesta consentiunt, neque negant interfuisse Sacerdotum Serapidis subornationem. Ero denique liberalissimus, & Vespasiano datam miraculorum virtutem fatebor. Illum ad principatum signis, & ostentis ab aliquo numine divinitus excitatum scribunt Tacitus in I. & IV. Historiarum, Suetonius cap. 7. Josephus in III. de Bello Judaico cap. 27. Præordinaverat enim illum Deus Christianorum contra pervicaces Hebræos ministrum justitiæ suæ: ab eoque dirutum est Jerosolymitanum templum, eversa civitas, dispersi per orbem Judæi. Ergo præmovente eodem Deo Christianorum mira operabatur Vespasianus: nec male Grotius in IV. Relig. Christ. cap. VIII. *Si verum est per Vespasianum cæco visum redditum, factum id est, ut is hac re venerabilior Imperium Romanum facilius adipisceretur; lectus quippe Deo judiciorum ipsius in Judæos minister.*

Opp. 3. Argumenta a ratione petita ex æquo militant contra Polytheismum, & contra Trinitatis mysterium: Ergo vel inde unitas Dei non probatur, vel evertitur divinarum Personarum pluralitas. Probatur ant. I. Si tenet argumentatio ista, Deus est summe perfectus, ergo est unus, debet valere & hæc: Persona Divina est infinite perfecta: Ergo in Deo una tantum persona est. Rursus si recte arguitur; Unus Deus differre non potest ab alio neque substantialiter, neque accidentaliter: ergo nullo modo; fas erit ita ratiocinari: una persona neque accidentaliter, neque substantialiter potest differre ab alia: Ergo nulla prorsus ratione. Item si bona est consecutio: Poterat unus Deus esse auctor universorum: Ergo Dii plures superfluunt; habebit eamdem vim hoc enthimema: sufficit ad omnia moderandum una persona, ergo frustra creduntur plures. Tandem irrupto limite unius personæ non idcirco constituuntur infinitæ: Ergo infiniti Dii non consurgent, tametsi detur multitudo Deorum.

Resp. nego antecedens. Ad 1. probationem dico tres divinas personas non esse plura summa, ac perfecta bona, sed unum duntaxat; unam scilicet substantiam undequaque infinitam: quomodo autem cum hac indivisibili substantia tres divinæ personæ consistant, dicam, quantum humana ratio potest percipere, in I. libro de Trinitate cap. VI. Nam modo sat est, si respondeatur cum D. Bern. lib. V. de Considerat. cap. I. *Nunc vero cum tres illæ personæ illa substantia sint, & illa una substantia tres illæ personæ, quis numerum neget? Nam vere tres sunt. Quis numeret tamen? nam vere unum sunt.* Itaque nego consequentiam; quippe tres Personæ, quæ sunt una substantia, sunt etiam unum summum bonum: plures autem Dii, cum sint natura secreti, sunt plura bona, ideoque finita. Ad 2. dico, quod necesse est ut plures dii distinguantur adinvicem aut specie, quemadmodum equus distat ab homine, aut separatione ejusdem naturæ, prout Plato distinguitur a Socrate: utrumque vero importat divinæ substantiæ limitationem. At personæ neutro modo ad invicem distinguuntur, cum sint eadem numero atque indivisa substantia: sunt autem diversæ sola personalitate, *quæ*, ut ait Damascenus lib. I. de Fide Orthodoxa cap. VIII. *quæ vox nec naturæ discrimen, nec dignitatem, sed subsistendi modum indicat.* Nego itaque consequentiam, ac paritatem. Ad tertium respondeo creare, regere, providere non esse attributa quæ conveniant Personæ ratione Personæ, sed ei competunt ratione substantiæ, atque omnipotentiæ, auctoritatis, dominii, quæ sunt in singulis divinis personis penitus indistincta: unde nego suppositum consequentis, ac paritatem: cum diversi Dii diversa potentia sint præditi, eo quod separata natura separantur quoque operationes ac muneri; divinæ autem personæ eadem pollent omnipotentia, cum non sit dividenda facultas & operatio, ubi non potest separari substantia. Ad ultimum pariter neganda est consequentia: etenim Dii gentium multiplicantur cum propagatione, ac separatione substantiæ, neque idonea causa reddi potest cur unus Deus alium generet, iste alium, & tamen cessent generationes Deorum, qui, eo ipso quod Dii, fecundissimi debent esse. Verum Personæ originem habent inter se absque ulla separatione naturæ, atque secernuntur invicem solis connotatis & relationibus: quæ nequeunt amplius multiplicari; quoniam si in Deo est una indivisa substantia, erit quoque una generatio, & unus Filius: erit una dilectio, & unus Amor: & si contra plures constituantur filii, plures erunt generationes, pluresque substantiæ, neutra autem illa divina, quæ cum sit infinita, una est; ut hactenus demonstravi.

SCHOLION.

Potest præmissis hæc addi oppositio: Si Deus est unus, idem solus erit. Et revera *Solus* Deus in sacris literis sæpissime dicitur, ut Deuter. 31. 12. *Dominus solus dux ejus fuit*; Tob. 8. 19. *Tu es Deus solus*; Ita pariter Isaiæ 37. 16. Apostolus ad Romanos 16. 27. *Soli Sapienti Deo*, & I. ad Timotheum 1. 17. *Soli Deo honor, & gloria*; quæ verba repetuntur in Epistola Judæ versu 25. At si Deus solus sit, nulla frui potest beatitudine. Urgebat apud Ciceronem hoc argumentum Hortensius. *Si Deus unus est*, ajebat, *quæ esse beata solitudo queat?*

Non placet responsio Lactantii, qui lib. 1. de falsa Religione cap. 7. reponit: *Tamquam nos, qui unum esse dicimus, desertum ac solitarium esse dicamus; habet enim ministros, quos vocamus nuntios. Et est illud verum, quod dixisse in Exhortationibus Senecam supra retuli, genuisse regni sui ministros Deum.* Et quidem generatio, sive, ut castigatius loquamur, procreatio angelorum ad rem facere non videtur. Erat enim Deus, & utique sua beatitudine fruens, priusquam conderet angelorum, nuntiorumque naturam. Solus insuper Deus dicendus foret, quamvis secum ab initio ministros suos angelos habuisset. Etenim, ut docet prima parte q. 31. art. 3. Sanctus Thomas, ille solus censetur esse, qui, non esset cum alio ejusdem naturæ, etiamsi cum aliis sit naturæ diversæ. Nam dicitur aliquis homo in horto dici solus, quamvis sint ibidem variæ arbores, variaque bruta animalia, dummodo ibi nullus alius sit homo. Respondendum est itaque Deum nunquam fuisse solitarium, quoniam semper secum Verbum mentis suæ, ac Spiritum sibi consubstantialem. Dicitur ergo Deus *solus* ad exclusionem aliorum Deorum, non ad exclusionem aliarum in eadem Deitate personarum. Id de sacrosancta & individua *Trinitate* differentes uberius esplicare conabimur. Eadem quoque *Trinitate* non spectata, Deus unus, uti omnem complectitur perfectionem, ita est sua felicitate beatus: ac perperam ad illum detorquentur exempla vel hominum, vel angelorum, vel ceterarum creaturarum, quæ aliorum consortio aliquam possunt assequi felicitatem atque beatitudinem, quam ex seipsis natura sua imperfectis, atque in uno genere constitutis nequeunt habere.

CAPUT VIII.

De iis qui statuerunt duo summa Principia, Bonum unum, alterum Malum.

INserunt huic libro recentiores Theologi Marcionitarum, & Manichæorum Historiam, qui duo, ut dixi initio cap. V. constituerunt Principia. Marcion illorum Hæreticorum Magister, Helenoponticus fuit, patriamque habuit urbem Sinopen. Vitiata virgine, tametsi continentiam voverat, a patre Episcopo Ecclesia pulsus, Cerdonem Gnosticum hæresiarcham audivit, eumdem sequutus Romam; quo Cerdo advenerat Hygino vivente, ac proinde ante annum CXXVII., Marcion vero circa annum CXLI., vel, ut aliis videtur, CLV. Certum est errorem suum disseminasse vertente II. sæculo, duosque statuisse Deos, *tanquam duas symplegadas naufragii sui*, ait lib. 1. cap. 2. Tertullianus. At nonnulli Marcionis discipuli, ut scribit Rhodon apud Eusebium Hist. Eccl. V. cap. 13., non duos, sed tres affirmarunt: unde factum est, ut ipsi Marcioni tria a quibusdam fuerint exprobrata principia, non solum ab Epiphanio Hæresi 42. atque a Theodoreto, & Cyrillo in locis, quæ erudite expendit Natalis Alexander SÆC. II. Dissert. 2. art. 2. verum etiam, quod prætermisit Alexander, a Dionysio Romano apud Athanasium libro de Decretis Synodi Nicænæ num. 26. Ab ea ergo Quæstione an Marcion duos tantum, an tres Deos agnoverit, cum facile veteres possint conciliari, arbitror esse abstinendum; atque sufficienter illam resolvi ab Augustino lib. de Hæresibus n. XXII. ubi ait. *Marcion quoque, a quo Marcionitæ appellati sunt, Cerdonis secutus est dogmata de duobus principiis: quamvis Epiphanius eum tria dicat asseruisse principia, bonum, justum, pravum; sed Eusebius Sinerum quemdam trium principiorum, atque naturarum scribit auctorem.* Non levis mihi suspicio est, *justum ac pravum* perperam fuisse distincta, cum per Marcionitas ac Cerdonianos essent unum; qui *bonum* dicebant tanquam Deum misericordem, *justum* vero appellabant pravum, quasi immitem ac ferum: unde falluntur qui in Augustino pro *justo* censent legendum esse *injustum*. Merito igitur doctissimi Patres Benedictini productam nuper Augustinianam lectionem retinuerunt.

Marcioni, quem martyr Polycarpus appellavit *Primogenitum diaboli*, adhæsit sæculo III. Cubricus Persa servili genere natus, quem anus quædam manumissum adoptavit, atque librorum Terbinthi, seu Buddæ, nec non bonorum omnium conscripsit hæredem. Is est Manes, quem sui Manichæum nominaverunt, *quasi manna fundentem*. Manetis enim nomen, quod assumpserat Cubricus, eo quod apud Persas designet eloquentem virum, ac disputatorem egregium, commutarunt in Manichæum, ne Hæresiarcha *furore percitus diceretur, quod significat Græce Manes*, a verbo *μαίνομαι* ex quo *μανίας Stultitiæ*, nomen. Is imperante Probo XXII. discipulos sibi adscivit, inter quos celebriores fuere Thomas, Hermeas, & Adda. Dixi *imperante Probo* cum Augustino lib. XIII. contra Faustum cap. 10. quem sequitur Petavius in Adnot. ad Epiphanium, & Natalis Alexander in Synopsi Hist. Eccles. Sæculo III. art. IX. §. I. Joannes Sianda in Lexico Polemico refert ortum hujus hæreseos ad annum 277. nempe ad tempora Aure-

Aureliani. Siandæ sententia vera est, & ab Eusebio, atque Epiphanio traditur, eique subscribit Gerardus Vossius in Fragmento de Manichæis. Non tamen hi recedunt a sententia Augustini; quippe Manetis hæresis cœpit innotescere in Perside anno 277. sub Aureliano, & coalescere cœpit ac propagari sub Probo, qui tantum biennio post suscepit imperium, nempe anno Christi cclxxix. Hæc dicere malo, quam cum Natali de anno exorti Manichæismi nutare: ita enim Historici antiquiores, qui alias non convenirent, facillime conciliantur. Maneti a Persarum rege cutis vivo detracta est arundinibus, in quibus superstitiosa religione Manichæi hac de caussa cubabant. Alios Manetis errores, præter duo rerum principia, ad hunc referre locum instituti ratio non postulat. Scripsere contra Marcionem Clemens Alexandr. lib. III. Strom. Irenæus lib. IV. adversus Hæres. cap. 14. Tertullianus integris libris quinque. Oppugnarunt vero Manichæos Titus Bostrensis, Epiphanius, Theodoretus, & alii; sed omnium luculentissime S. P. Augustinus pluribus contra eos Operibus editis: hunc autem errorem in libro præsertim de natura boni, & XXI. contra Faustum. Hæc est brevissima Marcionitarum, ac Manichæorum historia, quorum error manavit a falsa opinione, quod malum substantia esset, atque natura, non boni deficientia. In his videntur omnes consentire; sed non a Manete, non a Marcione, non a Cerdone, aut Valentino exortus est error iste, ut communiter traditur. Antiquiorem habuit originem, qua patefacta perversum dogma oppugnabo.

PROPOSITIO I. Opinio de duobus Diis, bono, ac malo una cum idololatria a posteris Cham cœpit disseminari.

Explicatur simul propositio, ac probatur. Vetustissimam apud Ægyptios idololatriam colligimus ex dictis cap. V. Prop. III. quod Isidem, & Osiridem Reges suos principes Deos habuerunt, primos autem Ægyptiorum Reges ad tempora filiorum Misraim; qui & Ægyptus, esse referendos satis constat. Atqui in Iside, & Osiride Ægyptii duo contraria principia venerabantur, scribente Plutarcho in Iside, & Osiride existimasse priscos Ægyptios, *non unam esse rationem, quæ universa contineat, & dirigat, sed cum multa e bonis juxta, malisque sint confusa, imo nihil natura hæc sincerum proferat, non esse unum aliquem promum, qui a duobus doliis res nobis, veluti aliquem liquorem distribuat, ac misceat; sed a duobus principiis contrariis, adversisque duabus facultatibus, quarum altera ad dexteram, altera retrorsum avertatur, atque reflectat, cum vitam esse mixtam, tum ipsum mundum circumferri, variisque, & omnis generis motibus agitari.* Igitur apud Ægyptios una cum Polytheismo error Marcionitarum invaluit. Hinc ad Chaldæos & Persas propagatum. Magi enim Persarum, quorum princeps est Zoroaster, quem Ammianus Marcellinus lib. XXIII. asserit vixisse sæculis priscis, ac longe ante Cyrum, Scriptor autem Recognitionum, aut sit Clemens Alex. aut quisvis alius, lib. IV. putat eumdem esse cum Misraim filio Cham, neque ipse Huetius saltem Mose facit posteriorem: Magi, inquam, seu Persæ ab initio agnoverunt Deum Oromasdem caussam boni, & Arimanium caussam mali, auctore eodem Plutarcho cit. loco, necnon Aristotele, Hermippo, ac Laertio. Propagatus ergo est una cum Idololatria error Manichæorum. Transiit præterea Polytheismus ad Græcos, inter quos enascentibus Philosophorum sectis floruerunt Platonici & Stoici, ac inter hos Democritus primum & Chrysippus. Qui & fati necessitatem, & incompositam materiam, adversariam, reluctantem naturæ beneficæ agnoverunt, ut colligitur ex Platone in lib. de legibus. Hauserunt ergo hi a Chaldæis duorum principiorum perversum dogma. A Stoicis exorti Gnostici; quorum princeps fuit Simon Magus primus omnium hæreticorum, ut ait lib. 2. contra Advers. legis ac propher. magnus August. quanquam Epiphanius Gnosticorum originem arcessit Hæresi XXVI. a Nicolaitis. Simon anno a Christo passo VI. cœpit hæresim spargere: discipulum habuit Menandrum, Menander Basilidem, quem Eusebius in Chron. ad annum Chr. 134. Gnosticorum fecit auctorem, Basilides Cerdonem, de quo Tertullianus de Præscription. cap. II. *Accedit his Cerdon quidam. Hic introducit initia duo, idest, duos Deos, unum bonum, & alterum sævum: bonum superiorem; sævum mundi creatorem.* Cerdonis, ut diximus, auditor fuit Marcion: quem proinde idem Tertullianus lib. V. cap. penult. Stoicum jure dicit, collocantem *cum Deo creatore materiam de porticu Stoicorum.* Ea propter Marcionitæ cum Stoicis fati necessitatem adstruxerunt, liberumque negaverunt arbitrium ad peccandum, existimantes quodcunque malum necessitate quadam a principio malo pendere. Itaque talis est, ut arbitror, hujus insaniæ origo, ac progressus: Esse Deum bonum, ac Deum malum Manichæi acceperunt a Marcionitis, Marcionitæ a Gnosticis, Gnostici a Stoicis, Stoici a Chaldæis & Persis, Persæ ab Ægyptiis, Ægyptii autem a filiis Cham, a quibus omnis idololatria. Si quis vero contendat cum Natali Alexandro dissert. XIV. Sæc. II. art. I. Deum Marcionis fuisse ante Christum penitus inauditum, eo quod Tertullianus lib. I. cap. VIII. novum appellat; sequatur, si placet, virum doctissimum. Ego Tertulliani argumentum probando dicam Marcionis Deum fictitium esse, quia novus; sed novus, quia illum novitas aliquando produxit cum primum consecravit, ut de Saturno ait ibidem Tertullianus. At novum esse, & post Passionem Christi confictum non tanta facilitate affirmaverim.

PROPOSITIO II. Malum non est aliqua substantia, quam necesse sit ab efficiente summa caussa produci.

Id asserunt omnes Ecclesiæ PP. omnesque Theologi, inter quos distincte hanc propositionem propugnant Divus Thomas quæst. XLVIII. art. I. noster Ægidius in 2. Sent. dist. I. Sylvius in præcitatam D. Thomæ Quæstionem, Thomassinus lib. 2. Theol. dogmat. cap. X. & XI. & alii, quos memorare non vacat. Ac I. probatur ex sacris literis. Quidquid a prima caussa productum est, bonum est, siquidem Gen. I. legitur: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona:* & in priori ad Timoth. cap. 4. *Omnis creatura Dei bona est.* Ergo malum non est a prima caussa productum.

Deinde probatur Sanctorum PP. auctoritate: ait namque Scriptor de divinis Nom. cap. 4. *Privatio est malum.* Ath. in Orat. contra Gentes: *Necessum est veritatem Ecclesiastici dogmatis explendescere: nullum malum nec a Deo, nec in Deo, nec ab initio extitisse: neque ullam esse ejus substantiam.* Ambrosius lib. de Isaac, & anima cap. 7. *Quid est aliud quod malum dicitur, quam privatio boni?* Damascenus lib. 2. de Fide cap. 4. *Neque aliud quidquam est malum, quam boni privatio.* Augustinus lib. XI. de Civit. Dei cap. 22. *Omnino natura nulla est malum, nomenque hoc non est nisi privationis boni.* Plura habet consimilia Augustinus in lib. de Nat. boni, in lib. I. contra Adv. legis, in VIII. Confess. cap. XII. in III. de lib. arbitrio cap. 13. &c. Ludovicus Thomass. demonstrat eamdem fuisse veterum Philosophorum sententiam, quod de omnibus propter ea, quæ dixi in præced. Propositione, non ausim proferre.

Probatur tandem traditis ab Augustino rationibus. Primo quidem; nam substantia mali aut incorruptibilis est, aut corruptibilis: si incorruptibilis, est summe bona: si autem corruptibilis, corrumpi ac vitiari non posset, nisi bona esset: Ergo substantia mali nulla est. Ita S. P. lib. VII. Confess. cap. nuper laudato. Ulterius: Quælibet natura, in quantum est, bona est; quippe bonum est existere & esse: malum ergo non est natura aliqua, sed naturæ defectus. Ita in lib. de Nat. boni cap. 3. Præterea: malum vel extra naturas rationales reperitur, quale est elementorum pugna, animantium interitus, temporum fluxus, exitium ac solutio corporum; vel situm est in naturis ratione præditis, ac liberis, cujusmodi est peccatum angelorum, hominum lapsus, mentis ignorantia, anxietas cordis, voluntatis flexibilitas: Neque illud, neque istud malum aliud est quam bonitatis privatio: Ergo nullum malum substantia sive natura dicendum est. Minor probatur, & primo de malo existente extra liberas creaturas: Deus bonus debuit constituere bona creata mutabilia, ut possint fluere, decedere, interire, ac sese a summa bonitate deflectere; si enim creaturæ immutabiles omnino forent, essent bonum incommutabile, & Deus ipse: Igitur quod creaturæ defluant, pereant, pugnent invicem, non est quædam proprietas substantiæ malæ, sed deflexio naturæ bonæ, deficientis ab ea incommutabili bonitate, a qua producta est flexibilis, & mutabilis. Vide Augustinum lib. XII. de Civit. Dei cap. 4. Probatur quoque de malo, quo creatura rationalis libere afficitur: Rectissime Deus condidit cum angelum, tum hominem ea libertate, ut, si nollent, mali esse non possent, libere auctorem suum diligendo, & libere præceptis ejus obtemperando: si vellent, miserrimi fierent libere peccando, & libere mutabili bono adhærendo, proposito præmio ut liberaliter Deo servirent, indicto supplicio ut humiliter Deum timerent: Ergo malum culpæ, in quam labitur creatura rationalis & libera, non est natura ac substantia per se mala, sed deficientia ipsius creaturæ ab illa sempiterna bonitate, a qua libera producta est. Vide S. Augustinum lib. III. de lib. arbitrio cap. II. lib. 5. Operis ultimi contra Julianum n. 60. & lib. XII. de Civit. Dei cap. 9. & 10. &c.

PROPOSITIO III. Non dantur duæ summæ ac principes caussæ, quarum una sit cujusque boni, altera malorum omnium effectrix.

Consequitur propositio ista ex præmissis, eam vero totis nervis propugnant omnes Patres, omnes Scholastici, omnes Dogmatistæ; sed ex Patribus præcipue Tertullianus contra Marcionem, & Augustinus contra Manichæos; ex Scholasticis D. Thomas Quæst. 49. art. III. & noster Argentina lib. I. Sent. dist. 2. quæst. I. Concl. IV., ex Dogmatistis Petavius lib. I. cap. 3. Thomassinus lib. 2. cap. IX. X. XI. & XII. Natalis Alexander in Historiam Ecclesiasticam SÆC. II. dissert. 2. artic. 2. Non male etiam aliqui, tametsi falsæ religionis, ut Grotius lib. I. de Verit. Relig. Christ., Vossius in priori de Idololatriæ origine, & Clericus in Hist. Eccles. ad annum CXLI. n. VII. & seq. Hanc propositionem confirmant omnia momenta Capitis sexti: Marcionitarum vero Manetæorumque fundamentum subvertit assertio præcedens. Addo tamen proximas argumentationes. Principium summe malum aut vivit, & intelligit, aut non: si neque vivit, neque intelligit, fatentibus Manichæis, operari non potest, neque universa mala producere: si est

atque

atque intelligit, nequit esse principium summe malum, quandoquidem in eo reperitur aliquod bonum, existentia scilicet, vita, & vis intelligentiæ. Principium ergo summe malum fictitium est ac repugnans. *Ita errantes Manichæi, ita delirantes, imo vero ita insanientes, ut non videant in eo, quod dicunt naturam summi mali, ponere se tanta bona, ubi ponunt vitam, potentiam, salutem, memoriam, intellectum, temperiem, virtutem, copiam, sensum, lumen, suavitatem, mensuram, numerum, pacem, modum, speciem, ordinem. Principes enim tenebrarum & vixisse in sua natura dicunt, & in suo regno salvos fuisse, & meminisse, & intellexisse, &c.* S. P. A. de nat. boni cap. 31.

Præterea ita argumentamur. Illi duo Marcionitarum Dii aut æquam vim ac potestatem habebunt, aut unus erit præstantior altero. Si æqua sit amborum potestas, Deus bonus nihil operabitur renitente malo, Deus malus nihil efficiet contradicente bono. Nullum ergo extabit unquam aut bonum aut malum. Si autem unus præcellat alterum, non erunt ergo hi Dii pares potestate ac virtute, neque ambo summi, ut Marcionitæ contendunt. Si reponant Deum bonum aliquando permittere, ut operetur malus, ac vicissim; occurrit illico vulgatissimum illud dilemma: Aut Deus bonus potest arcere mala opera Dei mali, aut non potest: Si non potest, erit impos, & imbecillis, non summe potens: Si potest, neque malum impedit, erit malignus: *Quid enim tam malignum, quam nolle prodesse cum possis?* inquit Tertullianus lib. 2. advers. Marcionem cap. 22. Et si instent valere hoc dilemma etiam contra Unum Deum, quem nos profitemur summe bonum; in promptu est responsio, quoniam Deus noster, quamquam summe bonus, non debet avertere mala. I. Quia non tenetur condere rationalem creaturam impeccabilem; quin cum sit bonus, delectari debet libera obedientia, quam præmio possit compensare. II. Quia cum sit misericors, rationabiliter permittit mala, quorum duntaxat occasione misericordiam exercet. III. Quia si Deus est summe bonus, est etiam justus, & ad justitiam pertinet punire peccata, quæ si non essent, hominibus justitia non innotesceret. IV. Denique quia mala non habent caussam efficientem, sed deficientem, ideoque non in Deum refundi debent si ea permittat, sed in solam rationalis creaturæ libertatem. Quæ omnia affirmare nequeunt Marcionitæ, qui arbitrantur malum a Deo malo contra mentem ac dispositionem Dei boni efficienter produci, & icciroo hunc Deum bonum, aut impotentem existimant, aut malignum.

Ultimo probatur propositio. Hæc duo principia omnino contraria aut separantur invicem, aut simul existunt. Non consistunt simul, neque unum in altero, quia summi boni, & summi mali natura dissimilis est, & insociabilis, atque sese mutuo extinguendi vim habent. Ergo disjuncta sunt ac separata, atque unum quiddam tertium erit, quod illa dirimat. Est ergo inter Deum bonum, & Deum malum principium tertium dividens unum ab alio. Atque hoc tertium principium aut bonum erit, aut malum, utriusque enim naturæ simul esse nequit. Si bonum, quonam pacto segregatum erit a malo? Si malum, quomodo disjunctum erit a bono? Recurrendum erit ad aliud principium tertium: & sic in infinitum. Existit ergo una summa caussa, a qua efficiuntur omnia bona, & a qua permittuntur omnia mala; quæ propterea mala sunt, quod ab illius summæ caussæ bonitate deflectunt. Argumenta quæ contra Marcionitas, & Manichæos probant veterem quoque legem esse a Deo bono, erunt, ubi de hac lege disputabitur, proferenda.

OBJECTA SOLVUNTUR.

Non erit operosum Manichæorum diluere argumentationes. Quarum prima ita ex sacris literis proponi potest. Is. 45. v. 7. legitur: *Ego Dominus, & non est alter formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: ego Dominus.* Amos 3. 6. *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus.* II. ad Corinth. 4. v. 4. *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium.* Joan. XII. v. 31. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Est ergo Deus malus creator tenebrarum ac mortis, princeps sæculi, & auctor spiritualis cæcitatis.

Resp. Isaiam, & Amosum loqui de malo pœnæ, suppliciis nempe, quæ a Deo justo peccatoribus immittuntur. *Malum hoc loco non peccatum, sed pœna intelligenda est. Dupliciter enim appellatur malum: unum quod homo facit, alterum quod homo patitur*, ait S. P. lib. contra Adimantum Manichæum cap. 26. Revera Esaias Medorum, Lydiorum, ac Babyloniorum eversionem, & Amos justas animadversiones in Judæorum iniquitatem prænunciant. Retorqueri etiam potest Esaiæ textus; si enim idem Dominus format lucem, & creat tenebras, facit pacem & creat malum: non differt creator lucis, & auctor pacis ab illo Deo, qui permittit malum, & dividit tenebras. Locum Apostoli explicat Chrysostomus dicens: *Quomodo excæcavit? nunquid efficacia sua ad hoc impellens? absit. Sed permittens.* Respondent Tertullianus, Cyrillus, & S. P. lib. 21. contra Faustum cap. 9. Deum hujus sæculi posse hoc loco commode intelligi ipsum diabolum. Recte quidem; nam ita verba Apostoli consonant cum iis, quæ habet Joannes, *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Itaque diabolus dicitur Deus, quomodo ad Philipp. III. 19. *Venter*, qui Dei vice colitur: atque videtur mihi Apostolus sese explicare in Epist. ad Ephes. cap. II. v. 2. ubi deditos olim vitiis ac magicis artibus sic alloquitur: *In quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ:* Joannis vero XII. asserebat Christus ejiciendum hunc principem, idest, expellendam a mundo idololatriam, & magnam illam Deorum turbam, cui addicta erat Gentilitas; tum septem illos dæmonas, quos memorante Origene Celsus appellabat ἑπτὰ ἄρχοντας, *septem principes*; hunc denique ipsum Manichæorum malum Deum dictum Psello ἄρχοντα τῶν ἐπιγείων, *principem terrestrium*. Quibus expositis, dist. consequens. Est aliquis Deus princeps sæculi, & creator malorum, malorum pœnæ, concedo: malorum culpæ; subdistinguo, Deus ac princeps in existimatione idololatrarum, concedo: Deus ac princeps suamet natura, qui hæc mala permittat, esto; qui hæc mala efficiat, nego.

Urgebis: Verus Deus, qui sit bonus, non potuit hominem constituere labilem, neque mala culpæ, idest, peccata permittere, ergo hæc & efficiuntur & permittuntur a Deo malo.

Resp. nego ant. Sapientissime enim Deus condidit creaturam rationalem cum libertate, ut ostendi Prop. II. argument. ultimo; & in hac III. prob. 2. Hinc enim in laudem creatoris sui & bona necessaria, & bona libera apparuerunt: hinc innotuit rationalis creaturæ conditio: hinc manifestata est rectitudo justitiæ: hinc infinita misericordia perditum hominem redimendi occasionem arripuit. Neque ipse Deus impulit Adam ad peccandum; neque præcepit Evæ, ut assentiretur serpenti; neque condidit hominem ut perderet creaturam suam: sed reliquit illum in manu consilii sui, quia bonus est, nec libertatem interimit; permisit tentationem & lapsum, quia bonus est, & novit de malis bona facere, atque de tenebris lucem splendentem; præscius erat, neque culpam Angelorum, hominumque impedivit, quia bonus est, & servat imperturbabili voluntate justitiam, ac simul pacem.

Opp. 2. Existit summum bonum: ergo & summum malum. Probatur consequentia: Sunt in rebus creatis quæ bonitatem participant, & quæ malitiam: Quæ participant bonitatem demonstrant extare aliquod summum Bonum: Ergo quæ malitiam participant ostendunt existere aliquod summum malum. Et confirmatur I. Ubicunque datur magis, ac minus, datur quoque summum ac plenissimum esse: Datur magis, minusve malum: Ergo datur malum summum, plenissimumque. Corroboratur II. Unum contrarium infert necessario existentiam alterius, cui adversatur: Summum bonum ac summum malum contraria sunt invicem: Ergo summum Bonum infert summi, atque infiniti mali existentiam.

Resp. nego conseq. Etenim summum malum, ut supra demonstratum est, cum in idea sui cujusque perfectionis importet deficientiam, nullatenus potest subsistere; & consequenter substantia undequaque mala repugnat, & nihil est. Ad prob. nego paritatem; quandoquidem Bonum dicitur per aliquam participationem bonitatis quæ res est, & aliquid; dicuntur enim bonum, res, aliquid ad convertentiam; malum vero appellatur ob participationem malitiæ, quæ non est substantia aut res aliqua, sed privatio ac defectus, ut constat ex Prop. II. Quapropter bonum infert existentiam caussæ efficientis; malum vero caussam deficientem tantummodo: *Nemo ergo quærat efficientem caussam mali, non enim est efficiens, sed deficiens*: ait lib. XII. de Civit. Dei cap. VII. D. P. Augustinus. Ad primam confirmat. dist. majorem: Si illud sit aliquod positivum, co. si privatio ac defectus, nego; nam Deus optimus maximus est summum bonum, cujus majori aut minori participatione res creatæ efficiuntur magis aut minus bonæ: cujus majori, vel minori privatione evadunt magis, vel minus malæ. *Satis est* (inquit S. P. lib. 2. de Mor. Manich. cap. 7.) *Satis est, ut videatis nullum esse de bono, & malo religiosæ disputationis exitum, nisi quidquid est, in quantum est, ex Deo sit: in quantum autem ab essentia deficit, non sit ex Deo, &c.* Ad ultimum dist. ma. Si opponantur contrarie, concedo: si privative, nego. Et quoniam ex dictis responsio redditur manifesta, huic dissertationi finem præscribo verbis ejusdem Augustini ita Deum adloquentis in VII. Confess. cap. XII. *Itaque vidi, & manifestatum est mihi, quia omnia bona tu fecisti, & prorsus nulla substantia sunt, quas tu non fecisti.*

SCHOLION.

» Novus Manichæorum patronus Petrus Bælius instituens in suo Dictionario v. *Manich.* Dialogum Melissi cum Zoroastre, urget hoc argumentum: Cum possit liberum arbitrium sese tam in bonum, quam in malum inclinare, nequit in bonum flecti, nisi præmovente principio Bono: igitur neque in malum tendit, nisi præmovente principio Malo. Experimento argumentationem corroborat. Cum enim præditi simus libero arbitrio, atque possimus sectari honestatem; & voluptatibus indulgere, contingit sæpenumero, ut ad occursum hone-

stissimæ

„ stissimæ virginis, ad exhortationem eloquentissimi gravissimique viri, ad lectionem spiritualium librorum commendemus pudicitiam, illius accendamur amore, eamque servare deliberemus: & contra occurrente muliere compta atque inhonesta, narrante aliquo turpia facta obscenasque fabellas, perlectis quandoque libris pertractantibus de illicitis oblectamentis, jactemur fluctibus concupiscentiæ, turpesque voluptates appetamus. At si bonus est ille Deus, cujus providentia evenit, ut in cultores modestiæ, in laudatores castitatis, in bonos libros incidamus; quare non est malus Deus ille, quo auctore accidit, ut impudica mulier occurrat, ut impurus fabulator nos alloquatur, ut obscena scripta oculis nostris objiciantur? Ipsemet Augustinus in libro de Grat. & lib. arbitrio cap. 20. animadvertens voluntatis nostræ in bonum, & in malum flexibilitatem, qua nequit se determinate ad utramlibet partem, nisi ratione aliqua præeunte, inquit: *Operatur* Deus *in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum*. Magis autem consonum videtur rationi, tribuere uni Deo inclinationem ad bonum, tribuere alteri Deo inclinationem ad malum, quemadmodum sentiunt duorum Principiorum sibi perpetuo adversantium propugnatores, quam facere unum eumdemque Deum auctorem bonorum, atque malorum operum, ut facere coactus est Augustinus. Hæc ex Bayle citato in loco.

„ Verum dictum est supra, malum esse privationem, non substantiam, ideoque non habere efficientem caussam, sed deficientem. Quoniam autem quidquid est, in quantum est, bonum est; affirmatur de malo, in quantum malum est, nihil esse. Condidit Deus hominem, & angelum ea libertate, qua si nollent, mali esse non possent, auctorem suum diligendo, & in originali justitia perseverando. Ita Angeli mali, & primus homo suamet utentes libertate peccaverunt; non præmovente Deo malo, sed Deo bono sinente. Igitur ad argumentum oppositum negamus consequentiam; quia tendere in malum & peccare non est efficere opus aliquod prædefiniente prima causa, sed est deflectere a recto ordine defectu causæ secundæ, ut diximus in resp. ad *opp.* 2. Diluitur eadem ratione quod ex humano promitur experimento. Homo enim libera voluntate, cui propter Adæ prævaricationem inest alliciens ad malum libido, delectatur specie ornatæ mulieris, improborum colloquio, lectione ad oblectamenta incitante; & quisquis sensuum indulget illecebris, opus exequitur, in quo non propter actionem in se spectatam, sed propter privationem rectitudinis, quæ comitatur actionem, ratio mali invenitur.

„ Prælaudata autem verba S. P. Augustini non ita accipienda sunt, quasi Deus eodem modo prædefiniat opera mala, quo prædefinit opera bona: sed ita sunt accipienda, ut Deus in nobis operetur bonum largiendo gratiam, & permittat malum gratiam subtrahendo. Sequitur enim immediate: *Quoniam malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab Adam, aut crevit per propriam voluntatem*. Deinde non in uno loco exponens S. Pater quomodo Deus excæcat obduratque impios, eosque ad malum inclinat, docet id illum agere *subtrahendo gratiam, non impertiendo malitiam: deserendo, non adjuvando: quod occulte judicio facere potest, iniquo non potest*. Quæ sunt verba ejusdem Augustini Tract. 53. in Joannem, & Epistola 194. ad Sixtum.

„ Juxta hanc S. Patris doctrinam inquirens Doctor Angelicus in Caput 9. Epistolæ ad Romanos, quomodo Deus, cum bonus sit, inclinet ad culpam corda hominum, respondet, Deum id prestare, non efficienter, directe, & per se; sed permissive & occasionaliter, quatenus rectissima judicii sui æquitate sinit illos corrumpi improborum consuetudine, jactari fluctibus humanarum calamitatum, atque illis rebus abuti, quæ cum licite, & honeste appeti possent, a nobis perversa cupiditate expetuntur. *Instinctu quodam interiori*, inquit S. Thomas, *moventur homines a Deo ad bonum, & ad malum; unde Augustinus dicit in libro de Grat. & lib. arb. cap. 20. Quod Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, sive ad bonum pro sua misericordia, sive ad malum pro meritis eorum. Nam ad bonum inclinat hominum voluntates directe, & per se tamquam auctor bonorum: ad malum autem dicitur inclinare, & excitare homines occasionaliter, in quantum scilicet Deus homini proponit vel interius, vel exterius, quod quantum est ex se, est inductivum ad bonum, sed homo propter suam malitiam perverse utitur ad malum*. Hactenus S. Thomas.

CAPUT IX.

Quid constituat Essentiam Dei, & quo potissimum exprimi possit vocabulo.

DIVINAM NATURAM, si physice spectetur, omnium perfectionum esse cumulum, vel potius rem unam summam ac perfectissimam, & summi Boni notitia, & communi consensione probatur. De ipsa igitur, prout concipitur metaphysice, videlicet de re, quæ in Deo primum ab humana mente percipitur, atque intellectione nostra est divinarum proprietatum fons & origo, distincta quidem ratione nostra, nedum a rebus creatis, ab attributis quoque divinis, & relationibus, perfectissima tamen, ac Deo digna: de ipsa, inquam, natura nonnulla juxta scholarum consuetudinem occurrunt definienda. Quæ statim ac proponuntur, ingerunt animo quantum infirmitati nostræ sit indulgendum, dum undequaque maximam perfectissimamque naturam in has coarctamus angustias: & quam recte nos S. Pater commonefaciat, dum in Psalmum LXXXV. num. 12. ait: *Intendat caritas vestra, Deus ineffabilis est. Facilius dicimus quid non sit, quam quid sit.*

Hanc Dei naturam sic acceptam Scotistæ aliqui in infinitate constituunt, eorumque sententiæ ex nostris adhærent Toletanus, & Argentina. Collocant alii cum Suaresio, Okamo, pluribusque Scotistis in omnium attributorum aggregatione. Longe plurimi, præsertim Ægidiani ac Thomistæ, ut Gonet, Joannes a S. Thoma, Salmanticenses, Gavardi, Gibbon, aliique eam statuunt in actuali intellectione. Quidam reponunt in spirituali substantia, quæ sit facultas intelligendi, ut noster Fulgentius Tolosanus, & Godoy. Multi denique, quibus subscribo, constituendam putant in *Esse a se*: & hanc sententiam recentiores Theologi communiter amplectuntur, Nicolaus L'Hermenier, Habert, Du-Hamel, Boucat, Juenin, Tournely, Petavius quoque lib. 1. Theol. dogmat. cap. VI. Atque eam pertractant brevi, & clara methodo Honoratus Fabri, Bancel, Gotti, Arpe part. 1. quæst. XIII., De Comitibus.

PROPOSITIO I. Constituitur metaphysice Dei natura per esse a se.

Ex sacris literis, Patribus, ac ratione brevissime id ostenditur. Exodi III. v. 14. Deus interroganti Mosi quis esset, respondit: *Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos*. Job. cap. 23. v. 14. *Ipse solus est*. Apocalyps. 1. v. 4. *Qui est, qui erat, & qui venturus est*. Præcipuum ergo Dei nomen est illud, quod significat perpetuo ac immutabiliter esse; neque aliud est prius ac præstantius, quo divina explicari possit essentia.

Consentiunt Patres. Hilarius lib. 1. de Trinit. *Non enim* (inquit) *aliud proprium magis Deo, quam* Esse *intelligitur*. Hieronymus in Epist. ad Damasum. *Una est, & sola natura, quæ vere est. Id enim quod subsistit non habet aliunde, sed suum est*. Gregorius Nazianzenus Orat. VII. *O' ὢν, καὶ ὁ Θεὸς μᾶλλον πως τῆς οὐσίας ὀνόματα: Ens, & Deus magis quodammodo essentiæ nomina sunt*. S. P. Augustinus in Psalmum 134. num. 4. *Ego sum, qui sum, qui est misit me ad vos. Non dixit, Dominus ille omnipotens, misericors, justus: quæ si diceret, utique vere diceret. Sublatis de medio omnibus, quibus appellari posset, & dici Deus: ipsum* Esse *se vocari respondit: & tamquam hoc esset Dei nomen, hoc dices eis, inquit. Qui est misit me. Ita enim ille est, ut in ejus comparationem ea quæ facta sunt, non sint*. Si plura SS. PP. testimonia expetas, vide loco citato Petavium.

Probatur ultimo ratione, ac simul propositio explicatur. Quod metaphysice essentiam constituit illud est, quod primo in re aliqua percipitur: id vero competit *enti a se*; dicente Dionysio de Divinis nominibus: *Est ipsum per se esse antiquius quam ipsissimam esse vitam, & ipsissimam esse sapientiam, & ipsissimam esse similitudinem divinam, & cetera quæ sic esse participant, ut ante omnia, ipsum esse participent. Imo vero illa per se omnia, quæ entia participant, ipsum per se esse participant, neque ullum est ens, cujus non sit essentia, & duratio ipsum esse*. Et revera quid potest prius excogitari, quam *Esse*? Deinde requiritur, quod essentiæ divinæ constitutivum perfectissimæ substantiæ ideam exhibeat: quod competere *enti a se* ita demonstrat Bernardus lib. 1. de Consolat. cap. 6. *Quis est? non sane occurrit melius, quam qui est. Hoc ipse de se voluit responderi, hoc docuit dicente Moyse ad populum ipso quidem injungente, qui est misit me ad vos. Merito quidem. Nil competentius æternitati, quæ Deus est. Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, est. Nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse. Si centum & talia addas non recessisti ab esse. Si ea dixeris, nihil addidisti. Si non dixeris, nihil minuisti, &c.* Præterea necesse est, ut essentia rem a qualibet alia secernat. At *esse a se* primo distinguit Deum a creaturis, quæ mutabiliter sunt: *Quod autem vocatur, & non solum vocatur, sed vere est, incommutabile est; semper manet, mutari nescit, nulla ex parte corrumpitur*. Ait August. Tract. 4. in cap. III. Epist. 1. Joannis. II. Distinguit, ratione tamen, Dei naturam a divinis per-

personis, ac proprietatibus, quæ ab *esse* concipiuntur promanare, eique advenire; *In hoc enim primo statim incubitu mens intendit, ac primo cogitat ipsum esse, deinde sic quodammodo esse ista considerat*; inquit Maximus martyr apud Petav. loc. cit. n. VIII.

Hinc vero probatur assertum, aliorumque rejiciuntur sententiæ. Infinitas, sapientia, & quæcumque perfectio consequitur ratione nostra ad *esse a se*, illud vero perfectissimam naturam, omniumque divinarum perfectionum fontem significat atque originem: Essentia metaphysice inspecta, id est, quod primo percipitur, & unde cetera intelliguntur profluere; Ergo Essentia Dei metaphysice spectata in *esse a se* videtur constituenda.

Opp. 1. cum nostro La-Fosse: Superior sententia in eo deprehenditur minus vera, quod Deum definiat per genus remotissimum, non autem proximum; sicut peccaret, qui definiret hominem per ens rationale, non autem per animal rationale. Ergo divina essentia per substantiam spiritualem a se, non præcise per *esse a se* metaphysice constituitur.

Resp. nego antecedens. Ratio enim *entis a se*, ac per essentiam, non est Deo remota, sed proxima ac purissima, quam in Deo concipere nequaquam possumus *esse a se* absque substantia, ac tota plenitudine essendi: quippe quod est a se, est per se, est in se, est ipsa essentia, ipsa existentia, Ipsa substantia. Hanc ego entis a se ideam habeo. Profecto qui definiret hominem *ens rationale*, illum non distingueret ab Angelo, ideoque opus est, utatur genere magis limitato, & coarctato. At Deus per hoc quod *sit a se*, ab omni re distinguitur, quæ non est Deus. Noluimus tamen de nomine pertinaciter pugnare: *Nam & ipsa natura nihil est aliud, quam id quod intelligitur in suo genere aliquid esse. Itaque ut nos jam novo nomine ab eo, quod est esse, vocamus essentiam, quam plerumque* substantiam *etiam nominamus; ita veteres, qui hæc nomina non habebant, pro essentia, & substantia naturam vocabant*. S. P. August. lib. 2. de Morib. Manichæorum cap. 2. quo magistro *essentiam* ac *substantiam* indiscriminatim accepimus. Quod si aliqui concipiant *esse* veluti supremum genus, ac substantiam præcedens; liceat per me quidem in illo *ente* essentiam collocare, substantiam vero ita apprehendere, quasi sit perfectio adveniens, non constitutivum essentiæ. Ita videtur loqui Epiphanius Hæresi 69. Οὐσία οὖν ἐστι, οὐχὶ περιουσία. ἀλλὰ αὐτὸ τοῦτο ὄν. ὡς φησὶ Μωϋσῆς. ὁ ὢν ἀπέσταλκέ με, εἰπεῖν τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ. ὁ ὢν γοῦν ἐστι τὸ ὂν ἢ οὐσία τυγχάνει, *Usia est, non periusia. Sed illud idem quod est, ut ait Moses: Qui est misit me. Dic filiis Israel. Qui est igitur, est ens. Ens autem ipsa est ESSENTIA, quæ est*.

Opponés 2. Infinitas Deum a creaturis distinguit: Ergo infinitas divinam constituit essentiam.

Resp. dist. ant. Infinitas distinguit Deum a creaturis primario, ut rationalitas distinguit a brutis hominem, nego: secundario, ut a brutis distinguit hominem risibilitas, concedo. Infinitas concipitur ratione nostra tanquam modus, aut proprietas essentiæ a se subsistentis, quemadmodum & finitas intelligitur veluti modus *essendi* ab alio, ideoque neque illa Dei, neque ista creaturarum erit primum metaphysicum constitutivum. Adde infinitatem cum essentiæ, tum divinis proprietatibus convenire, & fortasse præter essendi amplitudinem nihil positivum in idea infinitatis deprehendi; infinitum est enim, quod caret fine. Essentia vero nunquam in sola negatione constituitur.

Dices: Erit ergo constitutivum divinæ naturæ illa infinitas, quæ in se omnem perfectionem complectitur, scilicet ens perfectissimum, de quo cap. 1. diximus esse incommutabilem essentiam, cujus regula judicamus de re quacunque finita: atque ita sita erit divina essentia in cumulo perfectionum.

Resp. ita est; si de essentia secundum rem spectata oratio instituitur: at modo consideramus omnes perfectiones Dei ad instar facultatum, ac proprietatum a suo principio emanantium. Enimvero primo intelligimus rem aliquam esse, deinde autem esse perfectam. Igitur sapientia, justitia, immensitas, & quidquid de summo bono enunciatur, sunt quidem secundum rem idem Deus, at ratione nostra sunt veluti adventitia substantiæ: ac præterea hæc omnia jure ac merito infinita dicuntur, neque propriam exhibent notionem naturæ, sed quamdam rebus omnibus divinis communem.

Insurges: Non ergo erit constitutivum divinæ essentiæ ipsum existere *a se*, quoniam ex æquo commune est essentiæ, atque attributis.

Resp. nego propositionem: Attributa enim non sunt a se, omnimoda (ut scholæ utar vocabulo) *aseitate*; & quamquam caussam non habent proprie dictam, habent tamen late acceptam, naturam scilicet, a qua concipiuntur effluere. Ita dicendum est de divinis personis; quæ, si Patrem excipias, habent originem, neque sunt a se penitus. Ipsa vero paternitas naturam subsistentem supponit, ideoque essentiam jam constitutam.

Urgebis adhuc: Filius, & Spiritus Sanctus non sunt a se, ut dictum est modo: ergo si divina natura constituitur per *esse a se*; neque Filius, neque Spiritus Sanctus est Deus.

Resp. dist. ant. Filius, & Spiritus Sanctus non sunt e se ratione personæ, quæ aut generatur, aut procedit, conc. ratione naturæ, atque essentiæ, nego antecedens, & suppositum; quippe essentia neque generat, neque procedit; ut dicam alibi.

Opp. 3. Idea substantiæ intelligentis exprimit summum, ac perfectissimum gradum vitæ: Ergo intellectio est ultimum divinæ naturæ constitutivum.

Resp. dist. antecedens: idea substantiæ intelligentis exprimit perfectissimum vitæ genus, & vita ac intelligentia est illud primum, quod in Deo concipitur tanquam fons divinarum perfectionum, nego: & est perfectio quædam ratione nostra a primo divinæ naturæ constitutivo dimanans; concedo. Et quoniam illud præcipuum est plurium Thomistarum argumentum; peto, num velint essentialem naturæ Dei differentiam consistere in intelligendi vi ac facultate, an in ipsa intellectione actuali? non in actuali intellectione; tum quia hæc est aliqua operatio; omnis vero operatio principium habet, ac supponit subsistentem naturam: tum quia Angelicus Doctor 1. parte q. 14. art. 1. monstrat esse in Deo plenissimam ac summam intellectionem, eo quod in ipso est *ens a se* omni prorsus expers materia; & q. 18. art. 3. demonstrat esse in Deo perfectissimam vitam ex intellectione: quare, tametsi divina essentia physice sit ipsa vita, ipsumque summum *intelligere*; metaphysice tamen vita intellectionem, intellectio naturam, videlicet *esse a se*, præsupponit. Ita contra Domesticos suos ratiocinatur Eminentissimus Gotti q. III. dub. III. part. III. num. XIII. Si vero constitui velint divinam essentiam per vim atque facultatem intelligendi; primo omnis potentia & facultas ab essentia intelligitur proficisci; deinde potentia ejusmodi convenit quoque rationalibus creaturis, homini & Angelo: postremo non est radix omnium perfectionum divinarum; nam quænam est ista consecutio, Deus intelligit: ergo est omnipotens, immensus, bonus, &c.? Contra vero hæc omnia ab *esse a se*, ut ait laudato loco Bernardus, dimanant. Quamobrem falluntur qui affirmant intelligendi potentiam esse perfectiorem quemdam gradum ipsomet *esse a se*: cum potius intellectio Dei sit perfectissima, quoniam & ipsa est *a se*, in quo verbo omnia perficiuntur atque instaurantur.

Quæ cum ita sint, acerrimus ille propugnator doctrinæ Thomisticæ Joannes Baptista Gonetus disp. 2. art. 1. §. V. fatetur neque potentiam, neque actum intelligendi constitutivum esse naturæ Dei, quoniam illa nequaquam est actus purus cujusque potentialitatis expers, hæc vero, cum sit operatio, habet, a quo efficiatur, principium. Quid ergo? Sita est, inquit, divina essentia in intelligere, non quatenus est operatio, sed prout est ultima formalis, completa, & subsistens actualitas; nam & D. Thomas affirmat sentire, & intelligere quandoque accipi pro quibusdam operationibus, quandoque autem pro ipso *esse* operantium. Quam sententiam amplectitur Magister Henricus Florez, qui pro Hispaniarum Provinciis exornandæ Scholasticæ Theologiæ novissimam impendit operam. Recte hi quidem, si intellectionem absque ratione potentiæ, & operationis percipiunt. At, quæso, quid est hæc subsistens intellectio, quæ ratione nostra a potentia atque ab operatione secernitur? Ego si ab omni facultate, & ab omni operatione mentem retraho, nihil quidem apprehendo quam *esse a se*, quod est quidem reipsa & intellectio, & bonitas, & immensitas, & quidquid Deus est, ut optime S. Thomas. Ac præterea si intellectio ab operatione quomodolibet præscindatur, quod nescio num fieri possit, quomodo erit *ultima actualitas*, si concipitur absque operatione sibi propria? Hæc poterant prætermitti, sed Adversariorum dignitas ac doctrina me reddiderunt molestiorem.

Insistes: Verbum ex vi originis suæ ac per æternam generationem recipit naturam divinam, alias non esset Filius, ut docent Theologi: Atqui recipit intellectionem, cum procedat per modum verbi, & nihil sit aliud quam Patris sapientia: Ergo ipsa intellectio ac natura sunt prorsus idem.

Hoc argumento suadere conantur prælaudati Thomistæ sententiam suam ad explicandum Trinitatis mysterium longe videri opportuniorem, & commodiorem. At D. Thomæ, omniumque Thomistarum doctrinæ videtur potius contraria. Docent hi nomen Verbi ac Filii nullo modo esse nomen essentiæ, sed personæ tantummodo: ita S. Thomas quæst. XXXIV. art. 1. Docent processionem filii esse generationem, quia procedit per intellectionem Patris, quæ est operatio vitæ, & a principio conjuncto in similitudinem naturæ: ita S. Thomas quæst. XXVI. art. 2. Docent intellectionem, per quam procedit Verbum, esse actum notionalem, quæ est operatio nedum divina essentia, sed etiam paternitate secundum intellectum posterior. Ita S. Thomas quæst. xl. art. IV. Quomodo ergo hi Thomistæ intellectionem cum natura, nomina personalia cum essentialibus contra apertissimam Angelici sui Præceptoris doctrinam confundunt, affirmando divinum Verbum esse natura sua intellectionem, ideoque in intellectione divinam naturam constitui, quasi nomen Verbi esset nomen essentiæ, intelligere Patris esset natura, & non actus notionalis; atque principium divinæ generationis proximum, ut inquiunt, ac formale, idem esset ac differentia essentialis constitutiva Dei?

Profecto si aliqua vis esset præfatæ argumentationis, ita in gratiam Socinianorum posset quis argutari: Natura divina est intellectio, per quam verbum procedit: intellectio per quam Verbum procedit, est in solo Patre: Ergo in solo Patre erit natura divina. Itaque juxta D. Thomæ doctrinam dist. minorem: Verbum divinum procedit per intallectionem atque in similitudinem naturæ; per intallectionem *essentialem*, nego minorem; quippe hæc tribus personis ex æquo communis est, & principium formale, ac proximæ divinæ generationis uni, non alteri personæ convenit: per intellectionem *notionalem*, concedo min. sed hæc est operatio, non solum naturam, verum etiam paternitatem supponens. Dixi juxta D. Thomæ doctrinam; nam cur Verbi divini processio sit generatio, non est fortassa adhuc compertum, naqua ad definiendum facile, ut quamplures existimant.

PROPOSITIO II. Divina essentia explicari non potest magis proprio atque idonen vocabulo, quam Hebraico יהוה *Jehova*, aut אשר אהיה *Escer Eheia*, aut Græco ὁ ὢν, aut Latino, *Qui est*.

Sequitur ax dictis: atque inde infertur soli Deo competere incommutabilitar & essentialiter, ut sit. *Est enim vere solus, quia incommutabilis est*: ait S. P. Augustinus lib. VII. de Trinit. cap. 5. Infertur quoque substantiam creatam esse in Dei comparatione, *tamquam nihilum*, ut habetur in Psal. XXXVIII. v. 6. quod ita idem Augustinus num. 9. exponit: *Quid enim dicam? Quibus verbis ostendam nihil esse quod sum in comparatione ejus quod est?* Infertur tertio in Deo, cum sit essa incommutabile, nullum accidens physicum reperiri: quod Augustinus asserit lib. VI. de Trinitate cap. 2. *Aliæ, quæ dicuntur substantiæ, vel essentiæ capiunt accidentia, quibus in ea fiat vel magna, vel quantacunque mutatio. Deo autem aliquid ejusmodi accidere non potest: & ideo sola est incommutabilis essentia, vel substantia, quæ Deus est: cui profecto ipsum esse, unde essentia nominata est, maxime ac verissime competit.* Infertur quarto Essentiam, quam de summo Deo enunciamus, omnem in se comprehendere plenitudinem, & quidquid percipitur sensu longa imparem divinæ substantiæ nobis exhibere rationem: unda S. P. Enarrat. 2. in Psalm. 26. ait: *Totum ab animo rejicite; & quidquid occurrerit quod cogitare possitis, dicite, non est illud.* An vero præfata nomina, aliaque plura, adæquate divinam Essentiam significent, & quænam sit singulorum notio, & origo, in eo, qui consequitur, libro conabimur explicare.

SCHOLION.

„ NOstrates, qui Ægidii Romani castra sequuntur, *in perfectissima intellectione*, ut dictum est, divinam essentiam constituunt: patum quoque, vel tantum in sese axplicandi modo a nostratibus discrepant S. Thomæ Aquinatis discipuli. Horum gratia sententiam istam haud improbabilem esse pronuntio. Ac primum *Esse intellectuale*, prout facultatam intalligendi cum suamet actuali intellectione comprehendit, (facultas enim, seu potentia ab actu distincta imperfectionem involvit) id est, quod mante nostra concipitur in Deo esse perfectius atque sublimius; quum tria sint genera, in quibus substantia quælibet constituitur, *esse*, nimirum, *vivere*, & *intelligere*: quorum postremum ceteris perfectius est, quoniam *esse*, ac *vivere* in substantiis quoque corporeis, finitisque invenitur. Præterea, si *metaphysice* loquamur, illud ast alicujus rei, ut Scholastici inquiunt, *formale constitutivum*, quod habere nequit rationem communem cum intrinsecis proprietatibus, nequa cum substantiis extrinsecis: siquidem illud, quod commune est, tamquam genus a nobis concipitur, non tamquam peculiare esse, siva juxta Scholasticam locutionem, *specificativum*, ac proprium. Percipiens autem Substantiam intelligentem cum intellectionis purissimo actu, nulla accedente cognitione, nulla aliena specie, nulla adventitia idea quomodolibet variabili, occurrit menti meæ substantia, quæ inter pollentes vi intelligentiæ cunctis & axtantibus, & possibilibus est excellentior, quoniam materiales naturæ destitutæ sunt intelligendi virtute; spirituales vero, si creatæ sint, de potentia prodeunt in actum: in eadem cognitione perfici possunt, & de una ad alteram proficisci. Eadem quoque substantia perfectissimo modo intelligens distinguitur mentis meæ cogitationa ab omnibus Dei attributis, puta æternitate, simplicitate, immensitate; quæ vocabula imbecillitati humanæ mentis propriatates quasdam indicant, quæ etsi in re sint ipsa Dei substantia, a nobis tamen concipiuntur, tamquam emanationes quædam ab ipsa substantia. Ad hæc neque in divinis perfectionibus, nequa *in esse a se* divina essentia videtur *metaphysice* constituenda: non utique in divinis perfectionibus, quoniam, ut dictum est nuper, percipiuntur a nobis, tamquam proprietates ab essentia manantes: non in *esse a se*, nam revera dum *entis*, atque, ut *βαρβαρικῶς* inquiunt, *asseitatis* audio vocabula, nihil percipio aliud, quam generalem quamdam notionem rei existentis, atque independentis ab alia re, non autem *specificæ* differentiæ constituentis substantiam, inter illas, quæ pollent intalligendi facultata, perfectissimam. Est etiam *asseitas* illa aliquod cum divinis personis, cum Dei attributis commune, ideoque non est peculiaris illa ratio, quæ essentiam atque naturam, ut a nobis concipitur, vare proprieque constituat. Postremo quod multiplicem *asseitatem* distinximus asserentes Personas Filii & Spiritus Sancti non asse a seipsis *originæ*, divina attributa esse a natura tamquam *a principio & radice*, creaturas vero asse a Deo tamquam *a Causa*, non tantum est distinctio excogitata ab iis, qui divinam essentiam constituendam censent in *asseitate*, quam vocant *omnimodam*: sed ulterius videtur inepta & frivola: quippe investigantes *specificam* alicujus rei differentiam hanc non inquirunt per oppositionem ad ejus propriatatas, vel ad personas eamdem substantiam habentes, sed per oppositionam ad res ceteras, quæ ab illa *specifice* differunt: quemadmodum definientes hominem quod sit *Animal ratione præditum*, non intelligimus naturam hominis per oppositionem vel ad individua naturæ humanæ, vel ad hujus proprietates, cujusmodi sunt facultas intalligendi, volendi, ridendi: sed per oppositionem ad bruta animantia, atque ad ceteras quascunque res, quæ non sint homo.

„ His itaque Ægidianorum, Thomistarumque sententia potest fulciri, & argumenta superius a ratione petita quam facillime solvi. Ea autem, quæ e sacris litteris, ac Patrum auctoritate depromuntur, non talis sunt generis, ut iis debeamus aliquatanus commoveri. Etenim in libris sacris, scriptisque Patrum nequaquam humanæ mentis describuntur figmenta, neque illinc *metaphysicæ* expiscandæ sunt abstractiones: sed ibidem nobis proponitur Deus summus, ut immutabiliter est, ut rerum universarum conditor, ut creaturis omnibus præferendus, ut tota mente, & toto corda amandus & colendus. Ut de se ait, *Ego sum qui sum*, ita inquit, *Ego Deus, & non mutor. Ego sum via, veritas, & vita*: & S. P. Augustinus in 5. de Trinit. cap. 11. scribit de Deo dici posse, *Ipse est sua deitas, ipse sua magnitudo, ipse sua bonitas, ipse sua æternitas, ipse sua omnipotentia.* Nunquid ex his, quæ verissime dicta sunt, inferre possumus *metaphysicum* divinæ essentiæ *constitutivum* esse aut vitam, aut veritatem, aut immutabilitatem, aut magnitudinem, aut bonitatem, aut æternitatem, aut omnipotentiam? Atque hæc pro sententia Ægidianorum addidimus; quamvis non arbitremur asse hanc magni momanti quæstionem.

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER SECUNDUS,

In quo de Divinis Attributis universe, ac singillatim disseritur.



INVESTIGATA Dei Existentia, ac Natura, ejus proprietates, quæ usitatissimo vocabulo Attributa appellantur, sese offerunt examinandæ. Sunt autem hæc attributa perfectiones quædam, quæ ratione nostra Dei consequuntur naturam. Quarum aliqua absoluta dicuntur, & communia tribus Personis; alia autem relativa, quibus Personæ Divinæ adinvicem referuntur. Ex illis vero, in quibus tantummodo hoc præsenti Libro versabimur, præter unitatem, de qua disputatum est hactenus, duodecim connumerantur a Scholasticis, vigintiduo a Boetio, neque pauciora sunt Επινοίας, videlicet mentis nostræ excursionibus, quibus aliquid non indecorum, neque indignum de supremo Numine excogitamus. Potiora autem sunt ineffabilitas, simplicitas, infinitas, æternitas, immutabilitas, immensitas, veracitas, omnipotentia, pulchritudo ac perfectio; & quæ particularem postulant dissertationem, invisibilitas, scientia, voluntas ac libertas, providentia, prædestinatio. Horum itaque notitiam tradam ea methodo, quæ perseverat amorem sapientiæ moderantem.

C A P U T I.

De Ineffabilitate Dei, atque de Divinis Nominibus.

ARbitrabatur impius hæreticus Eunomius, quem Nyssenus lib. XII. cavillatorem, nominumque aucupem appellabat, Deum pluribus significari nominibus, quorum singula divinam naturam, quatenus in se subsistit, exprimerent. Ad confutandum versipellem hominem sat est, si duo brevissime præstentur, nimirum probetur nullo simplici vocabulo designari posse reconditam divinitatem, nisi prout mente nostra inadæquate concipitur; ac diversa nomina Dei, sive substantiva sint, sive adjectiva, varias mentis ignorantiæ tenebris involutæ exhibere perceptiones.

PROPOSITIO I. Deus est ineffabilis, idest, licet plura vocabula significent divinam essentiam, aut attributa, prout a nobis percipiuntur, nulla excitant ideam divinæ naturæ, prout est in se.

Probatur I. ex libro Prov. cap. XXX. v. 4. *Quod nomen est ejus, & quod nomen filii ejus, si nosti?* II. Sanctorum Patrum sententiis, quos inter Justinus in Cohortatione ad Gentes ait: *Fieri non potest, ut proprium aliquod Dei nomen attribuatur.* Lactantius lib. I. divin. Instit. cap. 6. *Deo nomen non est.* Novatianus lib. I. de Trinit. cap. 4. *Nomen Dei proprium edici non potest, quoniam non potest nec concipi.* S. P. Augustinus in Psal. lxxxv. n. 12. *Deus ineffabilis est.* Et ibidem: *Quæris quid sit? Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Tertio probatur communi Philosophorum consensu. Ita namque scribit Plato in Parmenide, & de Republ. VI. Plotinus Ænead. lib. 5. cap. 16. Proclus Th. Platon. lib. 2. cap. 4. Jamblicus Segm. VII. quos citat, & longiori explicatione persequitur Thomassinus lib. VI. Th. Dogm. cap. V. Addere possum Alcinoum, ac Maximum Tyrium, quorum loca refert Petavius lib. VIII. cap. VI. nu. 6. Addit Huetius Alnetan. Quæst. lib. II. num. XV. Simplicium, & Philemonem Poetam, qui ait terribile esse nomen Dei, nec a quoquam proferri posse. Accedunt cum Hebræi, qui in hodiernam diem nomen Dei Tetragrammaton, cujus etiamnum ignoratur pronunciatio, efferre nesciunt, tum Samaritani, qui Garizimitanum Templum Deo sacrum omni carere vocabulo dixerunt Antiocho illustri, ut libro XII. Antiquit. cap. 7. scribit Josephus. Denique probatur ratione: Nomina sunt signa conceptuum nostrorum: Essentiam divinam non possumus in hac vita perfecte cognoscere: Ergo neque perfecte possumus aliquo nomine exprimere.

Oppones: Aliqua Dei nomina non pendent ab hominum instituto, sed Deum ipsum, qui ea Mosi revelavit, habent auctorem. Ergo hæc saltem plane ac digne exprimere poterunt Dei naturam.

Resp. nego consequentiam. Etenim, quemadmodum Deus cum esset invisibilis in assumpta creatura dignatus est apparere, ut nos misericorditer visitaret; ita, cum sic ineffabilis, congruum existimavit se aliquo vocis sono nominare, quia admittens humanæ vocis obsequium, *verbis nostris in sua laude gaudere nos voluit.* S. P. Augustinus lib. I. de Doct. Christiana cap. 6.

PROPOSITIO II. Divinorum nominum alia divinam naturam, ac substantiam significant, alia attributa.

Sequitur ex dictis, & probatur: Tametsi nihil divinæ naturæ adveniat, indulgetur tamen imbecillitati rationis nostræ, ut concipiamus *esse a se* tanquam naturam; justitiam, misericordiam, & alia quæ habent quamdam connotationem, veluti proprietates consequentes essentiam: imo sunt divina nomina personalia, quæ de natura & essentia enunciari non possunt, nisi, ut scholæ loquuntur, *in concreto*: Atqui nomina significant res prout mente nostra percipiuntur: Ergo alia Dei nomina significant essentiam, ut illud *Ens a se*, alia vero attributa, aut personas, ut *justitia*, *Pater*, *&c.*

Opp. Athanasius in libro de Decretis Nicænæ Synodi, Cyrillus in libro Thesauri cap. 19. atque alii Patres affirmant tam nomen Dei, quam nomen Filii, ac Patris, (quod asserendum est de quocumque alio nomine) divinam significare substantiam, cum in Deo nihil sit eorum, quæ naturam sequuntur. Ergo qualecumque divinum nomen Essentiam significat.

Resp. Athanasium ac Cyrillum Alexandrinum disputare contra Arianos, qui asserebant Verbum natura ac substantia realiter distinctum a Patre, excogitantes divinam generationem adinstar humanæ, quæ fit cum propagatione, ac decisione naturæ. Augustinus autem in VII. de Trinit. cap. I. aliique Patres docent nomen Filii, Verbi, Imaginis, & id genus plurima, relationem, non substantiam significare. Quæ in libris de Trinitate data opera explicabuntur. Dist. itaque ant. Nomina divina, quæcunque sint, significant substantiam, si accipiantur secundum rem, & absolute, concedo: si spectentur secundum rationem intelligentiæ nostræ, & connotative; nego: nam etiamsi Essentia Dei, hypostasis, atque attributum sint una eademque substantia; hanc tamen nos appellamus *naturam* prout sola ac simplex per se spectatur; *personam*, quatenus ad aliam refertur; *proprietatem*, propter connotationem ad aliquem terminum, ut in sequentibus explanabitur.

Si vero quæras quænam præcipua sint Dei nomina, respondeo decem apud Hebræos, (prætermissis quæ Thalmudistæ, ac Rabbini, necnon Cornelius Agrippa vir superstitiosissimus, aliique malefici excogitarunt,) in sacris litteris connumerari. Quorum primum est ineffabile nomen יהוה dictum Hebræis שם בן ארבע אותיות *Nomen filius quatuor literarum*, Græcis, quod idem est, Τετραγράμματον. Atque hunc literarum numerum in Deum nominando observant etiamnum Græci, Latini, Hispani, Galli, Theutones, Turcæ quoque ac Arabes, qui Dei nomen sic efferunt, ΘΕΟ'Σ, DEUS, DIOS, DIEU, GOTT, ALLA; unde & imitatione digni videntur Itali, qui omnium gentium exemplo scripserunt IDIO, consona non geminata. Nomen illud vel a radice היה, vel ab הוה, quod est *Fuit*, creditur derivatum, unde ejus etymon exponitur in Exodo III. v. 4. אהיה אשר אהיה, *Sum qui sum*. Certa hujus nominis pronunciatio nondum innotuit, *Jaho* effert Clemens Alex. Strom. V. *Jave* Theodoretus quæst. XV. in Exodum, *Jehue*, Genebrardus in Psalm. lxxxII. *Jova* Angelus Caninius lib. de locis Hebraici cap. I. Post Galatinum communiter omnes *Jehova*. Quidam, auctore Hieronymo Epist. 136. propter elementorum similitudinem, scilicet inter Hebræum ה & Græcum Π, atque inter י, & ι, legere consueverunt PIPI, Pipiones non illepide dicti. De his recte Exodi VI. v. 3. ושמי יהוה לא נודעתי להם *Et nomen meum Adonai non indicavi eis*. Ex hoc loco comprobatur pronunciatio יהוה, quam reprehendit Genebrardus: nam Hebræi, Septuaginta, necnon Vulgata nostra vertunt nedum hoc loco, sed ubique pro יהוה Adonai, κύριον, *Dominum*. Ergo non male inscriptum est nomen tetragrammaton punctis vocalibus nominis *Adonai*, mutata tantum priori vocali propter literam gutturalem א, quæ nusquam patitur simplex Sceva. Hæc non absque magna utilitate Theologi dicta sunt: etenim ubicunque in novo, ac veteri testamento legeris *Dominum* substitutum loco hebraici nominis יהוה, certissime inferes ibi de vero Deo sermonem institui.

II. Est יה *Ja* ab eodem themate. Hinc Alleluia, *laudate Deum.*

III. אל, *El* a radice איל *fortem esse*, unde latine *Fortis*,

græce ἰσχυρὸς, Deus in publicis Ecclesiæ precibus Feria sexta majoris hebdomadæ appellatur.

IV. אלוה. *Eloab*.

V. אלהים. Utramque ab אלה *Juravit*, latine *Princeps*, *Judex*, græce δικαστὴς, ἄρχων: Aliqui derivare putant ex Arabismo, in quo אלה significat *adorare*. Hieronymus hæc duo nomina distinguit; sed diversa sunt solo regiminis statu.

VI. שדי: *Saddai*, a relativo ש *Qui*, & די *sufficere*, Latine reddi potest *sibi sufficiens*, *omnipotens*, *neque indigens nostri*, Græce ἄλκιμος, παντοκράτωρ, αὐτάρκης. Aliqui in caput lxiii. Esaiæ v. 9. observant hoc nomen tribui aliquando Archangelo Michaeli, fortasse, quod sit ad salvandum pronus, atque præpotens ad bellandum.

VII. ארני ארון *Adonai*, *Adon*, κύριος, δεσπότης, *Dominus*, ut diximus supra. Hujusmodi nomen connotat creaturas, in quibus Deus dominatur; & quoniam non semper creaturæ fuerunt, Tertullianus disputans contra Hermogenem, qui putabat materiam esse Deo coæternam, cap. 3. ait: *Dei nomen dicimus semper fuisse apud semetipsum, Dominum vere non semper*.

VIII. אשר יהוה græce ὁ ὢν, latine *Qui est*, de quo in I., ex relativo, ac verbo היה *esse*.

IX. יהוה אלהים צבאות *Dominus Deus Sabaoth*, Idest, *Exercituum*: a radice צבא *Exercitus*: quo nomine intelliguntur nedum Angelicæ potestates, sed etiam Danielis viii. v. 10. Sacerdotes, qui Regi cœlorum militantes excubias agunt in Templo. Ob utramque significationem commemoratur in Præfatione Missæ, *Dominus Deus Sabaoth*.

X. עליון *Elion*, ὕψιστος, *excelsus*, *supremus*, a th. עלה *ascendere*, *præesse*. Ex quo autem Deus maximus sit, & summe excelsus, animadverterat Salomon Glassius vir hæreticus quidem, apprime tamen eruditus, Dei nomen loco Epitheti dici de rebus excellentissimis, ut Ps. lxxix. v. 11. *Cedri Dei* dicuntur arbores procerissimæ; *plaga Domini* II. Paralipp. xxvi. v. 20. lepra Oziæ: ut mittam exempla Glassii lib. iii. Philolog. sacræ Tract. i. Can. xvii. n. 3. Atque de his Dei nominibus, præter Hebraicarum dictionum Interpretes, ut Buxtorfius, Pagninus, & alii, vide citata Epistola Hieronymum, Isidorum Hispalensem lib. vii. Originum cap. i. Angelum Caninium de locis Hebraicis cap. 2. Petavium lib. viii. cap. ix. nonnulla etiam apud Scholasticos, præsertim Ludovicum Habert Tract. de Deo uno cap. i. & Contenson dissert. v. cap. ii. spec. iii.

Satis de Hebraicis nominibus summi Dei, qui Græcis dicitur, Θεὸς, onde latinum, *Deus*; vel a verbo θεάομαι, *videre*, atque *contemplari*, quoniam θεᾶ διὰ πάντων, *inspicit omnia*: vel a θεῖν, *currere*, *ponere*, *facere*, quod omnibus præsto sit, omnia disponat, omnium sit artifex: vel ἀπὸ τοῦ αἴθειν, *urere ac fulgere*, non quod ignis sit, ut Persis, Ægyptiisque Deus *Phtha*, sed propter vim cupiditatum consumptricem, aut inaccessibilem gloriæ lucem. Eo nomine significari substantiam docent Latini Patres, Tertullianus in primis adversus Hermogenem cap. 3. Græci fere omnes, efficientiam & energiam. Facile conciliantur; nam si istud nomen referas ad ideam proferentis, significat Dei naturam, si ad vocis etymologiam, operationem aut facultatem. Idem assero de nominibus Æthiopicis אמלך *Emlah*, forte ab hebræo מלך *Rex*; אגזיא, vel; אגזיאבר *Egzia*, *Egziaber*, *Dominus bonus*. Omnia ferme penes ceteras nationes divina nomina eamdem habent cum expositis significationem.

Loquamur pauca, quandoquidem huc deducta est oratio, de dulcissimo nomine JESU. Derivatum est a ישע *Salus*: unde Jesus idem est ac Σωτὴρ, *Salvator*. Negant aliqui, inter quos Caninius numerat Osiandrum, istam originem, quoniam alicubi scriptum reperitur ישו *Joscia* absque radicali litera ע *Ajin*, unde dictum putant, inquit Listrius, a verbo substantivo *Est*, ישה יש. At insulsa nimium argutatio. Mosis tempore scribebatur, ut constat ex libro Josue, יהושע *Jehosuah*; post Babylonicum exilium, ut reperimus apud Esdram, & Nehemiam, scriptum est producta sub Jod vocali paucioribus literis ישוע *Josuah*, etsi antiquiorem scripturam retinuerint Aggæus, & Zaccharias. Ex Syrorum, Arabumque commercio desuescere cœpit postrema litera ע, quod Caninius in I. demonstrat ex שבע *septem*, quod scriptum aliquando in Thalmud שב absque *Ajin*, & Hugo Grotius ad caput I. Lucæ v. 5. ex nomine אלישבע *Elisabah*, unde abrasa finali, & substituta ת, T, Syrorum exemplo, Græci ac Latini fecerunt *Elisabeth*. Satis hinc refutatur hallucinatio Osiandri, & manifesta redditur nominis JESU recepta fere ab omnibus interpretatio: de qua Matthæi i. v. 21. *Vocabis nomen ejus JESUM: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Χριστὸς, *Christus* a verbo χρίω, *ungo* idem est ac משיח, *Messias*, a משח, *unxit*.

Fertur Reparatoris nostri nomen ita prædixisse Sibyllam Cumanam:

Sed quæ sit numeri totius summa, docebo.
Namque octo monades, totidem decades super istas,
Atque hecatontadas octa, infidis significabit
Hominibus nomen: tu vero mente teneto.

De Sibyllarum carminibus dicam alibi. Oraculum, qualecunque sit, nunc expono. Octo monades sunt unitates 8. Octo decades 80. Octo hecatontades 800. totius numeri summa, 888. Nomen IHΣΟΥΣ, *Jesus*, eumdem continet numerum, nam I valet 10. H 8. Σ 200. O 70. Υ 400. Σ 200. Supputa, num resoltent 888., & *protegat te nomen Dei Jacob*. Psalm. xix. v. 2.

SCHOLION.

Divinorum Nominum plura sunt genera. Nam quædam *absoluta* sunt, quædam *relativa*, quædam dicta Theologis *notionalea*. Prima sunt, quæ absolute, & absque ullo respectu ad personas divinas, vel ad creaturas proferuntur, ut *Deus*, *bonus*, *divinitas*, *bonitas*. Secunda, quæ relationem significant sive ad Personas, ut *Pater*, *filius*, *paternitas*, *filiatio*, sive ad creaturas, ut *Creator*, *Dominus*, *Judex*. Ex his vero nominibus, quæ relationem ad creaturas important, quædam actionem in Deo immanentem significant, ut *providentia*, *præscientia*, *prædestinatio*; quædam vero actionem transeuntem, *ut creatio*, *gubernatio*, *assumptio naturæ humanæ*. Notionalia autem nomina ea dicuntur, quibus significatur progressus unius personæ ab alia secundum originem, *ut generatio ac spiratio*. Ex hisce omnibus Nominibus constat aliqua esse *abstracta*, ut *deitas*, *paternitas*, *generatio*; & aliqua *concreta*, ut *Deus*, *pater*, *genitor*. Puto hæc ex primis Dialecticorum elementis cuique esse notissima.

Quædam tamen sunt hoc in loco advertenda. I. Nomina relativa, quæ significant actionem transeuntem, dicuntur Deo convenire *ex tempore* ratione effectus in tempore producti, ut *Creator*, *Dominus*, *Gubernator*. II. Eadem tamen nomina, si ad potentiam Dei referantur, ipsi ab æterno conveniunt. III. Quæ vero nomina significant actionem immanentem, Deo conveniunt pariter ab æterno, ut actus divini intellectus & voluntatis. Sufficit hæc breviter adnotasse: nam de singulis Dei nominibus suis in locis pertractabitur. Videatur interim S. Thomas 1. p. q. 13. Silvius ibidem, & Estius in 1. dist. 4.

CAPUT II.

De Simplicitate Dei.

PRÆTER memoratos præcedenti libro Gentiles, qui Deos humanis membris præditos cogitarunt, hominemque impiissimum Spinosam, qui materiam ac naturam Deum esse commentus est, haud recte de divina simplicitate senserunt iv. Ecclesiæ seculo Ægyptii Monachi, qui turmatim in eum errorem descivere, quod Deus sit Anthropomorphos, formæ scilicet humanæ & corporeæ. Quibus dubitari potest an præluserint secundo sæculo Melito Sardensis, qui anno 169. misit pro Christianis ad M. Aurelium Apologiam, qua creditur permotus ad vetandum, ne quisquam in posterum religionis caussa Christianos calumniaretur. In eamdem hæreseos suspicionem inducitur Tertullianus, Audius, a quo fertur Anthropomorphitas dictos fuisse Audianos, &, quod gravius est, a Socrate, & Sozomeno etiam Epiphanius. Plures item, etiamsi his telis non ausi sint divinam impetere simplicitatem, in eo tamen peccarunt, quod in ea indivisa natura intrinsecam distinctionem admiserint, Gilbertus Porretanus Pictavorum Episcopus sæculo xii. de cujus errore non idem sentiunt Theologi; Gregorius Palamas, & Græculi quidam Monachi, qui imperante Joanne Cantacuzeno increatum æternumque lumen reapse a Deo separarunt, & Abbas Joachimus, qui a divinis Personis visus est realiter distinguere essentiam. At de Græcorum, & Ab. Joachimi erroribus, ne longior evadat disputatio, alibi est differendum. Modo postquam critica quædam, & apologetica fuerint expedita, demonstrabo neque Deum esse corporeum, neque in eo intrinsecam ac realem distinctionem aliquam reperiri: quæ prætermitti non debent eo quod ad istud revera simplicitatis attributum proprios attineant, sed in ceteris quoque disputationibus usum habeant frequentissimum. Qua in re declinabo quidem aliquantulum in Gregorii nostri, aliorumque Nominalium veram, ut puto, sententiam, sed eam cum asserta a D. Thoma, & Ægidio virtuali distinctione temperabo. De Scotistarum doctrina, qua propugnant distinctionem *formalem ex natura rei*, gravissimi Theologi Ludovici Thomassini lib. iv. de Deo cap. i. num. viii. judicium erat; quod Scotus ejusmodi distinctione, *Non hostiliter quidem divinæ insultavit simplicitati, sed minus forsitan reverenter ingenii sui acumen illi inseruit*. Sit tamen Auctoris sui patrocinio satis valida. Forte plura obscurioribus verbis implicantur; neque cum Adversariis frequenter altercaremur, si fas esset illorum mentem inspicere.

PROPOSITIO I. Melito Asianus Sardensis Episcopus vix ab errore Anthropomorphitarum potest excusari.

Hæc propositio est Origenis, & Theodoreti quæst. xx in

in Exodum, Gennadii lib. de Dogmat. cap. 4. Petavii lib. II. cap. 1. Guilelmi Cave Hist. Eccl. secul. II. ad an. 170. Joannis Clerici ad annum 149. num. IX. in eamque pronior est Thomassinus lib. IV. cap. 1. num. 2. Ac probatur: Eusebius, Hieronymus, Theodoretus, & quotquot Melitonis recensent Opera, & sanctissimi Scriptoris meminerunt, exscripsere omnia ex Origene suppare Melitonis ætati: atqui Origenes loco citato apud Theodoretum apertissime tradidit, Melitonem existimasse Deum corporeum: Ergo Melim vix ab hujus erroris nævo purgari potest. Probo minorem: Origenes apud Theodoretum ait: *Ante omnia disceptandum illud est, ubinam constet istud: Ad imaginem: in corpore, an in anima. Videamus porro quibus utantur qui prius asserunt. E quorum numero est Melito, qui scripta reliquit de eo argumento, Deum esse corporeum.*

Respondent L'Herminier, Tournely, Boucat, aliique clarissimi recentiores Theologi hæc facile dispungi. I. Quia neque Eusebius, neque Hieronymus, neque ipse Theodoretus Melitonem accusant. II. Inquiunt Origenis textum sic vertendum esse cum Sixto Sen. lib. V. Biblioth. annot. 18. *Melito scripta reliquit de eo argumento, quod dicitur Deo corpus inesse*. III. Falsam suspicionem ortam esse ex inscriptione libri περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ, quam Rufinus vertit *De Deo corpore induto*. IV. Gennadium virum fuisse judicio præcipiti, utpote qui postulavit Dionysium Alexandrinum Arianæ impietatis, novitatis vero Augustinum.

Verum hi comiter a Melitone errorem conantur abstergere. At ad 1. respondetur, Eusebium ex Origene, Hieronymum ex Eusebio de Melitone exscripsisse, librosque Sardensis Episcopi, non errores connumerasse. Imo ne hæretici abuterentur præstantissimi Præsulis auctoritate, Rufinus & Hieronymus quædam dissimularunt: librum enim scriptum περὶ κτίσεως, καὶ γενέσεως Χριστοῦ, *de creatione, ac generatione Christi*, propter ambiguam vocem τῆς κτίσεως, reddiderunt alter, *de Incarnatione Christi*, alter vero, *de fide & generatione Christi*, idque habent & nonnulli Eusebiani codices περὶ πίστεως, καὶ γενέσεως Χριστοῦ. Sixtus autem Senensis aperte fallitur, & immerito reprehendit interpretationem Joannis Pici; nam revera in emendatissimis Theodoreti codicibus legitur, ἐνσώματον εἶναι τὸν Θεὸν, *corporeum esse Deum*. Inscriptionem libri περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ *de corporeo Deo* referens Hieronymus Græcam Eusebii vocem retinuit, Rufinus reddidit, *de Deo induto corpore*, Christophorsonus *de Deo incarnato*, Henricus Valesius *de Incarnatione Dei*; ita quoque Natalis Alexander sæc. II. cap. IV. art. III. sed liber περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ diversus est a libro *de Dei Incarnatione*, qui inscribitur apud Anastasium Sinaitam cap. XXXIII. περὶ ἐνανθρωπήσεως Χριστοῦ. Quæ diversa inscriptio & litem dirimit, & in contrariam sententiam traxit doctissimos viros, qui prius erant defensores Melitonis. Postremo Gennadius contra antiquissimum scriptorem non potuit studere partibus, quemadmodum Semipelagianis fortasse addictus iniquus fuit Augustini expostulator; at de Melitone consentientes habet gravissimos, ac synchronos auctores, quos neque ex scriptis Melitonis, quæ perierunt, neque ullo veterum redarguere possumus testimonio.

PROPOSITIO II. Propior fuit Anthropomorphitarum errori Tertullianus, nec certis argumentis defenditur.

Illius Patroni sunt Natalis Alexander dissert. IX. sæc. II. artic. II. Honoratus Tournely de divin. Attrib. quæst. V. L'Herminier de Simpl. Dei, Boucat dissert. III. art. III. & alii. At majorem esse de eo, gravissimamque suspicionem docet S. Thomas 1. contra Gentes cap. 20. Petavius lib. II. cap. 1. num. V. & seqq. Petrus Annatus lib. IV. art. XII. Huetius in Origenianis lib. II. q. 1. num. VIII. Pamelius in Paradoxis cap. 15. noster Gavardi quæst. de Simpl. Dei art. 1. & Critici fere omnes. Probatur I. S. P. Augustini apertissimo testimonio: ait enim Ep. 190. ad Optatum: *mirandum non est hoc somniasse Tertullianum, qui etiam ipsum Creatorem Deum non esse nisi corpus opinatur*. Et lib. 2. de Origine animæ cap. V. *Tertullianus*, inquit, *sicut animam, ita etiam Deum corporeum esse contendit*. S. Thomas quoque loco citato: *His rationibus*, inquit, *excluduntur deliramenta simplicium Judæorum, Tertulliani, Audianorum, seu Anthropomorphitarum, qui Deum corporalibus lineamentis figurabant*. II. Probatur ex eodem Tertulliano, qui lib. de Anima cap. 7. ait: *Nihil enim si non corpus*. Item libro de Carne Christi cap. 11. *Quum autem sit, habeat necesse est aliquid per quod est. Si habet aliquid per quod est, hoc erit corpus ejus: omne, quod est, corpus est sui generis. Nihil est incorporale, nisi quod non est*. Lib. etiam contra Praxeam cap. 2. *Quis enim negabit Deum corpus esse, etsi spiritus sit? spiritus corpus sui generis in sua effigie*. Et lib. 2. adv. Marcionem cap. 16. *Nam dexteram, & oculos, & pedes Dei legimus, nec ideo tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione sociantur*. His verbis, inquit Pamelius, satis se explicat.

Attamen reponunt viri doctissimi, atque erga Tertullianum humaniores I. Augustinum lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hær. 86. asserere quod Tertullianus *Corpus* pro qualicumque substantia usurpavit. II. Tertullianum in lib. de anima vel loqui de solo ente creato, vel de corpore late accepto. III. In lib. de Carne Christi sese explicare, dum ait *omne, quod est, esse corpus sui generis*. IV. In libris contra Marcionem Deo tribuere membra metaphorice, juxta divinarum scripturarum consuetudinem.

Utinam hæc invicta essent pro Tertulliano argumenta; Sed primo Augustinus in ejus patrocinium loco citato ait: *Posset enim quoquomodo putari*; dum vero ipsius errores recenset, definite, neque uno in loco, Tertullianum redarguit. Vellem ego non benignam, ac liberalem excusationem, sed certam, qualem viri alioquin docti spondent, Apologiam. Quod in libro de anima loquatur de solo ente creato me certiorem non reddunt ea verba, *Nihil enim si non corpus*; ac similia in libro de carne Christi, *Nihil est incorporale, nisi quod non est*. Ait quidem contra Praxeam cap. 2. *Spiritus est corpus sui generis*; sed eo sensu, quod spiritus sit corpus in comparatione horum terrenorum tenuissimum, ac præditum sua effigie ac membris, quæ saltem Deus intuetur; sequitur enim immediate: *Sed invisibilia illa quæcumque sunt, habent apud Deum & suum corpus, & suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt*. Ajunt observandum esse loqui Tertullianum contra Praxeam, qui existimabat Verbum Divinum esse rem vacuam, & inanem. Illud animadverti, sed quare ad Praxeam confutandum, vir haud impos latini sermonis, & florentissimus novorum verborum inventor *Corporis* nomine non vacuam rem significaverit, id non satis percipio: poterat enim uti non sibi ignotis vocabulis *Spiritus*, *substantia*, *essentia*, *persona*, *&c.* Atque non contra Praxeam tantummodo, sed ubique scribit, *nil esse præterquam Corpus*, & audivimus repetitam sæpe cantionem. Denique adversus Marcionem non metaphorice corporeas partes tribuit Deo, sed veras: distinguit enim sicut duplex genus animi, ita duplex genus corporis, & duplex genus sensuum. Tum inquit: *Quanta erit diversitas divini corporis & humani sub eisdem nominibus membrorum, tanta erit animi divini, & humani differentia sub eisdem licet vocabulis sensuum, quos tam corruptorios efficit in homine corruptibilitas substantia humana, quam incorruptorios efficit in Deo incorruptibilitas substantia divina*. Quo in loco si Tertullianus nequaquam Deo negat veram rationem animi, neque denegat veram rationem corporis, licet diversi generis ab humano passibili, & corruptibili.

Opponet: Tertullianus cap. XX. Apologetici ait Deum esse *Spiritum*: lib. de Anima cap. 7. *Incorporalitatem* nihil pati, e contra lib. adversus Praxeam cap. 29. Deum esse *impassibilem*; quæ ponderans Augustinus lib. X. de Genes. ad lit. cap. 25. affirmat Tertullianum priorem revocasse sententiam. Denique lib. de Baptismo cap. 11. fatetur Dei propriam esse *simplicitatem*.

Resp. hæc omnia si prædictis comparentur, parum Tertulliani caussam juvare. Ille enim spiritum contra corpus distinguit non per negationem materiæ, sed per intractabilem tenuissimamque corpoream effigiem; ait enim contra Praxeam cap. 2. *Spiritus corpus est sui generis in sua effigie*. In anima vero passibilitatem affirmat, quam negat in Deo; sed loquitur de passione, quæ suapte natura dolorem infert, quam non audet asserere in Deo, cui tribuit passionem aliquam, ac sensus generis sui, videlicet *incorruptorios*. Augustinus, si eum attente legas, non ait Tertullianum priorem revocasse sententiam, sed eum potius arguit antilogiæ. *Denique*, inquit, *Tertullianus quia corpus esse animam credidit non ob aliud nisi quod eam incorpoream cogitare non potuit, & ideo timuit ne nihil esset si corpus non esset; nec de Deo valuit aliter sapere: qui sane quoniam acutus est, interdum contra opinionem suam visa veritate superatur. Quid enim verius dicere potuit, quam id quod ait quodam loco, Omne corporale passibile est? Debuit ergo mutare sententiam, qua paullo superius dixerat, etiam Deum corpus esse. Neque enim arbitror eum desipuisse, ut etiam Dei naturam passibilem crederet, &c.* Quorum verborum sensus est: Tertullianum non solum animam hominis cogitasse corpoream, sed etiam Deum, quia non *valuit sapere* quod aliquid existeret incorporeum; non tamen constare sibi, sed *contra opinionem suam* manifestissime superari, si enim credidit omne *corporale passibile*, neque adeo desipuit, ut naturam quoque Dei passibilem crederet: Ergo, ut sibi constaret, *debuit mutare sententiam*. At quod reapse pristinam sententiam revocaverit, aperte Augustinus non asserit. In libro demum de Baptismo Tertullianus Deo tribuit simplicitatem, quæ opponitur corpori nostri generis, non spiritui quem putat esse corpus generis sui. Dicunt appellavisse Deum *Corpus generis sui* etiam Clarissimum Agenni Episcopum Phœbadium, de quo Severus Sulpitius lib. 2. historiæ sacræ, in Tractatu adversus alteram Formulam Sirmiensem a Potamio Olyssiponensi conscriptam, nec tamen venisse unquam in suspicionem hæreseos. Soebadium alii, alii Fygadium, aut Fœgadium nominaverunt. At is neque Deo effigiem, neque membra, neque sensus tribuit, uti Tertullianus: de quo gravis exoritur suspicio; eaque non omnino benignis his interpretamentis extergitur.

PROPOSITIO III. Neque Sanctus Epiphanius, neque Audius Deum esse anthropomorphon existimaverunt.

De Sancto Epiphanio eruditi omnes conveniunt. Et probatur; nam Hæresi LXX. rusticam simplicitatem Audia-

norum

rum redarguens, qui in humano corpore divinam statuebant imaginem, pag. 815. Petavianæ edit. Paris. ait: *Qui fieri potest, ut quod aspectabile est, ei simile sit, quod videri non potest, aut corporeum corpore experti?* & infra: *Penes Deum neque affectio ulla, neque defectio est: sed undecumque lumen est: Spiritus enim Deus est, qui omnem Spiritum exsuperat*. Ubi diserte in Græco Deus appellatur ab Epiphanio ἀσώματος, ἀόρατος, καὶ πνεῦμα ὑπὲρ πνεῦμα, *incorporeus, invisibilis, spiritus supra spiritum*. Deinde, auctore Hieronymo Epist. 61., cum Joannes Hierosolymitanus anno Christi 393. contra Anthropomorphitas coram populo, qui ad audiendum Epiphanium convenerat, concitatam haberet concionem, atque manu, oculis, totiusque corporis trunco sanctissimum Senem vellet suspectum facere stultissimæ hæreseos; ille contra, salutata Ecclesia: *Cuncta*, inquit, *quæ locutus est collegio frater, ætate filius meus contra anthropomorphitarum hæresin, bene & fideliter loquutus est: quæ mea quoque damnatur voce: sed æquum est, ut quomodo hanc hæresim condemnamus, etiam Origenis perversa dogmata condemnemus*. Ille ergo non est inter Anthropomorphitas connumerandus, qui illorum hæresim voce ac scripto damnavit: Epiphanius voce ac scripto damnavit hæresim Anthropomorphitarum: Ergo, &c.

Neque obstat Epiphanium in hæreseos suspicionem a Joanne Jerosolymitano fuisse adductum. Nam Joannes maximo odio prosequebatur S. Epiphanium, a quo fuerat accusatus quod errores foveret Origenis: unde magnum exortum est an. 391. Joannem inter ac Epiphanium dissidium. Socrates quoque lib. VI. cap. 10. & Sozomenus lib. VIII. cap. 14. male de Epiphanio sentiunt. At de his minus curandum. I. Quia nimiam præbent fidem accusationi Joannis viri Origenistæ, hostisque in Sanctum Salaminæ Antistitem infensissimi. II. Quia etiam historiam pervertunt, & Paulinianum fratrem Hieronymi, quem Epiphanius ordinavit Diaconum ac Presbyterum in quodam Monasterio Palæstinæ, ordinatum scribunt prope urbem Constantinopolitanam, & in Ecclesia, quæ sub Jurisdictione esset Joannis Chrysostomi. III. Quoniam Socratem, & Sozomenum offendit consuetudo Epiphanii cum Theophilo Alexandrino, qui cum Ægypciis Monachis hac infectis hæresi communicavit. Sed & Monachi illi rusticana potius simplicitate, quam pervicacia ac malitia peccaverant, neque hac de caussa communiter insimulabantur hæreseos, ut animadvertit etiam Augustinus in libro ad Quodvultdeum de Audianis: &, quidquid sit de Fide Theophili, cum eo tantum convenit Epiphanius circa damnationem librorum Origenis, eumque in suas partes trahere conatus est etiam Joannes Hierosolymitanus. Neque credibile est Theophilum accusasse Epiphanium de hæresi Anthropomorphitarum, cum, ut scribit Socrates, in eamdem hæresim ipse Theophilus consentiret. Quod si tam callidum velimus dicere ac versutum, ut hæresim propriam fraudulenter insectaretur; jam excusatione dignus erit quisquis cum illo aliquandiu communicavit.

Altera pars propositionis de Audio probatur. Nam, ut scribit eadem hæresi LXX. Epiphanius, ille nulla in re a Catholica dissentit Ecclesia: præfracte tantum interpretabatur verba Scripturæ, quæ hominem conditum ad *imaginem Dei* significant, propugnans talem imaginem in Corpore sitam esse: quod male intelligentes illiterati absurdam de Deo conceperunt sententiam, quasi humanis membris constaret, de viri clarissimi nomine, cujus abutebantur doctrina, appellati *Audiani*. At etiamsi Audius putaverit divinam imaginem in humano corpore expressam; non consequitur Deum fecisse corporeum: potuit namque credere, Deum, ut hominem fingeret, humanam ad tempus sumpsisse formam, tanquam efformandi hominis typum, ut scribit Prudentius sub finem Apotheosis, & Engubinus in Cosmopoeja; vel asserere hominem factum ad imaginem Verbi Incarnati, jam prævisi, ut aliqui exponunt quædam testimonia Tertulliani. Dissimulandum tamen non est, Audium edicto Constantini relegatum fuisse in Scythiam, *quod populos ab Ecclesiæ obsequio retraheret*, ut refert idem Epiphanius: sed hæc schisma quidem redolent, non hæresim; aut si hæresim, fuerit hæc Quartadecimanorum, non Anthropomorphitarum. Vide S. Epiphanii Panarium hæresi LXX.

PROPOSITIO IV. Ut ut sit de Audio, Tertulliano, ac Melitone; Deus est purus ac simplex spiritus qualicunque corpore expers.

Spectat hæc propositio ad fidem, & probatur. I. Ex Sacris literis; nam Jo. IX. v. 24. habetur: *Spiritus est Deus*, idest animus solutus ac liber, segregatus ab omni concretione mortali. Ibi namque Christus Samaritidem mulierem adloquitur, docetque Deum adorandum in *spiritu & veritate*, idest non corporeo cultu, vel uno tantum in Templo, sed mente, & ubique, ideoque significat *Spiritus* hoc loco Animum nullo corpore, aut termino circumscriptum.

II. Probatur ex Patribus. Gregorius Nazanz. orat. XXXIV. *An corpus*, inquit, *eum esse dices? Quonam ergo modo immensus, infinitus, figura expers, ac denique ejusmodi, ut nec tangi, nec oculis cerni queat?* Hilarius in Psalm. CXXIX. *Intelligendum est, Deum incorporalem esse, neque ex partibus quibusdam, atque officiis membrorum, ex quibus unum corpus efficitur, consistere*. S. P. Augustinus lib. 8. de Civit. Dei cap. 5. *Porro si noster animus corpus non est, quomodo Deum creator animi corpus est?* Joannis Damascenus lib. 1. de Fide Orthodox. c. 4. *Quo etenim modo corpus esse queat, quod infinitum, & interminatum est, quod figura caret ... quod denique simplex est, nec compositum?* Lege Petavium lib. II. cap. 1. & 2. Thomassinum lib. IV. cap. 1. & 3. Tournely Quæst. V. art. 1. concl. 2., &c.

Tertio probatur a doctissimo Huetio lib. 2. Quæst. Alnetan. n. II. veterum Philosophorum testimonio; Deum namque expertem quocunque corpore, ac simplicissimum docuerunt Pythagoras apud Lactantium De ira Dei, Xenophanes apud Clementem Alexandrinum V. Stromat. Plato apud Augustinum lib. VIII. de Civit. D. cap. 9. Assertum idem ab Aristotele, a Simplicio, a Sallustio Cynico, ab ipso quoque Epicuro, qui dicebat Deos non habere corpus, sed quasi corpus, non sanguinem, sed quasi sanguinem. Prætermitto Proclum, Alcinoum, Apulejum, Plotinum, & alios plurimos.

Ultimo probatur rationibus, primo: Quocunque excogitato corpore, majus & majus sine fine poterit cogitari: id enim postulat quælibet, ingentissima licet, moles corporea, ut amplior magnitudo possit ei superaddi: Deo, ut omnibus persuasissimum est, nihil majus potest excogitari: Ergo Deus frustra quæritur inter corpora. Argumentum est Augustini Serm. XIV. ex additis a Parisiensibus. Rursus: Quidquid constat corporeis membris, non est totum ubique: Deus totus ubique est: Ergo Deus non constat corporeis membris. Idem Augustinus lib. VII. Confess. cap. 7. n. XII. Præterea rationalis anima potentiæ vivacitate quodcunque corpus excedit; nam judicat cuique corpori inesse partes majores ac minores, easque invicem sua dividit cogitatione: Deus super omnes rationales animas incommutabilis permanet: Ergo virtute ac potentia sua Deus qualecunque corpus excedit. Ex eodem Augustino contra Epistolam Fundamenti cap. XVI.

Oppones: Ex sacris Scripturis plura habentur, quæ huic propositioni adversantur. Primo Deuter. IV. 24. & ad Hebræos XII. 29. dicitur Deus, *Ignis consumens*. Gen. I. v. 26. homo factus ad *imaginem ac similitudinem Dei*: at homo ex anima rationali, & humana ac terrena carne subsistit. Job. X. v. VIII. legitur, *Manus Domini fecerunt me, & plasmaverunt me*. Commemorantur quoque alia divini corporis membra, ac sensus; *os* Is. I. v. 20. *aures* Psal. CXXIX. v. 2. *oculi* Exod. XXXIII. v. 13. *pedes* Is. LXVI. v. 1. *brachium* Exodi VI. v. 6. *dextera* Ps. CXXVII. *digitis* Ex. VIII. v. 19. *odoratum* quoque Genes. VIII. v. 21. Ex his istud conficitur argumentum. Illa substantia corporalis est, quæ virtutem habet activam, & consumptricem ignis; cujus imago est in creatura terrena, ac mortali; cui denique insunt dispositæ partes, ac sensitivæ potentiæ: Istiusmodi est Deus: Ergo Deus substantia corporalis est.

Resp. Stolidos esse, qui non animadvertunt Dominum Deum per homines hominibus loquentem audientium infirmitati sermones suos accommodare. Itaque ubi in Sacris literis hac de caussa sive humana membra, sive sensus, ac passiones Deo tribuuntur, debent per metaphoram explanari. Quod egregie probat Augustinus Epist. 148. ad Fortunatianum. *De membris Dei*, inquit, *quæ assidue Scriptura commemorat, ne quisquam secundum carnis hujus formam & figuram nos crederet similes Deo, propterea eadem scriptura & alas habere Deum dixit, quas nos utique non habemus. Sicut ergo alas cum audimus, protectionem intelligimus; sic & cum audimus manus, operationem intelligere debemus: & cum audimus pedes, præsentationem; & cum audimus oculos, visionem, qua cognoscit; & cum audimus faciem, notitiam, qua innotescit*, &c. Quamquam hæc Augustini verba præfatum argumentum penitus solvunt; singulas tamen ejus partes quambrevissime persequar. Itaque vocatur Deus *Ignis* præsertim ob iram adversus peccata, quemadmodum *fumus* ira ipsa appellatur Psalmo LXXX. v. 5. *Lucerna* etiam dicitur II. Regum cap. XXII. v. 29. quoniam lucis, gratiarum, ac omnis felicitatis est auctor. Ergo sicut nullus dixerit in Deo *fumum*, ac *lucernæ* molem reperiri, ita neque excogitari potest, Deum esse *ignem*. Imaginem Dei refert quidem homo, sed non corpore; animo solo, ac præeminentia & dominio, ut dicam suo loco. Anthropopathejæ autem, sive humanorum membrorum, ac passionum, quæ Deo tribuuntur, hæc est ratio: *Facies* significat intimam visionem, ac familiaritatem, unde de Angelis Mat. XVIII. 10. habetur, *semper vident faciem Patris*. Tribuuntur Deo *oculi* propter exactissimam rerum omnium notitiam; dicente Apostolo ad Hebræos IV. 13. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus*. Legitur græce τετραχηλισμένα. Est autem τραχηλίζειν, detracta spina dorsi animal quasi anatomice dissecare: unde Apostolus vocabulum transtulit, & comparatione victimarum, quibus spina detrahitur, significat Deum, quasi facta anatomia secreta omnia conspicere. *Aures* quandoque demonstrant Deum ratas habere Fidelium suorum preces, ut Psal. CXXIX. 2., quandoque vero nostram erga Deum servitutem, ut Ps. XL. 7. *Aures perfecisti mihi*; quæ verba Messiam futurum significant erga Patrem obsequentissimum, translato verbo כרה *perficere ac perfodere* ab exemplo servorum, quibus in perpetuum mancipatum aures perforabantur. *Manus* vel

Dei

Dei potentiam, vel flagellum, vel mitem animadversionem, vel promissum significat, quod facile ex adjunctis verbis intelligitur; nam *extendere* manum idem est ac auxilium afferre, seu pœnam immittere: manum *alleviari* est mitius corripere: manum *reducere* est pœnas repetere: manus *expandere* est ad veniam & resipiscentiam invitare: manum *levare* est jurare ac promittere; & *plaudere* manu ad manum apud Ezech. xxi. aut manum *complodere*, est summe adversari, atque favere interfectoribus. In *brachio* robur, in *dextera* virtus innuitur ac potentia, in *digito* autem summa facilitas, mirabile artificium, ac donum Spiritus Sancti; quippe perfectiora ac pretiosa non extentis brachiis, maximoque corporis robore, sed summis digitis elaborantur. *Pedes* & immensitatem, & in conterendis hostibus indignationem significant; aliquando etiam Ecclesiæ doctrinam; nam pusilli solent ad præceptorum suorum pedes assidere. Idem de sensuum vocabulis dicendum est; *Auditus* enim pro benevolentia & gratia, qua preces exaudit, *odoratus* pro complacentia ac delectatione bonorum operum, *gustus* & *tactus* pro alacritate, & operatione sumuntur. Illud denique observandum est, quod *Corpus* nuspiam in universis Bibliis tribuitur summo Deo, præterquam ubi sermo est de Christo: de quo multiplici ratione dicitur. Ac primo quidem ad significandam assumptam a Verbo carnem: deinde ad demonstrandam unionem, & complexum Ecclesiæ; postremo ad ostendendam novi Testamenti præstantiam, cujus veteres cæremoniæ figura erant & umbra. Eo sensu de Neomeniis, ac sabbatis ait Apostolus ad Colossens. II. 17. *Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi*. His & plenissime solutum est argumentum, & ad plures divinarum literarum tropos exponendos latissima patet via.

SCHOLION.

GEntiles Philosophos, Epicureos maxime, Deum putasse corporeum, Aristoteles in 3. Metaph. Tullius in 1. de nat. Deorum, & Galen. Histor. Philos. cap. 29. tradiderunt. Inter Judæos idem autumasse Sadducæos, qui negabant dari spiritur, constat ex Act. Apost. 23. 8. Idem Stoicos illos, qui vel ignem, vel mundum, vel materiam ubique diffusam esse Deum commenti sunt, hunc nonnisi corporeum existimarunt. De Manichæis idem refert Augustinus lib. 3. Confessionum cap. 7. Quod nos affirmavimus de Monachis Ægyptiis, accepimus a Cassiano Collat. 10. cap. 1. Quod Tertullianum vero *Anthropomorphitis* prop. 2. consortire asseruimus, non est satis accurate explicatum. Nam *Anthropomorphitæ*, prout ex nomine liquet, non sunt ii qui corpus, qualecunque illud sit Deo affingunt, sed qui corpus illi tribuunt humana præditum forma & effigie. Quidquid sentias, an Tertullianus revera Deum existimaverit corporeum, vel non, qua in quæstione patronos habet plures, ac plures itidem adversarios, atque posse *quoquo modo* excusari scribit hæresi 86. beatissimus Augustinus: profecto nullibi presbyter ille Africanus ait inesse Deo effigiem formamque humani corporis. Immo inquit eo loci S. Pater putasse illum animam immortalem quidem, *sed eam effigiatum corpus*, & ipsum quoque *Deum corporeum esse, licet non effigiatum*. Sive ergo Tertullianus *corpus* dixerit substantiam, qualiscunque sit, etiam materiæ expertem, sive *spiritum* appellaverit tenuissimum ac subtilissimum corpus, de qua re nolumus iterum disceptare; certissimum est non fuisse *Anthropomorphitam*.

De Lactantio Firmiano nunquam, quod sciamus, est disputatum in Scholis, neque hujus meminit lib. 2. cap. 1. locupletissime hanc quæstionem pertractans doctissimus Dionysius Petavius, ac ceteri multo minus. Videtur Lactantius asserere Deum humana præditum esse figura, quoniam in libro de ira Dei cap. 18. inquit: *Omitto de figura Dei dicere, quia Stoici negant habere ullam formam Deum; & ingens alia materia nascetur, si eos coarguere velimus*. At Lactantius lib. 2. cap. 9. lib. 2. cap. ultimo, & lib. 7. cap. 9. & 11. tam aperte fatetur Deum corporis esse expertem, ut nulla de ejus mente possit oriri hæsitatio. Stoici vero formam figuramque a Deo repellentes constare illum ex materia, saltem aliqui, arbitrabantur.

Anthropomorphitæ supino detinebantur errore, propterea quod narrat historia Geneseos Deum condidisse *hominem ad imaginem ac similitudinem suam*. Latini Patres imaginem illam in mente humana constituunt, Græci in dominio collatu homini non modo respectu terrenarum rerum, verum etiam suorum affectuum motuumque per libertatem arbitrii.

CAPUT III.

Idem pertractatur argumentum, & de divinorum attributorum agitur distinctione.

DIximus Gilbertum Porretanum errasse in Deo intrinsecam ac realem distinctionem adstruendo, sed de ejus hæresi inter Scriptores non convenire. Nam quidam putant errasse quod distingueret Essentiam divinam atque attributa ab ipso Deo, non autem eadem attributa ab invicem, ut Vasquez disp. 126. cap. 2. Claudius Frassen tract. 1. disp. 2. art. 2. quæst. 2. quibus subscribit Nicolaus L'Hermioier; alii contra asserunt Gilbertum etiam inter divina attributa realem distinctionem constituisse, ut Petavius lib. 1. cap. VIII. Juenin dissert. III. q. 1. in eamque propendit Eminentissimus Gotti quæst. IV. dub. 1. §. 2. Antequam vero nostram de Attributorum distinctione proferamus sententiam, illud sit de Gilberto judicium.

PROPOSITIO I. Gilbertus distinxit Deum ab essentia, Personas a relationibus, & omne concretum ab abstractis; sed num sejunxerit divinas proprietates ab invicem non satis constat, & videtur negativa sententia probabilior.

Brevissime probatur I. Quoniam Gilbertus idcirco accusatus fuit, quod negabat concedendam esse illam propositionem, *Deus est natura divina*, aliasque id genus, quibus abstracta enunciantur de concretis. Ulterius recensentur apud Baronium ad annum 1147. n. VII. errores Gilberti, de quibus fuit accusatus, & distinguuntur in quatuor principalia capita, quorum unum est de distinctione Dei a natura divina, alterum de distinctione proprietatum personalium ab ipsis personis; tertium quod personæ in nulla propositione possint prædicari; ultimum quod divina natura non sit incarnata. At de distinctione attributorum adinvicem nec verbum quidem. Præterea Concilium Remense contra Gilbertum hanc edidit Fidei professionem: *Credimus, & confitemur, solum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum æternum esse, nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive unitates dicantur, vel alia hujusmodi adesse ab æterno, quæ non sint Deus: & credimus simplicem naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin divinitas sit Deus, & Deus divinitas*. In qua Fidei professione damnatur distinctio realis inter concreta & abstracta, scilicet inter Deum, & deitatem, atque inter Personas, & relationes: at de proprietatum ab invicem distinctione nil penitus. Rursus Gilbertus in Commentariis ad Boetium diserte profitetur justitiam ac sapientiam Dei ab ejus essentia non secerni. Denique nullus unquam Gilberto errorem istum impingit, quod attributa ausus sit ab invicem sejungere, neque S. Bernardus, qui Gilbertum profligavit, neque Gaufridus, neque Otto Frisingensis, qui licet erga Gilbertum propensior fuerit, &, teste Raderico, morti proximus testatus sit se forsitan in historia Gilberti quemquam potuisse offendere, tamen in recensendis ejus erroribus, aut accusationibus, videtur rem acu tetigisse, si ejus historia cum Gilberti libris, ac Remensis Synodi definitionibus conferatur.

Opp. Gaspar Juenin. S. Bernardus, cui certe major habenda est fides, quam Ottoni, Serm. LXXX. in Cantica ait Gilbertum affirmavisse Deum esse justum, bonum, sanctum, per formas, quæ a se invicem discrepent: Ergo distinxit justitiam a bonitate, tanquam formam a forma. *Recedant*, inquit Bern. *recedant a nobis, carissimi, recedant novelli, non dialectici, sed hæretici, qui magnitudinem qua magnus est Deus, & item bonitatem, qua bonus, sed & sapientiam qua sapiens, & justitiam qua justus, postremo divinitatem qua Deus est, Deum non esse impiissime disputant. Divinitate, inquiunt, Deus est; sed divinitas non est Deus*. Accedit testimonium Gaufridi Monachi Claravallensis, qui in Actis Remensis Concilii, quæ misit ad Cardinalem Albanensem, ait Gilbertum docere, & credere, quod *divina essentia, sapientia, bonitas, magnitudo non est Deus*. Item ausum fuisse dicere: *Forma Dei est divinitas, qua Deus est, & ipsa non est Deus*. Eodem argumento ducitur doctissimus Cardinalis Gotti.

Resp. utique plus deferendum esse D. Bernardo, & etiam Gaufrido, qui contra Gilbertum in Synodo Remensi steterunt, quam Ottoni nimium fortasse in Gilbertum propenso. At Bernardus citato loco asserit, Gilbertum statuisse distinctionem inter sapientiam, justitiam, bonitatem & divinitatem ex una parte, atque ipsum Deum ex alia; non vero sejunxisse sapientiam a justitia, justitiam a bonitate, bonitatem ab essentia. Idem affirmat Gaufridus. Certe non video divina attributa illic tanquam secretas invicem formas, aut ab essentia sejunctas, connumerari. Erravit ergo, ac pessime, Gilbertus distinguens attributa & essentiam divinitatis ab ipso Deo: at unum attributum ab alio, singula vero ab essentia sejunxisse Gilbertum, nondum ex Bernardo audivi. Quin is liber v. de Consid. cap. VII. scribit, Gilbertum admisisse in Deo *quaternitatem*, eo quod præter tres distinctas personas, etiam divinitatem a Deo ausus sit distinguere. Quod si comperisset adstrui ab eo distinctionem etiam inter attributa & essentiam, atque inter unam proprietatem & alteram, non quatuor tantum, sed longe majorem distinctorum numerum diceret esse a Gilberto confictum. Denique S. Bernardus eodem lib. v. de Considerat. cap. 7. aperte fatetur Gilbertum docuisse, magnitudinem, bonitatem, justitiam, & alia ejusmodi unam esse divinitatem, sed hanc divinitatem non esse Deum. *Quartum hoc*, inquit, *omnino respuimus* (scilicet divinitatem qua Deus est, & quæ ipse Deus non est, ut asserebat Gilbertus). *Multa dicuntur esse in Deo, & quidem sane, catholiceque, sed multa unum. Alioquin si diversa putemus*,

temus, non quaternitatem habueris, sed centenitatem: Verbi caussa, dicimus magnum, bonum, justum, & innumera talia, sed nisi omnia unum in Deo, & cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum ...... Scio quod ad hæc respondere solent. Non multa, inquiunt, *sed unam tantum divinitatem, quæ omnia illa sunt, Deo ut sit conferre asserimus. Asseritis ergo, etsi non multiplicem, duplicem Deum, & non ad merum simplex pervenistis, neque ad id, quo melius cogitari non potest.* Hæc Bernardus disputans, ut patet, contra hæresin Gilberti, quamquam suppresso istic ejus nomine, quod in conventu Remensi Episcoporum sententiæ humiliter acquieverit.

PROPOSITIO II. Divinorum attributorum distinctio nulla est, nisi penes diversa connotata, ut docet Gregorius Ariminensis; & omnis distinctio intrinseca est a Deo procul eliminanda.

Antequam vero hæc propositio demonstretur, quædam sunt breviter præmittenda. Ac primo quidem, nos minime negare distinctionem rationis extrinsecam, videlicet diversas mentis nostræ perceptiones, quibus E. G. substantiam divinam a relationibus, aut misericordiam a justitia distincto sensu, ac notione intelligimus. Hanc enim distinctionem expresse comprobat Florentinum Concilium Sess. XVIII. in qua Latini Patres dixere: *Nos dicimus substantiam, & personam, sive hypostasim esse idem re, differre autem nostro intelligendi modo*, respondentibus vicissim Græcis: *Hac in parte nulla est inter nos discrepantia*. Patres quoque contra Eunomium, qui contendebat quælibet nomina, quæ de Deo enunciantur, eamdem habere significationem, & solo differre sono, singulis proprias subesse notiones unanimiter tradiderunt. Atque nullus quidem est ex Theologis, qui cum Patrem nominat, aut Filium, personam, suique juris subsistentiam a divinitatis essentia mentis apprehensione non separet, illam, non illam intelligendo.

Hanc distinctionem rationis nullibi negat, quidquid dicant Vasquesius, Tournely, aliique Theologi, doctissimus noster Ariminensis. Is recte observat dist. VIII. art. 2. quod aliqua dicuntur distingui ratione dupliciter; primo modo, quod ipsa sint rationes & conceptus distincti; alio autem modo, quod eorum sint in mente nostra rationes, & conceptus diversi. Itaque negat distinctionem rationis priori modo explicatam, quoniam Dei perfectio non est conceptus animæ, sed res summa, & in se ab æterno subsistens. Ceterum distinctionem rationis secundo modo acceptam Gregorius diserte propugnat II. Concl. ejusdem articuli pluribus argumentis, inter quæ primum est illud obvium ac tritissimum: Quorumlibet nominum diversa significantium, vel connotantium diversæ sunt rationes: Attributa, ut manifestum est ex ipsorum definitione, sunt ejusmodi nomina, quæ diversa significant, vel connotant: Sunt ergo attributorum diversæ rationes. Itaque Gregorii sententia & distinctionem rationis amplectitur, & e diametro pugnat cum errore Eunomii.

Animadvertit autem Theologus ille, meo quidem judicio eximius, in attributis aliud esse quod principaliter significatur, aliud connotatum extrinsecum: verbi caussa, misericordia principaliter significat Deum miserentem, connotatque extrinsece hominem miserum. Ergo contendit Gregorius divinorum attributorum distinctionem attendendam nequaquam esse penes id quod principaliter significant, sed penes extrinseca connotata, ita ut justitia a misericordia distinguatur, quia illa connotat pœnam inflictam impio, hæc vero collatum misero beneficium.

Hæc est sententia Gregorii, quæ cur aliquibus displiceat, me latet. Et primo videtur mihi concordare cum Doctrina Magistri, qui IV. Sententiarum distinct. XLVI. Cap. *Sed quomodo*, de justitia ac misericordia Dei hæc habet: *Justitia enim Dei, & misericordia non duæ res sunt, sed una res, idest una divina essentia: quia non est Deo aliud esse misericordem, quam misericordiam, nec justum quam justitiam, sed idem prorsus: nec aliud est ei esse misericordem quam justum, vel misericordiam, quam justitiam, sed omnino idem, quia non denominative, sed essentialiter hæc de Deo dicuntur. Cur ergo dicit Scriptura de operibus Dei, quædam esse misericordiæ, quædam justitiæ? His responderi potest sic: illis locutionibus, quibus hujusmodi operum fiunt distinctiones, ut alia misericordiæ, alia justitiæ tribuantur, non diversitas subjacentis, idest rei his vocabulis significatæ, exprimitur, sed varietas sensuum & effectuum in creaturis monstratur. Cum enim dicitur Deus justus vel justitia, essentia divina prædicatur, & etiam quod ipse sit distributor, & judex meritorum datur intelligi. Ita & cum dicitur misericors, essentia divina prædicatur, & insuper quod ipse sit miserorum liberator, intelligi datur. Inde ergo quædam opera misericordiæ, quædam justitiæ dicuntur, non quin divina essentia hæc & illa operetur, & quin hæc & illa sint opera divinæ essentiæ, quæ dicitur misericordia & justitia; sed quia quædam sunt, quibus ostenditur judex & æquus distributor, quædam quibus ostenditur miserator.* Ex quibus patet Magistrum justitiam ac misericordiam sejungere sola effectuum ac terminorum ratione, non rei subjacentis, atque his expressæ vocabulis; quæ est eadem prorsus sententia Gregorii.

Virtualem distinctionem, quam acerrime Theologi Thomistæ, & Ægidiani propugnant, si, ut jam ab omnibus explicatur, accipias pro summa ac perfectissima re, simplicissima quidem, sed pluribus rebus distinctis æquivalente, nemo, ut arbitror, negare potest. Quis enim negare potest infinitam Dei virtutem tantum valere, quantum distinctæ inter se creaturarum finitæ vires? Quis non libenter assentiatur Augustino scribenti XV. de Trin. cap. 17. *in Deo non distingui memoriam, intellectum, dilectionem sive caritatem, sed unum aliquod esse quod omnia valet?* Illud tantum minus placet, quod asserant doctissimi alioquin Theologi, plures ex parte objecti reperiri rationes, quarum una in esse cogniti non est altera. Hanc rationum diversitatem ex sola mente humana arbitror esse repetendam. Docent hanc eorum distinctionem habere fundamentum in re, idque duplex, summam scilicet Dei simplicitatem, & realem distinctionem creaturarum, quibus illa dicitur æquivalere: unde Scholastici aliquanto [illegible] appellarunt distinctionem rationis ratiocinatæ. Nos contra fundamentum unicum agnoscimus in effectibus, terminis, connotatis: neque proinde summam illam simplicitatem negamus, sed distinctionem omnem aliunde repetentes, vellemus simplicissimam Dei perfectionem magis asserere. Queruntur Gregorium nec etiam per intellectum attributa distinguere: verum id quo sensu sit accipiendum, satis præmonui; non enim ille uspiam inficiatur diversorum attributorum diversas esse rationes; sed illud tantummodo, quod hæc diversitas repetenda sit penes id, quod principalius significant. Non est ergo tam atrox, & aspera nobis cum doctissimis theologis colluctatio, si res penitius inspiciatur, & ad trutinam revocetur.

A prædicta virtuali distinctione nomine tenus differre *formalem* Scoti, atque *intentionalem* Henrici, arbitrantur Herrera, Suaresius, Gavardi, aliique plures, propterea quod ipse Scotus in 1. Sent. dist. 2. q. VII. distinctionem suam *differentiam virtualem* appellat. Et quidem *formalitatum* vocabulo neque rerum diversitatem, neque accidentium, quæ in Deo non sunt, vir disputandi acumine celebris voluit significare, sed diversas rationes suis definitionibus notas, quas placuit Henrico nominare *intentiones*, veteribus Thomistis rationes *objectivas*, vocibus forte ad offundendas luci tenebras excogitatis. Quæ si vera sunt, implacabile illud utriusque Scholæ dissidium verborum erit, non rerum. At modo illuc controversiæ status devenit, ut diversæ illæ rationes juxta Scoti discipulos distinctæ sint ante mentis operationem, secundum Thomistas vero virtute sola, ac potentia: nam Henricus in creaturis quidem formalem distinctionem agnoscit, sed non in Deo; Scotistæ vero utrobique. Atque hanc fuisse sententiam Scoti erui potest ex 1. Sent. dist. VIII. quæst. IV., unde vereor, quin Theologis, quos memoravi, fucum fecerit speciosum *virtualis differentiæ* vocabulum. Hæc de attributorum distinctione deberent frugi Theologo sufficere: sed ut morem geramus Scholæ, erit nunc ad argumentationes procedendum.

Itaque nullam intrinsecam distinctionem dari inter divina attributa, sic demonstro. Intrinseca distinctio aut *realis* est, aut *formalis*, aut *virtualis*, quæ fundamentum habeat ex parte objecti; virtualem enim extrinsecam, quæ habeat fundamentum penes effectus, & connotata, dari fatemur: Neque realis, neque formalis, neque virtualis distinctio inter divina attributa intercedit: Ergo nulla. Prob. mi. de distinctione reali: I. Ex allata definitione Florentini Concilii Sess. XVIII. & ex Conc. Lateranensi cap. *Firmiter*; ubi definitur omnia, quæ reperiuntur in Deo, unam esse substantiam, unam rem, unam naturam. II. ex PP. etenim Augustinus lib. XV. de Trinit. cap. 5. ait: *Una eademque res dicitur, sive dicatur æternus Deus, sive immortalis, sive incorruptibilis, sive immutabilis, itemque cum dicitur vivens, & intelligens, quod est utique sapiens, hoc idem dicitur. Non enim percepit sapientiam, qua esset sapiens, sed ipse sapientia est.* Quod unanimi consensu ceteri omnes Patres confirmant. III. Ratione: Omnis realis distinctio exoritur sive ex limitatione, ut evenit in rebus creatis; sive ex oppositione relationis, ut in Personis individuæ Trinitatis: Inter divina attributa non est realis distinctio ex limitatione proveniens, cum sint infinita, non consurgens ex relatione, cum non opponantur. Ergo, &c.

Probatur thesis nostra de distinctione *formali*. I. Quia Patres solam distinctionem rationis inter Dei essentiam, ac proprietates, atque inter has invicem agnoverunt. *Discrepant*, inquit Damascenus lib. IV. cap. 3. [illegible] *subtilibus cogitationibus*: [illegible], *secundum considerationem*, in primo adversus Eunomium Basilius; *cogitatione, sive ratione*, in Florentino Concilio Joannes Theologus. Quæ dum Scotistæ exponunt per distinctionem oppositam reali, extra intellectum tamen existentem, videntur quoque extra mentem locare [illegible], *rationem, cogitationem*. At consideratio & cogitatio frustra extra intellectum quæruntur: Ergo & incassum excogitatur extra mentem attributorum distinctio. Ad hæc: Gilbertum, qui divinitatem sejungebat ab ipso Deo, impetit hoc duplici telo Bernardus; *Si Deus non est, quid est? aut enim Deus est, aut aliquid quod non est Deus, aut nihil. Equidem non*

das

das Deum esse. Sed ne nihil quidem (ut opinor) dabis: Quod si aliquid est, quod non est Deus; aut minor erit Deo, aut major, aut par. At quomodo minor qua Deus est? Restat ut aut majorem facias, aut parem. Sed si major, ipsa est summum bonum, non Deus: si par, duo sunt summa bona, non unum. Hæc serm. lxxx. in Cantica. Et lib. v. de Consid. cap. 7. *Quid est Deus? quo nihil melius cogitari potest. Si approbas; non oportet assentiaris esse aliquid, quo Deus sit, & quod Deus non sit: hoc enim sine dubio melius.* Longe quidem abest ab hæresi Gilberti Scotistarum sententia, & qui consentire affirmant, hi procul dubio decipiuntur. Nihilominus hæc duo Bernardi argumenta quatere videntur Scoticam distinctionem. Ac primum; nam hæ subtilis Theologi *Formalitates* quid sunt? aut Deus sunt, aut aliquid quod non est Deus, aut nihil. Si eadem sunt Dei natura; quomodo ab ea distinguuntur? Si Deus non sunt, erunt creatum aliquid; sive substantia illud sit, sive accidens: si nihil sunt, stulti videntur qui de nihilo tantas instituunt disputationes. At reponunt has formalitates esse quidem divinam essentiam realiter, sed non *formaliter*. Verum quid sibi velint, crassioris ego, rudisque minervæ non capio. Nam si quidquid est, aut Deus est, aut creatura est, aut nihil est: erunt hæ formalitates aut Deus, aut creatura, aut nihil; eritque hæc distinctio formalis, vel distinctio Dei a creatura, aut a nihilo, vel distinctio nihili a creatura, vel distinctio nihili a nihilo. Alterum D. Bernardi contra Gilbertum telum erat: Deo nihil melius cogitari potest: Cogitari potest Deus indistinctus a deitate, qui utique melior est ipso Deo a divinitate distincto: Ergo Deus, qui a divinitate distinguitur, non est Deus. Atque idem sic potest contra Scoti sententiam urgeri; Simplicitate, quæ plures *formalitates* actu distinctas compatitur, perfectior cogitatione nostra est ea simplicitas, quæ rejicit actualem plurium *formalitatum* distinctionem: In Deo admittenda est simplicitas, qua perfectior cogitari non potest: Ergo in Deo ea simplicitas admittenda est quæ actualem excludat plurium *formalitatum* distinctionem.

Compertum mihi est respondere Scotum, plures illas formalitates nullam facere compositionem, quoniam non habent rationem actus & potentiæ, ut de divinis Personis omnes fatemur, quæ licet distinctæ, divinam minime tollunt simplicitatem. Ceterum inane videtur ejusmodi effugium. Quidquid enim sit de compositione, quam do a Scotistis vitari; quomodo unitatem, ac simplicitatem salvant, ubi plura seipsis distincta constituunt? quomodo est summe unum, quod non est actu natura sua indivisibile? Exemplum vero divinarum Personarum non est ad rem: in his enim non potest cogitari unitas, nisi ratione essentiæ, atque attributorum, a quibus neque ipsæ Personæ *formaliter* distinguuntur. Ut *Personæ* realiter sunt distinctæ ob relativam originis oppositionem. Denique de hac formali distinctione loqui videtur Joannes Gerson in quadam Epistola data anno 1426. ad Fratrem Ordinis Minorum; in qua hæc habet: *Damnata est nuper per Prædecessores meos in Sacra Theologiæ Facultate sub pluribus articulis Doctrina, quam nonnulli solum impune subtilem garriunt, quam ignorantes veluti picæ loquacissimæ stabilire nituntur, cum sit mera insania, & vanitas falsa. Unus articulus inter ceteros est; Quod aliquid sit Deus realiter, quod non sit formaliter Deus.* Suspectam esse relationem Gersonis putat doctissimus L'Herminier Scoticæ distinctionis propugnator acerrimus, quod neque damnationis annus, neque articuli auctor prodatur, sed Honoratus Tournely utrunque invenit. Scribit enim retractatum eumdem articulum a quodam Ludovico anno 1362. Proscripserat quoque eumdem artic. anno 1276. Stephanus Parisiensium Episcopus. Non ausim tamen asserere tam grave celebris sententiæ præjudicium. Rigidius Parisiensium sese gerebat Academia, ne resurgeret superioris sæculi hæresis, videlicet Gilberti. Eam Theologi etiam Scotistæ damnant: quamquam Dionysius Petavius lib. I. cap. VIII. n. 8. hæc pronunciat: *Ab hac vero vel nihil, vel parum discrepare Scholasticorum aliquot opinio creditur, ut Scoti; qui citra notionem, & intelligentiam nostram per se ab essentia divina differre proprietates, & inter sese ipsas, existimat.*

Demum distinctio virtualis intrinseca, qua ex parte objecti statuuntur diversæ rationes ante operationem mentis potentia distinctæ, facile obruitur. Contendunt quippe Thomistæ divina attributa esse unum reipsa, plura tamen, ut inquiunt, conceptibiliter; idest, summam illam rem, quæ Deus est, non ex solo intelligentiæ nostræ modulo, sed ex propria natura, atque amplitudine esse multiplici ratione perceptibilem; non confuse tantum, & permixte, sed cognitione clara & distincta, adeo ut etiam ex parte objecti una divina perfectio non involvatur in alia. Quis autem implexam hanc, opertamque doctrinam recte perspicit, & assequitur? Ego sane non video, quomodo consistat in una, eademque re penitus indistincta illa multiplex dilucida & expressa *cognoscibilitas*. Ejusdem enim indivisibilis entitatis sicut una est simplex veritas, ita ex parte objecti una simplex *cognoscibilitas* statui debet; ideoque cognoscibilitas varia & multiplex aut non erit distincta & clara, aut secernenda erit tantummodo per extrinseca objecta, quæ dicimus connotata.

Afferamus nihilo secius adversus labilem illam, & flexiloquam Thomistarum sententiam argumentationes nonnullas. Ac prima sit: Istæ rationes objectivæ quo pacto intelligentia nostra sejunguntur? Aut cogitatio mentis nostræ est caussa efficiens, qua prædictæ rationes distinguuntur actu, aut caussa formalis. Si caussa efficiens; aut divinas proprietates re ipsa separat, aut sola cogitatione: si re ipsa, ergo divinam tollit simplicitatem; si sola cogitatione, ergo distinctio est in sola mente, quæ cogitat. Si vero eæ rationes objectivæ distinguuntur per intellectum tanquam per caussam formalem; aut tanquam per formam ipsis intrinsecam, sicut unum accidens dicitur distinctum ab alio, aut tanquam per formam extrinsecam, sicut quælibet res distinguitur a seipsa per comparationem ad plura extrinseca connotata; V. G. una, eademque extensio, quæ si ad diversas referatur, erit major & minor, æqualis & inæqualis. Profecto divina attributa non distinguuntur ratione, tanquam intrinseca forma, quum conceptus nostri extrinseci sint objecto: Ergo distinguuntur ratione tanquam per formam extrinsecam, qua ad plura connotata comparantur; quæ est distinctio Gregorii. Præterea, divina attributa vel distinguuntur ratione aliqua ipsis intrinseca, quæ sita sit extra mentem humanam, vel ratione extrinseca, idest, sola humanæ mentis cogitatione: Si primum affirmant Thomistæ, virtualis distinctio erit prorsus idem cum distinctione formali Scotistarum: nam sive dixeris cum D. Thoma I. dist. 22. q. un. art. 3. etiam in Deo *inveniri distinctionem rationum, quæ realiter & vere in ipso sunt*, sive cum Scoto distinct. v. qu. ult. mavis appellare *formalitates*, parum refert; unde merito Franciscus Henno Quæst. 2. concl. 3. prope finem, advocat sibi Doctoris Angelici patrocinium. Quod si velint distingui attributa sola ratione ipsis extrinseca, nostris scilicet cogitationibus, habemus intentum. Postremo: Nunquam ratione & cogitatione nostra res ipsa intrinsece fieri potest non ipsa: Ergo nunquam ratione, & cogitatione nostra res ipsa distinguitur a seipsa; ideoque omnis distinctio rei simplicissimæ, nihil est aliud quam rationum ac perceptionum nostrarum diversitas.

Respondent Thomistæ, utique divinas proprietates sola intelligentia ac ratione nostra distingui; sed hujus distinctionis dari intrinsecum fundamentum, infinitam nempe Dei perfectionem, quæ pluribus realiter distinctis æquivalet.

Duo hac responsione vulgatissima comprehenduntur: unum dari in Deo summam infinitamque perfectionem pluribus æquipollentem, & hanc nullus omnino denegat; alterum hanc summam perfectionem esse fundamentum distinctionis; idque gratis asseritur. Etenim dum intelligentia nostra Deum infinite quidem perfectum percipimus, & divinam aliquam cogitamus proprietatem, vel mens nostra id contemplatur absque ullo ordine, & absolute, vel cum referentia & comparatione ad aliquem terminum. Si Deum concipio absolute ut existentem, aut bonum, aut justum, impari licet cogitatione, non distinguo existentiam a bonitate, neque bonitatem a justitia. Distinguo tamen unum ab altero, dum cogito existentiam in se, misericordiam comparate ad miseros, justitiam relate ad rectos vel impios, quibus mercedem aut pœnam rependit. Fundamentum itaque distinguendi divina attributa inter se hoc unum est, quod cogitationes nostræ modo Deum spectant ut est in se, modo ut refertur ad aliud: & si de solis attributis sermo instituitur, unum ab alio sejungimus, quoniam ad varios terminos comparantur. Fictitium est ergo fundamentum illud intrinsecum, quod in summa Dei perfectione cogitatur, absque comparatione ad extrinseca connotata. Ipse Gabriel Vasquez, qui Gregorium impugnat dis. CXVII. cap. 3. probat divina attributa non posse distingui sine respectu ad creaturas, quod etiam demonstrare conatur ex D. Thoma. Et Hugo Victorinus Quæst. CCXV. in Epistolam ad Romanos, docet sapientiam, scientiam, prævidentiam, ceterasque divinas proprietates esse diversa nomina, quæ *divina usie, cum sit una & simplex, propter varios effectus sortitur*. Hi ergo effectus ac termini diversis cogitationibus nostris fundamentum suppeditant.

Reliquum est, ut argumentationes expendantur, quæ pro Scoti sententia afferunt Frassen, Hennur, L'Herminier, qui tamen repetunt pervulgata Fabri ac Mastrii momenta; tum si quæ superesse videbuntur contra Gregorium, quem impugnant loco cit. Vasquesius, Juenin, Gotti, & ex nostris quoque quamplurimi.

SATISFIT ADVERSARIORUM ARGUMENTIS.

Opp. 1. In Deo voluntas, & intellectus, bonitas, & justitia ante quamcumque mentis operationem distinguuntur: Distinguuntur ergo natura sua, ac *formaliter*. Ant. probatur 1. Intellectus, voluntas, misericordia, justitia, aliaque divina attributa diversis definitionibus describuntur: Habent ergo diversam in se *formalitatem* atque naturam. Deinde: Deus intelligit peccata, quæ non vult; & confert uni victricem gratiam misericorditer, alteri eam juste denegat: distinguuntur itaque divinus intellectus a voluntate, atque a misericordia justitia. Rursus: Filius, cum sit Verbum Patris, procedit per intellectum, Spiritus Sanctus, cum sit utriusque Amor & Caritas, per voluntatem:

Sunt ergo intellectus ac voluntas Dei duo principia suapte natura sejuncta. Denique de eadem omnino re verificari nequeunt contradictiones: Atqui de voluntate & intellectu Patris, de justitia ac misericordia, ut colligitur ex dictis, contradictiones verificantur: Ergo intellectus & voluntas, misericordia & justitia non sunt idem omnino *formaliter*.

Resp. neg. ant. Ad 1. probat. dico diversas divinorum attributorum definitiones, non explicare diversas res atque essentias, alias divinæ proprietates reipsa & essentialiter forent distinctæ; sed unam eamdemque rem, quatenus plura respicit connotata. Quod Magister ostendit apertissime in I. sent. dist. XLVI., neque dissentit Ægidius in 1. dist. 33. q. 2., docens ex diversitate definitionum solam inferri perceptionum nostrarum distinctionem. Atque missis Scholasticis, magnus Basilius Epist. LXXX. docet, quod omnes Deo convenientes notiones ac voces, *τῷ μηδὲν περὶ τὴν ὑποκειμένην διαφορὰν ἐμφαίνειν*, *nullum habent in rei subjectæ significatione discrimen*. Augustinus quoque lib. XV. de Trinit. cap. ult. ait, quod cessabunt in Patria multa, quæ nunc de Deo dicimus, neque erunt ibi volubiles hominum cogitationes, quia *omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus*. Ex quo Henricus Florez demonstrat suam quoque distinctionem virtualem in cælesti patria evanescere: atque inde consequitur, has omnes divinarum rerum notiones ex variis provenire effectibus, ex quibus Deum cognoscimus tamquam per speculum, & ænigma. Distinguo igitur propositionem: Divina attributa diversis describuntur definitionibus, quæ demonstrant aliquod in re subjecta discrimen; nego: in effectibus & connotatis; concedo.

Dissolvitur pari ratione 2. probatio: si enim de re vocabulis subjacente loquamur, & voluntas intelligit, & intellectus vult, & misericordia punit, & justitia miseretur, quoniam hæc præstat eadem essentia penitus individua, dicente Augustino XIII. de Civit. Dei cap. 13. *Essentia tua scit, & vult incommutabiliter, & scientia tua est, & vult incommutabiliter, & voluntas tua scit & vult incommutabiliter.* At vero diversæ illæ enunciationes, *Intellectus non vult*, *misericordia non punit*, ac similes, spectant ad divinas proprietates & attributa, non quatenus in se sunt, sed comparate ad connotata; nam intellectus est divina essentia ut omnium rerum scrutatrix, voluntas ipsamet essentia ut approbans bonum, aut malum permittens, misericordia essentia eadem, ut sublevatrix miserorum; itaut multiplicitas attributorum ex effectuum varietate tantum consurgat. Quod singulari exemplo in ipsa Dei scientia verum esse monstratur. Deus enim unica intellectione omnia videt tam præterita, quam futura, & consequenter præscientia & Dei intellectio sunt idem omnino; & tamen præteritarum rerum est intellectio, quarum non est præscientia, non alia de caussa, nisi quia præscientia dicitur connotative ad futuras. Quare diversa connotatio omnes illas enunciationes, quæ videntur oppositæ, planas reddit: neque ad eas verificandas requiritur distinctio aliqua intrinseca. Per quæ diluitur quoque ultima argumentatio.

Ad tertiam vero repono mysterium esse imperscrutabile, cur Spiritus Sanctus non sit Filius, quemadmodum est Verbum, vel saltem commentitium esse duplex illud principiorum discrimen, quod ab intellectu ac voluntate repetitur, in eo saltem sensu, quo dicuntur *formalitates* a natura distinctæ: nullam quippe certam rationem possumus assignare, nisi forte quod Verbum est Filius, quia procedit ab uno, Spiritus Sanctus est amor, quoniam est a duobus. Atque illud accedit, quod unum idemque potest esse principium diversarum operationum, ut eadem lux illuminat, & calefacit; eadem creata voluntas diligit, & odio habet; eadem volitio divina est caussa effectrix omnium creaturarum. Repetendum est itaque quodcunque discrimen divinarum operationum a connotatorum diversitate: at hæc in libro IX. qui erit III. de Trinitatis mysterio, erunt recudenda.

Opp. 2. Intrinsecam aliquam divinarum proprietatum discrepantiam apertissime tradunt Patres; ac præsertim Augustinus. Qui lib. VIII. de Trinit. cap. 2. probat duas divinas Personas non esse *aliquid majus*, quoniam non sunt *aliquid verius*. Supponit ergo veritatem a Dei magnitudine esse distinctam; nihil enim probatur per idem. Et lib. V. ejusdem operis cap. V. docet relationes a substantia distingui: *Non enim omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur; dicuntur enim ad aliquid sicut Pater ad filium.* Lib. quoque XV. cap. 3. docet omnes divinas perfectiones esse æquales: æqualitas autem inter duo extrema intercedit. Denique lib. 3. contra Maxim. cap. 10. ait: *Si in una persona Patris & illa invenis quæ plura videntur, & partes non invenis: quanto magis & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus & propter uniuscujusque proprietates tres personæ sunt, & propter deitatem individuam unus Deus est*, &c. Quæ Augustini argumentatio ridicula foret, inquit Frassenius, nisi intrinsecam distinctionem admitteret: quippe redderet sensum: Non officit divinæ simplicitati distinctio rationis attributorum: Ergo neque officit divinæ simplicitati realis distinctio Personarum. Hæc autem consecutio omnino est inepta atque explodenda. Igitur Augustinus discrepantiam aliquam majorem distinctione rationis inter divina attributa constituit.

Accedit Damascenus, qui lib. 1. de Fide Orth. cap. 4t. & 49. disertissime docet, quod: *Si dixeris bonum, justum, aut quid tale: non naturam Dei dicis, sed quæ circa naturam*: censet ergo bonitatem, ac justitiam a natura distingui. Eadem docet Gregorius Nyssenus Orat. 12. contra Eunomium, & Nazianzenus Orat. XXXIII. Quibus nihil clarius & expressius pro sua formali distinctione posse proferri, existimat Franciscus Hennus.

Verum hæc nil penitus me conturbant. Atque ut omnia, quæ producuntur ex Augustino uno verbo exsufflentur, operæ pretium est præmittere, quid sint juxta Sanctum Patrem divina attributa. Fontem universæ doctrinæ suæ aperit Serm. XI. de Temp. cap. 7. In quo docet justitiam, sapientiam, intelligentiam, & quidquid Deo tribuimus, ante unam simplicissimam Dei unitatem, & varias affectiones animæ nostræ, quæ multiplices fiunt ex rerum creatarum contemplatione, sed in Deo ratione longe diversissima continentur, sunt enim in illo, tanquam in caussa, & principio eminentissime ac simplicissime. Idque Augustinus explicat exemplo lucis, qua funduntur in rebus corporeis multiformes colores, albus, flavus, rubeus, viridis, aliique. Lux autem in se neque alba est, neque flava, neque rubra, neque viridis, sed una qualitas, quæ illata corporibus illustrat omnia, diversoque aspergit nitore. *In Deo*, inquit, *omne quod dicitur idipsum est. Neque enim in Deo aliud potestas, & aliud prudentia, & aliud fortitudo, & aliud justitia, & aliud castitas. Quidquid horum de Deo dicitur, neque aliud, & aliud intelligitur, & nihil digne dicitur. Quia hæc animarum sunt, quas illa lux perfundit quodammodo, & pro suis qualitatibus afficit*: & infra: *Ergo animarum sunt istæ affectiones, quæ bene affectæ sunt ab illa luce, quæ non afficitur; & formatæ ab illa, quæ non formatur.* Hæc Augustini verba, & exemplum lucis ab eo prolatum *omnem cavillationem elidunt*, inquit clarissimus Thomassinus lib. IV. Theol. dogmat. c. XI. n. 6.

Resp. itaque ad primum, magnitudinem, & veritatem distingui, quatenus sunt affectiones & notiones animæ nostræ, quæ ex variis Dei effectibus & operibus multiplices haurit perceptiones, non autem distingui quatenus sunt in Deo, qui eminenter ac simplicissime continet omnem magnitudinem ac veritatem, sicuti color flavus ac ruber distinguuntur, prout sunt corporum affectiones, non prout continentur in luce. *Deus multipliciter quidem dicitur magnus, bonus, sapiens, sed eadem magnitudo ejus quæ bonitas, eadem bonitas quæ sapientia*, ait idem Augustinus lib. VI. de Trinit. cap. 7. Ad 2. nego, S. Patrem distinguere relationes a substantia; ait enim ejusdem operis lib. VII. cap. 6. *Quemadmodum hoc illi est esse quod Deum esse, quod magnum, quod bonum esse: ita hoc illi est esse, quod personam esse*: Atqui essentia nullo pacto intrinsece distinguitur a divinitate, imo per Scotum dist. XXXV. quæst. 1. art. 4. neque distinguitur ab *intellectualitate*: Ergo per Augustinum nullatenus distinguitur magnitudo a bonitate, neque divina essentia a Persona. Verum tamen est quod non omne vocabulum de Deo prolatum idem prorsus significat; sed hoc nomen *substantiæ* significat essentiam prout est in se, hoc nomen *Patris* significat eamdem essentiam prout connotat Filium; ideoque sola discrepantia monstratur nominum, connotatorum, & existentium in mente nostra cogitationum. Ad tertium dico æqualitatem ibidem usurpari pro unitate, quo sensu contra Arianos tradunt Patres Filium esse æqualem Patri, idest, unum substantia: vel accipiuntur attributa prout cogitatione nostra distinguuntur in ordine ad connotata; tam enim relucet infinita misericordia in distributione gratiarum, quam infinita justitia in retributione mercedis. Ad 4. dico hanc esse vim illius Augustiniani argumenti contra Maximinum: Bonitas & Sapientia non sunt partes divinitatis quia a divinitate non distinguuntur: Ergo divinæ Personæ non sunt partes essentiæ, quia ab Essentia non distinguuntur. Non supponit igitur Augustinus distinctionem attributorum ab invicem, sed solam indistinctionem ab essentia, quam fatebantur Ariani. Atque inde probat, neque divinas Personas esse per nos partes divinitatis, quia per nos nullatenus a divinitate secernuntur. Redarguit quoque S. Pater Hæreticum ex verbis ejusdem. Dixerat namque Maximinus Deum esse Dominum, Regem, Creatorem, bonum, sapientem, clementem, nec tamen esse compositum ex partibus, quia hæc omnia sunt una eademque simplex virtus. Itaque, inquit, neque Personæ partes erunt, quia sunt eadem *Deitas individua*. Miror tamen clarissimum Claudium Frassen nequaquam advertere, quod sicut explodenda est hæc argumentatio: Non officit divinæ simplicitati distinctio rationis: Ergo non officit distinctio realis; ita ridenda esset altera: Attributa non habent rationem partis, quia *formaliter* distinguuntur: Ergo neque habent rationem partis divinæ Personæ, quæ distinguuntur realiter. Non enim a distinctione *formali* ad realem tenet consecutio. At Frassenius argumentationem illam exscripsit a Fabro in 1. dist. 2. quæst. 7. disp. 20. c. 3.

Ad Joannis Damasceni, aliorumque Patrum testimonia, respondeo, hæc nomina, *Bonum*, *justum* &c. non Dei naturam significare, sed quæ circa naturam sunt, secundum cogitationem nostram, non re. Etenim nos divinas perfectiones cogitamus tamquam adventitias substantiæ, ut ait eodem libro cap. 31. Damascenus: *Quod ibi commune est & unum, re consideratur, quoniam una est trium æterni-*

tas,

tas, & eadem essentia, actio, voluntas. Cogitatione vero constat quod est distinctum. Atque in proprietatibus personalibus ibidem præter distinctionem κατὰ ἐπίνοιαν, *secundum cogitationem*, statuit rationem *caussæ, & ejus quod est ex caussa*. Elidit dubitationem omnem Augustinus scribens lib. xv. de Trinit. cap. 5. *Si dicatur Deus æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis, vivus, sapiens, potens, speciosus, justus, bonus, beatus, spiritus; horum omnium novissimum quod posui, scilicet, spiritus, quasi tantummodo videtur significare substantiam, cetera vero hujus substantiæ qualitates. Sed non est ita in illa ineffabili simplicique natura; quidquid enim secundum qualitatem illic dici videtur, secundum substantiam, vel essentiam est intelligendum. Absit enim, ut spiritus secundum substantiam dicatur Deus, & bonus secundum qualitatem; sed utrumque secundum substantiam. Sic omnia cetera quæ commemoravimus.*

Opp. 3. Minor est distinctio intet Bonum, & bonitatem divinam, quam intet bonitatem & justitiam: Inter Bonum, & bonitatem est distinctio rationis: Ergo inter bonitatem & justitiam est distinctio major distinctione rationis.

Resp. dist. majorem. Distinctio minor intrinseca, nego: extrinseca, conc. Bonitas discrepat a bono cogitatione nostra, quæ concipit bonitatem adinstar qualitatis advenientis substantiæ: & differt a justitia cogitatione nostra, quæ concipit bonitatem adinstar qualitatis adventitiæ, & connotantis objectum diversum ab objecto justitiæ. Quamquam enunciationes illæ, Deus bonus est bonitate, & justus justitia, indignæ videntut vim Theologo, & subolent quodammodo hæresim Gilberti. Melius enim dicitut, Deus est sapientia, & Deus est justitia, vel Deus est sapiens sapientia quæ ipse est, Deus est justus justitia quæ ipse est, cum Deus sit ipsa sua bonitas, ipsa sua sapientia, ipsa sua justitia, ipsa sua magnitudo. *Sed dicit hæreticus*, (verba sunt Bernardi Serm. lxxx. in Cant.) *Deum divinitate esse dicis? Non, sed eamdem divinitatem quæ est, Deum nihilo minus assero, ne Deo excellentius aliquid esse assentior. Nam & magnitudine dico magnum, sed quæ ipse est, ne majus aliquid Deo ponam; & bonitate fateor bonum, sed non alia, quam quæ ipse est, ne melius ipsa aliquid mihi videar invenisse. Et de ceteris in hunc modum securus & liber pergo inoffenso, ut ajant, pede in ejus sententiam, qui dicebat, Deus nonnisi ea magnitudine magnus est, quæ est quod ipse; alioquin illa erit major magnitudo, quam Deus. Augustinus hic est validissimus malleus hæreticorum.* Hæc Bernardus, qui accurate legerat quæ habet S. Pater lib. de Trinit. v. cap. 10.

Opp. 4. Sapientia in communi non est *formaliter* bonitas in communi: Ergo infinita sapientia non est *formaliter* infinita bonitas. Probatur ant. Si sapientia in communi esset *formaliter* bonitas in communi, sapientia creata esset *formaliter* bonitas creata: Sapientia creata non est *formaliter* bonitas creata: Ergo Sapientia in communi non est *formaliter* bonitas in communi. Consequentia autem tenet, quippe esse infinitum, aut creatum formalem rationem sapientiæ ac bonitatis non destruit. Quod est præcipuum Scoti argumentum.

Resp. Gregorius sic retorqueri contra Scotum præfatam argutationem: Si sapientia infinita esset realiter bonitas infinita, sapientia in communi esset realiter bonitas in communi, & consequenter bonitas creata esset realitet sapientia creata: Atqui per Scotum sapientia in communi non est realiter bonitas in communi: Ergo sapientia infinita non est realiter bonitas infinita. De qua argumenti retorsione vide Fridericum Gavardi quæst. 2. de Attributis art. VII. qui eam vindicat a Fabri cavillis. Nam is Gregorium vocat insulse argutantem, quippe qui ab identitate reali progreditur ad formalem. At Faber minime assecutus est acumen Gregorii; cujus argumentationis vis in eo sita est, quod sicuti se habent plures realitates in specie ad realitatem in communi & in genere, ita se habent plures formalitates in specie ad formalitatem in communi & in genere: Sed ex quo bonitas & sapientia essent idem formaliter in specie, infert Scotus quod bonitas & sapientia deberent esse idem formaliter in communi & in genere: Ergo ex quo bonitas & sapientia sint idem realiter in specie, inferri debet quod bonitas & sapientia sint idem realiter in communi, & in genere. Atqui bonitas infinita & sapientia infinita sunt idem realiter: Erunt ergo idem realitet sapientia & bonitas in communi, & per consequens idem realiter erunt quoque sapientia & bonitas creata. In quo argumenti genere Gregorius exacte servavit regulas proportionum apprime iis necessarias, qui *a paritate* volunt argumentari, ut in libro de utilitate Matheseos admonet noster Rabbius.

Sed ea retorsione prætermissa, ad argumentum Scoti nego consequentiam; non enim est inconveniens aliquid esse de ratione inferioris, quod non est de ratione superioris. Scotus namque tenet divinam essentiam esse *formaliter* vitam intellectualem, & tamen essentia in communi non est *formaliter* intellectualis vita in communi. Hæc Gregorius. Ceterum sapientia, & bonitas in communi, & in genere, sunt ideæ mentis, quas *universalia* appellant dialectici: neque fas est ab humanæ cogitationis figmento ad rei veritatem argumentationes deducere.

Opp. ultimo contra Gregorii sententiam. Hæc Nominalium opinio est eadem prorsus cum hæresi Aetii, atque Eunomii: Ergo falsa est & penitus abjicienda. Probatur ant. Eunomius asserebat quælibet divina attributa differre tantum nomine tenus, ita ut omnia forent synonyma, quibus ex parte objecti nulla subesset notionum diversitas, & qui unum perciperet, comprehenderet universa. Adversus hunc errorem ait Basilius lib. I. *Quonam igitur pacto non erit deridendus, si creandi virtutem substantiam esse dicat, si providentiam rursus substantiam? &c.* Et infra: *Nonne manifesta est insania, si dicas proprium significatum unicuique nomini subjectum non esse, sed contra verborum vim decernas nomina omnia idem inter se valere?* Atqui Ariminensis defendit solam discrepantiam nominum, quibus ex parte rei significatæ una eademque notio respondet: Ergo ejus opinio est hæresis Eunomiana. II. Aut Gregorius nominibus, quæ dicuntut de Deo, idem tribuit significatum, aut diversum: Si idem prorsus, in eam incidit confusionem synonymorum, quam exprobrat Eunomio Basilius: si diversum, oportet admittat aliquam differentiam rationis non solum ex parte intellectus cogitantis, verum etiam ex parte rei significatæ, asseratque cum Cyrillo XXXI. Thesauri: *Non omnia ergo, quæ in Deo sunt, & de Deo dicuntur, substantiam significant: reliquum est igitur in voce modoque dicendi accidentia dicamus, quoniam modo accidentium ea intelligimus.* III. Eunomius neque negabat, neque negare poterat distinctionem connotatorum, credebat enim se ex creaturis Deum perfecte comprehendere; & tamen Patres aliam notionum discrepantiam ab eo exigebant: Ergo præter differentiam connotatorum admittenda est distinctio rationum ex parte objecti. Hinc Petavius post acerbiorem illam in sententiam Scoti censuram, quam supra commemoravi, ait: *Ad Aetii, & Eunomii placita implicati videntur generis alterius Theologi, quos Nominales vocant, qui in iisdem illis proprietatibus solum nominum discrimen agnoscunt; cum ne intelligentia quidem nostra invicem distincta sint.*

Ut plane his satisfaciam, & sententiam nostram ab omni vindicem Eunomianæ hæreseos suspicione, maximam inter utramque discrepantiam præpono. Eunomius itaque dicebat, varia quæ Deo tribuuntur nomina, etsi diversa sunt vocibus, idem tamen sonare, & eamdem habere cum nomine *Ingeniti* significationem, ut constat ex Basilio lib. I. laudato: Gregorius contra docet attributa & voce differre, & non esse synonyma, quoniam synonyma sunt, quæ neque diversa significant, neque diversa consignificant, ut si dicas *Simon, Petrus, Cephas*. At si idem significant, diversum autem consignificant, non sunt dicenda synonyma, ut *Jonæ Filius, Piscator, Princeps Apostolorum, Frater Andreæ*, quæ nomina significant eumdem Petrum, sed consignificant diversa, nempe Patrem, munus, præeminentiam, consanguinitatem: & consequenter divina attributa, quæ diversa consignificant, minime esse synonyma; ita Gregorius dist. VIII. art. 4. quæst. 2. Præterea Eunomius omnia attributa permiscebat, etiam quæ maxime distant, eoque nitebatur, ut crederet se Deum comprehendere si unum tantum Dei nomen perciperet. Contra Gregorius docet omnia attributa diversas esse mentis nostræ affectiones, quarum una non Dei naturam in se, sed attingit respectum unius connotati duntaxat. Eunomius denique dicebat nomina *ingeniti, creatoris, patris*, & quotquot dicuntur de Deo, quanquam ex diversis effectibus mutuata, eamdem in nos excitare divinæ naturæ notitiam; Gregorius noster docet ea diversa nomina signa esse diversarum rationum, & cogitationum nostrarum, quarum unaquæque est Deo longe impar, quoniam ejus naturam non introspicit, sed vix unum ex pluribus terminis, quos consignificat. Distat ergo toto cœlo ab Eunomio Gregorius.

Quibus præmissis ad primum nego antec. non enim sunt synonyma, quæ varios effectus, aut terminos consignificant, esto in re subjecta nulla sit discrepantia. Ad id quod sequitur, dico diversis Dei nominibus diversam subesse significationem, sed hanc secum afferre differentiam rationum, & cogitationum nostrarum, quæ rei significatæ sunt prorsus extrinsecæ; idque demonstrat Cyrillus, dicens divina attributa non significare substantiam *in voce, modoque dicendi*: quo loco perperam Cardinalis Gotti, & Gaspar Juenin putant Cyrillum designare differentiam rationum ex parte objecti. Basilius quoque, cujus in nos urgent testimonia, loco supracit. ait, omnia Dei nomina *nullum in rei subjecta significatione habere discrimen*. Ad tertium respondeo Eunomium nequaquam negavisse nominum, & connotatorum discrepantiam, sed in hoc pessime errasse, quod crederet notione unius nominis divinam naturam comprehendi, cum singula nomina diversa connotent, & consignificent; & sermone nostro declaretur *quod quis animo complexus est, non Dei natura*, ut ait Orat. XXXIV. Nazianzenus. Censura demum Petavii aut sententiam nostram non carpit, aut carpit Petavium ipsum: qui cap. XI. ejusdem libri nu. v. probat ex Athanasio in lib. de decretis Nicænæ Synodi, omnia quæ dicuntur de Deo non esse synonyma, sed discrepantem habere notionem, quia rem eandem variis significationibus subjectam designant: *Ut cum dico*, inquit, *Jonæ filius, Princeps Apostolorum, piscator, Andreæ frater.* Atqui hæc nomina non singularem, sed divisam habent notionem, quia diversa connotant, & consignificant:

gnificant: Ergo ex hoc eodem capita omnium, quæ dicuntur de Deo, petenda est discrepantia.

PROPOSITIO III. Nulla intrinseca compositio in Deo est admittenda.

Consequitur ex dictis: compositio enim est unio distinctorum, ideoque ubi non adinvenitur distinctio, nulla fieri potest compositio. Probatur tamen brevissime. Compositio, quæ excogitari potest in Deo, vel esset compositio ex corpore & spiritu, vel ex substantia & qualitatibus, vel ex natura & personis, vel ex essentia & existentia. Non datur in Deo prior compositio, quia corporeus non est, sed expers omnino materiæ. Non compositio secundi generis, quia Deus non est bonus, justus, sapiens superadditis qualitatibus, sed ipse est sua bonitas, sua justitia, sua sapientia. Non compositio ex natura ac personis, quia hæ distinguuntur quidem abinvicem, sed sunt eadem omnino divinitas ac substantia. Non denique compositio ex essentia & existentia, quoniam in Deo non est aliud esse, aliud existere. Hæc omnia superioribus propositionibus fuerunt comprobata. Nullum ergo intrinsecum compositionis genus in simplicissima divinitate potest excogitari.

In his Theologi omnes conveniunt; discrepant tantum de compositione rationis: quam dari in Deo putant Nominales, præsertim Gregorius distinct. VIII. quæst. III. quibus accessit Du-Hamel; negant alii communiter. Si quæstionem ita accipias, num de Deo pronunciari possit quod sit substantia, & ratione nostra cogitari possit substantiæ genus quomodolibet creaturis, Deoque commune, puto Deum esse sub genere; ait enim Augustinus in v. de Trinit. cap. 2. *Est tamen Deus sine dubitatione substantia:* & Damascenus lib. 1. Inst. cap. VII. *Genere summo continetur hæc corporis expers essentia, ut Deus, ut Angelus, ut animus, ut dæmon.* Si vero intelligatur quæstio, sit ne ex æquo enunciabilis ratio substantiæ de Deo ac de creaturis; sive, concipi possit in Deo genus aliquod *univoce*, ut inquiunt, *per differentias contrahibile*, nego Deum comprehendi sub genere: nam ait Clemens Alex. lib. v. Strom. *Deus neque genus est, neque differentia, neque species, neque individuum.* Boetius in libro de Trinit. *Substantia in illo non est vere substantia, sed ultra substantiam.* Castior & defæcatior est Theologia, si propter incommutabilem Dei simplicitatem, quemadmodum dicimus, Deus est ipsa sua bonitas, ipsa sua magnitudo, non vero, subjectus est suæ bonitati, suæ magnitudini; ita dicamus, Deus est sua substantia, non, Deus comprehenditur genere, & subjicitur *prædicamento* substantiæ: atque reminiscentes, quæ adolescentuli de decem Categoriis disputavimus, dicamus cum Augustino IV. Confess. cap. 16. *Falsitas erat quam de te cogitabam, non veritas; & figmenta miseriæ meæ, non firmamenta beatitudinis tuæ.*

S C H O L I O N.

„ Gilbertum Porretanum Aquitanum genere, & domo primum & Canonicatu, postea etiam Episcopatu Pictaviensem, ingenii sui & rationum acumine, multa de Trinitate disseruisse, & præter communem loquendi modum dogmatizasse, delatumque a duobus Archidiaconis suis Arnoldo & Calone, judicium subiisse in Parisiensi Concilio anno 1147. coram Eugenio III. Romano Pontifice, in quo tergiversatione, & verborum suorum interpretatione censuram evasit, atque anno proximo agitata rursus ejus causa in Concilio Rhemensi, proscriptis ejus dogmatibus, nullam ipsum subiisse condemnationem, Otto Frisingensis lib. x. de Gestis Friderici I. Imperatoris, aliique Historici litteris tradiderunt. Sane Gilbertum dogmatizasse Deum a deitate, Personas divinas a relationibus, naturam a proprietatibus reipsa distingui, aperte evincunt producta prop. 1. verba S. Bernardi sermone 80. in Cantica, professio fidei edita in Concilio Rhemensi, testimonia Gaufredi discipuli S. Bernardi, de quibus illustris Petavius lib. 1. Theolog. dogmatum cap. 8. & Honoratus Tournely q. tertia de Deo, & attrib. art. 2. Recte pronuntiavimus nullam de hac re oriri difficultatem.

„ Sunt tamen, qui opinionem Gilberti sic exponunt, ut essentiam quidem & proprietates distinxerit a personis, non autem proprietates vel invicem, vel ab essentia. In qua sententia fuere, ut diximus, Vasquez, Frassen, L'Herminier. At oppositum tradiderunt Sancti Thomas ac Bonaventura, Suaresius, & alii, qui etiam Ottonem Frisingensem redarguunt, quod non accurate dogma Gilberti narraverit; quamvis id in Historico non videatur admodum redarguendum. Ob hanc opinionum disparitatem abstinui in secunda illa propositionis parte a sententia dicenda. Attamen, ut verum fatear, non video, cur Gilbertus, qui eo processit, ut relationes realiter distingueret ab essentia, proprietates quoque ab illa, atque invicem non secerneret. Sed facta eventu, non ratione nostra sunt pensitanda.

„ Distinctionem rationis nemo sanæ mentis debet a Dei natura, & a divinis Personis respectu ejusdem naturæ, atque a proprietatibus amovere. Latini enim Patres in Florentino Concilio sessione 18. ita Græcos sunt allocuti. *Vos quæritis, an idem sit in personis divinis substantia, & persona, sive hypostasis: nos vero dicimus substantiam & personam sive hypostasim esse idem re, differre autem nostro intelligendi modo.* Græci autem responderunt. *Hac in parte nulla est inter nos discrepantia.* Porro distinctio rationis non est ea, quæ tantum reperitur inter plura nomina, quibus eamdem rem, eumdemque de ipsa re conceptum significamus: neque enim quando *Patrem*, E. G. dicimus, eoque vocabulo utimur ad significandam primam Trinitatis personam, illud idem significare intendimus, quod exprimere volumus proferentes vocabulum *deitatis*; neque eadem nobis inest ratio dum *omnipotentiam*, & *scientiam*, ac dum *providentiam voluntatemque* in Deo esse affirmamus. Est itaque distinctio rationis discrimen τῆς ἐπινοίας, seu cogitationis, qua una Dei proprietas, prout a nobis percipitur, in altera nequaquam involvitur. Consulitur enim infirmitati nostræ, ut cum non possimus divinam naturam compositionis prorsus expertem, & quidquid essentialiter est, uno mentis intuitu cognoscere, atque uno vocabulo exprimere, per plures notiones ad inexplicabilem illam, perfectissimam, simplicissimamque substantiam diversimode ac multipliciter contendamus. Legendi Gregorius Nyssenus, Basilius, aliique Patres differentes contra Eunomium.

„ Une illa, uniformis, & cujuscunque distinctionis in re expers divinitas in causa fuit, ut ad explicanda quæ humanam mentem excedunt, varia Theologi excogitaverint distinctionum genera, fortasse non adeo contraria, ut reddidisse illa censentur contentiones Scholasticorum. Invexerunt quidam distinctionem *intentionis*, cujus meminere Alexander Alensis, Ægidius Romanus, Henricus Gandavensis, alii. Scotus distinctionem adstruit, quam appellavit *formalem*, atque hanc non ab illo inventam, sed ortam apud Athenas, ab Aristotele nempe traditam, ajebat Mastrius: pro *virtuali* acerrime pugnant Thomistæ: Eam, quam *justa connotata* vocant, in tanta Scriptorum perplexitate selegimus. Atque distinctionem *intentionis*, si accipiamus illam, quæ innotescit per varias mentis nostræ perceptiones, sed quæ sit in re ante omnem mentis cogitationem, secernere nescimus a distinctione *formali* Scotistarum: unde aliquando magno animi ardore, nec multa fortassis utilitate, disputatum est, an hujus *formalis* distinctionis auctor Henricus fuerit, an Scotus.

„ Idem Scotus distinctionis *formalis* assertor non videtur abhorruisse a distinctione *virtuali*: nam in 1. Sent. dist. 2. q. 7. *Alio modo*, inquit, *potest vocari differentia virtualis: quia illud, quod habet talem distinctionem in se, non habet rem & rem, sed est una res habens virtualiter, sive eminenter quasi duas realitates: quia utrique realitati, ut est in illa re, competit illud proprium, quod inest tali realitati, ac si esset res distincta: hac enim realitas distinguitur, & illa non distinguitur, sicut si ista esset una res, & illa alia. V. G. Essentia divina & Pater sunt una res, virtualiter tamen distinctæ, quia in ordine ad Filium divinum perinde se habent, ac si essent duæ res: Essentia enim divina communicatur Filio, cui tamen non communicatur Paternitas; ergo in ordine ad Filium sunt quasi duæ res.* Ex quibus, aliisque, quæ prætereo, evidens est neque Scotum rejecisse distinctionem *virtualem*, quatenus nil est aliud, quam fundamentum distinctionis, sive res una pluribus rebus inter se distinctis æquivalens. Hoc autem sensu distinctionem *virtualem* propugnant cum S. Thoma 1. parte q. 13. art. 4. ipsius discipuli, & cum Ægidio Romano in 1. dist. 2. & de Esse, & Essentia q. 8. nostrates.

„ Nequit distinctio *virtualis* hac ratione explicata ab aliquo sanæ mentis impugnari: neque enim negari potest esse in Deo naturam infinitam ac perfectissimam, quæ omnium creatarum rerum virtutem indivisibiliter eminenterque comprehendat, ideoque præstare valeat quidquid valent sejunctim ac divisim res omnes creatæ. In Deo enim *Unum aliquod est, quod omnia valet*, inquit S. P. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 17. Fortasse non aliud affirmant, si ad rectam perceptionem animum retrahamus, qui *ad connotata* confugiunt. Enimvero distinguere in Deo *justitiam a misericordia*, quoniam irrogat pœnam iniquis, & opem fert misero; & utrumque attributum secernere, quoniam eadem indivisa Dei virtus æquivalet *justitiæ*, & *misericordiæ*, quæ in hominibus non una, sed duæ virtutes sunt; parum aut nihil discrepat, aut saltem in hoc differt tantummodo, quod distinctio *virtualis* spectatur comparate ad summam Dei perfectionem, & distinctio quoad *connotata* consideratur quoad effectus. Id vero demonstrat perceptionum nostrarum, non autem indivisæ rei differentiam. Modo ergo ad cogitationum nostrarum distinctionem nulla ex parte rei occurrat discrepantia, Scholarumque præjudiciis, seu potius verborum involucris, ambagibusque semotis, ad animi sensus retrahamur; facile hujuscemodi quæstiones declinabimus, quibus Juniores haud mediocriter torqueri solent, & implicari.

CAPUT IV.

Ostenditur Deum esse infinitum, immensum, atque immutabilem.

SOphistam aliquantulum molestiorem Gregorius & Scotus me fecerunt: sed redeo jam ad ingenium Τενέδιος συνήγορος, idest, compendio causam expediens. *Deus*, inquit Maximus Martyr apud Eutymium P. I. tit. 2., *simplex est quia interminatus: interminatus quia & infinitus*; comes est enim simplicitatis infinitas, quoniam re simplicissima non possumus cogitare majorem: quo argumento utebamur & nos Cap. II. hujus libri, prop. 4. Nunc ergo ab uno ad alterum progredimur attributum.

PROPOSITIO I. Deus est secundum essentiam suam infinitus.

Dixi secundum *essentiam*; nam in Deo neque corporea extensio, neque ulla qualitas reperitur, sed quidquid in eo est, ipse est; ideoque in omni prorsus genere est interminatus. Hanc thesim negari a Socinianis ait Tournely: sed constat ex Wolzogenio Com. in cap. 6. Mat. v. 10. hos negare solam divinæ essentiæ quantum ad locum immensitatem, non esse illimitatum in se, ac infinitam potentiam: de quo errore propositione sequenti. Propositionem hanc probant sacræ litteræ; legitur enim Baruch III. 25. *Magnus, & non habet finem: excelsus, & immensus*, & Ps. CXLIV. 3. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*: quæ verba exponens August. ait: *Ipse non finitur: illius magnitudo sine fine est*. Probat consensus Patrum, qui omnes Augustino consentiunt, Auctor de Div. Nom. cap. 9. Gregorius Nyssenus Orat. 12. contra Eunomium, Damascenus lib. I. de Fide Orthodoxa cap. 9. &c. Probat doctrina Ethnicorum, inter quos Anaxagoras statuit mentem infinitam principium omnium rerum, Aristoteles dixit Deum ipsam continere infinitatem, & Zeno & Melissus interminatam perfectionem nunquam deficientem. Probant denique rationes Theologicæ, ac tres præsertim apertissimæ: prima; Nil Deo cogitari potest perfectius: Quacunque essentia finita cogitari potest perfectior: Ergo Dei essentia non est finita. Altera: Omne quod limitatum est, vel habet formam aliquam intrinsece receptam, vel saltem habet esse ab alio productum; quidquid enim finitur, vel a se, vel ab alio finem habet: Deus non habet aliquod esse receptum, cum sit suum esse; neque esse productum ab alio, cum sit esse a se: Ergo Deus non habet unde limitetur ac finiatur. Postrema: Deus res procreavit ex nihilo, ad quod necessaria est infinita potentia: Sed infinita potentia supponit essentiam infinitam, imo ab ea nulla ratione secernitur: Ergo, &c.

Opp. 1. Infinitas in divinis literis non significat rem maximam atque illimitatam: legitur namque Num. XXXII. 1. magnam jumentorum copiam esse *infinitam substantiam*; atque decem & octo vicibus enunciatur infinitas de manubiis, de divitiis, de sceleribus, de numero populorum, de erectis aris, in pluribus Scripturæ libris: non ergo fulcitur hæc propositio sacrarum literarum præsidio.

Resp. neg. cons. res enim creatas dicimus *infinitas* populari sensu, & communi verborum usu, quo ingentes, & plurimas res infinitas compellamus, ex. caussa, infinitam stellarum multitudinem, infinitam militum copiam, infinitas arenarum congeries. Quam verborum consuetudinem hoc populari sensu nefas est de Deo usurpare. Quare? Præter populos, manubia, aras, jumenta, & alia, quæ in sacris literis infinita dicuntur, aliæ memorantur gentes, aliæ prædæ, alia jumenta; ideoque infinitas de rebus productis enunciata totam ipsarum rerum amplitudinem nequaquam designat. Secus est si loquamur de Deo; nam *Unus est Deus, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis*: Ad Ephes. IV. 5.

Opp. 2. Si corpus aliquod esset infinitum, non esset præter illud aliud corpus: Ergo si divina substantia foret infinite, non esset præter illam substantia alia. Resp. dist. ant. Obstante corporis infinitate, nego: obstante locali extensione ac impenetrabilitate, qua infinitum corpus quælibet loca implens expelleret inde quodcunque aliud, transf. ant. nam & hac impenetrabilitate in sententia plurium Theologorum, ac Philosophorum, qui Corporis naturam non locant in soliditate ac dimensione, posset illud corpus expoliari, & consequenter in eodem loco alia corpora sibi compenetrata compateretur.

PROPOSITIO II. Deus immensitate sua est ubique.

Id affirmo contra Conradum Worstium Calvinianum, Wolzogenium, aliosque Socinianos, qui arbitrantur Deum proprie quoad essentiam suam supremum cælum inhabitare, unde infinite ejus vis & potentia in omnes partes dimanet, in quibus eam vult exercere. Quem errorem tribuunt aliqui etiam Eugubino, & Erasmo: neque ille potest judice Petavio excusari, cum in Ps. CXXXVII. scribat Deum esse ab omnibus remotissimum, & præsentiam suam, qua dicitur esse ubique, non substantiæ esse, sed potentiæ, tamquam lucis ab eo manantis: sed excusari potest tamen, ut ostendam cap. sequenti. Atque is, nempe Erasmus, videtur potius ridere aliquorum logomachias, qui disputant num Deus sit in spatiis imaginariis: quidve agat, ut ipse ait, in antro scarabæi: quarum plerasque sine caussa reprehendi, diximus in Prolegomenis. Quidquid sit de horum opinione: probatur assertum & contra Worstium, & quotquot tam impie delirarunt, ut Deum vel cum gentibus in olympi recessu, vel cum gentilibus Philosophis in superiori sphæra, vel cum quibusdam Hebræis in Hierosolymitani Templi angustiis coarctaverint. Ac primo probatur auctoritate divinorum librorum, tum Patrum sententiis: postremo naturalis Theologiæ obvia aliqua, ac perspicua ratione.

Atque e sacris literis hæc sunt apertissima. Josue 2. *Deus in cælo sursum & in terra deorsum*: Ps. 138. *Si ascendero in cælum tu illic es; si descendero in infernum ades*. Hierem. 23. *Cælum & terram ego impleo*. Baruch. 3. *Magnus est, excelsus, & immensus*. Hæc vero Crellius, & Wolzogenius frustra conantur eludere per solam vim & efficaciam; Deus quippe, cum simplicissimus sit, est suamet operatio, ideoque si ubique Dei experimur virtutem atque efficientiam, ubique præsens est Dei substantia. Noto hic obiter, sententiam D. Thomæ quæst. VIII. art. 1., & nostri Ægidii in 1. dist. XXXVII., qui docent ex Dei operatione invictissime ipsius demonstrari præsentiam, videri ad revincendos Socinianos validiorem opinione Scoti, qui eadem dist. XXXVII. ait inefficaciter probari Deum esse ubique, quia ubique operatur. At oportet, ut operatio, quæ certum facit divinæ præsentiæ argumentum, infinitam virtutem præseferat, qualis est rerum creatio, verum miraculum, & omne opus, quod sese prodat esse divinum. Tunc enim recte ratiocinabitur quisquis dixerit: Divina substantia est ab ejus operatione penitus indistincta: Ubique Deus sua virtute operatur: Ergo ubique Deus præsens est sua substantia. Dissimulandum tamen non est, quod illi, qui Scoti sententiam putant hæresi proximam, & directe adversantem Apostolo dicenti Act. XVII. v. quod Deus *Non longe sit ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, movemur, & sumus*, vim illius testimonii minime expendunt, cum Paulus non provocet Athenienses ad subtiles de essentiali Dei præsentia disputationes; sed illud tantum asserat non esse Deum adeo a cognitione nostra remotum & dissitum, quin possit ex nobis ipsis intelligi, quamquam Athenis inscripta esset ara IGNOTO DEO. De qua Epigraphe dixi superiori libro. Sed quum postea offenderim in plures, qui putant Atheniensem aram inscriptam plurali numero ΑΓΝΩΣΤΟΙΣ ΘΕΟΙΣ, quam sententiam sequitur Erasmus, Listrius, Meursius, Sponius, Clericus, hujusque furfuris plurimi; addo hæc omnia conciliari; licet enim plures fuerint Aræ plurali titulo inscriptæ; dubitari non debet quin fuerit alicubi quoque ea inscriptio in singulari; præsertim cum Pausanias scribens Athenis fuisse aras θεῶν ἀγνώστων, *Deorum ignotorum*, velit tantum fuisse plures aras inscriptas ΘΕΩ ΑΓΝΩΣΤΩ, ut contendit Grotius, & ipse Wolzogenius. Atque ad rationem alibi productam ex Epimenide & Laertio, accedit quod Auctor Dialogi, qui inscribitur Philopatris, jurat per *Deum ignotum* qui colebatur Athenis, & quem ibi se invenisse & adorasse testatur. Hæc dicta sint partim in confirmationem illius sententiæ nostræ, partim ad solutionem illius Scholasticæ contentionis sit ne Deus ubique præsens per substantiam ac potentiam: de qua temporis jacturam facerem, si plura proloquerer.

Probo nunc Catholicum theorema ex Patribus. Arnobius in VI. adversus Gentes: *Hoc est*, inquit, *proprium Deorum complere omnia vi sua, non partiliter usquam, sed ubique esse totos: adesse, non abesse, non cœnatum ad Æthiopes pergere, & post dies bissenos privatum ad Domicilium redire*. Scomma est notam de Jove fabulam ridentis. Cyrillus Cat. VI. *In loco minime definitus: sed locorum opifex: in omnibus existens, & a nullo circumscriptus: Unus est ubique præsens*. Hilarius lib. 1. ad Const. *Deus & ubique est, & totus ubique est*. S. P. Aug. Ep. LVII. *Fatendum est ubique esse Deum per divinitatis præsentiam*; &c. Quid moror Ecclesiæ Patres? Lege Zenonis sententias apud Laertium, Proclum ad Timæum, definitionem Empedoclis apud Huetium, qui veterum momenta collegit lib. II. qq. Al. 7. Quibus addo Senecam Epist. 41. Dionem Chrysostomum apud Grotium in Caput XVII. Act. Apostol. celeberrimum denique oraculum apud Porphyrium,

Πάντα Θεοῦ πλήρη· πάντῃ Θεός ἐστι, Φανῆθε.

Omnia Deo plena; ubique Deus est, Phanethe.

Rationem omnium potissimam putat Habert cap. XII. quoniam si Deus alicubi consisteret, locum suum deserere cogeretur, ut alibi præsentem se sisteret, quemadmodum Angelus, aut homo. Vera est; sed reponerent Worstius, & Crellius nullibi extra cælum se præsentem sistere, nisi effusa luce ac potentia. Ut rimulæ Socinianis præcludantur, utendum est hoc argumento: Quia Deus est undequaque infinitus, nequit ullo perfectionis genere limitari: Ergo nec potest aliquo loco circumscribi. Vel eo, quod supra innui: Ubicunque est Dei potestas, est & substantia: Potestas ubique est: Ergo ubique est & substantia. Quorum primum est Basilii in V. adversus Eunomium; alterum Anselmi in libro de Incarnat. cap. 4., utrumque Augustini citata Epistola LVII. ad Dardanum.

Opp. 1. Deum ubique non esse probatur ex sacris literis. Genes. VI. legitur Cain egressum fuisse *a facie Domini*. Non erat ergo Dominus in plaga, ad quam Cain pro-

fugus

fugus abiit, Orientali: Cap. 25. dicitur Rebecca perrexisse, ut *consuleret Dominum*: Ergo non erat Deus in regione, in qua Isaac peregrinabatur cum sua uxore. Rursus: Deus olim in Templo Silo, deinde in Hierosolymitano habitavit, ut constat ex 1. & 2. Regum, itaut Deus ipse cap. VII. v. 6. dixerit Nathan: *Neque habitavi in domo ex die illa, qua eduxi filios Israel de terra Ægypti usque in diem hanc: sed ambulabam in tabernaculo, & in tentorio*. Item sæpenumero legimus Dominum descendisse, ambulasse, recessisse ab impiis, mansionem apud eos facere, qui eum diligunt, aliaque id genus plura; quæ substantiæ præditæ immensitate convenire non possunt.

Resp. futilia esse quæcunque objiciuntur. Cain dicitur egressus a facie Domini, idest a loco, in quo ei Deus apparuerat, & *ab avita* (inquit Calmet) *parentum suorum sede*, Rebecca perrexit ad consulendum Dominum, idest in penu & cubiculum, remotior a marito ad orandum: nam verbum עתר *consulass*, idem est, ac *vehementer precari*, ut constat ex versu 5. Psalmi XXXIII. Tamen perrexisse Rebeccam ad consulendum Abrahamum, vel Heberum, vel alium e schola magni Sem, tradunt Rabbini veteres. Eodem loco Geneseos v. 21. legitur *deprecatusque est Isaac dominum pro uxore sua*, hebraice לנכח אשתו *pro, & coram* uxore sua. Erat ergo ibi Dominus, qui eum exaudiret. Habitare dicitur Deus in arca, in templo, in justorum animabus gratiosa manifestatione, & largitione gratiarum. *Fatendum est Deum esse ubique per divinitatis præsentiam; sed non ubique per habitationis gratiam*, ait S. P. Aug. citata Epist. LVII. ad Dardanum, nunc 187. Conquerens autem Deus se habitare in Domo cedrina, & in medio pellium, in tabernaculis, in tentoriis, non optat regiam habere, qualem Cadmus apud Euripidem, sed ut David cogitet de Domo ædificanda ad immolandas hostias, & peragenda sacrificia. Descendere denique dicitur, ambulare, accedere, *quando curam humanæ fragilitatis habere dignatur*; ait Augustinus serm. LXX. de Temp. vel *cum aliquid facit in terra, quod præter assuetum naturæ cursum mirabiliter factum præsentiam ejus quodammodo ostendat*; inquit idem S. P. XVI. de Civitate Dei cap. 5. Hinc *descendere* ad videndam turrim Babel Gen. XI. iram, & pœnam superborum, *descendere* cum Jacob in Ægyptum Gen. XLVI. gratiam, & patrocinium, *descendere* Spiritum Sanctum Matth. III. invisibilis sub specie columbæ manifestationem, & *descendere* Filium Dei de cœlo humanæ naturæ assumptionem designat.

Op. 2. Matth. v. 16. habetur, Deum in cœlis habitare: & sequenti cap. docere Christum, ut id in quotidiana oratione exprimatur. Abest ergo Deus ab aliis terrenis partibus. Confirmat hoc vetus Hebræorum traditio, qui cœlum in tres dividunt partes, in aerem, unde pluvia atque ros decidit, in firmamentum stellatum, ac in remotissimum locum, ubi Deus & Angeli habitant. Hanc vero traditionem confirmant Scripturæ; nam Paulus II. ad Corinth. XII. 2. locum habitationis Dei tertium cœlum appellat: & Psal. CXIII. 16. habetur, *cœlum cœli Domino*. Atque ea est consuetudo Scripturarum, ut *cœlum cœli* omnium supremam partem designet, ut *Deus Deorum* Deum altissimum, *Dominus dominorum* Dominum valde magnum. Igitur, etsi divina potentia vastissimo cælorum ambitu non possit comprehendi, præsentia tamen essentialis abditissimo loco præcluditur. Utitur hoc argumento Joannes Ludovicus Wolzogenius.

Resp. Deum specialiter dici quod sit in cœlo, primo quia ibidem ostendit faciem suam, & locus ille magis est particeps ipsius operationis, & gloriæ; deinde quia ibidem incessanter laudatur, regnantque Angeli facientes ejus voluntatem. Ita Aug. 2. de Trinit. cap. 5. & Patres communiter. A quibus neque dissentiunt inimici veritatis Brentius, Glassius, & Calviniani omnes, ac Lutherani. Wolzogenius Com. in cap. VI. Matthæi ait Templum dici habitationem ac locum Dei, quia specialiter illic sua providentia habitat, & benignius supplicum preces exaudit. Quod Deus sua providentia dicatur habitare in Templo non probat hanc providentiam in omnes partes minime dimanare, ipso Wolzogenio fatente: Ergo quod Deus dicatur habitare in cœlis, non evincit quin essentiali præsentia ubique consistat. Ea de caussa orantes ad cœlum convertimur, quasi solium Divinæ majestatis venerantes, & hac demissione profitentes non esse Deum terrestrem patrem infirmum ac senescentem, sed auctorem omnium, omnipotentem ac sempiternum. Ita & Hebræi, ut summum Deum a suis secernerent Patriarchis, orabant אבינו שבשמים, quod idem ferme est, ac Dominicalis orationis exordium. Substantivorum duorum ratio notare auxesim verum est non solum in notatis a Wolzogenio, & cum idem nomen repetitur, verum etiam in synonymis, ut Psalmo XV. 5. *pars hæreditatis* designat omnimodam partem, XXXIX. 3. *lutum fæcis* sordidissimam sordem; Esaiæ XXXII. *spinæ & vepres* plurimam sentem; Mich. II. 4. *Depopulationis vastatio* extremam desolationem. Sic *cœlum cœli* supremum gloriæ solium demonstrat, non quo premat vestigiis Eridanum, ut poetice Aratus; sed quo regnum impertiatur electis.

Opp. 3. Cum Worstio: Dedecet summam Dei majestatem locus infimus, caliginosus, ac sordidus. Resp. neque solis lucem a sterquilinio fœdari, neque animam infici leprosi corporis sordibus, neque aerem abduci a casa sumaria. Quid ergo inficere poterit Deum incommutabilem lucem, infinitum spiritum, universorum caussam, expertem omni motu, omni extensione, omni labe?

Ultimo oppones. Patres haud semel fatentur Deum nuspiam esse. Resp. Deum non esse alicubi locorum spatiis circumscriptum. Etenim omnia loca, ut Augustinus Serm. I. in Ps. CXIII. n. 14. *tamquam indigentia continet, non ab ais tamquam indigens continetur*.

Ne præstoleris hoc loco consuetam de spatiis imaginariis disputationem. Quid sunt, quæso, hæc spatia? *Inanes hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cum locus nihil sit præter mundum*. Ita August. XI. de Civit. Dei cap. 5. Trahunt tamen ad se Augustinum Assertores affirmativæ sententiæ. At si attente legeris, videbis ibidem confutari Manichæos, & quotquot ante mundum æterna tempora præcessisse autumabant. Hæc est summa Augustinianæ argumentationis: Extra mundum non est locus, quia locus una cum mundo productus est; Ergo ante Mundum non est tempus, quoniam omne tempus fuit cum mundo productum. Quod si volatilis sensus frustra quærit tempus ante mundum, idest antequam fieret ipsum tempus, ut demonstrat S. Pater XI. Confess. cap. XII. XIII. & XIV., quis imaginari potest locum extra mundum, idest extra locum, in quo productus est omnis locus? Verum si exercitationis caussa velis de inani mentis nostræ figmento garrire; pro affirmativa sententia plenissime disputat Theophilus Raynaudus Th. nat. disput. VII. Suaresius disp. XXX. Metaph., noster Gibbon disp. X. dub. 2.; pro negativa fere omnes, Scotus, D. Thomas, Ægidius, & qui in eos ediderunt Commentaria. Omnium fere vox una est, Deum in spatiis imaginariis esse tantum potentia; nempe si hæc spatia producerentur, Deus his coexisteret. Erat ea ratione etiam in mundo, antequam crearetur. Sed antequam crearetur mundus, Deus ubi erat? quid tunc faciebat? Quærenti quid tunc faciebat, respondet Augustinus laudato libro num. 15. *Non erat tunc, ubi non erat tempus*. Quærenti ubi erat, respondendum est. Non erat *ubi*, ubi non erat locus. *Dicet aliquis*, (ait S. P. enarrat. in Ps. CXXII. n. 4.) *antequam faceret Deus cœlum & terram, ubi habitabat? .... In se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus*. Idem de mundo antequam fieret, ac de spatiis imaginariis quæ non sunt, erit nobis absque hæsitatione pronunciandum.

PROPOSITIO III. Deus est omnino immutabilis.

Immutabilitas est perpetua rei permanentia, in quam neque substantiæ, neque accidentium intercidit vicissitudo. Atque hanc immutabilitatem convenire Deo probatur 1. ex Scripturis, dicente Malach. III. 6. *Ego Dominus, & non mutor*. Sap. VII. 17. *In se permanens omnia innovat*. Num. XXIII. 19. *Non est Deus ut filius hominis, ut mutetur*. Jacob. I. 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Appellaverat hoc loco Jacobus Deum *patrem luminum*, & ideo servata solis metaphora utitur vocabulis astronomicis, quæ mire in græco textu deprehenduntur. Ibi *transmutatio* dicitur παραλλαγὴ, *obumbratio* ἀποσκίασμα. παραλλαγὴ est varius solis conspectus in ortu, in meridie, in occasu. ἀποσκίασμα est solis umbra ex subjectis corporibus: Est itaque (ait Jacobus) Deus Pater luminum, a quo omne donum descendit, sed non oritur, non occidit, non recedit, non aliquid ei accidit mutationis & umbræ, dum lucem effundit, idest, dum ejus opera apparent. Vere singulare divinæ immutabilitatis testimonium!

Nullus Patrum hanc apertissimam veritatem in dubium revocat. *Immobilem Deus habet naturam*, inquit Chrysostom. *Semper eodem modo se habet*, inquit Cyrillus. *Est bonum simplex, & incommutabile*, inquit Augustinus. Omnium loca accurate persequitur Petavius lib. III. cap. 1. & 2., Thomassinus lib. V. cap. 8. 9. 10. quæ omnia recitare quid præstat? Philosophorum, præsertim Platonis, Procli, Alcinoi, Hieroclis, Cleanthis, & Numæ Romanorum regis in hac re consensionem vide apud Huetium lib. II. Aln. Quæst. cap. II. 8. 9. & 10.

Accedit multiplex Augustiniana ratio. Si enim gradatim a rebus corporeis ad intelligibiles conscendas, comperies naturæ magisterio illam minus esse mutabilem, quæ est perfectior. Ergo omnium perfectissima erit omnino incorruptibilis & immutabilis. Vide S. P. lib. VII. Conf. cap. 17. Deinde; Omnis mutatio facit non esse quod erat: In Deo non potest non esse quod erat, cum sit essentialiter ipsum esse: Ergo in Deo non potest esse mutatio: Vide lib. de Nat. Boni cap. 19. De Fide, & symb. cap. 4. & V. de Trinit. cap. 2. Ulterius; Quidquid mutatur transit de meliori in deterius, sive a deteriori in melius: Summum bonum transire nequit de meliori in deterius, neque a deteriori in melius: Ergo summum bonum nequit esse mutabile. Vide Tract. XXIII. in Joannem; & lib. VII. Confess. cap. 4. Deinceps; Apud Deum est caussa, origo, ac ratio omnium rerum mutabilium: Origo, caussa, ac ratio omnium rerum mutabilium est omnimoda immobilitas, ut constat ex præcedenti libro: Ergo, &c. Vide de Vera R. cap. 18. & 31. Ultimo; Quælibet mutatio aut substantialis est, aut accidentalis: In Deo non est mutatio substantialis, neque

acci-

accidentalis; quia in Deo neque fuit quod jam non est, neque erit quod nondum fuit: Ergo nulla prorsus mutatio est in Deo. Vid. lib. VIII. de Gen. ad lit. c. 19. & lib. 11. de lib. arb. cap. 16.

Opp. 1. Deus iræ, pœnitudini, ceterisque passionibus animi subjicitur. Est igitur aliquibus obnoxius mutationibus. Pr. ant. Genes. VI. 6. *Pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo* (inquit) *hominem, quem creavi, &c.* Imo posteaquam diluvio omnem fere carnem perdiderat, facti pœnitens ait Gen. VIII. 21. *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines.* De ira Dei vide Hierem. IX. ab eo versu: *Numquid super his non visitabo, &c.* Furorem quoque Dei Psal. CV. 40. *Et iratus est furore Dominus*, atque alibi sæpenumero. Tristitiam animi tribuit Deo Esaias LXIII. 10. dicens *Afflixerunt Spiritum Sancti ejus.* Quid? Et zelotypiam suam testatur Deus Exodi XX. 5. & innumeris aliis in locis. Percellitur ergo omni passionum genere divinus animus.

Resp. nego ant. ad probat. dico tribui Deo pœnitentiam, omnesque humanas affectiones metaphorice, idest: *Dei pœnitentia non est post errorem, sed rerum in ejus potestate constitutarum mutatio. Ubi enim legitur quod pœniteat Deum, mutatio rerum significatur, immutabili præscientia manente divina; & ubi non pœnitere dicitur, non mutare intelligitur:* ait S. P. XVII. de Civit. Dei cap. 7. Est ergo Dei pœnitudo aut inflictionis pœnarum, aut divinæ commiserationis significatio. De ira Dei idem Augustinus scribit in Ench. ad Laurent. cap. 33. *Cum Deus irasci dicitur, non ejus significatur perturbatio, qualis est in animo irascentis hominis; sed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta ejus, quæ nonnisi justa est, iræ nomen accepit.* De furore Domini in præfatum Psalm. CV. n. 32. ait: *Noluerunt quidam interpretes nostri iram ponere, in eo quod Græcus habet θυμὸς: sed quidam posuerunt: quidam vero indignationem, quidam animum interpretati sunt. Quodlibet autem horum dicatur, perturbatio non cadit in Deum; sed de consuetudine translatum potentia vindicandi hoc nomen accepit.* Vocabulum græcum θυμὸς non iram solam, sed & mentis velocitatem, animositatemque designat. Irritari Spiritum Sanctum apud Esajam LXIII. maxima est execratio impietatis. Ipse Gentilis Seneca de contristatione spiritus scripsit Epist. XLI. *Ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet bonorum, malorumque nostrorum observator, & custos: hic prout a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat.* Dei zelotypia nunc honoris sui curam, nunc vero ardentissimam innuit erga nos dilectionem. Igitur Deus, ut Augustinus ait lib. I. contra Adim. cap. 20. *Quando eum pœnitet, non movetur, & mutat: quando irascitur non movetur, & vendicat: quando miseretur, non dolet & liberat; & quando zelat, non cruciatur & cruciat.* Quorum omnium ratio theologica est, quod omnia quæ dicantur de Deo sunt, ut diximus cap. præc. affectiones mentis nostræ, & mutabilium connotationes effectuum.

Dices: ira & motum animi importat, & perturbationem: licet perturbatio non sit in Deo, est tamen motus animi; dicente Tertulliano in I. adversus Marcionem cap. 26. *Stupidissimum esse, qui non offenditur facto, quod non amat fieri.*

Resp. neque motu animi, neque perturbatione tangi divinum numen. Tertullianum illum tribuere signo tenus atque efficientia putat Pamelius in notis: utrumque Deo affingere censuit Petavius lib. 3. cap. II. n. XV. Parum refert quid afferat Tertullianus, reclamantibus contra universis.

Opp. 2. Quos Deus volebat salvos fieri, mutato consilio reprobat, damnat, addicit gehennæ propter perpetrata ab his crimina: Ergo hominum scelera divinam immutant voluntatem.

Resp. dist. ant. Volebat salvos fieri, ipsis volentibus, & ejus obtemperantibus legi, concedo: ipsis nolentibus, ac renitentibus gratiæ, nego. *Aspernanti, fugientique infundenda in gremium est divinæ benevolentiæ gratia? Nulli Deus infert necessitatem, imperiosa formidine nullum terret? neque enim necessaria nostra illi salus est;* inquit adversus Gentes Arnobius. Sed de divina voluntate in V. Opusculorum illorum libro.

Opp. 3. Ante productionem mundi Deus non erat creator, non erat Dominus, non erat creaturarum rector ac pater; post mundi vero creationem hæ omnes denominationes illi advenerunt: Ergo in mundi productione mutatus est.

Resp. Ea quæ dicuntur de Deo alia dici secundum se, alia connotative. In iis quæ connotative dicuntur, ut nova accedat denominatio, sufficit si solus terminus commutetur. Habemus exemplum in singulis relativis, & singulare quoddam in nummo, qui indemutatus fit pretium, fit pignus: de quo lege Augustinum in V. de Trinitate cap. 16. Dist. itaque minorem: Post mundi productionem advenerunt Deo hæ denominationes, quæ sunt secundum se, & absolutæ, nego: quæ sunt solum connotativæ atque extrinsecæ, concedo. Vide & Tertullianum cap. 3. adversus Hermogenem, & quæ breviter prænotavi in I. hujus libri explicans VII. Dei nomen אדוני *Adonai*.

Si autem insurgas; Hæ denominationes accesserunt Deo ratione creationis, quæ est ejusdem Dei operatio: Atqui hæc operatio peracta est in tempore: Ergo in tempore advenit Deo, quod non habebat ab æterno, videlicet quod sit creator;

Adhibenda est eadem responsio: Dist. minorem: In tempore peracta est creatio terminative accepta, & quantum spectat ad productionem rerum creatarum, concedo: considerata ex parte Dei Creatoris, nego. Non debemus Deum modulo nostro metiri. In nobis distinguuntur consilium, voluntas, & operatio: est enim aliquando sine consilio voluntas, sine operatione consilium. Hæc tria in Deo ob perfectissimam simplicitatem sunt idem, neque potest consistere unum absque altero. Quemadmodum ergo intelligimus opus perfici in tempore a sempiterno consilio, ita debemus asserere effici temporaliter æterna ac immutabili operatione; ita ut mutabilitas tota rei, quæ perficitur, sit permixta. Ut lineæ productæ a centro ad circumferentiam circuli, si spectentur in centro, sunt singulæ punctum indivisibile; si in circumferentia, spatium intercipiunt, & eo amplius, quo magis effluunt a centro: ita omnia Dei opera, si ea in creaturis metimur, distant invicem, ac mutantur; si in centro æternitatis, a quo profluunt, incommutabiliter permanent, nec ab invicem divelluntur. Vide quæ tradit duodecimo libro de Civitate Dei cap. 17. magnus Theologorum dux Augustinus. Si quæ sunt alia, quæ contra Dei immutabilitatem possunt opponi, E. G. divina libertas, æterni Verbi incarnatio, concordia humani arbitrii cum Dei prædefinitionibus, tametsi dirimi possunt ex dictis, suo quæque loco expendentur.

SCHOLION.

„ AD tres præcedentis capitis propositiones confirmandas parce nisi fuimus testimoniis Philosophorum; id enim neque institutum nostrum postulat, neque invictum exhibet argumentum. *Infinitum* tamen Deum esse tradidere Anaxagoras, Melissus, Zeno, Proclus, de quibus Huetius lib. 2. Alnetan. qq. cap. 2. num. 6. Qui Ægidium sectantur, infinitum esse Deum demonstrant ex quo sit *suum esse irreceptum*, non tantum in materia extensa, quo sensu etiam angelus *esse irreceptum* habet, verum etiam in essentia, & in quolibet attributo, in quo sensu Deus tantum est *Esse*, a quo divelli nequit subsistentia, & est summa virtus, quæ nec accedente qualitate perficitur, nec deficiente operatione mutatur, neque potentia separatur ab actu. Id notandum ab Ægidianis nostris, ne perturbentur argumentis, quibus Aureolus, Vasquez, Suarez conantur evincere non probari infinitatem *ex esse irrecepto*. Placet addere brevem, neque obscuram probationem Grotii. *Attributum cujusque finitur* (inquit lib. I. de Verit. Relig. Christ. num. 5.) *aut quia causa, per quam existit, tantum, nec plus ei communicavit; aut quia ipsa tantum, nec amplius capiebat. Deo autem nulla natura quidquam sui communicat: nec ipse aliunde capit quidquam existens, &c.*

„ *Immensitatem* Dei, de qua in prop. 2. negarunt ii Gentiles, qui Diis suis peculiarem locum tribuerunt, puta cælum Jovi, aerem Junoni, mare Neptuno, inferorum sedem Plutoni. Pythagoras asseruit Deum extra mundi limites non existere; quod & iis consecutione erroris affirmant, qui ipsum Deum vel mundi animam, vel materiam ubique diffusam impie appellant. Non sunt idcirco invicta prorsus, quæ ad orationis potius ornatum, quam ad probationum firmitatem & robur ex Gentilibus afferuntur, ut quod ait Ecloga 3. Virgilius, *Jovis omnia plena*; & Lucanus in nono Pharsaliæ libro,

„ *Est ne Dei sedes, nisi terra, & pontus, & aer,*
„ *Et cælum, & virtus? Superos quid quærimus ultra?*
„ *Jupiter est quodcunque vides, quocunque movemur.*

„ Pejus Orpheus, quisquis ille sit, apud S. Cyrillum lib. I. contra Julianum describit Deum in cælo sedentem, pedibus insistentem terræ, & dextera manu attingentem finem Oceani. Sed Poetarum figmenta non moror. Petavius inter eos, qui negant Dei immensitatem, lib. 3. cap. 7. recenset quoque Lactantium, & Augustinum Steuchum Eugubinum.

„ De Lactantio tamen ego aliter sentio. Nam in libro de Opificio cap. 16. in quem locum offendit Petavius, pertractat Lactantius *de humana mente, & ejus sede*; quam Parmenides & Epicurus residere ajebant in thorace, Diogenes in cordis arteriaco, Pythagoras in corde & in cerebro; alii, quibus ipse Lactantius adhæret, in summo capite. Ex hac sede ait mira mobilitate & celeritate, atque uno temporis puncto cælum collustrare, maria, si velit, pervolare, peragrare urbes, omniaque, quamvis longe lateque summota sint, in conspectu sibi, sensum illum vivum, qui mens vel animus nuncupatur, constituere. Quod Lactantius ait ad commonstrandum animam esse incorpoream, neque coarctari circumscriptione locorum. Utitur quidem Dei comparatione, & inquit: *Videtur enim mens, quæ dominatum corporis tenet, in summo capite constituta, tamquam in cælo Deus*; sed non ait, ut animam sola con-

„ tem-

templatione extra sedem, qua detinetur, discurrere, ita Deum extra cælum non contineri, cunctaque sola providentia, vel scientia permeare, longe permanente natura: utitur potius argumento, quod vocant *a minori ad majus*, atque ad hunc modum ratiocinatur: Si anima, quæ circumscripta est ac finita, cogitatione non uno in loco finitur, sed residens in summo capite per ea, quæ intelligit, quodammodo vagatur: quid mirum, si Deus, cum sit immensus, & rebus omnibus præsens, sedem habeat in cælo, & sua nihilominus virtute omnie regat, impleatque divinitate? *Et miratur aliquis*, ita Lactantius, *si divina mens Dei per universas mundi partes intenta discurrit, & omnia regit, omnia moderatur, ubique præsens, ubique diffusa: cum tanta sit vis ac potestas mentis humanæ intra mortale corpus inclusæ, ut ne septis quidem gravis ac pigri corporis, cui alligata est, coerceri ullo pacto possit, quominus sibi liberam vagandi facultatem, quietis impatiens, largiatur?* Profecto Deum in cælo esse, ibique sedem habere suam, divine etiam Scriptura testatur. *Dominus in cælo sedes ejus*, inquit Psal. 10. 5. *Cælum sedes mea*, If. 66. 1. *Cælum mihi sedes est*, Act. 7. 49. *Sedes Dei, & Agni in illa erunt*, Apoc. 22. 3. In cælis habitare, de cælo prospicere, in cælis esse, ipsæ divinæ litteræ pluribus in locis testantur. Ita loquentem Lactantium nemo jure reprehendet. Deum vero intra cælos *inclusum*, *cælis alligatum*, quemadmodum animam intra *mortale corpus inclusam*, eique *alligatam*, nullibi Lactantius asseruit.

Ite exponendum esse puto Eugubinum, qui in Psalmum 138. scribit: *Ut igitur sol est in cælis corpore ac situ, & statura sua, terras autem luminibus lustrat, omnia prospiciens; talem necesse est nos cogitare Deum, qui quidem essentia ac præsentia sit in cælo: spiritus ejus, & cognitio, & scientia usquequaque pertineat*. Enimvero, præterquamquod ostendit Steuchus, quid indulgendum sit *cogitationi nostræ* tenebris obvolutæ, atque infirmæ, non adeo vir doctus desipuit, ut *cognitionem*, *spiritum*, *& scientiam Dei* ab illius *essentia* reali distinctione secerneret; ideoque ubi *spiritus & scientia Dei*, ibi Dei *essentiam* esse, necessum est. Ne autem similia cum Lactantio, vel Eugubino proferentibus inuramus notam erroris; sciendum est Deum *immensitate* sua ubique esse, omniaque in se comprehendere locorum spatia; nam ut S. Pater Augustinus ait lib. 7. de Civit. Dei cap. 30. *Deus implet cælum & terram præsente potentia, non absente natura*. Ubique est igitur, & ubique est *essentia*, *præsentia*, *& potentia*, ut docet S. Thomas 1. p. q. 8. art. 3. Discrepant nihilominus Theologi, dum quærunt, quomodo Deus in locis consistat, an *per substantiam*, an *per operationem*: de qua re & nos disseremus libro 10. pertractantes de Angelis. Sane Deum esse in loco *per operationem*, nempe quatenus adest cuilibet rei, in quam agit, sentit Thomistarum, & Ægidianorum major numerus. Eatenus iteque dicitur Deus *esse in cælo*, quatenus ibi gloriam regnique sui majestatem ostendit, ibique omnes ei angeli famulantur: dicitur *non habitare in cordibus impiorum*, propterea quod subtrehat illis gratiæ suæ munus, benevolentiam, & arrham hæreditatis: dicitur *in templo* commorari, quoniam illic orationes fidelium exaudit, & beneficia largitur; non quia intra ædis parietes Dei comprehendatur majestas, ut rudiores autumabant Hebræi apud Hieronymum in caput sexagesimum sextum Isaiæ. Ergo Deus *spiritu*, *cognitione*, *scientia*, *regimine* est in universis mundi partibus, quoniam cuncta operatur, disponit, regit, cognoscit, præsente tamen, non absente divinitatis natura.

De *immutabilitate*, de qua diximus tertio loco, addimus, solum Deum revera dici immutabilem, ut docent S. Peter Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 1. Gregorius lib. 12. Moral. cap. 17. S. Bernardus serm. 80. in Cantica, S. Thomas 1. p. q. 9. art. 2. Æg. in 1. dist. 8. cunctique Theologi. Pythagoras quoque, Anaxagoras, Plato, Jamblicus, Proclus, Alcinous, Simplicius, ceterique Philosophi id ratione sunt assecuti. Horum loca indigitat Petrus Daniel Huetius præcitato cap. 2. n. 8. Nulli præter Deum plena competit immutabilitas. Inferiora corpora ob suorum elementorum permixtionem sunt corruptibilia: cælestia saltem secundum locum motumque variantur: spiritualis animus, & angeli, tum loco, tum operatione mutari possunt. Solus itaque Deus est, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, ut inquit Jacobus Apostolus in Epist. Catholica cap. 1. 17. Invicte *immutabilitatem* istam Dei probat magnus Augustinus libro 5. de Trinit. cap. 2. *Sola*, inquit, *est incommutabilis substantia, vel essentia, quæ Deus est, cui profecto ipsum esse, unde essentia nominata est, maxime ac verissime competit. Quod enim mutatur, non servat ipsum esse; & quod mutari potest, etiamsi non mutetur, potest quod fuerat non esse: ac per hoc illud solum, quod non tantum non mutatur, verum etiam mutari omnino non potest, sine scrupulo occurrit, quod verissime dicatur esse*. Militat adversus propositionem 3. difficilis objectio, quæ petitur ex Dei libertate. De hac plura lib. 5. cap. 3. Sat modo erit animadvertere, quod etiamsi in Deo sit potentia agendi, vel non agendi, sive eligendi unum, vel alterum; nunquam tamen hæc potentia fuit ab actu suspensa, neque potest Dei libertas in tempore nolle & non eligere quod voluit elegitque ab æterno: ubi autem nulla est suspensio, nec flexibilitas; ibi nulla est vicissitudo, vel transmutatio.

CAPUT V.

Quod solus Deus propriam habeat æternitatem.

Duas vera æternitas habet dotes: unam, quod caret principio ac fine; alteram, quod omnem excludit successionem. Definitur a Boetio: *Tota simul ac perfecta interminabilis vitæ possessio*, idest, duratio permanens & expers successionis in substantia spirituali ac vivente. Prout æternitas utramque dotem complectitur, soli Deo, nullo mortalium contradicente, creditur convenire: idque demonstrabo priori hujus capitis propositione. At quatenus æternitas *perpetuum esse* designat, & *carere* durationis principio, quo sensu dicitur a Græcis ΑΙΩΝ, *Aeon*, quasi ἀεὶ ὤν, *quod semper est*, competit quidem Deo; sed quædam præter Deum hanc proprietatem tenere, imperiti improbique homines delirarunt. Nam aliqui etiam e secta Platonicorum Mundum crediderunt extitisse ab æterno, non intelligentes quomodo prima causa tanto sæculorum intervallo ab universi molitione cessaverit; alii materiam saltem existimaverunt sempiternam, ut impius ille Hermogenes, cui diem indixit Tertullianus. De his autem, quoniam ad mundi structuram pertinent, agam lib. XI. Refutandi sunt tamen hoc loco nonnulli, qui nescio quos *Aeonas* ab Ecclesiæ incunabulis commenti sunt, & Græculi quidam Monachi increatæ lucis e Deo diffusæ, & ab ipsius separatæ substantia, insipientes ac superbissimi jactatores.

Aeonum fabulam Hesiodeo more finxit circa annum Christi CXX, imperante Hadriano, Valentinus, quem Epiphanius Hæresi XXXI. 2. vocat Phreboniten, recentiores Critici Prenethiten, e patria maritima prope Bolbiticum ostium. In Aegypto primum errorem sparsit, deinde Romæ, quo advenisse creditur anno Ch. Aeræ CXXIII. Statuit in Pleromete, seu plenitudine divinitatis XXX. Aeonas, quos in Ogdoadem, Decadem, & Duodecadem partitus est. In Ogdoade priorem tenet locum Deus inconspicuus ac princeps Aeonum; quem vocabat προπάτορα, προαρχὴν, καὶ Βυθὸν, *Ante principium*, *Ante patrem*, *& Fundum*: cui conjugem dabat Ἔννοιαν, Σιγὴν, καὶ Χάριν, *Mentem*, *Silentium*, *& Gratiam*. Hæc a Bytho gravida enixa est Νοῦν καὶ Ἀλήθειαν, *Mentem & Veritatem*: Hinc procreati Λόγος, Ζωή, *Sermo*, *& Vita*. ab his Ἄνθρωπος, καὶ Ἐκκλησία, *Homo*, *& Ecclesia*. En Valentiniana Ogdoas: in qua prima tetras, nempe Bythos, Ennæa, Nus, & Alethia peperit alteram, Verbum, Vitam, Hominem, & Ecclesiam. Ab hac posteriore Tetrade orta est Decas, & Duodecas Aeonum: decas quidem a *Verbo & Vita*; duodecas ab *Homine*, *& Ecclesia*. Filii itaque *Sermonis ac Vitæ* sunt decem Aeones Βύθιος, Μίξις, Ἀγήρατος, Ἕνωσις, Αὐτοφυής, Ἡδονή, Ἀκίνητος, Σύγκρασις, Μονογενής, Μακαρία, *Profundum*, *Mixtio*, *Non-Senescens*, *Unio*, *Per se nascens*, *Voluptas*, *Immobilis*, *Concretio*, *Unigenitus*, *& Beata*. Duodecas progenita ab *Homine & Ecclesia* hæc est: Παράκλητος, Πίστις, Πατρικός, Ἐλπίς, Μητρικός, Ἀγάπη, Ἀείνους, Σύνεσις, Ἐκκλησιαστικός, Μακαριότης, Θελητός, Σοφία, *Consolator*, *Fides*, *Paternus*, *Spes*, *Maternus*, *Caritas*, *Semper-mens*, *Prudentia*, *Ecclesiasticus*, *Felicitas*, *Voluntarius*, *Sapientia*. Hos triginta Aeonas complectitur Valentinianum πλήρωμα, idest *plenitudo*: de quibus vide Irenæum, Tertullianum, & Epiphanium, necnon Natalem Alex. Hist. Eccl. Sæc. II. cap. 2. Art. VI. Massuetum quoque Dissert. 1. art. 1. Cum tam absurda sit Valentini fabulosa hæresis, habuit tamen qui eumdem fuisse Orthodoxum contenderit, Foeditum Abbatem, qui edidit Dilucidationem Doctrinæ, & Historiæ priorum sæculorum.

Alterius erroris auctor fuit conventus Monachorum, qui in monte Atho prope Thessalonicam dicti *Quiescentes* gloriabantur omnes, qui in eo vitæ genere exercebantur, divinum lumen conspicere ab æterno a divinitate diffusum, quale Christo in monte Thabor putabant circumfulsisse. Quorum deliramenta detexit, & confutavit Barlaamus Monachus, qui ex Italie Byzantium venerat, & aliquandiu cum *Quiescentibus* versatus fuerat; unde adversarium habuit Gregorium Palamam, primo illius instituti professorem, deinde Thessalonicensium Episcopum. Fuit Barlaamus natione Calaber, ut scribit Jo. Cantacuzenus lib. II. c. 39. & Georgius Phranza lib. 1. cap. XII. & ex Italia Constantinopolim adiit imperante Andronico Juniore, qui contra Avum conspirans imperium arripuit an. 1328. stetitque e partibus Barlaami Gregorius Acindynus, & Joannes Chrysoloras, ut narrat citato loco Phranza. Hunc Chrysoloram putant plurimi etiam primæ notæ Scriptores esse Emmanuelem illum, qui regnante Bonifacio IX. Venetiis, Florentiæ, Romæ, ac Ticini Græcas litteras tradidit, Leonardi Bruni Aretini, Raphaelis Volaterrani, Pauli Jovii, Baptistæ Platinæ, aliorumque Historicorum testimonio celebra-

lebratissimum. At tum Emmanuel Chrysoloras, cui plurimum debet Italia, decesserit in Constantiensi Concilio mense Aprili ann. 1415., honestatus elegantissima oratione Poggii Florentini ejus discipuli, & de Historia benemeriti, contentio autem cum Barlaamo contigerit vivente ac imperante Andronico, qui obiit anno 1341., puto hunc a priori Chrysolora esse diversum; non enim adolescentulus cum Palama disputasset, neque tanta ætate gravatus memoratæ Synodo interfuisset: præsertim cum nominum habeatur diversitas, & duæ Chrysoloræ ad alterum recitentur Epistolæ. Fuerit ergo Joannes Chrysoloras senior Emmanuele. Barlaamum pertinaciæ, malevolentiæ, & popularis gloriæ cupiditatis redarguit Nicephorus Gregoras lib. Hist. xi. ejusque argumenta veluti aranearum telas discussa a Palama scribit citato loco Phranza: Sed Gregoras paullo ante virum dixerat sacris dogmatibus eruditum; & postea mutata sententia Constantinopolitanam Pseudosynodum, quæ Barlaamum damnaverat, post ejus in Italiam reditum, decem libris impugnavit. Phranzes eumdem Barlaamum fatetur disertum & eloquentem, & Joannes Cantacuzenos acutum & perspicacem, libro Hist. II. cap. 39., licet Cantacuzenus Palamitarum fabulas approbet. Hæc addidi ad horum Græcorum historiam, quam ornate refert Petavius lib. I. Th. Dogmatum cap. XII., cum Jacobus Gretserus vir & ipse eruditissimus adnotat. in cap. præcitatum Cantacuzeni animadvertat hanc controversiam historiamque fuisse Latinis Scriptoribus propemodum ignotam.

Et ne sub magnis nominibus errandi tribuatur occasio, quod recte cautum facit vir disertissimus Lamindus Pritanius prope finem librorum de ingeniorum moderatione; falsum est omnino affinem esse Palamitarum deliriis Augustinum Steuchum, etiamsi id asserant plures, & idem Petavius lib. III. cap. v. n. III., & Possevinus in Apparatu pag. 147. Nam Steuchus, quamquam haud scite cælum empyreum, & claritatem cælestis regni increatam, & a divinitate emanantem nuncupavit; affirmat tamen hanc lucem ac regnum eamdem esse divinitatem. Ait enim in libro de rebus incorporeis & invisibilibus de hoc cælo ac regno: *Hoc est divinitas, hoc regnum Patris, & Sanctissimæ Trinitatis*; & post pauca: *Quod cælum etiam eodem modo Paulus vocat lucem inaccessibilem, eamque dicit a Patre inhabitari, nimirum a se ipso manantem, non alienam a se*. Vocat ibidem hanc lucem, & regnum: *increatum, incorruptibile, inalterabile, immutabile*. Atque initio Cosmopœjæ pag. 3. probat nil prorsus potuisse ab æterno consistere distinctum a Deo his verbis: *Ubi est æternitas, semper item est existendi vigor ac potestas, quæ sola in Deo est; & tanta est hæc divinitas & potestas, ut alteri etiam ab ipso Deo non possit conferri*. Quapropter si Eugubinus hanc lucem appellat æternam, si affirmat non esse alienam a Deo, si asserit esse ipsam Patris divinitatem; non existimavit emanare a Deo in sensu Palamitarum, sed quemadmodum nos communiter dicimus emanare a Dei substantia ejus proprietates, ratione nimirum nostra, non distinctione reali. Neque obstat Eugubinum asserere, non facile dictu an hæc lux corporea sit, an incorporea, & hanc esse Olympum poetarum; benigne enim exponendus est, non quasi corpoream suspicatus sit, aut locum extensum: sed quod ea lux corporalia ac spiritualia superemineat, & sit ipsa beatorum spirituum sempiterna felicitas. Quod declarant ipsius Eugubini proxima verba, *Hæc lux manat duntaxat a Deo, quæ cum sit lux divinitatis ejus, semper cum eo fuisse necesse est. Et hæc si cælum Empyrium est, semper ab æterno fuit cælum Empyrium, idest immensa lux divinitatis, beatissimum illud quod est supra cælum, quod appellare non audeo. Nam neque locus est, neque corpus, neque tempus*. Errant ergo, qui putant Steuchum Palamitarum nugis ineptire, & gerris Manichæorum tradere consentanea: quæ dicta sint salvo judicio Petavii viri accuratissimi, & de Dogmatica Theologia præ ceteris optime meriti. Jam vero a Critica & Historia, quæ duo quanta potui brevitate expedivi, ad scita & assertiones me confero.

PROPOSITIO I. Deus æternus est, nec potest ejus æternitate aliqua creatura potiri.

Demonstro priorem partem divinis Scripturis: Deuteronomii XXXII. 40. habetur: *Vivo ego in æternum*. Ps. IX. 8. *Dominus in æternum permanet*. Dan. VII. 14. *Potestas ejus potestas æterna*. Ad Hebr. I. II. *Ipsi peribunt, tu autem permanes*. In his autem advertendum est, quod etsi Deo tribuuntur anni, sæcula, & vicissim rebus temporalibus æternitas, & ipsum etiam hebraicum עולם *Holam*, dicuntur tamen de Deo cum quadam emphasi, quæ nulla ratione ceteris potest convenire. De annis namque illius dicitur Ps. CXI. 28. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*. De sæculis, & עולם Ps. LXXXIX. מעולם עד עולם: *A sæculo usque in sæculum tu es Deus*: hoc est, quodcunque pertranseat sæculum, tu semper idem immutabiliter permanes.

Idem docent unanimiter Patres. Tert. in 2. contra Marcionem: *Viva, & germana divinitas nec de novitate nec de vetustate censetur. Deus si est vetus non erit; si est novus non fuit. &c.* Nazianzenus Orat. LXXXVIII. *Deus & erat semper, & est, & erit: vel, ut rectius loquar, semper est*. Aug. IX. Confess. 10. *Fuisse & futurum esse non est in eo, sed esse solum*. Ita omnes alii. Quibus cum discipulorum suorum grege subscribunt Socrates, Plato, Parmenides, Euripides, & Thales, qui hanc Dei tradit definitionem: *Deus est quod caret principio ac fine, omnium rerum antiquissimum, & nunquam genitum*.

Magni Augustini argumenta hæc sunt; Primum in lib. de nat. Boni cap. 39. Quidquid est immutabile debet esse æternum; nam si non caret principio mutatur de non esse ad esse, si non caret fine mutatur de esse ad non esse: Deus est prorsus incommutabilis: Ergo Deus est æternus. Alterum in lib. VIII. de Gen. ad lit. cap. 26. Nullum excogitari potest intervallum ac spatium, quo circumscripta sit Dei immensitas. Igitur nequit concipi tempus aut sæculum, quo sit definita Dei permanentia. Tertium in lib. IV. Confess. cap. 10. Deus est summa animæ beatitudo, in qua dolere non potest neque affici desiderio aut timore. Atqui anima aut dolet, aut desiderat, aut timet, quotiescunque figitur voluptate in bono, quod oritur, desinit, ac perficitur: Ergo Deus est bonum sempiternum, in quo nihil incipit, nihil cessat, nihil crescit. Huc spectant quæ de aliis attributis dicta fuerunt: unum etenim ex alio consequitur.

Probatur 2. pars. Æternitas Dei est interminabilis vita quantum ad existentiam & operationem omnino immutabilis: Immutabilitas nullo pacto rei creatæ potest competere: Ergo nullo pacto creaturæ competere potest Dei æternitas. Hinc habes recte Boetium lib. v. de Conf. Prosa VI. asserere, quod etiamsi mundus non habuisset initium, ut quibusdam philosophis visum est, nihilominus non fuisset Deo coæternus. Nam mutationi esset subjectus, & temporis pateretur vicissitudinem. Habes etiam quo sensu Patres mortalem quandoque scribant rationalem animam: quia scilicet habet quidem non desinentem vitam; sed in cognitione & amore mutatur, deficit, proficit. Vide Aug. in Ps. LXX. & Tract. XXIII. in Joannem. Paulus quoque I. ad Tim. v. 16. ait de summo Deo: *Qui solus habet immortalitatem*. Nempe & a se, & omnino incommutabiliter. Lege Aug. lib. III. contra Maximinum cap. 12.

Quod affirmant Scholastici æternitatem esse mensuram durationis divinæ, accipiendum est de mensura improprie, & secundum rationem nostram accepta, ut scite animadvertit Magister Florez Tract. III. quæst. 2. Art. 6. §. 2. n. 11. Non enim duratio ab æternitate, & æternitas a Dei substantia distinguitur, sed idem sunt penitus: ut ait S. P. Enarrat. 2. in Ps. CI. n. 10. *Non enim aliud anni Dei & aliud ipse: sed anni Dei æternitas Dei est: æternitas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile*, &c.

PROPOSITIO II. Jure ac merito Valentiniana Æonum fabula exploditur.

Afferam quasdam demonstrationes præter eas XVI. quas ex Irenæo collegit Natalis Alex. dissert. XV. 2. sæculi art. I. quas tamen vide. Sit I. Æones Valentini, sive ab Hebræorum Kabalis, ut putat Joannes Franciscus Budæus in dissert. de hac hæresi, & Salomon Glassius de posteriori Kab. membro, vel, ut probat doctissimus Renatus Massuet dissert. I. pag. XX. & seq. ex Chaldæorum Theologia, atque ex Pythagorica Quaternarione habuerunt originem: Sed Kabala est elementaria Scripturarum expositio, literarum aut numerorum pro lubitu permutatio, inconstans, atque ut plurimum superstitiosa; Chaldæorum vero Theologia, ac Pythagoræ quaternitas ex idololatriæ semine germinavit: Ergo explodenda est Æonum fabula impuris his fontibus derivata. II. Æones aut sunt affectiones ac motus unius Dei ab essentia divina distincti, ut videtur excogitasse Valentinus, aut personæ ejusdem divinitatis, ut commentatus est Ptolomæus, de quo Tertull. lib. adv. Valentinum XIV. Non primum, quia summus Deus non est mutabilis, & affectionibus adventitiis obnoxius; non secundum, quia inter Æones solus Nus est præstantissimus, totamque Bythi complectitur magnitudinem, Personæ autem ejusdem divinitatis æqualem habere debent perfectionem. Oportet ergo ut omnes Æones sint procreati, ideoque non erit, neque Axiuitus, neque Æonus, neque Autophues. III. Bythus & Anteprincipium debet habere ante generationem Nou vitam, prudentiam, felicitatem, beatitudinem; non sunt ergo progenitæ post conjugium Nou, Zoe, Synesis, Machariotes. IV. Æones aut sunt spirituales, aut corporei: Si corporei, non ergo spectant ad pleroma intelligibilium; si spirituales, quomodo est inter Æones Syngrasis, Mixis, Enosis? quomodo Sophia fere absorpta fuit? quomodo sine corpore sexuum distinctio, connubia, generationes? V. *Achamoth*, quam Valentinus dicit filiam Sophiæ, & extra Plenitudinem collocat, & eadem *Sophia* Synonyma sunt; atque unum græcum est, scilicet Σοφία *Sophia*, alterum hebraicum, idest חכמות *Achamoth*; & utrumque significat sapientiam: Alethias, Logos, Synesis ad unam spectant facultatem intelligendi; Pistis, Agape, Elpis sunt nomina virtutum eidem spiritui convenientium; quare ergo finguntur Æones, aut saltem ab iisdem parentibus non gignuntur? Hæc ego addo ad argumenta Irenæi, quæ validiora sunt quidem: sed requirunt notitiam totius systematis Valentiniani, cujus Æonum fabula est una tantum pars, & alia superest Enthymesis, ac tertia de Operibus Demiurgi: quæ sunt forsitan adolescentibus, quibus hæc conscribo, adhuc ignota. At argumentationes istæ, si conferas cum nominibus propriis Æonum supra expositis, erunt vel rudioribus satis obviæ.

Oppones: Aeonas a filio Dei progenitos ac procreatos affirmat divina Scriptura, confirmant testimonia Patrum, corroborat Kabalistica ars: Non est ergo undequaque fabulosum Valentinianum systema. Ant. probatur; nam in Epist. ad Hebræos cap. 1. 2. ubi nos legimus: *Per quem fecit & sæcula*, habent Græci codices, δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν, *Per quem & Aeonas condidit*. Et cap. XI. 3. ubi nos legimus: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent*, habent Græci, Πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι Θεοῦ, εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι, *Fide intelligimus aptatos esse Aeonas sermoni Dei, ut ex non apparentibus visibilia fierent*. Aeones itaque ex Nu ac Logo fuerunt progeniti, ut corporalia conderentur secundum ideam Aeonum invisibilium existentium in Pleromate. Nec dissentiunt Patres. Gregorius enim Nyssenus in 1. contra Eunomium scribit: *Sæculi Conditorem* Αἰῶνας, *& qui in eis est locum antea constituisse, in iis vero omnia deinceps procreasse*. Quod numerorum comprobat ratio, siquidem XXX. Aeones in annis Christi, XII. in Apostolis fuerunt designati, quorum duodecimus Judas proditor & apostata *Sophiam* invidam ac suo loco dejectam figurabat. Scripturis itaque, Patribus, & Kabalæ videtur Valentini systema consentaneum.

Resp. nego ant. Ad argumentum ex Epistola Pauli ad Hebræos facilis est responsio, si dicamus Aeonas conditos μετωνυμικῶς, *metonymice*, & per enallagen numeri, ut dicimus creatum tempus ætatemque rerum corporearum. Aeon quippe non est res aliqua quæ per se subsistat, sed vita rerum intelligibilium. Ita Damascenus lib. 2. de Fide Orth. cap. 1. Possumus quoque priorem textum ita exponere, *Per quem creavit & mundum*; quum Hebraice sit, ובה עבר לעלמא. Possumus & asserere significari a Paolo Christum esse Messiam, cujus gratia dicebant Hebræi fuisse creata universa; quandoquidem particula διὰ cum genitivo interdum valet *propter*. Alter vero textus significat tantummodo in ordinem fuisse digestas jussu ac verbo Dei mundi partes, & conditas ex non extantibus, cum essent olim in Verbo Dei invisibilia, quemadmodum sunt opera in mente Artificis. Gregorium Nyssenum minus proprie & accurate locutum scribit Petavius lib. III. cap. V. 8. Sed mihi videtur id solum velle, quod Deus principio Aeonas & universum condiderit tanquam conceptaculum rerum visibilium, quia in principio condidit Mundum & Angelos, sed terra erat inanis & vacua, quam postea singularum creaturarum generibus exornavit. In quo nihil est non accuratum, non proprium. Kabalisticæ Valentinianorum argutinculæ flocci sunt faciendæ; tametsi Christus vixisset XXX. annos, quod est alienum a vero: explevit enim XXXIII.; atque his annis male aliquot detrahuntur, male superadduntur a pluribus Recentioribus, ut ostendam opportunius. Io Juda damnato ac perdito homine male designatur Sophia, cujus interitum Horus a Bytho & Sige genitus extra Pleroma impedivit. Cum a Verbo decem fuerint geniti Aeones, quare non sunt pares huic numero Apostoli? aut quare duodecim Aeonibus non addidit Valentinus LXXII. alios numero pares discipulorum? Sed mitto jure ab Irenæo ac Tertulliano irrisas fabulas.

PROPOSITIO III. Fictitium est lumen illud increatum ac sempiternum, in quo Græci Palamitæ jactabant se Deum videre.

Facillime demonstratur argumentatione Joannis Cyparissioti Decade VI. Ejusmodi lux, quæ beatorum corpora circumfulget, ut Græculi isti contendunt, est defluxio & energia manans a divina substantia: Fictitia est defluxio, & energia manans a divina substantia, quæ sit improducta, sempiterna, & distinguatur a divinitate; non enim diversa est Dei natura ab ejus proprietatibus & operationibus: Ergo fictitia est illa lux æterna, & defluens a divina substantia, & quæ ab ea distinguatur. Consimile est argumentum Barlaami, de quo Joannes Cantacuzenus lib. II. cap. 39. Nihil inter Deum & creaturam potest excogitari; nam quidquid est, aut est a se, aut productum ab alio: si est a se, Deus est; si ab alio productum, creatura est: Igitur stultissimæ mentis figmentum erit illa lux sempiterna, increata, & tamen a divinitate distincta. An vero in eo lumine ac defluxione, si daretur, videri posset divina Essentia, videbitur in eo libro, qui proxime ad istum consequetur.

Dices: Meminit increatæ hujus lucis Basilius Hom. 1. in Hexam.

Resp. arcanam, & inaccessam lucem divinitatis, quam Basilius commemorat, esse eamdem divinitatem, & sempiternum Dei filium; de quo ipse Basilius lib. IV. contra Eunomium cap. 1. *Filius*, inquit, *cum splendor sit, non aliquando erit, sed est coæternaliter. Lux enim est Deus, ut David inquit, In lumine tuo videbimus lumen, & Daniel, Lux cum ipso est*. Itaque Basilius lucem illam sempiternam ac splendorem Dei, cujus meminit Hom. 1. in Hexam., non aliam intelligit præter ipsum Deum, & Unigenitum procedentem a Patre.

SCHOLION.

„ Quidam mundum, quidam saltem materiam ab æterno Deo coextitisse autumarunt. Ac de mundi commentitia æternitate in altero agetur volumine. Si autem mundus æternus non est, nec æterna erit materia; quippe percipi nequit hanc per infinita temporis intervalla præextitisse singulis exspoliatam formis. Qui æternam fecerunt materiam, ex qua Deus mundum condiderit, adeo, ut divinæ providentiæ materiam præsto esse oportuerit, non quam Deus fecerit, sed quam habuerit paratam, *ut faber, cum quid ædificaturus est, non ipse facit materiam, sed utitur ea, quæ sit parata, fictorque item cera*, ut in 1. de Nat. Deorum loquitur Cicero: hi profecto indigne sentiunt de Deo. Etenim Deum negant omnipotentem: siquidem faber nihil sine materia ædificat, quoniam ipse materiam procreare non potest; idque imbecillitatis humanæ est, modicæque & limitatæ virtutis. Deus vero, cum fortis sit, & potestatis immensæ, quæ fine & modo caret, potuit materiam producere ex nihilo, eamque sibi parare; quod faber, & fictor ceræ non potest. Quare si ex jam producta materia Deus condidit corporalia, id ipsarum rerum postulabat conditio, non virtutis nullo circumscriptæ limite potestas. Quærit etiam faber aliunde materiam, quam de seipso nequit habere. Cur enim ligna, lapides, ferrum dispendio ac labore perquireret, si penes se haberet? Deum vero aliunde materiam mutuari, cum ex ipso, vel in ipso sint omnia, nefas & absurditas est cogitare. Duo etiam inter se contraria, cujusmodi sunt mens divina, & materies extensa, nequeunt esse coæterna: nam si æquali polleant virtute, invicem collidant necessum est, quod fieri sine discordia & pernicie non potest: si autem unum præpotentius sit altero, ut ab illo pendet agendo, ita pendere debet, ut sit. Aut ergo Deus ex materia ortus est, aut materia ex Deo. *Quid horum sit verius*, inquit Lactantius lib. 2. de Origine erroris cap. 9. *facile est intelligi. Ex his enim duobus alterum sensibile est, alterum caret sensu. Potestas faciendi aliquid non potest esse, nisi in eo, quod sentit, quod sapit, quod cogitat, quod movetur*.

„ Nonnulli tamen materiam æternam dixere, quam *Chaos* poetæ appellarunt. *Auctor Theogoniæ*, seu Generationis Deorum, Hesiodus, Ἤτοι μὲν πρώτιστα, inquit, χάος γένετο, *Primo omnium quidem Chaos fuit*: & Ovidius 1. *Metamorph.*

„ *Ante mare, & terras, & quod tegit omnia, cælum,*
„ *Unus erat toto naturæ vultus in orbe,*
„ *Quem dixere Chaos, rudis indigestaque moles.*

„ Aristophanes item in Avibus apud Suidam, & Lucianum in Philopatride.

„ Χάος ἦν, καὶ νὺξ ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον, καὶ Τάρταρος εὐρύς,
„ *Chaos, & nox primum erat, atque Erebus nigricans,*
„ *& tartarus ingens.*

„ Quidam etiam Hebraicæ linguæ periti putant materiæ productionem in tempore non posse ex *Genesis* exordio demonstrari; atque ubi legitur, *In principio creavit Deus cælum & terram: Terra autem erat inanis & vacua*, idem significari contendunt, ac si dictum fuisset, *In principio, quando Deus condidit cælum & terram, terra erat inanis & vacua*; nempe erat poeticum illud *Chaos*, & *moles indigesta*, quam nuper Aristophanis, & Ovidii verbis descripsimus. Sunt etiam qui negant Hebraicum, Græcumque verbum, quod Latinus interpres vertit, *Creavit*, excludere præexistentiam, atque æternitatem materiæ. Quorum argumenta, quoniam ab Isacio Beausobre in Manichæorum Historia magna contentione proponuntur, attingam modo breviter, ac refellam: de his enim plura dixi adversus hæresim Hermogenianam.

„ Primo itaque ajunt verbo Hebraico ברא, & Græco ἐποίησεν, quæ habentur in primo Geneseos versu, & Latine reddita fuere, *Creavit*, significari duntaxat productionem rerum, non autem creationem, quæ sit ex nihilo; id tradentibus viris doctissimis, Dionysio Petavio lib. 1. de Opificio sex dierum cap. 1. Richardo Simone in Hist. Critica Vet. Testam. lib. 3. cap. 4. Drusio, Clerico, aliisque Comment. in cap. 1. Genesis. Quod ratione item evincunt. Ipsum quippe verbum Hebraicum ברא in eodem capite legitur versu 21. ubi Vulgata nostra habet. *Creavit Deus cete grandia*, &c. quæ tamen producta fuerunt ex aqua: Itemque versu 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam*, scripsit Latinus interpres, quamvis extet in Hebraico Codice verbum ipsum ברא, etiamsi homo formatus fuerit de limo terræ. Verbum autem Græcum ἐποίησε, nihil aliud sonat, quam *Fecit*, *condidit*, *produxit*, non exclusa materia.

„ Respondemus tamen non demonstrari a *nobis creationem ex nihilo* ex grammaticali tantum significatione verbi ברא,

„ seu

„ seu verbi *ἐποίησε*, tametsi quidam in hebraica lingua
„ doctissimi verbum illud ברא significare tradant *producere*
„ *rem ex nihilo*, non materiæ informi addere substantia-
„ lem, vel accidentalem formam; & nihilominus, dum
„ de omnipotenti Deo loquimur, recte idem verbum usur-
„ pari etiam de rebus *ex materia* productis; quoniam ma-
„ teria ipsa nihil confert ad actionem Dei, sed tantum
„ ad rerum corporearum naturam: quod perinde est, ac
„ si dicas, nil obstare creationi, si exigatur materia *indi-*
„ *gentia operis*, non *indigentia operantis*; quemadmodum
„ nostrates loquuntur in Schola Ægidii, peracute quidem,
„ ac verissime. Sed Grammaticali significatione prætermis-
„ sa, dicimus ex primo Genesis versu, nisi vim litteræ
„ inferamus, constare initio temporis Deum creavisse cæ-
„ lum ac terram, terramque istam fuisse *inanem & va-*
„ *cuam*, quum nondum appareret expansio aquarum, non-
„ dum secerneretur arida, neque species ulla rerum, quæ
„ postea in propria, & adspectabili forma conditæ sunt.
„ Quare terra illa *vacua & inanis*, sive, ut Hebræi ajunt,
„ תהו ובהו est illud idem, quod poetæ *indigestam mo-*
„ *lem & chaos*, philosophi autem *materiam* appellaverunt:
„ ideoque cum a Deo creata sit *terra inanis & vacua*,
„ creatum proculdubio est chaos, creata moles informis,
„ creata materia. Unde Augustinus lib. I. de Genesi con-
„ tra Manichæos inquit: *Prima ergo materia facta est con-*
„ *fusa, & informis, quod credo a Græcis Chaos appellari.*
„ *Sic enim & alio loco legimus dictum: Qui fecisti mun-*
„ *dum de materia informi, quod alii Codices habent, de*
„ *materia invisa*. Sap. II. 18. Pejus itaque ceteris poetis
„ Epicharmus Comicus ajebat:

„ *Ἀλλὰ λέγεται μὲν χάος πρῶτον γενέσθαι θεῶν*
„ *Sed Deos primum extitisse fertur ante omnes, Chaos*;

„ Deos non coæternos materiæ asserens, sed posteriores.
„ Ceteras Isaaci Beausobre cavillulas in nostro de Hæ-
„ resibus Opere refutavimus.

CAPUT VI.

De infinita potentia Dei, & de iis quæ ad hanc evertendam possent adduci.

RAbsaces, quem legis suæ desertorem Hebræi putant, eo quod hebraice loqueretur, & ad ejus maledica verba Ezechias sciderit vestimenta, adeo infirmum ajebat esse Dominum Deum Israel, ut non posset liberare Jerusalem de manu Regis Assyriorum. Populares ipsi Judæi in solitudine ausi sunt contra Omnipotentem in hanc blasphemiam erumpere: *Nunquid poterit Dominus parare mensam in deserto?* Ps. LXXVII. In eo quippe detinebantur errore, quod & Dii essent alii apud Gentes, & unus ille, quem colebant, non haberet ubique maximam potestatem. At Deus manifestam reddidit potentiam suam statim post Rabsacis blasphemiam percutiens centum octoginta quinque millia in castris Sennacheribi; & contra murmurantes Hebræos, pluentibus cœlis manna, & aquis de petra fluentibus saluberrimis. De Manichæis jam dictum supra, Deum bonum tam fecisse impotentem, ut non posset malum avertere. De Petro denique Abaelardo scribit Epist. 190. S. Bernardus, soli Patri plenissimam tribuisse potentiam, aliquam tantum Filio, nullam penitus Spiritui Sancto, contra apertissimam divinarum Scripturarum ac Patrum auctoritatem. Ergo adversus horum deliramentum summa Dei potestas est comprobanda, necnon expedienda sunt dubia quædam, quæ a Theologis omnibus solent in hoc argumento promoveri.

PROPOSITIO I. Deus infinitam habet potentiam.

Ita sacra Biblia. Esther XIII. 12. *Domine rex Deorum, & universæ potestatis*. Job. XLII. 2. *Scio quia omnia potes*. Eccles. I. 8. *Unus est altissimus creator omnipotens, & Rex potens*. Matth. XIX. 26. *Apud Deum omnia possibilia sunt*. Ita Patres, Cyrillus Catech. VIII. Nyssenus lib. I. contra Eunomium, Tertullianus de Resurrect. carnis cap. XI. Magnus Augustinus de Fide & Symbolo cap. 2. quorum, aliorumque loca vide apud Petavium lib. V. cap. V. Ita Gentiles Philosophi ac poetæ, quorum collegit dogmata Huetius lib. 2. Conc. c. II. n. XXI.: unde merito S. P. serm. CXXXIX. de Temp. ait: *Non dico, da mihi Christianum, da mihi Judæum: sed da mihi paganum, idolorum cultorem, dæmonum servum, qui non dicat Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest, negare omnipotentem Deum non potest*. Ita demum Theologica ratio, quæ ex multis ab Augustino traditis sic depromitur: I. Deus est universæ opifex creaturæ: Ad creaturæ universæ opificium necessaria est omnipotentia: ergo omnis, plenissimaque potentia tribuenda est Deo: *Ex Sermone* CXIX. *de tempore*. II. Magnam habet Imperator in regno suo potestatem, quia alia jubet, alia permittit: In amplissima, immensaque universæ creaturæ Republica nihil fieri potest quod a summo imperatore Deo, aut non jubeatur, aut non permittatur: Habet ergo Deus in omnia, quæ fieri possunt, plenissimam potestatem: *Ex lib.* III. *de Trinit. cap.* 4. III. Ille est omnipotens, qui potest facere omnia, quæ fieri possunt: Ille potest facere omnia quæ fieri possunt qui semper & immutabiliter est: Ergo qui semper, & immutabiliter est, est Omnipotens. Pr. minor. Ex rebus omnibus quædam fuerunt, quædam sunt, quædam erunt, quædam sunt solum potentia; Igitur virtus producendi omnia est virtus quæ fuit, quæ est, quæ erit: At virtus quæ est, quæ fuit, quæ erit, est virtus summi Dei, qui semper & incommutabiliter est: Ergo qui semper & immutabiliter est habet virtutem faciendi omnia, quæ fieri possunt: *Ex lib.* XXVI. *contra Faustum cap.* 5.

Ut facilius argumentis occurras, quæ possunt ex adverso proferri, animadverte *Impossibile* aliquid dici posse multipliciter. Ac primo impossibile appellatur, ad quod pares vires non suppetunt, ut parvulus exercere nequit athletam, videre catulus, vivere perpetuo animal. Deinde appellatur impossibile, quod ut plurimum non fit, quo sensu ait Matth. V. 15. *Non potest civitas abscondi supra montem posita*. Tertio dicitur impossibile, quod rationi non est consentaneum, aut legi adversatur, ut Gen. 44. 22. *Non potest puer relinquere patrem suum*. Quarto vocatur Impossibile, a quo justa de caussa voluntas est aliena, ut Matth. XIII., & Marc. VI. 5. *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, propter incredulitatem eorum*. V. Impossibile nuncupatur, quod hominibus quidem est tale, non autem Deo, ut concipere virginem, hominem iterato nasci, & qualecunque miraculum perpetrare. Quum ergo dicimus nihil Deo esse impossibile, accipitur impossibile in primo, secundo, ac postremo sensu, non in tertio, vel quarto: quippe certum est Deo plura non convenire, ut posse mori, posse peccare; pluraque fieri ab eo, aut prætermitti, quæ possent alias pro ejus lubitu evenire. Atque rationem reddimus apertissimam; si enim Deus indecora ac prava posset efficere, non esset justus ac sanctus, sed deficiens ac improbus; & consequenter repugnat Deum optimum maximum posse facere quæ rectæ adversantur rationi, & quæ a deficiente & infirma, non a potentissima caussa dependent. Quod si non posset voluntate sua plura, quæ possibilia sunt, non efficere; foret necessarium agens, non liberum, & facultate perfectissimi arbitrii careret.

Opponés I. Deus non potest mori, non mentiri, non peccare, non facere quod res jam præterita non fuerit, non immutare & evertere naturas rerum. Ergo non potest omnia.

Resp. neg. consequentiam. Quæcunque enim memorata sunt nequaquam posse, non infirmitatis argumentum est, sed potentiæ, quod de singulis breviter quidem, sed ratione probaturus sum validissima. Quantum ad potentiam moriendi, optime respondet Estius dist. XLII. §. 2. ac Sylvius Q. XXV. art. IV. Deum dici omnipotentem secundum potentiam activam, & non secundum potentiam passivam; quæ est imperfectio consectaria materiæ: Atqui posse pati, mori, angeri, mutari, passionem, non actionem significant: Ergo nullatenus ad Dei spectant omnipotentiam. Ac Sylvius hæc acceperat a D. Thoma II. contra Gen. cap. 25., cujus doctrinæ fidelissimus est interpres. Addo hæc primo tradidisse Augustinum, qui lib. V. de Civit. Dei cap. X. ait Deum esse omnipotentem *faciendo quidquid vult, non patiendo quæ non vult*. Et quidem si posse mori non imbecillitatis esset, sed potestatis; nonne immortalis anima, atque Angelici Spiritus forent pecudibus, natisque ad corruptionem corporibus deteriores? Vere itaque Deus est omnipotens, quia mori ac pati non potest; nam quod patitur & moritur, impotens est.

Idem dicendum est de potentia fallendi ac peccandi. Quod primum ostendo, quoniam mendacium & peccatum non caussam effectricem habent, sed deficientem, quum defectum importent ac privationem: deinde istam argumentationem propono: Sicut ens quod potest excidere ab ente, non est summum ens; ita potentia, quæ potest excidere a veritate & a bonitate, non est summa potentia; etenim summa potentia est summum ens, & veritas pariter ac bonitas sunt aliquod ens: Atqui posse mentiri, & posse peccare, est posse excidere a veritate, & bonitate: Ergo posse mentiri & peccare non est summa Potentia. Quapropter S. P. serm. CIX. de Temp. inquit: *Non potest mori, non potest peccare, non potest mentiri, non potest falli: tanta non potest, quia si posset, non esset omnipotens*. Idem habet lib. V. de Civit. Dei citato loco, & serm. de Symb. ad Catech. cap. I. Neque dicas, hæc nullam importare contradictionem, quum homo & fallatur, & mentiatur, & moriatur: confestim enim repono, equidem non implicare si conferantur cum creatura, quæ potentiam habet passivam, & deficere potest ab *esse*; at non ita est, si comparentur cum summa potentia, quæ nulla ratione, ut dixi, ab ullo *esse* potest excidere.

De rebus præteritis non una est Theologorum sententia. Nam S. Petrus Damian. Opusc. XXXVI. nititur probare, quod Deus omnipotens illud quoque possit efficere, ut compressa virgo non sit compressa. Ita docet Gilbertus Porretanus in lib. de Trinit. & Guilem. Autissiodor. in Summa: quibus subscribit Gregorius noster Arimin. dist. XLII. art. 2. quæst. I. quamquam Frid. Gavardi affirmet Gregorium instituere disputationem de re præterita non *reduplicative*, & in sensu composito, nempe prout sub præteritione consistit, sed in sensu diviso, & præteritione præcisa: quo

sensu quæstionem dirimit etiam Gaspas Juenin differt. IV. quæst. IX. cap. I. sed Theologi & numero & eruditione præcipui negant unanimiter spectare ad infinitam potentiam, ut efficere possit non fuisse, quæ fuerint. Neque in hac quæstione diutius immorabor: cum apertissime illam definiat S. Pater Augustinus lib. XXVI. contra Faustum cap. V. dicens: *Quisquis dicit, Si omnipotens est Deus, faciat ut quæ facta sunt, facta non fuerint; non videt hoc se dicere, Si omnipotens est, faciat, ut quæ vera sunt, eo ipso, quo vera sunt, falsa sint. Potest enim facere quod aliquod non sit quod erat, tunc enim facit ut non sit, quando id esse invenerit, de quo fiat; ut cum aliquem, qui cœpit esse nascendo, facit non esse moriendo, hoc enim factum invenit, de quo fieret. Quis autem dicat, ut id quod jam non est, faciat non esse? Quidquid enim præteritum est, jam non est: quod si & de ipso fieri aliquod potest, adhuc est, de quo fiat.* In his autem Augustini verbis putant quidam, alioquin docti viri, aperte distingui duplex illud præteriti genus quod commemoravi, præcisa scilicet præteritione, & ea consistente. Sed ego hebes ingenio hanc discrepantiam non video: imo neque sine præteritione præteritum cogitare possum; quemadmodum sine humanitate hominem, sine productione rem productam, sine divinitate Deum nequeo aliqua ratione comprehendere. Quod si creaturam transactam, aut præsentem, aut futuram ab omni sejunxeris temporum differentia, non aliam mihi ideam suggeris, quam creaturæ; ad quam producendam validissimam esse potentiam Dei nemo potest rationabiliter dubitare. Dicendum ergo implicare, & a nullo hominum ratione prædito posse intelligi, nunquam fuisse quod fuit aliquando; neque in disputationem vertendum esse, num possint fieri quæcunque fieri non possunt. De quibus si lubet, ut fit interdum, raptis extra orbitas cavillari; nostratum manibus teruntur pro Ariminensis sententia argumentationes Hyacinthi Tonti Theologi atque Concionatoris clarissimi, ad cujus laudum cumulum parum posset accedere, si verborum delectum, & ingenii servasset severiorem moderationem.

Naturas autem rerum esse immutabiles fateor, si in ideis ac notionibus inspiciantur, sive ut Scholæ utamur vocabulis, in prædicatis essentialibus: non enim ita acceptæ sunt aliud, quam perceptiones animæ, quæ ad regulam exiguntur divini luminis & incommutabilis veritatis. At si accipiantur ut existunt, & in rerum creatarum serie constituuntur; quisquis illas diceret immutabiles, ipse naturas rerum perverteret. Etenim potest Deus aquam in vinum, in sanguinem, in vaporem ignis convertere, potest suscitare de lapidibus filios Abraham, potest universi ordinem immutare: & fictitia est ac repugnans perceptio immutabilis creaturæ; quæ eo ipso, quo creatura est, non potest non esse mutabilis.

Opp. 2. Dei potentia, & Dei voluntas idem sunt, atque, ut Augustinus scribit cap. 96. Enchirid. *Non ob aliud Deus veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult, potest.* Sed Deus non vult omnia: Igitur nec omnia potest.

Resp. Omnipotentiam, & voluntatem Dei idem esse realiter & in se, non autem connotative; illa namque consignificat omnia possibilia, hæc definita tantum, ac volita. Augustinus vero idcirco affirmat Deum esse omnipotentem, quoniam quidquid vult illud potest; non quod Dei potentia concludatur voluntate, sed quod ex voluntate possit apertissime demonstrari. Nam si probatur creaturæ imbecillitas, ex quo impediri possit quod ipsa vult; probatur optime summa potentia Dei, ex quo impediri non possit quod Deus vult: & propterea S. P. immediate ait: *Nec voluntate cujuspiam creatura voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Habes in eodem Enchirid. libro cap. 95. hæc alia Augustini verba, quæ omnem tollunt dubitationem: *Tunc in clarissima luce sapientiæ videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur: quam certa & immutabilis, & efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit, & non velit, nihil autem velit quod non possit, quamque sit verum quod in Psalmo canitur, Deus autem noster in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit fecit. Quod utique non est verum, si aliqua voluit & non fecit; & quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Attamen ut plane proposita dubitatio expendatur, sit

PROPOSITIO II. Potest Deus plura facere, quæ non facit.

Spectat hæc prop. ad fidem, eamque defendunt Catholici omnes contra Abaelardum, & Wiclefum, quibus addit Estius Calvinum, qui tamen fatetur in lib. de vera Religione, posse Christum, si vellet, panem in suum corpus convertere; ideoque ab hoc errore immunem fuisse putant Juenin differt. 4. cap. 2. & Petavius lib. v. cap. 6. n. XVII. Calviniani tamen asserunt, quod revera natura rerum non patitur, ut panis substantia in corpus Christi convertatur; & forta non est ubique sibi constans eorum antesignanus; neque errat Estius, qui errorem Calvini distinguit ab errore Wiclefi; iste enim hoc nititur fundamento, quod Deus agat necessitate naturæ; Calvinus vero quod agat necessitate justitiæ, ac sapientiæ suæ, quæ non patiuntur res alio ordine fieri, quam prout institutum est, etiamsi consequatur libertatis exitium, & peccandi necessitas. Præ ceteris hanc quæstionem pari eruditione, & copia dissolvunt Hugo Victorinus de Sacram. Fid. lib. I. p. 2. cap. ultimo, Thomas Valdensis Tom. I. lib. I. art. I. cap. 10. laudatus Estius Dist. 43. Petavius citato lib. v. cap. 6. Sylvius Quæst. XXV. art. 5. Greg. dist. XLII. quæst. I. &c.

Atque probatur I. Plura Deo possibilia esse divina narrat Scriptura, nec tamen usquam leguntur facta: Ergo præter ea, quæ facta sunt, potest Deus summe potens multa facere. Prob. ant. Sap. XI. 18. habetur: *Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia invisa, immittere illis multitudinem ursorum, aut audaces leones, aut novi generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes.... Sed & sine his uno spiritu poterant occidi, persecutionem passi ab ipsis factis suis, & dispersi per spiritum virtutis tuæ; sed omnia in mensura & numero, & pondere disposuisti*, II. Maccab. VIII. 18. *Potest & venientes adversum nos, & universum mundum uno nutu delere.* Matt. III. 9. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Ubi tametsi lapides in Abrahæ filios commutandi figurato loquendi genere designant gentes ad fidem venturas, non tamen si litteraliter accipiantur, excedunt divinæ potentiæ mensuram: quum Isajæ LI. I. effœti Abrahami senius cavernæ ac lapidi comparetur: neque difficilius sit Deo hominem excidere ex lapide, quam Isaac procreare ex infecundis senibusque parentibus. Et cap. XXVI. 53. ita Christus Petrum alloquitur: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Ubi satis erat duodecim Angelos Apostolis comparare, vel unum ad perdendos hostes accersere; sed duodecim legiones nominavit, ut Patris potentiam ostenderet. Porro neque immisit Dominus in Ægyptios ursorum multitudinem, aut leonum, neque nutu universum mundum delevit, neque suscitavit ex lapidibus filios Abraham, neque legiones Angelorum in sui defensionem adscivit: Narrat ergo divina scriptura omnipotentem Dominum plurima posse, quæ nunquam perfecit.

Probatur ex PP. inter quos Athanasius lib. III. contra Arianos: *Poterat*, inquit, *etsi nunquam advenisset Christus, solummodo loqui Deus, & maledictionem solvere. Poterat etiam ab initio Salvator advenire, & cum advenit, non tradi Pilato.* Hieronymus in Comment. ad cap. I. Isajæ: *Qui tantorum signorum patrator est, & cœlum terrasque & maria suo facit servire nutui, etiam ipse crucem evadere potuit.* Pro omnibus sit Augustinus, qui in Opusc. ad Marcellinum cap. I. ait: *Absurdum tibi videtur dici, aliquid fieri posse, cujus desit exemplum; cum sicut credo non dubites, nunquam esse factum, ut per foramen acus camelus transiret: & tamen illa hoc quoque dixit Deo esse possibile: legas etiam duodecim (millia) legiones Angelorum pro Christo, ne pateretur, pugnare potuisse, nec tamen factum: legas fieri potuisse, ut semel gentes exterminarentur a terra quæ debetur filiis Israel; Deum tamen id paullatim fieri voluisse; & alia sexcenta possunt occurrere, quæ fieri potuisse, vel posse fatemur, & eorum tamen exempla, quod facta sint, proferre nequeamus.* Vide ejusdem libri cap. XXXV. De qua Augustiniana sententia scribit Petavius citato loco n. X. peremptoriam esse, & cum litem omnem, quæstionemque dissolvere, tum subtiles quorumdam nugas & ineptias discutere.

Nec theologicæ desunt rationes; quarum sit prima: Cum omnes creaturæ simul finitæ sint, non potest earum productione exhauriri infinita Creatoris potentia: Ergo præter ea, quæ creat & facit, nova semper, semperque creare potest, & facere. Altera: Si Deus non posset nisi quæ facit, ergo non potuit præservare Adam a transgressione, nec Davidem ab adulterio, neque a perditione Saulem: non potuit emollire cor Pharaonis, convertere Achab, trahere Judam ad pœnitentiam: non potuit descendere de cruce, non signum dare petentibus Scribis, non montem in medium maris transferre: quæ si vera sunt, tollitur gratia, perit libertas, cessat meritum: & inevitabilis est rerum omnium eventus, exscusabilis Pharisæorum pervicacia, necessaria reproborum malitia; quæ omnia quantum absurda sint, nemo est qui non videat. Postrema ratio hæc sit: Deus potest facere ut terra tremat, ut pluat manna, ut sistant se aquæ fluminum, ut tenebræ fiant super universam terram, ut scindantur petræ, & alia innumera, quæ fecit olim in diebus Mosis, Josue, Oziæ, extremoque tempore mortis suæ; vel hæc patrare non potest: Si non potest; suam ergo perdidit omnipotentiam: Si potest; ergo potest aliqua, quæ non facit. Non enim renovantur modo prædicta, aliaque signa, quæ certum est præcessisse.

Opp. I. Matth. XXVI. 39. ita Christus Patrem est adlocutus: *Si possibile est, transeat a me calix iste*: scilicet, subtrahe me, si fieri potest, ab imminente crucis supplicio: Atqui non transiit a Christo calix, neque eum Pater a teterrima morte subtraxit: Ergo erat id impossibile. At quare Pater Filium non subtraxit a morte? Profecto quia pro humani generis salute eamdem mortem decreverat. Est igitur impossibile quidquid Deus facere non decrevit, quidquid altissimæ sapientiæ suæ consilio non vult.

Resp. dist. cons. Ergo erat impossibile absolute, & impossibilita-

sibilitate primi generis, idest virium defectu, nego. Impossibilitate quarti generis, idest repugnante decreto, & voluntate Patris, concedo. Vide praenotata proposit. I. Quando Christus ait: *Si possibile est*, non dubitavit an posset Pater ipsum a morte subtrahere; sunt enim apud Deum omnia possibilia, ut habetur Mat. XIX. 26. sed ait, si possibile est ordinata potentia, consistente cum aeterno decreto, quod perinde est, ac si dixisset, *si vis*. Eximit omnem scrupulum Lucas XXII. 42. ita Christi orationem enarrans: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me: Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*. Quam responsionem non soli tradunt Scholastici, & sacri Interpretes, verum & Grotius in hunc locum Commentario, quod propter hodiernos haereticos dignum est ut producatur. *Quomodo autem cohaeret conditio illa εἰ δυνατόν ἐστι*, si possibile est, *quam cum Matthaeo etiam Marcus ponit, cum eo quod apud Marcum sequitur πάντα δυνατά σοι*, omnia tibi possibilia sunt? *Nimirum recurrendum hic est ad illam tritam in scholis distinctionem, ejus quod ἀδύνατον*, impossibile, *sit per se*, & *ejus quod ἀδύνατον* impossibile, *sit hoc, vel illo posito. Nam per se nihil est Deo ἀδύνατον* impossibile, *extra ea quae sunt in semetipsis ἀσύστατα* repugnantia, *aut quae divinae naturae repugnant. At sensus est, si tua decreta ferunt ut alio modo tuae gloriae, & hominum saluti aeque consulatur*. Doctissimus Estius Comment. in loca difficiliora Scripturae addit Christum non dixisse, *Si possibile est tibi*, quemadmodum patet habentis spiritum mutum apud Marcum IX. 21. ait, *si quid potes, adjuva nos*: quod utique aliqua videretur de divina potentia haesitatio: sed ait Christus, *Si possibile est*, nempe, in se non repugnans propter paterni decreti consistentiam. Uno dicam verbo: Deus omnia potest absoluta potentia, non ordinara, & supposita voluntate; quae non esset, si posset revocari, immutabilis.

Opp. 2. Deus non potest facere nisi ea, quae praevidit, nam si posset facere quae non praevidit, posset absque providentia operari: Atqui praevidit ea sola, quae facit: Ergo ea sola quae facit, haec potest.

Resp. eodem pacto dist. ma. potentia ordinara, & supposita praescientia, concedo: potentia absoluta, nego. Potest absolute Deus facere quidquid non repugnat; fecit autem quod solum praescivit & praeordinavit. Itaque ex praesentia ac providentia infertur tantum ea non esse futura quae non fuerunt praevisa, minime vero non esse possibilia: nam poterat Deus alia praeordinare ac praescire. Vide loco cit. Victorinum. At forte inquies: Sapientia Dei est immutabilis: non ergo poterat Deus alia praevidere. Utique sapientia Dei est immutabilis, sed non est ad unum, vel alterum determinata. Dicitur de Deo sapientia, dicitur & praesentia: sapientia respectu omnium penitus rerum, praescientia respectu futurarum. Itaque sola praescientia quamdam habet in connotatis terminationem: at quatenus in Deo sunt, nullum est inter utramque discrimen: sed mutabilitas est penes solas creaturas, quae ideo sunt futurae quia sunt praevisae; & poterant non esse futurae, quia poterant non esse praevisae, constante eadem providentia in eo ut non fierent, sicut modo in eo consistit ut fiant.

Opp. 3. Hieronymus Dialogo primo contra Pelag. affirmat, illud tantum esse possibile, quod est futurum.

Resp. Hieronymum loqui de eo quod est possibile homini, contra Pelagianos, qui jactabant posse hominem vivere sine peccato; & quos redarguit ex ipsa hominum imbecillitate satis experimento manifesta. Ceterum posse Deum tantam gratiam elargiri, si vellet, ut quilibet omne prorsus evitaret peccatum, qualem habuit Sanctissima Dei Genitrix, idem Hieronymus tradit lib. 2. contra Pelagianos cap. 6. laudatque Augustinum, qui idem affirmat lib. 2. de peccatorum meritis cap. 6. 14. & 17. Unde retorqueri potest argumentum: Potest Deus specialissimae gratiae beneficio hominem toto vitae tempore ab omni prorsus peccato immunem reddere, nec tamen id praestat: Potest ergo praeter ea, quae actu exequitur, alia complura.

PROPOSITIO III. Potest Deus facere meliora iis, quae fecit.

Sequitur ex dictis, & probatur. I. Quia Apost. ad Eph. III. 20. ait Deum posse omnia facere praeter ea quae facta sunt hactenus, & supra ea quae possumus cogitare: *Potens est*, inquit, *omnia facere superabundanter quam petimus*, & *intelligimus*. Ubi in Graeco codice habetur τῷ δὲ δυναμένῳ ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ, &c. Repetitur particula ὑπὲρ *super*, ac primo dicitur ὑπὲρ πάντα *super omnia*, deinde ampliori auxesi ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ, *superabundanter*; quorum primum refertur ad opera, alterum ad cogitationem nostram; & consequenter ostenditur Deum posse & meliora his, quae facta sunt, & meliora iis, quae aut petere audeamus, aut cogitare.

Deinde probatur ex Patribus. Constat enim ex Augustino & Hieronymo, ut nuper diximus, posse Deum facere ut humana voluntas ope adjuvante divina in nullum prolabatur peccatum, ut immortalitate cum animae, tum corporis rationalis creatura sit praedita; atque, ut ait Dionysius VIII. de divinis nominibus, infinitas virtutes ab iis, quae jam conditae sunt, in infinitum perfectiores producere. Quae tamen omnia, ut admonui, intelligenda sunt juxta absolutam potentiam, non vero hac providentia supposita. Quis enim hoc statuto rerum ordine dubitet, quin providentissima majestas id effecerit, quod melius erat, & rectius? Huc spectant omnes rationes superius productae, praecipue quod nullo opere quantumvis perfecto ac mirabili infinita exhauriri potest omnipotentia: & ea insuper, qua utitur S. Pater contra Manichaeos II. de Civit. Dei 22. quoniam si Deus optima quaeque produceret, ut non posset addere meliora; omnia a visibilibus usque ad invisibilia forent aequalia, & nil praeter angelos vel homines procreasset.

Opp. 1. Ut asserit lib. LXXX. Quaest. 50. S. Pater, si Deus potuisset gignere Filium sibi aequalem, nec genuisset, fuisset invidus. Ergo si potuisset procreare meliora, nec procreasset, invidus pari ratione fuisset.

Resp. neg. cons. ac paritatem: Aequalitas enim naturae debetur filio, omnis enim generatio in naturae similitudinem fieri debet; & consequenter nequit pater, nisi invidus sit, filio suo perfectionem vel minimam denegare: quae ratio de rebus creatis non militat, quibus nulla perfectio debetur, sed quamcumque habent, beneficium est ex liberalitate Conditoris. Praeterea invidentia, quae est odium felicitatis alienae, ut eam definit S. P. in Psal. CIV. 17. locum non habet in iis, qui nullum bonum vel malum possunt ex aliis capessere, neque in iis, qui maxime distant: ideoque non potest Deus esse invidus creaturis, quae nihil possunt divinae detrahere felicitati, atque immensum ab eo conditione ac dignitate recedunt.

Si dicas Augustinum in 4. de Gen. ad lit. cap. 16. eodem modo de Filio Dei, ac de omnibus creaturis ratiocinari; nam ait: *Si bona facere posset Deus nec faceret, magna esset invidentia*;

Estius, Sylvius, Juenin reponent minus esse auctoritati horum librorum attendendum. Revera de his scribit S. P. II. Retract. cap. 24. *In quo opere plura quaesita, quam inventa sunt; & eorum quae inventa sunt pauciora firmata: cetera vero ita posita, velut adhuc requirenda sint*. Sed respondere etiam possumus, Augustinum loqui supposita hac providentia, & consistente decreto definitam perfectionem unicuique rei tribuendi; quam, cum sit immutabilis, & invidentiae, sicut & cujusque passionis, expers, quadam consequente necessitate eo modo, quo libere definivit, largitur. Nam in III. de libero arbitrio cap. IX. utrumque distinguit, & posse Deum producere meliora, & posito hoc ordine creaturarum, invidum esse, qui velit aliquam interire: *Si dixerit*, inquit, *non erat tamen difficile aut laboriosum omnipotenti Deo, ut omnia quaecunque fecit sic haberent ordinem suum, ut nulla creatura usque ad miseriam perveniret; non enim hoc aut omnipotens non potuit, aut bonus invidit: respondebo, ordinem creaturarum a summa usque ad infimam gradibus justis ita decurrere, ut ille invideat qui dixerit, Ista non esset; invideat etiam ille qui dixerit, Ista talis esset. Si enim talem vult esse qualis est superior, jam illa est, & tanta est, ut adjici ei non oporteat, quia perfecta est. Qui ergo dicit, Etiam ista talis esset, aut perfecta superiori vult addere, & erit immoderatus & injustus; aut istam vult interimere, & erit malus, atque invidus*. Quae, & alia, quae ibidem Augustinus disertissime disputat, haud obscure probant Deum ea fecisse quae statuto providentiae ordini congruunt, neque possunt absque malevolentiae nota immutari.

Opp. 2. Deus est optimus: sunt ergo optima quaecunque facit.

Resp. dist. conseq. sunt optima, idest praeintento fini, decretoque ordini maxime congruentia, concedo: sunt optima, idest naturam habent, conditionemque praestantissimam, nego.

Si insurgas, ex opere artificis sapientiam, ac prudentiam pensari:

Dico non elucescere infinitam Dei virtutem in creatis operibus, si unice illorum attendatur substantia, quae finita est, & in comparatione Auctoris sui, *tamquam nihilum*: sed optime intelligi ex modo, & ratione producendi; cum enim supremus artifex neque materia, neque temporis intervallo, neque caussarum aliarum subsidio ad quaeque vel maxima moliendum, opus habeat, hinc satis ejus virtus ac sapientia splendescit: atque, ut ait S. Pater II. de Civit. Dei cap. 22. *Deus ita artifex est magnus in magnis, ut minor non sit in parvis: quae parva non sua granditate, nam nulla est, sed artificis sapientia metienda sunt*.

Si objicias ex artefactis hominum peritiam scientiamque aestimari;

Resp. id esse primo, quia cum homines materia, instrumentis, & aliorum egeant ministerio, nequeunt propriam ostendere industriam, nisi in artefactis elaborandis: deinde quia, cum hominum ars & sapientia non sit essentialis, perfectioribus operibus & ipsa perficietur, ideoque ex his aestimatur. Contra Deus summopere commendatur ex modo in minimis quoque, ut diximus, infinito: &, cum sit perfectissimus essentialiter, neque artem acquirit, neque proficit operando, neque laudari proinde debet ex sola suorum operum conditione.

SCHOLION.

„ Circa Dei omnipotentiam nonnulla omisimus, quæ minime videntur necessaria, & nonnulla etiam addimus quæ ignorari non debent. Quoad primum, abstinuimus ab ea quæstione, An creaturis communicari possit divina omnipotentia: quum ex ipsa *omnipotentiæ* idea, qua summam percipimus Potestatem, quæ nullo effectu exhauritur, nulloque circumscribitur termino, atque ex notione creaturæ, quam cum in essentia, tum in agendi virtute finitam esse cognoscimus, absque ulla hæsitatione percipiamus non posse hujus imperfectioni congruere potentiam nullis finibus coarctatam. Neque agitandam quæstiunculam aliam putavimus, Possit ne Dei omnipotentia naturali demonstratione probari, cum eadem ratione de essentia Dei, & de quolibet ejus attributo, ratiocinandum esse constet. Idem Homerus in octavo Iliadis libro Summum Deorum tanta potentia præditum esse affirmat, ut possit universam Deorum Dearumque turbam de cœlo dejicere, ipse vero nulla vi deturbari queat, & ratione aliqua præpediri. Est autem locus pulcherrimus, quique prætermitti non debet:

„ Κέκλυτέ μευ πάντες τε θεοὶ, πᾶσαί τε θέαιναι,
„ Ὄφρ' εἴπω τά με θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι κελεύει.
„ Μήτε τις οὖν θήλεια θεὸς τόγε, μήτε τις ἄρσην
„ Πειράτω διακέρσαι ἐμὸν ἔπος. ἀλλ' ἅμα πάντες
„ Αἰνεῖτ' ὄφρα τάχιστα τελευτήσω τάδε ἔργα.
„ Ὃν δ' ἂν ἐγὼν ἀπάνευθε θεῶν ἐθέλοντα νοήσω
„ Ἐλθόντ', ἢ Τρώεσσιν ἀρηγέμεν ἢ Δαναοῖσι,
„ Πληγεὶς οὐ κατὰ κόσμον ἐλεύσεται Οὔλυμπόνδε.
„ Ἤ μιν ἑλὼν ῥίψω ἐς τάρταρον ἠερόεντα,
„ Τῆλε μάλ', ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον,
„ Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδὸς,
„ Τόσσον ἔνερθ' ἀΐδεω ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.
„ Γνώσετ' ἔπειθ' ὅσον εἰμὶ θεῶν κάρτιστος ἁπάντων.
„ Εἰ δ' ἄγε πειρήσασθε θεοὶ, ἵνα εἴδετε πάντες.
„ Σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες,
„ Πάντες δ' ἐξάπτεσθε θεοὶ, πᾶσαί τε θέαιναι.
„ Ἀλλ' οὐκ ἂν ἐρύσαιτ' ἐξ οὐρανόθεν πεδίονδε
„ Ζῆν' ὕπατον μήστωρ', οὐδ' εἰ μάλα πολλὰ κάμοιτε.
„ Ἀλλ' ὅτε δὴ καὶ ἐγὼ πρόφρων ἐθέλοιμι ἐρύσσαι,
„ Αὐτῇ κεν γαίῃ ἐρύσαιμ' αὐτῇ τε θαλάσσῃ.
„ Σειρὴν μέν κεν ἔπειτα περὶ ῥίον Οὐλύμποιο
„ Δησαίμην. τὰ δέ κ' αὖτε μετήορα πάντα γένοιτο.
„ Τόσσον ἐγὼ περί τ' εἰμὶ θεῶν, περί τ' εἰμ' ἀνθρώπων.

„ Quæ ita latine sonant.
„ *Audite me & omnes Dii, & omnes Deæ,*
„ *Ut dicam quæ me animus in præcordiis jubet.*
„ *Ne qua igitur fœmina Dea hoc, neque aliquis mas*
„ *Tentet rescindere meum verbum: sed simul omnes*
„ *Assentimini, ut celerrime perficiam hæc opera.*
„ *Quemcunque vero ego seorsum Deorum ultro intellexero*
„ *Profectum, ut vel Trojanis auxilium ferat vel Danais,*
„ *Sauciatus indecore redibit in olympum.*
„ *Aut ipsum correptum projiciam in tartarum tenebrosum*
„ *Procul valde, ubi profundissimum est barathrum,*
„ *Ferreæque portæ, & æreum limen,*
„ *Tantum infra orcum, quantum cœlum distat a terra.*
„ *Cognoscet deinde, quanto sum Deorum potentissimus omnium.*
„ *Agite, periculum facite Dii, ut cognoscatis omnes.*
„ *Catena aurea de cœlo suspensa,*
„ *Omnes ex ea pendete Dii, omnesque Deæ.*
„ *At non traxeritis de cœlo in terram*
„ *Jovem summum consiliarium, etiamsi plurimum laboraveritis.*
„ *Verum quando jam ego lubens voluero trahere,*
„ *Cum ipsa terra traxero, ipsoque mari:*
„ *Catenam quidem dein circa cacumen olympi*
„ *Alligavero: illa vero sublimia omnia pependerint.*
„ *Tanto ego & supero Deos, & supero homines.*

„ Hæc poetice de summo Jove dicta ab Homero demonstrant ipsos quoque Gentiles naturali lumine cognovisse Dei maximi omnipotentiam; meritoque ait serm. 139. de Tempore S. P. Augustinus, *Da mihi paganum, idolorum cultorem, dæmonum servum, qui non dicat Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest, negare omnipotentem Deum non potest.* Dei enim omnipotentiam humana ratione intelligimus, Deum vero factum hominem solius fidei revelatione didicimus.

„ Illud, quod addendum putamus, est, neminem ignorare debere, ad Omnipotentiæ rationem spectare, ut Deus facere possit quidquid vult. Nam si velit, & quod vult nequeat facere, infirmus est, non omnipotens. *Neque veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quidquid vult potest*, inquit in Enchiridio ad Laurentium cap. 96. sapientissimus Augustinus. Hinc eruas, oportet, quam a veritate aberraverint, qui ætate hac nostra dogmatizarunt Deum non esse omnipotentem in ordine ad consequendam æternam salutem, etiamsi velit omnes homines salvos fieri: nec repugnare, quin detur aliqua creatura adeo pervicax, quæ omnibus Omnipotentis Dei auxiliis gratiarum, quantumvis efficacibus, resistat, & obluctetur. Agnoscuntne ista eructantes supremi Numinis omnipotentiam?

CAPUT VII.

Quod Deus sit verax, nec possit homines in errorem inducere.

NON omnia hoc loco ad crisim revocabimus, quæ in sacris literis primo aspectu videntur esse mendacia; sed ea tantum quæ directe opponi possent contra divinam veracitatem. Sive enim exempli caussa Abraham, Jacob, Judith, Nathan, aut Prophetarum alii quandoque ut homines mentiti fuerint, nec ne, non est hujus loci disserere. At si proferri possunt quæ a Deo vel per se, vel per alium falso sint prænuntiata, evertantque hoc divinæ attributum veracitatis, ea hoc loco sibi vindicant sedem. Dabo tamen quasdam regulas ad cetera quoque explicanda, quæ ad Prophetarum, sanctorumque hominum prædictiones intelligendas magnopere deserviant; posteaquam sequentem firmavero positionem.

PROPOSITIO: Deus est summe verax, neque potest esse seductor, aut auctor mendacii.

Theologi omnes hanc thesim propugnant, sed breviter & nervose Canus lib. 2. cap. 3. Gregorius Ariminensis dist. XLII. Quæst. 2. Petrus Annatus lib. 2. de divina Script. art. XII. Aurelius Piette Tom. III. quæst. IV. de Fide, & alii, quos omitto. Et probatur I. divinis Scripturis: in quibus habetur Num. XXIII. 19. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur.* Ad Roman. III. 4. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* 2. ad Timoth. II. 13. *Fidelis permanet, negare seipsum non potest.* Ubi *fidelis*, & *verax* eadem significatione usurpantur, ex Græcis codicibus, in quibus πιστὸς idem est ac ἀληθής: & ea propter tam Græci, quam Latini dicunt ψεύδεσθαι, *mentiri* eum, qui fidem fallit.

Deinde probatur ex Patribus. Chrysostom. Hom. XXXVIII. in Joan. *Mentiri*, inquit, *non potest Deus*. Ambros. ad Chromat. *Nunquidnam mentitur Deus? Sed non mentitur, quia impossibile est mentiri Deum. Impossibile autem istud nunquidnam infirmitatis est? Non utique.* S. P. Augustinus XXII. de Civit. Dei 15. *Si velint invenire quid omnipotens non potest; ego dicam mentiri non potest.* Consentiunt Gentiles Philosophi: quos inter Plotinus lib. Enn. VI. 8., & Proclus lib. I. Platon. Theol. cap. 17. diserte, & acute probant Deum non posse ullius mendacii, vel fraudis esse caussam; atque Simplicius, & Alcinous, Deum *Veritatis* nomine appellaverunt, *quod veritatis omnis ita sit principium, ut sol omnis luminis*, inquit Huetius.

Argumentum a ratione petitum, & quidem validissimum, vide præcedenti cap. Prop. I. Diximus enim Deum, cum sit summum ens, nulla ratione posse excidere a veritate; alias potentiam passivam haberet, & perquammaximam imbecillitatem. Quod argumentum potest consimilibus roborari. Ac primo; nam si Deus est summum ens, debet esse summe bonus, summe verax, summe potens, summe in unoquoque genere perfectionis excellens: Ita est summe bonus, summe potens, summe perfectus, ut nulla in ipso sit malitia, nulla imbecillitas, nullus defectus: Ergo ita est summe verax, ut nullus in eo esse queat error, nullum mendacium, nulla fraus. Deinde: Repugnat Deo quod intrinsece malum est, & ab ipso vetitum; Mentiri intrinsece malum est, ac vetitum: Ergo Deo repugnat mentiri. Denique; Ea est creaturarum imbecillitas, ut deserere interdum possit veritatem, quoniam obnoxia est affectionibus, & nunquam facultate ac virtute sua in eodem permanet statu: Igitur Deus permanens, immutabilis, eadem semper volens, habet natura sua, ut sit fallere, & falli perpetuo & incommutabiliter impotens. Propterea citato Numerorum loco cum dixisset Moses: *Non est Deus ut homo, ut mentiatur*, subdit e vestigio: *Nec ut filius hominis, ut mutetur.* Et Matth. XXIV. 36. ut prædictionum suarum certissimus expectaretur eventus, ait Christus: *Cælum, & terra transibunt; verba autem mea non transibunt*; idest, fieri potest ut cælum & terra deficiant, non autem ut irrita fiant verba mea: quam interpretationem ostendit Lucas cap. XVI. 17. dicens: *Facilius est autem cælum & terram præterire.* Matthæi phrasis derivata est a proprietate Hebraicæ linguæ, in qua cum non habeatur modus hypotheticus & subjunctivus, pro *transirent*, usurpatum est futurum indicativi.

Opp. 1. Non semel Deus mentitus est: nam Genes. 4. Caino timenti ne occideretur, ait: *Nequaquam ita fiet*, & tamen occisus est a Lamech. Jonas cap. 3. Jubente Deo prædixit post quadraginta dies Ninivem subvertendam, nec tamen diruta est. Christus Dominus Marci XIII. 32. ait se diem, & horam extremi judicii nescire, & nihilominus omnis in eo est scientiæ plenitudo: & Joann. VII. 8. rogatus ut templum ascenderet: *Ego*, inquit,

quit, *non ascendo ad diem festum istum*: atque ascendit tamen. Falsum est ergo Deum nunquam protulisse mendacium.

Resp. nego ant. Ad Caini factum respondet Annatus, utique fuisse occisum a Lamecho: at Deum non prædixisse Caino nequaquam occisum iri, sed tantum id non esse eo modo futurum, quo Cain timebat; nam neque a primo occurrente vulnus accepit, neque ex intentione ipsum Lamech interemit, sed inter aucupium, & in venando, cum crederet feram telo confodere. Quod & Hieronymus ex traditione Hebræorum scribit Epist. 125. ad Damasum, & plurimi etiam tradunt Interpretes. Sed verior est responsio, Cainum, tametsi eam promereretur mortem, uti propria ipsum monebat conscientia, & naturæ dictatum, *ut quisque ferat quæ fecit*, Deo tamen clementissime exiguum numerum hominum spectante, fuisse a violenta morte servatum, de qua re plura Grotius in I. de jure belli & pacis cap. II. §. 5. & in eruditissimis notis Gronovius. Atque hanc sententiam aperte confirmant ea verba Lamech: *Occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum*. Nam Cain Lamechi abavus, & pluribus major generationibus non poterat ab occisore suo adolescentulus appellari. De Ninive communis est sententia, fuisse vaticinium comminatorium; nam sunt plura ejusmodi in sacris literis, quæ implenda essent sic rebus manentibus. Sed altera est ingeniosior Augustini responsio Enarrat. in Psal. L. n. II. *Stetit Ninive, an eversa est Ninive? Aliter quidem videtur hominibus, & aliter visum est Deo. Ego autem puto impletum fuisse quod propheta prædixerat. Respice quæ fuit Ninive, & vide quia eversa est: eversa in malo, ædificata in bono: sicut eversus est Saulus persecutor, ædificatus Paulus prædicator*. Eamdem explicationem tradit S. Pater lib. XXI. de civit. Dei cap. 2. Quomodo Christus dicatur diem judicii nescire, quum abutantur hoc loco Ariani & Sociniani ad ejus impugnandam divinitatem, dicam in libro VII. qui erit primus de Trinitate. Nunc satis est, si dicamus, nescire Christum illam diem, ut revelet hominibus, quo sensu proreges ac ministri dicuntur nescire credita sibi Monarcharum secreta. Ad illud, quod objicitur ex Joan. VII. 8. alii respondent Christum dixisse se non ascensurum ad diem festum palam, & eo modo quo rogabatur; alii dixisse, se nondum, scilicet eo tempore ascensurum. Et quidem utraque responsio convenit cum iis, quæ sequuntur: *Hæc cum dixisset mansit in Galilæa. Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto*. Alii ne Christus argueretur mendacii legerunt Ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω, *Ego nondum ascendo*: quidam addiderunt adverbium temporis νῦν *nunc*: nonnulli delendum putarunt pronomen ταύτην, *istum*. Sed genuinam esse vulgatæ nostræ lectionem constat, quod hinc Porphyrius olim Christum calumniatus fuerit de mendacio. Neque opus est veram immutare lectionem; nam Christus cur non ascenderet caussam apertissimam protulit, dicens: *Quia meum tempus nondum impletum est*; græce πεπλήρωται, *completum est*. Πληροῦσθαι autem, *compleri*, proprie dicitur de certo tempore, quod est expectandum.

Opp. 2. Si Deus esset summe verax, non præcepisset malis angelis & hominibus ut alios deciperent: At præcepit: Non est ergo summe verax. Pr. minor: Ex. XI. 2. ait Dominus Mosi: *Dices ergo omni plebi, ut postulet vir ab amico suo vasa argentea, & aurea*. Scilicet animo ea furandi, & commodantes fallendi. Et III. Regum cap. XXII. 22. dæmoni dicenti: *Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus*, respondit Dominus: *Decipies & prævalebis: egredere, & fac ita*.

Resp. nego minorem. Ad priorem ex lib. Exodi probationem, missa ea quæstione, num Israelitæ furtum patraverint, de qua non est una Patrum sententia, ut constat ex Commentariis Calmet ad cap. III. 22. certum est, quod potuit Deus præcipere, ut Hebræi vasa peterent ab Ægyptiis, & populus id exequi absque ullo mendacio, vel mutui simulatione. Quod si Israelitæ deceperunt Ægyptios dicentes se reddituros quæ ipsis commodabantur; id quidem permisit Deus in pœnam idololatrarum, qui furtum licitum esse putabant, sed non præcepit. Atque idem de spiritu deceptore prophetarum Achab erit sine ulla dubitatione asserendum; quippe ea verba: *Egredere, & fac ita*, non sunt Dei præcipientis, sed permittentis. Proni namque ad fallendum nequissimi spiritus non jussum nutumque expectant, sed permissionem: & exemplum satis, ut arbitror, idoneum habemus Matt. VIII. 32. ubi rogantibus dæmonibus ut mitterentur in gregem porcorum, respondit Jesus: *Ite*: Quod permittentis verbum esse constat ex Marco v. 13. qui ait: *Et concessit eis statim Jesus*. Cum ergo dæmones & fallere & nocere peroptent, idque valeant nativis viribus nisi a superiori vi impediantur, non opus habent, ut proprio indulgeant genio, divino mandato aut consilio. Judæ quoque proditori ait Christus Joan. XIII. 27. *Quod facis, fac citius*. Quæ vox *non jubentis est, sed sinentis*, inquit Serm. VII. de Passione Magnus Leo.

At dices: Non ita sensit Augustinus, qui in lib. quæst. LXXXIII. q. 53. de Ægyptiis ait fuisse deceptos jubente Domino, *quoniam deceptione digni erant*. Et de prophetis Achab: *Quem Deus*, inquit, *per se non falleret, eum fallit, Deo jubente, Cacodæmon*.

Respondet Canus lib. 2. cap. 4. ipsum Augustinum lib. de Prædest. & Grat. cap. 4. docuisse quomodo ejus testimonia accipere debeamus, his verbis: *Non operatur Deus in homine ipsam duritiam cordis, sed indurare eum dicitur quem mollire noluerit: sic etiam excæcare, quem illuminare noluerit, & repellere eum, quem noluerit vocare*. Recte quidem, sed non est opus extra librum præfatum LXXXIII. quæst. vagari. Quippe eodem, qui objicitur, loco, ait: *Quapropter cum Ægyptii deceptione digni essent, & populus Israel pro illa ætate generis humani in tali adhuc gradu morum constitutus esset, ut non indigne hostem deciperet; factum est ut juberet Deus, vel potius pro illorum cupiditate permitteret, ut vasa aurea & argentea, quibus adhuc terreni regni appetitores inhiabant, & peterent ab Ægyptiis non reddituri, & acciperent quasi illud reddituri*. Simulationem itaque Israelitarum non jussit Deus, sed permisit. Idem dicendum est de spiritu nequam, qui Achabum decepit: scribit enim Augustinus id factum esse, *non sine judicio divino*, nimirum Deo permittente. Hæc & exemplum ab ipso Augustino ibidem allatum, & absoluta sententia reddunt manifestissima. Exemplum est de odio inimicorum, de quo dictum est antiquis: *Odio habebis inimicum tuum*, ut refert Matt. v. 44. certum est autem, quod nunquam est jussum revera Israelitis, ut odio haberent inimicos; sed solum non fuit expresse prohibitum. Sententia denique absoluta hæc est: *Non itaque Deus deceptor est: quod credere nefarium & impium quis non intelligat?*

Oppones ultimo: Potest Deus innocentem occidere: Ergo & decipere simplicem.

Resp. nego consequentiam: etenim spectat ad supremum altissimumque dominium vitam dare, & eripere; *Dominus enim vivificat, & mortificat*, inquit Cant. Annæ I. Reg. II. 6. non spectat autem ad supremam veritatem quemquam fallere; sed posse in errorem inducere pugnat cum veracitate divina; habetur namque in libro Numer. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur*.

In quæstione utrum mendacium sit intrinsece malum, expedientur nonnulla alia, quæ hoc loco objici possent. Nunc quas principio pollicitus sum, adnotationes præmitto cum ad hanc quæstionem, tum ad sacrarum literarum intelligentiam apprime utiles. Sit prima: Multa Dei verba, quæ falsa rudioribus videntur, ubicunque Deus aut reprehendit, aut futuras prænunciat calamitates, sunt figuratæ locutiones, quas Rhetores appellant *Ironiam*. Ita Gen. III. 22. ait Dominus: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est sciens bonum & malum*. Jud. x. 14. *Ite, & invocate Deos, quos elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiæ*. Esajæ XVII. 3. *Reliquiæ Syriæ, sicut gloria filiorum Israel erunt*; idest, inquit Hieronymus, *ignominia, &c.*

II. Nonnulla, quæ fabulosa videntur, sunt aptissimæ similitudines & parabolæ; ut Judicum IX. narratio Jotham de arboribus quærentibus, & eligentibus sibi regem, Ezech. XVII. 2. de duabus aquilis: & aliæ plurimæ, in novo præsertim testamento. De quibus memoria tenendum est quod scribit Hieronymus in cap. 12. Eccl. *Parabolæ aliud in medulla habent, aliud in superficie pollicentur: & quasi in terra aurum, in nuce nucleus, in hirsutis castanearum operculis absconditus fructus inquiritur: ita in eis divinus sensus altius perscrutandus*. In his maxime attendendus est scopus, ex quo earum proprietas, & significatio dignoscitur.

III. Verba Dei, quæ comminatoria sunt, ut supra dixi de subversione Ninives, accipienda sunt hypothetice, rebusque sic permanentibus. Quam regulam tradit apertissime Hieremias XVIII. 8. *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam: agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei*. Ideo post diuturna monita, & dilatam nimis pœnitentiam locum vix habet hæc regula; ut in prædictione Hierosolymitani excidii apud Lucam XIX. 44. ubi Judæis exprobratur quod non cognoverint tempus visitationis suæ, idest, oblata neglexerint remedia salutis.

IV. Ut etiam supra monui, plura quæ videntur Dei operationem imperiumque sonare, præsertim ubi alloquitur improbos, qui meditantur iniquitatem in corde suo, de permissione sunt exponenda: ut Elisæus filiis prophetarum importune insistentibus ut mitterent ad quærendum Eliam, IV. Regum 2. dixit, *Mittite*; & Dominus ad Judæos, Jo. II. *Solvite templum hoc*. Quo sensu dicitur Deus excæcasse cor Pharaonis, & Es. VI. 10. *Excæca cor populi hujus*. Paulus quoque ad Rom. I. 24. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*; & paullo post, *in passiones ignominiæ, & in reprobum sensum*; idest, *relicti per divinam patientiam, non per potentiam compulsi*, ait S. P. August. de Prædest. SS. cap. 10.

V. In Vaticiniorum complemento observandum est non semper impleri in Personis ad quas fiunt, sed ut plurimum in earum posteritate. Sic Genes. XXV. 23. dicitur de Jacob: *Major serviet minori*, quod impletum est in Idumæis, regnante Davide. Aliquando etiam complentur in sensu analogico, ut in cæde Bethlehemiticorum infantium impletum est vaticinium Jeremiæ XXXI. 15. *Vox in Rama audita est, &c.*

VI. Multa non ad literam, sed mystice sunt accipienda, veluti, Joannem Baptistam esse Eliam, Christum agnum ac petram,

petram, Fideles oves, & alia id genus. In quibus ne Hæretici nobis objiciant nos sacras torquere literas, quomodo sutores dentibus extendunt pelles, ut immerito effutit Glassius lib. II. Tract. 2. sect. 3. art. 6. de Becano, Stapletono, Joanne de S. Geminiano, aliisque viris doctissimis; æquum est, ut Ecclesiæ sequamur Magisterium, Sanctorumque Patrum interpretamenta sectemur: nec quisque propria venditet ineptis commentariola.

VII. Quum omnia, quæ in veteri testamento narrantur, fuerint umbræ & imagines futurorum; nemo debet sistere in rerum gestarum, verborumque cortice; sed potissimum considerandum est, cujus rei gratia & significatione facta, vel dicta sint. Plura enim putantur mendacia, quoniam non ea quæ vera significantur dicta intelliguntur, sed ea quæ falsa sunt dicta esse creduntur. Idque Augustinus explicat in libro contra mendacium cap. v. & 6. exemplo Jacob, qui consilio matris ait se esse primogenitum Isaac, & personam Esau fratris sui simulavit.

VIII. Si aliquando a Deo mendaces commendari videntur, ut de obstetricibus Ægyptiis legitur Exodi 1. 20. non officiosum mendacium putandum est comprobari, sed animi pietatem, timorem Domini, & misericordiam, ut scribunt Augustinus citato libro cap. 15. & Gregorius lib. XVIII. Moralium cap. 4. Atque idem dicendum est de quibusdam Historiis Sanctorum, quæ opponi possunt in patrocinium mendacii: sed de hac quæstione iterum disserendum. Nam de veracitate Dei, quam Canus appellat caput ceterarum, controversia finitur his regulis; quarum duæ vel tres traditæ ab Aurelio Piette exemplis a me illustrantur, aliæ non minus necessariæ superadduntur. Vereor enim ne nimis otiosus videar si doctissimorum virorum laboribus solum fruar, & ne plagii insimuler, si Auctorum qui mihi aliquo sunt adjumento, ubi occasio se dederit, non meminero.

SCHOLION.

„ Polemice potius, quam Scholastice, de summa Dei veracitate pertractavimus. Deum enim primam ac summam esse veritatem, ea, quæ de ceteris attributis diximus, eadem ratione confirmant. Veritatem autem Dei esse ceterarum omnium veritatum regulam ac mensuram, quemadmodum S. Thomas 1. p. q. 16. & Ægidius Romanus in 1. dist. 19. docuerunt, difficile nequaquam est intellectu. Enimvero sicut tempus est mensura omnium temporalium rerum, atque divina essentia omnium rerum quæ sunt, ita summum verum mensura est veritatum omnium: cunctaque magis, aut minus vera sunt, in quantum Deo magis, aut minus sunt proxima. *Si quid autem homo habet veritatis & justitiæ, sub illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo*, ait S. P. Augustinus Tract. 5. in Joannem, paucisque interjectis; *Si ergo verax Joannes, & verax esse homo non potest nisi a veritate, a qua erat verax, nisi ab eo, qui dixit, Ego sum veritas?*

„ Plura autem in discussione quæstionis omissa sunt, quoniam aliis in locis data opera pertractantur. Breviter modo ea commemorabimus. Si Abraham mentitum dixeris, quando Gen. 22. ait, *Ego & puer postquam adoraverimus, revertemur ad vos*, dicendum cum Ambrosio lib. 1. de Abraham cap. 8. prophetasse, quod ignorabat, aut firmissimam spem habuisse, filium post immolationem divina virtute suscitatum iri. Jacob, si mentitus est, quando dixit ad Isaac patrem suum Gen. 27. *Ego sum primogenitus tuus Esau*, tectisque manibus hœdina pelle se fratrem suum natu majorem simulavit, spectato spirituali mysterio, & considerata Christi, quam gerebat, figura, veritatem nuntiavit: quamvis si mentitum fuisse dicamus, id fecisset, non Deo revelante, sed suadente matre; atque mendacium in homines foret referendum, non in Deum. Quod Ezechiæ regi ab Esaia dictum est, cap. 38. 1. *dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*; comminatoria prædictio est, ut in resp. ad 1. diximus de Ninivitis, non absolutum, complendumque juxta literæ significationem oraculum seu vaticinium. Achabo ad bellum ituro prænuntians Michæas 3. Regum 22. prosperum rerum exitum palmamque victoriæ, ironice illusit impium falsis prophetarum Baal pollicitationibus deceptum. *Unum ex filiis* Israel appellans se Raphael Angelus Job. 5. mentitus nequaquam est, cum angeli in cælis videant faciem Patris, quod significat vocabulum יש להל, atque Israelitici populi gereret tutelam ac patrocinium. Azariam quoque, & *Ananiæ* filium sese idem angelus dixit absque mendacio, si attendatur significatio nominum, quorum primum *Dei auxilium*, alterum vero denotat *Dei gratiam*. Postremo nec mentita est Judith quando ait Holoferni, cap. 11. Ego adducam te per mediam Jerusalem, propterea quod hoc dixit afflata numine, ac prædicens fore, ut truncatum infensissimi hostis caput per mediam civitatem victrix & gloriosa mulier deferret: quamvis in hoc, aliisque consimilibus factis non fortasse sunt laudanda.

CAPUT VIII.

De perfectione, ac pulchritudine summi Dei.

SUPERVACANEUM videtur de perfectione Dei verba facere; cum enim *perfectum* sit hoc loco, non quod est ab artifice elaboratum atque expolitum, sed quod in se omne bonitatis genus complectitur; idem est quærere num Deus sit perfectus, ac sit ne summe potens, immensus, infinitus, & quidquid optimum & præstantissimum nostræ potest occurrere cogitationi. Ad faciliorem tamen Scholasticorum intelligentiam addo, ab his duplex perfectionum genus distingui: quarum aliquæ *simpliciter simplices*, aliquæ *simplices* communiter appellantur. Perfectio simpliciter simplex illa est, quæ cum majori vel æquali perfectione non pugnat, sive, ut ait cap. XIV. Monologii Anselmus, *Quæ melior est ipsa, quam non ipsa*; ut esse spiritum, esse justum, veracem, beatum. *Melius namque est esse justum, quam non justum; beatum, quam non beatum*; inquit idem Anselmus cap. 5. Prosologii. Perfectio simplex ea est, quæ pugnat cum majori vel æquali, & non est melior ipsa quam non ipsa; ut qualitas, extensio, corpus, animal, aurum, &c. *Nam melius est homini esse non aurum quam aurum, quamvis forsitan melius esset alicui aurum esse, quam non esse aurum, ut plumbo*. Ait cit. cap. Monologii S. Anselmus. Atque hic est communis Theologorum sensus; licet doctissimus Petavius lib. VI. cap. 7. n. x. scribat, quod prædicata quæ sunt ejusmodi, ut ipsa per se meliora sint quam non ipsa, veluti esse sapientem & justum, vulgo *perfectiones simplices* dicuntur. Et quidem congruentius, & clarius loqueretur, qui perfectiones prioris generis *simplices* appellaret; alias vero *in certo aliquo genere* limitatas. Has postremas perfectiones in Deo non esse, constat ex quo in eo non sit aliquid, quo potest melius excogitari.

Sunt tamen singulæ omnium rerum perfectiones in Deo *eminenter*. Quid sit contineri *eminenter* explicant Theologi, dicentes eminenter contineri, quod in alio non secundum propriam formam, sed nobiliori quodam modo comprehenditur; ut rationalis anima continere dicitur vegetativam, & sensitivam. Sed quoniam ista subobscura videntur, & repetita synonyma; dixerim perfectionem contineri formaliter, quando in ea perfectionis specie res aliqua, velut forma materies determinatur, & perfectio de ipsa re enunciatur in recto: contineri autem *eminenter*, quotiescunque res in eo perfectionis genere non est limitata, & perfectio de ipsa re prædicatur tantum oblique. Sic aurum, argentum, calidum, frigidum *formaliter* continentur in hoc, vel illo corpore, quoniam his qualitatibus & formis corpora afficiuntur, & recte enunciatur, hoc est aurum, illud argentum, istud calidum, istud frigidum. Quoniam vero sapientia, justitia, aliaque attributa rectissime de summo Deo prædicantur, non autem sunt in aliquo genere terminata, dicuntur esse *formaliter* in Deo minus proprie; & licet invaluerit ea loquendi consuetudo, Deus est *formaliter* sapiens, *formaliter* justus; melius tamen foret dicere, Deus est sapientia, & justitia quæ ipse est, ut monui præcedenti cap. 3. Non enim est in Deo forma aliqua, aut perfectio a summo esse distincta. Hinc Thomassinus lib. IV. cap. XII. n. 12. docet perfectiones istas aptius a Deo auferri, quam de illo affirmari. Contra, cum Deus sit caussa, & exemplar omnium creaturarum, infinitus in quolibet genere perfectionum, & creaturæ de ipso Deo enuncientur oblique; non enim dicitur, Deus est Angelus, aut homo, sed, Deus est hominum, & angelorum; perfectio angeli, perfectio hominis, perfectio universarum creaturarum, non *formaliter* in Deo continentur, sed *eminenter*. Quærunt Theologi an Deus, & creatura simul sint aliquid perfectius quam Deus solus: ut huic quoque scrupulo satisfiat, sit

PROPOSITIO I. Deus simul & creaturæ non sunt aliquid perfectius, quam Deus solus.

Intelligenda est thesis de perfectione, quam vocant *intensivam*; nam de numero & extensione, frustra a quibusdam disputatur: non enim hæc duo perfectionem important, sed limitationem potius in aliquo genere quantitatis: ideoque hoc complexum *Deus*, & *creatura* designat summum bonum, & bonum finitum; & numerus, & extensio tantum in bono finito reperitur, ut divulsum, & sejunctum a summo bono. Probatur autem prop. 1. ex scripturis, legitur enim Ps. 38. *Substantia mea tamquam nihilum ante te*. Nihilum vero & ens, si complexe accipiantur, non sunt aliquid perfectius solo ente. II. Ex Patribus, dicente Augustino Tract. XI. in Joannem. *Si fueris sine Deo, minor eris: si fueris cum Deo, major Deus non erit: non ex te ille major, sed tu sine illo minor*. III. Ratione: Deus seorsim spectatus est unus, simplex, infinitus, summum bonum continens omnia bona; & ex collectione Dei, & creaturarum consurgit tantum numerus, & multitudo: sed numerus nullam addit perfectionem ad unum, infinitum, summum bonum continens omnia bona; cum ad summum, & infinitum nulla fieri possit additio. Ergo collectio Dei & creaturarum nullam addit perfectionem Deo seorsim spectato.

Opp. I.

Opp. 1. Deus & creatura faciunt numerum : Ergo majorem extensionem perfectionis.

Ægidius Romanus in 1. dist. 24. q. 3. plura numerorum genera scite distinguit. Duo ex his ad rem faciunt. Primum genus numerorum spectat ad quantitatem discretam, in qua una unitas non continetur in alia: talis est numerus E. G. quatuor drachmarum, aut quinque æris quadrantium. Alterum numerorum genus spectat ad quantitatem, in qua plures distinguuntur unitates, sed una præcontinet alias: talis est distinctio sicli a quatuor drachmis, aut obuli a quinque quadrantibus. Constat autem quatuor drachmas addere ad siclum extensionem quidem numeri, non valoris; tantum enim pendet siclus, quantum drachmæ quatuor. Exposita hoc exemplo Ægidiana doctrina, nego consequentiam; habetur enim multitudo, & extensio numeri absque extensione perfectionis, quotiescunque perfectio unius unitatis eminenter præcontinetur in alia: quemadmodum permutato in drachmas quatuor uno siclo, multiplicantur numero nummi, non extenditur valor, quoniam valor quatuor Drachmarum in illo uno siclo continebatur.

Quod si dixeris: Quamvis nummus argenteus contineat eminenter plures minores asses, hi tamen additi nummo ejus valorem adaugent : Ergo licet Deus eminenter contineat perfectiones creaturarum, istæ nihilominus, &c. Respond. nego consequentiam. Etenim etiamsi nummus argenteus tanti valeat, quanti plures minuti asses, nihilo tamen minus cum sit finiti valoris, non habet valorem proprium vilioris monetæ quæ superadditur, E. G. tanti valet siclus quam duplex didrachma, at non quanti duplex didrachma, & assis. Perfectio autem Dei est infinita, neque, si millenas addideris creaturas, pluris valet.

Opp. 2. Splendor astrorum, ac plantarum vigor eminenter continentur in sole, & tamen sol sese non est perfectior sole una cum plantis, & astris. Ita, &c. Resp. solem non præcontinere particularem astrorum plantarumque perfectionem, sed universalem tantummodo; quum Deus contra eminenter habeat quidquid perfectionis potest in creatis rebus adinveniri.

PROPOSITIO II. Reperitur in Deo summa, & perfectissima pulchritudo.

Explicatur, simulque probatur postrema hæc propositio. Primo, pulchritudo dicit congruentiam & aptitudinem, ut corpora appellantur pulchra, quæ habent aptam figuram membrorum cum quadam suavitate coloris, auctore Tullio in IV. Tusculana. In Deo autem est invariabilis ordo sæculorum, consonantia perfectionum, immutabilis regula providentiæ: atque, ut inquit Augustinus VI. de Trinit. cap. 10. *prima æqualitas, & prima similitudo*, idest divinum Verbum, candor æternæ lucis, & imago pulchritudinis ejus. Deinde pulchrum est quod allicit, & ad amorem trahit; & in Deo est bonitas, pietas, caritas, jucunditas, gloria, & alia, quæ nos ad amandum provocant, & in cælesti patria plenissimo replent gaudio. Pulchrum quoque est decus, & ornamentum animi: atque in Deo est virtus, sanctitas, magnificentia, & omnis justitiæ fons; unde Augustinus in Psal. XLIV. *Summa*, inquit, *& vera pulchritudo justitia est. Ibi illum non videbis ubi deprehendis injustum. Si ubique justus, pulchrum, ubique decorus*. Quod & Ambrosius probat in libro de Isaac & anima pluribus argumentis, inter quæ est illud comprobatum experimento, quod in sapientiæ, ac fortitudinis venerationem effœti senis vultum, & lacerata martyris membra exosculamus, suaviter ab interiori pulchritudine allecti. Tandem simulacra & imagines rei, quam repræsentant, ostendunt venustatem, & opera Artificis sui pulchritudinem, sicut erudite probat Cicero in Oratore ad Brutum exemplo Phidiæ, cujus simulacra eximiam speciem pulchritudinis referebant, *quæ ipsius in mente insidebat*. Quanta vero sit in omnium creaturarum sette pulchritudo, & quisque propriis oculis intuetur, & præclara inductione demonstrat Vincentius Contensonius dissert. III. cap. II. spec. 3. & longe melius Augustinus Enarrat. in Psalmum CXLVIII. num. 15., cui his verbis imponit coronidem: *Si pulchra sunt quæ fecit, quanto pulchrior est qui fecit?* Atque idem sit, ut aliquid habeat decoris, finis secundi libri.

SCHOLION.

„ FAcile ex his, quæ de perfectione Dei scripsimus,
„ intelligere quisque potest quid sit asserendum de
„ bonitate rerum creatarum. Nam sicut Deus est *suum*
„ *esse*, creaturæ autem non sunt, nisi in quantum habent
„ *esse a Deo*, ita Deus est summum perfectissimumque
„ bonum; res autem creatæ bonæ sunt participatione, ac
„ liberrima creatoris sui largitate. Præclare S. P. Augu-
„ stinus de Deo lib. 8. cap. 3. de Trinit. *Non enim est*
„ Deus *aliud aliquid, quam ipsum bonum, ac per hoc et-*
„ *iam summum Bonum*. Recte itaque Ægidius in 2. Sent.
„ dist. 1. Solum Deum *essentialiter* bonum esse affirmavit,
„ quoniam solus Deus *essentialiter* est: & creaturæ,
„ quæ modo sunt, modo non sunt, contingenter tantum,
„ & accidentaliter bonæ sunt. Quare si de perfectissima &
„ incommutabili bonitate loquamur, solus Deus bonus
„ est; & ideo legitur Lucæ 18. & Marci 10. *Nemo bo-*
„ *nus, nisi solus Deus*: si autem de bonitate contingenti
„ & commutabili, quidquid a Deo creatum est, in quan-
„ tum est, *bonum est*; & eam ob rem inquit Apostolus 1.
„ ad Timoth. 4. *Omnis creatura bona est*. Hinc si mente
„ nostra secernamus a qualibet re creata quidquid in ea
„ reperitur imperfectionis, puta initium temporis, finem,
„ extensionem, adventitias qualitates, omnemque vicissi-
„ tudinem, & *solum esse* concipiamus; erit istud *Esse* per-
„ fectissimum ac divinum, quod non possumus meliori ra-
„ tione percipere, quam si *ab esse* removeatur quidquid
„ in esse percipitur carentiæ, finitatis, ac mutationis.
„ *Bonum hoc, & bonum illud: tolle hoc, & illud, &*
„ *vide ipsum Bonum, si potes: ita Deum videbis, non alio*
„ *bono bonum, sed omnis boni Bonum*, ait præcitato cap. 3.
„ de Trinit. Augustinus. Fatendum est Theologos illos, qui
„ ab *Esse* incommutabili ac per se omnium divinorum at-
„ tributorum repetunt identitatem ac perfectionem, in-
„ sistere magni Augustini vestigiis, & regia planissimaque
„ progredi via, nullis errorum sentibus circumsepta.
„ Ciceronis verba in quarto Tusculanarum libro, sunt
„ ista: *Ut corporis est quædam apta figura membrorum, cum*
„ *coloris quadam suavitate, eaque dicitur pulchritudo, sic in*
„ *animo opinionum, judiciorumque æquabilitas & constan-*
„ *tia, cum firmitate quadam & stabilitata virtutem sub-*
„ *sequens, aut virtutis vim ipsam continens, pulchritudo*
„ *vocatur*. Qui alliciuntur corruptibilium corporum pul-
„ chritudine, memoria repetere debent quæ libro 2. de
„ Arte scripsit Ovidius:

„ *Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad*
„ *annos*
„ *Fit minor, & spacio carpitur illa suo.*
„ *Nec semper violæ, nec semper lilia florent,*
„ *Et riget amissa spina relicta Rosa.*

„ De hac pulchritudine auctor Sacrorum Prov. 31. *Fallax*
„ *gratia, & vana est pulchritudo.*

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER TERTIUS,

In quo disputatur quomodo Deus inhabitet lucem inaccessibilem.



TO' KAΛO'N *Pulchrum* Plato, Philoponus, & Schrevelius dictum putant ἀπὸ τὸ καλεῖν, quod omnium ad se vocet & alliciat oculos, animosque afficiat voluptate: idque S. P. Augustinus apposite explicat cap. XIII. libri Confessionum suarum quarti. Theologicum itaque stadium percurrens, posteaquam eximiam elegantissimamque Dei commemoravi pulchritudinem, in quam spe & caritate rationalis anima fertur, tametsi illecebris quandoque distrahatur cupiditatum; ad eam progredior quæstionem, cur dicatur Deus in priori Epistola Pauli ad Timoth. VI. 16. habitare *lucem inaccessibilem*, hoc est, ut subditur e vestigio, quam *nullus hominum vidit, nec videre potest*. Cujus Apostolicæ sententiæ quoniam duplex sensus esse potest, de naturali mentis humanæ facultate, atque de supernaturali divinitusque concessa; & insuper de statu mortalis vitæ, & de illo, quem expectamus dissolutæ hujus habitationis domo, in Civitate Sanctorum: plura inquirendi exhibetur nobis occasio, in quibus deprimitur quidem audacia nostra ab incomprehensibili majestate, sed erigitur animus repromissæ sublimitate mercedis.

CAPUT I.

Deus nequit ab intellectu creato clare & intuitive videri solo naturalis facultatis acumine.

VERTENTE Quarto Ecclesiæ sæculo, ut refert Hæresi LXXVI. Epiph. & LV. Augustinus, Aetius & Eunomius in tantam cæcitatem, & arrogantiam prolapsi sunt, ut assererent se Deum perspicue virtute naturali intueri, ut semetipsos, aliosque homines aspiciebant. Ab Eunomio dicti sunt illius sectatri Eunomiani, qui cum perversum dogma tenerent de Verbi cum Patre dissimilitudine, Anomæi sunt pariter appellati. Hunc vetus circa Dei visionem supinum crassumque errorem a Basilio, Nazianzeno, Chrysostomo, aliisque Patribus disertissime confutatum, in inferiori Germania labente XIV. sæculo recudere ausi sunt Beguardi anno 1311. a Viennensi Concilio sub Clemente V. damnati. Execrantur Theologi omnes tam perniciosum superbumque errorem, Quietistarum, ut aliqui putant, marcidum, putidumque fermentum. Sunt tamen aliqui e schola Theologi, qui productis quidem creaturis hanc ad videndum Deum naturalem facultatem inesse negant; sed alias posse produci arbitrantur alterius ordinis, ac perfectionis, quarum vim ac potestatem manifestissima Dei contemplatio minime excedat. At pugnaciter in hos insiliunt ceteri cum numero, tum eruditione præcipui: totumque agmen ex nostro instituto sectantur Argentinas, Puteanus, la Fosse, Consonius, Landon, Florez, & qui poterat pro omnibus solus laudari, Romanus Ægidius.

PROPOSITIO I. Solo naturali lumine nequit Deus ab aliquo creato intellectu intuitive videri.

Attinet hæc propositio ad fidem. Et probatur I. ex divina scriptura: in qua habetur Deum esse invisibilem, ut in I. ad Timoth. I. *Regi sæculorum immortali & invisibili*, & cap. 6. *Quem nullus hominum vidit, nec videre potest*. Quæ verba, ut demonstrat S. P. Augustinus Epist. CXII. cap. 14. significant *Deum invisibilem esse natura*. Certum quippe est supernaturalem Dei visionem minime repugnare. Item eadem Scriptura testatur Dei manifestationem, quæ est bonorum operum retributio, non ad naturæ facultatem, sed ad gratiæ spectare beneficium, ut in Psalmo LXXXVIII. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*; & ad Rom. VI. *Gratia Dei vita æterna*. II. Probatur ex PP. Origenes lib. I. Periarchon cap. I. *Mens*, inquit, *nostra ipsum per se Deum, sicut est, non potest intueri*. Epiph. Hæresi LXX. *Deum quidem videri præsertim ab humana natura non posse fatentur*. Gregorius Nazianz. Orat. XXXIV. scribit, *nihil ad nos pertingere in hac vita de Dei notitia, nisi exiguum quemdam rivulum, ac velut parvum magnæ lucis radium*. Atque ut aliquos proferam ex Latinis, Ambr. Comment. in Lucam c. I. ait: *In potestate nostra non est Deum videre, sed in potestate illius est apparere*. Et S. P. August. lib. XIX. de civit. Dei c. XXV. *Sicut non est a carne, sed supra carnem quod jam facit vivere; sic non est ab anima, sed supra animam, quod eam facit beate vivere*.

Probatur insuper ratione: ac primo quidem ut aliquod objectum videatur in se, requiritur ut illud sit præsens, & potentiam moveat, atque specialiter afficiat. Hoc autem est discrimen inter spiritualia & corporalia, quod ista si præsentia sunt, latere non possunt, nisi alio animum potentior caussa amoveat, vel oculus sponte clausus radios reprimat; nam oculis apertis, & non alienato animo ac sensu corpus coloratum ac debite proximum non videre non possumus. Spiritualia vero objecta adhuc in duplici sunt differentia: aliæ præsentiæ sunt, nec potentiam videntem movent, ut Angelus qui continuo nobis assistit, quem non videmus corporeis oculis: alia sunt præsentia, & movent potentiam videntem, ut Angelus operans videtur ab altero Angelo. Deus ubique est præsens, sed non ubique excitat, movetque specialiter intellectum, qui est veluti oculus spiritualis substantiæ, & ubicunque illum excitat, id facit pro suo lubitu, quoniam ad extra omnia libere operatur: unde præsens est damnatis ac dæmonibus, nec tamen videtur; præsens angelis, & animabus Sanctorum, & videtur, quoniam horum quidem in cælis, non illorum in inferno degentium movet, & excitat spiritualem oculum, id est, mentem atque intellectum. His positis ita propositionem demonstro. Ut aliquod objectum intuitive videatur, requiritur ut sit præsens, & moveat potentiam videntem: Nulla creatura tanta pollet virtute, ut naturaliter istud efficere possit, quod Deus præsens illius visivam potentiam specialiter moveat: Ergo nulla creatura potest naturali virtute Deum intueri. Prob. minor. Hoc discrimen intercedit inter Deum, & alia objecta; quod Deus ad extra semper libere agit, & libere movet potentiam, ideoque si nolit, nunquam videtur; alia vero objecta dum præsentia sunt, quandoque necessario operantur, & velint aut nolint latere non possunt: Creatura non habet naturalem virtutem efficiendi ut Deus non libere agat: Ergo non habet naturalem virtutem efficiendi, ut Deus præsens illius visivam potentiam specialiter moveat.

Probatur 2. Media, quibus ad visionem summi ac veri Dei pervenimus, non sunt in solæ hominis potestate, sed a gratia, & a divino beneplacito principaliter dependent; sunt enim istiusmodi media fides, spes, caritas, observatio legis, & officia virtutum peracta, ut Catholica profitetur fides, Deo præmovente, ac nobiscum misericorditer operante: Ergo a fortiori ipsa bonorum operum merces, & vita æterna, quæ est clara Dei visio, a Dei beneplacito, ac liberalitate principaliter pendet.

Opp. I. Quælibet potentia naturaliter proprium attingit objectum: Deus est objectum intellectus creati: Ergo intellectus creatus naturaliter attingit Deum. Prob. minor. Objectum intellectus est quodcunque verum, & intelligibile: Deus est summe intelligibilis, & verus; Igitur Deus est intellectus creati objectum.

Resp. dist. majorem. Quælibet potentia naturaliter proprium attingit objectum, quotiescunque objectum naturaliter & necessario eamdem potentiam allicit, excitat, movet; conc. quotiescunque objectum libere, & pro suo beneplacito afficit, excitatque potentiam: nego. Responsio liquet ex dictis. Illud tantum adverto Theologos omnes huic argumento respondere, potentiam ferri naturaliter in suum objectum naturale, non autem supernaturale, cujusmodi est Deus, qui omnium creatarum rerum seriem ac perfectionem supergreditur. Id quidem vere, & sapientissime dictum est. Verum objectum supernaturale non solum ex superexcedente naturæ ordinem sublimique substantia metiri debemus, sed etiam ex spontanea, liberali, & nullatenus necessaria, debitaque manifestatione sui ipsius: ita ut nulla facultas creata naturaliter percipere possit, & manifesta visione intueri quidquid suapte natura tale est, ut possit libere, & pro lubitu voluntatis abscondi, sive intra, sive extra naturalium rerum constitutionem. Nam & secreta cordium intra naturalem ordinem continentur, nec tamen naturaliter sive ab homine, sive ab angelo cognosci possunt, eo quod eorum natura postulet, ut libere, & pro beneplacito manifestentur. Quod est esse supernaturale, ut Scholæ loquuntur, quantum ad modum cognoscendi, non quantum ad *entitatem*. Itaque id, quod asserunt Theologi, Deum esse supernaturalem, & aciem creatæ intellectionis subterfugere, verum est, nec a nobis revocatur in dubium; sed caussam magis obviam nobis videmur

demur

demur proferre: ex que consequitur nec etiam ut Auctorem naturæ posse Deum intuitive videri, quia ut manifestetur facie ad faciem, absolute pendet a liberalissimo ipsius beneplacito.

Dices cum Tournely: Hæc ratio, quam etiam affert Scotus, & quæ unice petitur ex parte Dei libere se menti nostræ conspiciendum exhibentis, nullam vim, & momentum habere videtur, ostendit enim duntaxat deesse aliquid ex parte objecti, non ex parte potentiæ. Eo fere modo, quo habens oculos sanos objectum longe dissitum videre non potest, non ob deficientiam virium in oculo, sed ex defectu sufficientis præsentiæ objecti. At intellectus creatus non ex sola distantia objecti, sed ex natura sue incapax est videndi clare & intuitive ipsum Deum.

Sed hæc nullatenus nos urgent; nam, quidquid sit de Scoti sententia, nos ex parte intellectus nullam intrinsecam ac supernaturalem virtutem ab objecto distinctam necessariem esse arbitramur: ita tamen, ut objectum intime præsens vivide excitet intellectum, ut illud valeat manifesta animadversione percipere: quam excitationem supetnatu qualitatem animæ impressam, & lumen gloriæ eppellamus: ideoque si objectum intime præsens sit, & moveat, afficiatque potentiam, habetur quidquid ex parte intellectus ad claram visionem Dei prærequiritur.

Opp. 2. Naturaliter homo proprium finem assequi potest: ultimus finis hominis est visio beatifica: Ergo, &c.

Resp. transmissa majori, (nam respondere commode possumus hanc esse sortem creaturæ rationalis, ut beneficio Creatoris sui ordinata sit ad altissimum finem, quem esse qui tantum valeat supernaturalibus suffulta auxiliis) dist. minorem: Visio beata est hominis finis ultimus naturalis, idest necessario alliciens, necessario propositus, necessario rationem ac voluntatem præmovens, nego: est finis supernaturalis, scilicet pro divino beneplacito nobis propositus, & libere & gratuito sui desiderium excitans, movensque rationem, concedo.

At, inquies, naturaliter appetitur beatitudo.

Quidam respondent distinguo propositionem: beatitudo naturæ conveniens, quæ sita est in perfecta cognitione abstractive Dei, quam naturaliter excitans ideæ congenitæ, & creaturæ necessario dependentes a prima caussa; conc. beatitudo supernaturalis, scilicet manifesta visio intuisiva, quæ est beneficium gratiosum ac liberrimum Creatoris, nego. Quod si persistas: Ex cognitione abstractiva exoritur desiderium visionis intuitivæ; distinguunt eodem modo propositionem: ex cognitione abstractiva exoritur desiderium & appetitus visionis intuitivæ, si abstractive cognoscitur objectum necessario & naturaliter potentiam afficiens; concedo: ita enim dum video imaginem ac picturam, excitatur in me desiderium videndi prototypum, si naturaliter videri possit, nec pro suo beneplacito sese abscondat ac manifestet. Ex cognitione abstractiva exoritur appetitus visionis intuitivæ, si abstractive cognoscitur objectum sese pro suo lubitu manifestans, nego; loquendo de appetitu rationabili, atque, ut inquiunt, efficaci. Etenim abstractive video alterius hominis cogitationes; deprehendo enim ex ipsa exteriori compositione aliquid velle, aliquid cogitare. Attamen, quia manifestatio internarum cogitationum ab ejus libertate dependet, & talis est illarum cogitationum natura, ut non valeant naturaliter innotescere: an non imprudens essem, & ratione destitutus, si videns hominem cogitantem vellem efficaciter ardentissimoque desiderio ipsas scrutari & intueri internas cogitationes? Ita ex cognitione Dei abstractiva nequit oriri desiderium aliquod efficax ac prudens intuitivæ visionis, quæ est liberum Dei, & gratiosissimum beneficium; si intra naturalis virtutis continemur angustias: nam facta hypothesi, quod Deus visionem illam clarissimam præparavit diligentibus se, idque ad inflammanda fidelium suorum corda dignatus fuerit revelare, jam ipsa visio prudentissime eppetitur, & fideliter expectatur.

Verum respondent alii, inesse quidem homini ad plenam perfectamque beatitudinem, quæ sita est in visione unina Dei, veri Dei, summi Dei, naturale pondus emoris, & innatam inclinationem; eo quod rationalis creatura referens in se divinam imaginem in nullo creato bono possit quiescere, & ex cognitione abstractiva magis excitetur videndi Dei desiderium. Quæ opinio magnam verisimilitudinem habet, & utrum præcedenti sit præferenda, aut quo veritatis loco utraque tenenda sit, lib. XIS. disputabitur. At qui insitum hunc supernaturalis visionis eppetitum propugnant, docent non posse expleri, nisi auxiliis gratiæ rationalis substantia ad tantam finis sublimitatem evehatur. Videtur enim exemplo animæ separatæ, quæ cum sit forma corporis snapte natura illius appetit unionem, dari naturalem inclinationem ad terminum, qui solis inspectis naturæ viribus nequis haberi, qualis utique est mortuorum resurrectio. In horum ergo sententia concedo ex cognitione abstractiva magis incitari humanam mentem ad divinam substantiam videndam, ut lib. 3. contra Gentes cap. 50. etiam S. Thomas affirmat: sed nego posse absque supernaturali virtute tale desiderium satiari.

Opp. 3. Affulget singulis hominibus divinum lumen indistinctum ab ipso Deo, per quod de rebus mutabilibus firmissime judicamus; ut abunde ostendimus libro primo: Ergo ipsum Deum perspicue intuemur.

Resp. dist. ant. Affulget nobis divinum lumen e Deo indistinctum, tamquam idea exhibens incommutabilem veritatem, quam per speculum & in ænigma referunt etiam singularum rerum rationes, concedo: Affulget tamquam objectum excitans ad claram sui contemplationem, nego. Quomodo Deus possit esse intime præsens per modum luminis, & non per modum objecti eodem 5. libro explicavi exemplo hominis scenicas repræsentationes spectantis. Sed cum sit res valde obscura, & ad sententiam nostram maxime conducat, si majori claritate exponatur, addam nonnulla. Principio visio intuitiva Dei exigit, ut videatur divinitatis plenitudo simul, & non per partes; nam Deus cum sit simplicissimus partiliter videri non potest ea visione, quæ sit visio Dei ut est in se. At lumen divinum intime præsens per modum ideæ efficit, ut ad occursum unius creaturæ judicemus de bonitate, quam nobis naturaliter exhibet quod est honestum & eptum, ad occursum alterius judicemus de magnitudine, quam nobis objicit aut corpus, aut animus. Judicamus vero per ideam ingenitam bonitatis & magnitudinis: sed hanc, quæ Deus est, cognoscimus ex parte, quia istic bonitatem, illic magnitudinem intuemur. Quapropter etiamsi adsit nobis idea summi boni, & lumen incommutabile, non illud videmus intuitive, quia, ut ait Apostolus, 1. Corinth. 13. *ex parte cognoscimus*: etque, ut inquit S. P. Augustinus Tract. XXXV. in Joan. *est quidem præsens divinus ac lucidissimus sol, sed radius per obliqua, & per anfractuosa ad cor tenebrosum missus est*. Deinde visio intuitiva requirit, quod procul tenebræ & caligines mentis abscedant. Quemquam vero præsto nobis est divinum lumen, non tamen removet phantasmata, & ærumnosæ hujus vitæ imagines ac simulacra, quæ veluti vapores ac procellæ serenum mentis cælum obtenebrant. Ergo nisi Deus intelligibilis sol procul hanc tenebrarum illuvionem expellat, quod repromisis se in cælesti Patria largiturum; tametsi cuncta ejus lumine videamus, ipsum intueti non possumus, quemadmodum in densa insilientium nubium caligine adest equidem lux solis, cujus ope corpora cernimus, solis tamen splendidissimum orbem non intuemur. Denique per ideam ingenitam videmus Deum esse veritatem incommutabilem, justitiam, legem æternam, quæ facile intelligimus ex signato super nos lumine vultus Domini: at in visione intuitiva videbimus Deum sicuti est. Quid autem sit videre in se Deum sicuti est, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Itaque visio Dei intuitiva præter Dei præsentiam habet aliquid in se præstantius, & inexplicabile, quod est liberalissimum Dei beneficium tanto explicatu difficile, quanto promitur ex divinæ majestatis thesauro. Legite Julianum Pomerium lib. 1. de vita contemplat. cap. 2. & Thomassinum lib. VI. Th. D. cap. XXS. num. 13.

Opp. 4. August. lib. X. de Civit. Dei cap. 22. ait, *solum peccatum caussam esse, cur Deum non videamus*. Ergo creatura innocens Deum naturaliter videret.

Resp. dist. ant. solum peccatum est caussa cur Deum non videamus, causse moralis, quatenus nos privat gratia sanctificante, qua obtinetur finis supernaturalis ad quem beneficio Creatoris fuimus ordinati, con. Caussa physica, quæ nos privat penitus intelligentia, quam misericordissimus Deus gratuita liberalissimaque beneficiorum suorum participatione potest ad se convertere, & perenniter explere, nego. Est etiam peccatum alio sensu caussa cur Deum non videamus. Nam si sermo sit de visione ebstractiva, qua Deum videmus dum ambulamus per fidem, peccati pœne est cæcitas mentis, in qua ei corporalium rerum imagines ita obversantur, ut ejus aciem non quidem extinguant, sed comprimant tamen, ac retardent; quum e contra Adamo ante lapsum vis intelligentiæ adesset jugis & splendidior, cujus ope posset summis rebus intendere, nullo phantasmatum fluctu, ac terrenarum curarum æstu turbatus. Si vero de visione loquamur intuitiva, quæ nobis in patria repromisse est, ea ob peccatorum maculas privamur, quoniam hanc mundis corde paratam esse divina testantur eloquia.

PROPOSITIO II. Neque e Deo creari potest rationalis substantia extra naturæ ordinem, quæ Deum naturaliter valeat intueri.

Hanc quæstionem, quam Scholastici amplissimam, difficillimamque reddiderunt, ex jactis fundamentis habes resolutam. Etenim nulla creatura quamtumvis perfecta efficere potest, ut Deus sibi præsens sit per modum objecti, & illius mentem moveat, nisi id pro suo beneplacito velit: Atqui ut Deus videatur intuitive necesse est ut Deus per modum objecti sit præsens: Ergo nulla creatura quamtumvis perfecta potest naturaliter Deum videre.

Oppones: Dari potest accidens supernaturale, qualis est gratia, & virtutum theologalium habitus: Ergo dari potest supernaturalis substantia: Supernaturalis substantia posset virtute sua Deum intuitive videre: Igitur, &c.

Resp. dist. ant. potest dari accidens supernaturale, creaturarum conditioni naturalites debitum, nego: sponte, & ex divine liberalitate collatum, concedo. Et distinguo cons. Ergo potest dari substantia supernaturalis, quam Deus naturaliter debeat in sui visionem movere, nego conse-

quentiam: quam Deus in sui visionem moveat gratuitu & libere, concedo consequentiam, & nego suppositum; ea enim substantia, quæ videret Deum motione ejus liberali, gratuita, & nullatenus debita, non esset revera supernaturalis, nec naturali sibique indita virtute videret Ipsummet Deum.

Hæc respondeo, ut evitetur modo quæstio de supernaturalibus auxiliis, atque habitibus, quæ sunt quidem accidentia, & intrinsece inhærent, sed non sunt fortasse mortuæ illæ qualitates, quas Theologorum vulgus invexit. Nam gratiam actualem quidam cum Suaresio in intima Dei assistentia sitam esse contendunt, quidam in actionibus indeliberatis ab ipso Deo præmovente perfectis, quidam in Dei motione quemcumque actum etiam indeliberatum præcedente: & qualitatem illam adhuc pluribus incompertam etiam Thomistæ aliqui rejecerunt, præsertim Joannes Gonzalez scriptor in hoc argumento clarissimus. Gratia itaque actualis est procul dubio supernaturale accidens respectu rationalis creaturæ, cui divina misericordia confertur, sed non est entitas parva, vel magna ab ipso Deo, ejusque concursu ad opus salutare distincta. Habitualis vero est ipsa participatio divinæ naturæ, sive forma, & modus quidam vitalis a Deo in anima excitatus, eique inhærens, a quo recte ordinata & justa fit permanenter, & unde consurgit in eadem anima vis, & facultas merendi, necnon promptius ac rectius supernaturaliter operandi, ipso Deo, ut diligentibus se spopondit, apud eam veniente, & mansionem faciente, atque peculiari gratia vigorem extraordinarium superfundente. Hoc sensu dantur accidentia supernaturalia. Quæ, cum sint a Deo, vel ab ejus operationibus indistincta, non patiuntur e nobis etiam admitti rem aliquam per se subsistentem, sejunctam a Deo, & supra naturæ ordinem constitutam. Cujus repugnantiam abunde probat argumentum, quod suppeditat Augustinus lib. II. de Civit. Dei cap. 2. dicens: *Quamvis non omnis beata possit esse creatura; ea tamen quæ potest, non ex se ipsa potest, quæ ex nihilo creata est, sed ex illo, a quo creata est*. Ex quo igitur creatura sit ex nihilo, non potest natura sue esse beata, neque naturaliter eas perfectiones habere, quæ ordinem universæ naturæ superexcedunt. Atque ne vager longius: Detur substantia quæcunque possibilis. Habet ne Deus aliquid dependentiæ ab hujusmodi substantiæ vi intellectrice? Minime gentium. Ergo, inquit Emmanuel Maignan Ph. sacræ cap. XV. Prop. III. nullam habet intellectus divino inferior aciem tam perspicacem, ut ejus aspectui Deus se non valeat subtrahere.

SCHOLION.

„ Creaturam supernaturalem dicimus, non quæ ordinem jam constitutum rerum conditarum excedat, sed quæ supra naturam conditionemque creaturarum etiam possibilium elevaretur. Nam posse a Deo semper produci perfectiora iis, quæ creare decrevit, & ratio omnipotentiæ demonstrat, & superiori libro declaravimus est. Igitur creaturam rationalem ac supernaturalem illam futuram fore affirmamus, si condi posset tam excellens ac nobilis, ut quæ modo sunt beneficia gratiarum, cujusmodi sunt gratia, lumen gloriæ, aliaque id genus, forent illi connaturalia, atque ingenitæ proprietates. Hanc vero Creaturam impossibilem dicimus. Primum quoniam creatura supernaturalis, quod per gratiam aliaque supernaturalia dona consequitur, id obtineret tanquam naturalem proprietatem. Esset ergo natura sua Dei filia, quoniam per gratiam sanctificantem redditur Dei filia adoptiva. Pari ratione foret natura sua immortalis; nam id per gratiam nancifcitur, ut beatitudinem adepta mori ulterius non possit. Similiter in peccatum labi non posset, quod & per gratiam supernam ei Deus largitur in patria. Naturali item facultate Deum ipsum, ut in se est, intueretur, eumque flagrantissime caritate diligeret, suamet natura beata. Esset denique immutabilis, ideoque suum esse. Quis potest mente assequi, in ordine naturali comprehensum iri substantiam aliquam, cui inesset Dei naturalis filietas, quæque foret omni ratione immortalis, peccandi incapax, propria sua virtute beata, Deoque immutabiliter adhærens, & nihilominus creata, producta ex nihilo, & Deo auctore suo longe inferior?

„ Nullum autem robur habere mihi videtur petita ab accidenti supernaturali comparatio. Etenim accidens inhæret alteri, substantia vero ast in se ac per se. Quare accidens, etiamsi supernaturale sit, creatum est, quoniam creatum est quidquid in alio recipitur: nam esse increatum esse *irreceptum* est. At substantia, quæ supernaturalis foret, non haberet esse supernaturale in se *receptum*, & consequenter per suum esse non distingueretur e substantia increata. Ita ratiocinantur Ægidiani.

CAPUT II.

Quod potest supernaturali lumine gloriæ rationalis Creatura Deum intueri, non autem illum comprehendere.

IN ALTERUM e diametro oppositum Eunomianis errorem septimo Christiani nominis sæculo inciderunt Armeni, qui intellectum creatum neque superno suffultum lumine posse clare Dei visione frui præfracte negaverunt. Quorum hæresim luculenter perstringit lib. XIV. cap. I. Radulphus Archiepiscopus Armacanus. His vero accesserunt, imperante Andronico Juniore, & Joanne Cantacuzeno, Tessalonicenses Monachi Palamitæ, contra quos steterunt Barlaamus & Acindynus, ut diximus cap. IV. præcedentis libri. Non enim putandum est, Barlaamum pluribus Græcorum Pseudosynodis damnatum partibus adhæsisse Palamæ, ejusque gregalium, ut ex Leone Allatio male refert Theologus alias accuratissimus Tract. de Vis. Dei quæst. I. dub. V. pag. 155. Asserebant autem Palamitæ isti, divinam essentiam, cum sit lux inaccessibilis, videri a Beatis tantummodo in quodam lumine increato & a divinitate diffuso ipsis etiam corporeis oculis aspectabili, eo fermo pacto, quo sol, in quem non possumus aciem figere oculorum, in radiis a se emissis conspicitur. Horum Græcorum hæresis sequenti exagitabitur capite, in quo de lumine gloriæ disputabitur. Nunc vero cum omnibus orthodoxe sentientibus sit

PROPOSITIO I. Intellectus creatus superno aliquo lumine circumfusus potest Deum, ut in se est, intueri.

Aperte probatur I. ex Dei verbo. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: inquit Matth. cap. V. 8. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: Apost. I. ad Corinth. cap. XIII. 12. & ibidem, *Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est*. I. Joannis III. 2. Et similiter de Angelis ait D. Matt. XVIII. 10. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei, qui in cælis est*. Quibus apertissimis divinarum Scripturarum repromissionibus accedit definitio Florentini Concilii sess. XXVI. in decreto unionis, & Benedict. XII. in Extravaganti, *Benedictus Deus*. Ubi decernitur exutas corporibus Justorum animas Divinam essentiam facie ad faciem videre.

Firmatur propositio PP. auctoritate. Quos inter Irenæus lib. IV. cap. 37. *Homines*, inquit, *videbunt Deum, & vivent per visionem, immortales facti, & pertingentes usque ad Deum.... Ille autem volens videtur ab hominibus, a quibus vult, quando vult, & quemadmodum vult*. Clemens Alex. lib. V. Stromat. *Perspicuum est enim, nullum unquam vita sua tempore posse Deum perspicue comprehendere. Qui autem sunt mundi corde, Deum videbunt, postquam extremam perfectionem attigerint*. Comprehendere autem, ait Clemens, id est, clare percipere & intueri, quod in præsenti vita aut nulli, aut paucis dumtaxat concessum est. Gregorius quoque Nazianzenus orat. XX. a Beatis ait, *Sanctam ac beatam Trinitatem videri purius, ac perfectius*. Idem tradunt Latinæ Doctores Ecclesiæ: Ambrosius Comment. in Lucam l. III. Novatianus de Trinit. cap. 26. Magnus Gregorius lib. XVIII. Moralium cap. 28. Prosper de vita contemplativa cap. 4. Bernardus serm. IV. in Festo omnium Sanctorum. Sed omnium disertissime Augustinus Epist. III. & II2. Nec non lib. XII. de Gen. ad lit. 26. XXII. de Civit. Dei cap. 29. Tractatu XXV. in Joan. & alibi. Unum tantum locum ex Epist. CXII. recitabo. *Si quæris, utrum Deus possit videri? Respondeo: Potest. Si quæris, unde sciam? Respondeo, quia in veracissima scriptura legitur, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, & cetera talia. Si quæris quomodo dictus sit invisibilis, si videri potest? Respondeo invisibilem esse natura; videri autem cum vult, sicut vult. Si quæris, utrum etiam sicuti est possit aliquando videri? Respondeo filiis hoc esse promissum, de quibus dictum est: Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Si quæris unde eum videbimus? Respondeo, unde Angeli vident, quibus tunc erimus æquales, idest, in Cælis videbimus. Scriptum est enim, Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris, qui in cælis est*.

Probatur denique Theologica ratione. Potest homo per gratiam consequi ultimum finem suum, æternamque vitam, ac repromissam sibi perpetuam beatitudinem: Ultimus finis, sempiterna vita, atque repromissa beatitudo est visio divinitatis in se: Ergo potest homo per gratiam in se ipsa divinitatem conspicere. Augustini est consecutio ista laudato nuper libro de Civit. Dei, ubi ait: *Præmium itaque fidei nobis visio ista servatur*. Et I. Confess. I. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*.

Opp. I. Sacræ literæ aperte testantur Deum invisibilem esse, & inhabitare lucem inaccessibilem; ita nempe Apostolus in I. ad Timoth. I. v. 17. & VI. v. I. Deinde hanc soli Filio privilegii tribuunt prærogativam, ut ipse solus noverit Deum Patrem, dicente Matth. cap. XI. 27. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius*. Et Joan. VI. 46. *Non quia vidit quisquam Patrem, nisi is, qui est a Deo*; & cap. I. v. 18. *Deum nemo vidit unquam*:

Uni-

Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Demum nec etiam Angelis facialis, ut appellant, Dei visio conceditur, quandoquidem ejus anguntur desiderio: ait namque Petrus Epist. I. cap. I. 12. *In quem desiderant Angeli prospicere.* Stant ergo contra assertum illud momenta Verbi Dei scripti luculentissima.

Resp. nego consequentiam. Primo enim ab Apostolo dicitur Deus invisibilis, quoniam neque oculo corporeo cerni potest, neque naturali cujusvis intellectus acumine, neque visione comprehensiva, de qua postmodum. *Quia nec ista testimonia falsa esse possunt, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et, Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est; negare non possumus filios Dei visuros Deum:* ait S. P. Augustinus Ep. III. Ubi probat Deum ab Apostolo appellari invisibilem, divinamque lucem inaccessam, propterea quod non videtur in hoc sæculo, & in altero nonnisi oculis cordis, mente scilicet, & affectu. Filio autem soli perfecta Patris notitia idcirco tribuitur, quoniam ipse in paterno consilit sinu, & exquisitam habet, perfectissimamque cognitionem; vel quoniam cum Patre habens cum divinitatis, tum scientiæ unitatem quidquid ei erat placitum & ejus consonum voluntati, intimus corde pernovit: vel demum quia Filius primus omnium cæli portas reseravit, nulli patentes, nisi quibus Patrem, fideique mysteria interioris gratiæ revelaverit illustratione. Quæ omnia ex Evangelicis verbis fiunt manifesta; nam Matth. XI. hæc leguntur: *Neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et Joannis VI. statim sequitur: *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Quamquam eo loco affirmat neminem Patrem vidisse suum, contra Judæos hæc submurmurantes: *Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cælo descendi?* Verba denique Petri Epist. I. si referantur ad Christum, vel ad Spiritum Sanctum, significant Angelos gaudere de Christi glorificatione, vel summa cum voluptate Spiritum Sanctum cum Patre Filioque intueri, non eo desiderio, in quo est anxietas, sed eo desiderio, quod in completa satietate semper accenditur, prout exponit Hom. VIII. in Ezech. Magnus Gregorius. At si referantur ad Fidei Sacramenta, ut plures contendunt, quod Græca, & Syriaca habeant constanter, *In quæ*, εἰς ἃ non, *in quem*, εἰς ὅν, prout & in Latinis nonnullis legitur, atque apud Ambrosium lib. IV. de Sacram. cap. 2. & Isidorum Pelusiotam lib. I. Ep. 119. Estium quoque Comment. in hunc locum, Hugonem Grotium, &c. tunc apertissimus videtur sensus, Angelos magnopere exoptare Christianæ Fidei incrementum, & summo cum gaudio conspicere præcognitam hominum redemptionem, dignitatemque Evangelii: de quo ait Paulus in I. ad Timoth. 3. 16. *Et manifeste magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.*

Opp. 2. Deus cum sit infinitus, esse non potest creatæ ac finitæ potentiæ objectum; debet enim inter objectum, & potentiam aliqua dari proportio: Intellectus rationalis creaturæ est finita, ac limitata potentia: Ergo Deus nequit esse hujusmodi intellectus objectum.

Resp. dist. majorem: Deus non potest esse objectum creatæ ac finitæ potentiæ, naturali virtute sibi indita ac propria operantis, concedo: intima Dei omnipotentia, ejusque virtute illam præmovente & elevante, prodeuntis in actum, nego. Deus non est objectum intellectus creati per naturales vires percipientis, atque intuentis, sed ut videat abstractive incommutabilem veritatem, eget divino lumine intime illustrante, rectamque veri notionem exhibente; atque ut videat in se, & facie ad faciem, indiget eodem lumine nedum illustrante, sed etiam per modum objecti specialiter concurrente, & intellectum vividius excitante. Quod vero naturalis potentia supernaturali suffulta virtute extra naturalem rerum sphæram exire valeat, revocari non potest in dubium, quum credere, diligere, & vitam æternam promereri, quod perficere non possumus naturaliter, non sit nobis impossibile accedente auxilio divinæ gratiæ, & speciali Dei præsentia, & concursu.

Insurges: Corporeus oculus, ut videbimus infra, nulla supernaturali virtute elevari potest ad videndum in se, non dico Deum, sed nec Angelum: Atqui major est distantia inter intellectum creatum & Deum, quam inter oculum & angelum: Ergo, &c.

Resp. caussam, cur oculus corporeus Angelum, aut Deum in se videre nequeat, petendam minime esse a potentiæ visivæ finitate, sed a modo, quo objectum attingit. Fit enim visio per hoc quod radii a re corporea exeuntes retinam feriant, & tot pressiones in nervi optici latitudinem imprimant, quot sunt diversi colores, aut diversi luminis gradus in omnibus partibus objecti. Quam retinæ latitudinem, pressionemque incidentium radiorum, speciem vocant, imaginem, ac similitudinem rerum corporearum: atque ita fit visio incisione, & refractione radiorum, per quam retinæ capillamenta motumque oriuntur excitationes, quarum occasione perficitur animæ sensus. At spiritualia non horum impressione simulacrorum, sed in seipsis, dummodo menti sint præsentia, conspiciuntur. Itaque dist. ma. Corporeus oculus elevari non potest ad videndum in se Deum, vel Angelum, propterea quod sit potentia finita ac distans a Deo, vel Angelo, nego; propterea quod visus natura sua sit sensus, ac perceptio in sola imagine, ac simulacro corporalis objecti radiorum ordinata incidentia depicto, nervorumque motione ad mentem delato, concedo. Huc spectat responsio e scholarum trivio petita, inter oculum & Deum nullam esse proportionem neque *entitatis*, neque *habitudinis*.

Est tamen quorumdam Philosophorum sententia, præsertim Maignani Philos. Nat. cap. XXXII. & Antonii le Grand part. III. cap. IX. posse Deum, vel Angelum oculis corporeis cerni etiam absque ullo assumpto corpore. Cum enim res corporeæ nullam aliam agendi vim habeant, quam ut moveant localiter; substantiæ spirituales videri possunt oculo corporis, si omnes motus exerceant, quos exercet, dum videtur, substantia corporea. Atque, inquiunt, hoc modo expeditius intelligitur, quomodo angeli se visui mortalium exhibeant, statimque abscondantur, videlicet movendo organum, lucemque flectendo, ut flecteret ac moveret corpus assumptum; & pro sua voluntate hujusmodi motiones omittendo, quod est sese hominum visui subtrahere. In quorum sententia ad argumentum respondetur non repugnare quod Deus videatur ab intellectu creato & finito, licet sit increatus, & infinitus, quoniam videtur modo finito; quemadmodum licet sit incorporeus, videri potest ab oculo, quoniam videtur modo corporeo. Neque, si hæc concedantur, sequitur Deum videri posse oculo corporis in se, & facie ad faciem, quoniam videre modo corporeo, non est videre in se, sed videre in simulacro & imagine picta, ut diximus, in latitudine retinæ.

PROPOSITIO II. Intellectus creatus Deum videns non potest illum comprehendere.

Comprehensionis nomine non qualemcunque cognitionem, sed plenissimam hoc loco intelligimus; nam S. P. Augustinus epist. 112. ad Paulinam cap. 9. ait: *Aliud est enim videre, aliud est totum videndo comprehendere; quandoquidem id videtur, quod præsens utcunque sentitur: totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt: sicut te nihil latet præsentis voluntatis tuæ, circumspicere autem potes fines anuli tui. Ex. gra. duo posui, quorum alterum ad mentis obtutum, alterum ad corporales oculos pertinet.* Et serm. XXXVIII. de Verb. Dom. alterum profert exemplum de homine, cujus videmus faciem, non autem illum comprehendimus, quod uno eodemque tempore faciem ac dorsum nequaquam aspiciamus. Requiritur autem ad comprehensionem, ut præter essentiam rei tota illius cognoscatur efficientia, & quilibet effectus, qui potest inde manare; idest, tam ea, quæ *formaliter*, quam ea, quæ *eminenter*, dicuntur inesse. Atque ita, ut comprehendatur Sol, non sufficit lucem, caloremque percipere; sed etiam quidquid ejus continetur potestate ac virtute, aurum, lapides, plantas, & corpora alia, quorum habet vim effectricem. Ad comprehendendum itaque Deum opus est ut cognoscantur universa, quæ ipsius scrutatur intelligentia, aut potest infinita virtus producere. Alii Theologi comprehensionem diversimode accipiunt: sed illam hoc modo explicant fere omnes nostri, itemque Vasquetius, & Petavius, qui lib. VII. cap. 4. plura aliorum, qui scripserunt contra Anomæos, ad comprehensionis naturam illustrandam recitat testimonia.

Probatur 1. Propositio ex sacris litteris; quum Job cap. XI. 7. habeatur: *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum Omnipotentem reperies?* Eccl. XXXV. 26. *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.* Ad Rom. XI. 33. *Incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* In quibus notandum est ita Deum incomprehensibilem dici, ut nullibi asseratur quod plane comprehendi possit, non sicut dicitur invisibilis, quod non asseritur ubique & constanter, sed visio ipsius sæpesæpius promittitur: quod argumento est non videri nativa creati intellectus virtute, videri tamen per gratiam. Concilium quoque Lateranense cap. *Damnamus*, approbat, & definit, *Deum esse summam quamdam rem incomprehensibilem.*

Tradunt id unanimi consensu Ecclesiæ Patres. S. Epiphanius hæresi lxx. *Cum invisibile illud*, inquit, *infinitum aspicit, non quatenus infinitum est illud intuetur; sed quantum illius, quod imbecillum est, natura capere potest.* Quod comparatione illustrat hominis per angustum foramen aspicientis, qui totam non videt illius altitudinem atque extensionem. Chrysostomus Hom. IV. contra Anomæos: *Dei exquisitam comprehensionem habere non potest Angelus, aut ulla creatura.* Et S. P. Aug. serm. XCVII. alias XXXVIII. de Verbis Dom. *Si enim comprehendis, non est Deus. Sit pia confessio ignorantiæ magis, quam temeraria professio scientiæ. Attingere aliquantulum mente Deum magna beatitudo est; comprehendere autem omnino impossibile.*

Probatur demum ratione. Tunc comprehenditur objectum, quando nihil latet videntem, quando cum amplitudine rei cognitæ mentis æquatur cognitio, quando percipitur quidquid in re objecta continetur, & ab ea

potest

potest effici; quam comprehensionis ideam supra explanavi, illamque erudita tradit antiquitas, neque eam rejicit D. Thomas in 111. contra Gentes cap. 56. Atqui non potest intellectus creatus & finitus hæc omnia percipere, cum latitudinem habeant infinitam, neque certus sit divinæ potentiæ ac virtutis terminus; sed procreari possint perfectiora in infinitum effecta: Non ergo potest mens finita & creata Deum comprehendere. Confirmatur: Ambrosius lib. v. de Fide cap. 7. Hilarius libro 9. aliique Patres demonstrant Filii divinitatem, quia in eo thesauri omnes sapientiæ, & scientiæ Dei sunt absconditi, novitque numerum omnium sæculorum, suorumque operum virtutes omnes, & caussas: Si ergo ad hanc sapientiæ plenitudinem quis pertingeret, possemus argumentatione simuli demonstrare, hunc esse ejusdem cum Deo summæ perfectissimæque substantiæ.

Opp. 1. Beati vident Deum ut est in se, cognoscunt non ex parte, sed quemadmodum cogniti sunt, noscunt supereminentem caritatem scientiæ Christi, implentur in omnem Dei plenitudinem, scrutantur quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum. Hæc omnia divinarum Scripturarum sunt verba. Igitur Beati Deum revera comprehendunt.

Resp. nego conf. Potest enim objectum aliquod videri in se, & facie ad faciem, tametsi minime tota ejus latitudo percipiatur, ut constat allatis exemplis hominis videntis per angustum foramen cælum, & intuentis faciem alterius hominis. Potest quoque totum videri objectum, & non ex parte, licet non comprehendatur, quando scilicet nihil latet videntem eorum, quæ *formaliter* sunt in re objecta; sed non attinguntur quæcunque ab ipsius pendent efficientia, ut explicavi comparatione videntis totam etiam, splendidissimamque lucem Solis. Potest cognosci, Dei bonitatem latissime in omnes homines se diffundere, & ex infima depressione miserrimos sublevare, quamvis hanc bonitatis amplitudinem, fundumque non possimus metiri, sicuti videmus e sublimi specula maris vastitatem non inspecto opposito littore, quo circumscribitur, & aquarum gurgite, quo impletur. Potest denique anima in plenitudinem felicitatis immitti, & omni gaudio prorsus expleri, etsi totam non comprehendat divinitatem; ut potest vas in aquam totum immergi, eaque plenum fieri, etiamsi capere solum possit minimam copiam aquarum.

Opp. 2. Beati totum Deum ita vident, ut nihil eos lateat: Videre objectum, itaut nihil lateat videntem, est illud comprehendere: Ergo Beati Deum comprehendunt. Ma. pt. Non potest res simplicissima, & carens partibus in se, & dilucide conspici, quin tota videatur: Deus est res simplicissima & carens partibus: ergo &c.

Resp. dist. ma. Nihil eos latet earum perfectionum, quæ sunt in Deo *formaliter*, concedo; quæ sunt in Deo eminenter, nego. Constat responsio ex dictis. Sunt qui his, ac similibus argumentis respondent, comprehensionem requirere æqualitatem & commensurationem cognitionis cum objecto, nempe, ut istud cognoscatur secundum omnes perfectionis suæ gradus. In quorum sententia, etsi Dei videretur plenitudo extensive, non foret tamen visio vere comprehensiva, quod non esset hujus cum re objecta adæquatio. Sed cum istud scholarum dogma improbent eruditi viri quamplurimi, satius erit si hac recente missa opinione, jamdudum impressis vestigiis gradiamur.

Dices: Beati divinam vident omnipotentiam: Divina omnipotentia connotat omnia quæ produci possunt a Deo, & quæ in eo continentur eminenter. Ergo Beati vident & ea, quæ sunt eminenter in Deo, atque illum comprehendunt.

Resp. eodem modo dist. majorem: Vident divinam omnipotentiam in se, idest divinitatem, ejusque vim effectricem creaturarum; conc. vident divinam omnipotentiam secundum id quod eminenter præcontinet, nimirum quascunque perfectiones creaturarum, quæ produci possunt a Deo, subdistinguo; communi quadam ac generali perceptione, quam efficit idea Omnipotentiæ, conc. peculiari ac distincta, quæ proficiscitur ab idea exhibente in particulari perfectionem singularum creaturarum, quas ipsa connotat Omnipotentia, nego. Scilicet ut videas sapientiam, providentiam, omnipotentiam, aliaque Dei attributa, sat est intueri divinitatem, quæ intelligit quidquid verum est, operatur quidquid bonum est, & producere valet quidquid possibile est. Ut vero divinitatem illam comprehendas, requiritur, ut clare percipias etiam objecta ipsa, & effectus, qui ad ipsam divinitatem quomodolibet referuntur.

SCHOLION.

„ ADversus priorem propositionem quidam Scholastici alia quædam objecta proponunt. Primum quidem: Rationalis creatura producere nequit habitum supernaturalem, sit in exemplo, habitum fidei, caritatis, ceterarumque virtutum: igitur nec producere poterit supernaturalem actum, cujus generis est Deum intueri facie ad faciem, atque ut est in se. Alterum vero: Objectum supernaturale attingi nequit, nisi modo supernaturali: ergo objectum infinitum pari ratione attingi nequit, nisi modo infinito; cujus finita & limitata potentia prorsus est incapax. Adversus item propositionem alteram: Comprehendere nihil est aliud, quam totum videre: Deus autem partibus & extensione caret; cum indivisibilis, & simplicissimus sit. Videtur itaque a beatis totus, ideoque comprehenditur.

„ Facillima est responsio. Primum enim retorquetur ad demonstrandum oppositum; quippe per auxilia supernaturalium gratiarum actus *supernaturales*, ut fidei, caritatis, &c. eliciuntur. Habitus autem *supernaturales*, quemadmodum & actualium gratiarum dona, nequeunt a creatura rationali produci, quoniam ei conferuntur, ut supra naturales vires operetur; & quod naturam perficit, elevat, eique potestatem confert sublimiorem atque perfectiorem, ipsam naturam excedat necessum est. Quod sequitur, eadem diluitur facilitate. Etenim illa est actio *supernaturalis*, quæ versatur circa objectum supernaturale. Est autem actio *infinita*, quæ nullo circumscribitur termino: ideoque *supernaturalitas* ab objecto naturæ ordinem excedente desumitur, *infinitas* ex ipsius actionis incircumscripta virtute. Quamobrem ut actio sit *supernaturalis*, sufficit si qualitas supernaturalis accedat, quæ naturalem potentiam perficiat: Ut vero actio *infinita* sit, necessaria item est vis, aut qualitas infinita. Qualitas supernaturalis creaturæ communicari potest, qualitas infinita communicari non potest. Tertium item quamfacillime solvitur. Etenim Deus *formaliter*, ut Scholastici inquiunt, est unus, est simplex, est impartibilis: *eminenter* autem est omnia, est singularum rerum perfectio, est multiplex extantium atque possibilium creaturarum essentia, virtus, proprietas. Quamobrem distinguitur propositio: Est simplex, ac totus videtur, secundum id quod *formaliter* est, prout requiritur ad visionem, quæ dicitur *intuitiva*, concedo: secundum id, quod est *eminenter*, prout necessum est ad cognitionem illam, quæ in Scholis dicitur *comprehensiva*; id negamus.

CAPUT III.

Inquiritur in varias veterum, ac recentiorum de lumine gloriæ opinationes.

SATIS sit ex antecedente cap. manifestum posse rationalem creaturam, si lumine illustretur superno, usque ad beatissimam Dei visionem pertingere, quod nativa ac naturali virtute minime potest assequi. Hujus superni luminis necessitatem demonstrat Viennense Concilium damnans Beguardos, & Beguinas asserentes, *Quod qualibet intellectualis creatura in seipsa naturaliter est beata; quodque anima non indiget lumine gloriæ ad Deum videndum, & eo beate fruendum*. Atque istud impium dogma priori cap. profligavimus. Inquirendum ergo, in quo necessarium illud lumen sit proprie constituendum; quod Concilium, ne Scholasticorum placitis definitionem Fidei immisceret, caute prætermisit.

Fuit ergo Gregorii Palamæ, aliorumque Græcorum sententia lumen gloriæ esse lucem increatam, a divinitate diffusam, ab eaque distinctam realiter, etiam corporeis oculis aspectabilem. Pro quorum errore, supino quidem, atque inter hæresum monstra censendo, hæc afferri possent momenta. Primo: Definitum est in Synodo Byzantina act. iv. sub Andronico Juniore, & Joanne Patriarcha contra Barlaamum, & Acindynum, lumen Transfigurationis Dominicæ increatum esse, & a divina substantia distinctum: idque Monachi omnes Thessalonicenses tam aperte demonstrarunt, ut in horum sententiam Synodus universa descenderit; ac demum Barlaamus ipse, ut refert Cantac. lib. 2. cap. 40. prodiens in medium, veniamque suppliciter petens propriam confessus sit ignorantiam, & caussæ cesserit. Deinde, ut argutabatur David Monachus, Dei substantiam neque homo, neque Angelus videre potest, quum Deus inhabitet lucem inaccessibilem: videtur itaque in lumine, quod est quidem increatum & a Deo emanans, sed non divina substantia. Præterea sic argumentatur Philotheus; Quemadmodum sol ab oculo, ita Deus ab intellectu videtur: At sol non potest videri ab oculo, nisi radiis ab illo effusis; nam si quis propius accedere tentat, ob luminis immensitatem exuritur, & excæcatur: Igitur neque Deus lux inaccessa & invisibilis conspici potest ab intellectu, nisi in lumine quodam divino a se profluente. Postremum Græcorum illorum argumentum est: Lumen gloriæ est regnum Patris, paratum sanctis ante mundi constitutionem: Regnum Patris æternum est, & increatum: Ergo æternum, & increatum est lumen gloriæ.

Verum contra hanc absurdam Palamitarum opinionem immotum stat fundamentum, quod præmissum est cap. v. superioris libri Prop. 111. Quidquid est, aut Deus est, aut creatura: Lumen illud non est Deus: Ergo est creatura. Tum illud Barlaami, & Gregoræ: Quod oculis corporeis visum est, non est lumen increatum ac divinum: Thaborium lumen corporeis oculis visum est a discipulis: Ergo Thaborium lumen divinum, & increatum non erat. Hæc autem adeo sunt inconcussa, ut ipse Cantacuzenus Gregorii

Pala-

Palamæ studiosissimus cap. 39. scripserit: *Ut legatus Patrum verba ei recensuit, ad cetera quidem se continuit: lucem autem in Thabor increatam audiens, O rem absurdam, exclamat; fumum enim fugientes in ignem incidimus. Audi cœlum, & auribus percipe terra. Lux in Thabor increata: quid ergo illa aliud, nisi Deus secundum vos? nihil enim increatum, nisi Deus. Si autem lumen illud neque res condita, neque Dei natura est, (Deum enim nemo vidit unquam) quid reliquum, nisi vos duobus Diis servire, uni quidem omnium fabricatori, quem & inaspectabilem omnes confitemur: alteri vere ex sententia vestra sub aspectu cadenti, & increato lumini?* Cui argumentationi plura Cantacuzenus ipse, & Philotheus Patriarcha reponunt, sed futilia verba sunt, ut observat in notis ad Hist. Cantac. Gretserus.

Argumentis autem superius positis facillime occurritur. Nam ad primum dico Synodum illam Byzantinam, aliasque habitas in caussa Barlaami & Acindyni, non esse œcumenicas, ut falso putat Prateolus, sed Schismaticorum Græcorum ab Ecclesiæ sinu, & veritatis fideique lumine aberrantium. Præterea neque certum est eam Synodum, præsertim cui Barlaamus interfuit, aliquid de increato lumine decrevisse; sed, si quid statutum est, evenit postquam Barlaamus Byzantio discesserat, frigidius catholicam veritatem sublinente Acindyno. Quamquam vero Cantacuzenus scribit, Barlaamum a Palama publice convictum, & propriam confessum ignorantiam, omnem diligentiam pro errore emendando impigre se adhibiturum promisisse; Gregoras tamen lib. x. narrat noluisse Imperatorem, ut de his, quæ ad dogmata spectabant, ageretur, & Barlaamum sub vesperam spectaculo Synodali absoluto, ignominiam gravissime ferentem, plenis velis in Italiam, & ad Latinorum instituta, quibus erat educatus, rediisse. Secundum autem argumentum, quod in relatione de dissidio Barlaami, & Palamæ refert David Monachus, si quid efficeret, probaret tantum errorem, qui olim apud Armenios invaluit, non posse divinitatem in se videri, & quem paullo ante impugnavi. Tertium nihil est præter anilem delirationem; quippe supponit operationes ac proprietates Dei realiter distingui a divina substantia, quemadmodum splendor solis a sole. Postremum denique potest ultro concedi; nam regnum æternum paratumque ante mundi constitutionem nihil est aliud, quam ipse Deus, qui olim dixit Abrahæ: *Ego merces tua magna nimis.*

Refutata opinione Græcorum, videndum est de communi Scholasticorum sententia. Uno ore affirmant lumen gloriæ esse qualitatem, & habitum supernaturalem infusum a Deo intellectui Beatorum, quo is ad videndum intuitive Deum elevatur. Quod Theologi probant his argumentis; ac primo: Non minus est permanens in beatis lumen gloriæ, quam sint in viatoribus fides, spes, caritas, & aliæ supernaturales virtutes: Illæ sunt quidam habitus, & qualitates creatæ, & a Deo infusæ: Ergo qualitas & habitus creatus, & infusus a Deo, est etiam lumen gloriæ. Rursus: Requiritur lumen gloriæ non ex parte objecti, cum illud sit summe intelligibile, sed ex parte potentiæ, quæ perfici debet, & ad actum supernaturalis visionis expeditam adipisci facultatem: Intellectus vero non potest hoc modo perfici, nisi creatam qualitatem a Deo infusam recipiat. Denique: Lumen gloriæ neque Deus est, neque ipsa visio, ut Nominales arbitrantur: Non est Deus, nam alias damnari non debuissent Beguardi, quandoquidem non negarent Deum ad beatam visionem intervenire; neque est ipsa visio, quia Viennense Concilium definit requiri lumen ad visionem Dei, ideoque sufficienter hanc ab illo secernit: Atqui si lumen gloriæ non est Deus, neque ipsa visio, necesse est, ut sit qualitas creata, & habitus supernaturalis animæ infusus: Ergo, &c.

Huic sententiæ tam firmiter adhærent D. Thomæ, ac B. Ægidii Discipuli, ut affirment, neque divinitus fieri posse quod absque hujusmodi creato lumine divina videatur substantia: quod sequentibus demonstrant argumentationibus. Non potest, inquiunt, oculus carnis videre solem nisi ejus lumine affectus: Ergo neque intellectus Deum, nisi ipsius fulgore ac lumine irradiatus. Ad hæc: Non sufficit ad videndum Deum in se uberior concursus, ut Scotistæ, Tournely, Duhamel, & communiter existimant recentiores, cum istiusmodi concursus nihil ponat in potentia, sed solum influat in actum: Requiritur ergo superinfusa aliqua virtus creata, quam lumen gloriæ propter munus mentem illustrandi compellamus. Tertio, ut arguit Contensonius, tametsi Deus supplere possit caussæ secundæ efficientiam, & producere ex. gr. lucem absque sole, non potest tamen efficere, ut caussa aliqua effectum producat absque intrinseca virtute producendi, & sol illuminet non formatus vi illuminandi: Non ergo efficere potest ut intellectus divinitatem in se attingat, nisi suffultus sit supernaturali luminis gloriæ virtute.

Ab hac communiori sententia nonnulli recedunt, qui existimant lumen gloriæ idem esse cum specie impressa, quam major pars Theologorum docet esse eamdem divinam essentiam unitam menti beatorum. Et quidem nullam dari claram imaginem ac similitudinem Dei, quæ creata sit, rectissime probat D. Thomas, quoniam per similitudinem inferioris ordinis nullo modo superiora possunt cognosci; non enim per speciem corporis spiritum possumus intelligere, neque per similitudinem hominis angelum: & consequenter neque per creatam imaginem æternam divinamque intueri naturam. Neque vero species & imago tam pura & defæcata potest produci, ut inaccessibilem lucem valeat quomodolibet adæquare. Quam D. Thomæ doctrinam divinitus revelatam noster appellat Ægidius. Putat ergo Emmanuel Maignan cap. xv. Philos. Sacræ Prop. VII. lumen gloriæ esse eamdem speciem Dei impressam, scilicet divinam essentiam conjunctam cum intellectu creato objective: quod probat ex corporeæ lucis analogia. Si enim, inquit, species coloris nihil aliud est, quam lux suis radiis retinam feriens, quod communiter dicitur species intentionalis; neque erit lumen gloriæ aliud, quam ipsa lux divinitatis intellectui beatorum conjuncta. Hac autem sententia, ait præcedente propos. VI., optime conciliantur diversæ Doctorum sententiæ, quorum alii tradunt lumen gloriæ se tenere ex parte objecti, alii vero ex parte potentiæ. Nam cum sit conjunctio divinæ essentiæ cum intellectu, & objectum & potentiam simul importat. Neque singularis est hæc opinio Maignan, sed eam antiquissimi aliqui Scholastici tradiderunt, quos refert noster Gavardi Tom. I. Scholæ Æg. pag. 671. Atque a specie impressa indistinctum esse lumen gloriæ putat etiam Vasquesius, sed non existimat, divinam essentiam uniri immediate beatorum menti per modum speciei intelligibilis; quod etiam sentit noster Lusitanus, & Argentinas: falso tamen, ut infertur ex dictis.

Parum ab hac sententia distat Dionysius Petavius, qui lib. VII. cap. 8. num. IV. duo notatu digna tradit: unum est, quod nemo hactenus liquido demonstravit, qualis sit hujusmodi actuosa facultas, qua ad videndum Deum spiritualis natura fulcitur. Alterum, quod ex veterum doctrina videtur potius ad objectum, quam ad potentiam intellectricem referri. Antiquiores enim beatissimam illam lucem Deum ipsum interpretantur, ut Plotinus Enn. V. lib. III. c. 17. ubi de Deo inquit: *Hic verus est animæ finis lumen illud attingere: & per ipsum ipsum intueri: non alterius, inquam, lumine contueri, sed per ipsummet, per quod & videt. Per quod enim illuminata est, idipsum est quod videri oportet.* Quibus similia habet S. P. Augustinus lib. I. de Peccat. meritis cap. 19. In Petavii itaque sententia, nullum est lumen gloriæ, præterquam ipse Deus; quamvis inquirendo potius hæc scribit, quam rem obscurissimam definiendo.

At Ludovicus Thomassinus lib. VI. cap. 16. num. VIII. & seqq. nedum arbitratur lumen gloriæ, quod a pluribus annis increbuit, increatum & a divinitate indistinctum; verum etiam esse specialiter personam Spiritus sancti beatorum mentes illuminantem. Profert vero in hujus sententiæ confirmationem locum insignem Basilii lib. de Spiritu Sancto cap. 18., & alterum Gregorii Nysseni Orat. in S. Steph., qui disertissime docent, Spiritum Sanctum esse lumen illud divinum, de quo Ps. XXXV. *In lumine tuo videbimus lumen.* Addit ex istorum, aliorumque Patrum doctrina, quod sicut non possumus videre Patrem nisi per Filium, ita neque Filium videre possimus nisi per Spiritum Sanctum, quem Filii imaginem ac similitudinem etiam Athan. in Epist. ad Serapion. & Cyrillus Alex. in XXXIII. Thes. nuncupaverunt. Ita inquit constare quo pacto beati videant Deum, & Deus tamen videri non possit nisi a seipso, quia vis, & potentia qua videtur est Spiritus Sanctus, species in qua videtur est Filius; & mens creata sub hac specie, & in hoc lumine delitescens Deum videt. Hæc ille Tom. I. Th. Dogmat. p. 392.

In expositis Theologorum placitis ubique aliquid offenditur difficultatis. Communior Scholasticorum opinio vera est in quantum locat lumen gloriæ in habitu & qualitate supernaturali elevante potentiam: sed in eo quod sitam plures volunt naturam istius habitus in entitate creata ab anima & intellectu distincta, mihi, ut verum fatear, non probatur. Quæ est enim tam efficax & speciosa entitas inanimis & mortua, quæ inter creaturam & Deum, inter finitum & infinitum inducere possit adæquationem? Et si modo ad recte de veritatibus mutabilibus judicandum eget anima, ut diximus lib. I., incommutabili, & increato lumine veritatis: multo magis superno & increato lumine opus erit ad videndam in se & facie ad faciem ipsam divinitatem, veritatemque immutabilem. Contra opinio Maignani in eo placet, quod lumen gloriæ a divina natura unita per modum speciei inseparatum constituat; sed munus luminis gloriæ non satis exponit. Sicuti enim Gratia supernaturalis non est sola unio Deitatis per modum speciei intelligibilis, hanc enim gratiam non negabat Pelagius, qui admittebat propositionem ac manifestationem objecti sub nomine legis ac doctrinæ, sed necessaria est ulterius E. G. ad fidem qualitas supernaturalis confortans & elevans intellectum ac voluntatem: ita ad visionem Dei non sufficit unio objecti ad potentiam, nisi huc superaddatur qualitas & habitus quidam supernaturalis, ut communiter tenent Scholastici. Præterea: Beguardi qui dicebant naturaliter posse videri Deum, consequenter affirmabant divinam naturam naturaliter uniri animæ per modum speciei intelligibilis, & tamen negabant necessitatem luminis gloriæ: Ergo ad lumen

glo-

gloriæ præter unitionem divinæ essentiæ per modum speciei aliquid aliud requiritur. Ob eamdem rationem non satis exacta videtur sententia Petavii existimantis lumen gloriæ ad subjectam rem, non ad videndi potentiam pertinere. Ultima Thomassini opinatio, me quidem judice, penitus falsa est. Recte siquidem Patres contra Macedonianos & Arianos demonstraut Spiritum Sanctum eamdem habere divinitatem cum Filio, eamdemque Filium cum Petre, quia illustratione Spiritus Sancti cognoscitur Filius, & revelatione Filii dignoscitur Peter, eu quod res inferioris ordinis non possunt ideam rerum exhibere superiorum. At ratio luminis gloriæ non potest specieliter uni Personæ, & non aliis quadrare; tum quia omnes æqualiter in patria sese exhibent aspectabiles; tum quia indivisa sunt opera Trinitatis, quæ communibus & inseparabilibus attributis exercentur. Addo totam Trinitatem esse unum lumen inaccessibile, neque de Patris splendore veram fidem tenentibus seperari Filium, & Spiritum Sanctum, ut probat lib. 20. contra Faustum Magnus Augustinus. Ergo si Pater non videtur proprio lumine, neque videbitur lumine Spiritus Sancti, eum sit idem lumen, unum, inseparabile & indistinctum. Quæ cum ita sint, ex præfatis omnibus scitis, ne trochi in morem agamur, profero theorema istud.

PROPOSITIO: Lumen Gloriæ est ipse Deus, sive divinum & increatum lumen beatorum menti intime affulgens, suoque fulgore ac motione imprimens illi qualitatem & habitum; qui tamen non est entitas quædam realiter distincta ab anima, sed ejus ordo, affectio, & modificatio.

Quod lumen gloriæ sit ipse Deus intime præsens probatur. I. Ex Scripturis, quibus omnes Theologi probant hujus luminis necessitatem. Ps. xxxv. 10. legitur: *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Is. lx. 19. *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultro sol tuus, & luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Apocal. xxi. 23. *Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus est Agnus:* & xxii. 5. *Non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos.* His verbis designari lumen gloriæ Theologi omnes fatentur. Atqui non aliud innuitur lumen præterquam ipsum Dominum, & Agnum, idest Verbum Patris: Ergo ipse Dominus, ejusque increatum divinumque lumen est lumen gloriæ.

Probatur 2. ex PP. præsertim Augustino, qui lib. de moribus Eccl. Cath. cap. xi. ait: *Secutio igitur Dei beatitatis appetitus est, consecutio autem ipsa beatitas. Ac eum sequimur diligendo, consequimur vero non cum hoc omnino efficimur quod est ipse, sed ei proximi, eumque mirifico, & intelligibili modo contingentes, ejusque veritate, & sanctitate penitus illustrati, atque comprehensi. Ille namque ipsum lumen est, nobis autem ab eodem illuminari licet.* Lib. xii. de Gen. ad lit. *Aliud est autem ipsum lumen quo illustratur anima, ut omnia vel in se, vel in illo veraciter intellecta conspiciat. Nam illud ipse Deus est, hoc autem creatura; quamvis rationalis & intellectualis ad ejus imaginem facta, quæ cum conetur lumen illud intueri, palpitat infirmitate, & minus valet. Cum ergo illuc graditur, & a carnalibus subtracta sensibus, illi visioni expressius præsentatur, non spatiis localibus, sed modo quodam suo etiam supra se videt illud, quo adjuta videt quidquid etiam se intelligendo videt.* In Ps. xxxv. *Si lumen est, oculos meos parem.* Serm. 284. *Lumen est, accede, cape, vide.* Et lib. 1. de Peccat. mer. c. 19. *Verumtamen si percepto baptismate de hac vita emigraverit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manet in æternum, justificatos præsentia creatoris illuminat.* Hoc loco male scribit Petavius lib. xvi. cap. 8. indicati aliquod lumen a divina essentia diversum: quod enim incommutabiliter manet in æternum, est idem Deus.

Theologi, qui admittunt lumen creatum, respondebunt allata Scripturæ & Augustini testimonia intelligenda esse de luce objectiva, non de ea quæ se tenet ex parte potentiæ: sed liquido ex dictis constat tam lucem objectivem, quam illam, qua Deus videtur, esse idem divinum lumen; & eamdem sempiternam divinitatis lucem eam esse, quæ videtur, & in qua videtur: quæ conspicitur, & quæ illuminat: ad quam acceditur, & quæ capitur: qua illustratur anima, & quæ conspicitur. Non ergo inter lucem objectivam & inter eam quæ se tenet ex parte potentiæ aliquod intercedit discrimen.

Ratione ita hæc propositionis pars suadetur. Requiritur lumen gloriæ ut Deus in se videatur, quod intellectus finitus & creatus disponi debeat ad objectum supernaturale, quod longe ipsius naturam excedit: Qualecunque creatum lumen non potest ita intellectum disponere ut clare videat Deum, qui omnem creatam potentiam supergreditur: Ergo qualecunque creatum lumen non potest esse illud lumen gloriæ, quo Deus in se videatur. Deinde: Sicuti impossibile est per similitudinem inferiotis ordinis superiora repræsentari & cognosci, ita impossibile est per lumen ordinis inferioris superiora videri, Ex. grat. per lumen candelæ cælum, per lucem solis angelum: Sed ex quo per similitudines rerum inferiorum superiora repræsentati non valeant, D. Thomas 1. P. q. xii. art. 2. recte probat non esse possibilem speciem impressam creatam, quæ Deum, ut in se est, repræsentet: Ergo ex quo lumine ordinis inferioris superiora non videantur, infertur non esse possibile lumen creatum, quo Deus videatur, ut est in se. Denique: Lumen gloriæ nihil aliud præstat, quam mentem illustrare, movere, ac perficere: Solum lumen divinum abunde illustrat, roborat, perficitque mentem beatorum, eum in se virtutem omnem perfectionemque contineat: Ergo solum lumen divinum est lumen gloriæ.

Quod vero præter intimam præsentiam increati luminis requiratur qualitas, habitus, seu animæ modificatio, probatur I. Quia ex definitione Viennensis Concilii necesse est ut elevetur potentia. Deinde quia sola intima præsentia objecti non sufficit ad visionem, alias quilibet etiam viator, ac damnatus videret Deum, qui ubique est per suam immensitatem, nobisque semper intimior, ut ait Augustinus, intimo nostro. Tertio quia anima videndo Deum perficitur simul ac movetur; sola autem Dei præsentia neque perficit, neque mover.

Ergo ad primum communioris sententiæ argumentum respondeo habitum fidei, spei, & caritatis esse qualitatem creatam & infusam, non quod sit entitas quædam distincta ab anima, sed affectio, modificatio, & veluti impressio in ipsa anima divinæ efficientiæ ac virtutis: eo fere modo, quo figura & imago facta impressione sigilli nihil est aliud, quam subjecti dispositio, & affectio. Est igitur lumen gloriæ & lumen increatum, & qualitas etiam & habitus: lumen increatum si accipiatur pro lumine, quo anima perenniter illustratur; habitus & qualitas creata, si accipiatur pro affectione animæ, quam caussat divinum lumen. Ita solares radii sunt lumen simul, & species intentionalis; lumen quatenus illustrant oculum; species, quatenus feriunt retinam, & axem opticum imprimunt. Ad secundum respondeo, utique lumen gloriæ se tenere etiam ex parte potentiæ, quoniam objectum intime præsens minime videretur, nisi sese in mentem imprimerer, nec advertentiam, ad quam creatura nativam virtutem non hebet, supernaturali efficientia produceret. Ad tertium dico lumen gloriæ esse quidem Deum interiori splendore deitatis propriæ affulgentem, sed ulterius animam afficientem & illustrantem; & merito damnatos Begnardos, quoniam affirmaverant videri divinam essentiam solo lumine naturalis intelligentiæ, non lumine increato ac divino, de quo legitur; *In lumine tuo videbimus lumen.*

Conciliantur autem ex dictis discrepantiæ Theologorum, quorum aliqui negant etiam de potentia ebsoluta videri posse divinitatem in se absque lumine gloriæ, alii ex opposito affirmant. Etenim videri potest absque lumine aliquo creato, & qualitare infusa distincta realiter ab anima: & videri non potest absque intima præsentia Dei mentem ereatam moventis & elevantis.

Ad argumenta Maignani dico lumen gloriæ esse quidem divinam essentiem unitem intellectui beatorum, sed huic unitioni addendam esse dispositionem, & qualitatem effectam a Deo non solum intime unito, sed etiam operante, ec movente. Atque hoc sensu exponendæ quoque sunt Patrum auctoritates, quas conjecturam faciendo laudat & profert Petavius.

Ad Thomassini placitum assero, præter dicta, Spititum Sanctum dici lumen gloriæ, quia istud non attinet ad naturæ ordinem, sed ad gratiam, cujus auxilio supernaturalia opera efficiuntur. Spiritui enim Sancto gratiarum tribuuntur charismata. At quemadmodum lumen quod videtur non est sola Spiritus Sancti persona; ita lumine, quo videtur, non est solum Spiritus Sancti auxilium.

Oppones rursus. Visio beatorum est actio immanens vitalis: Actio immanens vitalis requirit principium intrinsecum animæ inhærens, quod non potest esse Deus, cui repugnat alteri, tanquam forma, inhærere: Ergo, &c. Confirmetur; etenim in voluntate ed amandum supernaturaliter Deum necessaria est gratia, quæ intrinsece animæ inhæreat.

Antiquiores quidam Theologi, inter quos Meyron in iii. sent. dist. xii. q. 2. resp. animam videndo & intelligendo non agere, sed pati; ideoque disparem esse inter intellectionem voluntatemque rationis caussam; plus enim ad agendum, quam ad patiendum prærequiritur. Et quidem humanam mentem intelligendo pati assentiuntur simul Platonici, & Cartesiani, qui docent haberi perceptionem ex quo mens a Deo informetur rerum ideis, ut 11. parte lib. 3. de veritatis inquisitione explicat insignis Philosophus Nicolaus Malebranch, Purchotius 2. parte Metaph. sect. iii. cap. 4. &c. Quin & veteres Peripatetici perceptionem spectare docent ad intellectum, quem vocant *possibilem*. At quia intelligendi opus exigit quidem ideas rerumque imagines, quibus mens formatur humane; sed indaginem quoque veritatis, contemplationemque, qua mens excitata objecti impressione aut se convertit ad externa, aut quodammodo in seipsa tecluditur: ideo conc. majori, dist. minorem; Actio immanens, & vitalis requirit

prin-

principium intrinsecum, quod sit forma quædam, & qualitas distincta ab anima, nego: quæ sit ipsa anima simul cum intima præsentia Dei illum efficienter adjuvantis, ac moventis, concedo.

Ad confirmationem dico: quemadmodum lumen gloriæ est Deus illustrans mentem & efficaciter voluntatem inflammans ad videndum ipsum Deum, eoque perenniter, beateque fruendum: ita gratia est Dei misericordia, & voluntas sanctam cogitationem, & bonum voluntatis motum operans. Atque hoc pacto tam lumen gloriæ, quam gratiæ auxilium, increatum, & creatum dicuntur; idest, increatum, quatenus sunt Deus ipse animæ illapsus ac præsens; creatum vero, quatenus sunt animæ elevatio ac motio vi effectrice Dei præsentis & operantis producta, ut supra dixi. Addo quoque responsionem eorum, qui docent lumen gloriæ esse quidem habitum & qualitatem distinctam ab anima, sed absolute suppleri posse per uberiorem concursum Dei; scilicet quod lumen non est formalis caussa, neque principium vitale; quoniam caussa formalis visionis est ipsamet actio mentis: vitale autem dicimus, quod procedit a principio vitali intrinseco, non quod ab exteriori producitur caussa; unde fit quod lumen gloriæ concurrat ad visionem Dei tantum efficienter, ut probat art. 2. concl. 3. Toumely. Quamquam Deus & principium intrinsecum est, & operationum animæ potentior caussa, quam sit qualitas quæcumque creata, tametsi rationem nullam habere possit partis, ac formæ; ut ait lib. 3. cap. 4. l. B. Du-Hamel. Sed de lumine gloriæ satis disseruisse mihi videor.

SCHOLION.

Requiri ad intuitive Deum videndum lumen gloriæ certissima, & indubitata res est: quid autem sit ipsum gloriæ lumen, ambigua res est, neque omnino comperta. Nequit in Schola Ægidii propugnari statura a nobis thesis, quod idem lumen sit ipse Deus menti beatorum intime affulgens: quamvis & nos addidimus, qualitatem, seu habitum, cujus Deus intime præsens sit causa effectrix. Ut ergo Gratiam aliam increatam dicimus, creatam aliam; ac prior est Dei omnipotentia ac pietas nobis supernam virtutem impertiens, gratia autem creata est illa virtus a Deo misericordissimo ac potentissimo nobis collata; neque unum confundi debet cum altero: ita lumen gloriæ aliud est lux illa inaccessibilis quæ est ipse Deus, aliud autem lux ab illa inaccessibili in beatorum mente producta, qua beati spiritus illustrati & confortati illius contemplandæ redduntur idonei. Hanc itaque lucem, qua intellectus roboratur & ad speciem divinæ pulcritudinis intuendam erigitur, non esse Deum ipsum hujus substantiam, quæ cum sit incommutabilis, est suum esse, sua veritas, sua lux, sua beatitudo, suadent Theologi, propterea quod lux increata est objectum visionis beatificæ, lumen autem gloriæ est mentis creatæ fulcrum atque adjumentum; illa est id quod videtur, istud autem illud est, per quod videtur. Oportet autem ut quod ad potentiam, hujusque complementum virtutemque pertinet, ab objecto, circa quod potentia versatur, distinctum sit. Primo enim falsum esset, necessarium esse lumen gloriæ ad videndum Deum, si lumen illud a lumine gloriæ non foret distinctum. Nam quænam esset quæstio, nisi forte insulsa, & ludicra, inquirere an ad videndum Deum requiratur Deus, seu ad attingendum objectum necessarium sit objectum? Deinde Deus in se est lux inaccessibilis; ad illum itaque per ipsam lucem, quæ Deus est, nisi participatione supernæ virtutis, nequit mens creata accedere. Præterea Deus, ut auctor supernaturalis gratiæ, atque gloriæ, intelligi nequit, nequit diligi, absque lumine fidei, absque caritatis inspiratione; atqui lumen fidei non est Deus, in quem credimus; inspiratio caritatis non est Deus, quem diligimus: igitur Deus, ut auctor gloriæ videri non potest absque lumine gloriæ, lumenque istud non est Deus, qui videtur. Ulterius definiens Ecclesia necessariam esse gratiam Christi ad credendum, sperandum & diligendum, ut oportet, nomine gratiæ non intellexit Deum, in quem credere, sperare, & dilectionem debemus intendere: definiens itaque eadem Ecclesia necessarium esse lumen gloriæ ad videndum Deum in se, per lumen gloriæ nequaquam significavit. Deum ipsum, ad cujus visionem, fruitionemque beatam rationalis creatura irrequieto motu adspirat. Postremo S. P. Augustinus de spiritu, & anima cap. 12. docet non videri a beatis spiritibus inaccessibilem lucem divinitatis, nisi per emissum ab ipsa luce splendorem, *Sicut oculus non videt solem, nisi in lumine solis*: ut ergo tria secernuntur, oculus, sol splendescens, & lux solis oculo affulgens; ita distinguenda tria sunt, Deus splendidissima lux, mentis & intelligentiæ acumen, & lumen a Deo emissum irradians mentem, eamque collustrans. Vide Ægidium in 2. sent. dist. 3. p. 2. q. 2. & dist. 23. quæst. 2. art. 1. Adisis & S. Thomam pr. p. quæst. 12. art. 5.

CAPUT IV.

An Palamitarum errori Chrysostomus, Theodoretus, & Hieronymus præluserint?

SCRIPSIT Chrysostomus contra Eunomium, & Aetium Dei naturam adeo sublimem ac impenetrabilem esse, ut Angelorum quoque prorsus superet intelligentiam: eumque plures cum Græci, tum Latini nominis Patres secuti sunt. Hinc abrepta ab incolis Montis Atho occasio asserendi quod Deus videtur in lumine, sive effluvio divinitatis, non autem in se. Vix Chrysostomum posse excusari censet Gabriel Vasquez disp. XXXVII. cap. 2. & 3. ubi in deteriorem partem trahit alios quamplures. Dubitatur autem præ ceteris de Hieronymo, & Theodoreto: nam si possunt hi ad veram sententiam accommodari, conciliabuntur facile & alii, quorum dicta ambigua sunt & obscura. Defendunt autem illos contra Vasquesium, aliosque paucissimos, omnes fere pii, doctique Theologi; ac præter illos, qui in Sententiarum libros commentaria ediderunt, Sixtus Senens. lib. VI. Biblioth. ann. 182. Ferdinandus Vellosillus in Advert. ad tom. 1. Chrysost. quæst. V. Natalis Alexander sæc. IV. cap. V. art. XXX. Dupin. tom. III. Biblioth. Petavius lib. VII. cap. V. & VI. Capisuccus in controversiis, &c.

Serio autem in hac, aliisque circa Patrum mentem disputationibus est observandum, qua occasione, & quibus emergentibus hæresibus scripserint. Videntur enim aliquando in partes declinare extremas, oppositasque adversariis. Ita Cyrillus in suis contra Nestorium Anathematismis scopum dissertationum ejus non attendentibus visus est ad Eutychianos deflectere; & ubi unam adstruit Christi personam, duplicem negare naturam. Atque Augustinus adversus Pelagianos originale peccatum, & Salvatoris gratiam demonstrans visus quandoque est imperitis ad partes accessisse Manichæorum; & ubi necessitatem prædicat gratiæ, arbitrii tollere libertatem. Itaque exorta Aetii & Eunomii nefaria hæresi, Catholici PP. clamabant Deum esse invisibilem, idest ejus naturam comprehendi non posse, neque evidentibus rationibus explicari.

PROPOSITIO I. Chrysostomus non visionem Dei in se, sed solam comprehensionem possibilem esse negavit.

Assero ex eodem Chrysostomo testimonia luculentissima. Homil. III. in epist. ad Philipp. *Justi*, inquit, *sive hic, sive ibi cum Rege sunt: atque ibi quidem multo magis propius, non quasi quodam interjecto vestibulo, non per fidem, sed facie ad faciem.* In Paræn. 1. ad Theodorum lapsum: *Quid dicemus quando regiis cubiculis adapertis intueri licebit ipsum Regem, non per speculum nec per ænigma, sed facie ad faciem: non amplius inquam per fidem, sed per speciem?* Et in Oratione de S. Philogono: *Hic quidem nemo Deum vidit: illic autem qui adsunt, perpetuo vident, quatenus illum videre licet, non solum præsentem, verum etiam gloriæ splendore condecorantem cœtum.*

Deinde Chrysostomus animadvertens fore ut aliqui summam ei petulantiam objicerent, quod ne supremis quidem Virtutibus Deum comprehensibilem esse affirmaverit, diserte Hom. XIV. in Joannem docet, se creaturis illam denegare cognitionem, quam de Patre habet Filius, idest perfectam, & infinitam, & quæ divinam substantiam, ejusque efficientiam exhaurit. Hunc vero seipsum interpretandi canonem ac regulam tradit. *Quoties audis Deum nullum vidisse, illud intellige, nullum esse qui Dei substantiam exquisita ratione perceperit.* Ex quibus sic argumentor; Qui tradit justos in patria videre Deum facie ad faciem, non tamen habere plenissimam divinitatis cognitionem, quam habet divinum Verbum, is proculdubio negat tantummodo possibilitatem comprehensionis, non visionis beatæ: Chrysostomus docet justos videre Deum facie ad faciem, sed non adeo exquisite ac plene, quemadmodum videt Filius: Ergo Chrysostomus non beatæ visionis negat possibilitatem, sed solius comprehensionis.

Opp. 1. Chrysostomus Hom. 23. in Genes. ait, *Divinæ gloriæ fulgurantem majestatem neque Cherubim, neque incorporeæ illæ Virtutes videre possunt, sed aversa facies tegunt objectis alis:* Et Hom. 14. in Joann. *Id quod est Deus non modo prophetæ non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli.* Idem affirmat Hom. 2. 3. & 4. de incomprehensibili Dei natura. Igitur possibilitatem visionis Dei revera negat Chrysostomus.

Resp. hæc de visione perfecta, & exquisita, cui adæquatur objecti intelligibilitas, esse accipienda. Constat responsio ex dictis, ex scopo Chrysostomi, ex præmissis contextibus, & ex verbis, quæ citata Hom. XIV. subjicit: *Multi Deum cognoscimus, & tamen ipsam substantiam, qualis est, solus ejus Unigenitus cognoscit, qui certam notionem, visumque, & comprehensionem habet, qualem Filium de Patre habere par est.*

Insurgit Vasquesius: Citata Hom. XIV. ait Chrysostomus: *Si eos percuntaberis,* (idest Angelos) *nihil ab his de Dei substantia audies, sed tantum referentes: Gloria in altissimis Deo, &c.* Igitur aliquid de substantia Dei enarrare non possunt: At narrare possent, si intuitive viderent: Ergo intuitive non vident.

Resp. narrari, & explicari non posse divinam, altissimamque

que naturam vocabulo aliquo exprimente quidquid in se Deus est, ut dixi lib. II. cap. I. sicut enim circumscribi non potest termino, ita explanari non potest voce; ut audacter putabant Aetii, & Eunomii gregales. Distinguo itaque primum cons. Angeli aliquid de substantia Dei enarrare non valent, quod perfecte divinam cognoscibilitatem, & notitiam adæquet, quam habet Unigenitus in sinu Patris; concedo: Aliquid enarrare non possunt ulla prorsus ratione, subdistinguo, quia Deum non vident, nego: quia Dei natura etiamsi videatur mente, non potest designari verbis; concedo. Plura namque percipi possunt, quæ narrari non valent, ut de arcanis mysteriis, quæ vidit Paulus in raptu, ait 2. ad Corinth. XII. 4. *Non licet homini loqui*.

Insistit Vasquesius: Anomæi non adeo erant insani, ut sibi comprehensivam cognitionem arrogarent; non ergo de comprehensione contra eos agit sanctus Antistes.

Resp. nego ant. De Eunomio enim scribit idem Chrysostom. Homilia II. de incomprehensibili Dei nat. *Ausus est homo dicere, Deum novi, ut ipse Deus seipsum novit. Hæccine confutatione indigent? Hæccine demonstratione? An non satis est, hæc sola verba proferre, ut tota eorum impietas reveletur? Etenim hæc insania est perspicua, amentia inexcusabilis*, &c. Et Hieronymus in cap. II. Matth. *Erubescat Eunomius*, inquit, *tantam sibi notitiam Patris & Filii, quantam alterutrum in se habeant, vindicans*.

Opp. 2. Chrysostomus cognitionem Angelorum, quam de Deo habent, appellat revelationem, & indulgentiam ei similem, qua sese Deus Patriarchis, & Prophetis manifestavit.

Resp. id quidem recte contra Anomæos; ut videlicet ostenderet visionem Dei non pertinere ad naturalem vim intelligentiæ, sed esse gratiæ beneficium ipsa fide, & prophetici spiritus illustratione præstantius.

Opp. 3. Ut probet Dei invisibilitatem, Chrysostomus utitur exemplo oculi corporei, atque idem de oculo affirmat & de intellectu Angelorum: Oculus corporis nullatenus videt Deum, ut est in se: Ergo per Chrysostomum neque oculus mentis, sive intellectus.

Respond. Quemadmodum ad visionem oculi requiritur imago radiis circumfusis, & in tunicas, humoresque inflexis finita ac picta, ita ad comprehensionem necessaria est quod veritas & virtus objecti sit in mente undequaque nota, & circumscripta; unde infinitum nulla ratione potest a creatura comprehendi. Dist. itaque majorem. Chrysostomus idem affirmat de oculo corporis, & de oculo mentis; id est, docet Deum immensum atque infinitum nulla posse infinita intelligentia comprehendi, sicut non potest ulla sensibili specie repræsentari, concedo: id est, putat eamdem vim ac potentiam inesse sensibus, ac menti; nego majorem.

Opp. ultimo: Asserit Hom. XIV. Deum visum ab Angelis solummodo post assumptam humanitatem.

Resp. Post assumptam humanitatem visum fuisse ab Angelis divinum Verbum speciali quodam modo comprehensum & circumscriptum, non in sempiterna substantia, sed in forma servi, & in similitudine hominum.

PROPOSITIO II. Ut Chrysostomus, ita Theodoretus immerito erroris in hac quæstione a quibusdam insimulatur.

Sese abunde purgat Theodoretus sequentibus locis. Comment. in epist. ad Ephes. tom. III. suorum operum ait: *Nunc bonorum, quæ sperantur, magnitudo est quidem omnino ignota fidelibus. Per fidem enim ambulant, non per speciem: tunc autem videbunt facie ad faciem*. Et in vita S. Jacobi Anachoretæ, *Collectis*, inquit, *undique multis prophetis, multisque Apostolis, & Martyribus quamplurimis omnes una in arca reposuit, cum sanctorum populo habitare cupiens, & cum eis resurgere, divinoque conspectu potiri*. Habet similia in vita S. Eusebii. Itaque hinc ratio ista depromitur: Qui vident facie ad faciem, & divino potiuntur conspectu, Deum, ut in se est, intuentur: Justorum animæ per Theodoretum vident facie ad faciem, divinoque aspectu & contemplatione potiuntur: Ergo per Theodoretum Deum, ut in se est, intuentur.

Opp. I. Theodoretus in Dialogo, qui inscribitur Atreptos, id est, *Immutabilis*, ait: *Impossibilis est hominibus, imo etiam Angelis divinæ naturæ contuitus*. Et in cap. 14. epist. 1. ad Corinth. *Hic videmus symbola Dominici corporis: illic autem ipsum Deum videbimus; id enim significat* facie ad faciem. *Videmus autem ejus, non quæ sub aspectum non cadit, naturam, quæ a nullo cerni potest; sed eam, quæ de nobis sumpta est*. Ergo Theodoretus facie ad faciem solam Christi humanitatem videri testatur, non vero inaccessam divinamque naturam.

Resp. Theodoretum priores tres dialogos conscribere contra Eutychianos, qui cum unicam assererent in Christo naturam, consequenter putabant etiam divinam in terris apparuisse. Quoniam vero Hæreticus, quem Heranistem vocat, plures errores ex superioribus hæresibus simul consuerat, ut in Præfatione Atrepti Theodoretus declarat, ob Anomæorum qui tunc grassabatur errorem, divinam essentiam indiscriminatim vocat invisibilem, ea nempe visione, quam arrogabant sibi Eunomiani, comprehensiva, ac plenissima. Dist. itaque ant. Impossibilis est per Theodoretum divinæ naturæ contuitus, corporeis oculis, ut existimabant Eutychiani, concedo; oculis mentis, subdistinguo, contuitus modulo rationis nostræ attemperatus, qualem statuunt Orthodoxi, nego: exquisitus ac plenus, qualem jactabant Anomæi; conc. Hujus autem distinctionis priorem partem tradit aperte eodem Dialogo Theodoretus, ubi postquam asseruit divini Verbi incarnationem ex Baruch. v. 15. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*: & ex Apostolo I. ad Timoth. 6. *Deus manifestatus est in carne*; ait: *Apte ergo divinus dicit Apostolus, Deus manifestatus est in carne. Per hanc siquidem apparuit natura, quæ cerni non poterat. Per hanc illam quoque viderunt Angelorum turmæ: visus est enim, inquit, Angelis. Nobiscum igitur hujus doni particeps facta est etiam incorporea natura*. Nimirum Angeli post incarnationem Dominicam viderunt Deum indutum humanitate, qui non poterat divinitate comprehendi; ut dixi præced. prop. ad ult.

Quod vero Theodoretus deneget Angelis solam visionem plenam & comprehensivam, constat ex eodem Dialogo; ubi postquam comparavit visionem Angelorum ei, quam & Prophetæ & Patriarchæ habuerunt degentes adhuc in terris, excludere se comprehensionem, quam sibi Aetiani arrogabant, satis indicat dicens: *Sic ergo de Angelis intelligamus audientes quod semper vident faciem Patris vestri; non vero vident divinam substantiam, quæ nec circumscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest, & quæ universa comprehendit*. Commentariis autem in Epist. 1. ad Corinth. constat sermonem instituere de Christi humanitate, cui recte potest accommodari illud Apostoli: *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*. Nam videndi quoque Salvatorem nostrum flagramus ardore, quem adoramus speciebus ac symbolis velatum in Sacramento Corporis sui. Quo inflammatus ardore idem Apostolus ad Philipp. I. 23. *Coarctor*, inquit, *desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*.

Opp. 2. Trahitur a nobis Theodoretus in hunc sensum, quoniam in Comment. Ep. ad Ephes. fatetur Justos aliquando visuros Deum facie ad faciem: Atqui hoc etiam loco loquitur de Humanitate Christi: Ergo nullo fundamento ad communem sensum ille pertrahitur. Pr. minor; nam recitatis verbis hæc subnectit: *Videbunt naturam pro nobis assumptam, ab omni creatura adoratam, & sanctos una regnantes*.

Resp. dist. min. Loquitur Theodoretus de humanitate Christi, quæ sola sit aspectabilis fidelibus, & infidelibus post corporum resurrectionem in extremo Judicio, concedo: quæ sola sit visibilis beatis Animabus in Paradiso Sanctorum, nego. Distinguit illic Theodoretus quod videbunt Justi, qui ambulant per fidem, & quod videbunt fideles simul, & infideles. De Justis affirmat visuros magnitudinem bonorum, quam vident modo per speculum & in ænigmate: de utrisque ait, quod aspicient assumptam a divino Verbo naturam. *Fideles*, inquit, *vident tanquam in speculo & in ænigmate: per fidem enim ambulant, non per speciem: tunc autem videbunt facie ad faciem*. Et statim: *Fideles & infideles videbunt naturam ex nobis sumptam*, &c. Itaque per Theodoretum qui ambulant per fidem, videbunt facie ad faciem ignotam nunc bonorum omnium amplitudinem, quam credunt ac sperant; Infideles vero solam Redemptoris humanitatem, non illam beatitatis plenitudinem, quam præparavit Deus diligentibus se. Ergo Fideles ac Justi præter sumptam a nobis naturam, sempiternam quoque ac divinam intuebuntur.

PROPOSITIO III. Neque S. Hieronymus visionem divinitatis in se credidit esse impossibilem.

In Commentariis ad I. Esajæ caput v. 10. scribit S. Hieronymus: *Homo igitur Dei faciem videre non potest. Angeli autem etiam minimorum semper vident faciem Dei. Et nunc in speculo videmus & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in angelos profecerimus, & potuerimus cum Apostolo dicere: nos autem omnes revelata facie gloriam Dei speculantes in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam, quasi a Domini spiritu*. Quæ Epistola 112. explicans Augustinus ait: *In his verbis hominis Dei multa consideranda sunt. Primum quia secundum apertissimam Domini sententiam etiam ipse sentit tunc nos visuros faciem Dei, cum in Angelos profecerimus, quod erit utique in resurrectione mortuorum*.

Dices: Ait ibidem Hieronymus: *Faciem Domini secundum naturæ suæ proprietatem a nulla videri creatura*.

Resp. non videri quidem divinitatis naturam juxta sui proprietatem, scilicet plene, & tam exquisita cognitione, quæ illius æquare possit infinitatem.

Quoniam vero hujus generis plurima reperiuntur in Patribus, propter quæ a Vasquesio adducti sunt in suspicionem erroris; triplicem, ad illorum sensum deprehendendum, aperio viam. Ac prima est, si eos interpretemur de oculis corporeis, quibus omnino redditur invisibilis substantia spiritualis & inextensa. Et quidem *visio* usitatissima significatione corporis sensum videtur potius designare, quam mentis; ut enim in I. Periarchon scribit Origenes, sive germanus ille, sive Rufini fraude depravatus, *Aliud est videre, aliud cognoscere. Videre & videri, corporum res est: cognosci & cognoscere, intellectualis naturæ est*. Hinc Joann.

xx. 19. & innumeris Scripturæ locis, verbo *videndi* sensus comprehenditur, seu corporalis substantiæ contuitus. Altera via planissima & expedita est, si Patrum dicta accipiamus de comprehensione, de qua S. P. Augustinus ait: *Ideo Deum nemo vidit unquam, quia eam, quæ in Deo habitat, plenitudinem divinitatis nemo conspexit, nemo mente, aut oculis comprehendit*. Quo sensu Theodoreti & Chrysostomi verba paullo ante ad dogma Catholicum revocavimus. Postremo plura de præsentis vitæ statu, præsertim vero juxta nativam mentis capacitatem possunt exponi; de qua priori capite disputavimus. Hanc triplicem rationem ac viam ostendit lib. VI. Bibl. S. Sixtus Senensis: is eam acceperat a D. Thoma 1. p. q. XII. art. 1. ad 1., qui præsertim secundum interpretandi modum amplectitur: & Angelicus Doctor ex Augustinu laudata Epistola 112. modo 114. ad Paulinam. In qua Epistola S. P. priorem viam aperit cap. 5. dicens: *Corporalibus oculis non quæritur, nec circumscribitur visu*. Secundam cap. 6. ubi ait: *Plenitudinem divinitatis nemo comprehendit*. Tertiam ac ultimam cap. 14. scribens Deum *invisibilem esse natura, videri autem, cum vult, sicut vult*. Tanto Magistro non erit perdifficile Ambrosii, Euchetii, Anastasii, Theophylacti, Euthymii, aliorumque sensa deprehendere.

SCHOLION.

„ PRæter Joannem Chrysostomum, Theodoretum, & Hieronymum, alii Patres a nonnullis morosis criticis traducuntur, tamquam Armenorum hæreseos, Dei visionem impossibilem asserentium, fuligine adspersi. Sunt hi Ambrosius, Isidorus, Basilius, Epiphanius, uterque Cyrillus, Hierosolymitanus nimirum, & Alexandrinus, Gregorius Nyssenus, Primasius, Theophylactus, atque Euthymius. Horum vero testimonia ita intelligenda sunt, ut solam comprehensionem, plenissimamque, & quantum extendi potest, nullisque limitibus circumscriptam infinitæ Deitatis notitiam denegent creaturis. Quis enim sibimet persuadeat tam eximios & percelebres Ecclesiæ Patres errorem apertissime sacris litteris contrarium, communi fere consensu adoptasse, & credidisse Angelos non videre *in cælis faciem Patris*, neque hanc visionem promitti *mundis corde*, sed etiam in Patria videri illum *in ænigmate, & per speculum*, non autem *facie ad faciem*: quis, inquam, sibi id persuadeat, quasi Dominus in Evangelio mentitus fuerit, fictitiam nobis promiserit felicitatem, verbaque nos decipientia Evangelistis & Apostolis inspiraverit? Nunquam id in animum inducam meum.

„ Igitur ut de Joanne Chrysostomo, ita de ceteris prælaudatis Patribus judicium ferendum est, solam nempe visionem comprehensivam ab iis denegari. Ac de Joanne Chrysostomo melius, quam fecerit Vasquesius, proculdubio censebit, quisquis præter loca superius producta legerit data opera tertiam, & quartam homiliam de incomprehensibili Dei natura, ex quibus plura exscripsit Franciscus Sylvius volumine 1. idest, in 1. p. S. Thomæ q. 12. art. 1. nec non volumine 5. in sexta, & septima oratione Apologetica. Legendus & Dionysius Petavius lib. 7. de Deo, ejusque proprietatibus cap. 5. Ac primus attendendus est Chrysostomi scopus, qui est Anomæos refellendi, atque vindicandi incomprehensibilem supremi numinis majestatem. Perpauca itaque de aliis Patribus adnotemus. Ac S. Ambrosius, qui comment. in Lucam cap. 1. inquit Deum a nemine videri, non solum *si de hominibus* loquamur, verum etiam *si de cælestibus virtutibus, ac potestatibus*, sese aperte explicat scribens: *Deum nemo vidit unquam, quia eam, quæ in Deo habitat, plenitudinem Deitatis nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit*. S. Isidorus item in Exodi cap. 42. tam de humana, quam de Angelica natura, inquit: *Videre Dei essentiam plene non valet*. At adverbium *Plene* difficultatem elidit omnem. Neque movere quemquam debet, quod Isidorus ait, privilegium videndi Deum soli Trinitati *& humanitati* a Verbo *susceptæ* congruere: humanam quippe naturam pro Persona in ea subsistente accepit, ut sequentia verba declarant, *Quæ est tertia in Trinitate Persona, nempe una ex Tribus*. Quamquam sunt Isidori editiones, quas emendatiores esse arbitror, in quibus legitur: *Trinitas sibi soli integre nota est, & humanitas a Christo suscepta*. Legerunt quoque tum S. Thomas, tum Scotus, aliique in 3. p. dist. 14. *Trinitas sibi soli nota est, & homini assumpto*; eoque testimonio usi sunt ad demonstrandum Christo duntaxat collatam in hac vita fuisse plenitudinem illam sapientiæ & scientiæ Dei, etiam comparate ad animam mentemque humanam, cujus capax esse valeat quælibet creata natura. Ceterum prior quoque lectio germana est: nam aliter Isidorus loquitur in Exodum, aliter vero lib. 1. de summo Bono cap. 3. atque priori in loco legitur, *Humanitati susceptæ*, in altero, *Homini assumpto*, seu, *Humanitas a Christo suscepta*.

„ Addamus de Græcis Patribus perpauca. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 6. ait angelos Deum videre *οὐ καθὼς ἐςὶν ὁ Θεὸς, ἀλλὰ καθόσον καὶ αὐτοὶ χωρῦσιν*, *non sicut Deus est, sed quantum ipsi capere possunt*: & majori perspicuitate proxima catechesi 7. *Θεοῦ τὸ πρόσωπον οἱ ἄγγελοι διὰ παντὸς βλέπουσιν ἐν τοῖς οὐρανοῖς. βλέπουσι δὲ κατὰ τὸ μέτρον τῆς οἰκείας τάξεως ἕκαστος*. *Dei faciem angeli semper vident in cælis: vident autem pro mensura quisque ordinis sui*. Eadem ratione loquitur Cyrillus Alexandrinus, dum in Thes. 32. scribit non posse ullam creaturam intelligentia sua *divinam amplecti substantiam*; & dum primo libro Commentariorum in Joannem docet Patrem soli naturali filio adspectabilem esse, *prout dignum est Deo*. Verbum enim *περιδράξασθαι*, *circumplecti*, & undique comprehendere, & quasi circumligare, & vincire, quod priori occurrit in loco, atque adverbium in altero appositum, *θεοπρεπῶς*, *modo qui Deo dignus sit*, absque ulla ambiguitate plenissimam perfectissimamque denotant comprehensionem. Haud secus Gregorius Nyssenus, qui Orat. 24. sermonem instituit de accurata perceptione divinæ substantiæ, quam negat posse cognitione complecti, usus verbo, *περιλαβεῖν*, seu *περιλαμβάνειν*, *comprehendere*, & *circumamplecti*, sive *undique capere*. Epiphanius pariter hæresi 70. & in Anchorato negat illam Dei visionem, quæ est intelligentiæ, & *speculationis infinitas*: itemque Basilius in 1. contra Eunomium de illa cognitione verba facit, qua Unigenitus Dei filius & Spiritus Sanctus divinam Patris substantiam *penitus comprehendunt*. Hac ratione Theophylactus, Euthymius, & si qui sunt alii, erunt a nobis explicandi. Aliqui enim utuntur comparatione oculi per foramen cælestia corpora aspicientis, eaque intuentis quidem, at non secundum totam illorum extensionem atque amplitudinem: alii, ut quos laudavimus, ad mentis spiritualem cognitionem significandam, verba adhibent exprimentia actionem, qua manibus brachiisque corpora amplectimur & circumdamus; & alii beatorum spirituum introitum in Domini gaudium æquiparant situlæ in mare, puteumve immersæ, quæ pro sua utique quantitate aquam capit, & illa usque ad summitatem impletur, sed totam minime exhaurit. Profecto nisi hac ratione Patres & Scripturarum Sanctarum vetusti interpretes accipiantur; tantus est numerus, ac tanta illorum auctoritas, qui ajunt Deum ab angelis, vel hominibus videri non posse, ut Armeniorum & Palamitarum hæresis Evangelio aperte repugnans, magno Veterum fulciretur præsidio: iidemque Veteres, qui & doctrinæ, & sanctitatis laude plurimum commendantur, in eodem versati fuissent errore: quo nihil absurdius, judicio quidem nostro, potest excogitari.

CAPUT V.

Num juxta Augustinianam Theologiam Dei natura oculis cerni possit corporeis.

CORPORALIBUS oculis Deum esse invisibilem universa fatetur Theologorum caterva, ita ut mirentur aliqui eximium Ecclesiæ Doctorem Augustinum in re tam manifesta ac patente dubium ancipitemque extitisse. Imo vir clarissimus & in assidua veterum lectione versatus non solum Sanctum Parentem dubium nutare scribit; verum etiam aliquando oppositum opinantis partes agere, & ne tolerabilem quidem opinionem explicare. Petavii lib. VII. Theolog. Dogmatum cap. II. num. 3. istud judicium est. At habet Augustinus in sacrarum disciplinarum palæstris innumeros ac strenuissimos Defensores, qui tenent perspicacissimæ mentis Patrem nullibi asseverantet contrariam vulgati opinioni tradidisse sententiam. Ego vero omnium minimus non solum Augustini ingenuam probo doctrinam, sed fidenter quoque pronuncio, præstantissimum Ecclesiæ Doctorem & firmissime Deum carnis oculo invisibilem tradidisse, & circa hanc veritatem nunquam penitus dubitasse. Atque id lubentius affirmo, quod præter Augustiniani instituti Scriptores certum istud ratumque habeant Thomassinus lib. VI. cap. XV. Juenin dissert. IV. art. 3. Cardinalis Gotti Tract. de Vis. Dei Quæst. 1. Dub. V. Tournely Qu. X. art. 1. Habert cap. XIV. Paragraph. IV. Boucat Tom. 2. dissert. 1. art. VII. aliique quamplurimi.

Ut vero juxta Augustini principia quæstio solvatur, & simul ejus auctoritas vindicetur, recolendum est, quod monui cap. 2. prop. 1., in hoc sitam esse oculi naturam, ut ad ejus visionem requiratur, quod anima sese convertat ad contemplandam rem objectam non immediate in se, vel in idea congenita, sed in imagine, quam radii a singulis objectorum punctis prodeuntes, & in tunicas & humores inflexi mirabili naturæ magisterio pingunt in retina. Quapropter visio suapte natura exigit, ut per eam exteriora cernantur objecta, eaque partibus singulis, tanquam penicillis, in oculi fundo exaratis, non in se inspiciantur: quod si fieret, non sensus perageretur, sed intellectio. Eadem enim anima & sentit & intelligit: sentit ac videt ministerio oculorum, dum per radiorum impulsum fertur in simulacra vi exteriori depicta: intelligit, dum ad internas ac per se notas ideas convertitur.

Notandum præterea ætate Augustini fuisse nonnullos etiam Episcopali præditos dignitate, qui asserebant in al-

tera vita futurum fore, ut Deus corporalibus oculis videatur; quam opinionem S. P. Epistola 92. alias 6. refellit, veramque dementiam appellat. Sed cum quidam Episcopus Augustiniana Epistola illatam sententiæ suæ notam conquereretur, & assereret post generalem corporum resurrectionem carnales oculos evasuros spirituales & alterius naturæ, & consequenter ad videndam in se divinitatem idoneos; Augustinus singularis modestiæ exemplo, & pacis servandæ laudabili studio dedit ad Fortunatianum Epistolam 148. olim 111. in qua veniam enixe precatur, si quid in præcedenti acerbius a se scriptum fuerit; repetens tamen recta fide tenendum esse quod Deus, cum sit incorporeus, est omnino oculis carnalibus invisibilis. An vero post resurrectionem corpora alterius futura sint conditionis ac naturæ, ut efficiantur spiritualia, propter commotum Episcopum definire non existimat opportunum; sed tamen argumenta profert invicta, quibus hæc postrema opinatio impugnatur, quam merito dicit tolerabiliorem priori, id est, arbitrantium quod Deus videri possit oculis hujus corporis: *quia*, inquit, *conatus mentis utcunque ferendus est volentis corpus convertere in spiritum; non in corpus Deum.* Pollicetur autem se de hoc corpore spirituali alibi disputaturum: quod præstat Epist. 147. alias 112. & lib. XXII. de civit. Dei cap. 29. ita tamen, ut ubique propendeat in sententiam negantem corpus illud spirituale, de quo unicuique liberum relinquit opinandi quidquid sibi videbitur, magis accedere ad veritatem.

Distinguenda est igitur duplex quæstio; una, in qua Augustinus constantissime perstitit, & negantem sententiam propugnavit, possitne divinitas cerni corporeis oculis: alteram, quam prudentissime indefinitam reliquit, sed propriam nihilominus aperuit mentem, num corpora resurgentium erunt spiritualia. Quibus prænotatis ostendam 1. Augustinum firmissime tradidisse, quod Deus nulla ratione videri potest oculo corporali: deinde quod prudenter definire noluit quæstionem de spirituali corpore resurgentium: ulterius quod hæc nullo modo spectat ad præsentem disputationem; & denique, licet istam arbitrio reliquerit opinantium, se tamen stare pro contraria sententia satis manifestasse, atque spiritualia resurgentium corpora negavisse.

PROPOSITIO I. Augustinus affirmavit Deum invisibilem esse corporeis oculis, non dubitanter, sed assertive.

Hanc propositionem probo apertissimis ejusdem Augustini testimoniis. Nam lib. 1. de Trinit. cap. 6. ait: *Videri autem Trinitas humano visu nullo modo potest.* Et lib. VIII. cap. 4. *Non enim est corpus, ut carneis oculis inquiratur.* Lib. de serm. Dom. in monte cap. 2. *Quam ergo stulti sunt illi, qui Deum istis exterioribus oculis quærunt, cum corde videatur.* Et Epist. ad Italicam 6. nunc 92. *Deus est lux mentium purgatarum, non istorum corporis oculorum. Erit ergo tunc mens idonea, quæ illam lucem videat, quod nunc nondum est. Hoc autem oculus videre corporis neque nunc potest, neque tunc poterit.* Et prope finem ejusdem Epistolæ: *Multa proferri possunt ad istam dementiam refutandam. Ad hoc enim fide corda nostra mundantur, quia nobis fidei merces visio Dei promittitur. Quæ si per corporis oculos erit, frustra ad eam percipiendam Sanctorum animus exercetur.* Hanc vero sententiam tanta constantia tenuit Augustinus, ut male eam quibusdam audientibus, Epistola CXLVIII. ad Fortunatianum Siccensem Episcopum ita scripserit: *Sicut præsens rogavi, & nunc commoneo, ut fratrem nostrum, de quo collocuti sumus, videre & rogare digneris, ut ignoscat mihi si quid durius & asperius in se dictum accepit in ea Epistola, quam me modo scripsisse non pœnitet, quia dixi istius corporis oculos nec videre Deum, nec esse visuros. Caussam quippe adjunxi cur hoc dixerim, ne scilicet Deus ipse corporeus esse credatur, & in loci spatio intervalloque visibilis. Nihil enim videre aliter istius Corporis oculus potest. Et ne illud quod dictum est,* facie ad faciem, *sic accipiatur, tanquam membris corporis terminatus sit Deus. Ideo me ergo dixisse illud non pœnitet, ne de ipso Deo tam impie sentiamus, ut eum non ubique totum, sed per localia spatia divisibilem existimemus. Talia quippe his oculis novimus.* Non video quid his manifestius possit proferri.

PROPOSITIO II. Augustinus nedum tradidit oculis carneis non posse conspici Deum, sed ipse omnia suppeditavit argumenta, quæ proferunt in hac quæstione Theologi, & alia longe clariora his, quibus utuntur vulgares Scholastici.

Theologi probant oculum corporeum non posse ad visionem attolli divinitatis triplici genere argumentorum, Scripturis, Patribus, ac ratione. Scripturis, quia locis citatis cap. 1. Prop. 1. Deus dicitur invisibilis, & cum non sit invisibilis mente, consequitur quod sit invisibilis carnali oculo. Patribus, quoniam id asserunt Ambrosius, Hieronymus, & alii. Ratione, quia spiritualia non sunt objectum potentiæ corporeæ: Atqui hæc omnia disertissime tradidit Augustinus: Ergo Augustinus ipse argumenta omnia suppeditavit, quibus probant Theologi Deum cerni non posse oculis corporalibus. Prob. min. Augustinus Epist. XCII. ad Italicam n. 3. exponens textum Apostoli 1. ad Tim. 6. *Lucem habitat inaccessibilem, &c. Per hoc*, inquit, *videri ab homine non potest, per quod videt homo corpore corpora. Nam si mentibus piorum esset inaccessibilis, non diceretur Psalm. 33. Accedite ad eum, & illuminamini: & si mentibus piorum esset invisibilis, non diceretur: Videbimus eum sicuti est.* Alia scripturarum loca eodem modo S. P. exponit Epist. 147. alias 112. cap. 9. & 148. olim 111. cap. 3. Priorem ergo argumentationem ex Scripturis petitam idem Augustinus Scholasticis præmonstravit. Alteram ex Patribus quis Augustino tradidit luculentius? Eadem Epistola CXLVII. cap. 6. recitat plura ex Comment. Ambrosii in Lucam lib. 1. cap. 3. Inter quæ hæc habentur: *Nec in loco Deus videtur, sed mundo corde; nec corporalibus oculis quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu.* Alia profert cap. XI. alia cap. XIV. alia cap. XXIII. n. 7. *Sanctus autem Hieronymus ait:* (hæc Augustinus) *Videre Deum sicuti est in natura sua, oculus hominis non potest;* & n. 9. *Alio loco evidentius dicit, non solum Patris divinitatem, sed nec Filii quidem & Spiritus Sancti, quæ una in Trinitate natura est, posse oculos carnis aspicere, sed oculos mentis.* Igitur Augustinus nec argumenta prætermisit, quæ a Patrum auctoritate petuntur. Rationem autem, qua utuntur Theologi, affert magnus Augustinus Epist. ad Italicam n. 3. scribens: *Omne quippe quod oculis corporis conspici potest, in loco aliquo sit necesse est, nec ubique sit totum, sed minore sui parte minorem locum occupet, & majore majorem. Non ita est Deus invisibilis & incorruptibilis.* Vide & Epist. 148. n. 1. Quælibet ergo Scholasticorum argumenta, quibus probatur divinam substantiam invisibilem esse corporeis oculis, S. P. Augustinus prævidit, protulit, illustravit.

Præter ea, quæ Scholasticis sunt communia, quædam ille producit clarissima & apertissima. Primum est a natura oculi, quæ, ut prænotavi, est potentia attingens objecta externa in imagine radiorum adminiculo picta, non percipiens in se immediate res intime præsentes, nam hoc munus est intellectus. At Augustinus apposite hoc utitur ratiocinio Epist. 148. num. 2. ubi ait: *Istius namque corporis oculos dixi non visuros Deum, hoc intuens quod istius corporis oculi omnino non possunt cernere nisi corpora, quæ ab eis aliquo loci intervallo separata sunt: nam si nullum intervallum sit, nec ipsa corpora per eos videmus.* Quibus similia habet S. Fulgentius ad Inquisit. 3. Ferrandi. Ex quo sequitur Deum videri non posse oculo corporis, quoniam intime præsens est menti.

Deinde utitur S. Pater exemplis aptissimis. Quorum primum est depromptum ab aliis sensibus: de quibus scribit in Epist. ad Italicam n. 5. *Cur solis oculis corporeis hoc donum attributum esse contendunt, non autem ceteris sensibus? Sonus ergo erit Deus, ut possit etiam auribus percipi? Et halitus erit, ut sentiri possit olfactu? Et liquor aliquis erit, ut possit bibi? Et moles erit, ut possit & tangi?* Aliud exemplum petit ex caritate, de qua Epist. 157. n. 44. ait: *Ecce etiam caritas quantulacumque in nostra voluntate consistit, nobisque conspicua est, nec in loco videtur, nec corporalibus oculis quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu; quanto magis Deus ipse, cujus hoc pignus in nobis est?* Tertium exemplum ingeniosissime affert ex hac eadem disputatione: petit enim cap. 16. illius Epistolæ a Paulina, utrum ea, quæ vera esse discernit ex jam propositis ac disputatis, videantur mente, vel corpore. Et postquam ostendit videri intellectione, non sensu: *Iis ergo, quæ vides* (inquit) *diligenter fidenterque perspectis atque dissimilis, attende, quæ credis in hoc ipso sermone, &c.* Quorum argumentorum hæc vis est: Si posset corporalibus oculis divinitas in se videri, posset & tangi, & bibi, & olfactu, halituque sentiri: posset videri caritas, fides, veritas, & mentis perceptio, quæ solo animo discernuntur. Atqui nullus affirmat posse Deum ut in se est, manibus, auribus, naribusque sentiri, vel sub carnalium oculorum aspectu cadere virtutes, animique passiones. Ergo nullus pariter debet asserere, quod oculis carnalibus possit divinitas videri immediate in se ipsa.

PROPOSITIO III. Utrum post resurrectionem Beatorum corpora futura sint spiritualia, & oculi alterius ab istis naturæ, est alia quæstio a præcedenti: & hanc S. Pater prudentissime non definivit.

Evidenter hanc propositionem demonstrat S. Pater Epist. CXLVII. num. 49. scribens. *Sunt autem alii Deum quidem ipsum corpus non esse minime dubitantium; sed ideo eos, qui ad vitam æternam resurgent, etiam per corpus Deum visures putant, quoniam talem sperant spiritalis corporis qualitatem, ut etiam ipsa quæ caro fuerat, spiritus fiat. Quod si ita est, quantum distat a superiori opinione, & quam sit tolerabilius, etiamsi verum non sit, puto facillime judicari. Primum, quia multum interest, utrum de Creatore, an de creatura aliter aliquid sentiatur, quam veritas habet. Deinde, quia conatus mentis, utcunque ferendus est, volentis corpus convertere in spiritum, non in corpus Deum. Postremo quia id quod ego in Epistola mea dixi de istis nostræ carnis oculis, quia neque nunc possunt, neque tunc poterunt Deum videre, etiam sic verum est: non enim dictum est nisi de oculis corporalibus, quod tunc non erunt, si corpus ipsum spiritus erit; ac per hoc corporei oculi nunquam Deum videbunt, quia cum videbitur, spiritus eum, non corpus videbit.*

Ratione

Ratione quoque probatur. Affirmare quod Dei natura cerni possit corporalibus oculis, quum isti, ut constat ex dictis, non possint cernere nisi corpora, est impie sentire de Deo, illumque per localia spatia facere divisibilem; quæ est hæresis Anthropomorphitarum & Audianorum: credere autem quod corpus ex animali resurgat spirituale, ut videre possit substantiam incorporalem, nullisque membrorum lineamentis ac finibus terminatam, non est aliquid impium de Deo sentire, neque illum intervallis locorum circumscribere. Ergo qui affirmat in generali resurrectione corporeos oculos spiritualis futuros esse naturæ, non affirmat oculos posse, dum carnales sunt, & corporei, divinam in se videre naturam: & consequenter hæc quæstio longe diversa est a priori.

Quod vero S. P. prudenter se gesserit, dum quæstionem hanc in suspenso reliquit, probatur. Quæstio utrum Deus videri possit oculis carnis duplici sensu agitabatur, ut constat ex eadem Epist. cap. XXI. Aliqui præsumebant Deum esse corporeum, & consequenter posse videri corpore: & aliqui fatebantur Deum esse incorporeum, posse tamen videri oculo corporis, si corpus vertatur in spiritum. Prima sententia est hæresis Anthropomorphitarum: altera est quæstio pure philosophica: illa falsa est, & sacris literis & rationi adversatur; hæc, licet sit falsa, difficile exemplis & Scripturarum auctoritate potest convelli. Ut prior sententia refutetur, satis est si demonstretur Deum non posse videri oculo corporali: ut impugnetur altera, necesse est ut demonstretur corpus animale non esse in spiritus naturam transiturum. Jam vero ita argumentor. Prudenter se gerit quisquis hæreticam impugnaturus sententiam illam undequaque exagitat, & philosophicas quæstiones aut prætermittit, aut ad illam hæresim evertendam detorquet: Augustinus, dum probat carnales oculos non posse Deum cernere, impugnat hæresim Anthropomorphitarum opinantium Deum esse corporeum; & contra hanc hæresim detorquet philosophicam quæstionem, quia si necesse est ut oculi spirituales evadant ad hoc ut possint videre Deum, jam Deus non est corporeus; & ex alia parte quæstionem hanc philosophicam non definit; Ergo Augustinus prudenter se gessit.

Si dixeris, Cur ergo Augustinus quæstionem de Corpore spirituali pertractat citata Epistola CXLVII. eamque repetit lib. XXII. de Civit. Dei cap. 29. ubique nutans, & anceps? Responsio est in promptu. Dixi, contra Augustini librum de videndo Deo, sive Epistolam CXLVII. vel alteram XCII. ad Italicam mussitasse Episcopum quemdam Audianum, de quo scribit Fortunatiano alteram exemplari plenam humilitate. Ne Audianus Episcopus persisteret asserendo Deum esse corporeum, propterea quod videri debet in cælo, respondet argumentis jam recitatis, quod videri quidem debet, sed mundo corde, ac mente, non oculo. Ne insurgeret Audianus, esse opinionem multorum, quod Deus videri quoque debeat oculo corporis; ne alio disputationem avertat, statim Augustinus reponit, ne in horum quidem sententia consequi Deum esse corporeum, quoniam hi talem sperant spiritualis corporis qualitatem, ut etiam ipsa, quæ caro fuerat, spiritus fiat; & per hoc spiritus Deum videbit, non corpus. An non undequaque premit Anthropomorphitam, & propria sententia, & etiam aliena, quæ illi opponebatur? Placide ad hanc revertitur citato lib. de Civit. Dei: disputat de corpore spiritali; nec ibi quæstionem definit. Id fateor: non ei occurrunt certa exempla, aut divinarum testimonia scripturarum; at negat tamen oculos elevari posse ad visionem Dei, nisi in naturam transeant spiritualem, semper in quæstione dogmatica sibi constans, & adhuc hæsitans de Philosophica.

PROPOSITIO IV. Tametsi Augustinus noluit definire quæstionem de Corpore spiritali, quam aliqui Catholici eo tempore propugnabant, demonstrat tamen accurate se hanc nequaquam probare.

Attende, quæso, Augustini mentem, maximamque prudentiam. Primo Epistola 147. alias 112. hanc de corpore spiritali sententiam appellat tolerabiliorem hæresi Audianorum, sed tamen falsam. *Quantum distet*, inquit, *a superiori opinione, & quam hoc sit tolerabilius, etiamsi verum non sit, puto facillime judicari*. Deinde cap. XXII. ait videri sibi, quod hæc de spiritali corpore opinio, aut tollat naturam corporis, aut conduplicet essentiam spiritus: *Eo modo quippe, aut conduplicabitur substantia spiritus, si & corpus spiritus erit; aut si unus erit spiritus hominis, ita ut commutato, & converso in spiritum corpore, neque geminatione, neque incremento conduplicetur, nec omnino ullius accessu quantitatis augeatur; metuendum est ne nihil aliud dici videatur, quam corpora non illa mutatione immortalia mansura, sed nulla potius futura, & omnino peritura*.

In lib. autem de Civit. Dei ubi disputationem reassumit: *Aut ergo per illos oculos*, inquit, *sic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tanta excellentia menti simile, quod & incorporea natura cernatur, quod ullis exemplis, sive scripturarum testimoniis divinarum vel difficile, vel impossibile est ostendere: Aut, quod est ad intelligendum facilius, ita Deus nobis erit notus atque conspicuus, ut videatur spiritu a singulis nobis, in singulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in seipso, videatur in cælo novo, & in terra nova, atque in omni quæ tunc fuerit creatura; videatur & per corpora in omni corpore, quocunque fuerint spiritalis corporis oculi acie pervenientе directi*, idest in effectibus, in quibus caussa cognoscitur, quemadmodum in motibus corporis videtur anima, ut ait S. Thomas q. XII. art. III. ad 2. imo idem Augustinus eo loco dicens: *Aliorum quisque vitas, cum sint indivisibiles, per corpus videt, &c.* Vide Augustinum suipsius Interpretem disertissimum.

Accedit quod Augustinus Scripturæ loca, quæ Dei visionem promittunt, non de corporeis oculis accipit, sed de oculis mentis & cordis non solum Epistola 147. num. 37. & 39. & Ep. 148. num. 17. verum etiam lib. laudato de Civit. Dei XXII. cap. 29. & alibi. Ex quibus ita argumentor. Augustinus revera in eam sententiam non propendet, quam vocat tolerabilem sed falsam, quam putat tollere naturam corporis, quam ad intelligendum difficiliorem existimat, & qua nunquam asseveranter utitur in exponendis Scripturis: Talis est sententia de corpore spiritali: Ergo non propendet in eam Augustinus. Quare autem in eam alternat fluctuatque? Recte quidem, ac sapienter. Primo quia hæc erat plurium etiam Catholicorum opinio. Secundo quia librata infinita Dei omnipotentia non debemus credere impossibilia quæcunque nobis ardua videntur. Tertio quia docere nos voluit regulam de aliorum sententia judicandi. A qua regula num longe abeat Vasquesius, qui disp. 40. cap. 1. asserit Augustinum docuisse Deum oculo corporeo non solum posse, sed etiam nunc a beatis videri, nec non Petavius, qui lib. VII. cap. 2. scribit S. Patrem dubium nutare, & minus, quam dudum fecerat, probabilem, imo ne tolerabilem quidem opinionem exponere, poterit quisque ex dictis facile comprehendere.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Quamvis ex supradictis argumenta omnia evanescant, quæ probant aut posse oculis corporalibus videri Deum, aut Augustinum dubium in hac quæstione alternasse: in gratiam tamen Tironum omnia breviter perstringemus &c. primum sit: Non semel Deus apparuit Abraham, Jacob, Mosi; ejusque visionem possibilem ostendit Job, dum ait XIX. 26. *In carne mea videbo Deum meum*. Ergo carnali oculo divinitas cerni potest.

Resp. nego conseq. Etenim vel Deus, vel Angelus in assumptis corporibus non semel Patriarchis apparuit, aliquibus etiam singulari privilegio quamfamiliarissime, & absque internuncio, atque manifesta, non imaginaria revelatione, locutus est: quod juxta hebraicam phrasim est colloqui *facie ad faciem*. Num vero quidam divinam quoque naturam viderint oculo mentis ac spiritu, disputabitur infra. Ad testimonium Job observat S. Pater XXII. de Civit. Dei cap. 29. apposite scriptum esse: *in carne mea*, non, *per carnem*: quippe resumptis corporibus singuli, etiam qui modo purgantur, quorum typum Job gerebat, mente frui debent Dei conspectu. Potest & exponi de Deo incarnato, & humanitate Christi, *qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, ut inquit Apostol. ad Philip. 3., & idem Augustinus respondet. Commendatur & ibi fides Resurrectionis, in qua idem numero homo ex eadem carne conflatus revivisceт, ideoque de Christo venturo ad judicium potest exponi: & propterea ait: *Rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius*. Idest, suscitabor in hoc eodem corpore, hisce oculis in novissimo die conspiciam Judicem universorum; non alius, non commutatus in aliam carnem, ego ipse resurgam, & hac ipsa carne circumdatus ante Christi tribunal comparebo.

Arguitur 2. Videntur exteriora objecta ab oculo, dum illum movent localiter & excitant nervum opticum: Deus movere potest localiter oculum, ejusque nervum opticum excitare: Ergo ab oculo cerni potest.

Resp. dist. maj. dum excitant, & radiorum pressione pingunt exterioris corporis in retina imaginem, concedo: dum movent absque impressione istiusmodi imaginis, nego. Eodem pacto dist. min. Deus potest localiter oculum movere, non efficiendo aliquam imaginem sui, concedo: efficiendo & imprimendo speciem & imaginem, nego. Ergo si localiter fibras oculi moveat; ea excitatione percipiet quidem animus esse aliquam moventem caussam, at hanc minime sensibiliter cernet. Quippe eo versus, ubi radiorum flexione pinguntur rerum imagines, nullam illic, nisi referentem corpora colorata potest inspicere. Vide cap. 2. prop. 1. ad 2.

Opp. 3. Potest intellectus creatus cernere objectum increatum. Igitur potest corporalis sensus intueri spiritualia.

Resp. nego consequentiam; etenim natura intellectus in eo sita est, quod contemplari possit intelligibile. Intelligibile est quidquid uniri potest menti, eamque illuminare. Deus, tametsi infinitus atque increatus uniri potest humanæ menti, imo ab ea sejungi non potest; illam vero valet præsentia sua illuminare, est enim lux vera, & veritas immutabilis. Igitur Deus a creatura cognosci potest.

Deo junctum est, (ait August. quæst. lxv.) *quod intelligit Deum. Intelligit autem rationalis anima Deum, &c.* E contra natura sensus posita est in hoc, quod possit anima per illum sentire externa objecta corporea; quæ cum non sint per se unita menti, sed aliquo separata intervallo, exhibentur in imagine ac specie, ad quam anima corpori colligata se convertens advertit in corporis affectione, quod non poterat lumine percipere interiori. Atqui Deus non potest aliquo intervallo recedere ab anima, nec membrorum lineamentis finiri. Ergo Deus nequit conspici carnali ac sensitiva potentia: *Istius autem corporis oculi omnino non possunt cernere nisi corpora, quæ ab eis aliquo loci intervallo separata sunt*, inquit Epist. 148. S. Pater. Vide prop. 2. & cap. 2. prop. 1. loc. cit.

Quarto loco objicitur: Baptismatis aqua gratiam caussat, quæ est qualitas supernaturalis, & ignis corporeus spiritus torquet reproborum. Quare ergo elevari non potest oculus ad videndam divinam, corporisque expertem substantiam? Sed hæc nullius sunt momenti; neque enim aqua vel ignis hæc physica efficientia producunt; sed aqua est gratiæ caussa moralis, ac spiritus infernali torquentur igne per alligationem & apprehensionem: quæ omnia alibi explanabuntur. Quamquam & illud reponi posset, oculum esse visionis vitalem ac principem caussam, quæ sua virtute, ac vitali motu operatur: aquam autem baptismatis, & ignem inferni caussas esse dumtaxat instrumentales, quæ non propria agunt virtute, sed illius, cujus instrumenta sunt, nempe divinæ omnipotentiæ ac justitiæ.

Ultimo sic arguitur. D. Augustinus lib. xxii. de Civitate Dei cap. 29. ait: *Longe alterius erunt potentiæ* (oculi) *si per eos videbitur incorporea natura.* Et infra, *Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum, non ut acrius videant, sed ut videant & incorporalia*: Sentit ergo Augustinus quod incorporea natura reapse cerni debeat oculis carneis.

Resp. dist. consequens. Id censet Augustinus absolute, & si oculi corporales permaneant, nego: vide Prop. 1. & 2. Id sentit hypothetice, & si in resurrectione corpus evadat spirituale, subdistinguo, & hanc hypothesim, quam aliqui vivente Augustino admittebant, & ad quæstionem istam nullatenus attinet, S. Pater explicat duntaxat, & in suspenso relinquit, ut ostendi Prop. iii. concedo: Et hanc hypothesim asseveranter, definite, & ex propria mente ipse comprobat, nego. Constat enim S. Patrem quæstionem proponere, explicare, & sententiam de corpore spiritali judicare difficiliorem, ut demonstravi proposit. iv.

Neque ullius est momenti, quod adversarii opponunt, S. Patrem testari se plenissime quæstionem citato loco dirimere, ut profitetur ii. Retract. cap. 41. Istic enim quæ scripserat in libro de videndo Deo censet quidem, sed non retractat. In quo libro quantum dilucide asseruerit non posse oculis cerni nisi rem corpore & loco divisibilem, abunde monstravi. De spiritali autem corpore difficillimam sane, gravissimamque quæstionem diligentius in libris de Civit. Dei pertractasse, utique ipse fatetur: sed etiam hanc a priori diversam se affirmat explicavisse, non vero definivisse. Explicavit autem hinc & inde disputans accuratissime. Ex libris itaque Retractationum quæ a me dicta sunt non evertuntur, sed confirmantur. *De videndo Deo*, inquit, *scripsi librum: ubi de spiritali corpore, quod erit in resurrectione Sanctorum, inquisitionem diligentiorem distuli, utrum, vel quomodo Deus, qui spiritus est, etiam per corpus tale videatur; sed eam postea quæstionem sane difficillimam in novissimo, idest in* xxii. *libro de Civitate Dei satis, quantum arbitror, explicavi.*

S C H O L I O N.

„ Expedita est, & communis quæstionis hujus solutio, si dicamus fieri non posse, ut Deus corporeis cernatur oculis. S. Thomas 1. p. quæst. 12. art. 3. & Romanus Ægidius in 2. Sent. dist. 1. sententiam hanc tradidere: eamque momenta producta in priori, & in secunda propositione abunde confirmant. Illa mihi videntur præcipua, quæ promuntur ex Epistola Augustini ad Italicam. I. Quia Deus sonorus non est, non potest auribus percipi & audiri: igitur quia coloratus non est, neque carnalibus oculis videri. II. Tangi nequit manibus, quoniam caret mole solida atque extensa: adspici ergo non potest corporeis oculis, quia coloris cujusque expers est. III. Implicat Deum esse halitum adeo, ut sentiri possit olfactu, aut esse liquorem aliquem qui possit bibi: ergo & implicat esse colorem, flexionemque lucis, quæ oculo cerni queat. IV. Per Dei visionem rationalis creatura redditur ei similis: Hæc similitudo non potest corporeæ tribui potentiæ: corporea igitur potentia Deus videri non potest. IV. Nec quæritur, nec videtur oculo corporis Caritas, aut virtus, aut donum aliud gratiarum, quamvis nobis intime insit, inhæreatque, propterea quod spiritualia accidentia sunt, non qualitates materiei: igitur multo minus oculis hisce carnalibus quæri debet, & cerni potest divina substantia, non spiritualis tantum, verum etiam quocunque spirituali qualitate sublimior, & longe perfectior. Huc spectant argumenta illa Scholasticorum, nempe quod nulla potentia ferri potest extra suum objectum: quod specificatur ab ordine, quo ad objectum ipsum refertur: quod si oculus posset videre Deum, posset intelligere, & fieri intellectus: quod si oculus posset in intellectum converti, posset & corpus converti in spiritum, neque rerum essentiæ forent impermixtæ atque ad unam speciem determinatæ: quod, ne longior sim, visio oculi est actus quidam peractus speciali organo corporis; ideoque extra corpora nequit extendi. Cum manifestum sit hæc Theologorum argumenta fuisse ab Augustino præmonstrata; dicendum est eumdem S. Patrem epist. 147. & lib. 22. de Civit. Dei cap. 29. narrare tantummodo, ac referre aliorum sententias circa futura corpora beatorum, quæ aliquo sensu futura esse spiritalia docet etiam Apostolus epist. 1. ad Corinth. cap. 15. 44. ubi autem S. Pater mentem exponit suam, firmissime communi Scholasticorum sententiæ adhærera, eisque validiora suppeditare argumenta, constat ex dictis.

C A P U T VI.

Utrum aliqui adhuc in hac mortali vita degentes Deum viderint, in utramque partem discutitur.

LIBRATIS Patrum ac Theologorum momentis, num Moses, Paulus, & quidam alii eximiæ sanctitatis viri adhuc viatores Deum viderint, videtur mihi res ambigua, & in partem utramque disputabilis. Non enim de rei agitur possibilitate, quam in dubium vertere nefas est; sed de facto, cujus neque aperta sunt Scripturarum testimonia, neque constans Patrum traditio, neque una Doctorum nostrorum sententia. Quamobrem adolescentibus nostris, ut de ingenii sui acumine aliquod periculum faciant, liberam do arenam, & quomodo contra adversarios instruere se debeant, eorumque tela retundere, demonstrabo.

Quisquis igitur substinere velit affirmantem sententiam, poterit illam sequentibus argumentationibus comprobare. Primo Num. xii. 6. 7. 8. de Mose legitur: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni Domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei: & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Et Exodi xxxiii. 11. *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem.* Et v. 18. *Ostende mihi gloriam tuam. Qui respondit: Ego ostendam omne bonum tibi.* De Paulo 2. ad Corinth. xii. *Raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Quæ est enim revelatio tam mirabilis, quæ verbis designari non potest, nisi manifestatio divinitatis, de qua Isaias cap. 64. *Oculus non vidit, Deus, absque te quæ præparasti diligentibus te?* Scripturis itaque videtur consentanea sententia affirmans.

Eamdem confirmare possumus Patrum auctoritate. Etenim Augustinus lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 27. de Mose hæc scribit: *Concupiverat enim, ut in Exodo legimus, videre Deum, non utique sicut viderat in monte, nec sicut videbat in Tabernaculo, sed in ea substantia, qua Deus est, nulla assumpta corporali creatura, quæ mortalis carnis sensibus præsentatur, &c.* Eadem repetit de Mose ac Paulo Ep. 147. alias 112. cap. xiii. n. 31. Et Hilarius lib. 1. de Trinit. cap. 3. & lib. viii. cap. ix. Rupertus lib. 3. de Victoria Verbi Dei cap. 28. Isidorus Hispalensis cap. 37. de vita & morte SS. narrant Esaiam fuisse a Judæis interfectum, quod scripserit cap. 6. — VIDI DOMINUM SEDENTEM SUPER SOLIUM EXCELSUM — &c. Ait autem Hilarius: *Deum Propheta vidit, & gloriam ejus usque ad invidiam Propheticæ dignitatis aspexit.* Basilius quoque de Mose scribit Hom. 1. in Hexam. *Qui octogesimum ætatis agens annum vidit Deum, ut erat homini videre possibile, immo ut nemini potius licuit alii.* Et Ambros. lib. 2. cap. 2. *Hic itaque, non in visione, neque in somniis, sed ore ad os cum Deo summo locutus, neque in specie, neque per ænigmata, sed clara atque perspicua præsentiæ divinæ cognitione dignatus.* Omitto autem quæ de seipso narrat Augustinus lib. xi. Confess. cap. 10. Et de Sancto Benedicto D. Bernardus serm. ix. de Diversis.

Congruentiæ etiam satis manifestæ possunt afferri. Quis enim hoc privilegium concessum negaverit B. M. V., quam scimus creaturas omnes gratiarum cumulo, & amplitudine præcellere meritorum? Et certe hanc ei gratiam fuisse collatam tradunt Rupertus, Albertus Magnus, & Pater pauperum Thomas Archiepiscopus Valent. serm. de Resurrect. necnon Theologi eruditissimi, ut observat Gavardus Quæst. iv. de Invisib. Dei art. iv. De Mose autem ac Paulo ait S. Thomas 2. 2. quæst. 175. ad 1. congruenter manifestatam illis essentiam fuisse divinam; *nam sicut Moyses fuit primus Doctor Judæorum, ita Paulus fuit primus Doctor Gentium.* Scripturis itaque, Patribus, & probabilibus congruentiis sic opinio affirmans defenditur.

Negativa sententia pariter ex sacris Scripturis primitus sic ostenditur. Exodi xxxiii. Mosi summopere desideranti divinam essentiam conspicere respondit Dominus: *Non videbit me homo, & vivet.* Et insistenti petitionibus versu

ult.

ult. ait: *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris*. Quibus verbis aliqui Christi humanam formam, aliqui imperfectam visionem, aliqui manifesta Dei opera putant significari. Joan. cap. 1. v. 18. ait: *Deum nemo vidit unquam*. Scripsit autem, quod valde notandum est, post Epistolam 2. ad Corinth. in qua Apostolus raptum suum refert usque ad tertium cælum. *Quem nullus hominum vidit, nec videre potest*, scribit quoque Paulus in VI. ad Timoth. scripta post Epistolam ad Corinthios nuper laudatam. Hæc autem minime diceret, si videre Deum sibimet fuisset paullo ante concessum. Scripturis itaque hæc secunda sententia non adversatur.

Probatur autem ex PP., & missis Irenæo, Tertulliano, Origene, aliisque vel de errore Millenariorum suspectis, vel subobscure loquentibus, idem aperte docent Nazianz. Orat. 34. S. Leo serm. de Transfig. Gregorius lib. 18. Moralium, S. Evaristus Epist. 1. & alii, quos refert Petavius lib. VII. cap. XII. & Sylvius Quæst. XII. art. XI. Quantum vero spectat ad Augustinum, etsi aliquando stetit in priori sententia, huic tamen senior ac doctior factus accessit: nam Tract. 3. in Joan. ait: *Quid vidit Moyses? vidit nubem, vidit angelum, vidit ignem: omnis illa creatura est, typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini præsentiam exhibebat*. Lib. 2. de Trinit. cap. 16. *Cum vero hic apertissime demonstretur, nec desideranti hoc fuisse concessum; quis audeat dicere, per similes formas, quæ huic quoque visibiliter apparuerunt, non creaturam Deo servientem, sed hoc ipsum quod Deus est cujusquam oculis apparuisse mortalium?* Similia reperit S. P. lib. 3. contra Maxim. cap. 12. Quæst. 154. super Exodum, lib. 4. de Symbolo ad Catechum. cap. 3. Ex quibus satis colligi potest, inquit Sylvius, Augustinum non judicasse quod Moyses & Paulus in hac vita Deum viderunt, tametsi aliquando fuerit in eam sententiam propensior.

Neque desunt etiam pro hac parte probabiles conjecturæ. Primo enim in Dei visione nostra sita est beatitudo: Beatitudo semel habita non potest amitti, nec Deus potest eam subtrahere, quoniam pœnam nunquam irrogat absque culpa: Si ergo Paulus ac Moses Deum vidissent, in hac vita fuissent beati, & nunquam in posterum ipsa privati essent beatitudine. Deinde adhuc viatores extitissent, nec tamen ambulassent per fidem; fides enim tollitur manifesta revelatione eorum quæ creduntur. Itaque rationi, Patribus, & Scripturis videtur negativa sententia pariter consentanea.

Hactenus pro utraque parte protulimus argumenta. Modo dicam quo pacto singula possint vicissim retundi. Scripturarum textus pro parte affirmante facillime possunt exponi. In XII. cap. Num. ostenditur tantum discrimen inter Moseo, aliosque Prophetas, quibus per somnia & imaginarias visiones Dominus locutus est, cum Mosi apparuerit frequenter, familiarissime, & absque internuncio, & eum fuerit adlocutus non solum propheticorum vaticiniorum velamine, sed manifesta legis, rituum, rerumque gerendarum significatione. Quod etsi quibusdam aliis momentanee fuerit concessum, ut Abrahæ sub quercu Mambre, & Jacobo luctanti cum Angelo, Mosi tamen datum legimus sæpenumero, & ordinaria amicorum consuetudine. Et si pertinaciter insistas, Mosen vidisse Dominum secum familiariter colloquentem; possum & istud concedere: erat enim Angelus ille, non Deus, ut habetur Actor. VII., idque tandem animadvertit Augustinus Tract. III. in Joannem scribens: *Quid vidit Moyses? vidit nubem, vidit angelum, vidit ignem*. Eodem modo expeditur textus Exod. XXXIII. de quo tamen est aliquid particulariter advertendum. Comminatus fuerat Dominus v. 3. se non ascensurum ulterius cum Mose ob populum duræ cervicis, divinisque jussibus reluctantem. Hoc luctus ac timoris caussa. Moses itaque Dominum placaturus ait: *Præcipis, ut educam populum istum: & non indicas mihi quem missurus es mecum, præsertim cum dixeris, novi te ex nomine, & invenisti gratiam coram me. Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam*. Quid ergo est, *Ostende mihi faciem tuam*, nisi, Sis, quæso, ut fecisti hactenus, dux itineris nostri, ne moriamur in solitudine? Certe hunc sensum ipsa lectione poterit quisque dignoscere, neque hanc explanationem poterit rejicere quisquis oculos in hebraicum injecerit, ubi legitur, *Ostende mihi, quæso, viam tuam* הראיני נא את דרכך Verum est quod Moses in hujus promissionis tesseram, *Facies mea præcedet te*, postulavit quoque, ut manifestationis particeps fieret divinitatis, repetens, *Ostende mihi gloriam tuam*. Verum huic petitioni respondit Dominus: *Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te*, idest, Præter id, quod petis, omnia tibi præstabo, exhibebo favorem, patrabo signa, ero dux ac rector itineris, faciam quidquid vis: veruntamen: *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo & vivet*. Denegavit ergo Deus Mosi gratiam quam petebat; atque ut eum novo singularique cumularet beneficio, sese illi manifestavit a tergo, idest fulgentissimo quodam lumine, quod esset divinitatis indicium, at non facie ad faciem. De raptu autem Pauli levior est difficultas, quoniam ipse non ait se in tertio cælo vidisse Deum, sed audivisse arcana, quæ ratus est esse silentio occultanda. Neque anceps fuisset an hujusmodi raptus in corpore contigisset an extra, si claram Dei obtinuisset visionem, quæ adeo debet esse vivida ac splendida, ut procul ignorantiam omnem, dubitationemque depellat. Id vero adeo indubitatum est, ut idem Apostolus post raptum scripserit ad Timotheum, quod nullus hominum Deum viderit. Atque hoc pacto argumenta petita ex sacris literis diluuntur.

Ad PP. auctoritates respondeo non esse hanc quæstionem ex genere illarum, in quibus necesse est, omnes Ecclesiæ Doctores convenire. Quamquam & ad ea quæ opponuntur patet responsio. Nam quod attinet ad Augustinum, in opere de Genes. ad liter. plura quæsita esse quam inventa, & eorum quæ inventa sunt pauciora firmata, fatetur idemmet in II. Retract. cap. 24. Deinde constat ex dictis, in postremis operibus suis priorem rejecisse sententiam. Præterea potest ubique exponi de vividiori quadam ac sublimiori contemplatione in raptu, non vero de plena ac manifesta per speciem. Quod narrat Hilarius de Esaia occisum fuisse, quod scripserit a se visum Deum, fateor verum esse: sed Judæi, qui Prophetam intestino prosequebantur odio, quod eos appellasset Principes Sodomorum, populumque Gomorrhæ, ut scribit citato loco Isidorus Hispalensis, inde mortis injustissimam caussam prætexerunt. Constat namque cap. VI. narrari a Propheta visionem per ecstasim, quam habuit in templo, & vaticinari judicium de Rege, primoribus, ac populo faciendum. Ambrosius lib. V. de Fide cap. ultimo oppositum docet, probatque ex Scripturis; unde & ipse in eadem opinatione non stetit; vel exponi debet, quemadmodum diximus de Augustino. Is vero, ac Benedictus, aliique eximia sanctitate præditi raptu sublimiori dignati sunt, sed non clarissima visione Dei, nisi exuti corporibus. Unus est Basilius, quem frustra Estius in II. dist. VIII. §. X. ex ejus Homilia I. de Jejunio ad se trahere studet; nam is, ut observat Petavius, post verba superius producta addidit: *Mosen in potiendis præsentibus Dei conspectibus fuisse, dum viveret, Angelis coæqualem*. Sed Basilio opponitur Gregorius Nazianz. Hieronymus, Cyrillus, Athanasius, & Epiphanius, quorum verba refert Sylvius, Petavius, Estius, Smising, & L'Herminier, majori præ ceteris eruditione.

Conjecturis autem postremo loco productis resp. multo fuisse convenientius, ut nemo ante beatissimam Christi animam divino frueretur aspectu; quod potissimum valet de Moyse: item, ut nullus in via esset simul viator & comprehensor: ulterius, ut beatitudo non ad momentum, sed ad perennem servaretur felicitatem. Quæ tamen vellem discuti cum exceptione B. M. Virginis, cui majorem gratiarum copiam contulit Deus, quam ulli mortalium. Attamen neque Deiparam in terris vidisse in se Deum, salva pietate ac fide possumus affirmare: quod & magnus numerus docet Theologorum, & nulli Apostolicæ Ecclesiæ opponitur definitioni.

Reliquum est ut argumenta solvantur negativæ sententiæ. Atque ad verba Exodi XXXIII. dico, utique ibi denegatam Mosi visionem beatam, præstantissima namque gratiarum dona non statim petentibus conferuntur, ne existimentur communia; at concessam esse postmodum colligitur ex cap. XII. Numerorum. Quem postremum locum non possumus de sola frequentia ac familiaritate divini sermonis accipere: utrumque enim hinc affirmatur, & aperta significatio divinorum decretorum per ea verba; *Ore enim ad os loquor ei*: & visio beatifica & gloriæ participatio, per subsequentia, *Et palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt*. Hinc LXX. verterunt, τὴν δόξαν Κυρίου εἶδε, *Et gloriam Domini vidit*. Neque possumus existimare, Mosen vidisse tantum facie ad facie Angelum, quum aperte asseratur facie ad faciem vidisse Dominum, quod hebraica lectio designat vocabulo Dei proprissimo, ac tetragrammato. Porro legem datam ministerio Angelorum constat ex cap. VII. Act. Apostolor. & ex cap. 2. ad Hebr. sed solos Angelos apparuisse Mosi non recte illinc infertur: nam ipse Moses morti proximus Deut. XXXIII. v. 2. cum Angelorum exercitu Dominum legem daturum apparuisse, his verbis testatur; *Dominus de Sinai venit, & cum eo Sanctorum millia*. Angeli quoque nomine Deum designari observat Hilarius in I. de Trinit. cap. 3. dicens: *Habes dispensationem in Angelo, quia in Angelo officium est non natura: habes in natura nomine Deum; quia Angelus Dei Deus est*. Revera Act. VII. 3. dicitur Angelum apparuisse Moysi in igne rubi; & tamen Ex. III. 2. ait ille qui apparuit: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob*. Ergo ex quo lex lata fuerit ministrantibus Angelis, non consequitur Mosen Angelos vidisse, non Deum. Fuit quidem dictum Mosi: *Non videbit me homo, & vivet*: Sed hoc ita ab Augustino explicatur: *Deum nemo videbit vivens vita ista, qua mortaliter vivitur in istis sensibus corporis: sed nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive ita aversus & alienatus a carnalibus sensibus, ut merito nesciat, sicut Apostolus ait, utrum in corpore, an extra corpus sit, cum in illam rapitur & subvehitur visionem*. Hæc Augustinus lib. XII. de Gen. ad lit. cap. 27. qui similia repetit lib. de vid. Deo, sive epist. 147. cap. XIII. Joannes vero cap. 1. loquitur de visione comprehensiva, de ea nimirum, quam habet Unigenitus in sinu Patris, ut con-

constat ex textu: alias neque Angeli Deum viderent; male enim de solis hominibus quidam dictum putant, *Deum nemo vidit:* Est enim græce οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε cum exclusione tam hominum, quam Angelorum. In 1. ad Timoth. 6. excluditur pariter visio Dei plenissima, & ea quæ per sensum oculorum habetur: & præterea nihil obstat, quin in generalibus assertionibus aliqui singulari Dei beneficio intelligantur excepti, quum idem Apost. v. ad Rom. scribat omnes peccasse in Adam, a qua generali sententia pie a plurimis creditur immunem esse Deiparam.

Quod spectat ad PP. negandum non est plures in oppositam abiisse sententiam, & hanc esse ob horum auctoritatem valde probabilem. Non sunt tamen pro negativa in tanto numero, ut adversarii arbitrantur. Etenim Gregorius Nazianz. aliique Græcorum scribunt contra Eunomii & Aetii discipulos: quod & facit Ambros. in v. de Fide cap. ultimo, qui propterea intelligendi sunt de visione comprehensiva. Alii proculdubio loquuntur universali quadam assertione, a qua specialissimo Dei privilegio aliqui excipiuntur. Quidam, qui expresse Moysen commemorant, de quotidianis ac frequentissimis Dei visionibus verba faciunt, non de illa singulari ac rarissima, quæ narratur in Numeris. Hac ratione conciliantur discrepantes Augustini sententiæ; Moses enim vidit Angelum & ignem in Rubo, sed vidit quoque Domini gloriam in Sina. Non cogimur ergo asserere quod S. P. a priori sententia discesserit, præsertim cum ipse tali fuerit ingenio, ut aperte fateretur quid, & ubi inter se pugnantia scripsisset.

Rationes denique postremo allatæ non debent studiosum juvenem deterrere. Priori namque, quam urget Franciscus Sylvius, satisfit dicendo inamissibilem esse beatitudinem, quæ confertur Sanctis post mortem ac permanenter, tamquam merces & corona prædestinatorum; non eam beatitudinem momentaneam, qua dignantur viri præstantissimæ sanctitatis, transeunter, & quasi prælibamine futuræ felicitatis. Neque hujus visionis subtractio dicenda est pœna, quia manifestatio divinitatis nondum est corona justitiæ, sed beneficium simile raptibus contemplantium, quos necesse non est diutissime permanere. Idem respondetur ad alteram conjecturam, quæ affertur ab Estio: nullus enim habitus destruitur nisi contrario. At actus actui, habitus habitui opponitur: & consequenter actus visionis momentaneus ac transiens non destruit habitum Fidei stabilem ac permanentem. Habes igitur pro utraque sententia argumenta, argumentorumque solutiones: atque his sufficienter, quantum arbitror, pertractatis, poteris pro lubitu tam de una, quam de altera disceptare.

S C H O L I O N.

„ Quosdam eximia sanctitate præditos in hac quoque mortali vita Deum vidisse, non est improbabile, idque docent etiam S. Thomas 1. p. q. 12. art. 11. ad 2. de Moyse, & de Paulo, & ex Ægidianis nostris Fridericus Gavardi q. 4. de Invisibil. Dei art. 4. Ac primum de Moyse S. P. Augustinus epist. 112. n. 147. cap. 13. apertissime affirmat Moysem ipsum vidisse Deum ea contemplatione, qua *concupierat videre Deum, sicuti est. Quæ contemplatio cunctis filiis in fine promittitur.* Hæc autem verba de nulla alia visione, quam de repromissa filiis & prædestinatis, accipi possunt. Illud quoque advertendum est, citato in loco Augustinum hanc quæstionem non proponere tantum, verum etiam illam dirimere, ac definire, atque absque hæsitatione ulla affirmare, Moysi beatorum visionem, saltim transeunter, fuisse concessam. Ubi autem in eadem, aut in proxima Epistola, Tract. 3. in Joannem, in lib. contra Adimantum cap. 9. in 22. de Civit. Dei cap. 29. aliisque in locis videtur Augustinus tradere oppositum, aperte loquitur de visione corporeorum oculorum, aut de visionibus aliis per speculum & in ænigmate, non de singulari illa, & præstantissima, de qua 12. capite Numerorum, & 33. Exodi pertractatur. Idem, quod de Moyse, de Beatissima Virgine Christi Matre potiori jure affirmandum esse nullus dubito. De Paulo Apostolo cur idem magna probabilitate asseram, rationem ex ejus secunda ad Corinthios Epistola cap. 12. haud ineptam rationem produxi. Accedit congruens ratio, propterea quod, ut Moyses Hebraico populo datus fuit Doctor & Legislator, ita S. Paulus Apostolus a Deo constitutus est prædicator veritatis & Doctor Gentium, & utrique concessa ideo fuit quædam excelsior, quam ceteris, superni divinique Luminis illustratio. Augustinus itidem de eodem Apostolo inquit lib. 12. de Genesi ad lit. cap. 28. *Cur autem non credamus, quod tanto Apostolo Doctori Gentium rapto usque ad istam excellentissimam visionem voluerit Deus demonstrare vitam, in qua post hanc vitam vivendum est in æternum?*

„ Innuimus non deesse, qui putant etiam prælaudatum S. P. Augustinum, & S. Benedictum Monachorum Occidentis Patriarcham, momentanea saltim elevatione, Deum adspexisse. Et quidem S. Pater in 9. Confess. lib. cap. 10. de se, ejusque beatissima matre Monica ait, *Rapida cogitatione attigimus æternam sapientiam super omnia manentem: Si continuetur hoc, & subtrahantur aliæ visiones longe imparis generis, & hæc una rapiat, & absorbeat, & recondat in interiora gaudia spectatorem suum, ut talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui suspiravimus; nonne hoc est,* Intra in gaudium Domini tui? *Et istud quando? An cum omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur?* Nequeunt hæc verba explicari de visione in ænigmate, & quæ proxime cælestem adumbraverit, quum nullum aliud inter illam beatorumque spirituum statuatur discrimen, quam inter momentaneum ac sempiternum intercedit. Complures ideo, quos P. Gavardi citato in loco recenset, visum ab Augustino Deum in se, asseveranter scripsere.

„ De Sancto autem Benedicto, tametsi non assentiatur S. Thomas 2. 2. q. 108. art. 5. ad 3. id asserit S. Gregorius Magnus lib. 2. Dialogorum cap. 35. ubi Benedicti raptum enarrans, *Totum mundum*, inquit, *sub uno solis radio collectum vidit;* & qua ratione fieri hoc potuerit ostendens subjicit: *Videnti enim Creatorem angusta est omnis creatura.* Addit Cardinalis Bona in libro de Divina Psalmodia cap. 18. §. 3. S. Bernardum, Rupertum Abbatem, S. Bonaventuram, Dionysium Carthusianum, atque Theologos aliquos præclarissimos, a quibus recensendis, quoniam & eo loci commemorantur, & de quæstione agitur, in qua necessum non est singulos convenire, brevitatis gratia abstinemus.

C A P U T VII.

Sint ne beatæ visionis modo participes Elias & Enoch?

ENOCH ET ELIAM sive in Paradiso, sive in alio loco adhuc vivere, & extremis temporibus contra Antichristum venturos, tenet, inquit Rabanus in lib. de Antich., fides Christianorum. Quæritur ergo an his saltem, qui translati sunt ne viderent mortem, & adhuc in corpore ad bonum universæ Ecclesiæ servantur, visio illa fuerit concessa, qua Beatorum animæ perfruuntur.

PROPOSITIO: Enoch & Elias probabilius Dei conspectu nondum fruuntur, nisi forte momentaneis raptibus, ac transeunter.

Demonstratur: Nondum Eliam & Enoch vita functos communior opinio est, quam tenere veteres omnes Rabbinos affirmat R. David in lib. 2. Regum, & traditionem esse discipulorum Domini scribit Irenæus lib. v. adversus hæreses. Eam sequuntur Patres, præsertim Gregorius Magnus hom. xxix. & S. P. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. cap. 3. & lib. vi. contra Julianum, aliique tam multi, ut Aretas apud Estium in cap. xliv. Eccles. asserat id credi inviolabiliter a tota Ecclesia: videtur etiam evinci ex lib. Apocal. cap. xi. 3. ubi legitur, *Et dabo duobus testibus meis, &c.*, quem locum omnes fere Interpretes de Elia & Enoch exponunt. Probabilior est ergo, licet non satis explorata, hæc de Elia & Enoch nondum vita functis opinio: Atqui Beatitudo saltem permanens, omnium consensu, non confertur nisi dissoluta hujus habitationis domo, expletoque laborum cursu: Ergo permanens Dei fruitio nondum his duobus collata est.

Opp. 1. Eccles. xliv. 16. habetur: *Enoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum:* & iv. Regum 2. 11. *Et ascendit Elias per turbinem in cælum.* Hic autem, inquit Calmet dissert. de Patriarcha Enoch art. 2. debet intelligi Paradisus Sanctorum, & cœlum Empyreum. Ergo Enoch & Elias in cœlis versantur, ideoque divino beantur aspectu.

Resp. nego conseq. nam Paradisi nomine intelligitur quilibet locus, in quo feliciter vivitur, & cœli nomine etiam superior pars aeris designatur: quoniam & volatilia *volucres cœli* Ps. viii. 9. appellantur, & Latroni nondum reseratis cœli januis per Ascensionem Redemptoris, Lucæ xxiii. 43. dictum est: *Hodie mecum eris in Paradiso.* In textu Ecclesiastici Paradisi nomen in græcis, hebraicisque desideratur. Apposuit primum Arabs interpres: & merito Vulgata nostra retinuit, quum Enoch mortalis vitæ ærumnis fuerit sublatus. Denique si de Beatorum patria accipi possent loca præfata, sequeretur Christum Dominum nequaquam primum omnium in cœlos assumptum; contigit namque longe ante Christum istorum raptus. Itaque Elias per turbinem, Enoch repentino raptu in ignotam mundi plagam fuere translati.

Dices: Revera raptos in cœlum tradunt Ecclesiæ Patres. Athanas. serm. de Assumpt. Dom. scribit, *Enochum immortalitatis terminos accepisse:* Tertullianus de Resurrect. carnis cap. 58. *De orbe translati*, inquit, *& hoc ipso jam æternitatis candidati.* Hieronymus epist. ad Pamachium: *Necdum mortui, & Paradisi jam coloni, habent membra cum quibus rapti sunt, & translati.* Bernardus serm. 6. de Ascens. *Felices plane, qui soli jam Deo vivunt, soli vacant intelligendo, diligendo, fruendo.* Et Avitus Vienn. Episc. postquam dixerat Enoch translatum in cœlos lib. iv. Carm. capite 6. ait:

Quamquam, qua Noe proavus conscenderat Enoch,
Elias cursu post tempora longa secutus
Scribitur ignitis scandens penetrasse quadrigis.

Resp.

Resp. Eliam & Enoch, quum a mortalitatis contagione illos præservet mirabilis Dei providentia, atque tali confirmet gratia, ut nullo terrenarum cupiditatum desiderio premantur, merito dici ab Athanasio immortales, a Tertulliano æternitatis candidatos, a Bernardo & Avito felices ac translatos ex orbe, a Hieronymo Paradisi colonos. Certe Bernardus eo sensu felices vocat, quod eis *omnes materia & occasiones ablatæ sunt, quæ eorum intellectum impediant, vel affectum, quia soli Deo viventes nec noverunt nisi Deum, nec cupiunt nisi Deum*, ut sermone explicat præcedenti. Eo itaque modo fruuntur Deo, quomodo fruuntur animæ viatorum, qui Deum specialiter diligentes diliguntur ab ipso, Angelicis dignantur conspectibus, neque sensuum pulsantur illecebris, neque dæmonum tentationibus. Quandoque etiam divina apparitione recreari videtur mihi verosimilius. Ceterum si contendas in Christi ascensione & istos in coelum assumptos, ut opinatur citato loco Hieronymus, quod tamen negat cum majori Sanctorum Patrum numero Ecclesiæ columen Augustinus, jam non restat præsenti locus disputationi.

Insurges: Paradisi nomine, si de loco, ad quem Enoch translatus dicitur, quæstio instituitur, intelligi nequit Hortus voluptatis, quem pro Adam plantavit Dominus a principio. Quamquam enim Augustinus lib. contra Julianum VI. illic vitam degere scribat, *ubi est ipsum lignum vitæ, ubi sit potestas vivendi, nec ulla moriendi necessitas:* obsolevit tamen ista priscorum Patrum sententia; & probabilior est Recentiorum opinio, aquis diluvii paradisum terrestrem fuisse obrutum, & ejusdem loci situm ac viciniam incolis esse referta. Igitur Enoch in Paradisum voluptatis nequaquam translatus est, sed in Paradisum Sanctorum.

Resp. Enoch, & Eliam ad ignotam terræ regionem translatos esse, ubi in magna corporis animique viventes quiete expectant mundi interitum, ut soluto mortis debito & ipsi cum universa carne resurgant. Sive sit hortus Eden, sive domicilium aliud longe ab hominum cognitione remotum, divinare præsumptio non debet humana. Nullum ex veteribus tradidisse, quod aquis diluvii, vel alia de caussa terrestris Paradisus deperierit, affirmat Bellarminus lib. de Gratia primi Hominis cap. 14. Magna ergo probabilitate asseritur quod Paradisus adhuc superlit, ibique mundi exitum expectent præfati Patriarchæ clarissimi, ut scripsit aliquando Augustinus. At is de istorum in terris vita nullibi dubitat; de loco autem non semel hæsitat, fluctuatque. Nam lib. I. de Peccat. meritis & remiss. cap. 3. *In Paradiso*, inquit, *fortasse pascuntur, sicut & Adam, priusquam propter peccatum exire meruisset.* Et lib. de peccato originali cap. 23. in delectu quæstionum, in quibus quid verum sit humana & infirma suspicione conjicitur, has locat: *Cum quæritur qualis, vel ubi sit Paradisus, ubi constituit Deus hominem, quem formavit ex pulvere; cum tamen esse illum Paradisum fides Christiana non dubitet: vel cum quæritur ubi sit nunc Elias & Enoch, an ibi, an alicubi alibi; quos tamen non dubitamus, in quibus nati sunt, corporibus vivere.* Quapropter cum magno Protoparente dicimus Eliam & Enochum adhuc esse superstites: ubi, & quibus vivant sustentaculis, ignoramus.

Opp. 2. Nisi Enoch & Elias divino fruerentur conspectu, etiamnum viatores forent ac mererentur: Id vix redditur Theologis credibile; quippe in dies illorum meritum augeretur, tantoque sæculorum intervallo omnium Sanctorum, Virginis quoque Deiparæ, excederent sanctitatem: Sunt ergo in Patria, ac in termino, bonorumque operum ac laborum retulerunt mercedem.

Resp. non unam esse Theologorum sententiam an Elias & Enoch viatores adhuc sint, & in statu merendi. Negant Vasquez t. 2. disp. 206. Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 55. Pererius Tom. I. in Genes. lib. 7. cap. 5. quæst. 5. Estius in cap. 4. Genes. In horum itaque sententia nego majorem. Quamvis enim Elias & Enoch confirmati sint in gratia, sunt nihilominus extra hominum conversationem, tamquam hanc vitam non amplius agentes, nec reficiuntur Ecclesiæ sacramentis, nec meritum sibi comparant, quemadmodum erant PP. in Limbo, inquit Estius, & quemadmodum sunt animæ defunctorum in Purgatorio, ait Vasquesius: scilicet ne mereantur officit tantum status, non defectus gratiæ vel caritatis. Sunt & qui censent adhuc mereri, ut Abulensis, Joannes de la Haje, aliique apud Sylveiram Opusc. tertio resolut. 1. Atque juxta horum placitum nego quod possint, quantavis caritatis opera exerceant, ad meritum Dei Genitricis unquam pertingere. Etenim non ex diutina solummodo exercitatione virtutum meritum comparatur, sed etiam ex vehementi dilectione; in qua absit ut aliquis Reginam Angelorum ac dominam valeat æquare. Quod si talia opinantibus conditionem status opponas; respondebunt, dummodo vivant in corpore, non tolli rationem meriti per hoc quod sint extra communem vivendi ordinem, quoniam & Catharinæ Senensi, & Mariæ Magdalenæ Virgini absque corporali cibo vitam agere datum est aliquandiu, sive in ecstasim raptis, sive sumpta in alimonium sacra duntaxat Synaxi, eoque tempore fuisse amplioribus meritis cumulatas: hanc vero rationem minime militare pro Animabus corpore solutis, & reddentibus pro minimo quadrante rationem.

Ultimo objicies: Sacrum ac perantiquum Carmelitarum Institutum S. Patris Eliæ solemni cultu Festum concelebrat a Romanis Pontificibus approbatum. In exitu quoque animæ illam solent presbyteri Deo commendare per merita Eliæ & Enoch. Sunt ergo ambo Sanctorum sorte, & Dei visione donati.

Resp. nego consequentiam. Invocantur enim religioso cultu, quod confirmati in gratia, & corpore & spiritu per Dei protectionem nec deficientes, nec proficientes, certissime credantur amici Dei, constet judicio Ecclesiæ singularis illorum virtus, & revelatus sit in Scripturis futurus eorum exitus. Quæ si ceteris viatoribus convenirent, posset & iis solemnis cultus decerni. At vero militantibus, quorum ignoramus finem, exhibendum est caritatis officium, non apotheosis triumphus: & orandum est ut perveniant ad consummationem virtutis, antequam illis votum reddamus honorificationis & laudis. Esse tamen discrimen quoddam inter illos, aliosque Sanctos ultro fatemur; quum & his magni reservetur gloria certaminis, & forte, quod visum Estio, in particulari preces nostras ignorent, & oretur Deus, ut propter eorum merita, & beneficia ipsi collata nobis propitiatus accedat. Quod unice ex precibus pro animabus morti proximis comprobatur.

SCHOLION.

„ PLures Carmelitici Ordinis Theologi, qui Eliam Prophetam tamquam Institutorem patremque venerantur, frui illum cum Henoch perspicua divini Numinis contemplatione propugnant. Si probationes piæ hujus sententiæ postules, plura proferent Sanctorum Patrum testimonia, quibus asseritur *frui Deo*, esse *æternitatis Candidatos*, *Paradisi colonos*, consecutos *terminos immortalitatis*, habitare *inter angelorum choros*; immo & Apocalypsis cap. 11. 4. ubi legitur: *Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra, in conspectu domini terræ stantes.* Referent privilegia sibi ab Apostolica sede collata, præsertim a Gregorio XIII. Sixto V. Paulo V. Urbano VIII. erigendi beato Eliæ sacras ædes, divinum officium in ejus cultum persolvendi, eique, quemadmodum civibus cælestis Jerusalem, exhibendi *duliæ* cultum. Affirmabunt animabus plane purgatis visionem Dei non differri; neque iis protrahendam, qui neque maculam, neque rugam creduntur habere; ac si adhuc degunt in corpore, non detinentur tamen in illo tamquam in carcere ad expianda peccata, nec ut futuræ beatitudinis meritum sibi comparent, sed divino consilio, ut secundum Domini adventum præcedant: hanc vero præordinationem ad ipsorum gloriæ cumulum & incrementum potius spectare, quam ad præmii, & ad coronæ justitiæ diuturnissimam dilationem: Non esse demum de Elia & de Henoch, ut de Justis aliis loquendum; nam alii deposuerunt corporis tabernaculum, & viam universæ carnis ingressi sunt: hi autem duo peculiari providentia immunes a morte, ut corporis immortalitatem præter naturæ ordinem, ita beatitudinem animæ præter consuetum ordinem retributionis sunt assecuti.

„ Spectata illa peculiari providentia, quidquid in contrarium objicias, facillime diriment. Si dixeris, Patres veteris testamenti detentos fuisse in Limbo, reponent illinc post Christi passionem fuisse eductos. Si opponas Eliam adhuc esse *viatorem*, respondebunt *viatorem* esse quidem, sed alterius conditionis, ac sint mortales ceteri, corpore, quod mentem aggravat, & sensibilium rerum speciebus distracti; aut si garrula verbositate idem urgeas; dicent *viatorem* corpore, non animo. Pari ratione objicienti quod scriptum est, *Non videbit me homo & vivet*, quum tamen duo illi viri sanctissimi vivant adhuc, neque alieni sint a sensuum officiis ac ministerio; occurrent Theologi Carmelitæ respondendo, aut ab illa communi assertione excipi aliquos, præter communem ordinem divinorum beneficiorum ubertate donatos: aut mori quodammodo, ut paullo supra diximus cum Augustino, *qui aversus est, & alienatus a carnalibus sensibus*: aut neque corpus, neque usum sensuum, neque rerum corporearum imagines impedire beatissimam Dei visionem, si corpus contineatur ne animam aggravet, sensus ne mentem obnubilet, adspectabilis mundus ne spiritalem intelligentiam præpediat; quemadmodum fuit excellentissima quadam ratione in humani generis Reparatore, eritque in cunctis electis post futuram carnis resurrectionem. Sinamus itaque viros doctos in proprio sensu abundare, neque de iis, quæ auctoritati & rationi non adversantur, pugnaciter disceptemus.

CAPUT VIII.

An Sanctorum animabus post diem judicii sit clara visio Dei differenda.

PRÆCIPUAM hujus libri aggredimur controversiam, num justorum animæ, quibus nihil pœnarum luendum superest, sint supernorum civium gloriæ, splendorisque consortes. In qua & turpes Cerinthi errores, & falsa Papiæ dogmata, & subobscura veterum Patrum dicta aliquam a nobis postulant operam. Ergo Cerinthus circa annum vulgaris Æræ lxxx. præter alia hæresum portenta, quæ veluti sibi ab Angelis revelata venditaverat, hanc spargere cœpit doctrinam, quod post resurrectionem in terris futurum sit Christi regnum apud instauratas Hierosolymas, Justis inter cupiditates voluptatesque carnis versantibus. Quod cum referant Cajus, qui initio III. sæculi floruit apud Eusebium lib. III. Hist. Eccles. cap. 28., Dionysius Alexandrinus, & alii, nullum est dubium, quin Cerinthus Chiliastarum, sive Millenariorum conditor debeat haberi.

Altero post Cerinthum sæculo, & circa an. cxvi. vixit Papias Syrus Hieropolitanus Episcopus, quem Irenæus lib. v. cap. 33. appellat Auditorem Joannis, & Sancti Martyris Polycarpi sodalem: sed, auctore præfato Eusebio lib. III. H. E. cap. 39. Papias ipse in Præfatione librorum suorum, quorum inscriptio erat, *Expositio Oraculorum divinorum*, aperte testatur se nunquam Apostolos audivisse, sed eorum duntaxat discipulos. Hominem *perexigui judicii* eum vocat Eusebius, certaque profert illius inscitiæ exempla, inter quæ illud de Christi regno ad mille annos post resurrectionem in terra hac duraturo. Sanctos tamen satiandos fore impuris cupiditatibus & obstringendos observatione legalium, ut dixerat Cerinthus, Papias nequaquam existimavit. Hunc fuisse virum disertissimum, & eruditissimum, ac scripturæ peritum habetur cap. 36. ejusdem libri Historiæ Eusebii; sed diligenter observandum est cum doctissimo Henrico Valesio hoc elogium ab antiquis mss. abesse, neque legi apud Rufinum: unde nulla exinde accedit tenuissimo judicio Papiæ commendatio.

In Papiæ errorem consenserunt (quod dissimulandum non est) aliqui priorum sæculorum Patres: inter quos enumerantur Irenæus, Justinus, Nepos in Ægypto Episcopus, Lactantius, alii. Quorum plerique, tametsi mille annorum regnum non expresse admittant, censent tamen differri ad diem judicii animarum beatitudinem, cum interim occultis clusæ receptaculis Judicis adventum expectent, suorumque operum retributionem. Hanc gloriæ dilationem propugnavit initio v. sæculi Vigilantius. Eodem tenebantur errore tempore Florentini Concilii celebrati anno 1438. nonnulli Græcorum: eoque impliciti sunt plurium superiorum hæresum sutores, & Romanæ Ecclesiæ hostes infensissimi Martinus Lutherus, & Joannes Calvinus. Quidam in hujus dogmatis patrocinium locis quibusdam obscurioribus abutuntur Ambrosii, Augustini, & Bernardi: quos, hunc præsertim, ad partes trahere conantur Millenariorum. Pro quibus stetisse quoque Joannem XXII. tradunt cum illius ætatis Historicis plures Theologi, quamvis e cathedra hanc quæstionem non definiisse etiam Gallorum eruditissimi fateantur. Itaque agendum primo de regno mille annorum juxta sensa Cerinthi, & Papiæ: deinde resolvenda est quæstio de beatitudinis dilatione: præterea inquirendum de mente Ambrosii, Augustini, ac Bernardi; ac tandem de errore, quem tribuunt Joanni Papæ, judicium nobis est pronunciandum.

PROPOSITIO I. Figmentum est & anilis fabula illud mille annorum regnum a Cerintho excogitatum, & a Papia, licet tolerabilius, inductum.

Ostenditur I. ex Scripturis. Cum enim Pharisæi carnalibus imbuti opinionibus futuram crederent resurrectionem ad vitam animalem, in qua cibo potuque opus esset, & rursum jungi deberent connubia; ait Christus Dominus Matth. xxII. 30. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt, sicut Angeli Dei.* Verum est quod horum verborum sensus exponitur a Luca: *Neque enim ultra mori poterunt.* At si corpora resurgentium non erunt amplius obnoxia morti, ac defectui; ad quid epulæ? ad quid sexuum commixtio? quæ ad generis deserviunt conservationem. Præterea Paulus ad Rom. xIV. 17. *Non est enim regnum Dei esca & potus.* Quæ verba non solum per metonymiam debent accipi, quod non paratur jus ad Regnum Dei edendo ac bibendo, sed etiam proprie & absque transnominatione, quum statim addat Apostolus, *In esca & potu* pacem non esse, nec gaudium in Spiritu Sancto. Hæc duo loca potissimum urgent Cerinthum. Addo contra Papiam ejusdem Apostoli testimonium I. ad Thessalonic. IV. 16. ubi Christi adventu, & mortuorum resurrectione narratis, ait: *Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.* Ubi post Christi descensum non Chiliastarum, sed sempiternum regnum promittitur. Atque regnum istud prædicitur Lucæ I. 33. illis verbis: *Regni ejus non erit finis*; quæ Constantinopolitanum Concilium inseruit Symbolo adversus Apollinaristas errori Millenariorum addictos. Merito ergo a Damaso in Romano Concilio celebrato anno 373. tanquam sacris litteris contraria Millenariorum hæresis fuit proscripta.

Hanc auctor librorum de cælesti Hierarch. c. VII. *fabulam* vocat: idem præstat quæst. 2. Epist. ad Hedibiam Hieronymus. Origenes lib. 2. de Principiis cap. 12. & in Prologo in Cantic. exortam scribit ex intellectis sensu Judaico Scripturis. Stultam insaniam S. Ephrem Opusc. III. appellat. De ea scribit Cajus Romanæ Ecclesiæ presbyter loco citato: *Cerinthum, qui per revelationes, quasi a magno Apostolo scriptas, portenta finxerat, velut ab angelis sibi ostensa, intromisisse hanc doctrinam, qua adfirmat, post resurrectionem, regnum Christi in terris futurum, & rursus cupiditatibus & voluptatibus carnem Jerosolymæ versantem servituram. Quin & dixisse inimicum illum Scripturarum divinarum, fallere volentem, in nuptialibus festis mille annorum spatium transactum iri.* Et Eusebius de libris Dionysii Alexandrini eodem loco scribit. *Caussam præbuit Nepos quidam Episcopus Ægypti, qui promissiones sanctis hominibus factas in divinis voluminibus, Judaico sensu exhibendas docebat, & nescio quod mille annorum spatium corporalibus refertum deliciis in hac terra fore affirmabat.... Hunc ergo Dionysius in libris de Promissionibus acriter impugnat.*

Dixi Regnum mille annorum a Papia tolerabilius inductum, cum Augustino xx. de Civit. Dei cap. 7. *Quæ opinio esset utcunque tolerabilis, si aliquæ deliciæ spirituales in illo sabbato affuturæ Sanctis per Domini præsentiam crederentur. Nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando, &c.* Sed tamen sententia Millenariorum etiam in sensu Papiæ recto Judicio Ecclesiæ damnata est, ut diximus, magisque proxima firmabitur propositione.

At contra Cerinthum etiam deductas a ratione possumus argumentationes urgere. Nam 1. Quo pacto auream atque gemmatam in terris Jerusalem, instaurationem templi, hostiarum sanguinem, otium sabbati, post consummatas Mosaicæ legis figuras, perfectamque Danielis de perpetua abominatione prophetiam expectare fas est, & liberatos a legis servitute rursus circumcisioni, & legalium subjicere vetustati? Deinde quænam Regni, cui Sancti inhideant, conditio est, quærere ciborum abundantiam, gulæque ac ventris ingluviem? *Nullo modo*, inquit Augustinus citato loco, *ista possunt nisi a carnalibus credi.* Contra Papiam vero, qui illicitas impurasque voluptates minime cum Cerintho expectandas esse affirmavit, sed inculpatas, ac spirituales duntaxat, præter ea quæ dicentur de præsenti gloria Sanctorum, constat veram rationalis hominis delectationem ac voluptatem esse videre Deum, eique perpetuo adhærere; ut habetur in Ps. xxxv. 9. 10. *Inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Cerinthus frivolis quibusdam sophismatibus absurdam nitebatur palliare sententiam. Ac primo opponebat. Matthæi xIx. 29. continetur Christi promissio, quod omnis qui reliquerit temporalia, *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*: Igitur sanctis præter regnum cœlorum sempiternamque beatitudinem centuplum reddendum est divitiarum, voluptatum, epularum, honorumque, quibus pro Christi amore nuncium miserunt.

Resp. nego consequentiam. Sanctus enim Hieronymus lib. III. in Matth. cap. 19. ait: *Sensus ergo iste est: Qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet, quæ comparatione & merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur.* Hoc autem centuplum non est ipsa æterna vita, ut quidam exponunt; nam & verba redundarent, & Marci x. 30. aperte promittitur centuplum *nunc in tempore hoc*, æterna autem vita *in sæculo futuro*. Sed est hæc centuplicata merces, superabundantia gaudii in tribulationibus & angustiis, affluentia bonorum in paupertate spiritus, atque voluptas ex fraterna caritate, quæ, ut observant in hunc locum Origenes, Theophylactus, & auctor Quæst. ad Orthod. Q. cx., longe superat qualecunque toleratum rerum dispendium. Atque hanc interpretationem approbat August. Epist. 89. ad Hilarium, ubi exponit *centuplum in hoc sæculo* per illud 2. Corinth. 6. *Nihil habentes & omnia possidentes*, necnon Chrysost. hom. 40. in Genes. 17. dicens id completum fuisse & in Abraham, quando relicta paterna Domo in terram abiit peregrinam. Ergo cum centuplum in præsenti vita reddatur, atque ut ait Marcus, *ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ in tempore hoc*, nequit hoc loco designari regnum Chiliastarum.

Opp. 2. Matth. v. 6. habetur: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Ergo justis satietas quoque, epularumque copia parabitur.

Resp. nego conseq. Nam saturitas istic promittitur spiritalis & cælestis, non terrena & carnalis. Talis quippe erit satietas, qualis nunc fames & sitis. At loquitur Matth.

de fame, & siti spiritali, id est, justitiæ. Ergo & de spiritali saturitate. Fames præterea, ac sitis citato textu translatione quadam vehementem significant appetitionem, ut cum dicitur a Virgilio: *Auri sacra fames*, & a Plutarcho *Qui non esurit, aut sitit vindictam*. Ita saturitas plenum animarum gaudium vocabuli translatione demonstrat: quod non est in sacris literis inusitatum. Legimus in Ps. xvi. 15. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*. Et cvi. 9. *Satiavit animam inanem, & animam esurientem satiavit bonis*.

Opp. 3. Lucæ xxii. 29. *Ego dispono vobis*, (inquit Christus Dominus) *sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*. Poterat ne clarius exprimi futurus conviviorum in Christi regno apparatus?

At hæc ejusdem generis sunt. Edere & bibere metaphorice idem sunt ac frui & oblectari. Quo loquendi genere utitur Christus, quia solebat apud Judæos per verba edendi ac bibendi felicitas populariter describi. Sic de cælestis doctrinæ suavitate dictum Proverb. ix. 5. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis*. Esajæ lxv. 13. *Servi mei comedent, & bibent*. De ubertate Gratiæ Joannis iv. 14. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. De fide cap. vii. 38. *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Confer & locum Apoc. xxii. 17. Hac itaque tritissima Scripturarum phrasi cæleste regnum sub mensæ apparatu signatur. Putant quidam hoc impleri in præsenti sæculo, dum fideles reficiuntur Eucharistia, quæ in regno Dei, id est, Ecclesia Catholica, de mensa Dominica ministratur. Addo his translationibus Apostolicam describi dignitatem. Duabus quippe notis solent cognosci proceres regni, honoris & potestatis. Honos est in mensæ regalis consortio: potestas in Judiciorum participatione. Utrumque Christus apud Lucam xxii. spopondit: Honorem dicens, *Ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*; potestatem consequentibus verbis, *Et sedeatis super thronos judicantes duodecim Tribus Israel*.

Quarto opponunt Cerinthiani: Matth. xxvi. 29. Christus in Cœna recumbens ait: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*. Nedum mensa, sed & vinum, & quidem uvis expressum, loco illo commemoratur.

Sed eadem est adhibenda responsio. Vinum lætitiam frequentissime significat, & amicorum caritatem, ut ii. Cant. 4. & Zachariæ ix. 17. idque, quod vinum exhilatet cor hominis. Neque aptior Christo proferri poterat analogia. Vinea Ecclesia dicitur tam in novo, quam in veteri testamento: *Vinea facta est dilecto meo*, inquit cap. v. Esajas: *Ego plantavi te vineam electam*, Jeremias ii. 21. *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, &c.* Matt. xxi. 33. Appellatur Christus i. Cantic. 13. *Botrus*, Joannis xv. *Vitis*; ibidem cælestis Pater *Agricola*, Fideles vero *palmites*. Non potuit ergo melius designari gaudium Sanctorum, quam sub metaphora *Vini*, sive attendatur consueta Scripturarum locutio, sive conferantur quæ de Ecclesia, ejusque capite ac membris dicta sunt. Atque ita *Vindemia, & racematio* judicium, & uvæ contusæ, & calcatæ divinam in impios vindictam figurant, plenumque apud Joelem *Torcular* exuberantes nequitias. Sic optima est scripturarum cohærentia, si *Vinum* hoc loco spiritaliter accipiamus. Quod ut facilius a nobis percipiatur, appellatum est *Novum*, id est, alterius, & longe præstantioris virtutis, quam illud sit, quo bibax inebriatur. Hoc sensu in Apocalypseos xxi. Beatorum patria appellatur *Jerusalem nova*: & ne cum Cerintho dictum putes de instaurata Palæstinorum metropoli, monet Apostolus ad Galatas iv. 26. scribens: *Quæ sursum est Jerusalem*. Sunt qui ad literam Christi verba interpretantur de sumptione potus cum discipulis post resurrectionem, de qua Petrus Act. x.: *Qui manducavimus, & bibimus cum illo*. Hanc interpretationem non approbat Guilelmus Estius, quoniam istud nondum erat in regno patris, neque novum in comparatione ultimæ cœnæ. Theologi tamen eruditissimi & istam amplectuntur explanationem: pro qua respondere possumus Estio, Regnum Patris dici Ecclesiam, quam Christus acquisivit sanguine suo: novum vero, & inauditum, quod habens corpus incorruptibile biberit & comederit, ut *certiori argumento* (inquit Chrysostomus hom. 83. in Matth.) *firmaret resurrectionem*.

Objicies 5. Apocalyps. xx. v. 2. legitur: *Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligavit eum per annos mille*: v. 3. *Misit eum in abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni: & post hæc oportet illum solvi modico tempore*. Hoc loco prædicitur apertissime postrema Ecclesiæ persecutio per Antichristum diabolo suadente atque impellente. Prænunciatur enim v. 4. Judicium: *Et vidi sedes, &c.* Post Judicium istud consequitur regnum mille annorum: *Et regnaverunt cum Christo mille annis*. Ergo post Judicium regnum mille annorum certissime futurum est. Secundo prædicitur ibidem duplex resurrectio, duplex Judicium. Prima est resurrectio justorum, ut fruantur regno annorum mille, de qua v. 5. *Ceteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est ersurrectio prima. Beatus & sanctus, qui habet partem in ersurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem; sed erunt Sacerdotes Dei, & Christi, & regnabunt cum illo mille annis*. Erit igitur post resurrectionem justorum regnum Chiliastarum. Secunda resurrectio, & secundum Judicium prædicitur v. 13. *Et mors, & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant: & judicatum est de singulis secundum opera ipsorum*. Post hæc mors secunda, & impiorum sempiternum supplicium. Tertio: Per regnum mille annorum, quod promittitur cap. xx. 6. non possumus intelligere, ut quidam arbitrantur, cælestem gloriam, qua nunc fruantur electi, quoniam regnum millenarium erit post resurrectionem Justorum, & ante resurrectionem impiorum, ut constat ex dictis; & gloria cælestis consequitur post damnationem reproborum, ut describitur immediate sequenti capite. Accipiendum est ergo regnum habendum in terris post primam resurrectionem. Denique citatis verbis, *Erunt Sacerdotes Dei, & Christi*, haud obscure insinuatur in regno Millenario immolandas esse victimas, & innovanda legis holocautomata, ut ajebat Cerinthus, cujus hæc sunt præcipua momenta.

Ut obscurum Apocalypseos intelligatur oraculum, singulæ ejus partes sunt breviter percurrendæ. Itaque cap. xx. versu 1. memoratur Christi primus adventus: & dicitur *Angelus habens clavem abyssi, & catenam magnam*, quoniam potestatem habet cælestium & infernorum, & captivam duxit captivitatem. Hinc versu 2. dicitur satanas ligatus *Per annos mille*, quia per adventum Christi cohibenda erat usque in finem sæculi dæmonis sævitia ac potestas. Adstringitur autem duratio mundi ad mille annos, ut perfecto numero notaretur hujus temporis plenitudo, inquit S. P. Augustinus lib. xx. de civit. Dei cap. 7. Ob futuram Antichristi persecutionem, quæ creditur duratura tribus annis, & sex mensibus, additur: *Post hæc oportet illum solvi modico tempore*. Interim & sæculo permanente sedes positæ sunt, & pro animabus *Decollatorum* datum judicium, quod describitur versu 4. Decollatorum animæ sunt martyres, quorum frequentissimum securis supplicium, simulque spiritus justorum, ac pœnitentium. At per sedes non judicium extremum post Resurrectionem futurum significatur, istud enim describitur v. 11. & seq. sed aut particulare, aut Ecclesiæ regimen, in quo ligandi atque solvendi auctoritas exercetur. De istis *Decollatorum* animabus scriptum est, *Vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis*, scilicet hoc temporum intervallo, & ante corporum resurrectionem, quo dormierunt in Christo, animæ non perierunt, non detinentur Tartari ruderibus, sed ad gloriæ solium translatæ sunt. Ex quibus colligitur, quod regnum illud mille annorum, quod tribuitur solis animabus, non corporibus, & constituitur antequam solvatur satanas, & mortui magni, & pusilli resurgant, nequit esse regnum Chiliastarum, quod & corporibus promittunt, & post generalem resurrectionem expectant.

Præsens animarum gloria appellatur resurrectio prima. Duplex est mors, duplex resurrectio. Prima mors est mors tam bonorum, quam malorum, id est, separatio animæ a corpore: altera mors, ut constat ex versu 14. est impiorum ad sempiternum ignem damnatio. Prima resurrectio est beatitudo animæ, ita enim appellatur etiam ab Apostolo ad Hebræos cap. xi. 35. & a Daniele xii. 2. Resurrectio secunda erit dum corpora a mortuis resurgent, quod legitur v. 12. Quia vero vita æterna, & prima anastasi ac resurrectione non gaudent animæ impiorum, propterea additur v. 5. *Ceteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est ersuerectio prima*: Scilicet non vixerunt neque vita animæ & Dei consortio, neque vita corporis, quam tandem resument in gehenna carne simul ac spiritu cruciandi. Ab hac damnatione immunes erunt animæ Justorum; unde v. 6. legitur, *Beatus, & Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem*, id est, certi sunt non esse mittendos in stagnum ignis. Ergo Martyres ac pœnitentes, qui jam habent partem in resurrectione prima & in spiritus beatitudine, neque subjicientur unquam morti secundæ & damnationi animæ & corporis, antequam consummentur mille anni, & adveniat statutus mundi interitus, sunt *Sacerdotes Dei & Christi*, & sunt, qui *regnabunt cum illo mille annis*; itaque prosequitur v. 6. Sacerdotes dicuntur, id est, plebs sancta, regale Sacerdotium, ait S. P. Aug. xx. de civit. Dei cap. 10. Item quia reddunt Deo sacrificium laudis, inquit Estius. Rursus quoniam sunt intimi Dei amici, exponit Natalis Alex. Neque vero de hostiarum immolatione ritu Judaico possumus ita accipere, quum sermo sit de animabus *Decollatorum*, non de hominibus in corpore viventibus, ut constat ex dictis.

Quamquam penitus dilutum est Millenariorum fundamentum, tamen juvat dicta singulis argumenti partibus applicare. Ad primum nego consequentiam, non enim versu 4. describitur judicium faciendum post resurrectionem sanctorum Martyrum, cum nulla hactenus memorata sit resurrectio, & omnes simul tam boni, quam mali præsentari debeant ante tribunal Christi, illis dexteram occupantibus,

& his finiſtram; ut aperte narratur Matth. xxv., & 2. ad Corinth. 5. Ad 2. nego nomine Reſurrectionis primæ intelligendam eſſe corporum reviviſcentiam, non animæ beatitudinem. Ad tertium dico poſt univerſalem reſurrectionem conſecuturam eſſe gloriam conſummatam ac plenam, & veſtiendos electos duplici ſtola, beatitudine nimirum animæ & corporis, quum ii ſola anima nunc Deo fruantur. Ad 4. nego Sacerdotes eos tantum dici, qui juxta legem Moſis immolant hoſtias, & cruenta peragunt ſacrificia: nam de omnibus prædeſtinatis legitur Apocalyp. 1. 6. *Et fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & patri ſuo.*

Hactenus dicta vera ſunt, & apud Sacrarum literarum interpretes vulgatiſſima. Grotius Apocalypſim nova quadam, & ingenioſa methodo exponit. Ait Sanctos regnare cum Chriſto per dona ſanationum, quæ conſpiciuntur apud ipſorum Memorias, & per honorem, quem illis Eccleſiæ palam habuerunt. Ante tempora autem Conſtantini neque tutum erat ad martyrum monumenta concurrere, & vigente Paganiſmo metui debebat ne honores martyrum a Paganis in ſuperſtitionis ſuæ defenſionem abriperentur. Conſtantinus pro Chriſtianiſmi libertate edictum vulgavit anno cccxi. Mille poſt annis orta eſt Domus Ottomanica, quam condidit Othmen Ciliciæ præfectus, qui primam imperii ſedem, occupata Bythinia, poſuit circa annum 1302. Quoniam vero Ottomani in Aſiam, & Græciam Mahumetis invexerunt impietatem, & inde mala innumera & Eccleſiæ & religioni evenerunt; dicitur quod conſummatis mille annis ſolvendus erat ſatanas, & ſeducturus gentes terræ Gog, & Magog. Quo nomine deſignatas ait Aſiam, & Syriam, ubi Domus Ottomanica cœpit primum dominari. De ea conſequenter dictum eſt, quod debebat circuire caſtra Sanctorum, & civitatem dilectam; quoniam in ejus ditione incluſæ ſunt omnes ſeptem Eccleſiæ, quibus conſcripta eſt Apocalypſis; & tenet nedum civitatem Jeruſalem, ſed & Conſtantinopolim, quam *novam Sion* appellant Græci. Hanc debellavit, fecitque Imperii Turcici ſedem Mahomet II. Ottomanicæ ſtirpis princeps, anno 1453. Igitur juxta Grotium vere regnum Martyrum mille annorum ſpatio duravit, quod modo inter eos coarctatum eſt, qui illorum ſervant religioſiſſimum cultum. Ita hæc dicta ſunto, ut nullatenus a priori Patrum explicatione ſit recedendum. Dignus eſt tamen mihi viſus Grotius, ut illius quoque interpretationem adferrem & propter literalem ſenſum, cui Catholicorum ſententia non omnino repugnat, & propter egregium de cultu Martyrum teſtimonium; in gratiam ſolummodo Novatorum, qui hominem pluris faciant, quam Romanæ Communionis Interpretes univerſos.

SCHOLION.

„ Error Cerinthi, qui non tantum annorum mille regnum invexit, quod & Patrum antiquorum plures futurum poſt reſurrectionem corporum aſſeruerunt, ſed transfigendum quoque putavit in reſtauranda civitate terrena, cruentis victimarum Sacrificiis, carnalibus oblectamentis, atque impuriſſimis voluptatibus, ita deſcribitur ab Euſebio lib. 3. Eccl. Hiſt. cap. 28. Valeſio interprete: *Sed & Cerinthus per revelationes quaſdam a ſe, tamquam a magno quodam Apoſtolo conſcriptas, portenta quædam quaſi ab angelis ſibi oſtenſa commentus nobis introducit, affirmans poſt reſurrectionem regnum Chriſti in terris futurum, ac rurſus homines Hieroſolymis degentes cupiditatibus & voluptati corporis obnoxios fore.* Hæc Euſebius ex Cajo. Plura idem Euſebius addit lib. 7. cap. 25. ex Dionyſio Alexandrino; a quo litteris etiam traditum eſt, nonnullos repudiaſſe penitus ac refutaſſe propter Chiliaſtarum errorem librum Apocalypſis, tamquam craſſo, & opaco ignorantiæ velo obductæ revelationis; addentes neminem e ſanctis & Eccleſiaſticis viris fuiſſe ejuſdem libelli conditorem, ſed editum fuiſſe a Cerintho, qui nominis ſui ſectam conflavit; cumque magnæ auctoritatis nomen præfigere vellet commentis ſuis, operi Joannis titulum indidiſſe. At Dionyſius addit, non audere ſe librum illum rejicere, cum multi ex fratribus eum magni faciant: ac teſtatur ſe de ipſo libro opinionem concipere, quaſi ſenſus ſui modum excedat, contineatque arcanam quamdam, planeque admirabilem rerum intelligentiam. Quod exiſtimavi advertendum eſſe, ne quis ex Dionyſio putaret firmum depromi argumentum ad oppugnandam Sacri ejuſdem libri inſpirationem, atque ut quiſque perciperet ortam Chiliaſtarum ſententiam ex Apocalypſi non intellecta, cauteque procederet in Sacris diviniſque litteris proprio marte explicandis.

„ Ceterum pro Cerinthiano dogmate aliud militare videtur haud obvium tritumque momentum, petitum ex prophetia Ezechielis cap. 40. Eo enim loci prædicit Propheta reædificationem civitatis Jeruſalem, ac Templi, in quo deſcribit murorum extenſionem, latitudinem ædificii, longitudinem portarum, veſtibuli, liminum, frontis, thalami, atriorum, gazophylacia item, menſas ad ſacrificia immolanda, necnon Cantorum & Sacerdotum manſiones, tam accurate, tam exacte, ut nobis ante oculos ſtatuat illius Templi ſitum, proſpectum, altitudinem, ornatum, omnemque menſuram. Hoc Ezechielis Templum non eſt illud, quod ædificatum eſt a Salomone, neque extructum ſub Zorobabele, Aggæo, & Zacharia prophetantibus. Id aperte demonſtrat S. Hieronymus Comment. in præcit. cap. 40. ex eo, quod Templum ſecundum in comparatione prioris fuerit parvum, & adeo deterius, ut qui primam ædem viderant, & poſteriorem intuebantur, non poſſent a lacrymis temperare, & multo major eſſet clamor eorum, quam clangor tubarum. Quale eſt ergo, inquiunt, Templum ab Ezechiele prænuntiatum, amplius & magnificentius ædificato olim a Salomone, & multo magis amplius Templo ſecundo, quod primo non poterat comparari, quale eſt, inquam, Templum iſtud, niſi in fine ſeculorum excitandum, ut reſurgentes Deo illic ſacrificia & holocauſta offerant, regnoque potiantur terreno, quemadmodum dogmatizavit Cerinthus?

S. Hieronymus lib. 12. in Ezechielem docet Templum a Propheta cap. 40. deſcriptum myſtico ſenſu intelligendum eſſe; idque demonſtrat accurata Scripturarum Sanctarum collatione. Præmittit de ſua interpretatione plura. Ait de illo Ezechielis Templo ſcriptum Pſ. 96. *Nubes & caligo ſub pedibus ejus*: Judæos putare accipiendum eſſe ſecundum litteram, & ædificandum eſſe in adventu Chriſti ſui, *quem nos eſſe Antichriſtum comprobamus*: a nobis referendum eſſe *ad Chriſti Eccleſiam*, ſe de illo Templo, quod ſecula cuncta tacuerunt, non temeritate velle diſſerere, *ſed fide & timore Dei* conjecturam animi ſui legentibus demonſtrare: oblaturum ſe in tabernaculum Dei *pelles caprarum piloſque*, unde peccatorum ſpinæ, & aculei tegantur, & arceantur pluviæ & tempeſtates: delaturos alios ferrum, æs, argentum, aurum & pretioſiſſimos lapides. Quæ, aliaque plura difficillimam eſſe myſtici illius Templi intelligentiam demonſtrant, ſimulque commendant Doctoris maximi doctrinam, eloquentiam, humilitatem. Explicata deinde littera, obſcura, nec apparente, *divinantis magis quam explanantis animo*, ut ipſe Hieronymus ait; docet hoc eſſe Templum, de quo Apoſtolus Paulus ad Epheſios 2. *Ergo nequaquam eſtis peregrini, ſed cives Sanctorum, & domeſtici Dei: ædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo angulari lapide Jeſu Chriſto: in quo omnis ædificatio compacta creſcit in Templum Sanctum Domino, in quo & vos ſuperædificati eſtis in habitaculum Dei in Spiritu Sancto.* Addit quæ leguntur in prima Epiſtola Petri cap. 2. & deinde per ſingula prophetiæ verba ingenioſa ponderatione diſcurrit. Non opus eſt cuncta exſcribere. Hieronymum ipſum lector diſcendi cupidus adeat.

„ Poſſumus tamen litterali ſenſu Ezechielis caput illud quadrageſimum interpretari, & exponere de ſecundo Templo ædificato ſub Zorobabele circa annum 520. ante Æram Chriſtianam licet ob ſtructuram comparandum non fuerit erecto a rege Salomone. Iſto enim ſecundum illud Zorobabelis auguſtius & glorioſius cenſendum eſt, quoniam ad ipſum Templum ſecundum venit Dominus natus ex Virgine, ut prænunciaverat Aggæus cap. 2. 8. *Et veniet deſideratus cunctis gentibus: & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus.* Immo ſecundum Templum, quamvis ſpectata mole anguſtius priori, quod altius erat ſecundo cubitis ſexaginta, ampliatum tamen fuit ab Herode, qui, ut narrat Joſephus lib. 15. Antiquit. cap. 11. jactis aliis fundamentis, templum erexit in altitudinem cubitorum centum, & viginti, atque in longitudinem cubitorum centum. Hæc eadem eſt menſura templi ab Ezechiele deſcripti. Capite enim 41. verſu 13. legitur: *Et menſus eſt domus longitudinem centum cubitorum.* De ſecundo itaque Templo, non quidem ut ædificato ſub Zorobabele, ſed ut adaucto ab Herode Aſcalonita, poſſumus vaticinium Ezechielis commode interpretari.

„ Non deſunt ulterius, qui exhibitum a Propheta oculis Judæorum exiſtimant proſpectum Templi prioris, quale erat quando illud diruit, & ſolo æquavit Nabuchodonoſor; idque, ut perciperent, atque ſpecimen haberent, quo in patriam reverſi divino honori reparando ardentius incumberent: & quoniam deſcriptio Ezechielis diverſa eſt ab illa, quam Salomone regnante tradit tertius liber Regum capite 6. ſententiæ hujus propugnatores reponunt alios poſt Salomonem Reges ex ingentibus illis, quæ in templum inferebantur, tributis ac donis, plura eidem templo addidiſſe ædificia, atque ornamenta. Vide librum 4. Regum cap. 12. necnon Villalpandum in Ezechielem, ubi de Templo prænuntiato a Propheta, accurate, erudite, ſapienterque diſſeritur.

CAPUT IX.

Sequitur quæstio de præsenti statu Animarum sanctarum.

ALTER autem error a Millenariorum fabulis, ut diximus, longe diversus, & quo implicatos novimus nonnullos priorum sæculorum Patres, erat, quem sequenti explodimus assertione.

PROPOSITIO: Nec ad minimum tempus exutis corporibus animabus Dei visio & gloria differtur, si nulla conspersæ sint macula.

Hanc definitionem Fidei, de qua extat Decretum Benedicti XII. in Extravaganti *Benedictus Deus*, Florentini Concilii Sess. ultim. in Decreto unionis, & Tridentini Sess. xxv. Scripturis, Patribus, ac rationibus comprobamus. Scripturarum quidem momenta sunt. Ps. 126. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini*. Nam dormire ac somnum capere corporalem mortem significat passim, sed apud Psalmistam frequentissime, in III. 6. IV. 9. XI. 9. lxxv. 6. &c. Eccles. XI. 28. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas*. Retribuere est bonis, malisve dare quod æquum est. Consonat Ecclesiastico illud vulgatissimum:

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit.
Tunc suus ex merito quemque tuetur honos.

Rursus 2. ad Corinth. v. 1. *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, æternam in cælis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cælo est superindui cupientes*: & v. 8. *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum*. Item ad Philipp. 1. 23. *Coarctor autem in duobus desiderium habens dissolvi & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne necessarium propter vos*. Dissolvi animæ de corporeo carcere notat discessum: & græce habetur ἀναλῦσαι, quod proprie est *redire*, nempe ad Deum, de quo Eccles. XII. 7. *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Actorum quoque 7. Stephanus *Intendens in cælum vidit gloriam Dei*. Et in divino officio addit Ecclesia: *Vidit & introivit*. Deum in Apocalypsi VII. 9. & 15. dicitur Sanctos amictos stolis albis stare ante thronum, & in conspectu agni; non *procul*, sed prope & juxta, quod in Græcis demonstrat præpositio Ἐπὶ cum genitivo, quæ etiam idem est ac *super*. Et cap. XIV. 13. *Opera enim illorum sequuntur illos*. Habet hic Vulgata *Amodo*, Græci, ἀπάρτι, quod valet, *Jam nunc, hoc ipso tempore* requiescunt, quoniam merces illos consequitur. Ita per metonymiam opera & virtutes dicuntur justos persequi, & anteire, quod donetur corona, si merita decedentium præeant. Addunt nonnulli verba Christi ad latronem: *Hodie mecum eris in Paradiso*. Ea satis ambigua demonstrat Petavius lib. VII. cap. 14. & Juenin dissert. IV. art. 2. Paradisus equidem generale est nomen, ubi feliciter vivitur; neque hinc definire possumus, ubinam recepta fuerit latronis anima, an in cælis, an in sinu Abraham, an in aliquo alio receptaculo voluptatis. Hoc tamen loco utuntur ad rem nostram eruditi Theologi, Estius, Habert, Tournely, Gotti, Henno, alii. Ego medium incedo iter, & cum Petavio arbitror incertum esse, quo loco statim post mortem latronis anima fuerit recepta, cum aliis puto ex tunc fuisse beatam, & consortem regni, quod petierat dicens: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum*. Cum enim Deus ubique sit, nullum dubium est, quin Paradisi felicitas habeatur, ubicumque se videndum exhibeat. Vide Bellarminum lib. I. De Sanct. Beatitud. cap. 3. & Jansenium, ac Maldonatum in cap. 23. Lucæ. Ex præmissis autem Sanctorum Bibliorum testimoniis argumentatio ista consurgit: Statim ac dormiunt justi, & illorum domus corporea dissolvitur, fiunt præsentes ad Dominum, redeunt ad Creatorem suum, aperiuntur eis cæli, ingrediuntur illuc, consequitur suorum operum merces, & retributio laborum: Hæc omnia Dei visionem, & sempiternam præferunt beatitudinem: Ergo Justorum animæ statim post mortem vident Deum, optatissimamque beatitudinem adipiscuntur.

Accedit perpetua Sanctorum Patrum traditio. Primo enim Ecclesiæ sæculo, ex quo nullum hæretici pro sua poterunt sententia proferre, Hermas antiquissimus Scriptor in vulgatissimo Pastoris Opere, quod ut Canonicum divinumque veteres nonnulli laudarunt, lib. 3. similit. 8. docet omnes, qui pie obeunt, pœnitentibus exceptis, jam in cælis coronari, ut videre potes Tom. I. PP. Apostolic. Cotelerii. Clemens in Epist. ad Corinth., quam sine dubio genuinam scribit & Clericus ad annum lxix. 6. de Petro ait: *Martyr effectus discessit ad debitam gloriæ locum*. Ignatius, cujus Epistolas editas ab Isacio Vossio omnes recipiunt, & contra Dallæum defendunt Dupin, Alexander, & Armachanus, ad Roman. scribit: *Sinite me ferarum escam fieri, per quas licet Deum adipisci. Sinite me purum lumen haurire, &c.* Occubuit autem Ignatius anno CVII.

Altero quoque sæculo, si Papiam excipias, de quo recole dicta superiori capite, & Justinum, qui hac in parte alternavit, diserte veritatem Catholicam tradiderunt Polycarpus Epist. ad Philipp., & Ecclesia ejus Smyrnensis apud Eusebium lib. IV. H. Eccl. cap. 15., ubi de beatissimo Antistite ait: *Per tolerantiam devicto injusto præside, immortalitatis corona recepta, cum omnibus Apostolis omnibusque justis exultans Deum glorificat*. De Cajo Romanæ Ecclesiæ presbytero dictum est supra. Extat in Apologia Athenagoræ apertissimum hujus traditionis argumentum, videlicet: *Persuasi sumus, nos hac mortali defunctos vita, alteram hac terrestri longe meliorem esse victuros, ut apud Deum, & cum ipso simus*. In vetustissimis quoque Act. S. Symphorosæ apud doctissimum Ruinart. p. 20. ita Martyr sanctissima de viro suo Getulio, & Amantio fratre compellavit Hadrianum: *Elegerunt enim magis decollari quam vinci, passi mortem, quæ pro nomine Christi suscepta inter homines terrenos quidem ignominiam eis peperit temporalem, inter angelos vero decus & gloriam sempiternam: inter quos nunc gradientes & tropæa passionum suarum dantes cum æterno rege vita æterna fruuntur in cælis*. Passa est anno Christi 120. Lucius martyr, qui pro Christi nomine sanguinem fudit anno 162., dum ad supplicium duceretur, ait: *Se Urbicio magnam gratiam debere, quippe qui hujusmodi malis dominis liberatus ad optimum patrem, regemque esset migraturus*. Solus ergo Justinus in hac quæstione fluctuare videtur: sed in Dialogo cum Tryphone fatetur contra se stare multos: *Qui puræ, piæque Christianorum sunt sententiæ*. Ubi contra omnium exemplarium fidem novi Chiliastæ particulam negantem inseruerunt. Enimvero cum quæsisset Trypho, an profiterentur Christiani instauratum iri Jerosolymam, ibique Christianos una cum Judæis ac Proselytis beatam vitam ducturos, *Fassus sum*, inquit, *& prius me & plures alios hoc sentire, quemadmodum etiam vos omnes scitis futuram: sed multos, qui puræ piæque sunt Christianorum sententiæ addicti, hoc non agnoscere tibi significavi*. Neque obstat, quod in priori parte Dialogi nihil tale reperiatur, nam pag. 300. postquam dixit Jesum suscitatum a mortuis, sequuntur verba, quæ cum superioribus minime connexa sunt, & lacunam ibidem docti viri observarunt, etiam Grabius in Spicilegio PP. sæculi II. & Joannes Clericus in Historia duorum sæcul. ad annum cxl. n. XVIII. Nec pariter obest, quod Justinus subjicit: *Se, & si qui recte per omnia sententiæ Christiani sunt, & carnis resurrectionem futuram nosse, & mille annis in instaurata, exornata, & aucta Jerusalem pios victuros*. Hic enim invehitur in Gnosticos, qui Christiani vocabantur, sed corporum negabant resurrectionem. Ex quibus colligere juvat & Justinum nimis fuisse liberalem Tryphoni dando Christum venturum, ut regnet in instaurata Jerusalem, & sincere oppositam multorum Christianorum traditionem fateri.

Ex tertio sæculo numerantur a Novatoribus Tertullianus & Irenæus: at Apostolicæ Traditionis assertores habemur Clementem Alexandrinum lib. v. Stromatum, Dionysium Alexandrinum, qui scripsit adversus Irenæum & Nepotem Ægypti Episcopum, Origenem lib. 2. Periarchon, in 6. contra Celsum, & Hom. v. in diversos, Methodium martyrem, & alios, præsertim Beatissimum Cyprianum. Qui in exhortatione martyrii cap. ultimo: *Quanta est*, inquit, *& quanta securitas exire hinc lætum, exire inter pressuras & angustias gloriosum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus, & aperire eos statim, ut Deus videatur, & Christus? Tam feliciter migrandi quanta velocitas? Terris repente subtraheris, ut regnis cælestibus reponaris*. Similia repetit in lib. de immortalitate Animæ, & alibi. Hortatur etiam Mosem, & Maximum Epist. XV. alias XXXVII. his verbis: *Beati satis, qui ex vobis per hæc gloriarum vestigia commeantes jam de sæculo recesserunt, confectoque itinere virtutis ac fidei ad complexum, & osculum Domini, Domino ipso gaudente, venerant*. Irenæum itaque Millenariorum imbutum errore fatemur cum doctissimo Petavio lib. VII. cap. XIV. Natali Alex. sæculi 2. dissert. VII., aliisque ingenuis Scriptoribus. At Irenæus lib. v. adversus hæreses cap. ult. non diffitetur esse plures, qui Sanctorum animas statim ab hominis morte in cælos recipi contenderent. Neque obstat, quod hi, auctore Irenæo, *Supergrediantur ordinem promotionis justorum*; nec enim hæreticam putat istam esse sententiam, sed in aliquo tantum cum Gnosticis conspirare, ut supra diximus de Justino. Estius in IV. sentent. Dist. 45. §. 3. laudat pro sententia nostra Irenæum lib. I. contra hæres. cap. 2., & §. 4. respondet ad ea quæ in contrarium objiciuntur, sed Irenæus satis aperit mentem suam lib. v. cap. 5., ubi affirmat Justorum animas recipi quidem in Paradisum post mortem, sed hunc non alium esse, quam illum, in quo Deus ab initio posuit hominem, quem plasmavit: illuc translatos Justos, illuc Paulum asportatum, ibi susceptam Latronis animam, ibi manere Sanctorum animas usque ad consummationem conspicantes incorruptelam. Quapropter justos translatos in cœlum revera non existimat Irenæus.

Possumus tamen hunc, aliosque omnes etiam Justinum, ac Tertullianum, qui tamen libros de Anima scripsit jam Montanista, ad aliquam concordiam cum ceteris revocare. Etenim Patres illi, qui Sanctorum animas ad infe-

inferos dicunt descendere, qui recipi in Paradisum terrestrem, qui in loco invisibili quiescere putant, non eas in aliquem pœnarum locum abjiciunt, neque aperte negant apud Deum, qui ubique est, vivere, & æterna gaudia degustare. Quapropter *de statu* dissentire non videntur, tametsi minime conveniant *de loco*. Hæc conciliaturæ ratio non fugit sapientes viros, ut dicemus infra disputantes de mente Augustini. Hanc nedum amplectitur, sed etiam erudite propugnat Joannes Vossius disput. vi. de statu animarum quæst. 2. Errat tamen fortasse Vossius, dum scribit idem sentire Calvinum, quod lib. iv. instit. cap. xxv. commate vi. statuat certo animas Deo vivere, & nihil definiendum esse de loco. Nam lib. iii. ejusdem Operis cap. xxv. pag. 365. Calvinus ait: *Stultum ac temerarium esse inquirere, quo in loco sint animæ justorum, & an gloria fruantur, nec ne. Interea cum scriptura ubique jubeat pendere ab expectatione adventus Christi, & gloriæ coronam eo usque differat, contenti simus his finibus divinitus nobis præscriptis: animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem consedere, ubi cum felici lætitia fruitionem promissæ gloriæ expectant*. Ergo Calvinus non ita credit Justorum animas vivere, ut Dei visionem, & gaudia sempiterna possideant. Porro si animabus Sanctorum adversarii gloriosam concederent beatitudinem; *Non essemus*, inquit Bellarminus lib. 1. de Beatit. SS. c. 6. *multum solliciti de Cælo illo corporeo*. Sed redeo ad institutum.

A quarto sæculo, si Lactantium exceperis virum quidem Grammaticum ac Rhetorem eloquentissimum, non autem Theologicis doctrinis valde eruditum, ejusque generis paucissimos; omnes in hanc nostram positionem conspiraverunt. Docet id Athanasius, qui in vita Antonii narrat Ammonis Monachi animam visam in Cœlum deferri. D. Basilius orat. de Gordio Martyre; *Erat enim affectus*, inquit, *non ut qui in lictoris manus deventurus esset, sed velut Angelorum manibus seipsum commissurus, qui statim ipsum recens mactatum, assumptum ad beatam vitam translaturi essent*. Lege & orat. in 40. Martyres, & de laudibus Julithæ. Gregorius Nyssenus orat. funebri in Pulcheriam filiolam Theodosii: *Si a te*, ait, *puella migravit, attamen ad Dominum recurrit. Tibi oculum clausit: verum sempiterno lumini aperuit. A tua mensa discessit, sed ad Angelicam adjuncta est. Hinc est avulsa planta: verum in Paradiso consita est. Purpuræ florem exuit: at cælestis regni amictum induit*. Vide & orationem 2. in xl. Martyres. Nazianzenus pariter orat. xx. precatur Basilium, ut sese post obitum excipiat, & simul Beatam Trinitatem valeant contemplari. Clarius Sanctorum beatitatem indicat xi. orat. in Gorgoniam sororem suam, & in x. quam scripsit in fratrem Cæsarium. Chrysostomus in posteriorem Epistolam ad Corinth. ait: *Beati, & ter Beati qui illis bonis fruuntur, &c.* & in orat. de S. Philogonio: *Hinc abiens, & Civitatem suam relinquens, in alteram quæ est Dei Civitatem ascendit, & hanc Ecclesiam deserens in illam conscriptus est, quæ est primogenitorum descriptorum in Cælis, & festis istis relictis ad celebrem Angelorum conventum translatus est*. Prætermitto S. Ephrem, Hieronymum lib. contra Vigilantium, & Epist. ad Marcellum, Cyrillum Alexandrinum in lib. ad Reginas, Monologium Græcorum, hymnos Prudentii, & quotquot in Thesauro Cocci, & apud Controversiarum Fidei Tractatores, collectos invenias.

Jam vero ex dictis istud promitur argumentum. Illud certa fide tenendum est, ut commonet Vincentius Lirinensis n. 2. & Aug. lib. 2. de Baptismo cap. 7. quod per universam custoditur Ecclesiam, & semper, ubique, & ab omnibus traditum est; quamquam unus, vel alter extiterit aut imperitus, aut ingenii pertenuis, aut imbutus erroribus, qui in adversantem sententiam declinaverit, & maxime si & hic doctrinam oppositam puram & catholicam fateatur. At ab exordio nascentis Ecclesiæ ad hæc tempora omnes Ecclesiæ Patres tradiderunt Beatorum animas Deo vivere, & Majestatis divinæ lumine collustrari, & qui ejusmodi traditioni adversantur, judicio præclarissimorum virorum, sive homines exigui ingenii fuerunt, ut Papias; sive sola profana eruditione, & literarum cultura celebres, ut Lactantius; sive nullatenus ausi sunt opinioni detrahere contrariorum, ut Justinus & Irenæus: Ergo quod animæ justorum certamine expleto coronatæ perpetua felicitate triumphent, erit certa, inconcussa, & firmissima fide tenendum.

Denique probatur ratione. Ac primo: Impiorum animæ post mortem ad inferna descendunt, ibique maxima torquentur pœna; id enim catholica tenet fides, & probat exemplum divitis Evangelici Lucæ xvi. Atqui Deus non minus ad puniendum, quam ad præmiandum pronus est, imo misericordia ejus superexaltat judicium, tantumque reddendæ mercedis suamet obstringitur lege, ut Joelis ultimo dicat: *Cito velociter reddam vicissitudinem vobis*. Si ergo statim post mortem punit, statim post mortem reddit proculdubio coronam. Deinde: Pium ac sanctum desiderium quod a superna caritate excitatur, & in dies augetur exercitamento virtutum, non est dicendum inane, & a proprio fine alienum. Tale desiderium habent justi, dum vivunt, ut coronam immarcescibilis gloriæ percipiant, dicentes cum Apostolo 1. ad Philipp. *Desiderium habemus dissolvi, & esse cum Christo*, atque ab hac lacrymarum valle in cœlestem Jerusalem transferri ardentissime cupiant. Ergo inane ac frustraneum credendum non est desiderium hujusmodi. Postremo si ad extremum Judicium singulis reservetur corona, quænam erit melior conditio Fidelium post Christum passum, præ veteribus Patribus, qui in sinu Abraham usque ad redemptionis tempora detinebantur? Quid præstitit his descensus Christi, si tenebris, ubi tamquam in refrigerii loco morabantur, eos non evocavit ad lucem? Cur olim expetebatur temporum plenitudo, ut Deus servili indutus conditione plebis suæ relaxaret facinora, cælestis Jerusalem construeret ædificia? Quare post Christi mortem Martyrum obitus natalis dies appellatur, solemnique ritu, precibus, hymnis, & universæ Ecclesiæ colitur plausu, & lætitia? Verum hæc non est opus longa oratione suadere.

SATISFIT ADVERSANTIS SENTENTIÆ ARGUMENTIS.

His argumentis adversarii ducuntur. 1. Matth. xx. v. 8. legitur: *Cum sero factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos*. Ergo sub vesperam, idest, in fine mundi, merces unicuique tribuitur.

Communis responsio est, per ea verba, *Cum sero esset*, non finem mundi, sed terminum vitæ designari, vel si ad extrema mundi referantur, accipienda esse de beatitudine completa, & corporum simul & animæ glorificatione. Possumus tamen parabolam non incongrue intelligere de Ecclesia, quam vineam & regnum Dei vocari supra monui. Ad Ecclesiam suam quosdam vocavit Deus primo mane, idest ab exordio mundi per legem naturæ: quosdam circa horam tertiam, & media mundi ætate per legem Mosis; quosdam denique *Cum sero esset*, & finis legis, captivitatis, & culpæ, per legem Evangelicam. Hinc de primis ac secundis dicitur quod *Convenit ex denario diurno*, & præstitutam mercedem spopondit; quoniam sub dispensatione fœderis Sinaitici merces proposita erat definita, ac sensibus obvia, nempe naturalium bonorum affluentia, longæva vita, & terræ Chanaan possessio. Nil tale dictum ultimis, quoniam merces in lege Evangelica repromissa talis est, quam nec oculus vidit, nec auris audivit. Qui primi hanc amplexi sunt, fuerunt Gentiles, legi Mosis non addicti, neque ullam habentes repromissionem; ideoque responderunt Patrifamilias: *Nemo nos conduxit*. Neque insolitum est comparationibus hujus generis vocationem gentium, & regnum Dei designari. Hæc mea sententia est. Propterea nego consequentiam. Scopus enim parabolæ est, Gentiles ultimo ad fidem, & Ecclesiam adscitos, non minorem accepturos mercedem, quam Judæi, qui Deo cultum exhibuerunt sub servitute legis, & in eorum comparatione portaverunt *Pondus diei & æstus*. Atque hæc merces dicitur rependi sub vesperam, quia neque vigente priori lege, neque durante Mosaica, sed tantum in postrema, idest, post institutionem Evangelii, reseratum fuit cælum. Posset quoque parabola interpretari de variis justorum generibus: quorum aliqui ab ineunte ætate Deo servierunt, aliqui in vitæ decursu severius vitæ amplexi sunt institutum, aliqui jam senio confecti resipiscentes prioris vitæ rationem deplorant: qui tamen si in pari caritatis perfectione decedant, singuli denarium, idemque præmium a Deo remuneratore recipient.

Alter locus promitur ex eodem Matth. cap. xxv. v. 34. *Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*. Ergo electi ante Judicis adventum Regnum non possident.

Sed hæc verba non animabus separatis, sed in corpore viventibus dicentur: unde distinguo cons. Regnum non possident degentes in corpore, & completa beatitudine concedo: gloriosi anima sola, & nondum consummata felicitate, nego. Neque alium esse Evangelicorum verborum sensum constat ex sequentibus. Impii enim proculdubio cruciantur in gehenna, & tamen resuscitatis dicetur: *Discedite a me maledicti in ignem æternum*.

Tertio objicitur celebre testimonium Pauli ad Hebræos xi. 39. ubi de Sanctis veteris legis ait: *Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem: Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*. Duo ibi affirmat Apostolus, unum veteres Patriarchas non habuisse repromissionem; alterum non esse felicitate sempiterna donandos sine nobis. Omnes ergo uno, eodemque tempore debent Justi in cælestem patriam assumi.

Respondeo Paulum ibidem commendare virtutem fidei, & veterum Sanctorum exemplo nos ad patientiam hortari. Veterum autem Patriarcharum duas veluti classes distinguit, unam eorum qui, ut ait v. 33. *Adepti sunt repromissionem*, aliam illorum, qui ut scribit v. 39. *Repromissionem non acceperunt*. Qui repromissionem adepti sunt, ut ibidem ait Apostolus, sunt Gedeon, David, Samuel, Barac, Jephte, Samson, & Prophetæ. Qui repromissionem non acceperunt, sunt omnes testimonio fidei probati, quos

memo-

memoraverat, Abel, Henoch, Noe, Abraham, Jacob, Joseph, Moyses, aliique experti ludibria, verbera, vincula, & carceres. Ex tanta ergo nube testium, id est, qui sperandarum substantiarum nobis exhibuerunt promissionem, hortatur Paulus, ut nos per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. Nego itaque consequentiam; non enim Apostolus per repromissionem intelligit cælestem gloriam, sed solam possessionem terræ Chanaan, primis quidem Patriarchis repromissam, sed datam eorum posteris. Alias si repromissionis nomine intelligit gloriam conferendam post diem judicii, quare de Davide, Samuele, cæterisque habitatoribus Chanaan, dixit, *Adepti sunt repromissiones*? At inquit Paulus, *Ne sine nobis consummarentur*. Utique non fuerunt sine nobis, & ante Christi redemptionem participes æternorum bonorum, pro quibus fide certarunt, & non erunt sine nobis, & ante Christi judicium donandi immortalitate corporis, pro qua lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Recte iccirco ait S. Paulus: *Deus pro nobis melius aliquid providente*: non solum more humano, & quia censentur honoratiores qui expectantur, quam qui expectant, veluti in conviviis, ut exponit Chrysostomus; verum etiam quia ad tolerantiam passionum præter fidem & rerum sperandarum substantiam, datum est nobis exemplum Christi, uberior gratia, neque oportet ut alios expectemus ad habendam repromissionem, quemadmodum Patriarchæ nos expectarunt. Alioquin si in novo quoque testamento expectanda est retributio, quomodo verum erit, nobis melius Deum providisse? Si objicias verba Apostoli dicentis ibidem v. 16. *Nunc autem meliorem appetunt*, id est, cælestem, *patriam*; dico particulam *nunc* referri ad tempus, quo vivebant in terra, & tenere locum adversativæ, vel illativæ, ut animadvertunt Theologi: quorum responsionem confirmant verba præcedentia: *Confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Nunc* oppositionis est supra cap. IX. v. 26. & præsens pro præterito, hoc eodem capite v. 14. & 16. quorum collatione sensus Apostoli satis redditur manifestus.

Opp. 4. In 2. ad Timoth. IV. 8. ait Apostolus: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex*. Corona justitiæ est gloria cælorum: Ergo cælorum gloria confertur tantum in die illa, id est, in die judicii finalis.

Quidam respondent diem illam, de qua Apostolus, esse diem resolutionis corporis, ac mortis, quam instare ac prope esse, ait ibidem v. 6. Sed quia *illam diem* ubique Apostolus appellat diem Judicii, ut in hac eadem Epist. cap. I. v. 12. *Potens est depositum meum servare*, id est, corpus custodire, *in illum diem*, & 2. ad Thessalon. cap. I. v. 10. ideo respondeo, Coronæ vocabulo perfectam beatitudinem corporis, & animæ significari, & solemnem publicamque assumptionem. Sic dicimus potitos regno, nondum tamen corona circumdatos, qui tametsi vere principantur, non referunt spectante universo senatu, ac plaudente populo, regium diadema.

Rursus objiciunt 5. In I. ad Corinth. cap. XV. 16. hæc leguntur: *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris: Ergo & qui dormierunt in Christo perierunt*. Rejcienda est igitur ad resurrectionis tempus omnis fides nostra, omnis spes.

At futilis sane illatio. Apostoli, ut evincerent verum esse Christi dogma, hoc præcipue usi sunt argumento, quod si falsa docuisset, non resurrexisset a mortuis. Hinc prædicta omnia consectaria necesse est evenire: Si non resurrexit, falsa nos docuit: si falsa nos docuit, falsa est fides nostra: si falsa fides nostra, nondum a peccatis redempti sumus: si nondum a peccatis redempti sumus, & fallax est fides nostra, perierunt qui dormierunt in Christo, uti Stephanus, qui caussa Evangelii lapidibus obrutus est. E contra si Christus resurrexit, & veram fidem nos docuit; certissima spes manet, ut per ipsum justificati resurgamus & nos, & seminato corpore animali resurgat corpus spiritale, & corruptibile hoc induat incorruptionem. Patens est sola lectione Paulinæ Epistolæ sensus.

Opp. 6. I. Joannis III. v. 2. legitur: *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est*. Non ergo videtur, antequam appareat, & veniat judicaturus vivos ac mortuos.

Duplex est horum verborum significatio. Prima literalis, ac plana: Nondum apparuit quid erimus, id est, quomodo futuri sumus in meliore illo sæculo, cujus in eo, qui sanctificat nos, spem habemus. Sed si apparuerit, tunc erit, quando similes ei erimus non sanctitate tantum, sed & beatitudinis æternitate. Juxta hunc sensum nego consequentiam; quandoquidem ea verba, *Cum apparuerit*, referenda sunt ad præcedentia, *Nondum apparuit quid erimus*: & de Christi adventu nec verbum quidem hoc loco. Altera est, *Cum apparuerit Christus*, & hac explicatione admissa, dico quod similes ei erimus corpore & anima, juxta similitudinem Christi Capitis nostri. Ut enim docet S. P. Augustinus in Epist. ad Dioscorum, & norunt Theologi omnes, ex visione beatifica etiam in corpora Sanctorum gloria immortalitatis, splendorisque redundat. Prior responsio etiam quorumdam Sectariorum sensu probatur, ut constat ex Criticis Sacris in hunc textum, præsertim ex Commentariis Hugonis Grotii.

Præterea ita argutantur. Apocalypseos VI. 9. hæc occurrunt: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei*: & v. 10. *Clamabant voce magna dicentes: usquequo Domine, non judicas & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra?* Quis autem dixerit animas subtus altare positas & judicium ac vindictam postulantes sempiterna perfrui beatitudine?

Verum nil juvat Heterodoxos liber Apocalypsis, in quo cap. sequenti v. 15. dicitur hujusmodi animas stare ante thronum Dei; & hoc eodem loco, qui objectatur, v. 11. additur, *Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, ut requiescerent adhuc modicum tempus, &c.* Nonnulli vetustissimi codices habent; Καὶ ἐδόθη αὐτοῖς ἑκάστῳ στολὴ λευκή: *Et data est illis singulis stola una*, id est, ut Bernardus interpretatur, gloria animæ. Nomine igitur altaris intelligenda est humanitas Christi; & quia Sanctorum animæ nondum resumptis corporibus sunt infra conditionem gloriosi corporis Christi, ideo dicuntur esse subtus altare. Quod si ibidem clamant voce magna, non ergo dormiunt, neque veluti alto sopore pressæ jacent usque ad extremum Judicium. Illud vero expetere dicuntur, & quia magnum habent resumendi corpora desiderium, & quia divinæ voluntati conformes non solum caritate flagrant, sed etiam zelo justitiæ. Ne valida videatur hæreticorum argumentatio, pauca addam. Utitur Joannes juxta consuetudinem scripturarum rerum sensibilium exemplo. Cælum assimilari templo neminem latet, cum de cælesti Jerusalem eodem libro cap. XXI. 22. scriptum sit; *Dominus Deus omnipotens templum illius est*: & cap. XI. 19. *Et apertum est templum Dei in cælo*. Ita victimæ respondent Justis ac Martyribus, dicente Paulo ad Philipp. 2. 17. *Immolor supra sacrificium*, & 2. ad Timoth. IV. 6. *Ego enim jam delibor*. Ergo hunc arbitror habere sensum Apocalypsim. Quemadmodum victimarum sanguis ad limen fundebatur altaris, non extra, sed intra Templum, ut in conspectu Sanctuarii Sacrificium præstitum exhiberetur: ita mactatæ pro Christo animæ ad ejus pedes procumbunt non extra cardines cæli, sed intra; habentes testimonium Dei, & characterem martyrii sui, quod præstat Deo sacrificium laudis, & æquitatem poscit vindictæ.

Insurgunt 8. In II. Machab. XII. 44. habetur: *Nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis*. Ergo nisi sit Resurrectio, nullum defunctorum animæ habebunt levamen, nullam felicitatem.

Resp. dist. consequens: non habebunt felicitatem, nisi sit resurrectio prima, qua solvantur a peccatis, & donec consummentur dies sæculi regnent cum Christo, concedo. Nisi sit resurrectio secunda, qua resumptis corporibus judicentur; subdistinguo, non habebunt felicitatem plenissimam, ac stolam duplicem, concedo: felicitatem animæ, ac stolam unam, nego. Resurrectionem quamfrequenter sumi pro migratione ad æternam vitam, etiam Drusius in XX. Lucæ 36. & Glassius Tract. de Synecdoche generis ostenderunt. De qua resurrectione dixi in Resp. ad ult. præcedentis: & de ea Apost. I. ad Corinth. 15. *Miserabiliores sumus omnibus hominibus, si resurrectio non est*. Lucas cit. loco: *Filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis*; & Psal. I. *Non resurgent impii in Judicio*. De hac igitur resurrectione, quæ est spei nostræ objectum, sermo fit in libro Machab. ubi consulto dictum est: *Nisi resurrecturos speraret*; Resurrectio namque corporalis potius creditur, quam speratur; neque de ea oramus pro mortuis; nec omnibus, qui surgent e monumentis, salubres sunt nostræ oblationes ac preces.

Opp. 9. In pluribus Liturgiis Jacobi, Basilii, Cyrilli, aliisque Græcorum ac Syrorum fiunt supplicationes pro Sanctis, ut eos beata retributio comitetur, ut illi sacrificia prosint ad gloriam, ut ipsorum animabus donetur requies. Similia recitavit olim Romana Ecclesia in Festo S. Leonis, ut habetur in Extravaganti de Celebrat. Missarum c. *Cum Marthæ*, & in Festo S. Marcelli, ut constat ex Sacramentario Gelasii. Plura etiamnum extant id genus in Missali Romano, ut in Secreta S. Leonis, quæ non fuit cum priore Oratione immutata. Quotidie etiam in Canone Missæ deprecamur, ut omnibus in Christo quiescentibus, & dormientibus in somno pacis detur locus lucis ac refrigerii. Non ergo gloria & beatitudine modo fruuntur, quamvis in pace dormiant, electi.

Resp. in his, aliisque Liturgiis peti gloriam accidentalem, nempe majorem in Ecclesia cultum, nominis exaltationem, rerum gestarum præconia, imitationemque virtutum. Est enim gloria, ut eam definit Augustinus, frequens de aliquo fama cum laude: & jure vocant Græci δόξαν, quasi existimationem & opinionem, a δοκέω, quod est, *videor, puto*. Hinc de manifestatione sui nominis ait Christus Joan. XVII. 5. *Clarifica me tu Pater*. Istam ergo claritatem, istam frequentem laudem, istam gloriam Martyribus deprecamur: imo & beatissimæ Trinitati dicimus: *Gloria tibi Trinitas*, id est, Gloria laudis. Deprecamur & aliquando Sanctis requiem, dum indiscriminatim pro omnibus

vita

vita functis oramus, cum in horum complexu sint animæ Purgatorii. Clarissimum inter alia occurrit exemplum orationis Villelmi Abbatis, qui pro Divo Parente Augustino, quem inter Cælites venerabatur, & indiscriminatim pro illius genitoribus Patricio, & Monica ita precabatur: *Memento, Domine, animæ famuli tui Patricii, & famulæ tuæ Monicæ; & si quid pro Anima filii ipsorum Domini mei Augustini Confessoris tui mihi misero peccatori licet vel intimo cordis affectu desiderare*. De qua PP. Ben. in notis ad lib. IX. Confess. Aug. cap. 13. Si vero etiam Sanctis precatur Ecclesia requiem, (quæ orationis forma jam pene exolevit) petit gloriam corporis, cujus resurrectionem animæ separatæ ita vehementer expetunt, ut non omnino quiescant: quod proximo capite declarabo.

Opp. 10. Hilarius Pictaviensis in Ps. 120. scribit *Justorum animas in sinu Abrahæ locari, & nondum recipi in regno Dei*: & in Ps. 130. *Humanæ lex necessitatis est*, inquit, *ut sepultis corporibus animæ ad inferos descendant*. Et Chrysostomus Hom. 39. in priorem Epistolam ad Corinth. *Sine carne*, ait, *anima admirandis illis bonis non fruetur*. Ergo dogma, quod propugnamus, Ecclesiæ Patribus adversatur.

Resp. nego consequentiam. Et quod spectat ad Hilarium, ipse aperte distinguit regnum Christi a regno Dei, illud in quo animæ permanent usque ad sæculi consummationem; illud vero in quo mors omnino perimitur, quod fiet per gloriosam resurrectionem, & corporum claritatem. At gloriam & visionem Dei a Regno Christi nequaquam sejungit, neque sinum Abrahæ separat a superna Jerusalem: sed in Psalm. 65. *Martyres*, inquit, *in cælestis domicilii habitaculum introierunt*. Commentario in Psalm. 130. loqui Hilarium de Sanctis veteris Testamenti arbitratur Juenin: sed alii melius respondent, Hilarium existimasse, quod quisquis moritur, exemplo Christi debet ad inferos descendere, & ea loca lnitrare, quæ Christus consummationem veri hominis non recusans dignatus est visitare. Quod & docuit lib. de Anima cap. lv. Tertullianus. At illic animas detineri Hilarius non credidit, sed aperte affirmavit in Psalmum 141. *Transire in cælestem Hierusalem, in terram viventium, in Paradisi incolatum, in regnum hæreditatis*. Ad auctoritatem vero Chrysostomi, constat illum negare gloriam animarum in hypothesi quod corpora non resurgant, non quia sine corpore Anima coronari non possit; sed, quia si una pars æterna mercede frustretur, consequenter incoronata jacebit etiam altera: quo sensu ait Apostolus 1. ad Corinth. xv. *Nam si mortui non resurgunt, vana est fides nostra*. Lege in hunc locum Apostoli Theophylactum, & de mente Chrysostomi vide Velloxillum in Advert. Sixtum Senensem in VI. Biblioth. an. 264. Petavium lib. VII. cap. XIII. num. IV. & Estium in IV. sent. dist. 45. §. 6. &c.

Opp. ultimo: Anima sine corpore non meretur; Ergo sine corpore non coronatur.

Resp. nego ant. quippe non omnia bona opera exercentur per corpus, sed plura sola animi cogitatione, & voluntate. Præterea anima meriti caussa princeps est, & corpus instrumentalis. Ad hæc, anima separata a corpore felicitatis capax est; corpus anima expers, nequaquam. Rursus: necesse est, ut corpus in pulverem comminutum putrescat, & in eo culpæ originalis pœna impleatur, quemadmodum eamdem pœnam experta est anima in ergastulo carnis. Quæ objiciuntur de Animabus veterum Patriarcharum, & de ipso Christo, qui statim post mortem non ascendit in cælum; quum illis expectandus esset Redemptoris adventus, is vero pro Fidei confirmatione aliquandiu in terris fuerit commoratus, non opus est contra protervos ac repugnantes minutissime repellamus.

SCHOLION.

„ Aliqui Patres in *Chiliastarum* errorem idcirco prolapsi sunt, quoniam putarunt ab exordio mundi usque ad finem sæculorum sex annorum millia esse enumeranda, & expleto sexto millesimo futuram mundi consummationem, rerumque humanarum statum in melius reformandum fore. Observarunt enim Deum sex diebus mundum condidisse, die autem septimo cessasse *ab omni opere, quod patraverat*, ut narrat Historia Genesis cap. 2. 2. Cum vero Ps. 89. 4. mille anni æquiparentur *ante oculos Domini* uni hesternæ diei, *quæ præterit*; existimarunt tempus laboris & operis concludendum esse sex annorum millesimis, hisque transactis subsecuturum millesimum septimum cessationis ab opere, & requiei, atque illud esse *Regnum annorum mille* promissum in Apocalypsi Joannis. Audiatur Lactantius, qui lib. 7. Instit. sive de Vita Beata cap. 14. inquit, *Ego quoniam sex diebus cuncta Dei opera perfecta sunt, per secula sex, idest, annorum sex millia, manere hoc statu mundum necesse est. Dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur, sicut indicat Propheta, qui dicit: Ante oculos tuos, Domine, mille anni, tamquam dies unus. Et sicut Deus sex illos dies in tantis rebus fabricandis laboravit: ita & Religio & veritas in his sex millibus annorum labores necesse est, malitia prævalente ac dominante. Et rursus quoniam perfectis operibus requievit die septimo, eumque benedixit, necesse est ut in fine sexti millesimi anni malitia omnis aboleatur e terra, & regnet per annos mille justitia; sitque tranquillitas & requies a laboribus, quos mundus jamdiu perfert, &c.* Augustinus pariter libro 20. de Civit. Dei cap. 7. ait: *Unus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus. Sex annorum millibus tamquam sex diebus impletis, sequatur* (tradunt Millenarii) *veluti Sabbati septimus in annis mille postremis, ad hoc scilicet Sabbatum celebrandum resurgentibus Sanctis. Quæ opinio esset utcumque tolerabilis, si aliquæ deliciæ spiritales in illo Sabbato affuturæ Sanctis per Domini præsentiam crederentur: nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando*. Adhæsisse huic errori Papiam, Justinum, Irenæum, Nepotem Ægyptium, aliosque diximus præcedenti capite 8. De Nepote legendus Eusebius lib. 7. H. E. cap. 23. & Theodoretus lib. 3. hæretic. Fabularum. Illum refutavit S. Dionysius Alexandrinus. Connumerantur item Millenariis Tertullianus, Apollinarius, Victorinus Pictaviensis. Propter illorum auctoritatem, S. Epiphanius contra *Chiliastas* scribens eos acerbe non insectatur; & S. Hieronymus, qui sæpenumero illorum opinionem irridet, insectatur, appellatque inane commentum, libro quarto in Hieremiam de ea scribit: *Quamquam sibi Judæi auream atque gemmatam Hierusalem restituendam putent, rursumque victimas & sacrificia, & conjugia Sanctorum, & regnum in terris Domini Salvatoris: quæ licet non sequamur, tamen damnare non possumus; quia multi Ecclesiasticorum virorum, & Martyres ista dixerunt. Et unusquisque in suo sensu abundet, & Domini cuncta judicio reserventur*.

„ Derivasse videtur *Millenariorum* error ex præconcepta opinione de mundo ad annos sex mille tantum permansum. Extat de hac duratione apud Hebræos traditio, quam tribuunt Eliæ Prophetæ, in Talmud tit. *Sanedrin*. Sed hæc traditio falsa est, ut diximus lib. II. cap. 8. Deinde Patres Græci, qui eamdem ætatis Mundi amplectuntur supputationem, sequentes computum LXX. Interpretum, finem mundi proximum esse opinati sunt, quamquam post longa tamen temporum intervalla futurum. Deterius erraverunt, qui chronologiam aliam sectantes, temere orbis interitum ausi sunt divinare; ut apud Batavos Augustinus Weber, & in Westphalia Thomas Muntzerus, & Joannes a Leyden; quorum primus adventurum ajebat finem mundi anno 1530. alter anno 1525. ac tertius anno 1534. frivolis conjecturis *Chiliarcharum* regnum, quod invadere arbitrabantur, accelerando. Sed data etiam prædicta mundi permanentia in hoc laborum operumque statu ad sex millia annorum definita, & coarctata, quoniam ab illa supputatione neque Augustinus alienus videtur præcitato libro 20. de Civit. Dei cap. 7. inde nihil consequitur aliud, nisi transactis sex millesimis venturum *sabbatismum*, & perpetuam requiem Sanctorum. Quamobrem S. Pater rejecta priori sententia Millenariorum, in quam se inclinasse fatetur, inquit eodem in loco: *Mille autem anni duobus modis possunt, quantum mihi occurrit, intelligi; aut quia in ultimis annis mille ista res agitur, idest, sexto annorum milliario, tamquam sexto die, cujus nunc spatia posteriora volvuntur; secuturo deinde Sabbato, quod non habet vesperam, requie scilicet Sanctorum, quæ non habet finem; ut hujus milliarii tamquam diei novissimam partem, quæ remanebit usque ad terminum seculi, mille annos appellaverit, eo loquendi modo, quo pars significatur a toto: aut certe mille annos pro annis omnibus hujus seculi posuit, ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo*. Capite quoque nono ejusdem libri S. P. Augustinus *per mille annos*, quibus Sancti regnabunt cum Christo, intelligi tempus, quo regnant cum Jesu animæ Martyrum nondum sibi corporibus suis redditis, scribit; *Quamvis ergo cum suis corporibus nondum sint, jam tamen illorum animæ regnant cum illo, dum isti mille anni decurrunt*. Quidquid itaque statuas de mundi duratione, quam nosse meum non est, neque ceterorum mortalium; nihil inde pro fictitio Chiliarcharum regno potest inferri.

CAPUT X.

Quid senserint Ambrosius, Augustinus, ac Bernardus de præsenti Animarum Sanctarum statu.

In tertia hujus controversiæ parte pollicitus sum me demonstraturum quid fuerint opinati Ecclesiæ præclarissimi Patres Ambrosius, Augustinus, & Bernardus, quorum data opera superiori capite non memini, ut id exequerer diligentius. Ambrosius quidem in lib. de Bono mortis animarum memorat nescio quæ *promptuaria*, ubi novissimum putat eas expectare judicium. Quem librum scriptum, ut traditur anno 387., difficulter conciliari eum dogmate Catholico, si crude, & ad literam legatur, ait Tournely tom. 1. pag. 293. Contra optimæ notæ, refertum

tum sententiis utilibus & solidis, necnon ratiociniis certis, reique convenientissimis, inquit lib. 2. Bibl. Dupinius. At Augustinus olim & ante Episcopatum se Millenariis consensisse, fatetur lib. de civit. Dei cap. VII. ex qua tamen confessione apparet se priorem abjecisse sententiam. Commemorat tamen sæpesæpius animarum secreta receptacula, quæ ubi consistant, dubius huc, illucque trahitur. Loquitur de iis in Ench. ad Laur. c. 109. XII. de Civit. Dei cap. 9. in XII. de Genes. ad lit. & alibi. De Bernardo ait Durandus haud recte Joannis Apocalypsin intelligentia assecutum.

Duo notanda sunt pro genuino horum PP. sensu capessendo. Primum, quæstionem de statu animarum discrepare a quæstione de loco: unde Vives comment. in lib. XII. de civit. Dei cap. 9. *Non dubitat*, inquit, *de earum gloria etiam ante judicium, sed de loco gloriæ. Nam ubique possunt beatæ esse, cum ubique sit Deus, cujus fruitione fiunt beatæ*. Persuasum equidem nobis est Beatorum animas in cælos recipi, quod jam constat ex Lugdunensi Concilio II. in profess. Fidei, ex Trid. sess. 25. ex pluribus fidei formulis, ex Bullis Canonizationis Sanctorum, ex communibus Ecclesiæ precibus, ex universorum Fidelium sensu; sed nondum accedente tanto lumine, prudentissime dicebantur versari Justorum animæ in abditis receptaculis, propter ambiguam, & tunc valde fluctuantem de loco animarum opinionem.

Alterum notatione dignum est, quod animæ plene purgatæ, quamquam Deum vident, non tamen toto impetu, & nulla alia inclinatione affectæ illum intuentur. Sunt enim natura sua formæ corporum, & mediam stationem tenentes superne reguntur a Deo, inferne materiam regunt; & si alterutro fraudentur, ægrescunt quodammodo & languent. Sollicitat ergo eas naturale desiderium suorum corporum; idque penitissima ipsarum natura petit, & æquitatis judicium. *Quo appetitu* (ait magnus Augustinus lib. XII. de Gen. ad lit. cap. 35.) *retardatur quodammodo anima, ne tota intentione pergat in illud summum cælum, quamdiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat*. Plura illic ad hanc rem illustrandam proloquitur S. Pater. His adnotationibus tota conflictatio sedari potest. Sit igitur

PROPOSITIO I. Catholico dogmati de Animarum Beatitudine non adversatur Sanctissimus Mediolanensium Antistes.

Ipse enim lib. X. in Lucam ait: *Unde te evocem, Petre, ut doceas me, quid flens cogitaveris? unde te, inquam, evocem? De cælo, ubi jam choro insertus es Angelorum*. Epist. 54. de SS. Gervasio, & Protasio: *Quorum anima in cælo, corpus in terra*. Epist. 59. Thessalon. *Acholius superiorum incola, possessor civitatis æternæ, illius Jerusalem, quæ in cælo est, videt illic urbis ejus mensuram immensam, purum aurum, lapidem pretiosum, lumen sine sole perpetuum, & hæc omnia jamdudum sibi comperta, sed nunc facie ad faciem*. In ipso libro de Bono mortis cap. XI. *Hanc remunerationem*, inquit, *habent, ut videant faciem Dei, & lumen illud quod illuminat omnem hominem*. Atque hunc librum absolvit sic fideles hortando, ut impavidi mortem subeant: *Intrepide pergamus ad Redemptorem nostrum Jesum, intrepide ad Patriarcharum Concilium, intrepide ad Abraham patrem nostrum, cum dies advenerit, proficiscamur. Sed nunc, Pater, etiam atque etiam extende ad suscipiendum hinc pauperem manus tuas, aperi gremium tuum, expande sinus tuos, ut plures suscipiat, quia plurimi in Deum crediderunt. Ibimus eo, ubi servulis suis Dominus Jesus mansiones paravit. Sequimur te, Domine Jesu, sed ut sequamur accersi, quia sine te nullus ascendit. Tu enim via es, veritas, vita, possibilitas, fides, præmium. Suscipe nos quasi via, confirma quasi veritas, vivifica quasi vita. Pande illud tuum bonum, quod videre desiderabat David. Demonstra nobis illud bonum, quod est simile sui, semper indissolubile atque immutabile, in quo simus æterni*. Ambrosius ergo censet Justorum animas corpore solutas assumi in cælos, videre facie ad faciem pulchritudinem cælestis Jerusalem, eisque lumen sempiternum splendescere: Qui id sentit non anceps est de præsenti gloria Sanctorum: Ergo jam nunc justos gloria circumdatos tradidit beatus Ambrosius.

Opp. I. Ambrosius in lib. de Bono mortis cap. X. affirmat Justorum animas receptas esse in quibusdam Promptuariis, ibique expectare extremum judicii diem, ut coronentur.

Resp. Ambrosium per hæc Promptuaria designare diversas mansiones, quæ sunt in domo Patris, & per coronam consummatam beatitudinem, cujus propter inditam inclinationem ad corpus animæ afficiuntur desiderio: nam in eodem libro Justorum animas sublime ad Deum evolare pluries repetit, ut constat ex dictis.

Opp. 2. Eodem lib. cap. X. commendat illorum sententiam, qui tenebant Justorum animas ad inferna descendere citans IV. librum Esdræ cap. 7.

Respondeo cum Estio eam commendare ut veram pro eo tempore quo dicta fuit, id est, ante Christi mortem ac Redemptionem; nam infra, ut vidimus, diserte significat rapi electorum animas in superiora habitacula. Quamvis & extra cælum possent frui gloria, ut dixi in I. adnotatione. Vide etiam quæ dixi Capit. præcedenti ad X. de sententia aliquorum Patrum, quod omnes animæ debeant exemplo Christi descendere ad Inferos. Quare demum non possumus hæc explicare de Animabus non plene purgatis?

Opp. 3. Ibidem Ambrosius cap. XI. statuit septem ordines lætitiæ Animarum Sanctarum, quorum nullus Dei visionem complectitur: imo ait animas gloriam suam prævidere, & sine trepidatione ad vultum Dei festinare.

Resp. falsum esse, quod a prædictis septem ordinibus Ambrosius Dei visionem excludat; ait namque: *Quintus ordo exultationis uberrimæ habet suavitatem, quod ex hoc corruptibilis corporis carcere in lucem libertatemque pervenerint, & repromissam sibi possideant hæreditatem*. Et infra eodem cap. num. 49. *Hanc remunerationem habent, ut videant faciem Dei*. Prævident ergo gloriam consummatam, in qua Deum impetu intuebuntur vehementiori.

Opp. ult. In 2. de Abel & Cain cap. 2. *Solvitur*, inquit, *corpore anima; & post finem vitæ hujus adhuc tamen futuri ambigua suspenditur. Ita finis nullus, ubi finis putatur*.

Resp. Ubicunque sit anima, ante Judicii diem in ambiguo suspenditur. Dum solvitur corpore, antequam perveniat ad locum tormentorum aut gloriæ, angitur trepidatione animi, & expectatione sententiæ. Quæ commorabantur in Limbo, suspensæ erant de tempore exitus, & Reparatoris adventu. Quæ in Purgatorio, non sunt quidem de certitudine salutis sollicitæ, at sunt tamen de duratione pœnarum. Regnantes in cælis expetunt duplici stola vestiri, & pendent adhuc ab extrema die; de qua Matth. XXIV. 36. *De die autem illo, & hora nemo scit, neque Angeli cælorum*.

PROPOSITIO II. Quod Augustinus fluctuet de secretis Receptaculis Animarum est summæ ejus perspicacitatis indicium; verumtamen de gloria & felicitate non dubitat.

Ante Augustini tempora de loco Animarum non explorata erat traditio. Quidam asserebant tam pios, quam impios εἰς ᾅδην in infernum descendere, ut fuse docent Irenæus lib. IV. capite ult. Tertullianus de Anima cap. LV. & Origenes non uno loco. Nomen autem inferni ambiguum erat; nam aliquando accipiebatur prout solis convenit damnatis: & aliquando pro recondito loco, in quem mortuorum animæ inferuntur, vel a quo extrahuntur, sive pœnarum sit, sive quieris. Hoc secundo sensu Partes illi loquebantur; quietem enim dabant justis, impiis supplicium. De situ quoque inferni plerosque dissentire, auctor est in cap. XXIV. Matthæi B. Chrysostomus. In sinu Abraham piorum animas requiescere plurimi asseruerunt. Ambrosius caute illarum mansiones appellavit, ut vidimus, promptuaria, & observatione altera in Mich. videtur paradisum a cælorum regno distinguere. Hieronymus & Cyprianus docent justos cælestem inhabitare Jerusalem. Jam priorem propositionis partem sic probo: Nondum explorata Traditione de situ animarum, cautus est ac summe perspicax qui asserit eas versari in abditis receptaculis, aut in sinu Abraham, aut in secreto Patris, aut in Paradiso, neque audet definire ubi sint ejusmodi habitacula: At ætate Augustini certi nihil compertum erat in quo definito loco Justorum animæ consisterent: Ergo rectissimum jure meritoque visum est Augustino illas in secretis receptaculis collocare.

Constantior tamen est S. Pater in illorum opinione, qui Justorum animas statim a morte in cælos recipi contendebant. Etenim lib. XX. de Civitate Dei cap. 15. pro certo habet non descendere ad Inferos, neque una cum impiis detineri custodia, ut crediderunt Novatianus de Trinit. cap. I. & Lactantius lib. VII. cap. XX. Et lib. 2. quæst. Evangeliorum cap. 28. in Psal. 119. & lib. IV. contra Julianum cap. 3. sinum Abrahæ, requiem Animarum, & regnum cælorum indiscriminatim pro una, eademque re usurpat. Unde aliqui putant cum Estio in IV. dist. 45. neque S. Patrem ancipitem fuisse de loco, ac diversis vocabulis unum designasse habitaculum, in quo interim videtur Deus, sed nondum perfecto gaudio propter inclinationem animæ ad corpus.

Pars altera propositionis ostenditur primo, quoniam S. P. redarguens commentum Pelagianorum, qui asserebant parvulos sine baptismo morientes æternam vitam consequi, sed non regnum cælorum, utrumque illos adipisci si post baptismum decedant, utroque privari si fungantur vita non baptizati, constantissime docet lib. IV. contra Julian. c. VIII. serm. XIV. de Verbis Apostoli cap. 3. & in I. de Prædest. SS. cap. 13. Regnum autem cælorum & vitam æternam per Augustinum nihil est aliud quam Deum videre, ut constat ex Tract. XI. in Joannem. Ergo animæ solutæ corporibus, nulloque obnoxiæ peccato per Augustinum vita æterna, cælorum regno, & Dei visione fruuntur. Præterea lib. 9. Confess. c. VII. de Nebridio ait: *Et nunc ille vivit in sinu Abrahæ, quidquid illud est quod illo significatur sinu, ibi Nebridius meus vivit . . . . . Jam non ponit aurem ad os meum, sed spiritale os ad fontem suum, & bibit quantum potest sapientiam pro aviditate sua felix*. Tractatu item 124. in Joan. hunc discipulum, quem Jesus præ ceteris diligebat, non in sepulcro dormire scribit, ut quidam falso opinabantur, sed onere solutum corporis ad summam perfectamque pervenisse felicitatem, de qua Apost. Paulus ajebat: *Cupio dissolvi & esse cum Christo*. Lege & librum XII. de Genes. ad lit. capite 34. in Psalm. 119. & XX. de civit. Dei cap. 7. Laudant

aliqui librum Meditat. cap. 22., sed an sit Augustini inter eruditos non convenit.

Opp. 1. Augustinus serm. 259. scribit post diei Judicii ventilationem celebrandum esse sabbatismum in terra: & 12. de Civitate Dei cap. IX. in secretis receptaculis piorum animas locat.

Resp. prætato sermone teneri Augustinum Millenariorum errore, a quo postea resipuit, quamvis forte ea verba *in terra* genuina non sunt, utpote quæ ex uno ms. Vaticano fuere suppleta. At lib. XII. de Civit. Dei, ut Vives & Coquæus observarunt, de loco anceps est, non de gloria: & fortassis abditas sedes intelligit mansiones cælestes.

Opp. 2. Enarrat. in Ps. 43. in Epist. ad Fortun. & tract. 49. in Joannem ait reservari singulis gloriam post resurrectionem, quando Christus apparuerit, & cum in Angelos profecerimus.

Resp. Hæc Augustinum docere de universa Prædestinatorum Ecclesia, quæ solum post diem judicii plene triumphos aget: vel si in particulari loquitur de piorum Animabus, de gloria corporis est explicandus: si alicubi, ut in Epist. 148., de visione Dei verba facit, intelligendus est de visione expedita & vehementi, quam non retardet naturalis ad corpora inclinatio, ut contingit in Angelis. Quæ omnia constant cum ex dictis, tum ex Epist. 119. ad Januarium cap. 13. ubi ait: *Animæ quippe omnium Sanctorum ante resurrectionem sunt quidem in requie, sed in ea non sunt actione, qua corpora recepta vegetantur.* Plura vide apud Hieronymum Torrens. in Confess. Augustiniana cap. 2.

PROPOSITIO III. Immerito carpitur a Durando beatus Bernardus; nam neque is a Catholico recedit dogmate.

Notavi Durandum, propterea quod paullo durius Doctorem eximium insectatus est, eum magnæ devutionis virum, non magnæ auctoritatis compellans; sed alii quoque modestius scribunt, Bernardum asserere Justorum felicitatem ante diem Judicii suspensam; imo Petavius, *De Bernardo*, inquit lib. VII. cap. ult. n. IX., *notissima res est, hunc in opinione illa fuisse*. Falluntur tamen. Etenim Doctor mellifluus Serm. XIX. de diversis ait. *Hauriunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, & nudis, ut ita dicam, oculis divinitatis intuentur essentiam*. Lib. de diligendo Deo cap. 10. *Immersas* (Martyrum animas) *ex toto credimus immenso illi pelago æterni luminis, & luminosæ æternitatis*. In vita S. Malach. cap. ultimo: *Pro hujusmodi ergo delectus a Deo & hominibus non immerito hodie Malachias in consortium Angelorum recipitur, re adeptus, quod nomine dicebatur. Et quidem ante Angelus erat non minus puritate quam nomine: sed nunc felicius gloriosi in eo interpretatio nominis adimpletur, quando pari cum Angelis gloria, & felicitate lætatur.... Exultat in Domino spiritus Malachiæ, quod levatus pondere corporis, nulla jam fæculenta vel terrena materia prægravatur, quominus tota alacritate ac vivacitate corpoream omnem & incorpoream transiens creaturam pergat totus in Deum, & adhærens illi, unius sit cum eo spiritus in æternum*. Serm. 5. de dedicat. SS. *Post multos agones jam nunc triumphant in cælis coronati*. Serm. 2. in Sanctum Victorem: *Jam cælos ingressus vere nunc revelata facie speculatur gloriam Dei*. Lege & Epist. 266. Serm. 6. in Cantica, & de Obitu Umberti. Ex quibus sequens efficitur ratiocinium: Non adstruit suspensam Justorum beatitatem qui affirmat Justos nunc intueri divinitatis essentiam, æterno lumine circumfundi, lætari eadem gloria cum Angelis, & triumphare coronatos in cælis: Hæc disertissime tradit Divus Bernardus: Ergo non putat ad extremam diem Sanctorum gloriam suspendi.

Objicies 1. Serm. 2. de omnibus SS. scribit Bernardus quod Sanctorum animæ ante Judicii diem non convertentur in requiem suam.

Resp. requiem esse plenitudinem gaudii, & gloriam nedum animæ sed etiam corporis. Ait enim ibi: *Jam vero consummato militiæ tempore gaudium habent Sancti in spiritu suo, donec advenit dies illa, qua introire mereantur in gaudium Domini sui, gaudium habituri & in ipso corpore suo, &, licet non plenam, habent tamen lætitiam multam.*

Objicies 2. Serm. 3. distinguit tres animarum status, primum in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in beatitudine consummata: primum in tabernaculis: secundum in atriis: tertium in domo Dei; & aperte asserit neminem in beatissimam domum introire, nisi post diem judicii.

Resp. per domum Bernardum intelligere beatitudinem consummatam, ut constat & ex dictis, & ex sequentibus in eodem sermone: *Acceperunt jam singuli stolas suas, sed non vestientur duplicibus donec vestiamur & nos. Stola enim prima ipsa est felicitas & requies animorum, secunda vero immortalitas & gloria corporum*. Sunt itaque Justorum animæ adhuc in atriis, quod una tantum stola exornatæ nequeant altera sine nobis vestiri.

Opp. 3. Ibi Bernardus ait separatas animas, quantumvis justas, aliquam habere rugam, & consequenter non posse ante resurrectionem recipi in triumphantem Ecclesiam, quæ maculam rugamve non habet.

Resp. per rugam nihil Bernardum designare præter naturalem inclinationem ad corpus, quæ plenam lætitiam retardat quodammodo. *Sed unde tibi* (ait ibidem S. Doctor), *o misera caro? unde tibi hoc? Animæ sanctæ, quas propria Deus insignivit imagine, te desiderant! quas redemit proprio sanguine, te expectant! & ipsarum sine te compleri lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest. Adeo siquidem viget in eis desiderium hoc naturale, ut nec dum tota eorum affectio libere pergat in Deum, sed contrahatur quodammodo, ut rugam faciat, dum inclinantur desiderio tuo, &c.* Vide notat. supra ex Augustino lib. XII. de Genes. ad lit. cap. 35.

Ob. 4. Serm. 4. scribit Bernardus Piorum animas ante corporum resurrectionem stare subtus Altare Dei.

Resp. dici Altare humanitatem Christi, cujus corporis expetunt similitudinem: *Altare ipsum*, ait, *nihil aliud arbitror esse, quam Corpus ipsum Domini Salvatoris*. Vide quæ dixi cap. antecedenti ad VII.

Objicies 5. Eo loco inquit Bernardus exaltandos electos visione & contemplatione non humanitatis Christi, sed ejus divinitatis; quando post diem extremam super Altare collocabuntur.

Resp. Sanctorum animas resumptis corporibus juxta Bernardi doctrinam exaltandas contemplatione & visione, quod explem naturali suorum corporum desiderio nullam habebunt rugam, quæ illas inclinet, & visionem Dei consequentur uberiorem; ut constat ex resp. ad 3.

Ob. ultimo. Cælestis Beatitudo ea est, de qua in Ps. XXV. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*: At Bernardus Serm. LII. inter parvos, nunc LXXXVII. de diversis, negat id ante reviviscentiam corporum evenire: Ergo, &c.

Resp. hoc postremo loco S. Bernardum denegare Justorum animabus solam completam beatitatem. *Comedite*, ait, *amici, & bibite, & inebriamini. Prius comedunt, dum in carne adhuc corruptibili degunt. Postmodum vero corpore exuti, & in cælum translati jam bibere dicuntur eadem quæ prius comederant: quia jam per speciem contemplantur, quæ prius fide crediderant*. Perspicue his verbis fatetur D. Bernardus jam animas justorum Deum videre. Sequitur autem. *In hoc ergo statu positi Sancti bibere quidem possunt, sed inebriari non possunt: quoniam a perfectissima contemplatione divinitatis quodammodo retardantur, dum adhuc resurrectionem sui corporis in fine sæculi præstolantur. Qua facta ita corpus menti, & Deo mens inhærebit, ut jam deinceps nihil sit, quo ab interna ebriatate contemplationis revocari possit*. Videntur mihi hæc verba ad intelligentiam eorum, quæ obscuriora sunt in Sermonibus de Omnibus Sanctis, aurea clavis. Mihi quidem nulla manet hæsitatio, quod futurum spero de illis, qui absque mentis præoccupatione ista legerint.

SCHOLION.

» AUdierunt tamquam Millenarii alii quidam Ecclesiæ Patres. Hos inter enumeratur Origenes, qui libro 2. περὶ ἀρχῶν cap. 12. tradit. *Sanctos ex hac vita discedentes permanere in loco aliquo in terra posito, quem Paradisum appellat divina Scriptura, velut in quodam eruditionis loco, &, ut ita dixerim, auditorio, vel Schola animarum, &c.* atque Hom. 7. in Leviticum inquit: *Nondum Sancti receperunt mercedem suam, ne Apostoli quidem, sed & ipsi expectant, ut & ego lætitiæ eorum particeps fiam.* Id vero reservatum ait *in ultimum diem dilati judicii*. Accedit Severus Sulpitius, quem in Dialogu, qui inscribitur *Gallus*, Chiliastarum tradidisse sententiam testatur in caput 36. Ezechielis S. Hieronymus. Victorinus item Petavionensis venit in ejusdem erroris suspicionem, propterea quod in sextum caput Apocalypsis scripserit futuram in novissimo tempore *Sanctorum remunerationem perpetuam, & impiorum damnationem*.

» Quantum nihilominus attinet ad Originem, tametsi ejus scripta depravata non fuisse nemo potest asseveranter asserere; in locis superius laudatis de plenissima Beatorum lætitia, & consummata animæ corporisque beatitudine orationem instituit. Prologo enim in Cantica Origenes Chiliastarum errorem natum ait ex falsa interpretatione Scripturarum Sanctarum: atque in libris contra Celsum, qui non interpolati, neque aliena manu corrupti ad nos pervenisse creduntur, aperte lib. 6. fatetur Sanctos frui Dei visione *facie ad faciem*, ut inquit germanus Christi discipulus, post mortalis vitæ hujus certamina, exactosque labores. In secundo etiam Principiorum libro in contrarium producto fabulam Millenariorum refellit. Quare in Origenianis lib. 2. num. 9. recte hac in parte sentire Origenem pluribus testimoniis collectis evincere studet doctissimus Abrincensis Episcopus Petrus Daniel Huetius. At Severus Sulpitius in errore, cujus reprehenditur a S. Hieronymo, minime perstitit; quippe secunda epistola de S. Martini obitu, huic *post evictum triumphatumque seculum redditam esse coronam justitiæ* ait, illumque consertum esse *Apostolis & Prophetis*; atque ab omni labe purgatum, cum iis, *qui lavarunt stolas suas in sanguine Agni*, ipsum agnum comita-

„ mitari *quocumque ierit*. Victorini demum sententia
„ (quamquam fertur mediocris doctrinæ fama a pluribus
„ celebrari) in fine Commentarii in sextum caput Apo-
„ calypsis, quod paullo supra objiciebamus, *Ergo audiendi*
„ *non sunt*, inquit, *qui mille annorum regnum terrenum*
„ *esse confirmant*, *qui cum Cerintho heretico sentiunt*. Quid-
„ quid tamen vel de his, quos nuper laudavi, vel de per-
„ plexis, obscurisque S. Bernardi testimoniis hoc in capi-
„ te recensitis, & ab omni erroris Chiliarcharum suspi-
„ cione vindicatis, pugnaciter quispiam sentiendum esse
„ arbitretur; hæc erit hujus quæstionis absoluta atque ex-
„ pedita finitio, a nullo ingenuo Scriptore in dubium ver-
„ ti, quin regnum mille annorum a pluribus fuerit olim
„ traditum; sed quovis seculo a majori Sanctorum Patrum
„ numero fuisse explosum, ut demonstravimus superiori
„ capite nono; nunc vero re diligentius discussâ, & Pa-
„ trum Latinorum Græcorumque traditione explorata, spe-
„ ctato ampliori numero, collatis sententiis, excussis dif-
„ ficultatibus, eorumque, qui sapientia præcellunt vel con-
„ stanti doctrina, vel pristini erroris attenta retractatio-
„ ne, dogma hactenus propugnatum transiisse in ex-
„ plicitam assertionem Fidei, unanimi Catholicorum
„ sensu, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ definitionibus cor-
„ roboratam.

CAPUT XI.

De Joannis XXII. circa Sanctorum gloriam doctrina.

TANQUAM privatum doctorem Joannem Papam XXII. docuisse quod animæ beatam vitam non haurient, antequam corpora reviviscant, non tamen id definivisse ex Cathedra, fere omnium Scholasticorum responsio est, ubi de hujus mente Pontificis disceptatur. Tuta quidem pro Catholici dogmatis, & Apostolicæ Sedis infallibilitate judicii conciliatio. Joannem illius fuisse opinionis, eamque libellis & Constitutionibus confirmasse quidam contendunt, ut Ockamus, Gerson, aliique perpauci. Re tamen penitius inspecta videtur mihi a vulgari opinione recedendum, & Pontificem esse a nota erroris omnimode vindicandum. Quapropter sit

PROPOSITIO: Joannes XXII. neque ut privatus Doctor assertive docuit piorum animas ante corporum resurrectionem Deum non videre.

Historiam narro, ac simul propositionem demonstro: Anno reparatæ salutis 1331. hæc quæstio acerrime ventilabatur, quam non Joannes, sed alii exagitare cœperunt, ut observat Raynaldus ad ann. 1333. n. 45. Plures quidem affirmativam sententiam valide propugnabant scripturis, Patribus, argumentis, asserentes hanc esse Catholicæ fidem Ecclesiæ. Pontifex rem diligentius excutiendam affirmabat, quod gravissima essent pro utraque parte momenta; cumque pro una magno numero producerentur, ipse reliqua pro negantium opinione collegit. Quæstionem in Procerum conventu proposuit habitis in Ecclesia sermonibus in Festa omnium SS., Dominica III. Adventus, & in Vigilia Epiph. proximi anni 1332. Recitavit ergo quæ ad definiendum dogma videbantur obstare, idest quæ collegerat a Theologis excutienda. Malevoli, quorum habebat plures, fortasse nimium addicti Pseudo-Pontifici Petro de Corbaria, Michael Cæsenas, Guilelmus Ockamus, & alii, ut constat ex ms. Vatic. 409. p. 180. objecerunt, quod Joannes in his tribus sermonibus, *Dogmatizatus est, quod Sancti in cælo non vident, nec videbunt usque ad diem generalis judicii & futuram corporum Resurrectionem faciem Dei*. Ac contra calumniatores Pontificis scripsit insignis doctor Germanus Ulricus demonstrans Papam Scholasticorum more collecta a se recitasse, & dubia proposuisse quæ expenderent eruditi, ut constat ex eodem Raynaldo ad annum 1331. n. 45.

Sparsi interim de errore Joannis rumores, & controversia acerrime disputata Parisiis, traducentibus Joannem calumniatoribus. At præclarissimæ Universitati compertum est quid dixerit, quid hac in re præstiterit Summus Pontifex. Nam anno 1332. in data ad illum Epistola hæc habet: *Vestra beatitudini cum qua possumus humilitate, & reverentia totis cordis præcordiis supplicamus, quatenus prædictæ quæstioni, in qua pro una parte vestra Sanctitas pulcherrime & subtilissime allegavit, & quamplures auctoritates adduxit, imo tot, quod non recordamur nos legisse doctorem aliquem, quas ad unum propositum adduxit tot, & tantas, semper tamen recitando, & nihil determinando, asserendo seu etiam opinando, sicut audivimus; dignetur vestra Sanctitas finem dare, partem illam, qua nutrita fuit hactenus devotio totius populi Christiani vestro regimini crediti, veram esse determinatione Apostolica confirmando*. Vide hanc Epistolam Tom. 1. Thesauri Anecdotorum Martene pag. 1384.

Postero anno 1333. Joannes scripsit XIV. Kal. Decembris ad Philippum Francorum regem hanc Epistolam. *Quia, amantissime fili, scimus, quod in his vel aliis ut elucidetur veritas intendis, rogamus benevolentiam regiam, ut per fidelem, seu fideles nuncias Magistris in Theologia, & Baccalariis Parisiis legentibus & degentibus facias nunciari, quod talibus minis illatis non obstantibus quilibet dicere & disputare, & prædicare valeat, quod sibi juxta doctrinam Evangelicam & Apostolicam disputandum videbitur, aut etiam prædicandum, donec aliud ordinatum per sedem fuerit Apostolicam, aut etiam declaratum. Sic etiam ad veritatem quæstionis prædictæ poterit promptius perveniri*. Ex quibus apparet Pontificem primum indixisse ne affirmativa sententia in publicis concionibus exponeretur tanquam definita ab Ecclesia, cum adhuc esset dubia & ventilanda, sed veritatis studio postea mandasse, ut unusquisque rem diligentius inquireret; quod profecto indicium est, se valde ancipitem pendere, & velle quæstionem diligentissime dirimi.

Hujusmodi studium magis præsetulit proximo anno 1334. Tunc enim pro utraque parte summa cura collegit momenta, præcepit etiam sub Ecclesiasticis censuris, ut singula revocarentur ad trutinam, atque IV. Kal. Martii Petro Rothomagensi Archiepiscopo, & Francorum Reginæ has dedit literas: *Quid circa quæstionem visionis animarum ordinaverimus ad regalem notitiam credimus, diu est, pervenisse. Injunximus quidem Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, ac Prælatis aliis, & Doctoribus Theologiæ, ac juris Canonici præsentibus in curia, ut supra illa cum diligentia studeant, nobisque quid eis videtur exponant. Quod ut promptius possint facere multarum auctoritatum tam Canonis, quam Originalium Sanctorum pro utraque parte collectorum copiam fecimus. Et ut hæc diligentius studerent facere sententiam excommunicationis ipsos volumus incurrere, qui præmissa non adimplerent, absolutione nobis, nostrisque successoribus reservata*.

Cum adhuc obloquerentur Pontificis detractores, eodem anno 1334. die 3. Januarii in Consistorio Apostolico ipse coram S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus declaravit, se nihil unquam de hac Quæst. determinasse, & si quid a se prolatum fuisset, in quæstionis propositione, sive auctoritatum allegatione, quod scripturæ sacræ videretur adversum, præter intentionem sibi excidisse: qua publica confessione nihil sincerius, nihil humilius. De qua testem habemus Benedictum XII. in suo diplomate *Benedictus Deus*, Ptolemæum Lucensem lib. 24. Hist. cap. 42. ms. Vaticanum n. 4008. p. 172. Imo ante mortem, quæ contigit Avenione die XIV. Decembris ejusdem anni 1334. coram S. R. Eccl. Cardinalibus, quorum nomina in laudato nuper ms. referuntur, & coram Tabellionibus hac de caussa vocatis, præcepit ut legeretur sequens Scriptura: *Fatemur & credimus, quod animæ purgatæ sunt in cælo, cælorum regno, & paradiso, & cum Christo, in consortio Angelorum congregatæ, & vident Deum & divinam essentiam facie ad faciem clare in quantum status & conditio compatitur animæ separatæ*. Hujus declarationis meminit Joannes Villanus in Hist. Florent. cap. 19. lib. 11.

Demum Theologi Parisienses interrogati a Rege quænam revera esset Joannis Pontificis opinio, in Autographo quod etiamnum servatur Parisiis in Arch. FF. Prædicatorum, & recitatur a Bullæo Tom. 4. Hist. univ. inquiunt: *Quidquid in hac materia Sanctitas sua dixit, non asserendo seu opinando protulit, sed solummodo recitando*. Prætermitto Fidei Confessionem, quam Joannes ad Armenios, Tartaros, Persas & Lithuanos transmisit; quam vide apud Rayn. ad annum 1331. necnon Bullas Canoniz. SS. Thomæ Aquinatis, Ludovici Tolosani, & Thomæ Herfordiensis: de quibus vide Emin. Gotti Tom. 2. Th. p. 179.

Jam vero ex dictis hoc argumentum conflatur: Ille neque ut privatus Doctor assertive docuit purgatas animas ante reassumpta corpora beatifica carere visione, qui hujus opinionis fundamenta conscripsit & recitavit historice tantum, eo animo ut a Theologis ventilarentur, & quæstio, in qua veteres non convenerant, matura discussione innotesceret, ipse interim nihil asserens, nihil definiens, nihil vel opinando scriptitans. Atqui Joannes XXII. auctoritates Canonum ac Patrum, quibus Millenariorum videbatur probari error, collegit eo animo, ut illas Theologi expenderent, jussitque & publicis concionibus, & Epistolis, indicta quoque excommunicatione, ut sedulo discuterentur, neque interim pro ulla parte sententiam dixit, nihil declaravit, nihil asseruit. Ergo Joannes XXII. neque ut privatus doctor circa eam sententiam erravit, de qua præsens instituitur disputatio. Præterea Doctissimi Galliarum Theologi, Juenin, Tournely, L'Herminier, alii, expensa protestatione Parisiensium Theologorum, quam memoravi superius, & cui addere possunt Epistolam a me laudatam ex Edmundo Martene, ingenue fatentur Pontificem nihil circa hanc quæstionem ex Cathedra definiisse, in falsam tamen sententiam, ut Tournely ait, inclinasse, atque, ut ceteri loquuntur, ut privatum Doctorem erravisse: Atqui in ea Parisiensium Theologorum declaratione, sicuti & in memorata Epistola, non solum habetur Joannem XXII. nihil ex Cathedra & aliquo Pontificio diplomate declarasse, sed etiam quidquid aut scripsit, aut dixit, scripsisse & dixisse non asserendo, non opinando, sed solummodo recitando: Ergo neque ut privatus doctor a dogmate recessit Catholicorum, opinative saltem & assertive. Denique Joannes tametsi recitavit & collegit speciali cura momenta pro una parte, quod pro affirmante omnia vulgata essent ac proferrentur; incu-

buit tamen animo, ut constat ex Epistola ad Reginam, & ad Rothomagensem Antistitem, ut pro utraque parte colligerentur, & huic muneri ipsemet insudavit, omnium copiam fecit, omniaqua ex æquo ventilari mandavit: Ergo incertus erat cui adhæreret, & in utramque fluctuans, veritatem, quam tandem assecutus est, inquirebat.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Opponunt 1. L'Herminier, & Tournely. Raynaldus ad annum 1331. n. 44. refert Joannem XXII. conquisitis undequaque testimoniis pro negativa sententia in publicis concionibus pro eadem fuisse dogmatizatum. Resp. Raynaldum asserere, quod *Ita calumniabantur hostes Pontificis*, ut demonstrat num. 45. ex Ulrico, & ex mss. Vaticano Codice 4005. & 4009.

Opp. 2. Joannes omni favore & gratia prosequebatur quos stare noverat pro sententia negante, præsertim Gerardum Generalem Minorum. Contra qui diffidebant dure a Pontifice excipiebantur, ut constat de Thoma Vallesio, qui in carcerem conjectus est, quod opinionem Joannis publica confutasset concione. Resp. Thomam Vallesium non a Joanne XXII. sed a Quæsitoribus Fidei Avenione damnatum carceri, non quod pro SS. vindicanda gloria solemnem habuisset concionem, id enim permiserat Pontifex, ut apparet ex Epist. ad Galliarum Regem Philippum; sed quoniam e suggestu in Assertores adversantis sententiæ divinam maledictionem est imprecatus, ut narrat Bzovius ad annum 1331. n. XI. quod vertente controversia, maxime privato homini, audaciæ, quamvis forte zelus fuerit, imputabatur. Gerardo autem quidnam Papa præstitit, quod amplissimum ordinem moderantis merito, ac dignitati esset impar?

Opp. 3. Durandus Meldensis Episcopus, cum dogma Catholicum propugnasset, a Fidei Censoribus in jus vocatus est, etsi Regis patrocinio judicium declinavit Quæsitorum. At hæc annuente Pontifice fuere peracta. Resp. Durandi caussam aliam esse ab ea, quam eruditi narrant Theologi. Pontifex Durandi Tractatum nulla permotus indignatione, & quamlibenter excepit, pluribusque Theologis præbuit examinandum, ut constat ex mss. Jacobi Cardinalis S. Priscæ in Bibl. Vatic. n. 208. In Durandi autem Scripto in ea, quam probabat propositiona, nil censura dignum notatum est. In argumentationibus vero aliqua videbantur absurda: inter quæ erat, quod nisi animæ expiatæ videant divinitatem Christi, mori nulla ratione sit lucrum; unde videbatur consequi, quod ex contemplatione humanitatis nullum resultet gaudium, aut lucrum. Tum alia novem asserta, quorum alia probata fuerunt, alia confutata. Ergo propter Assertum de actuali visione Dei, ut constat ex mss. Vat. n. 4004. nihil actum contra Durandum, sed propter doctrinas insertas, & non satis apte expositas, aut non bene intellectas. Vide Raynaldum ad annum 1333. num. 58.

Opp. 4. Pontificem assertive præfatum tradidisse errorem innumeri propemodum scribunt Auctores. Gobelinus in Cosmodromii Ætate VI. cap. 71. Albertus Krantzius lib. VIII. Vandaliæ cap. 16. Bzovius ad annum 1331. Ciacconius in Vita Joannis XXII. Ptol. Lucensis ad an. 1335. Adrianus in IV. Sent. de Sacram. Confirmat. Gerson sermone in die Paschatis, &c. Resp. Hos omnes, & si qui sunt alii, falso rumore deceptos. Nam multæ fuerunt contra Joannem linguæ *malignantium*, ut in suo diplomate testatur Benedictus XII. Sed his opponimus omnium Theologorum Parisiensium testimonium, qui, *Multorum fide dignorum relatione audita*, declararunt quod Sanctitas Sua nihil asserendo, sive opinando protulit, sed solummodo recitando. Quamquam non omnes, qui ab adversariis citantur, revera Pontifici errorem affricant. Bzovius cit. loco ait: *Eodem tempore ipse idem Pontifex alios adversariorum adversum se excitavit, cum antiquorum Doctorum .... de clara Dei visione opinionem nondum ab Ecclesia damnatam recitasset; & in partem quorumdam FF. Minorum asserentium animas a corpore separatas non statim beata visione divinæ essentiæ frui, sed eam usque ad diem judicii expectare, differendo quidem, non autem asserendo, neque decernendo inclinavit.* Et Alphonsus Ciacconius: *Ipse*, inquit, *omnibus Theologis jussit, ut quid de ea sentirent diligenter inquirerent, & sibi afferrent, affirmans se nihil nisi disputandi gratia efferre, & nihil adhuc se determinasse.* Hi nimirum de mente Joannis tantummodo dubitant. Idem dico de Ptolemæo Lucensi, qui lib. 24. cap. 43. ait: *De hoc dubium fecerat*. Idem de Adriano, qui utitur his verbis, *Fertur*, *dicitur*. Gersonis sermonem genuinum non esse plures affirmant: si est, Universitatis Parisiensis testimonio, & Epistolis redarguitur.

Opp. ultimo. Joannes morti proximus pœnitentia ductus errorem suum revocavit. Ergo erraverat. Resp. nego antec. Non enim proprie revocatio & retractatio dicenda est Joannis omologia. Declarat in ea se plura in hac quæstione allegavisse = *Non intendens aliquid terminare, vel decidere* = Et si forsan in sermonibus aut collationibus suis aliqua viderentur a veritate aliena = *Ipsa præter intentionem a se fuisse prolata* = Quam declarationem a se fieri protestaror = *Ne quis sinistre interpretari possit sensisse aliquid, aut sentire quod Scripturæ Sacræ obviet, aut fidei orthodoxæ*. Voluit ergo ea declaratione Joannes *linguis malignantium obviare* =, ut scribit in suo diplomate Benedictus; neque enim necesse erat, ut dicta revocaret, & caneret palinodiam.

Verum etiam Pontifex ut privatus Theologus in quæstione ad solvendum perdifficili, utrinque validissime propugnata, dubia eo tempore, nec definita, in falsam inclinasset opinionem, nullum inde aut illius existimationi, aut Apostolicæ Cathedræ infallibilitati posset consequi præjudicium. Etenim nulla Constitutione quid fide tenendum esset definita sententia pronunciavit: quod ex dictis satis arbitror manifestum. Guilelmi autem Ockami, quod fuerit Romanorum Pontificum infensus hostis, & ultro fateatur se referre quæ ex aliorum acceperat narratione, nemo est qui pili faciat auctoritatem.

SCHOLION.

„ DUo sunt, quæ missa quæstione de privata Joannis
„ XXII. sententia, Theologiæ Dogmaticæ Tracta-
„ toribus satis esse videntur, unum scilicet, nunquam hunc
„ Romanum Pontificem definitione aliqua, latoque decre-
„ to declarasse animabus ab omni labe expiatis visionem
„ Dei, beatorumque consortium ad extremum usque Judi-
„ cium differri: alterum vero, eumdem Pontificem ante
„ obitum, quod propugnavimus de præsenti gloria Sancto-
„ rum, Catholicum certissimumque assertum, Declaratio-
„ ne sua semel itemmque repetita, absque ulla ambigui-
„ tate, & perplexitate verborum, tradidisse. Ac primum
„ perspicuum est ex monumentis productis in propositionis
„ præmissa multiplici probatione: ex Historicorum testimo-
„ niis, ex litteris Universitatis Parisiensis, ejusdemque
„ Pontificis ad Philippum Francorum regem, atque ad
„ Petrum Archiepiscopum Rothomagensem. Joannem vero
„ ante mortem omnem a se hæsitationem amovisse, &
„ dogma Catholicum declarasse, præter ipsius Protestatio-
„ nem superius exscriptam, & assertionem Joannis Villa-
„ ni celebris Historici Florentini, eruitur ex altera Decla-
„ ratione ejusdem Pontificis palam in Consistorio, coram
„ S. R. E. Cardinalibus, Aulæque Proceribus, habita die
„ 3. Januarii, laudata a Raynaldo ad Annum 1334. n.
„ 28. a Ptolomæo Lucensi, cujus verba ibidem num. 29.
„ producuntur, a Bonagratia Minorita in Commentario,
„ quod MS. asservatur in Bibliotheca Vaticana, & eo lo-
„ ci a Raynaldo citatur, ex Paulo Langio in Chronico ad
„ annum 1334. a Persona Gobelino in Chronico suo, quod
„ Cosmodromium inscripsit, Sexta Ætate cap. 71. aliisque
„ complurimis. Et, quod, me quidem judice, hujus ve-
„ ritatis invictissimum argumentum est, Gerson Can-
„ cellarius Universitatis Parisiensis Sermone de Festo
„ Paschatis, Adrianus VI. in Tractatu de Sacramento
„ Confirmationis, Nicolaus Gillius Continuator Chronici
„ Langii, aliique Millenariorum errorem a Joanne XXII.
„ propugnatum fuisse asserentes, non tradunt ipsum erro-
„ rem fuisse ab eodem Pontifice definitum aliquo Ponti-
„ ficio diplomate; quamvis, ut verum fatear, illa Adria-
„ ni verba, *Publice docuit*, *declaravit*, *& ab omnibus te-*
„ *neri mandavit*, sint aliquantulum duriuscula. Ochamo
„ autem, viro alioqui docto, quem Principem Nomina-
„ lium quidam vocant, & Michaeli Cæsenati, propterea
„ quod Ludovico Bavaro, qui Joannem deponere, &
„ Petrum de Corbaria Pseudopontificem intrudere studuit,
„ nimium fuerint addicti, tantam non possumus præstare
„ fidem, ut credamus non fuisse acuendo contra legiti-
„ mum Pontificem stylum, aut abreptos in sinistram
„ Schismaticorum adhæsione, aut saltem falso rumore de-
„ ceptos.

CAPUT XII.

De inæqualitate beatificæ visionis, ac sempiternæ Justorum felicitatis.

JOVINIANUS Stoico infectus contagio, quemadmodum nullam in meritis discrepantiam, ita nullam agnovit inæqualitatem retributionis. Adversus hunc duos libros conscripsit circa annum 392. beatus Hieronymus; in quorum postrema parte istum impugnat excucullati errorem hæretici. Novatores, qui putant homines justificari per eamdem Christi Sanctitatem singulis imputatam, in easdem ferme inciderunt casses. Oportet nunc perversum dogma insectemur, ostendentes rependendam non esse singulis justis parem omnino mercedem: & pauca superaddamus de Scholarum dissidio, unde inæqualis beatitudinis ratio sit repetenda.

PROPOSITIO I. Inæqualis gloria meritis inæqualibus reservatur.

Hæc est scripturarum sanctarum doctrina. Nam in Evangelio Joannis cap. XIV. 2. legitur: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*. De quo loco Tertullianus Scorpiaco: *Quomodo multæ mansiones, si non pro varietate meritorum?* Paulus 1. ad Corinth. III. 8. *Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem*; Cap. XV. 41. *Stella enim a stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum*. Et 2. ad Corinth. 9. *Qui parce seminat, parce & me-*

tet.

tet. Idem probant textus, quibus meritorum asseritur inæqualitas; ut parabola de semine apud Matth. 19. 8., quod fructum dedit *aliud centesimum*, *aliud sexagesimum*, *aliud trigesimum*, egregie exposita eo versu, *Serta terdenis*, *&c.* in hymno S. Joannis Baptistæ: necnon alia de quinque talentis cap. xxv., & de decem minis apud Lucam cap. xix. Accedit definitio Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi Sess. vi. c. 16.

Eadem est SS. PP. assertio: Chrysostomus hom. 41. in 1. ad Corinth. *Tametsi in regno cælesti sint omnes, non omnes tamen iisdem potiri præmiis significatur illa similitudine stellarum: uti nec in gehenna peccatores omnes eadem tormenta patientur.* Ambros. lib. 5. in Lucam: *Etsi unum regnum, diversa tamen merita sunt in regno cælorum.* Gregorius Nazianz. Orat. 34. *Prout illorum est ordo, plus, minusve Deum cernunt.* S. P. Augustinus Tract. 67. in Joannem. *Multæ mansiones diversas meritorum in una vita æterna significant dignitates.* Fulgentius de Fide ad Petrum: *Diversa erit Sanctorum gloria.* Prosper in sent. 360. *Ut Deus omnia in omnibus erit, sic etiam in dispari claritate par gaudium.* Gregorius lib. 4. Moralium cap. 31. *Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa proculdubio discretio dignitatum, &c.*

Argumenta a ratione æquum est ab illo præclarissimo Ecclesiæ Doctore depromantur, qui Jovinianum singulari certamine profligavit. Quorum primum sic necti potest: Ordo, qui est in visibili Ecclesia, etiam in cælesti servatur Jerusalem, & militans refert imaginem triumphantis; hæc enim, quæ per fidem ambulat, plurimas habet mansiones, & alium tenent gradum Pontifices, alium Sacerdotes, alium Levitæ, alium Æditui, alium fidelis plebs; illa, quæ sursum est Ecclesia, continet Archangelos, Angelos, Thronos, Dominationes, Potestates, Cherubim, Seraphim, variasque Sanctorum classes: Atqui in visibili Ecclesia diversitas nominum denotat graduum, munerum, ac dignitatum discrepantiam. Ergo diversam potestatem dignitatemque designat pariter varietas nominum, quibus appellantur supernæ Jerusalem incolæ. II. Consilium est Evangelicum Matth. xx. ut *Qui vult major esse, sit omnium minimus*, & idcirco pauperes spiritu sese abjiciunt, ut exaltentur, novissimoque recumbunt loco, ut superius ascendant: Consilio isto exercitamentum humilitatis frustra suaderetur, nisi in cælis unus esset altero major: Est ergo illic majoris, minorisve præmii distributio. III. Gloria cælestis est merces, & redditur unicuique secundum proprium laborem: Inter Verbi Dei Præcones plus sustulit laboris D. Paulus, qui prædicavit Evangelium, & ne quem gravaret, manibus suis illis quoque qui secum erant ministravit, quam ferant alii, qui prædicant, & de Evangelio vivunt. Igitur consentaneum est, ut Paulus plus mercedis recipiat, quam ceteri Evangelii Concionatores. Hæc ex Hieronymo in 2. adv. Jovinianum. Quartum addo ex D. Gregorio lib. ix. Moral. cap. 39.: Impares sunt reproborum pœnæ: quod probatur ex damnatione Babylonis Apocalyps. xviii. *Quantum exaltavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*; & ex parabola zizaniæ in fasciculos alligatæ, Matth. xiii., ut quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat. Ergo etiam juxta modum meriti sequitur retributio beatitudinis.

ARGUMENTA OPPOSITA REFELLUNTUR.

Prima objectio est hujusmodi: Operarii, de quibus Matth. xx., acceperunt sub vesperam singuli denarium, ita ut qui portaverant pondus diei, & æstus, murmuraverint adversus Patrem familias, quod pares sibi fecisset qui novissimi una hora laborarunt: Hæc parabola diversitatem meritorum designat, & æqualitatem retributionis: Ergo diversis operibus eadem merces ac retributio rependitur.

Resp. 1. dist. minorem: hæc parabola designat æqualitatem retributionis quantum spectat ad vitam æternam, in qua eadem est in æternitate mensura, concedo: quantum ad intensionem gaudii, & perennis gloriæ splendorem, nego. *Unus denarius*, inquit 2. lib. cit. S. Hieronymus, *non unum est præmium, sed una vita, & una de gehenna liberatio.* S. P. Augustinus serm. 59. de Verb. D. cap. 4. *Denarius ille vita æterna est, & in vita omnes æquales erunt. Quamvis enim meritorum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minus, quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus. Non enim alteri erit longius, alteri brevius, quod pariter sempiternum est.* Vide & Gregorium lib. iv. Moralium cap. xxx. Resp. 2. nego singulos illos operarios non esse æquales in merito: sive enim intelligas parabolam de Sanctis veteris, ac novi testamenti, sive de diversis Justorum generibus, fieri potest ut plures, qui novissime venerunt ad fidem, ad antiquorum Patriarcharum meritum gloriamque pertingant, & etiam ampliorem referant laborum mercedem, & qui post multa scelera resipiscunt, caritatis fervore dolorisque acrimonia illorum coronam adipiscantur, qui ab ineunte ætate vitam incontaminate duxerunt: atque ita, ut ait Gregorius Naz. Orat. 40. *Ad laboris modum plus contulerint qui priores ingressi sunt, non tamen quantum ad voluntatis ardorem.* Pro qua responsione vide quæ diximus ad 1. cap. ix. Resp. 3. non opus esse ut comparationes ac parabolas tam anxie persequamur; nam non omnia in his semper congruunt cum re, quam significant: quod asserendum est de præsenti, alias in regno cœlorum essent murmura & querimoniæ, uti fuerunt in operariis, qui accipientes denarium adversus Patrem familias murmurabant.

Ob. 2. Gloriæ inæqualitas parere posset invidentiam, ac desiderium amplioris felicitatis.

Resp. invidiam arceri a perfectissima caritate, quæ *non æmulatur*, & qua beatæ mentes ita uniuntur, ut non minus de propria, quam de aliorum felicitate lætentur. *Quantum enim quisquis diligit aliquem, tantum de bono ejus gaudet*, inquit Anselmus in Prosolog. 25. Lege & Cassiodori librum de Amic. Desiderium autem expellit summa ac perfecta satietas, quam explet quisque in *torrente voluptatis* pro modulo sitis suæ. *Sicut enim corporalis saturitas omnes saturos æqualiter habet, quamvis singuli cibum non æqualiter, sed pro possibilitate perceperint; ita omnes sancti etsi fuerint aliqua graduum suorum diversitate distincti, una beatitudine perfecti erunt, &c.* ait lib. 1. de Vita contemplat. cap. 4. Julianus Pomerius Afer, cujus opus passim sub Prosperi nomine laudatur. Vide etiam aptissimum exemplum corporis, in quo oculus non vult esse digitus, neque digitus oculus, apud Augustinum lib. xxii. de Civit. Dei cap. 30., conferens quæ habet Apostolus ad Ephesios iv. 16.

Opp. 3. Damnati eadem pœna damni afficiuntur, quæ est privatio, ideoque non suscipit magis & minus. Ergo eadem gloria coronantur electi.

Resp. dist. ant. Pœna damni non habet magis & minus ratione sui, concedo: ratione adjuncti, nempe inimicitiæ Dei, & ex consequenti cruciatu, quo plus minusve impii contristantur, dum percipiunt se divinæ essentiæ contemplatione privari, nego. Vide Abulensem q. cit. 642. in cap. 25. Matth. Hoc autem est discrimen inter visionem, privationemque visionis; quod hæc, cum sit carentia, æqualis est in omnibus reprobis ratione sui, & inæqualem infligit pœnam ratione apprehensionis, & causati inde mœroris: at visio, cum sit ipsa mentis apprehensio, per se piorum animas exhilarat, & gaudium parit.

Opp. ult. Beati vident Deum sicuti est.

Resp. vident quidem eumdem Deum, sed ut capiunt; & gloriam *specie* unam possident ejusdem objecti contemplatione & dilectione: at non omnes illud contemplantur eadem vi intelligentiæ, neque diligunt eodem caritatis ardore. Satiantur tamen singuli, quia vident ut capiunt, amant ut possunt, fruuntur ut cupiunt, inebriantur ut sitiunt; & gloriæ discrimen non a Deo, sed a propria uniuscujusque capacitate repetitur.

PROPOSITIO II. Caussa moralis inæqualitatis beatitudinis est meritum, effectrix vero est lumen gloriæ, quod pro meritorum ratione illustrat mentem, inflammatque corda Sanctorum.

Quod spectat ad caussam moralem constat ex dictis; nam merces meritum consequitur, & virtutes suam petunt remunerationem. Hinc recte Fulgentius in lib. de Trinit. *Tanto amplius alius alio in illa vita Deum videbit, quanto amplius in hac vita eum dilexit.* Et S. P. Augustinus serm. 59. de Verbis Domini: *Meritorum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minus.*

De caussa autem effectrice probatur. Ea est indoles caussarum secundarum, ut quando ad agendum nativam virtutem non habent, sed aliena corroborantur, ab hac unice pendeat major effectus perfectio. Idque & in naturalibus & in supernaturalibus valet: nam si aqua calefit, receptoque calore injectam ustulat manum, adustio non aquæ principaliter tribuitur, sed calori; neque quod sit validior ab elementi particulis oritur, sed ab istarum agitatione & qualificatione. Pariter in actibus supernaturalium virtutum, si sapientior ardenti caritate Deum diligat, aut robustiori fide credat, caritas fidesque a sola gratia perficiuntur; neque naturali scientia exornatus, suffultus eadem gratia, quam habet ignarus, isto perfectius credit aut diligit, neque ullus ab alio naturali mentis perspicacia discernitur, sed sola voluntate moventis, & beneficia gratiæ largientis. Quæ ad probandam propositionem suppeditant duo argumenta. Ac primum: Beati Deum vident facie ad faciem, & ei firmissime adhærent non vi intellectionis & amoris nativi, sed facultate luminis gloriæ divinitus ipsos illuminantis, & inflammantis: Quotiescunque secunda caussa operatur non sibi naturaliter indita, sed supernaturali virtute ab hac tantummodo exoritur inæqualitas, & major aut minor excellentia operationis: Ergo contuitus & amor beatorum spirituum, non ab intellectu aut voluntate eorumdem, sed a luminis gloriæ diversitate suam habet inæqualitatem. Deinde: Doctissimi Scoti discipuli, quibus etiam subscribunt ex nostris Ægidius Lusitanus & Landon, & e Schola Thomistica Eminentissimus Cajetanus, docent inæqualitatem visionis repetendam esse etiam ab inæqualitate intellectus, quod hic sit potentia activa, & cum lumine gloriæ unam totalem caussam constituat: Videtur autem hæc ratio infirma: Ergo & sententia, quæ huic rationi nititur. Prob. minor. Perfectior actus E. G. fidei, etsi proveniat ab intellectu & a gratia, nullo pacto suam perfectionem nanciscitur a naturali acumine intellectionis, sed a sola motione divinæ gratiæ; quia licet intellectus una cum gratia

eliciat

eliciat fidei actum, non id præstat naturali virtute, sed gratiæ: Ergo visio Dei intensior, tametsi efficiatur ab intellectu & a lumine gloriæ, majorem ab intellectu nequit habere intensionem, quoniam ille non virtute nativa Deum videt, sed ea, quam ipsi lumen gloriæ largitur. Hinc est quod Guilelmus Parisiensis Antistes anno 1240. & iterum Stephanus Parisiensis ann. 1267. proscripserunt hanc propositionem: *Cui meliora fuerint naturalia, necessario major erit gratia & gloria*. Denique ex sententia opposita consequitur meritis non semper gloriam respondere; nam si aliquis habeat idem meritum, sed vim intellectivam hebetiorem, minori potiretur beatitate quam alter, qui esset par meritis, & ingenio ac mente pollentior.

REFUTANTUR OBJECTIONES.

Ob. 1. Cum æquali gratia unus altero intensius diligit Deum: Ergo cum æquali lumine unus Deum videt alio perfectius.

Resp. dist. ant. & perfectio dilectionis pendet a gratia, non a viribus naturalibus, conc. secus, nego. Habet utique humana voluntas, ut possit gratiæ resistere, vel reddere illam otiosam; non enim Dei munera liberum tollunt arbitrium, sed ei opitulantur. At si liberum arbitrium bona opera exerceat, tota perfectio meriti est a gratia, neque operis excellentia potest unquam motionem ac vim auxilii superexcedere. Ceterum in hoc infirmitatis statu datur etiam gratiæ inæqualitas, & qui intensius operatur, majori efficacia divinorum auxiliorum trahitur ac præmovetur: Ad hæc: lumen gloriæ non subest arbitrio, sed necessario mentem rapit beatorum; & eam ob rem hi videre nequeunt nisi ad luminis divini mensuram.

Ob. 2. Si duæ caussæ ad aliquem effectum concurrant, & una sit efficacior, est etiam effectus perfectior: Intellectus & lumen gloriæ sunt duæ caussæ, quæ influunt in eamdem visionem: Ergo si intellectus sit efficacior, erit etiam visio vividior.

Resp. dist. majorem: si fuerint duæ caussæ ejusdem ordinis, ut duo equi eamdem rhedam trahentes, conc. Si diversi ordinis, ut sunt arbitrium & gratia, intellectus & lumen gloriæ, & una insuper caussa agat virtute alterius, nego.

Ob. 3. Vegetior oculus cum eodem lumine videt perspicacius. Ergo perfectior intellectus cum eodem lumine spirituali percipiet lucidius.

Resp. nego consequentiam; quippe oculus & lumen sunt ejusdem ordinis, mens autem, & fulgor divinæ gloriæ, diversi. Et præterea: lux corporalis oculi supponit expeditam completamque potentiam: quam spiritale lumen non invenit in intellectu, sed efficit.

Ob. 4. Non proprio marte, sed divino spiritu afflante scripsere E. G. Paulus & Lucas, & prophetarunt Amos, & Isaias, at quoniam Paulus erat naturalibus scientiis imbutus, Isaias Hebraicarum, Chaldæarumque literarum cultu & delectu, antecellit scriptura Pauli libros Lucæ, & Isaiæ vaticinium prophetias ceterorum. Ergo etsi videant Beati divinitatem superno lumine gloriæ, quo magis tamen pollent naturali vi intellectrice, Dei speciem magis magisque contemplabuntur.

Resp. dist. antec. Pauli scripta & Isaiæ vaticinia ceterorum præcellunt libros styli venustate & orationis ornatu, conc. veritatis oraculo & arcanorum intelligentia, nego; & retorqueo argumentum. Quamquam Paulus in lege eruditus & cultus eloquio politiori stylo conscripserit, quod facultatis est naturalis; arcanorum tamen penetratione non superavit Scriptores alios divinorum librorum, nisi ad mensuram sublimioris raptus, aut validioris afflatus divinitatis. Quod si verborum quoque splendorem ac stylum effici velis superna spiritus concitatione, & afflatu; dicam hunc sese Prophetarum indoli attemperare, eosque congrua quadam motione ad prophetandum fortiter æque ac suaviter urgere; ita, ut occultarum rerum vaticinationes, nec non flos ornatusque verborum exigi tantum debeant ad mensuram impetus flaminisque divini. Atque ita ad luminis gloriæ excitationem & modum pensanda est beatæ visionis vehementia.

S C H O L I O N.

„ UNa cum Joviniano etiam Origenem tradidisse æ-
„ qualem in omnibus Electis beatitudinem, suf-
„ picantur nonnulli. Ducuntur verbis, quæ leguntur Ho-
„ milia 1. in Matthæum, ubi exponit locum illum Apo-
„ stoli, *Sicut stella differt a Stella*, & quod ait Do-
„ minus, Tunc *Justi fulgebunt sicut Sol in regno Patris*
„ *eorum*, & ait differre *in exordio Beatitudinis* eos, *qui*
„ *nondum purificati sunt, & salvi fiunt, pro differentia lu-*
„ *minis eorum*, tunc autem, quando collecta fuerint a re-
„ gno Dei omnia scandala, & cogitationes, quæ gignunt
„ iniquitatem, conjectæ erunt in caminum ignis, justos
„ *unicum solare lumen effectos*, fulgidissimos futuros fore
„ *in regno Patris sui*. At, ni fallimur, *Exordium beati-*
„ *tudinis* non est juxta sensum Origenis status Animarum
„ in cælis, sed status ille, in quo solutæ a corpore, &
„ nondum purgatæ, circumaguntur, & paullatim contra-
„ ctas maculas exuunt, donec omni expiatæ iniquitate ad
„ Patris regnum & ad cælestem gloriam perducantur,
„ ibique splendeant non ad instar stellarum lumine dispa-
„ re, sed tamquam Sol, qui unus est, fulgeant eadem
„ ac plenissima luce. Quare duo illic tradit Origenes,
„ unum est animorum circulus, in quo purgantur, & cum
„ fieri incipiunt absque peccatorum rubigine & scoria,
„ micant ut sidera, at non æqualiter, quoniam non omnes
„ eadem ratione fæcem labemque deponunt: alterum est
„ regnum Patris, in quod post perfectam purgationem
„ translatæ, ut Sol fulgebunt eodem lumine gloriæ. Tra-
„ dit itaque Origenes eo loci futuram duntaxat completam
„ beatitudinem post mundi occasum, & diuturni temporis
„ purgationem. At nescio, num semper Origenes sibi
„ cohæreat. Vide quæ adnotavimus ad præcedens caput
„ duodecimum. Sane ea verba Apostoli, 1. ad Corinth. 15.
„ *Sicut Stella differt a Stella*, explicantur ab aliis Patribus,
„ præsertim a S. P. Augustino *lib. de S. Virginitate cap.* 26.
„ ubi etiam producta Operariorum parabola, de qua Matth.
„ cap. 20. ait: *Hic est ille denarius merces omnium. Stella*
„ *tamen differt a stella, sic & resurrectio mortuorum. Hæc*
„ *sunt merita diversa Sanctorum: si enim cælum significatur*
„ *in illo denario, nonne in cælo esse omnibus est commune*
„ *syderibus? Et tamen alia est gloria solis, alia luna, a-*
„ *lia Stellarum. Ita quia ipsa vita æterna pariter erit omni-*
„ *bus Sanctis æqualis, denarius omnibus attributus est. Quia*
„ *vero in ipsa vita æterna distincte fulgebunt lumina meri-*
„ *torum, multæ sunt mansiones apud Patrem. Ac per hoc*
„ *in denario quidem non impari non vivet alius alio proli-*
„ *xius; in multis autem mansionibus honoratur alius alio*
„ *clarius*. Præclara utique verba Doctoris præstantissimi!
„ quæ Catholicum dogma perspicue declarant, invicte de-
„ monstrant, sacra eruditione confirmant, atque opposi-
„ tionem Joviniani petitam ex Evangelica parabola scri-
„ pturarum collatione facile diluunt, naviterque refel-
„ lunt.

C A P U T XIII.

De beatæ visionis objecto.

QUID Beati in Deo videant, in hujus libri complemento dicendum superest. Ac primo constat ex dictis, videre unitatis ac Trinitatis mysterium. Illud namque revelandum nobis est quod fide credimus, & contemplandum in specie quod nunc videmus per *speculum & in ænigmate*. Vident consequenter perfectiones divinitatis, scientiam, omnipotentiam, immensitatem, & alias, de quibus libro disputavimus præcedenti. Hæc cum sint a Deo penitus indistincta, dici solent in Scholis *objectum primarium*.

Deinde vident creaturas per Verbum conditas, terram, cælum, reliqua. Spectant omnia ad ordinem Universi, cujus ipsi Beati sunt partes; & nonnulla naturali cognitione attigerunt, plura noscere appetierunt. In illa ergo *Arte*, in qua immutabiliter continentur, omnia divini luminis participatione cognoscunt. Vident quoque sese invicem, ut postulat unius Civitatis, regnique societas: Unde ait Augustinus Epist. 6. *Tunc nihil latebit proximum in proximo; nec erit quod suis quisque aperiat, abscondat alienis, ubi nullus erit alienus*. Et Bern. Serm. 1. in Dedicatione Eccles. *Nec ulla separare eos ab invicem suspicio potest; ubi nihil omnino quod in altero sit, alterum latere patitur penetrans omnia radius veritatis*. Quamobrem etiam cogitationes & affectus sibi invicem sponte revelant, ut solent domestici, & sincera dilectione conjuncti. In supernorum civium numero agnoscunt & illos, quos nunquam noverunt in terris, & ex notitia rerum præclare gestarum proficiunt in cognitionem virorum. Vide Magnum Gregorium lib. IV. Dialog. cap. XXXIII.

Rerum, quæ in terris fiunt, illæ Beatis spiritibus innotescunt, quæ propius ad eos spectant; Pontifices Ecclesiæ statum, Reges vicissitudines regnorum, Parentes familiæ suæ conditionem, singuli vident suorum preces clientum. Nota sunt exempla Eliæ II. Paralip. cap. 21., & Jeremiæ, & Oniæ II. Machab. cap. XV. Recte id summi Numinis providentia institutum, ut pro nobis intercedant ejus amici, regnique consortes, ut definit Conc. Senonense in Decr. Fidei cap. XIII. probantque Ecclesiæ Patres, Ambrosius in Orat. de obitu Theodosii, Augustinus Epist. 259. ad Cornelium, & Gregorius lib. XII. Moralium cap. 17. Vident & damnatorum pœnas, non ut misereantur, sed ut gaudeant uberius, animadvertentes quanta evaserint mala; quod explicat idem Gregorius Hom. 40. in Evangel. aptissima comparatione picturæ, in qua *Niger color substernitur, ut albus vel rubeus clarior videatur*. Futura omnia, & possibilia, & contingentia minime noscunt, præsertim diem judicii, & secreta cordium; nisi ea sibi manifestent, ut amici solent, alterutrum, aut a Deo revelentur qui *scrutatur renes & corda*. Hæc omnia distincta a Deo beatificæ visionis *objectum* sunt *secundarium*.

Circa princeps objectum quæritur num divinitus fieri possit, ut videatur una Persona sine alia, aut sine attributis essentia. Affirmativam sententiam propugnant Scotistæ, Paludanus, Alarcon, L'Herminier, in eamque propendet noster Lusitanus. Stant ex adverso Augustiniani ac Thomistæ, Sylvius, Habert, Tournely, Juenin, Gotti, Piete, Flo-

te, Florez, & alii. De objecto autem secundario visionis variæ instituuntur quæstiones, quæ ex dictis facillime resolvuntur.

PROPOSITIO: Neque per absolutam potentiam Dei fieri potest, ut videatur divina Essentia sine attributis, aut una Persona sine alia.

Probatur 1. ex Scripturis. Joannis XIV. 9. habetur: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*. Quem locum eludunt Henno & Frassen dicendo exponi a PP. de cognitione per fidem, cujus sufficiens motivum erant opera a Christo patrata: vel reponunt valere quidem de ordinaria potentia, non de absoluta. Nolo priorem interpretationem rejicere; quum de visione per fidem satis apposite accipiantur verba immediate sequentia: *Verba, quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor. Pater autem in me manens ipse facit opera*. Neque me latet illam explicationem admitti a Chrysostomo Hom. lxx. in Joann. a Cyrillo lib. 9. cap. 37. a Tertull. c. 24. contra Praxeam, & breviter sic exprimi a Nonno;

Nimirum mecum esse Patrem: sum namque Parenti
Connexus: mea vox sonat; at res efficit ille.

Ea itaque interpretatione admissa sic arguo; Quoniam eadem sunt opera Patris & opera Filii, qui credit in Filium necesse est ut credat etiam in Patrem: Ergo quia eadem est veritas & lux Patris & Filii, opus est ut videns Patrem videat quoque Filium.

Eadem est S. P. Augustini sententia: qui in Ps. 85. in ea verba Joannis: *Nescitis quia ego in Patre & Pater in me est?* inquit, *Me viso videtur & Pater, & Patre viso videtur & Filius; Patris & Filii separari non potest visio. Ubi non unius separatur natura & substantia, visio separari non potest*. Tract. 70. in Joannem: *Cur inseparabilia separatim desideras nosse?* & in 2. de Trinit. cap. 8. *Neuter sine altero potest ostendi. Unum quippe sunt, sicut ipse ait: Ego & Pater unum sumus*. Quæ profecto etiam de absoluta tenent potentia, quum nullatenus dividi possit ac separari in qualicumque hypothesi divinarum Personarum substantia, veritas, & visibilitas.

Hinc multiplex depromitur ratio. Ac prima: Quæ divinis Personis, aut proprietatibus conveniunt ratione naturæ, sunt prorsus inseparabilia; neque enim Mundum E. G. condere potuit Pater absque Filio, cum sit utriusque eadem virtus creatrix, quæ essentiam consequitur, non relationem. Atqui divinarum Personarum una est veritas & intelligibilitas, quæ ratione substantiæ ex æquo in singulis reperitur: Ergo divinarum Personarum visio est penitus inseparabilis. Deinde Scotistarum sententia supponit in Deo formalem distinctionem, ob quam cum sit liberrimus se videndum exhibeat secundum unam *formalitatem*, non secundum aliam: Hæc distinctio commentitia est, ut vidimus lib. 2. cap. 3. prop. 2. Igitur & ruit opinio de separatione visionis. Rursus ad visionem intuitivam necesse est, ut videatur plenitudo divinitatis tota simul, & non partiliter; quod exemplis & rationibus ostendi cap. 1. hujus libri in Resp. ad 3. Sed dum videretur una persona sine alia, non inspiceretur tota simul plenitudo divinitatis: Ergo non videretur Deus visione intuitiva. Demum si divina natura in sola persona Patris subsisteret, quisquis videret essentiam absque Patre, non eam videret intuitive, & prout *est in se*; etenim *in se* non esset essentia nulla terminata hypostasi, sed singulari individuata *supposito*. Igitur cum sit in tribus personis, non videbitur ut est in se, nisi tres personæ videantur simul. Atque hæc omnia militant de Attributis, sive cum divina substantia, sive inter se comparentur.

ARGUMENTA OPPOSITA DILUUNTUR.

Opp. 1. Potest una Persona sine alia incarnari: Ergo potest una Persona sine alia videri.

Resp. nego conseq. tum quia incarnatio sive extraneæ naturæ assumptio fit hypostasi, quæ non est in divina essentia unius generis, sed multiplicis; constituitur enim relatione, non absoluta alia proprietate: at e contra visio habetur ratione summæ & indistinctæ cognoscibilitatis, quæ non alia est divinæ substantiæ ac relationum, sed eadem, unica, inseparabilis. Tum quia Incarnatio est unio divinæ & humanæ naturæ in eodem supposito, non prout natura divina est in se, sed prout est in Verbo, scilicet ut refertur ad Patrem; visio autem intuitiva est unio intentionalis mentis nostræ cum Deo, quatenus *est in se*: id enim postulat ratio visionis intuitivæ. Ceterum hoc argumento nostra corroboratur sententia. Primo quia licet natura humana uniatur hypostatice Verbo, non Patri, propter diversam hypostasim utriusque; opus Incarnationis efficienter est a tota Trinitate, quoniam trium personarum una est potentia & virtus effectrix. Ad hæc si Patris & Filii, quemadmodum est una natura, ita esset eadem subsistentia; Filius absque Patre incarnari non posset: sicuti nequit incarnari Filius, nisi incarnetur Deus sapiens, immensus, omnipotens, & quidquid est a Persona Filii indistinctum: Igitur cum in ratione visibilitatis nullum discrimen in Deo inveniatur, non erit visio ratione aliqua separabilis.

Opp. 2. Potest divino Verbo communicari Essentia non communicata paternitate. Ergo pariter essentia videri potest paternitate non visa.

Resp. Essentiam ac paternitatem rem unam esse, quæ si in se absolute consideratur, vocatur essentia, si connotative & secundum relationem, nuncupatur persona; quæ juxta hanc ideam accepta nedum non communicatur, sed neque communicari potest, cum repugnet inter relativa indistinctio. Quare nego consequentiam; paternitas enim communicatur *essentialiter*, & non communicatur *personaliter*, quoniam repugnat communicari quod dicit ratione sua distinctionem ab alio: at non repugnat essentiam sine personis videri; quinimo si videatur *in se*, videri debet utrumque, eo quod utrumque *in se* est una eademque impartibilis veritas & substantia. Eapropter urgetur contra adversarios argumentum; quandoquidem Filio communicatur essentia, & omne quod communicabile est, omnipotentia, sapientia, immensitas & quidquid habet Pater, hoc excepto quo Pater est, quia Essentia communicatur *ut est in se*: igitur si videatur divina Essentia prout est *in se*, videri debet quidquid est visibile, & ab ea penitus inseparabile.

Opp. 3. In illo priori, in quo Pater Filium generat, perfectam habet beatitudinem, & tamen nondum Filium videt.

Resp. talem esse beatitudinem, quale est illud *prius*, scilicet cogitationis nostræ figmentum. *Cum enim dicitur Filius a Patre genitus, ostenditur ordo, non quo alter sit prior altero, sed quo alter sit ex altero*; ait S. P. lib. 3. contra Maxim. cap. 14. Quamquam si per impossibile in aliquo instanti non esset Filius, videretur tamen a Patre eo modo, quo esset, nempe quam primum a se generandus.

Opp. 4. Divina Essentia sufficiens est beatitudinis objectum: Essent ergo plene beati qui eam tantummodo intuerentur. Ant. probatur, quandoquidem si divina substantia non esset se sola plenum beatitudinis objectum, non esset summum bonum & undequaque perfectum: Est summum, maximum, & undequaque perfectum bonum: Est igitur beatitatis sufficiens, plenumque objectum sola divina essentia.

Resp. dist. ant. Divina essentia est beatitudinis sufficiens objectum, & una res simplicissima cum divinis proprietatibus ac personis; concedo: ab his quoquo modo secreta & separabilis; nego ant. Ad cujus probationem nego majorem: quod enim videri non possit essentia Dei absque relationibus non provenit ex ejus imperfectione, quasi non sit plenissimum maximumque bonum, sed ex perfectione ac simplicitate ejusdem essentiæ a relationibus & proprietatibus prorsus indistinctæ. Quod illustratur creationis exemplo: nam Pater omnipotens est, & tamen absque Filio & Spiritu Sancto Mundum creare non potuit. Id vero non aliunde, nisi quod efficientia & virtus est in tribus personis una & indivisa: atque ut legimus in Symbolo, quod tribuitur Athanasio, est quidem *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus: Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens*. Ab eo quod omnes Personæ sint una res summa, simplex & impartibilis, oritur inseparabilitas beatæ visionis, dicente Augustino: *Neuter sine altero potest ostendi, unum quippe sunt*.

Opp. 5. Absoluta absque relativis cognosci possunt, etiam visione, quam appellant intuitivam; videtur enim in pariete color, & non videtur quomodo parieti inhæreat: videtur in Eucharistia quantitas, & non videtur quomodo existat, videbatur humanitas Christi, & non videbatur illius subsistentia.

Resp. Absoluta absque relativis videri posse quotiescumque non sunt una, eademque simplicissima res, ut in exemplis productis. Nam color inhærens connotat subjectum, a quo est separabilis, quantitas panis in Eucharistia Christi corpus a quo distinguitur, natura humana Verbi personam a qua assumitur. Color ergo, extensio, humanitas Salvatoris videri possunt absolute, etiamsi non videantur connotative, id est, quatenus referuntur ad aliquid a se distinctum. Quod non valet de summa perfectissimaque Dei natura, in qua absoluta & relativa sunt eadem indivisibilis veritas. Præterea nulla est horum exemplorum convenientia, quum neque inhærentia coloris, neque existentia quantitatis in Eucharistiæ Sacramento, neque Verbi Divini subsistentia sint objectum visibile: cum e contra omnis divina perfectio objectum intelligibile sit. Insuper retunditur telum istud. Nam videre nemo potest colorem in se nisi circumstantem videat figuram & magnitudinem, & quisquis hominem aspicit ut est in se, intuetur formam vultus, corporis proceritatem, membrorum aptitudinem, vestimentorum qualitatem, & quidquid oculis objicitur. Similiter itaque divinitatem videns facie ad faciem videre debet Personas, attributa, & quidquid est inseparatum a Deo, & beatorum menti repræsentatur.

Sed forte Peripateticorum improbata sententia, repones nullam esse coloris & quantitatis naturam, quæ alia sit a corporea substantia, & fictitiam esse accidentium, qualitatumque inhærentiam, & tamen unum & idem corpus præcisive videri ac tangi. Verum minus urget in recentiorum Philosophorum systemate argumentatio. Defendunt hi lumen in certa particularum corporis lucidi situm esse motione, & nihil esse præterquam vis in nobis vividum sensum excitandi: corpus autem pellucidum illud esse, quod meatibus undique perviis instructum est; opacum

contra,

contra, quod transversariis pervriisque meatibus caret. Sic alborem in his corporibus ajunt esse, quæ asperitate scabririeque incidentes luminis radios repercutiunt; nigrorem vero in iis, quorum particulæ attritæ admodum & concisæ exceptos radios luminis non reflectunt. Ita ergo diversi videntur colores, aut idem majori, seu minori intensione conspicitur, si minutæ particulæ corporum, vel sint atomi Gassendi, vel subtilis materia Cartesii, diverso pacto concutiantur; ac propterea docent flammæ, quæ admodum lucet, summam celeritatem esse, & vividas scintillas videri in silicis & chalybis collisione. Quantitatem pariter tangi inquiunt, dum tendinum fibræ recipiunt ab externis corporibus impressionem: quæ fibræ cum alicujus sint magnitudinis nequeunt ab exiguis corporibus agitari, unde solida tangimus, non aerem vel halitum. Sed plura de his Rohaultius, Cartesius, Le-Grand, aliique Optices, ac Physiologiæ studiosi. E quorum placitis nequit demonstrari visio præcisiva in summa ac simplicissima re, in qua nullæ sunt partes, quæ excitari possint, vel concuti; neque plures unius spiritus formæ, secundum quas partim sit manifestus, partim reconditus.

Opp. 6. Indistincta est ab Omnipotentia Dei creaturarum possibilium continentia: & tamen videns omnipotentiam non vidut creaturas omnes possibiles. Potest ergo ejusdem rei summæ & inseparabilis separari contuitus.

Resp. dist. antecedens: Et beati vident omnipotentiam absolute, in se, scilicet ipsam divinam substantiam potentem omnia producere, concedo: vident omnipotentiam connotative, nimirum ipsas creaturas separatas a divina substantia, & ab ea producibiles, nego. Recole a me dicta cap. 11. Prop. 2. in resp. ad ult.

Opp. ultimo: Deus est Beatorum speculum voluntarium: Potest ergo Beatis pro suo lubitu unam personam manifestare absque altera.

Resp. dist. ant. Est speculum voluntarium absolute, eo quod gloria beneficium sit gratiæ & divinæ liberalitatis; concedo: in hypothesi quod gloriam conferat, & sese manifestet, subdistinguo, est speculum voluntarium in exhibendo visioni beatorum perfectiones a se indistinctas, quæ sunt *primarium* beatitudinis objectum; nego: Est speculum voluntarium in manifestando creaturas a se diversas, quæ sempiternæ gloriæ objectum sunt *secundarium*; concedo. De hoc *secundario* objecto dictum supra. Quæ autem aliqui hic inferunt de cognitione possibilium in Verbo constant ex his, quæ supra disseruimus de Comprehensione cap. 11. hujus libri. In quo si plura obscuro dicendi genere fuere quæsita, manifestabuntur in Ecclesia Sanctorum, & in cælesti Jerusalem, cujus fundamenta in montibus altis. Utinam eo pervenire mereamur virtute duce, de qua Hesiodus:

Et longa huc & celsa simul via ducit euntem,
Ardua principio; sed ubi est ad culmina ventum,
Incipiet molli sese submittere clivo.

S C H O L I O N.

„ BEatos Deum videntes intueri illum clare, sicuti
„ est, Unum scilicet ac Trinum, atque, ut Schola-
„ stici loquuntur, primarium beatificæ Visionis objectum
„ esse quidquid in ipso Deo *formaliter* continetur, extra
„ omnem controversiam positum est. Id enim testatur
„ Joannes Epist. 1. cap. 3. *Videbimus eum sicuti est*: idem
„ definit Tridentinum Concilium sess. ult. sive in Lit.
„ Unionis, Decreto de Purgatorio: idemque demonstrat
„ evidens ratio, quoniam in Patria videbimus *facie ad fa-*
„ *ciem* quod modo contemplamur per fidem, quemadmo-
„ dum ajebat Psalmista Ps. 47. *Sicut audivimus, sic vidi-*
„ *mus in Civitate Domini virtutum*, affirmat Apostolus
„ 1. ad Corinth. cap. 13. docetque magnus Augustinus
„ *de Videndo Deo cap.* 18. Quia insuper Deus est sua Es-
„ sentia, sua virtus, sua potentia, suum denique quidquid
„ est; quisquis perspicue ipsum intuetur, *ut est in se*,
„ cernit procuIdubio unitatem divinæ Naturæ, Trinita-
„ tem Personarum, perfectionem attributorum. Neque
„ horum, seu, ut castigatius loquar, hujus incommutabi-
„ lis substantiæ, quæ est suum esse, potest separari visio
„ beata: nam si Deus est sua unitas, sua trinitas, sua
„ omnipotentia, sua voluntas, suum quidquid est: quo-
„ modo, obsecro, videri posset, *ut est in se*, nisi videa-
„ tur ut unus, ut trinus, ut omnipotens, ut liber, ut
„ simplex Perfectio perfectionem omnem comprehendens?
„ Profecto nisi ita videatur, non videbitur *ut in se est*.
„ Incunctanter itaque dicamus cum Augustino in Ps. 84.
„ *Ubi non unius separatur natura & substantia, visio sepa-*
„ *rari non potest*: nec diutius in quæstionibus, quæ mul-
„ tum dissidii afferunt, & parum utilitatis, otiosa inquisi-
„ tione immoremur.



DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER QUARTUS,

In quo agitur de altitudine divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.



UOMODO mundi corde ex rebus aspectabilibus, ex incommutabili lumine veritatis, ac tandem prope & revelata facie Deum videant, superioribus libris declaravimus. Inquirendum nunc est, quomodo Deus universarum creaturarum suarum existentiam, affectiones, motum, vicissitudinem, intimasque percipiat cogitationes. Qua in re nobis videtur jure exlamandum: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* cum Apostolo ad Romanos XI. 33. est enim abyssus multa, & impenetrabilis Dei scientia. Cum tamen *divitiarum* thesaurique notetur appellatione, quod ipsa illuminet abscondita tenebrarum, disertas reddat linguas infantium, disponat omnia suaviter, & per eam erumpant fontes, nubesque rore concrescant; cumque ipsa clamitet in plateis, in foribus, in capite turbarum, ut si quis sitit, veniat ad illam, & bibat: humiliter quidem ad ipsam Dei scientiam nobis est accedendum propter abyssi profunditatem, alacri tamen animo ob affluentiam thesauri, & uberrimam copiam divitiarum. Accedamus itaque consectantes vestigia illius, qui Sap. VIII. 9. ajebat: *Proposui hanc adducere mihi ad convivendum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis, & tædii mei.*

CAPUT I.

Ostenditur in Deo esse plenitudinem scientiæ, quam a divina substantia sola ratio humana distinguit, dum illam ad varia comparat objecta.

SCIENTIÆ vocabulo non venit hoc loco constans notitia sensuum ope, aut ratiocinio parta, quæ cum menti accedat, illamque perficiat, non debet in summa perfectissimaque substantia Dei cogitari: sed venit permanens absque hæsitatione cognitio, cui neque error subesse valeat, nec fluctuatio. Quam cognitionem soli negare audent athei, qui superos terrenarum rerum regimen, curam, prævidentiam & cogitationem habere negant,

Dis indigna putando, alienaque pacis eorum,

ut scribit lib. VI. Lucretius. Nos vero qui omnia sapientia Dei regi, & providentia gubernari firmissima fide tenemus, Theologicis de scientia Dei disquisitionibus dare operam constituimus.

PROPOSITIO I. Est in Deo omnis plenitudo Scientiæ.

Ita divinæ Scripturæ, Patres, ratio, & Gentium quoque Sapientes demonstrant. Ex scripturis hæc sunt apertissima: I. Regum II. 3. *Deus scientiarum Dominus est*. Job XII. 3. *Apud ipsum est sapientia & fortitudo: ipse habet consilium, & intelligentiam:* & XXVIII. 12. *Sapientia vero ubi invenitur? Et quis est locus intelligentiæ?... Deus intelligit viam ejus, & ipse novit locum illius.* Psalmo CXXXVIII. 5. *Ecce, Domine, tu cognovisti omnia novissima & antiqua.* Esther XIV. 14. *Domine, qui habes omnem scientiam.* Sap. VII. 15. *Ipse sapientiæ dux est, & sapientum emendator.* Plura sunt hujus generis in eodem, & seq. cap. Eccl. XLII. 19. *Cognovit Dominus omnium scientiam*. Ad Rom. XI. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!* Et ad Colos. II. 3. de Christo, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi*. Idem docent PP. sequenti proposit. laudandi.

Ratione probatur propositio: Nemo inveniri potest, qui ignoret Deum esse quo melius cogitari non potest. Ergo nemo inveniri potest, qui ignoret Deum omnia scientem ac sapientissimum esse; cum sapientia præcipua sit rerum perfectio. Deinde quidquid perfectionis reperitur in rebus conditis, eminenter existit in Deo: In Angelis & hominibus a Deo productis reperitur scientia: Ergo scientia modo eminenti, scilicet absque sensu & discursu, reperitur in Deo. Præterea Deus est substantia vivens materia & corpore expers; Vita substantiæ expertis corporali materia est in Deo; & consequenter scientia, cum in Deo actus & consequenter scientia, cum in Deo actus & operatio a facultate seu potentia nequeat sejungi.

Fatentur hoc idem Ethnici scriptores. Plato in Parmenide, Proclus cap. 21., Jamblicus Segment. I. cap. 15. Simplicius in Epict., Arrianus qui de hoc argumento egregiam instituit disputationem, Menander qui apud Clem. Alex. lib. 5. Strom. Deum vocat oculum omnia cernentem. Cujus rectæ appellationis indicium quoque est etymologia hujus nominis *Deus*, quod derivatum diximus lib. II. cap. I. a *θεάομαι*, *specto*, *cognosco*. Pervulgatum quoque est etymon nominis *Daimon*, quo veteres Divos appellant, quasi *δαήμονας*, *scientes* a themate *δάω*, *scio*. Ægyptii denique fingentes auream oculi imaginem in templis appendebant, in symbolum providæ, quæ omnia circumspicit, divinitatis.

Oppones: Hæc omnia nihil efficiunt; non textus Scripturarum, nam hi tribuunt etiam Deo humana membra, pœnitudinem, & iram; quæ tamen non sunt in Deo nisi metaphorice: non Patres, quum Augustinus Quæst. 2. ad Simplic. asserat scientiam *pertinere ad ea, quæ sensibus corporis experimur:* non ratio, quoniam scientia est quidem perfectio, sed per demonstrationem & per caussam comparata, quæ duo in Deo locum non habent: Falsum est ergo Deum optimum maximum cuncta cognoscere.

Resp. nego ant. Et ad probationem dico pœnitentiam, iram, & cetera istiusmodi significare animi perturbationem ac motum, sicut & corporalia membra materiæ extensionem, quæ substantiæ spiritali, & immutabili repugnant, quod affirmari non debet de sapientia: quamvis pœnitudo & ira si possint percipi sine hac animi turbatione miro & ineffabili quodam modo in Deo esse dicantur apud Augustinum. Is ad Simpl. Quæst. 2. negat in Deo scientiam, qua sensa & intellecta memoria retinemus, quum neque Deus sentiat, neque in eum subrepat mutabilitas longe ab ipsius substantia removenda. Ceterum S. Pater ibi scientiam Dei esse docet *vivacitatem certæ atque inconcussæ veritatis, una atque æterna contemplatione cuncta cernentis*. Porro humana scientia mutabilitatem habet, ac transitus quosdam a cogitatione in cogitationem, cum recolimus, ut cernamus animo quod in ejus contuitu paullo ante non erat; ideoque comparatur demonstratione, & caussam agnoscit. Quæ si dempsero de humana scientia, *insinuatur mihi utcumque scientia Dei*, ait S. Pater.

PROPOSITIO II. Divina scientia est eadem Dei substantia connotans intelligibilia objecta, ex quorum diversitate varia sortitur nomina unam rem significantia, distinctam vero sola terminorum ratione.

Adstruitur hæc propositio primum divinis literis, quæ Dei sapientiam quasi rem subsistentem describunt sæpenumero, præsertim Prov. VIII. 2. *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram.... Ante colles ego parturiebar.... Delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore... &c.* unde rectissime divini Verbi probatur cum Patre indivisa substantia. Et Sap. VII. 22. sapientia appellatur *Spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex, subtilis, &c.* Secundo SS. Patrum auctoritate: Augustinus Tract. 99. in Joannem ait: *Ideo non est ista substantia, cui hoc non est esse quod nosse: potest enim esse nec nosse. At illa divina non potest; quia id quod habet est. Ac per hoc non sic habet scientiam, ut aliud sit illi scientia qua scit, aliud essentia qua est, sed utrumque unum est: nec utrumque dicendum est, quod simpliciter unum est.* Cyrillus lib. XXXI. Thes. *Quum confessione omnium simplex sit, non est aliquid ab eo diversum ipsius cognitio.* Bern. lib. V. de Considerat. cap. 5. *Dicimur amare, & Deus, dicimur nosse, & Deus: sed Deus amat ut caritas, novit ut veritas.* Circumfertur & Synesii sententia in lib. de Insomniis: *Intelligentia est ipsa Dei substantia.* Ratione idem probatur; nam si Deus foret sapiens participatione veritatis, non perfectione substantiæ, esset & compositus & mutabilis. Deo compositio & mutabilitas quæque repugnat: Ergo Deus substantialiter sapiens est, non veritatis, ut D. Bernardus loquitur, *particeps*.

Consequitur ex dictis sapientiæ Dei omnia convenire attributa, quæ de natura divina enunciantur. Quare Sap. VII. dicitur spiritus intelligentiæ *Sanctus*, nulla mentis contagione inquinatus: *Unicus & multiplex*, simplicissimus ex parte Dei, & late se per omnia genera rerum diffundens: *certus*, & nulli obnoxius errori; *subtilis*, & cuncta pervadens: *omnibus mobilibus mobilior*, & rebus omnibus motum tribuens ac directionem: *Candor lucis æternæ & speculum sine macula*, absque concretione terrena, & nube corporei sensus; *Omnia potens*, energia & virtute: *in se permanens*, immutabilitate perpetua: *omnia innovans*, multiplici efficientia.

Quæ cum ita sint; varias, quas tradunt Theologi Scientiæ divinæ partitiones, nos in ordine ad diversa objecta & connotata explicabimus. Ac primo dicenda erit *sapientia*, quatenus pertinet ad scrutationem rerum æternarum, in quibus tanquam in caussis etiam mutabiles creaturæ præcontinentur: *Scientia* vero dicetur, prout alia a se Deus contemplatur, & intuetur. Dicitur *speculativa*, quatenus est cognitio objecti non operabilis, ut scientia sui ipsius, rerum possibilium, malorum culpæ. *Practica* e contra, quatenus est cognitio objecti operabilis, ut scientia mundi e nihilo producendi, bonorumque operum divino auxi-

lio perficiendorum. Distinguunt præterea Theologi divinam scientiam in *liberam*, *& necessariam*; quarum prima est, quæ pro objecto habet quidquid pendet a libero decreto Dei; & talis est scientia creaturarum existentium: Altera est, quæ omne dectetum Dei antecedit, & habet pro objecto creaturas tantum possibiles. Postremo alia est scientia *simplicis intelligentiæ*, alia scientia *visionis*. Scientia *simplicis intelligentiæ* est ea, quæ versatur circa res, quæ non existunt, neque extituræ sunt, ut cognitio rerum possibilium, quæ abstrahunt ab omni *futuritione*, & ab omni existentia. Scientia *visionis* est illa, quæ versatur circa res in aliqua temporis differentia existentes, ut cognitio rerum præsentium, futurarum, præteritarum. Inter scientiam *visionis*, *& simplicis intelligentiæ* statuunt aliqui scientiam futurorum conditionatorum, quæ a nullo dependent efficaci & absoluto decreto: & hæc est celeberrima *Scientia media*, de qua postmodum. Nam hic de scientiæ Dei a divina substantia indistinctione tractandum erat.

CAPUT II.

An aliquid sit, quod scientiam Dei subterfugiat.

QUÆRUNT Theologi num Deus omnia revera cognoscat, semetipsum, creaturas possibiles, præteritas, existentes, futuras, peccata, cordium cogitationes, & humanæ mentis figmenta: atque de his omnibus disputationem instituo.

PROPOSITIO I. Deus semetipsum cognoscit, atque comprehendit.

Cognoscere semetipsum probatur ex sacris literis: Joannis X. 15. *Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem.* I. ad Corinth. II. 10. *Spiritus Dei scrutatur omnia, etiam profunda Dei.* Probatur auctoritate Augustini lib. XV. de Trinit. cap. 14. *Novit omnia Deus Pater in seipso, novit in Filio, sed in seipso tanquam seipsum, in Filio tanquam Verbum suum, &c.* Probatur ratione: Necesse est ut primæ Menti propositum sit præstantissimum intelligibile: Deus est prima mens: Ergo propositum est illi præstantissimum intelligibile: At nihil seipsa præstantius habet: Ergo semetipsam intelligit. Ex quo argumento illud infertur, quod Deus est scientiæ suæ objectum, ut Scholastici appellare consueverunt, *primarium, ac specificativum*.

Se autem Deum comprehendere sic ostendo. Comprehensio est infinita cognitio, in qua nihil latet videntem: Spiritum, qui scrutatur etiam profunda Dei, nihil latet. Ergo Dei Spiritus Deum comprehendit. Rursus *Sapientiæ Dei non est numerus*, ut habetur in Psalm. 146. Igitur nulla terminatione sapientia Dei circumscribitur. Præterea in eo sita est natura comprehensionis, ut præter essentiam rei tota ejus percipiatur efficientia, ut dixi lib. III. cap. II. Prop. 2. Deus videt seipsum, ut probatum est nuper, & quidquid ad ejus efficientiam attinet, ut mox dicetur: Semetipsum ergo comprehendit. Et denique Divina scientia nequit cogitari præstantior: At posset, nisi propriam divinitatem comprehenderet: Comprehendit igitur.

Opp. I. Scientia & omnipotentia idem sunt: Nequit omnipotentia habere pro objecto ipsum Deum: Ergo illiusmodi objectum nequit habere scientia.

Resp. Nullum discrimen esse inter scire & posse Dei. Ratione nostra secernuntur, quod substantiam intelligentem & connotantem cognoscibilia vocamus scientiam: & substantiam potentem creaturas producere appellamus omnipotentiam. Igitur distinguo majorem. Idem sunt substantialiter & in re, concedo: ratione objecti & connotati, nego. Alii respondent hanc esse disparitatem, quoniam scientia est actio immanens, omnipotentia transiens, ideoque objectum scientiæ potest esse intrinsecum cognoscenti.

Opp. 2. Quidquid comprehenditur, *scientis comprehensione finitur*, ait S. P. lib. 12. de Civit. Dei cap. 18. Deus nulla tatione finitur: Ergo Deus nulla ratione comprehenditur.

Resp. dist. ma. Finitur negative, nempe nihil penitus superest quod lateat videntem, concedo: Finitur positive, scilicet attingitur ultimus terminus visibilis, subdistinguo; dum comprehenditur objectum numero ac termino circumscriptum, conc. nulla limitatione coarctatum, nego.

PROPOSITIO II. Nulla est creatura sive possibilis, sive futura, sive præterita, sive extans nunc, quæ Dei subterfugiat scientiam.

Prob. I. ex Scripturis, Eccl. XXIII. 29. *Domino enim antequam crearentur, omnia sunt agnita; sic & post perfectum respicit omnia.* In Epist. ad Hebr. IV. 3. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus.* Huc spectant quæ Prop. I. Cap. præcedentis commemoravi. II. Ex PP. Clemens Alexandrinus lib. VI. Strom. *Deus*, inquit, *omnia novit non solum, quæ sunt, sed etiam futura, & quemadmodum erit unumquodque, ac particulares motiones prævidens, &c.* S. P. Aug. lib. XII. de Civit. Dei cap. 20. *In una Dei sapientia esse immensos quosdam atque infinitos thesauros rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum etiam visibilium, & mutabilium, &c.* III. Probatur ratione: Deus videt quæ a sua voluntate dependent, quæ ad ipsius quoquo modo spectant efficientiam, quæ in ejus aut arte, aut idea, aut decreto quomodolibet continentur: Nihil fuit unquam, nihil erit, nihil esse potest, quod non pertineat ad vim effectricem Dei, ad ejus artem, voluntatemque: Ergo nihil est quod divinam possit latere scientiam.

Opp. I. Beatus Hieronymus in I. Caput Habacuc ait: *Ceterum absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula quot nascantur culices, quotve moriantur: quæ cimicum, & pulicum & muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus majorum prædæ cedere debeant.* Non ergo Deus habet rerum minimarum cognitionem.

Resp. dist. conf. Non habet rerum minimarum cognitionem simplicem, nego: cognitionem providam, subdist. cum amore studioque particulari conjunctam, qualem habet de nobis conc. universalem, quam postulat singularum creaturarum conditio, nego. D. Hieronymum denegare solam specialem curam, providamque ac sollertissimam rerum minimarum inspectionem, qualem Deus habet hominum, quibus & angelorum custodiam deputat, & innumera gratiarum dona largitur, non vero detrahere generalem dispositionem, ac ordinem, ex verbis patet, quæ immediate præcedunt & subsequuntur. Subdit namque: *Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eamdem rationabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicentes.* Atque hæc præmiserat: *Sicut igitur in hominibus etiam per singulos Dei currit providentia; sic in ceteris animalibus generalem quidem dispositionem, & ordinem cursumque rerum intelligere possumus.* Neque Hieronymus aliter sentire potuit, qui Epist. III. miratur Creatoris sollertiam *in minutis quoque animalibus formica, culice, vermiculis, & istiusmodi generis, quorum magis scimus corpora, quam nomina.*

Opp. 2. Futurarum rerum cognitio dicitur præscientia: In Deo nulla præscientia est, ut docet S. P. Augustinus in lib. II. quæst. ad Simplicianum q. 2., Greg. Magn. lib. XX. Moralium cap. 23. aliique apud Petavium lib. IV. Theol. Dogm. c. VI. Ergo in Deo nulla est rerum futurarum cognitio.

Resp. dist. minorem: In Deo non est præscientia, quæ rerum accessione perficitur, & qua objecta bis innotescunt, & prænoscendo antequam sint, & cognoscendo cum jam sunt, conc. In Deo non est præscientia, qua immutabiliter omnia, quasi nunc gerantur, in sua simplici cognitione considerat, nego minorem. *Nam & confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum apertissima insania est*, inquit S. P. Aug. in V. de Civit. Dei cap. 9.

Opp. 3. Paritur cognitio a potentia & objecto: Igitur si Deus cognoscat creaturas, istæ erunt caussa divinæ scientiæ.

Resp. dist. ant. Paritur cognitio ex objecto, tanquam termino, conc. tanquam vi effectrice, nego.

PROPOSITIO III. Neque latent divinam scientiam futura quælibet contingentia & conditionata.

Futura contingentia ea sunt, quæ certam non habent & imperturbatam connexionem cum caussis, sed vel libere pendent ab hominum voluntate, ut peccata; vel extra ordinem rerum eveniunt, ut monstra & ostenta. Conditionata vero sunt, quæ non erunt reapse, essent tamen, si certa poneretur conditio, ut Tyriorum pœnitentia, si Christi vidissent miracula: vel reipsa erunt certa conditione posita, ut negatio Petri si ab ancilla tentabitur.

Probatur assertum de futuris contingentibus contra Crellium, Wolzogenium, aliosque Socinianos, I. Scripturarum oraculo. *Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum*, legitur in Ps. XXXII. 15. *Signa & monstra scit antequam fiant & eventus temporum & sæculorum*, Sap. VIII. 8. Isaiæ 48. 8. *Scio quia prævaricans prævaricaberis.* Et cap. XLI. 23. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos.* II. Probatur ex PP. Augustinus lib. V. de Civit. Dei cap. 9. & 10. ubi Ciceronem Dei præscientiam negantem refellit, inter plurima hæc habet: *Deo certus est omnium ordo caussarum &c.* Origenes apud Euseb. in III. de Præp. Evangelica: *Quidquid aliquando futurum est, id Deum multo ante futurum prænosse, ut scripturæ abesset auctoritas, vel ipsamet ex Dei notione is profecto demum intelligat, qui probe vim illam & excellentiam divinæ mentis intelligit.* Cyrillus Alex. lib. IV. in Isaiam, *Deo natura convenit omnem habere & jam præteritorum & futurorum notitiam &c.* III. Probatur ratione; ac primum Deus non semel hujusmodi futura prædixit, ut regnorum eversionem, Messiæ adventum, vocationem Gentium, infidelitatem Judæorum, templi abominationem; & his longe plura; Ergo prænoverat; atque ut scribit Tertullianus lib. 2. contra Marcionem c. V. divinæ præscientiæ tantos habemus testes, quantos ipse fecit Prophetas. Rursus sapientissimus artifex optime noscit quidquid elaboratis a se operibus potest contingere: Deus omnia in sapientia constituit: Novit ergo, ut scribit Ambros. lib. V. de Fide, suorum operum virtutem, caussam, efficientiam, & quidquid potest inde prodire. Huc spectant argumenta, quæ petuntur ex idea comprehensionis, & omnia superiorum Propositionum.

De futuris, quæ talia sunt, si certa ponatur conditio, exhibet nobis argumenta Dei verbum lib. Sap. cap. IV. II. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Præscivit ergo Deus quosdam, quos ex hac vita immatura morte subtrahit, crimina,

mina, si diutius viverent, patraturos. Legimus quoque 1. Regum cap. XXIII. 11. Davidi dum consuleret Dominum, *Si tradent me viri Ceila in manus ejus*, id est Saul, respondisse Dominum, *Tradent*. Pervulgata est etiam prædictio futuræ pœnitentiæ Tyriorum & Sydoniorum, si Christi opera ac virtutes vidissent, Matth. XI. 21. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.*

Multa sunt Augustini loca contra Pelagianos disputantis, quæ egregie hanc veritatem confirmant, veluti in lib. de dono perseverantiæ cap. XI. *His quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus noluit subvenire, non subvenisse: de quibus in sua prædestinatione occulta quidem, sed aliter judicavit.* Et lib. de Corrept. & Gratia cap. VIII. *Respondeant si possunt, cur illos Deus cum fideliter & pie viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animam eorum? Utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? nempe nihil horum nisi perversissime atque insanissime dicitur.* Idem docet Prosper in Responsione VIII. ad Excerpta Genuensium, Cyrillus lib. III. contra Julianum, Gregorius Magnus lib. XXXIII. Moral. cap. 17. nunc 19. Bernardus serm. de Innocentibus, Chrysostomus lib. 1. ad Stagirium, Gregorius Nyssenus orat. de Infantibus, qui morte rapiuntur acerba, Magnus Leo serm. XVI. de Pass. cap. 2. Ratramnus Monachus lib. 2. de Prædestinat. & alii unanimiter.

Quædam circa divinarum prædictionum veracitatem, quæ a Socinianis objiciuntur, vide lib. II. cap. VII. Proposit. unica. Præter ea rursus oppones. Futura libera, quæ ab hominum pendent arbitrio, quamfrequenter Deus cum dubitatione prænunciat, ut Jeremiæ XXVI. 3. *Si forte audiant, & convertantur unusquisque a via sua mala.* Ezech. II. 5. *Si forte vel ipsi audiant, & si forte quiescant.* Joel II. 14. *Quis scit, si convertatur & ignoscat:* Matth. XXI. 37. *Verebuntur filium meum.* Joan. VIII. 19. *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis, &c.*

Resp. hæc & similia humano more dicta esse, scilicet ut homines loqui solent monita, doctrinamque adhibentes, atque ad probandum liberum hominis arbitrium: unde Hieronymus in locum cit. Matth. *Nostro*, inquit, *loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium.* Et in Ezech. *Loquitur autem hæc Deus ambigentis affectu.* Adverte, quandoquidem iste incidit sermo, adverbia dubitandi non semper importare incertitudinem. Ostendunt aliquando sollicitudinem, & spem erigunt, ut Exodi XXXII. 30. Moses, qui tamen firmissime volebat orare pro populo, ait: *Ascendam ad Dominum, si quomodo quivero eum deprecari pro scelere vestro.* Et hoc sensu ait Deus per Joelem: *Quis scit si convertatur & ignoscat?* Quandoque expletivæ particulæ sunt, quasi *utique, sane*, præsertim ubi in Græco respondet cum aoristo indicativi ἄν, *Si*, ut docet Priscianus: quod locum habet Joannis VIII. 19. quorum verborum sensus est: *Si me sciretis, utique Patrem meum sciretis*, ut adnotavit Salmeron tom. 1. pag. 320. Sæpenumero non dubitationem, sed rei difficultatem designant, ut Paulus ad Philipp. III. 15. *Si quo modo occurram ad resurrectionem.* Nam numquam de mortuorum resurrectione Paulus dubitavit. Hæc tamen valent potissimum ex parte Dei, sive ejus certissima revelatione supposita: & recte Augustinus tract. XXXVII. in Joannem: *Dubitationis*, inquit, *verbum est, quando dicitur ab homine, ideo dubitante quia nesciente: cum vero dicitur a Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.*

Opp. 2. Quæ contingenter futura sunt determinatam veritatem non habent: Nequeunt ergo a Deo prævideri.

Resp. dist. ant. Veritatem non habent determinatam in mente Dei, in qua immutabili æternitate consistunt quæcunque in tempore mutabili contingentia prætereunt, nego: in secundis caussis mutabilibus subdistinguo, pro futuro tempore, quo dubio procul aut evenient, aut non, nego; pro tempore præsenti, quo apud homines futurorum ignaros manent suspensa, concedo. Contingentia esse determinata, ut inquiunt, in *actu signato*, sive pro tempore, quo eveniunt, demonstrant argumentis pluribus Dialectici. Nolo ea repetere. Alterum addo apertissimum. *Nullum arbitror esse dicturum, quod quæ nunc fiunt, antequam fierent, eventura non fuerint;* inquit lib. v. de Consolatione Boetius. Quæcunque autem nunc fiunt, nunc determinate sunt vera. Atqui plura fiunt nunc contingenter, ita ut potuerint non fieri: ergo antequam fierent, & quando contingentia futura erant, habebant determinatam veritatem in *actu signato*, & pro tempore præsenti, quo jam actu sunt. Vide nostrum Ariminensem dist. XXXVIII. quæst. 1. art. 2. concl. 1. & quæst. 2. art. 1.

Insistes. Non alia ratione probant Dialectici futuris contingentibus determinatam veritatem inesse, nisi disjunctive, scilicet demonstrando quod vel non erunt, vel erunt, cum necesse sit ex duabus propositionibus contradictorie oppositis unam esse veram, alteram falsam. Ergo, inquit antiquus Theologus Aureolus, cognosci possunt a Deo futura contingentia tantummodo disjunctive; nempe id tantum noscit Deus, quod vel erunt, vel non erunt.

Resp. Ratiocinari Dialecticos de veritate quatenus apprehenditur a mente beata, quam latet nexus caussarum, ac temporum fluctuatio; non ut percipitur a mente divina minime obnoxia falsitati, & certos rerum eventus firmiter intuente. Alioquin erit nullum inter Dei, hominumque scientiam discrimen; ut bene ac sapienter in v. de Consol. Pros. III. Boetius: *Quæ est hæc præscientia, quæ nihil certum, nihil stabile comprehendit? Aut quid hoc refert vaticinio illo ridiculo Tiresiæ? Quidquid dicam, aut erit, aut non. Quid etiam divina providentia humana opinione præstiterit, si, uti homines, incerta judicat, quorum est incertus eventus?*

Opp. 3. S. P. Augustinus, Prosper, & Fulgentius scientiam conditionatorum rejiciunt.

Resp. dist. ant. Rejiciunt in sententia Pelagianorum, qui electionem Dei commentitiis meritis subjiciebant, asserentes homines prædestinari ex præscientia bonorum operum naturæ viribus, non gratiæ auxilio perficiendorum, & in sensu Semipelagianorum, qui affirmabant ex duobus parvulis unum non alterum consequi gratiam baptismatis, quod præsciret Deus illum non illum, si vixissent, fore sibi obtemperaturum; concedo: Rejiciunt hi Patres scientiam conditionatorum in sententia Catholica, quæ docet præscire Deum futura conditionata, si certa ponatur conditio, quam nos in operibus naturalibus liberis contendimus esse determinationem voluntatis sese ad agendum applicantis, & in supernaturalibus auxilium divinæ gratiæ; nego antecedens.

PROPOSITIO IV. Deus intimas cujusque creaturæ rationalis scrutatur cogitationes, & quæcunque peccata.

Sequitur ex enucleatis hucusque; & hæc possunt addi: Ps. LXVIII. 6. *Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea a te non sunt abscondita.* Et CXXXVIII. 3. *Intellexisti cogitationes meas de longe.* Job XXXI. 4. *Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* Jerem. XVII. 10. *Ego Dominus scrutans cor, & probans renes, &c.* Vide & Ephrem Syrum tractatu de vita spirituali, Ambrosium lib. 1. de Off. cap. 14. Hilarium in Psal. 137. Bern. Epist. 42. Prosperum Sent. 379. qui omnes subscribunt Augustino dicenti lib. III. de lib. arb. cap. 4. *Deus prævidet eos qui propria voluntate peccabunt, &c.* Suffragatur & ratio; nam cordium cogitationes vel ad bonum sunt, vel ad malum: si ad bonum, ab ipso Deo præmovente efficiuntur; si ad malum, permittuntur, sinente Deo, ut mutabilis creatura sponte ab incommutabili bonitate deflectat. At novit Deus quidquid misericorditer operatur, providoque consilio permittit: Ergo, &c.

Opp. 1. Habacuc 1. 13. legitur: *Mundi sunt oculi tui ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Et Matth. XXV. 12. fatuis virginibus respondetur a Sponso: *Amen dico vobis, nescio vos.* Igitur reprobi eorumque mala opera a Deo minime cognoscuntur.

Resp. dist. cons. Mala reproborum opera non cognoscuntur a Deo scientia practica, & approbationis, concedo; Scientia simplici, & speculativa, nego. Prophetam Habacuc de priori scientia loqui satis constat; miratur enim cur Deus patiatur Chaldæos tanta perpetrare flagitia, & victorias suis idolis referre. Addit propterea: *Quare respicis super iniqua agentes, & taces devorante impio justiorem se?* id est, cur pateris, cur hæc permittis? Legebatur ante Sixtinam correctionem: *Quare non respicis?* & idem sensus est, scilicet, quare non punis, non vindicas? In Evangelio pariter ea verba, *nescio vos*, æquivalent his, *vos pro meis non habeo*. Frequens est in sacris Bibliis hæc phrasis, & scientia approbationis designatur Psalm. 1. 6. *Novit Dominus viam justorum.* 2. ad Timoth. II. 19. *Cognovit Dominus qui sunt ejus*; & alibi, Hebræorum more, qui hac significatione usurpant verbum ידע, *novit*.

Insurges. Genes. XXII. 12. ait Dominus ad Abraham: *Nunc cognovi quod times Deum.* Ergo ante immolationem Isaac de ejus fide & obedientia anceps erat.

Resp. nego conseq. Sensus enim prædictorum verborum est, nunc experimento comprobatum feci quod Deum timeas. Primo quoniam consueta est phrasis hæc in Scripturis, ut Jeremiæ XXIV. 5. *Si cognoscam transmigrationem Juda, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum, in bonum.* Deinde quia antea Genes. XVIII. 19. dixerat Deus se optime Abrahami probitatem novisse. Demum, quia ita hunc locum intelligunt S. P. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 12. & lib. LXXXIII. quæst. Q. LX. Ambrosius lib. v. de Fide ad Gratianum cap. VII. & VIII. Hilarius libro IX. de Trinitate, aliique plurimi, qui nobis in obscurioribus Scripturæ locis facem præferunt.

Opp. 2. Peccata nihil sunt: ergo omni carent cognoscibilitate.

Resp. dist. consequens, carent cognoscibilitate intrinseca, qua cognoscantur tanquam aliquid positivum a caussa efficiente productum, concedo: carent cognoscibilitate extrinseca, qua videantur tanquam aliquid privativum in caussa a veritate, ac bonitate deficiente, nego. Diximus libro 1. capite VIII. Propositione 2. disputantes adversus Manichæos malum non esse substantiam aliquam, sed secundæ caussæ a recta ratione deficientiam. Quare ut malum cognoscatur, sufficit si videatur caussa secunda a justitiæ tramite, & regula veritatis deflectens.

ctens. Vide quæ illic disseruimus, & clarissimum Ægidium in 1. dist. 36. quæst. IV.

Eadem ratione cognoscuntur a Deo impossibilia, idola mentis, quæ dicimus *entia rationis*, & privationes quæcunque. De his Scriptor de Divinis nominibus cap. 2. ait dignosci formis oppositis, ut per ideam lucis notescunt tenebræ; quod Scholæ dicunt cognosci *indirecte & oblique*. Nolumus hic quæstionem miscere, quo in medio hæc omnia videantur a Deo. Jam cuncta ab illo cerni liquido comperimus, & cum Boetio lib. v. Metro II. fidelissime profitemur:

Uno mentis cernit in ictu
Quæ sint, quæ fuerint, veniantque.
Quem, quia respicit omnia solus,
Verum possis dicere Solem.

CAPUT III.

Num Dei præscientia cum animorum libertate consistat.

TETERRIMA ex opinione Democriti portenta errorum exorta, norunt quotquot veterum scita legerunt. Cum enim ille censeret a caussis antecedentibus pendere omnia, & tali colligatione conserte fieri, ut nec quidquam esset penes nos, & cuncte necessitate contingerent; jecit semina inevitabilis dispositionis & fati, quod vertente quarto sæculo in siderum impulsu statuit Priscillianus Hispanus genere, & Manichæorum & Gnosticorum dogmate imbutus. Ex quo fonte Joannes Us, & qui post illum ausi sunt inficiari libertatem arbitrii, quod everti putant ex certa supernarum caussarum ratione, pus venenumque biberunt. Ubi de antiquis Philosophorum placitis, præsertim Heracliti & Democriti disseruit ornatissime Marcus Cicero in lib. de Divinatione & de Fato; ne fatalem illorum fateretur necessitatem, setius esse existimavit si superiorum caussarum diathesin, divinamque præscientiam negaret. Atque ita, *ut homines faceret liberos*, inquit S. P. lib. v. de Civit. Dei cap. 9., *fecit sacrilegos*, idest incaute sublulit summi Dei cognitionem & cultum: quandoquidem non est Deus, qui universorum ordinem non comprehendit. Jam vero vindicata nuper Scientiæ Dei plenitudine, rejicienda est Gnosticorum & Hussitarum mala consecutio, quod ex præscientie consurgat contingentium necessitas, & interitus libertatis.

PROPOSITIO: Ex divina præscientia non consequitur inevitabilis contingentium eventus.

Dogma illud Fidei probatur 1. In Dei scientie nihil est præteritum, vel futurum, sed sola incommutebilis æternitas, in qua nihil mutatur, nihil succedit; est autem successio quælibet & mutatio in rebus temporalibus & creatis. Quare Deus unico & indivisibili intuitu videt præterita, futura, ac præsentia, neque illi est eliquid futurum aut præteritum, sed præsentie sunt omnia, ut videbimus cap. sequenti. Atqui scientie qua cognoscitur eliquid præsens, sive præteritum nullam infert rebus necessitatem: Ergo nullam necessitatem infert Præscientia, qua Deus cognoscit futura. Hoc argumento utitur S. Anselmus in libro de Concordia Præscientiæ Dei cum libertate, Boetius lib. v. de Consolat. Prosa 4. & S. P. Augustinus lib. III. de lib. arbitrio cap. 4.

Secundo. Si præscientia tolleret libertatem, hoc esset quoniam Deo infallibiliter certus est ordo omnium caussarum: At ex quo Deo infallibiliter certus sit ordo omnium caussarum, non infertur libertatis exitium: Ergo non tollit libertatem Dei præscientia. Prob. min. In serie & ordine omnium caussarum sunt caussæ liberæ, & hominum voluntates: Ergo ex quo cognoscat Deus ordinem omnium caussarum, cognoscit quoque multa fieri a caussis liberis & ab hominum voluntate. Argumentum est S. P. Augustini lib. v. de Civit. Dei cap. x.

Præterea: Deus proculdubio videt quidquid est ipse facturus, & hæc scientia non affert Dei operibus necessitatem; Si enim necessitatem inferret, non esset in Deo libertas, forent omnia opera ejus æterna, & nihil operaretur in tempore: Ergo pariter scientia Dei non aufert operum caussarum secundarum indifferentiam. Ita ratiocinatur S. Peter lib. III. de lib. arbitrio cap. 3.

Rursus: Plura fieri possunt, quæ tamen non fient; Ergo multa fient, quæ possent non fieri; aut saltem id non repugnat. Atqui si non repugnat quod fiant multa, quæ possent non fieri, non repugnat sciri eliquid esse contingenter futurum, id enim quod ita fiet ut possit non fieri, nihil est elind quam futurum contingens: Igitur non repugnat præsciri eliquid futurum, quod tamen possit non fieri. Quod argumentum confirmatur sequenti: Non pugnant invicem hæ duæ enunciationes: *Judas traditurus est Magistrum*, &, *Judas poterit Magistrum non tradere*: Ergo nec repugnantes sunt istæ, *Prævidet Deus Judam traditurum esse Magistrum*, &, *Judas poterit Magistrum non tradere*; & consequenter nec implicat quod Deus prævideat futuram Judæ proditionem, & tamen Judas libere & contingenter tradat Magistrum. Prob. ant. Hæ duæ propositiones, *Judas potest Magistrum tradere*, &, *Judas potest Magistrum non tradere*, sunt ambæ veræ, quoniam sunt, ut loquuntur Dialectici, in materia possibili. Istæ vero, *Judas tradet Magistrum*, &, *Judas non tradet*, nequeunt esse simul veræ; est tamen vera una vel altera determinate, cum sint contradictoriæ: Ergo aut veræ erunt istæ duæ, *Judas tradet Magistrum*, &, *Judas potest Magistrum non tradere*: aut hæ, *Judas Magistrum non tradet*, &, *Judas Magistrum tradere potest*. Vide plura hujus generis apud Gregorium Ariminensem Dist. XXXVIII. Quæst. II. art. 9. lege & Boetium lib. 5. Prosa VI.

Postremo: Constet ex dictis cap. 1. prop. 2. Scientiam Dei esse eamdem incommutabilem divinam substantiam, quæ dicitur *præscientia* connotative ad futuros eventus. Quare licet scientia sit Deo necessaria, præscientia tamen potuit non esse: quæ enim relative dicuntur, sublatis terminis immutantur, non quidem ratione sui, sed respectu connotatorum: Ergo præscientia, quatenus hoc nomine exprimitur, & dicitur connotative ad futura, est variabilis. Quod autem variabile est nullam inferre valet contingentibus necessitatem. De quo argumento vide Gulielmum Estium Dist. XXXV. libri primi §. 2.

OPPOSITIONES REFELLUNTUR.

Oppon. 1. Si Deus futura prænoscat, evenient omnie infallibiliter & necessario: Ergo aut non prænoscit, aut infertur inevitabilis eorum necessitas. Prob. Antecedens primum auctoritate, deinde ratione: auctoritate quidem, dicente Augustino in III. de Libero arbitrio cap. 4. & lib. VI. super Genes. cap. 22. *Aliter fieri non potest quod Deus præscivit*. Et Anselmo de Concordia præscientiæ ac libertatis: *Illud quod Deus præscit, necesse est esse futurum*. Ratione autem, quoniam nisi fiat quidquid a Deo præscitum est, fallitur Dei præscientia: Dei præscientia nequaquam falli potest; Ergo quidquid a Deo est prævisum, illud fit immutabili necessitate.

Resp. cum Gregorio dist. XXXVIII. quæst. 2. art. III. Futurum comparari posse & ad caussam primam æternam & immutabilem, & ad caussas proximas obnoxias mutationi & temporales. Si referatur ad primam æternamque caussam, quæ est divine scientia, necesserio evenire; si ad caussas secundas ac proximas, contingenter. Quam responsionem tradit Boetius lib. v. de Consol. Prosa ult. dicens; *Hæc si ad divinam notitiam referantur, necessaria; si per se considerentur, necessitatis nexibus sunt absoluta*. Similia docet noster Ægidius in 1. Sententiarum dist. XXXVIII. quæst. ult. necnon eodem loco S. Thomas. Ex quibus obiter noto, & hos Scholarum Principes ad contradicentes enunciationes solvendas aliquando ad nostram distinctionem connotatorum confugere. Quapropter dist. antecedens: Si Deus futura prævideat, necesse est ut eveniant reapse, connotative ad scientiam Dei, & primam caussam immutabilem, concedo: comparate ad caussas proximas mutabilitate permixtas, nego. Neque vero minimum pugnat eamdem rem si ad diversa referatur dici necessariam & contingentem. Atque distinguitur eadem ratione consequens postremæ argumentationis. Idem est sensus verborum Augustini & Anselmi. Quum enim hi Patres animadverterent Deum unico simplicissimo intuitu cuncta pervadere, & præscientiam improprie de illo enunciari, cum comparate ad æternitatem nihil sit futurum, optime docuerunt fieri non posse, quin eveniant quæ Deus prævidet. Quemadmodum vero si rem præsentem intueamur, necessario ea præsens est, nec tamen caussarum suarum detrahitur libertati; ita de divina scientia ratiocinandum est, cui nil advenit, nisi ratione nostra, & comparate ad caussas mutabiles. Proinde Augustinus lib. v. de Civit. Dei cap. x. demonstrat non ideo peccare hominem, quia Deus illum peccaturum esse præscivit, sed quia ille, cujus præscientia non fallitur, si homo peccare noluerit, etiam hoc ipse præscivit: & quia in serie omnium caussarum etiam voluntates liberas in æternitate comprehendit. Et Anselmus præfato loco vocat hanc *necessitatem sequentem positionem rei*. Quam Theologi e Schola appellant *necessitatem consequentiæ, & in sensu composito*.

Opp. 2. Præscientia Dei est certa, necessaria, immutabilis: At posita Dei præscientia exempli caussa peccati futuri, sequitur ex dictis necessitate consequentiæ peccatum: Ergo peccatum consequitur certo, necessario, & immutabiliter. Prob. min. ex vulgatissimo axiomate, *Quod sequitur ex antecedenti necessario, necessarium est*.

Resp. nego majorem; divina namque scientia, quatenus exprimitur hoc nomine præscientiæ, non dicitur absolute, sed connotative, ideoque mutabilis est & contingens, ut supra diximus. Distinguendum est tamen inter certitudinem & necessitatem futurorum eventuum; qui dicuntur certi & infallibiles comparate ad scientiam, necessarii relative ad caussam secundam & proximam: dicit enim infallibilitas & certitudo relationem ad mentem cognoscentis; quare non repugnat futura esse certa & infallibilia supposita Dei præscientia; quamvis minime sint necessaria si ad caussas proximas comparentur. De præfato axiomate non una est eruditorum virorum opinio. Archiepiscopus Tranensis in libello de origine hæresis Pelagianæ & Joan. Gonzalez de Grat. suff. & efficaci art. 3. putant damnatum a Sixto IV. in pro-

in propositionibus Petri de Rivo, & ab eo revocatum, proferentes autographum testimonium Universitatis Lovaniensis. Negant id permulti, sed haud vereor quin absolute prolatum de quocunque antecedenri necessario sit falsum; præsertim de antecedenti quod necessarium est necessitate accidentali, & ex suppositione, quo pacto necessaria quoque est præscientia. S. Thomas 1. part. quæst. 14. art. 13. respondet argumento, *quod quando in antecedente ponitur aliquod pertinens ad actum animæ, consequens est accipiendum non secundum esse quod in se est, sed secundum quod est in anima*, unde infert futurum contingens necessarium esse prout subest divinæ scientiæ, non quatenus est in se. Quam Angelici Doctoris responsionem pluribus exagitat Ariminensis, ab eaque recedit Estius quamquam in D. Thomam obsequentissimus. Et quidem infallibilis est consecutio ista: Scit Deus lapidem esse extensum; ergo lapis extensus est: & in antecedenti ponitur scientia quæ est actus animæ: nec tamen lapis extensus est secundum esse quod habet in anima. Quapropter tritissima est via, si negaveris hujus argumenti, Deus præscit Petrum E. G. peccaturum; ergo peccabit, antecedens esse necessarium absolute.

Insurges: Dei præscientia est æterna, & si comparetur ad futura est præterita: Quod est æternum ac præteritum, est absolute necessarium: Ergo absolute necessaria est Dei præscientia.

Resp. dist. priorem partem majoris, Dei præscientia est æterna si referatur ad id quod importat in recto, nempe ad divinam substantiam omnia prævidentem, concedo: est æterna, idest, æterna sunt quæ prævidentur, nego. Quotiescunque sermo instituitur de attributis divinis, quæ comparantur ad extrinseca connotata, nunquam ex æternitate infertur absoluta necessitas. Æterna est creatio si ad divinam referatur substanriam, & tamen libera: æterna voluntas, & libera: æterna supernaturalium auxiliorum præparatio, sed libera. Distinguo & alteram partem minoris. Quod est præteritum, est absolute necessarium, idest necessario positum fuit, nego: scilicet ex suppositione quod fuerit, jam necessario præteriit, concedo. Futurum contingens quidnam est? quod poterit non esse, ut futurum Petri peccatum. Quidnam contingens præsens? quod potest non esse, ut præsens Petri ambulatio. Illud ergo quod ita præteritum est ut potuerit non esse, erit præteritum quidem, sed contingens. Atqui præscientia, ut ostendimus, potuit non esse: Ergo quamvis dicatur præteriisse, est nihilominus contingens. *Præscientia Dei*, inquit Estius, *quatenus essentia Dei est, & æterna est & necessaria; sed quatenus connotat respectum ad futura, proprie non est æterna, cum sit tantum ens rationis: improprie tamen æterna dicitur, quia ab æterno fuit Essentia Dei cum hoc rationis respectu ad rem in tempore futuram.*

Opp. 3. Dei præscientia est caussa futurorum: posita caussa consequitur necessario effectus: Ergo posita præscientia necessario evenient futura.

Resp. dist. maj. Dei præscientia est caussa futurorum, ut præscientia est, nego: ut idem est ac voluntas, aut providentia, directio & regimen supremi Numinis, subdistinguo, caussa necessitatis adstricta legi, nego: plenissima operans libertate, concedo. Porro non omnem præscientiam esse caussam rerum, indubitatum mihi videtur; legi enim apud S. Protoparentem in tertio de Libero arbitrio cap. 4. *Sicut tu quædam quæ fecisti meministi; nec tamen quæ meministi omnia fecisti: ita Deus omnia quorum ipse auctor est, præscit, nec tamen omnium, quæ præscit, ipse auctor est.* Quando ergo Theologi affirmant scientiam Dei esse caussam rerum, id de scientia practica debet intelligi, quam priori capite definivi.

Opp. ultimo: Divina præscientia supposita non potest res non evenire: Ergo evenit necessitate.

Resp. dist. ant. Non potest res non evenire necessitate simplici & absoluta, nego: necessitate conditionis & consequentiæ, concedo. *Duæ sunt necessitates*, ait Boetius Prosa ultima, *simplex una, veluti quod necesse est omnes homines esse mortales; altera conditionis, ut si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est. Quod enim quisque novit, id esse aliter ac notum est, nequit. Sed hæc conditio minime secum illam simplicem trahit. Hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adjectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntarie gradientem, quamvis eum tamen cum graditur incedere necessarium sit. Eodem igitur modo si quid providentia præsens videt, id esse necesse est, tametsi nullam habeat necessitatem. Atqui Deus ea futura, quæ ex arbitrii libertate proveniunt, præsentia contuetur. Hæc igitur ad intuitum relata divinum, necessaria fiunt per conditionem divinæ notionis: per se vero considerata ab absoluta naturæ suæ libertate non desinunt.* Salvantur ergo hujusmodi repugnantiæ *notione Dei præsentaria*, ut diximus priori argumento:

Nam quod ubique agitur, quod gestum est, quodque gerendum est,
Ante oculos Domini puncto subsistit in uno:

inquit Auctor Carminis de Providentia apud Prospetum. Vel respondetur, ut ad primum, futura evenire simul necessitate, & contingenter *diversa connotatione.*

CAPUT IV.

De creaturarum omnium in immutabili æternitate præsentia.

PROXIMO sequitur limine perplexa quæstio de sempiterna rerum creatarum, ut D. Thomas appellat, *præsentialitate*, qua supra futurorum contingentiam eventuum defendere conabamur. Verum tametsi distrahuntur Theologi, etiam qui de nomine beati Thomæ nuncupantur, quorum plerique præsentiam illam physicam esse contendunt, ut Cajetanus, Gonet, & major pars florentissimæ Scholæ, alii objectivam tantum propugnant, ut Silvester, Bancel, Hervæus; arbitror tamen posse dissidium componi, si ad rectas animi perceptiones a personantibus *mensurarum* voculis retrahamur. Itaque aliquam rem esse in æternitate multiplicem sensum complectitur. Res dicitur in æternitate consistere, quod interminabilis æternitas omnia simul comprehendat, & quæcunque vario tempore peraguntur, dum sunt immensæ ejus durationi respondeant, veluti omnia ædificia amplissimæ urbis continentur intra mœnia, & singulæ lineæ circuli reducuntur ad centrum. Rursus esse in æternitate ita accipi potest, ut ante omnia sæcula nedum in caussa, verum etiam in se res extiterint, quemadmodum præsentes extant creaturæ: quod forte melius dixeris ab æterno, quam in æternitate, consistere. Denique dicuntur a D. Thomæ discipulis creaturæ Deo in æternitate præsentes, quoniam existunt quidem in propria ipsarum natura, non comparate ad ipsas, quatenus sunt in aliqua temporis differentia, sed ad æternitatem, in qua nulla temporum successio præterlabitur.

PROPOSITIO I. Primo modo explicato creaturæ omnes sunt in æternitate præsentes.

Auctoritate Sanctorum Patrum, & ratione probatur. Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 7. *Deo*, inquit, *quæ sunt futura præsentia sunt; & ei, cui præcognita sunt omnia, ventura perfecta sunt, sicut scriptum est: Qui facit quæ ventura sunt.* S. P. Augustinus in xv. de Trinit. cap. 7. *Quis ergo hominum potest istam sapientiam qua novit Deus omnia; ita ut nec ea quæ dicuntur futura, quasi desint expectentur ut veniant, sed & præterita & futura cum præsentibus sint cuncta præsentia?* Et lib. 2. ad Simplic. probat Dei præscientiam non esse, si proprie loquamur, præscientiam, sed scientiam, quod præscientia non sit nisi scientia futurorum: *Quid autem*, ait, *futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora?* Et Magnus Gregorius lib. xx. Moralium cap. 23. *Quomodo est præscius dum nulla quæ futura sunt præsciantur? Scimus quia Deo futurum nihil est, ante cujus oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt.*

Prob. 2. ratione. Hanc dotem habet æternitas, ut comprehendat simul universa: Si æternitati non essent omnia præsentia, æternitas non simul universa comprehenderet: Igitur æternitati præsentia sunt omnia. Præterea nulla sunt intervalla locorum, quæ non respondeant immensitati. Ergo neque ullæ temporum differentiæ, quæ non coexistant æternitati.

PROPOSITIO II. Nulla creatura cognoscitur a Deo in æternitate secundo modo, videlicet ut ab æterno consistens.

Fatentur id omnes Theologi, & probatur. Nulla creatura producta est ab æterno: Deus eo modo videt creaturas quo productæ sunt: Ergo Deus nullo modo videt creaturas productas & extra suas caussas positas ab æterno.

PROPOSITIO III. Creaturæ non videntur ab æterno in propria consistentes natura neque comparate ad æternitatem, & in *mensura*, ut inquiunt, superiori, neque *mensura* propria, atque relate ad se.

Ostenditur auctoritate Augustini: qui v. de Genes. ad literam cap. 18. ait: *Quomodo ergo Deo nota erant, quæ non erant? Et rursus quomodo ea faceret, quæ sibi nota non erant? non enim quidquam fecit ignorans. Nota enim fecit, non facta cognovit. Proinde antequam fierent & erant, & non erant. Erant in Dei scientia; non erant in sua natura.* Probatur ratione: Nullo modo creatura existit in sua natura, nisi ponatur extra suas caussas: Sed ponitur extra suas caussas tantummodo in aliqua temporis differentia: Igitur creatura nullo pacto videtur ab æterno existens in sua natura. Ulterius existere in sua natura, & esse præsens solum in superiori *mensura* aperta est repugnantia: Creaturæ in æternitate præsentes sunt solummodo in *mensura* superiori: Minime ergo sunt præsentes in sua natura. Prob. ma. Existere in superiori tantum *mensura* est existere in arte Conditoris, & in virtute effectrice caussarum: At implicat rem aliquam in propria natura consistere, & esse tantum in arte Conditoris & in virtute caussarum: Ergo implicat esse in propria natura præsens, & existere solum in superiori *mensura*. Prob. minor; etenim quæ existunt solummodo in arte Conditoris, sunt ipsa vita artificis, & eadem Dei substantia & effectrix omnipotentia, ut demonstrat S. Pater in verba illa Joannis: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Quæ vero esse habent in propria natura, quamplura vita carent & anima: Atqui repugnat carere vita, & esse virtutem ac vitam supremi Artificis: Igitur repugnat creaturam aliquam in propria esse natura, & existere in arte Conditoris tantummodo

OBJE-

OBJECTA DILUUNTUR.

Opp. 1. Postrema hæc propositio pugnat cum priori. Deus enim omnia intuetur præsentia, & omnia æternitati coexistunt; ergo sunt omnia Deo physice coexistentia ab æterno.

Resp. nego consequentiam; aliud quippe est cernere omnia præsentia, aliud coexistere æternitati, aliud physice præsens esse ab æterno. Videre omnia præsentia est præsentaria notione omnia sive sint, sive non sint, adæquare: unde S. Thomas 1. de Veritate Art. v. ad 10. ait: *Quamvis res non fuerint ab æterno in propria natura, intellectus tamen divinus fuit adæquatus rebus in propria natura futuris in tempore, & ideo veram cognitionem habuit ab æterno de rebus etiam in propria natura, quamvis rerum veritates ab æterno non fuerint*. Coexistere æternitati est inter creaturam & æternitatem nullum versari intervallum; quemadmodum coexistere loco est inter unum & alterum nullum intercipi spatium: quare æternitas quæ ab universis rebus nulla temporis intercapedine sejungitur, vere futuris rebus coexistit, sicuti cuilibet loco divina immensitas. At existere ab æterno in propria natura, est semper in se fuisse etiam extra ideam, artemque omnipotentis Opificis.

Opp. 2. Videre rem præsentem est illam videre, ut est nunc: Si ergo Deus omnia videt in æternitate præsentia, omnia penes Deum in æternitate actu sunt.

Resp. dist. ma. Videre rem præsentem in propria natura concedo: rem præsentem in sempiterna scientia, nego. Vide quæ supra ex Augustino lib. v. de Gen. ad literam recitavimus. Vel dist. minorem: Deus omnia videt in æternitate præsentia, scilicet videt res omnes ab æterno existere, nego: videt immutabili cognitione, ac præsentarie notitia singulas res, prout in aliqua differentia temporis eventura sunt, concedo. Si quis ex altissima specula videat copias militum servato ordine accedentes ad arcem, & successivis lineis gradientes, uno contuitu cernit proximiores & remotissimos, quod non contingit exercitum in planitie spectanti. Ergo ne milites omnes jam accesserunt ad mœnia? Ita Deus in prætereunte creaturarum serie tam præsentes, quam futuras prope suisque oculis proximas intuetur; neque tamen consequitur jam universas ad temporis differentiam, sine qua nequeunt extare, perenni veluti cursu accessisse.

Opp. 3. Divina scientia est immutabilis: Ergo habet semper objecta præsentia.

Resp. dist. antecedens, est immutabilis comparate ad divinam substantiam omnia videntem, concedo: relative ad rem videnti Deo subjectam, nego. Juxte doctrinam Ægidii dist. xxxviii. q. 1. ert. 2. negatur consequentia; Scientia enim dicitur mutabilis, vel immutabilis e principali objecto, quod in Deo est ars omnipotentiæ plena omnium rationum incommutabilium. *Ibi*, inquit S. P. 6. de Genes. ad lit. cap. ultimo, *novit omnia Deus quæ fecit per ipsam, & ideo cum decedant & succedant tempora, non decedit aliquid, vel succedit scientiæ Dei*. Si quid vero remanet diluendum, facile ex dictis convellitur.

CAPUT V.

Deum in suis ideis, & etiam immediate universas conspicere creaturas.

SUBJICIT nunc quintum caput de medio, in quo Deus creaturas intuetur, disquisitionem. Non ambigitur quin cuncta in ideis suis introspiciat; sed quid sint istiusmodi *ideæ*, Theologi inquirunt. At cum plura, quæ huc attinent, priori libro sint expedita, satis est animadvertere idearum nomine nos nequaquam intelligere *formas* rerum abstractas, quales invexit Platonicorum Physiologia, sed *incommutabiles rationes rerum intelligibilium;* ut eas describit in xii. de Civit. Dei cap. 20. Magnus Augustinus. Sunt vero ideæ e Dei sapientia penitus indistinctæ; & multiplices dicuntur sola rerum faciendarum comparatione, veluti plures illæ domus, quæ sunt in una arte ac tuente Architecti. Quoniam autem hæc exempla & imagines non exhibent res ut futuras, nisi accedat Artificis propositum & voluntas; ideæ rerum etiam præfinitionem complecti debent, ut ideæ sint non possibilium, sed futurorum. Atque hinc est quod græci Patres *ideas* definiunt παραδείγματα, sive exempla, rationesque substantiarum efficientes. Num vero præfinitio ista, ac prædestinatio voluntatis in rebus futuris cujusque generis sit præfinitio voluntatis Dei, an sola effectio creaturarum se libere determinantium, magna dissensio est in sequentibus dirimenda. Quamobrem ideas modo ab his præfinitionibus ratione nostra secernimus, quasi sint imagines divini intellectus, non placite voluntatis; seu formæ intelligibiles possibilium, non futurorum. Inquiritur consequenter, an possibilia, quæ divinarum idearum notione videntur, dici recte valeant in se cognita immediate.

Videre autem objecta in se ipsis potest duplici sensu accipi: quo distincto videtur mihi posse sententias oppositas facile conciliari. S. Thomas Quæst. xii. art. v. ait: *In seipso quidem cognoscitur aliquid, quando cognoscitur per speciem propriam adæquatam ipsi cognoscibili: sicut cum oculus videt hominem per speciem hominis: in alio autem videtur id quod videtur per speciem continentis, sicut cum pars videtur in toto per speciem totius, vel cum homo videtur in speculo per speciem speculi, vel quocunque alio modo contingat aliquid in alio videri*. At Gregorius Ariminensis Dist. xxxviii. Q. 1. prope finem ait videri immediate in se ipso quidquid videtur nullo vertente medio inter facultatem intellectricem & objectum, quemadmodum videntur in mente rationes intelligibiles & veritates intime affulgentes, & ab oculo interius exaratæ corporalium rerum imagines.

PROPOSITIO I. Deus videt omnia in se ipso, & in incommutabili rerum intelligibilium ratione.

Certissima est hæc propositio, & probatur ex Augustino dicente lib. xv. de Trinit. cap. 14. *Novit omnia Deus in se ipso*. Confirmatur ratione; nam, ut constat ex dictis, in Dei sapientia sunt infiniti thesauri rerum intelligibilium. Explicatur exemplo; etenim expertus artifex assequitur mente quidquid elaborate potest efficere.

PROPOSITIO II. Non videt Deus creaturas in seipsis priori sensu juxta D. Thomam delibato.

Ita Theologi innumeri, nostrique instituti Ægidius, Argentinas, Gerardus, Paulus Venetus, Brunus, & alii. Probatur: Videre creaturas in seipsis in sensu D. Thomæ est videre per species & imagines creaturarum: Deus non videt creaturas per species & imagines creaturarum: Ergo Deus non videt creaturas in seipsis. Major est D. Thomæ art. v. citato; & minor revocari nequit in dubium, cum Deus omnia videat per essentiam suam, & per immutabiles rationes rerum intelligibilium e se penitus indistinctas. Vide S. Patrem Augustinum in vi. de Trinitate cap. x.

PROPOSITIO III. Deus videt creaturas in seipsis immediate in sensu Ariminensis nuper exposito.

Facillime hac argumentatione suadetur: Quotiescunque inter potentiam videntem & objectum nullum intercedit medium distinctum, videtur objectum in se immediete: Inter Deum & creaturas nullum medium distinctum intercedit: Ergo Deus videt creaturas in seipsis immediate. Probatur minor. Si aliquod intercederet distinctum medium, esset illud vel notitia ipsa, vel species: Deus non cognoscit creaturas per notitiam vel speciem e se distinctam, cum in Deo intellectus, notitia, & species sint unum; Ergo, &c.

SOLVUNTUR CONTRARIA ARGUMENTA.

Opp. 1. Nullatenus Deus creaturas in seipsis introspicit: Falsa est igitur postrema propositio. Prob. ant. S. P. Augustinus in iv. de Genes. ad literam cap. 23. distinguens duplicem cognitionem creaturarum in Verbo, & in seipsis, illam matutinam, hanc vespertinam appellat, unam luci comparat, alteram nocti. *Omnis cognitio*, inquit, *quæ creaturam quamlibet in seipsa novimus, non immerito nox dici potest*. Similiter lib. xi. de Civit. Dei cap. 7. *Cognitio*, inquit, *creaturæ in se ipsa decoloratior est, ut ita dicam, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte, qua facta est*. At a Deo omnis notitia decolorata, ac vespertina est removenda.

Resp. Deum condidisse naturam Angelicam participem incommutabilis lucis, in qua sunt rerum omnium quæ temporaliter fiunt sempiternæ rationes. In hac luce, quam nos ideam anticipatam & ingenitam non incongrue appellamus, accidentalia creaturarum prædicata extantiæ, loci, aliorumque hujusmodi adjunctorum nequeunt splendescere. Ut ergo Angeli hæc videant, idea illa ingenita exhibens rationes æternas duntaxat universaliter contrahi debuit, & quodammodo determinari a rerum creatarum existentia & loco factis sibi objective præsentibus. Ita ergo positis creaturis extra caussam eas in propria natura agnoverunt, accedente modificatione quadam ec determinatione idearum illarum non per corporalem sensationem, qua carent, sed per objecti præsentiam. Deinde Angeli ex creaturis in propria natura inspectis assurgentes in laudem & honorem Creatoris majori claritate eas in luce incommutabili perceperunt, & cognitio facta est matutina. Hæc vero lib. x. cap. viii. & ix. reddentur ex ipso Augustino manifesta. Duplici ergo ex capite cognitio creaturæ in seipsa dicitur eb Augustino decolorata; primo quia accipit determinationem a re creata ac mutabili: deinde quia nondum relata est sancta delectatione in laudem, & amorem Creatoris. Quæ duo in cognitione, qua Deus videt creaturas in seipsis locum non habent; quoniam neque advenit ei cognitio accidentaria per earum præsentiam, neque potest delectari nisi de sua bonitate; ideoque non est in Deo cognitio aliqua decolorata, seu vespertina.

Opp. 2. Idem S. P. Augustinus lib. 83. quæst. 46. ait: *Non enim extra se quidquam intuetur Deus: hoc autem opinari sacrilegum est*.

Resp. dist. ant. Deus non intuetur quidquam extra se, nimirum omnia videt sapientia sua, a qua indistinctæ sunt ideæ rerum intelligibilium, concedo. Nihil intuetur extra se, scilicet non percipit immediate res omnes a se distinctas secundum proprias ipsarum rationes, nego. Platonici existimabant rerum ideas esse formas quasdam abstractas, quibus constitutum arbitrabantur mundum archetypum;

pum; ita ut illum extra se productum Deus in creaturarum molitione contemplaretur. Merito illos S. Pater redarguit, dicens: *Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuetur, ut secundum id constitueret quod constituebat: nam hoc opinari sacrilegum est. Quod si hæ rerum creandarum creatarumque rationes in divina mente continentur, neque in divina mente quidquam, nisi æternum, atque incommutabile esse potest; atque has rerum rationes principales appellat ideas Plato: non solum sunt ideæ, sed ipsæ veræ sunt, quia æternæ sunt, & ejusmodi atque incommutabiles manent, &c.* Ex quibus apparet Augustini verba haud fideliter ab Adversariis recitari, ac diversum habere sensum, ac ipsi contendant. Hac divinarum idearum incommutabilitate pervia sunt cetera testimonia Augustini quamfrequenter affirmantis Deo semper universa eodem modo innotuisse.

Opp. 3. Quod cognoscitur in se immediate est objectum scientiæ princeps, &, ut vocant, *motivum*: Creaturæ esse nequeunt objectum *motivum* scientiæ Dei: Ergo a Deo creaturæ non cognoscuntur in se immediate.

Resp. dist. majorem: Quod cognoscitur in se immediate est objectum *motivum*, dummodo videatur per speciem propriamque ideam sui, idest per speciem partam ex ipsomet objecto, concedo: Si cognoscatur per speciem, ideamque alienam, nego. Constat responsio ex 11. Propositione, atque ex definitione objecti *motivi*, quod est illud, *quod a potentia attingitur ratione sui*. At Deum res creatas intueri per ideas adscititias, & per species creaturarum nemo, qui sit compos sui, unquam dixerit.

Opp. ultimo. Perfecte continentur creaturæ in Dei omnipotentia, nec tamen in ea continentur ut sunt in seipsis: Ergo perfecte videbuntur in Dei Verbo & essentia, quamvis immediate in seipsis non videantur.

Resp. nego consequentiam. Nam continere est aliquid habere in se: Deus vero cum sit infinitus ac simplex, nequit in se habere res compositas & limitatas; ideoque non potest illas, ut in se sunt, *formaliter* continere. Perfecte autem rem cognoscere non est illam in se continere *formaliter*, sed *objective*, idest eam percipere quocunque modo percipi potest. Sum quidem ego corporeus quod in hominis structura contineatur materies: non tamen sum lapis quod aspiciam saxa, quæ non viderem, si & ipse *formaliter* essem lapis. Atque ita continere *formaliter* creaturas repugnat Deo, non repugnat illas undequaque cognoscere. Quod si eadem esset ratio utriusque; Deus, quia nequit habere malitiam, non judicaret peccata; neque spiritualis corporalia videret, aut infinitus finita.

SCHOLION.

„ EX quo inter Deum & creaturas nihil reipsa distinctum concipi possit, non sequitur Deum creaturas *immediate* in seipsis cognoscere, ut cum Ariminensi dictum est Propositione 2. Amota enim a Dei perfectissima, una, omnisque compositionis experte natura, distinctione qualibet intrinseca, negari certe nequit distinctio illa, qua eadem res individua comparate ad externa objecta distinctionem illam complectitur, cujus gratia de ipsa re oppositæ propositiones enunciantur. Neque enim recte dixeris V. G. Filio communicari Paternitatem, dum ei divina communicatur essentia; quamvis hæc cum Paternitate sit res eadem atque indivisa. Cum itaque Divina decreta, idea incommutabilis, ratio supremæ causæ, summaque divinitatis perfectio, diversa connotent objecta; ignoro, cur dici nequeant *Medium*, in quo creaturæ a Deo cognoscantur. Quare dicendum est cum Nostratibus absque illa figmentorum nostrorum ambage, videri a Deo creaturas in semetipso, tamquam in causa illarum effectrice, siquidem in hujus causæ virtute præcontinebantur priusquam fierent; atque, ut ait lib. 15. de Trinitate Magnus Augustinus, Deus *universas creaturas suas, & spirituales, & corporales, non quia sunt ideo novit; sed ideo sunt quia novit; non enim nescivit quæ erat creaturus. Quia ergo scivit, creavit: non quia creavit, scivit. Non enim ejus sapientiæ aliquid accessit ex eis; nec aliter scivit creata, quam creanda*. In sua ergo omnipotentia, atque in voluntatis suæ prædefinitionibus, quæ sunt causa rerum universarum, Deus sapientissimus cuncta intuetur, ideoque in seipso; nam sapientia, omnipotentia, voluntas idem Deus sunt. Pari ratione dicendum est, omnia a Deo comprehendi in incommutabili idea, rerumque cunctarum ratione. Si etenim nos in lucidissimo speculo, prout est in se, conspicimus faciem nostram, objectaque adstantia; in sua idea, in sapientia, verboque suo, nempe in perfectissima divinæ bonitatis imagine, in lucidissimo absque ulla macula speculo, proculdubio cuncta creata, prout sunt in seipsis, videt, & undequaque deprehendit. Quoniam vero infinitæ, nullisque limitibus coarctatæ Sapientiæ objectum, ut Scholastico utamur sermone, objectum, inquam, *motivum ac terminativum* est summa veritas, quemadmodum divinæ voluntatis objectum est summa bonitas; asserendum esse arbitror, quidquid verum est, aut a veritate deflectit, cognosci a Deo in semetipso, quatenus est summa veritas, cum qua connectitur quidquid veritati consonum est, & cui repugnat quidquid veritati adversatur; sicuti Deus amat incomprehensibilem bonitatem suam, hujusque ratione amat omne bonum suæ bonitati cohærens, & odio habet quodcunque malum summæ suæ bonitati contrarium. Concludendum est itaque cum Augustino de Gen. ad lit. cap. 15. *Vidit Deus omnia* quando fecit, *& sicut vidit, ita fecit, non præter seipsum videns, sed in seipso*.

„ Difficilior est quæstio, an futura, quæcunque ea sint, sive absoluta, sive conditionata, cognoscantur a Deo in decreto prædeterminante: quod primum inquiram per septem capita, quæ proxime consequuntur, sententiam, quæ in Scholis nostris traditur, exponens & propugnans, explicaturus ad calcem capitis duodecimi, quænam sint eorum, qui S. Thomam, & Romanum Ægidium sectantur, in hac perdifficili materia doctrinæ principia, atque consecutiones.

CAPUT VI.

Non præcnoscere Deum futura libera naturalis ordinis in præfinitionibus & decretis prædeterminantibus.

S. THOMÆ discipuli prædeterminationis physicæ assertores ac vindices strenuissimi illam in unaquaque caussarum secundarum operatione necessariam esse defendunt. Ab ea pendere putant, ut cujusque generis effectus ad naturam pertranseant futurorum: talem esse ajunt conditionem caussarum secundarum, ut nihil valeant peragere nisi inflexibili Dei præmotione: nullum indifferens posse solis viribus nativis in certum actum prodire; & tamen creaturarum dependentiam a Deo, earumque libertatem his limitibus contineri. Clamant ex adverso Societatis Jesu Theologi futura omnia talia esse independenter ab istiusmodi præfinitionibus: has primum a Bannes inductas ad implacabile Scholasticorum dissidium: veteribus Theologis fuisse incompertas: ad Jansenianorum & Calvinianorum dogmata accedere; præstantissimum Conditoris beneficium, arbitrii scilicet libertatem, evertere. Nos librata undequaque absque ullo partium studio veritate a multis annis medium iter arripuimus, quod calcasse comperimus etiam veteres Instituti nostri Magistros. Ergo cum Thomistis efficaces præmotiones propugnamus in operibus supernaturalibus status naturæ lapsæ, quæ efficiuntur ab hominum arbitrio victrice gratia suffulto; ab operibus naturalibus, & statu naturæ nullo vulneratæ peccato, tamquam minus necessarias rejicimus. Has quæstiones pertractant Theologi in dissertationibus de Voluntate ac Providentia Dei; & revera decreta & præfinitiones attinent ad voluntatem: quare agentes de scientia Dei eas tantummodo explicant, ut divinæ cognitionis medium constituant. Verum visum est singulas, quandoquidem necesse est ut jam telam ordiamur, hoc eodem libro expedire.

Acturis ergo de divina prædeterminatione in operibus naturalibus, præmittendum est neminem nostrum negare præmotionem Dei generalem, qua Deus humanam mentem incessanter illuminat rerum ideas exhibendo, & voluntatem inclinat generatim in bonum; ut fuse demonstrant Philosophi. Quamobrem exoritur contentio de motione speciali, & ad certum actum spectante, quatenus mens in hujus veritatis judicio sistit, & voluntas flectitur in hujus boni deliberatam electionem. Nam generalem illam motionem nullus inficiabitur, qui animadvertat creaturam nihil habere a seipsa, neque mentem esse caussam sui luminis, suique nisus & propensionis principium. Concursum quoque simultaneum, quo Deus caussas a se productas regit conservatque, unanimi sensu defendimus. Quare ad solam illam specialem ac prædeterminantem motionem præsens controversia devolvitur.

Secundo præmittendum est Physicam prædeterminationem nequaquam a nobis rejici ob vocabuli novitatem, ut in eam debacchatur Auctor libri, qui inscribitur: *Calvinismus bestiarum*. Quælibet enim hæresis novas quæstiones & inusitata vocabula in Ecclesiam invexit, quibus & diligentius veritas custoditur, & falsitas exploditur manifestius. Ita Ephesina Synodus Virginem Mariam nominavit *Theotocon*, & Florentina docet rectissime ad Symbolum Nicænum additam novam particulam, *Filioque*. Insigne quoque habemus exemplum in vocibus *Homousin*, & *Transubstantiationis*; quarum primam contra Arianos, alteram contra Novatores usus consecravit Ecclesiæ. Non est quidem hujus generis nomen physicæ prædeterminationis, nequa Sacrorum Canonum definitione probatum; sed jam in ore omnium versatur, & ubi specialem motionem juxta Augustiniana scita interesse arbitrabimur, absque profanæ novitatis piaculo illud sæpissime pronunciabimus.

Absit vero ut vel suspicione levissima existimemus Calvini aut Jansenii notam juste inuri Thomistarum sententiæ. *Quem enim invenient Janseniani inter Thomistas, qui concedat ita necessarium consensum, quem voluntas præbet motioni gratiæ quamdiu illa inhæret, quemadmodum necessarius est amor beatificus quamdiu durat visio? Quem inve-*

nient

nient, qui dixerit voluntatem divina gratia prædeterminatam carere proxima ad dissentiendum potentia? Ita temperato calamo scribit libro de Libertate incoacta prædeterminationis physicæ impugnator Annatus.

Pariter Scientiæ mediæ defensores, illos nempe, qui defendunt futura libera independenter a decretis prædeterminantibus videri a Deo, nulla possumus censura perstringere. Nam in celebri Congregatione de Auxiliis habita coram Summis Pontificibus Clem. VIII. & Paulo V. caussa acerrime pertractata, nihil Magistra veritatis Ecclesia rata est definire, ut possis interim pro lubitu seu Molinæ, seu Thomistarum sententiam in scholis tenere. Commemoratur quidem decretum Pontificis, quo scientia illa media proscribitur, pictisque tabellis in historia de auxiliis conspiciuntur ad genua provoluti hinc Prædicatores promulgationem flagitantes, illinc vero supplices Jesuitæ postulantes ne publicetur peremptoria Sedis Apostolicæ definitio. At assertæ hujusmodi Constitutioni nullam omnino fidem esse adhibendam Innoc. X. ann. 1654. die 23. Aprilis publico decreto sancivit, quod revera non fuerit ex præscripto juris promulgata. Vetitum autem a Paulo V. Urbano VIII. & præfato Innoc. ne hanc quæstionem agitantes Adversarios suos dicteriis ac censuris proscindant; quod nedum a nobis postulat Sancta Mater Ecclesia, sed etiam mutuæ caritatis necessitudo, & amor investigandæ veritatis ingenuus. Quæ an servent aut invidiosas Pelagianismi notas, aut nefaria Calvini placita adversariis objicientes, ipsi viderint.

Tandem neque illos laudare possumus, qui D. Thomam omnium approbatione clarissimum, tanquam vulgarem Scriptorem contemnunt. Hunc Scholarum principem ducemque reverentur celebriores Academiæ, Salmanticensis, Duacensis, Lovaniensis, Patavina, aureaque tabula universæ Ecclesiæ lumen præfulgidum, clarissimumque Universitatis speculum appellat Parisiensis. Præ ceteris Regularium Ordinum Statutis, illius doctrinam approbant quoque Constitutiones nostræ P. v. cap. 2. Ex tanta autem erga D. Thomam existimatione nostra nemo jure a nobis contenderit, ut nunquam ab ipsius placitis recedamus, quod neque Augustino vellem ego concedere, si alicubi errasse deprehenderem. At neque Doctorem Angelicum a nobis dissentire in his controversiis dicturi sumus, quod erit magnum reverentiæ nostræ argumentum. Quod si ægre ferant Prædicatores doctissimi; non proinde minor nobis erit sive Thomæ, sive Scholæ, quæ de ejus nomine dicitur, existimatio.

PROPOSITIO I. Deus non prædeterminat actiones liberas naturales, & consequenter neque ea prævidet in efficaci suæ voluntatis præfinitione.

Ita unanimiter recentiores Theologi contra Thomistas, nedum Jesuitæ, sed etiam alii, Tournely, Habert, L'Herminier, Henno, Thomassinus, Witasse, &c. Laudant pro se Thomistæ aliqui Claudium Frassen, & fideliores Scotistas. Verum hi præfinitionem a prædeterminatione secernunt, & ab intrinseca præmotione decretum; ita ut in vocabulo isto *præfinitio*, particula *præ* nullam antecessionem caussalitatis designet, sed præordinationis & præscientiæ mediorum ad actum. Ex quo igitur Scotistæ decreta, & præfinitiones fateantur, non consequitur quod etiam physicam statuant prædeterminationem. Recte Joannes Gonzales dissert. de Grat. suffic. art. 2. *Scoti discipuli*, inquit, *admittunt prædefinitionem, & negant præmotionem physicam intrinsece receptam in voluntate*. Nostri vero, præsertim Itali, unanimiter hanc propositionem defendunt, Adeodatus Summanticus Episcopus S. Severi, Fulgentius Bellelli Ordinis Exgeneralis, Felix Leoni Ex-procurator Generalis, eruditissimi & clarissimi viri ac præceptores mei sapientissimi Benedictus Gattini Procurator Generalis, Hieronymus Zazzeri Ex-Assistens Italiæ, & in Romanæ Sapientiæ Archigymnasio publicus sacrarum literarum Professor, & Congregationis Sacrorum Rituum Consultor, Joannes Jacobus ipsius Frater, necnon Silvester Merani in Urbe Regens, qui omnes de naturæ viribus, & gratia in hoc tantum statu victrice præclara volumina conscripserunt: & quos hoc tantum loco honoris caussa nominavi. Ex veteribus vero prædeterminationem physicam negant Martinus Albiz, Ægidius a Præsent. Leonardus Coquæus, Petrus de Aragonia, Brunus, Antonilez, Gavardi, & alii.

Probatur 1. propositio. Futura libera ordinis naturalis minime efficiuntur a Deo eadem efficaciter prædeterminante: Ergo in efficaci præfinitione a Deo non videntur. Consequentia sequitur, nos enim præfinitionem, ac prædeterminationem indiscriminatim accipimus de præfato Scotistarum discrimine minus solliciti. Probatur ant. Hanc Dei prædeterminationem propugnant Thomistæ vel ad salvandam dependentiam caussæ secundæ a suprema, vel ut virtus indifferens creaturarum determinetur ad actum: At neutro ex capite hæc prædeterminatio requiritur. Non ad salvandam dependentiam creaturarum a Deo, primum quia stat perfecta hujusmodi dependentia si creatura incessanter illuminetur a Deo, & ab ipso nacta sit inclinationem in bonum, quæ dum constituunt præmotionem generalem; etsi Deus simultaneo concursu creaturam suam regat. Tunc enim sequitur caussam secundam nil penitus operari, nisi adjuvante suprema. Atqui generalis illa præmotio, & conservatio caussarum secundarum non sunt physica prædeterminatio, quoniam requiruntur ex parte potentiæ, non actus, & virtutem perficiunt, non prædeterminant. Salvatur ergo perfecta creaturarum a Deo dependentia absque physica illa præfinitione. Præterea ita secundæ caussæ subordinantur supremæ, ut hæc ad earum actus concurrat juxta uniuscujusque exigentiam: Caussæ necessariæ, cum ad unum specie effectum sint suapte natura ordinatæ, in illud a Deo necessitate impelluntur: Ergo liberæ, & ad utrumlibet indifferentes versatili tantum indigent præmotione. Rursus essentialis dependentia ita intrinseca est creaturæ, ut quidquid hoc titulo convenit, essentiali conveniat necessitate: Igitur si titulo dependentiæ statuenda sit physica prædefinitio; essentialiter & ex necessitate erunt prædeterminata quæcunque efficiuntur a creatura. Insuper quod requiritur ratione essentialis dependentiæ, requiritur quoque ex parte facultatis & actus primi, cum etiam facultas, & actus primus essentialiter a prima caussa dependeant: Atqui ex parte actus primi non datur prædeterminatio: Ergo hæc prædeterminatio ratione illa dependentiæ nequaquam requiritur.

Advertas tamen, quod cum dicimus prædeterminationem physicam non exigi ratione essentialis dependentiæ, & vix componi posse cum secundarum caussarum indifferentia; non dicimus Dominum universorum non posse creaturam liberam in quocunque statu prædeterminare, si velit. Magis quippe ipse habet in sua potestate voluntates nostras, quam ipsi nostras: & quomodo creaturam rationalem post Adæ culpam efficienter ad opera supernaturalia prædeterminat, sic potuisset prædeterminare innocentem, & potest nunc, si ita videatur, ad naturales effectus determinare creaturam quamcunque liberam. Fatemur quoque, si id Deus efficiat, non consequi necessario libertatis interitum, cum ille intimior nobis intimo nostro non solam voluntatem, sed etiam modum agendi prædefiniret, & contingenter fierent, quemadmodum fiunt, dum voluntas libere determinat semetipsam. Quod explicabimus cap. XII. Regula 11.

Sed non arbitramur concedendum esse, hoc quod potest Deus, ita unicuique operi inesse, ut nisi divina accedat prædeterminatio, nequeat creata libertas prodire in actum, eo quod talem habeat a suprema caussa dependentiam, ut essentia sua petat ad omnia opera prædefiniri. Hanc dependentiam in hoc sitam esse contendimus, ut creatura moveatur a Deo secundum rationem proprietatis suæ, & indifferenter, si indifferens sit, neque habeat in se contrariam atque ad oppositum trahentem inclinationem, qualis est in ordine ad opera supernaturalium virtutum liberum hominis arbitrium sub pondere, & lucta concupiscentiæ. Quod proximo capite VIII. demonstrabitur enucleatius. Verumtamen si ita caussa secunda pendeat a prima, ut nihil omnino, nisi ab hac prædeterminetur, valeat perficere, videtur eamdem esse conditionem caussæ liberæ, ac necessariæ, cujus duntaxat proprietas est esse ad unum essentialiter determinatam. Atque nisi hæc probentur, & qualiscunque prædeterminatio videatur cum indifferentia consistere, ut docent docti viri complures, saltem ex alio capite arbitror esse rejiciendam, quod in operibus naturalis ordinis necessaria non sit, in malis vero etiam noxia.

Quod vero minime sit necessaria, ut caussa seconda indifferens prodeat in actum, probatur; Indifferentia quæ ab alia caussa exigit determinari, est indifferentia passiva, qualis est materiæ, quæ determinatur per formam, & corporis vita expertis, quod ab extrinseco agente movetur. Atqui caussarum liberarum indifferentia activa est, non passiva. Ergo caussæ liberæ, tametsi indifferentes, nequaquam exigunt ab alia caussa determinari.

Probatur 2. Ad infallibilitatem divinæ scientiæ necessaria non est certa futurorum prædestinatio: Ergo frustra ponitur decretum efficax ac prædeterminans, ut Deus certo futura libera præcognoscat. Prob. ant. Stat sine prædestinatione præscientia, dicente Augustino de Prædest. SS. cap. x. *Prædestinatio sine præscientia esse non potest; potest autem esse sine prædestinatione præscientia*. Ergo ad scientiæ certitudinem non requiritur prædestinatio.

Confirmatur: Patres, qui de futurorum contingentium præscientia loquuntur, nusquam, nisi ubi sermo occurrit de operibus salutaribus, divinæ efficientiæ meminerunt; sed ideo cognosci docent, quod Deus unico simplici actu universa comprehendat, omniaque sint ei in æternitate præsentia. Quorum verba protulimus Prop. 1. cap. IV. Imo sunt qui diserte asserunt non propterea Deum aliqua prænoscere, quia prædestinata sunt; sed e contra quia futura erant, iccirco fuisse præscita, ita ut non præscientia futuris vim inferat, sed futura caussa sint præscientiæ: quod potissimum valet de operibus naturalibus, atque de malis culpæ. Si ergo Deo sunt omnia in æternitate præsentia, præsens est & humana voluntas, præsens libera voluntatis determinatio, præsens omnis actus ab ista libera determinatione proficiscens. Quare ergo Thomistæ, qui illam physicam præsentiam majori, quam faciant alii, contentione propugnant, aliud divinæ cognitionis medium existimant necessarium?

Postremo videri a Deo actus liberos ordinis naturalis in ideis rerum, quibus præconcepta est dispositio universi, in qua exhibetur cujusque creaturæ potestas, motus, affectio, & pas-

& passio omnis intimior; & nullam videntis interesse præfinitionem, etiam idoneis demonstratur exemplis. Si enim ferocem equum fræna mordentem, & sessorem minime tolerantem a longe prospiciam; an non appropinquantem præcipitio casurum prænosco? aut si quem evaginato gladio in proximum furentem videro, nonne occidendum præsentio? Et tamen neque habenas equi moderor, neque iracundum provoco ad necem. Igitur multo magis plura videt Deus absque efficaci præmotione, dum a futuris eventibus nullo temporis intervallo sejungitur, atque volentis & currentis naturam condidit, facultatem conservat, intuetur inchoationem, cordis cogitationes comprehendit.

PROPOSITIO II. Non videtur alienus a præfata assertione Doctor Angelicus.

Principio diximus physicam prædeterminationem necessariam non esse ad salvandam caussarum secundarum dependentiam a prima, & hanc sola generali præmotione illas adjuvare, quam præmotionem creata voluntas pro suo libitu determinet. At hæc videntur consentanea doctrinæ D. Thomæ: qui 1. 2. Q. IX. art. 6. ad 3. *Deus*, inquit, *movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis, quod est bonum; & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum. Sed interdum specialiter Deus movet ad aliquid determinate volendum, quod est bonum; sicut in his, quos movet per gratiam*. Docet ergo S. Thomas in operibus naturalibus voluntatem creatam determinare seipsam.

Reponent Thomistæ, Angelicum Præceptorem *motionem universalem* appellare prædeterminationem naturaliter secundis caussis applicatam, *motionem* vero *specialem* esse Gratiam victricem supernaturali beneficentia collatam. At Gratia est quidem specialis motio, & interdum quoque prædeterminans. Verum beatus Thomas huic tantum speciali motioni tribuit, quod moveat ad aliquid determinate volendum, in motione autem universali asserit tantum hominem per rationem determinare seipsum. Igitur per D. Thomam sola specialis motio, quæ est gratiæ, actum aliquem prædeterminat. Præterea veteres D. Thomæ Commentatores, inter quos Cajetanus, quem sui ceterorum principem esse fatentur, ita hunc locum interpretantur, ut Deus conferat voluntati determinatam volitionem hujus, illiusve boni eo tantum sensu, quod indidit rationali creaturæ inclinationem ad bonum, in qua, veluti conclusio in principiis, continetur omnis determinata voluntas; hanc vero determinare seipsam, quoniam nihil omnino velle potest, nisi habeat a prima caussa generalem illam volitionem. *Et hæc volitio*, ait Cajetanus, *est illa, ad quam dictum est oportere voluntatem moveri ab alio, etiam quoad exercitium actus: secundum hanc enim fertur actu in finem, & ex hac vult quidquid vult*. Quapropter, ut Deus sit prima caussa cujusque motionis, sat est, si hæc determinata volitio ex inclinatione ad bonum procedat, absque ulla actus præfinitione. Rursus S. Thomas Q. 1. de Potentia art. 4. ad 3. ait: *Dicendum, quod licet caussa prima maxime influat in effectum; tamen ejus influentia per caussam proximam determinatur*. Et Q. CIX. 1. 2. art. 1. comparat Dei motionem illi, quam exercent in inferioribus cælestia corpora: quorum universalis motio, ut docet Quæst. 2. de ver. art. 4. ab inferioribus corporibus determinatur.

Secundo diximus non exigi physicam prædeterminationem a caussarum secundarum indifferentia, cum ista activa sit, non passiva. Quæ non videntur doctrinæ Sancti Thomæ adversari. Nam ille in 1. contra Gentiles cap. 82. duplicem indifferentiam distinguit: unam quando potentia & virtus indifferens ad utrumlibet *nondum consecuta est suam perfectionem, per quam ad unum possit determinari*; quam indifferentiam explicat *exemplo intellectus dubitantis, qui nondum assecutus est principia, ex quibus ad alterum determinetur*: altera est indifferentia ad utrumlibet, *cum operans perfectam habet virtutem, sed a neutro dependet*; quam indifferentiam declarat comparatione Artificis, *qui pro lubita diversis utitur instrumentis*. Porro D. Thomas docet primam indifferentiam esse ab altera caussa determinandam; & nequaquam alteram indifferentiam; ex quo infert Deum, tametsi indifferens sit ac liber, non determinari ab alia caussa, quoniam habet in se infinitam, plenissimamque virtutem. Atqui per D. Thomam 1. 2. Q. CIX. art. 2. habet rationalis creatura per sua naturalia *sufficientiam operativam virtutis* ad plures naturales actus efficiendos, in hoc etiam corruptæ naturæ statu: Non erit ergo necesse, ut hujus virtutis indifferentia ab alia caussa determinetur. Deinde Franciscus Ferrariensis Sacri Prædicatorum Ordinis Generalis Magister, & librorum contra Gentes Commentator illustris, hæc in citatum locum proloquitur: *Si aliquid sit indeterminatum per modum materiæ, & potentiæ passivæ, & sit ad utrumlibet ex parte virtutis, oportet ut tale sit potentia, & ab aliquo extrinseco agente determinetur. Si autem sit indeterminatum per modum agentis liberi, & ad utrumlibet se habentis ex parte ejus, ad quod dicitur, oportet tale sit in potentia, nec ab aliquo extrinseco determinari, sed ipsam se ratione suæ libertatis determinare potest*. Quo in loco *indeterminatum ex parte virtutis*, non appellat doctissimus Ferrariensis agens liberum & indifferens, sed caussam nondum consecutam virtutis suæ perfectionem, atque *indifferentem passive*. Id enim & ex productis verbis fit manifestum, & ex collatione eorum, quæ præmissa sunt ex Angelico: tum quod asserat indifferentiam activam, & quæ ad operationem refertur, posse a caussa secunda ratione suæ libertatis determinari; ac tandem quod virtute determinata ad unum ex parte potentiæ non caussæ liberæ polleant, sed necessariæ.

Diximus tertio Patres, ubi sermo instituitur de futuris contingentibus ordinis naturalis, nunquam asserere quod prævideantur a Deo in decretis prædeterminantibus, sed prænosci vi simplicissimi contuitus, quo & voluntates & earum determinationes, & opera nullo temporis intervallo a se separata dignoscit, quemadmodum videmus hominem voluntatie incedentem. Et similia docet Angelicus: qui 1. P. Q. XIV. art. XIII. demonstrat effectum contingentem non posse certo præsciri in sua caussa, sed tantum conjecturaliter. Deum vero ideo illum cognoscere in sua caussa, & prout est actu in seipso, quoniam Dei æternitas tota simul existens ambit totum tempus, & Dei intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt ei præsentia. Quoniam autem Thomistæ hunc locum judicant pro sua prædeterminatione invictissimum; præstat illum exscribere. Ergo ait S. Thomas: *Et licet contingentia fiant in actu successive, non tamen Deus successive cognoscit contingentia, prout sunt in suo esse, sed simul; quia sua cognitio mensuratur æternitate, sicut etiam suum esse. Æternitas autem tota simul existens ambit totum tempus, ut supra dictum est. Unde omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, ut quidam dicunt; sed quia ejus intuitus fertur ab æterno super omnia prout sunt in sua præsentialitate*. Ubi animadvertunt Thomistæ, & omnium novissimus tempore, primus autem eruditione, ac sapientia Cardinalis Gotti Quæst. V. de scientia Dei dub. 1. §. III. num. XII. D. Thomam præter modum cognoscendi futura ratione *præsentialitatis physica in æternitate*, supponere alium modum certo ea cognoscendi, ut *objective præsentia* in ideis, non absolute sumptis, sed adjuncto decreto de illis producendis. At non audio in verbis Thomæ decretum istiusmodi. Plana est profecto loci hujus interpretatio: Deo ratione æternitatis omnia sunt præsentia, non solum rationes rerum & ideæ, sed etiam voluntates creatæ, earumque liberæ determinationes: videt proinde contingentia tam in rationibus illis, quam in seipsis; ut nos præcedenti diximus propositione. Atque hæc adeo vera sunt, ut ubicunque de futuris contingentibus occurrit sermo, nullib decreta prædeterminantia commemoret, sed solam eorum præsentiam. Loca sunt insigniora 1. P. Q. LVII. art. III. & Q. LXXXVI. art. 4. quæ studiosi poterunt seipsis expendere.

Triplex ergo via aperitur conciliandi textus Doctoris Angelici, in quibus asserit Deum futura cognoscere, quia ipse illorum est prima caussa. Primo quia omnes caussæ secundæ sese movent virtute universalis motionis, in que Deus prænoscit liberam earum determinationem, non quod hæc sit a prima caussa efficaciter præmovente, sed quia nulla creatura determinat seipsam, nisi vi generalis motionis. Deinde quia interdum caussas secundas prædeterminat, etiam liberas, ac præsertim ad actus supernaturales hujusce status. Demum, quia ut videantur contingentia in caussa, nulla alia determinatio requiritur præterquam caussæ proximæ, si videnti nihil sit futurum; ut in incommutabili æternitate contingit.

AD ARGUMENTA, QUÆ IN CONTRARIUM OBJICIUNTUR.

Contra prædicta arguitur 1. Videtur hæc nostra assertio adversari Augustino, imo, quod caput est, sacris literis. Etenim S. P. lib. de Prædest. SS. cap. X. *Prædestinatione*, inquit, *Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus*. At Deus omnia operatur in nobis, ut passim legitur in sacris literis. Omnia ergo novit Deus *Prædestinatione*, & in efficaci decreto. Accedit quod Augustinus lib. XXVI. contra Faustum affirmat illud esse sine dubio futurum, *Quod Deus vult*. Itaque absque divinæ voluntatis præfinitione nequit prænosci futurum. Rursus S. P. in lib. de Corrept. & gratia cap. XIV. ait: *Deus magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi nostras*. Quare si nos actus nostros liberos determinamus, potest eos prædefinire etiam Deus. Ulterius quod Israelitæ Saulem ac Davidem constituerint sibi reges, fuit naturalis actus in eorum positus voluntate; & tamen S. P. eodem loco asserit Deum Israelitarum corda inclinasse *Omnipotentissima sua potestate*. Tradidit ergo Augustinus etiam actus liberos naturales a Deo efficaciter prædefiniri.

Resp. negn ant. Et ad primum Augustini testimonium, dico utique videri a Deo in sua prædestinatione, quæ ipse Deus operatur; sed quædam tamen præsciti, quæ ipse non facit. Nam ait ibidem S. Pater: *Potest autem esse sine prædestinatione præscientia*. Ergo quæ speciali indigent præmotione, prædestinantur, & in prædestinatione noscuntur. At quæ egent sola præmotione generali, non alia ratione prædestinantur, nisi prout fiunt: decernit scilicet Deus aptare caussas tam necessarias, quam liberas, & singulis viro ac potestatem impertiri, illis determinatam, istis ad utrumlibet inclinabilem. Atque ea ratione Deus operatur

omnia in nobis, quoniam necessariæ caussæ determinantur ad unum, liberæ se determinant virtute sibi a supremo Conditore collata, omnesque ab auctore suo producuntur, perficiuntur, reguntur. Quod scribit magnus Augustinus contra Faustum indubitatum est: at non omnis voluntas Dei est efficax & prædeterminans. Interdum a Deo prædeterminari actus naturales, si ei videatur expedire, ut de Israelitis asserit S. Doctor, fatentur nostri, & diserte sapientissimus P. Magister Bellelli in priori Opere, quod inscribitur *Mens Augustini*, P. 2. cap. xxvii. negant tantum physicam prædeterminationem in omnibus futuris indiscriminatim, & ex capite essentialis dependentiæ: aliud est enim quod Deus tamquam supremus Dominus possit salva quoque libertate prædeterminare caussam secundam; aliud caussam secundam ita Deo subjici, & ab eo dependere, ut nequeat prodire in actum, nisi prædeterminetur. Quomodo autem consistat libertas cum prædeterminatione explicabimus, Deo dante, in sequentibus. Verum respondere quoque possumus, Deum *Omnipotentissima potestate* inclinasse corda Israelitarum, non ut subderent se Regibus, quod poterant ex libertate, ac nativa virtute; sed ut subderent se cum bona voluntate & cum merito. *Non enim*, inquit ibi eximius Ecclesiæ Doctor, *non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt, quod fecerunt corde pacifico*. Et nos quidem ad bonam voluntatem, ac meritum post Adæ culpam esse necessariam prædeterminationem contendimus.

Opp. 2. Deus est cujusque effectus creati prima caussa. Sed non est caussa nisi per efficacem præfinitionem: ergo evenit efficaci divina præfinitione quicunque effectus. Confirmatur hæc, quam Thomistæ palmarem putant, argumentatio. Principio exigit ratio primæ caussæ, ut sit primum movens: Ergo & illud jure suo petit, ut sit primum determinans. Deinde sine præmotione prædeterminante non salvatur perfectissima dependentia caussarum secundarum a prima; hæc enim debet esse major, & perfectior quam possit excogitari. Magis autem ab alio dependet quod ab eo necessario prædeterminatur, quam id, quod versatili agitur universalique motione. Tertio postulat supremum dominium Dei, ut specialem in creaturis suis potestatem exerceat; Ergo supremi dominii titulo debet Deus prædeterminase creaturas suas. Rursus si præmotio Dei universalis determinetur a voluntate, voluntas erit prima caussa determinationis comparate ad motionem divinam; quod valde videtur absurdum: Ergo caussa secunda & proxima minime determinat universalem Dei præmotionem. Postremo caussæ secundæ sunt universalis ac primæ instrumenta: Instrumenta a primario agente prædeterminantur: Ergo caussæ secundæ prædeterminantur a prima & universali.

Resp. nego minorem. Salvatur enim, ut diximus, absque physica prædeterminatione, in Deo ratio supremæ caussæ, & quia ipse contulit caussis liberis facultatem, easque dominas constituit operationum suarum: & quia eas præmovet generaliter, incessanter illuminando, & inclinationem in bonum illis inspirando; quod etiam eas regat, servet, & simultaneo concursu ipsis individuus auxiliator assistat. Hac ratione semper Deus est prima caussa, quamvis liberos actus caussarum secundarum non prædefiniat: Ad primam confirmationem dico, in nostra quoque sententia Deum esse primum prædeterminantem, cum ille voluntatem creatam antecedenter ad qualemcunque motionem ipsius determinet ad bonum in communi; & virtute hujus prædeterminationis rationalis creatura plenam facultatem, potestatemque recipiens facta domina suorum actuum semetipsam ad bonum in particulari determinet.

Ad alteram confirmationem dico in eo sitam esse perfectissimam secundarum caussarum dependentiam, ut prodire nequeant in actum, nisi a caussa suprema existentiam, regimen, atque facultatem recipiant. Habet autem hæc dependentia quamdam extensionem & amplitudinem. Caussæ enim necessariæ ita dependent a prima, ut expertes sint indifferentiæ, neque valeant Deo præmovente contraniti. At liberæ ita Deo subduntur, ut accepta virtute adhuc indifferentes sint ad utrumlibet. Quæ libertas nullatenus dependentiæ adversatur; ea namque & voluntate Conditoris donatæ sunt, & possent pro ejus arbitratu expoliari. Quamobrem constituta hac caussarum secundarum diversitate, si quæ liberæ factæ sunt egent sola universali motione, nullum infertur supremo dominio Dei præjudicium, sed in ea libertate commendatur consilium, placitum, & liberalitas Auctoris. Alioqui si omnes res creatæ eodem pacto subditę fiant universorum Motori, erunt omnes necessarię, nec resistere poterunt pręmoventi: nam hęc est major dependentia, quam si derelinquantur a Deo in manu consilii sui. Sed horrent Christianę aures hanc Calvinianam blasphemiam.

Quod ajunt caussas secundas in nostra sententia determinare concursum Dei, perinde est ac si dicant voluntatem creatam uti vel abuti pro sua libertate concursu Dei, qui illius non prędeterminat indifferentiam. Ex quo nihil Deo indignum consequitur. Etenim non reddit creatura efficacem Dei concursum, sed ipsa virtute concursus Dei propriam exercet efficientiam, exeritque vires suas in opus, non in Dei pręmotionem. Manifesta hęc fiunt ex conditione supernaturalium habituum, qui non sunt ad actus determinati; & si eis voluntas utitur, recipit, non dat eis efficiendi virtutem. Falsum quoque est determinationem creaturarum esse divina determinatione priorem; nam efficitur opus ab utraque indivisim; & alias creatura determinat sese virtute præmotionis divinæ: quod satis arbitror repetitum.

In postrema confirmatione non opus est morari diutius. Nam aliud est instrumentum inanime & vita carens, aliud vitale, activum, & dominio ac libertate donatum. Hujus generis sunt creaturæ rationales respectu Dei: quæ cum sint constitutæ essentialiter indifferentes, non opus est ut a caussa præterminante ad instar mallei, serræ, runcinæque applicentur.

Opp. 3. Qui ad nostras partes trahere student Doctorem Angelicum, nimium se demonstrant in ejus lectione peregrinos. Innumera sunt testimonia quæ de ejus mente reddunt nos certiores. Reduci ea possunt ad quatuor capita. Docet primo omnes caussas secundas moveri a prima, & voluntates nostras ejusque effectus a Deo cognosci per hoc quod sit nobis caussa volendi, ut 1. P. q. cv. art. 4. & iii. contra Gentes cap. 56. Affirmat 2. Deum caussas secundas inclinare, ut 1. P. q. 60. art. 2. & q. 116. art. 1. Tertio asserit omnem caussam contingentem determinari ad effectum ab aliquo exteriori, ut 2. Physicorum textu 48. & vi. Metaph. lect. 3. Quarto ait voluntate Dei non solum res produci, sed etiam modum, quo producantur prædeterminari, ut 1. ad Annib. dist. 47. art. iv. Exemit omnes scrupulos circa D. Thomæ doctrinam in suo erudito Opere de divina motione Antoninus Massoulie.

Resp. posse hæc omnia facillime cum hac sententia conciliari. Nam auctore D. Thoma Deus est caussa prima omnium effectuum etiam contingentium, duplici titulo, 1. quia fiunt omnia ex præmotione ejus universali, ut docet 1. 2. Q. ix. art. 6. 3., deinde quia sicut motus gravium & levium tribuuntur generanti, qui dedit formam, ita omnis operatio tribuitur Deo, qui dedit virtutem; ut explicat in 3. contra Gentes cap. 67. Similiter docet primum agens subditas sibi caussas inclinare, in quantum *inclinatio naturalis est indita ab Auctore naturæ*, ut explicat 1. p. q. ix. art. 1. ad 2., non autem præordinare fatali necessitate, de qua disputat citata Quæst. cxvi. art. 1. Præterea sapientissime in 2. Physic. scribit caussam contingentem determinari ab exteriori principio, quum ibidem assignet discrimen inter caussam secundam & primam, quæ non habet ab alia caussa inclinationem ad bonum in communi, qua voluntas se determinat ad bonum in particulari, ut supra ostendimus ex lib. 1. contra Gent. cap. 82. Explicabimus ergo hæc, aliaque id genus de præmotione universali, & determinatione ad illam volitionem, in qua, ut ille ait, tanquam conclusiones in principiis, ceteræ continentur. Tandem per D. Thomam Deus in rebus producendis modum determinavit, quia decrevit alias condere necessarias, & alias liberas; & quibusdam effectibus aptavit caussas quæ deficere possunt, quibusdam autem defectibiles, ut inquit 1. Parte Q. xix. art. 8. Atque hæc malumus respondere, quam D. Thomam, ut quidam fecerunt, tanquam vulgarem scriptorem dimittere. Quanta autem probabilitate id præstiterimus constat & ex dictis, & ex Opere edito in defensionem S. Thomæ ab erudito viro Petro a S. Joseph Monacho Fuliensi.

Opp. ultimo: In principio indifferenti videri nequeunt certo & infallibiliter res futuræ.

Resp. dist. proposit. In principio indifferenti *passive*, concedo: in principio indifferenti *active*, subdist. videri nequeunt infallibiliter ab homine vel ab Angelo, quibus præsens non est determinatio caussæ liberæ, & opus inde proveniens, concedo: videri nequeunt a Deo, cujus sempiternæ menti & simplicissimo aspectui sunt omnia *objective* præsentia, nego. Sed hujus argumenti levitas satis ex antecedentibus potest deprehendi.

CAPUT VII.

Deum non prævidere mala culpæ in decreto efficaciter prædeterminante materiale peccati.

ET in hoc capite, quod consectarium est præcedentis, ab Assertoribus physicæ prædeterminationis est recedendum. Distinguunt hi, ne faciant Deum auctorem peccati, in operibus malis actionem, ac deficientiam secundæ caussæ: est enim peccatum *factum, vel dictum, vel concupitum contra legem æternam*. Quod sit *factum, vel dictum, vel concupitum*, pertinet ad substantiam actus, & dicitur *materiale peccati*; quod vero sit dissonum a lege æterna, est in peccato, ut inquiunt, *formale*. Itaque cum doceant prædeterminationem exigi a dependentia caussarum secundarum, coguntur asserere prædefiniri a Deo peccatum ut actio est; & ne ad Calvinianum dogma declinent, negant a Deo prædeterminari illius actionis malitiam. Sentiunt id Thomistæ doctissimi Alvarez, Lemos, Ledesma, Joannes a S. Thoma, Gonetus, Salmanticenses, Gotti, alii. Nonnulli tamen, qui etiam sequuntur doctrinam Angelici, negant Deum prædeterminare entitatem & substantiam actus mali, licet fateantur ad eam immediate concurrere, quod refert Alvarez lib. 3. de Auxiliis disp. xxiv. & Ledesma Q. de Aux. art. 18. ubi laudat sapientissimum Magistrum Zumel. Commemorant Salmanticenses Tract. 4. de Volunt. Dei disp.

10. etiam Gonzales, Addimus Lodovicum Bancel, qui media incedens via contendit Deum prædeterminare actum malum sufficienter, non *positive efficaciter*. Auctore ergo Ledesma, & Alvarez, judicio aliquorum Thomistarum prædeterminatio necessaria non est eo titulo, quo illam plures propugnant; neque omnes, qui sequuntur Angelici Doctoris placita, de ejus mente concordant. Extra Thomistarum castra vix invenies, qui hanc prædeterminationem ad actus malos approbent de mente D. Thomæ parum solliciti. At nos dum istorum opinioni plenis votis subscribimus, ut fecimus hactenus, etiam beato Thomæ erimus obsequentissimi.

PROPOSITIO I. Non videt Deus mala culpæ in decreto, seu prædeterminatione actus, cui adnectitur peccati malitia.

Augustini, aliorumque Patrum auctoritate hæc propositio probatur. Ait S. P. de Prædest. SS. cap. x. *Prædestinatio sine præscientia esse non potest; potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus; præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit; sicut quæcumque peccata.* Et lib. 3. de lib. arbitrio cap. IV. *Omnia, quorum Deus est auctor, præscit; non tamen omnium, quæ præscit, ipse auctor est. Quorum autem non est auctor, justus est ultor.* Eadem est doctrina Prosperi in Resp. ad cap. Gallorum cap. 12. & 13. Fulgentii libro ad Monimum 1. cap. 19. & fere omnium Patrum.

Communis est Adversariorum responsio, Augustinum, ejusque Asseclas docere Deum non prædestinare peccata, quantum attinet ad malitiam, ac privationem debitæ rectitudinis, sed ea tantum prædefinire, quatenus sunt actiones physicæ, cum quibus illa privatio connectitur.

Nolo cum Thomassino respondere hanc esse puerilem ineptiam, & distinctiunculam abhorrentem a mente & gravitate Augustini. Abeant hinc rigidi ac superciliosi censores. At assero S. Patrem nunquam existimasse dari actus mali indeclinabilem præmotionem. In primis negat peccata præsciri prædestinatione; quod esset falsum, si prædestinaret actionem physicam, cui indivulse adhæret privatio rectitudinis & malitia; præviderer enim Deus deficientiam actioni conglutinatam in hujus præfinitione, nec verum esset dari aliquando sine prædestinatione præscientiam. Deinde absolute S. Pater affirmat Deum non prædestinare opera mala, malas voluntates, peccata, quæ non solum privationem significant, sed etiam actum; neque ullibi unum secernit ab altero. Præterea per Augustinum Deus permittit quidem peccata, sed non facit; at fortassis non est auctor peccati, qui est auctor actionis, qua posita, peccatum impediri non potest? Rursus ait Augustinus Deum non prædestinare opera, quorum justus est ultor: Deus autem nedum ulciscitur in peccato aversionem a bono, & malitiam pœna damni, sed etiam punit conversionem ad bonum apparens, & actionem physicam pœna sensus. Hujus vero actionis quomodo potest esse justus ultor, si est auctor? Denique & Augustinus, & alii PP. ubi explicant Scripturæ textus, quibus videtur insinuari Deum mala facere, affirmant Deum ea permittere efficacem gratiam subtrahendo, & nullibi commemorant prædefinitionem actus; quod fuisset longe facilius, si Thomistarum probavissent opinationem.

Probatur 2. Argumentis a ratione petitis. Horum primum est, prædeterminationem non requiri ad bona opera naturalia, ut supra diximus; & consequenter multo minus ad mala. Sed pressius urgentur Thomistæ: Deus non est auctor peccati: Atqui esset, si prædeterminaret physicum peccati actum: Ergo illum non prædeterminat. Minorem pluribus momentis demonstro. I. Nulla efficacior caussa peccati potest adinveniri, quam illa, ex qua peccatum sequitur indeclinabiliter: Ex physica prædeterminatione peccatum indeclinabiliter consequitur: Ergo peccati caussa efficacior physica prædeterminatione nequit inveniri. II. Potiori jure est auctor peccati, qui ad peccatum impellit definita præmotione, quam ad peccatum trahens suggestione ac suasione nihil intrinsecum operando in hominum voluntate: diabolus, qui trahit ad peccatum suggestione ac suasione, est auctor peccati: Ergo potiori jure erit auctor peccati Deus, si ad illud certa prædestinatione præmoveat. III. Posita lege prohibente E. G. homicidium, si Deus illius actum efficaciter prædestinaret, quisquis occideret, conformaret se divinæ voluntatis decreto: Igitur aut non peccaret, aut peccatum divina voluntate committeretur.

Repetunt eamdem cantilenam Adversarii, Deum non esse caussam peccati, quia vult actionem, non malitiam; Diabolum ex adverso malitiam intendere, non actionem: prædestinari a prima caussa substantiam actus, non rectitudinis privationem.

Insurgerent Maurus libro 2. quæst. LXXXI. & Tournely Tom. I. pag. 387. neque Calvinum affirmasse Deum prædeterminare voluntatem malam quatenus mala est; lib. enim 1. Institut. cap. 18. n. 4. loquens de defectione Tribuum a Filio Salomonis ait: *Videmus ut Deus perfidiam nolendo, defectionem tamen alio fine juste velit.* Sed non sunt hoc libramento ponderanda Catholicorum scita virorum. Calvinus enim ait ex divina præfinitione consequi peccata necessitare; quod non affirmant Thomistæ. Refutantur tamen; quisquis enim vult opus malum, etiam malitiam velit necesse est: alias posset quisque voluntarie oculos effodere, vulneribus hostem configere, amputare caput, & nihilominus non esse caussam cæcitatis ac mortis. Quod in agentibus consilio ac libertate insanum est judicare. Ad hæc malitia peccati, & privatio debitæ rectitudinis, cum non sint entitates, non efficiuntur per se & directe, sed tantum ratione actus positivi: Igitur quisquis actum positivum caussat, caussa est saltem indirecta malitiæ. Ulterius nec voluntas creata vult malum qua malum, sed solum actum cui est annexa malitia, & nihilominus est mali caussa effectrix. Diabolus autem intendit quidem malitiam, sed hæc sæpenumero præscindi nequit a materiale peccati; & si ratione nostra sejungitur, inseparabilis tamen est ab hac numero actione in his rerum circumstantiis patrata, E. G. ab homicidio, prohibente lege, a privato homine voluntarie commisso. Quapropter ad hanc individuam actionem concurrere nequit Deus prædeterminante concursu.

Possent itaque nonnullis videri Thomistarum evasiones cohærentes doctrinæ Chrysippi; quod paucis explicabo, cum nullus hactenus, ut arbitror, id animadverterit. Nota est opinio Democriti, qui opinabatur omnia ab antecedentibus caussis necessitate pendere. Hinc, ut diximus c. III. originem habuit sententia quorumdam existimantium omnia provenire ex fatali siderum constitutione; de quo Manilius lib. IV.

Fata regunt orbem: certa stant omnia lege;
Longaque per certos signantur tempora casus.
Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.

Hi arbitrium servum plane statuerunt. Chrysippus Cleanthis in schola Zenonis successor, voluit, ut ait Cicero in lib. de Fato, *tanquam honorarius arbiter medium ferire.* Affirmavit itaque revera omnia fato evenire, indeclinabilem esse præmotionem caussarum secundarum, malum tamen tribuendum esse caussis proximis, non supremis ac principalibus; quoniam ab his est solus actus, ab illis vero defectus. Hanc rem illustrabat sequenti similitudine: *Ut qui protrusit cylindrum*, ait Cicero, *dedit ei principium motus, volubilitatem autem non dedit.* Legite Eusebium lib. VI. de Præp. Evangel. cap. VI. Alexandrum Aphrodiensem libro de Fato, & Justum Lipsium lib. I. Stoicæ Philosoph. dissert. XIV. hunc tamen caute. Nos quidem a nomine Fati abhorrentes dispositionem certam divinæ providentiæ fatemur, qua caussas necessarias & liberas Deus disponit ac regit, illas prædeterminando, has indifferenter præmovendo, & singularum determinationes immutabili præscientia prævidendo. Impius Calvinus vult caussam primam prædestinare actus malos, & istos absoluta necessitate evenire: Thomistæ defendunt prædestinationem actus, sed non malitiæ, quam in caussam proximam refundendam esse propugnant. Toto igitur cælo distant ab hæresi Calviniana; & qui eos audent insimulare, sunt, me judice, iniquissimi obtrectatores. Verum (quod absque livore dictum sit, & absque præjudicio Scholæ Thomisticæ) videtur Calvinus alter Democritus, & assertor prædeterminationis actus mali alter Chrysippus.

PROPOSITIO II. Nec D. Thomas certo adstruit prædeterminationem physicam ad *materiale* peccati.

Ad loca Doctoris Angelici præcedenti capite producta hæc accedunt. Primo quæst. LXXX. I. 2. art. I. ait. *Peccatum actus quidam est, unde hoc modo potest esse aliquid directe caussa peccati, per quem modum aliquis directe est caussa alicujus actus, quod quidem non contingit nisi per hoc quod proprium principium illius actus movet ad agendum.* Ex quibus infert voluntatem esse directe caussam peccati, quia seipsam interius movet ad actum, Diabolum vero caussam indirectam, quia exterius suadet & allicit. Igitur si Deus ad agendum moveat intrinsece efficaciter præmovendo, uti facit seipsam determinando voluntas, erit per D. Thomam auctor & caussa peccati. Præterea Q. XLIX. I. p. art. I. demonstrat quod agens producens aliquam formam est caussa per accidens corruptionis alterius, quoniam etsi agens tantummodo intendat formam producere, *ad formam intentam ab agente sequitur ex necessitate alterius formæ privatio.* Itaque etiam si Deus solam physicam actionem prædefiniat, cum ex ea consequatur malitia & privatio debitæ rectitudinis, erit illius privationis caussa saltem per accidens. Ulterius S. Thomas I. P. Q. XIX. art. IX. distinguit malum culpæ a malo pœnæ, & a malo naturalis defectus, docens Deum prædeterminare mala posterioris generis ratione boni, cui sunt conjuncta, & mala culpæ nullo modo velle neque ratione sui, neque ratione alicujus boni, cui ipsa adhærescant: *Malum culpæ*, inquit, *quod privat ordine ad bonum divinum, nullo modo vult, sed malum naturalis defectus, vel malum pœnæ vult volendo aliquod bonum, cui conjungitur tale malum.* Igitur Deus non vult mala culpæ, nec etiam prædefiniendo physicam actionem, atque entitatem ipsis conjunctam. Postremo S. Thomas exponens quomodo Deus ad peccatum inclinet, Comm. in cap. IX. ad Roman. ait Deum caussare malitiam tantum permissive, *quia scilicet ex suo juste judicio permittit ruere in peccatum ob præcedentes iniquitates.* Paulo infra ait moveri a Deo homines ad bonum & malum: ad bonum quidem directe & per se; ad malum autem occasionaliter, *in quantum scilicet Deus homini aliquid proponit vel interius, vel*

exterius, quod quantum est de se, inductivum est ad bonum. Sed homo propter suam malitiam perverse utitur ad malum. Quæstione pariter v. de Veritate docet circa male non dari etiam providentiam, quam *concessionis*, *seu permissionis*. Negat igitur S. Thomas physicam prædeterminationem ad malum.

Clamant sapientes viri quamplures, Angelicum Doctorem negare divinam prædeterminationem ad malitiam, non ad actionem: asserere in 2. dist. 37. q. 2. art. 2. opinionem, quæ docet actus peccatorum, nec etiam in quantum actus sunt e Deo esse, e paucis teneri: nil frequentius legi in aureis Thomæ libris, quam Deum esse primam caussam cujusque actionis, non solum permittendo, sed etiam movendo, ut q. 3. de malo art. 2. & III. contra Gentes cap. 89. Ab eo memorari etiam *prædeterminationem* in 1. dist. 36. quæst. 2. art. 3. & q. 3. de Verit. art. 1. falli demum, qui negant, hanc vocem in scriptis *ipsius* reperiri.

At fas sit mihi reponere, hæc omnia nullius esse momenti. Falsum est enim beatissimum Thomam in locis e me productis non denegare prædeterminationem ad actionem peccati. Part. 2. quæst. 80. art. 1. docet esse caussam peccati, qui directe movet ad actum, quemadmodum est voluntas creata, quæ tamen non intendit malitiam. Idem evincit allatum exemplum agentis, qui dum formem producit, caussa est privationis alterius. Neque poterat S. Thomas expressius loqui, quam asserendo Deum *nullo modo* velle peccata, & hæc spectare ad solam providentiam *concessionis*. Rectissime autem scribit actus peccatorum esse a Deo, nec aliquam dari actionem, quæ non proveniat a prima caussa: at necesse non est, ut hæc vera esse dicantur, quod actus omnes prædestinentur; quandoquidem sufficit, si voluntas determinet se virtute universalis præmotionis, & Deus immediate ad omnes ejus concurret operationes. Quod præcedenti cap. dictum est; & colligitur quoque ex animadversionibus Ferrariensis in lib. 3. contra Gent. cap. 89. dicentis salvari quod Deus sit primum movens, si homo per ejus motionem ad ultimum finem convertatur. Plura ad hæc illustranda attulimus supra. Denique beatum Thomam nullibi prædeterminationis meminisse imperiti scripserant. Meminit in 1. dist. 36. prædeterminationis rerum faciendarum juxta ideam vel rationem in Deo existentem; & hæc prædeterminatio est decretum producendi cum res liberas, tum necessarias: meminit quæst. 3. de Verit. art. 1. prædeterminationis efficientis substantias rerum; & hæc prædeterminatio est ordo cujusque creaturæ in suum finem. Ceterum prædeterminationis ad materiele peccati ubi meminit? Si quis apertissimum locum protulerit, dabo me victum: malo enim subigi veritate, quam pertinaciter disputare.

EXPEDIUNTUR OBJECTIONES.

Opp. 1. Prædeterminare Deum peccata, eaque prævidere in definito consilio voluntatis suæ colligitur ex sacris literis. Est ergo verissima opinio hactenus impugnata. Prob. ant. ex cap. II. Act. v. 2. ubi legimus Jesum *Definito consilio, & præscientia Dei traditum*. Et cap. IV. 27. de Pontio Pilatu & Herode scribitur convenisse *facere quæ manus & consilium Dei decreverunt fieri*. Item habetur Lucæ XXII. 22. *Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit*. At occisio Christi teterrimum horrendissimumque scelus fuit. Igitur etiam peccata definiuntur ac prædeterminentur e Deo.

Resp. nego ant. ad prob. dico utique Deum prædeterminasse passionem Christi, maximum caritatis suæ opus, & ad redemptionem humani generis ex infinita ejus misericordia præordinatum, et Judæorum perfidiam, lictorum executionem, impietatem crucifixorum Deum prædefinisse, etiam quantum ad actum physicum spectat, non potest ex præfatis Scripturarum locis evinci. Verissima est eorumdem expositio, decrevisse Deum mundi reparationem, & cum præscientia sua intueretur in æternitate voluntatem Judæorum, qui aspernabantur Christi doctrinam, eumque maximo odio insectebantur, hac veluti oblata occasione Redemptionem hominum perfici voluisse. Hac ratione ex parte Dei & prædeterminatio passionis Christi, & permissio culpæ Judæorum eodem momento statuta sunt: nostra autem cogitatione prædefinitio passionis permissionem peccati præcedit. Hæc interpretatio ex locis quæ objiciuntur, ex Patribus, & ex ratione firmatur. Act. II. simul ponitur *definitum consilium & præscientia*, quod non fuerit citra perfidiæ Judaicæ præscientiam decretum crucifixionis: sed Deus, cui notissima sunt quæ infallibiliter, & quæ contingenter sunt futura, decrevit ut quod a sua voluntate pendebat compleretur actionibus improborum, quæ illorum arbitrio decernerentur. Sequenti cap. IV. apposite dictum est, *Quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri*: non, *decreverunt illos facere*, ut animadvertamus decretam a Deo passionem Christi, non actionem Judæ, non Herodis, non Hebræorum, non Pilati: atque hanc permisisse liberam eorum determinationem supercomprehendendo. Hæc respondent Justinus adversus Tryphonem, Origenes in Genes., & S. Leo serm. XIV. de Passione Domini. Hujus, quem merito dixeris Latinum Chrysostomum, hæc sunt verba: *Multum diversum, multoque contrarium est id quod in malignitate Judæorum est præcognitum, & quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi, nec de uno extitit spiritu atrocitas sceleris & tolerantia Redemptoris. Non enim impias furentium manus in se immisit Dominus, sed admisit: nec præsciendo quid faciendum esset coegit ut fieret, cum tamen ad hoc carnem suscepisset ut fieret.* Ratio autem est, quia fiunt Deo prædeterminante opere, ad quæ hominis vires non suppetunt: & Augustinus inquit in lib. de corrept. & grat. cap. XI. *liberum arbitrium ad malum sufficit*. Prætermitto etiam Calvinum uti præfato argumento, ut probet Deum auctorem esse peccati: & firmiter pronuncio cum Prospero ad Ob. Vincentianas: *Non casus mentium, nec malignitatem iniquorum, nec cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut excitavit, aut suasit, aut impulit.*

Opp. 2. Falsum est Deum, si prædefiniat actiones malas, fore caussam peccati. Ergo non est rejicienda ex isto capite physica ad actum malum prædeterminatio. Antecedens pluribus suadetur momentis. I. Quotiescunque plures caussæ concurrunt ad eumdem effectum, vitium non in caussam remotam refunditur, sed in proximam. Si puer inelegantes efformet apices, non Magistri dirigentis, sed pueri brachio tribuitur conscribillatio. Citharam pulsante experto Fidicine, si qua sit dissonantia, instrumento tantum adscribitur. Nunquam solem, sed terrene corpora caussam dicimus, si aliquando monstra gignantur; neque dum claudus ambulat, moventem animam reprehendimus, sed tibiam. Quomodo ergo erit Deus caussa peccati, dum prædeterminat actiones malas; si est caussa universalis, non proxima? II. Quamquam actionem, qua Deus infundit corpori animam post Adæ lapsum, consequatur peccatum originale, non tamen est Deus caussa originalis peccati: Igitur neque erit caussa peccati actualis, etiam si prædefiniat actionem, cui tale peccatum conglutinatur. III. Dum impius Minister Sacramenta conficit aut dispensat, quorum Deus caussa est effectrix aut princeps, irretitur crimine sacrilegii, cujus reatum nemo tribuerit Deo Auctori Sacramentorum. Cur vero si caussæt physicam actionem peccati, divinæ sanctitati derogati censendum est? IV. Fatemur Deum universaliter præmovere, & immediate concurrere ad actus malos, neque tamen esse auctorem malitiæ: & quare malitiæ caussam arbitrabimur, si actionem peccati physicam prædeterminet?

His omnibus ex ordine respondemus. Atque ad 1. dist. ant. Refunditur vitium in caussam proximam, non in remotam, dummodo caussa proxima sit ante determinationem caussæ remotæ alias ad vitium determinata, ut in allatis exemplis, concedo: *nisi* sit aliunde caussa proxima determineta, & prædeterminetur a caussa remota nego: & retorqueo argumentum. Quum cithara E. G. jam sit ad sonum asymphonum ex tensione fidium composita, aut claudus ex ligamento fibrarum præpeditus, non est lyristes caussa dissonantiæ, neque anima inæqualis gressus: at si ipse psaltor cytharæ chordas nimium laxet aut tendat, vel sibi quispiam nervum scindat; soni, & gressus non recti ipse citharœdus, & ipse incedens auctores dicendi sunt. Ita si Deus ad peccati actum concurrat cum voluntate creata, quæ non a Deo, sed a seipsa determinetur, malitiæ quidem caussæ non erit; secus autem, si ipsemet actum malum prædeterminet ac prædefiniet. Discrimen præterea est maximum inter vitium physicum & morale; illud namque tribuitur ut plurimum instrumento, istud caussæ determinanti.

Ad 2. neg. cons. Disparitas satis est obvia; nam creatio rationalis animæ non est actio per se connexa cum originali peccato, neque illud ex creatione animæ consequitur, sed ex infectione corporis determinata voluntate Protoparentis & carnali concupiscentia polluti. Contra malitia peccati ex actione prohibita promanat, & idcirco patratur peccatum, quia ponitur actio divino præcepto vetita. Revera productionem animæ non esse per se caussam originalis culpæ fit manifestum, ex quo si anima uniatur corpori nulla affecto contagione, ut fuit corpus primorum parentum, nulla macula contrahatur peccati. At prohibitæ actioni privatio rectitudinis est suapte natura permixta; & reus est E. G. homicidii qui privata auctoritate vulnera infligit. Possumus etiam argumentum in Adversarios retorquere. Non est quidem Deus auctor labis originalis, at esset si ipse pollueret corpus, & seminalem inficeret propagationem, qua animæ reatus traducitur: Ergo & esset caussæ culpæ actualis, si prædefiniret actionem, unde consequitur privatio justitiæ.

Quod sequitur eodem pacto diluitur, quippe Consecrationi non est per se connexum crimen sacrilegii, sed oritur istud ex indignitate ministri; quam dedecet sanctitatem Dei quoquo modo prædefinire. Deinde quomodo demonstrant Adversarii, Deum prædeterminare ministros improbos ad proferenda Sacrosancta consecrationis verba, aut cetera, quæ Sacramentorum formæ dicuntur? Nego isthæc Deo prædeterminante proferri. Præterea debemus actum Sacramenti ab actu sacrilegii secernere: illius minister impius est caussa instrumentalis, hujus vero caussa est principalis. At non repugnat Deum uti malis pravisque hominibus ad opera supernaturalia perficienda, tamquam instrumentis. Ita scelestissimos homines aliquando prophetasse didicimus,

cimns, ut fecit Caiphas; in quo, aliisque hujus generis, prædefinivit Deus sapiens veritatis oracula, non prædestinavit Deus justus opera iniquitatis.

Ad IV. Resp. fore Deum caussam peccati si ad actionem prohibitam physice prædeterminet, non esse si præmoveat universaliter, & immediante concurrat, quoniam vitium ac malitia tribuitur caussæ determinanti. Manifestum id est exemplis priori momento prolatis. Cum enim corpora sublunaria determinent motionem cælestium, non soli tribuitur generatio hominis, ut hominis, sed parentibus, & quia tibia determinat motum animæ, non huic, sed illi obliquus imputatur incessus. Succurret aperta ratio; si quis animadvertat motionem universalem indifferentem esse, & ab indifferenti qua tali neque bonum determinate fieri, neque malum. Si tamen voluntas universali præmotione sese inclinet ad bonum, istud etiam a caussa præmovente dependet, quoniam se determinat virtute universalis agentis, & indita sibi ad bonum inclinatione. Quod si flectatur ad malum, nullo modo istud, prout malum est, adscribitur præmoventi; quia malum non est a caussa movente, sed tantum a deficiente. Concursus vero simultaneus neque præcedit determinationem voluntatis, neque aliud est quam ejus regimen & conservatio. Hanc conservationem statuta lege providentiæ nequit Deus creaturis subtrahere, quin abeant in nihilum: & propterea cum velit mala permittere ut bona eveniant, ad omnia opera creaturarum suarum absque malorum prædeterminatione concurrit.

Opp. 3. Etiam mala præordinantur a Deo: Quæ præordinantur definiuntur: Ergo prædefiniuntur & mala.

Resp. explicando majorem. Deus præordinat mala I. quia sinit homines quandoque in ea labi, ut propriam infirmitatem humiliter fateantur, & virtutem gratiæ supervenientem ex alto suppliciter flagitent: vide Gregorium lib. 2. Moralium cap. 26. II. quia non permittit impios in omnia ruere flagitia, & bonos pro mala voluntate vexare: vide Augustinum de Prædest. SS. cap. 16. III. quia vult, ut improbi qui in donis suis misericordiam contemnunt, in suppliciis experiantur justitiam: vide lib. de Sp. & lit. cap. 35. Itaque propositionem dist. mala præordinantur a Deo permittente, cohibente, ulciscente, concedo: præordinantur a Deo prædeterminante atque impellente, nego majorem.

Opp. ult. Etiam peccatorum, quatenus actiones sunt, Deus est prima causa; nam quidquid est, in quantum est, bonum est. S. Augustinus in III. de Trinit. cap. 4. ait Deum esse primam caussam omnium corporalium & spiritualium motionum. Et D. Anselmus sæpe idem repetit in lib. de casu diaboli cap. 20. & de concordia præsc. & lib. cap. 2. ubi ait Deum in malis prædestinare quod sunt essentialiter, non quod mala sunt. Eadem repetit S. Thomas Q. XX. 1. P. art. 4. Nisi id asseratur, non est quomodo salvari possit certa præscientia malorum.

Habes horum omnium solutionem cap. VI. in quo ostendimus salvari rationem primæ caussæ absque prædeterminatione ad actus liberos. Addam aliqua. Proloquium illud: *Omne quod est, in quantum est, bonum est*, valet in actionibus liberis, quantum spectat ad potestatem, non ad voluntatem, dicente Augustino lib. de Sp. & lit. cap. XXXI. *Apostolus dicit, non est potestas nisi a Deo. Nusquam autem legimus, non est voluntas nisi a Deo. Et recte non scriptum est, quia verum non est; alioquin etiam peccatorum, quod absit, auctor est Deus, si non est voluntas, nisi ab illo.* Ulterius etiam mala voluntas a Deo est, quatenus ad eam inclinatur arbitrium Deo universaliter præmovente.

De auctoritate Anselmi non est cur exultent Thomistæ, quippe eodem libro, eodemque cap. 20. ait: *Cum ergo diabolus convertit voluntatem ad quod non debuit, & ipsum velle & ipsa conversio fuit aliquid; & tamen nonnisi a Deo, & de Dei voluntate aliquid habuit. Quoniam nec velle aliquid, nec movere potuit voluntatem, nisi illo permittente, qui fecit illas naturas substantiales & accidentales, universales & individuales.* Docet cohærenter actiones malas prædestinari essentialiter; quod a Deo prædefinitum sit essentiam creaturæ rationalis esse liberam, ac talis conditionis, ut ipso permittente, & subtrahente efficax auxilium, si velit peccet, si nolit peccare, in justitia permaneat, non possit tamen velle bonum absque speciali motione gratiæ, aut versatilis pro statu innocentiæ, aut victricis post prævaricationem Adami. De D. autem Thoma scripsit olim Campanella Dominicanus a suis in sententiam prædestinationis necessariæ ex titulo dependentiæ trahi invitum, quod & plures affirmant etiam ex Thomistis apud Joannem Marinum Tract. VIII. de Lib. arbitrio disp. II. sect. V. Quam facile exponi possint ejus testimonia, quæ videntur contraria, puto satis a me declaratum.

Consequens est ergo, ut peccata videantur a Deo in ideis rerum, in quantum ideæ exhibent perfectionem, a qua peccata deflectunt, ut in I. sent. dist. XXXVIII. docet Ægidius, & nos statuimus Cap. V. Neque vero obstat quod opponit Frassen in ideis non repræsentari res determinatas; quippe id falsum est de ideis in Dei sempiterna mente existentibus, cui nihil futurum est, quemadmodum cap. IV. explicavi. *Nihil igitur vetat*, inquit vir eruditus Joannes Baptista Du-Hamelius lib. IV. de Scientia cap. V. *quominus cum Ægidio Romano statuamus Deum futura omnia in sui ideis, in sua essentia, ut in caussa libera, continere.*

CAPUT VIII.

Neque futura ordinis supernaturalis status naturæ innocentis a Deo prævideri in Decreto absoluta ac prædeterminante.

TERTIUM dissidium inter nos, & D. Thomæ discipulos est de operibus supernaturalibus ad statum naturæ integræ pertinentibus; in quibus illi gratiam per se efficacem propugnant, nos unius versatilis asserimus necessitatem; & consequenter arbitramur bonorum Angelorum perseverantiam in nullo prædeterminante decreto fuisse prævisam. Facit autem inter Augustinenses ac Thomistas discrepantiam, verborum Augustini, quem utrique pari studio prosequimur, multiplex sensus, atque ob disputantium ambages perplexus. Inter eos, qui SS. Angelorum gratiam contendunt fuisse victricem, ceteros eruditione ac doctrina antecellunt Antoninus Reginaldus, Estius, Sylvius, Thomas Angelus, Contensonius, Gotti, & qui de hoc argumento edidit librum, qui inscribitur, *Divus Augustinus Divo Thomæ conciliatus*, Hyacinthus Serry in Patavina Academia Professor Primarius. Scripsit & de hac quæstione fusiori calamo Stephanus Vicentinus Congregationis Oratorii Presbyter eruditus. Nulla alia gratia, quam indifferenti creaturam innocentem indiguisse ex nostris, qui posteriori floruerunt ætate, docent Christianus Lupus, Cardinalis Norisius, Fulgentius Bellelli, Basilius Poncius, Lafosse, Vanroy, Piette, Joannes Schuveitzerus, aliique numero & eruditione præcipui. Efficacem gratiam Angelis quoque stantibus collatam scripserunt Casalius, Coquæus, Gavardi, & Girken, quos nobis Serrius opponit, & alii etiam numero longe plures; sed neque hi efficacem gratiam, saltem omnes, volunt esse prædeterminantem, & toto cælo a Thomistis recedunt. Argentinam haud recte a viro clarissimo citari, poterit quisque proprio otio videre: nam in II. dist. IV. & V. art. I. solum ait, non fuisse Angelis necessariam ad merendum gratiam habitualem, sed sufficientem fuisse motum factum in mente specialiter ab ipso Deo: ubi neque motionem prædeterminantem commemorat, neque voluntatis victricem inclinationem, in qua potissimum sita est gratia efficax. De Ægidio Romano, & de D. Thoma quædam dicturus sum paullo infra.

Vindicat sibi hæc quæstio locum parte horum librorum secunda; sed cum videatur necessaria ad percipiendum Theologiæ nostræ systema, in illam inquirendum est modo; & alibi si quæ residua erunt, opportunius colligenda. Exponam autem sententiam, quam puto Augustini, alloquens adolescentes, non pugnans adversus viros doctissimos:

Quid enim contendat hirundo
Cycnis? aut quidnam tremulis facere artubus hædi
Consimile in cursu possint, ac fortis equi vis?

Itaque hæc nostra sententia est. Adam & Angeli non opus habebant adjutorio gratiæ efficacis: beati spiritus, qui steterunt, sese gratia versatili ad perseverandum libero arbitrio inflexerunt: supernaturalis gratiæ auxilium, & specialis Dei motio in utroque statu requiritur; sed ut sit per se efficax, & prædeterminans exigit infirmitatis conditio, & vulnus naturæ; verbo dicam: perseverantia creaturæ innocentis conditioni annexa fuit non inferenti, sed indifferenti, sub qua Deus illam in æternitate præviderat.

Quoniam vero Adversarii nos suppresso nomine Jansenianos appellant, quod de hoc argumento scripserit etiam Iprensis Episcopus, Antonius Arnaldus, Vincentius Lenis, & quidam alii Jansenismi nota traducti, atque novitatis vocabulo opinionem nostram designant, quo in vulgus Theologorum sparsa erroris excipiatur execratione; præmittendum duxi, neque novam esse, neque characterem vel minimum dogmatis Janseniani, quod recto judicio, provido que consilio Romana Ecclesia damnavit. Fuit ergo opinio veterum Theologorum, quatuor esse gratiarum genera, habitualem quæ perficit naturam, conservationem ipsius habitus, cooperationem Dei ac præmotionem universalem in operibus naturalibus, & specialem in supernaturalibus, & demum motionem quamdam per auxilium excitans, quod faciat hominem velle, & prioribus donis bene uti: nos post Adæ lapsum vitiatos omnibus hisce donis muniri: at creaturam innocentem, cum esset condita cum bona voluntate & amore casto, neque ullis concupiscentiæ fluctibus jactaretur, dummodo haberet illam præmotionem indifferentem, potuisse perseverare absque gratia voluntatem efficaciter excitante. Hæc docuerunt Gregorius Ariminensis in 2. dist. 29. quæst. I. concl. 2. & 3. Joan. Major eodem loco, Driedo libro de Conc. libertatis & Prædest. cap. 3. Alphonsus Curiel in I. 2. quæst. 10. art. 10. dub. 2. §. 4. Quid singulos percenseo? Etiam Bellarminus lib. I. de Gratia primi Hominis cap. 4. Hæc est nostra de Gratia creaturæ innocentis tradita ab antiquis opinio. Addidit Jansenius gratiam etiam delectationis & voluntatis, non efficaciter excitantem, sed arbitrii pedissequam. Stephanus Dechamps lib. 3. de Hæresi Janseniana cap. XV. & seq. illud tantum in Jansenio reprehendit, quod præter gratiam habitualem,

lem, etiam motionem voluntatis in statu innocentiæ existimet necessariam; cum gratia Adami hanc motionem minime, ut ille putat, amplecteretur. Hæc opinio Jansenii nullatenus ad nostram cum Thomistis pertinet controversiam. Sive enim dicamus potuisse Adam perseverare eum sola gratia habituali, sive necessariam ei fuisse gratiam actualem indifferenter moventem; semper stat in illo felicitatis statu non fuisse collatam, nec necessariam ad perseverandum gratiam victricem. Profecto in quo fuerit constituta gratia creaturæ innocentis dicam alibi: nunc tantum contendo non fuisse etiam permanentium Angelorum auxilium natura sua prædeterminans; neque facem nobis prætulisse Jansenium; sed vetustos, maximosque Theologos, quorum invalescens recentiorum cavillatio sensim induxerat oblivionem. At, auspice Deo, tanta Theologorum approbatione Augustiniana sententia restituta est, ut in publicam absque larva possit incedere. Tuentur illam Patres Benedictini, Thomassinus, Witasse, Franciscus Macedo, Habert, L'Herminier, Le Cocq, Juenin, & ne singulos recenseam, satis est Hennom tract. de Principiis act. human. disp. 2. quæst. v. art. 3. & Bellarminum loco citato asserere illam esse communem. Hæc ad retundendas oppugnantium calumnias opus erat præfari; quas tamen incautis arbitrandum est excidisse: vel saltem eorum censura illos tantum perstringit, qui ex præfato statuum discrimine inferunt fallaci consecutione non dari modo nisi adjutorium quo, & gratiam efficacem, aut alia in absurda prorumpunt, quæ ex fonte puro Janseniani summa cum cæcitate nequitia arbitrantur effluere.

PROPOSITIO I. Innocens creatura auxilio prædeterminantis gratiæ non indigebat, & consequenter minime novit Deus perseverantiam Angelorum in efficaci suæ voluntatis decreto.

Traditur hæc propositio a S. P. Augustino lib. de Corrept. & gratia cap. x. xi. & xii. Ex quibus hæc eruuntur argumenta. Sit primum. Cum Adrumetini Monasterii quidam Monachi, lecta in Augustini libro de gratia & lib. arbitrio sententia de gratia efficaci & de gratuita electione, (quem librum illuc S. P. direxerat, ut erumpentia inde Semipelagianismi germina evelleret) contra Augustinianam doctrinam insurgerent, asserentes neminem esse corripiendum si divinæ non obtemperet legi, quum excusari possit quod destitutus sit illa gratia, sine qua opus non perficitur salutare, & quæ non omnibus præparatur; provide Augustinus gliscenti occurrens errori librum de Correptione & gratia conscripsit: quem S. Prosper plenum vocat auctoritatis divinæ, & Cardinalis Norisius, PP. S. Mauri, Boudartius, & alii appellant ceterorum S. Augustini librorum contra inimicos gratiæ Dei auream clavem. Hoc in Opere S. Pater objectionem Adrumetinorum solvit, quoniam ita constituit Deus rationalem creaturam, ut simul naturam conderet, & elargiretur gratiam, qua opitulante posset in accepta justitia perseverare si vellet; atque ut vellet in ejus reliquit arbitrio. Ait tali gratia in prima conditione donatos Angelos, & aliquos per liberum arbitrium stetisse, aliquos vero per liberum arbitrium cecidisse; ac potuisse perseverare etiam Adam eodem adjutorio suffultum, & ideo recte esse corripiendos qui gratia ad perseverandum necessaria destituuntur, quoniam illam in protoparente receperunt; is vero acceptis donis libertate sua male usus reddidit secum posteros omnes infirmos. Huic per peccatum contractæ infirmitati subventum esse uberiori gratia, quæ non solum dat posse, sed etiam velle: hanc tamen divina misericordia uni, non alteri, inscrutabili Dei judicio, parari. Quapropter qui non habet donum perseverantiæ eo caret in pœnam peccati, & juste corripitur: qui habet, habet ex dono misericordiæ, & illi divino beneplacito præparatur: Hæc est summa Augustinianæ doctrinæ. Atqui si necessaria fuisset creaturæ innocenti gratia prædeterminans, inanem Augustinus lusisset operam, neque Monachorum satisfecisset argutationibus. Non ergo creaturæ innocenti fuit necessarium efficax istud, ac prædeterminans gratiæ auxilium. Probatur minor; nam si vera est Thomistarum sententia, non ob aliam caussam Deus Adamo gratiam victricem non est elargitus, nisi quia est donorum suorum supremus Dominus, neque aliud respondendum est juxta horum Theologorum principia Adrumetinorum objectioni. Quam profecto obviam, vulgatissimamque responsionem nunquam S. Pater adhibuit.

Quoniam vero futilem hanc nostram, spuriamque consecutionem putant Thomistæ, trahunt enim perdifficiles quæstiones in diversa judicia etiam assiduos veri amatores, lubeat illam enucleatius exponere. Principio S. P. cap. x. ait: *Saluberrime confitemur, quod rectissime credimus Deum Dominumque rerum omnium.... sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid eorum posset liberum arbitrium, deinde quid posset sua gratia beneficium, justitiæque judicium.* Intellige arbitrium suffultum gratia aliqua, & auxilio *sine quo*; quippe si istud *primo homini vel Angelis, cum primum facti sunt, defuisset, non utique sua culpa cecidissent.* Atqui si Angeli, & primus homo indiguissent ad perseverandum gratia victrice, nequaquam subsisteret allatum discrimen, nequaquam experti essemus quid posset sanum arbitrium cum sufficienti adjutorio, & deinde quanto sit robustius beneficium gratiæ sanantis. Ergo creatura innocens non opus habebat victricis gratiæ adjutorio.

Resp. Thomistæ hæc dici ab Augustino absque efficacis gratiæ exclusione: tam sanum arbitrium, quam infirmum & stare & cadere sua libertate, bene agere & perseverare a Deo præmotum; nullum inde peti utriusque status discrimen: ostensum fuisse in Adæ lapsu, quid possit arbitrium sibi relictum, in perseverantia Angelorum quid valeat arbitrium efficaci auxilio suffultum.

Verum, etsi rectissime dicunt in utroque statu libertate sua hominem & peccare & mereri, non tamen si utrobique necessaria sit gratia efficax, quid valeant arbitrii vires poterimus experiri. Si enim duo E. G. æquali luce indigeant ad videndum corpus coloratum, aut pari auxilio ad ferendum pondus; quomodo distingui potest, quisnam sit acie oculi præpollentior, aut vi prævaleat membrorum? Nullus equidem id poterit judicare. At si unus eodem lumine objectum eminus cernat, quod alter nequit nisi cominus intueri: tunc recte apparet unum esse altero oculis vividioribus. Ita si tam creatura innocens, quam fluctibus concupiscentiæ jactata ad standum debeat prædeterminante gratia fulciri; qua ratione dignosci potest quid valeat una præ alia? Sed patens est, apertumque discrimen, si dicatur, illa stare potest cum auxilio versatili; hæc non stat, nisi cum adjutorio victrici & per se efficaci.

Amplius dilucidabitur mens Augustini ex sequentibus. Proximo cap. xi. Gratiam Adamo collatam sic describit. *Tale erat adjutorium, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret, ut vellet.* Quo in loco sermonem institui de gratia prædeterminante, quæ dat ipsum velle, nemo unus dixerit. Paucis interjectis ita Augustinus proloquitur: *Dederat & adjutorium sine quo non posset in ea permanere, si vellet; ut autem vellet in ejus libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere si vellet, quia non deerat adjutorium per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset. Sicut fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi: &c.* Ergo per Augustinum Adam non habuit nisi adjutorium sine quo: Atqui cum tali adjutorio *sine quo* poterat permanere: Igitur ad permanendum non opus habebat alio validiori adjutorio.

Occurrunt Thomistæ asserentes utique Adamo collatam duntaxat gratiam inefficacem: hujus fulcimento potuisse quidem perseverare: neminem id vertere in dubium. Ceterum agi nunc controversiam de gratia necessaria Adamo, non ut perseverare posset, sed ut perseveraret reipsa.

Ad nutum excogitata est hæc Thomistarum responsio; primo quia Augustinus ita statuit discrimen inter hominem innocentem ad lapsum, ut asserat illum *in eo bono, quo factus fuerat rectus, accepisse posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere.* Sanctis vero, ad quos pertinet gratia liberationis, dari etiam ipsam perseverantiam, ipsum adjutorium *quo*, ipsum velle, propterea quod *in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum*, Libera nos, *& non habent tranquillam felicitatem, in qua constituerat primum hominem, qui fecerat illum rectum.* Ergo adjutorium actualis perseverantiæ, quod non solum dat *posse*, sed etiam *velle*, non erat homini recto ullatenus necessarium. Deinde affirmat S. Pater potuisse Adam per liberum arbitrium perseverare, quemadmodum per idem liberum arbitrium angeli boni steterunt: non per liberum arbitrium sola nativa vi operantem, sed adjutorio *sine quo* in sui conditione donatum: At stare per liberum arbitrium in Augustiniano sensu, est stare per arbitrium sanum, vegetum, nulla cupiditatum pugna circumactum; quale arbitrium *peccati primi hominis granditate perdidimus*, non quod extincta sit per Adæ culpam libertas, sed quoniam adjacent nobis ejus caussa carnalis appetitus illecebræ, atque sanitate primæva privati sumus. Quamobrem perseverantia non dicitur in hoc statu ab Augustino opus arbitrii, sed gratiæ: idque hoc eodem loco, ubi ait: *Quæ quidem merita potuit habere, sed perdidit: & per quod habere potuit, perdidit, hoc est per liberum arbitrium: propter quod non restat liberandis, nisi gratia liberantis.* Quid ergo? Per Augustinum potuit Adam perseverare cum solo adjutorio versatili: atque cum solo adjutorio versatili Angeli Sancti per liberum steterunt arbitrium.

Pergit rotundis verbis Magnus Augustinus systema Gratiæ sic exponere: *Ille*, inquit cap. xi. de primo homine, *ille in bonis erat, quæ bonitate sui Conditoris acceperat. Neque enim ea bona & ille suis meritis comparaverat, in quibus prorsus nullum patiebatur malum. Sanctis vero in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum, Libera nos a malo. Ille in illis bonis Christi morte non eguit: istos a reatu hereditario & proprio illine Agni sanguis absolvit. Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti cum dicunt, video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.... Ille vero nulla tali rixa a seipso adversus seipsum tentatus atque turbatus in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur. Proinde etsi non interim lætiore*

nunc

nunc, veruntamen potentiore gratia indigent isti. Viden S. Patrem luculentissime asserere primum hominem nulla adversum se rixa turbatum, nullo carnis adversus spiritum certamine laborantem, nullatenus indiguisse ea gratia potentiore, qua dari sibi poscunt homines, ad quos pertinet beneficium liberationis, pugnandi vincendique virtutem? Id profecto nemo est qui non videat. Atqui gratia liberationis per Augustinum non est adjutorium in quo Adam *permaneret si vellet*, *non quo fieret ut vellet*, sed est gratia potentior, *qua etiam fit ut velit*, nimirum adjutorium *quo*, & gratia efficax: Igitur per Augustinum Adam gratia efficaci ac prædeterminante minime ad perseverandum egebat.

Ait Reginaldus utique potentiorem gratiam post Adæ lapsum requiri; nam homini innocenti necessaria erat, ut sese applicaret ad actum, nunc vero est necessaria etiam ad vincendam concupiscentiam: fuisse in statu innocentiæ victricem unico titulo dependentiæ a prima caussa; at jam talem esse duplici capite, dependentiæ, & infirmitatis. Exemplum addit Hyacinthus Serry scalæ, qua ut in locum ascendant prominentem egent tam ægrotus, quam bene valens, sed de isto dicimus sat virium habere seipso, quod illi scala adminiculum duntaxat adferat, ut arduo operi valeat vires suas applicare.

Non reponam hæc sebterfugia Thomistarum, ut in nos eructat ipse P. Serry vir quidem fervidioris ingenii, *gerras esse, gerras, easque vanissimas*. Absit. Sunt tamen inventa ab Augustini sensu remotissima. Medicinalem Salvatoris gratiam vulnera sanare concupiscentiæ, & etiam facere et homo velit & actu operetur, quis Augustini discipulus inficiari audebit? Non hæc a viris doctissimis nos divellunt. Dicimus Adam in statu innocentiæ non indiguisse neque auxilio sanante cum non esset infirmus, neque prædeterminante cum velle & non velle in ejus esset arbitrio. Jam constat Adamum adhuc in bonis Creatoris sui permanentem, non opus habuisse potentiore gratia, quæ confertur hominibus periclitantibus in corpore mortis hujus; At Augustinus huic tantum gratiæ potentiori, quæ est gratia per Christum, gratia medicinalis, gratia concupiscentiæ victrix, tribuit quod operetur in nobis *velle*: Ergo Adam si ad perseverandum non opus habebat hoc potentiori auxilio, neque indigebat gratia, quæ dat *velle*, seu prædeterminante. Minor est ipsius Augustini dicentis: *Hæc est prima Gratia, quæ data est primo Adam: sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim, qua fit, ut habeat homo justitiam si velit. Secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velis, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluptatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat.* Ex quibus fit manifestum, nisi tenebras luci velimus offundere, gratiam, qua fit ut velimus, esse gratiam in secundo Adam, nimirum gratiam medicinalem tantummodo.

Præterea sive indigeat homo gratia unico titulo, sive duplici, dummodo sit efficax trahatque secum opus certa consecutione, id non reddit gratiam potentiorem, sed solam indigentiam in subjecto majorem, minoremve demonstrat. Quid enim arguit discriminis ex parte baptismatis si in puero maculam abstergat originalem, in adulto diluat & originalem & actualem? In Eucharistia, si in uno producat tantum augmentum gratiæ, in altero deleat quoque peccatorum reliquias? Quænam discrepantia in corporis alimento, si pubescentes augeat & nutriat, grandævos alat nutriatque, non augeat? Quid accidit baculo, si via incedens lubrica eo eget ne labatur pede, & alius aut ætate gravis, aut valetudine, illo nititur & ne labatur, & ut regatur? Ergo non recte dixeris auxilium secundi Adam potentius auxilio Adam primi, si fuisset utrumque efficax, & suapte natura ipsam donans perseverantiam; etiamsi in statu innocentiæ fuerit ex uno capite necessarium, sit vero post Adæ lapsum multiplici. Id enim non gratiam potentiorem ostendit, sed majorem hominum lapsorum necessitatem. Imo in Thomistarum sententia illa gratia prædeterminans in statu innocentiæ fuisset vere ac proprie medicinalis, quoniam licet non mederetur vulneribus, esset tamen medicamentum, si vulnera adessent: nam medicinalis est herba etiamsi impositis plagis non applicetur, & virescat adhuc in horto, aut servetur vasculis pharmacopolæ. Igitur a vi effectrice, non a sanitate actualiter præstita appellanda est gratia efficax, & potentior. Exemplum Hyacinthi Serry videtur explicandæ sententiæ nostræ aptissimum. Eget sanes, ut murum conscendat, adminiculo scalæ; eget ægrotus. Gratia homini innocenti, hominique infirmo necessaria est. Vir sanus sua manu scalam aptat muro: Gratiam homo innocens arbitrio suo applicat & determinat. Ægrotus habet scalam, sed nequit ob virium imbecillitatem illam e terra elevare, neque muro admovere. Infirmus gratiam habet sufficientem, sed alia indiget validiori, qua determinetur ad opus. Quare homo innocens non indigebat prædeterminante auxilio, sed poterat illud per liberum arbitrium determinare; quemadmodum vir bene valens propriis viribus admovet muro scalam.

In confirmationem Augustinianæ doctrinæ illud etiam accedit, quod sententia de gratia efficaci & de prædestinatione gratuita taliter connectuntur invicem, et nequeat una absque altera sustineri. Atqui per Augustinum in statu solius naturæ lapsæ prædestinatio gratuita est: Ergo in solo statu naturæ lapsæ admittenda est gratia efficax. Minor probatur ex eodem lib. cap. XI. ubi ait: *Nunc autem per peccatum perdita bono merita, in his qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Et lib. 14. de Civit. Dei cap. 28. *Non eos jam meritis discernens, quandoquidem universa massa tanquam in vitiata radice damnata est, sed gratia discernens.* Fateamur itaque post casum hominis pertinere ad gratiam, ut quisque accedat ad Deum: subventum esse infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur: homini innocenti ac fortissimo permisisse Deum facere quod vellet: datam huic perseverantiæ potestatem, & bonum posse non deserere: non opus habuisse adjutorio, quod plus potest, & facit ut homo velit: illud pertinere ad gratiam Christi medicinalem;

Nam si nunc etiam illæsus vigor ille maneret,
In quo insons natura fuit, sua quemque voluntas
Conciliare Deo, pœnaque absolvere posset.

Inquit Carm. de Ingratis cap. 42. Sanctus Prosper.

PROPOSITIO II. Non recedit a superiori sententia Doctor Angelicus.

S. Thomam Aquinatem, quem ipse Jansenius appellat Augustinum contractum, potius nobis, quam Thomistis suffragari, quamquam hi nullam vel minimam de Præceptoris sui mente conceperint suspicionem, aut certum credo, aut saltem arbitror probabilius. Nam liquet primo, D. Thomam nullibi statuisse prædeterminationem necessariam ex capite dependentiæ, quo unico titulo gratia efficax in statu naturæ innocentis asseritur necessaria. Deinde utriusque status diversitatem cum Augustino non uno tradit in loco, ac præsertim 1. 2 quæst. 109. art. 9. in corpore, art. 7. ad 3. art. 8. & 9. in corp. quæst. 3. de malo art. 1. ad 9. ubi procuidubio ex contracta per peccatum originale infirmitate specialis divinæ motionis necessitatem inculcat; ut falsi sint, & a veritate recedant, qui asserunt beatum Thomam nullum inter utrumque statum agnovisse discrimen. Quæ cum fateantur Thomistæ, non est cur Angelici Doctoris verba exscribamus. At isti eo sensu Magistrum interpretantur, quod homini stanti necessaria fuerit gratia efficax titulo dependentiæ, nunc vero necessaria sit etiam caussa infirmitatis: quod ego donec videam, audiamque, & librata lance expendam clarissima testimonia, non possum, quantum ad rationem dependentiæ attinet, profiteri. Nam hanc salvari per universalem præmotionem & concursum immediatum verissima sententia est, ut demonstratum est supra, etiam non admissa prædeterminante motione.

Sed accedit quoque speciale argumentum. Disputat S. Thomas prima 2. quæst. CIX. art. X. utrum homo in gratia constitutus indi at auxilio gratiæ ad perseverandum; & tertio loco propon t hoc argumentum: *Præterea sicut Apostolus dicit ad Romanos* V., *plus restitutum est homini per donum Christi, quam amiserit per peccatum Adæ. Sed Adam accepit unde posset perseverare: Ergo multo magis nobis restituitur per gratiam Christi, ut perseverare possimus; & ita homo non indiget gratia ad perseverandum.* Quæstionem pertractat, ut constat ex corpore, de homine constituto in gratia habituali, & respondet præter hanc gratiam habitualem hominem indigere *Divino auxilio ipsum dirigente contra tentationum impulsus*. Respondet ne argumento etiam Adamo necessarium fuisse ad perserverandum auxilium gratiæ prædeterminantis, non quidem ad superandos tentationum impulsus, sed ad salvandam ejus dependentiam a prima caussa? Minime gentium. Respondet latissimam esse disparitatem, Adamum in bonis positum Creatoris virtutis ad perseverandum inopem non fuisse; conferri nobis actualem perseverantiam meritis Redemptoris: & tamen primum hominem hoc munere destitutum facilius potuisse perseverare, quam nunc possimus. *Ad tertium*, inquit, *dicendum, quod sicut Augustinus dicit, homo in primo statu accepit donum, per quod perseverare posset, non autem accepit ut perseveraret: nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt, & donum gratiæ, quo perseverare possunt, & ulterius eis datur quod perseverent. Et sic donum Christi est majus quam delictum Adæ. Et tamen facilius homo per gratiæ dona perseverare poterat in statu innocentiæ, in quo nulla erat rebellio carnis ad spiritum, quam nunc possimus, quando reparatio gratiæ Christi etsi sit inchoata quantum ad mentem, nondum tamen est consummata quantum ad carnem, quod erit in patria.* Similia, & longe his clariora habet S. Thomas 2. 2. quæst. CXXXVII. art. 4. *Ad secundum* (inquit) *dicendum, quod sicut Augustinus dicit in lib. de Corrept. & Grat. primo homini datum est, non ut perseveraret, sed ut perseverare posset per liberum arbitrium: quia nulla corruptio tunc erat in humana natura quæ perseverandi difficultatem præberet. Sed nunc prædestinatis per gratiam Christi non solum datur ut perseverare possint, sed ut perseverent. Unde primus homo nullo terrente contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate cum tanta non peccandi facilitate. Isti autem sæviente mundo ne starent, steterunt in fide.* Quæ verba adeo clara sunt, ut nulla indigeant explicatione.

Nobi-

Nobilissimi Thomistæ ajunt de mente Angelici Doctoris non esse ambigendum, ipsum requirere pro statu naturæ integræ auxilium gratiæ efficacis 1. part. quæst. 109. art. 2. & art. 3. & 9. seqq. esse ejus verba luce clariora meridiei. Vide Card. Gotti tom. 3. quæst. VI. de scientia condit. dub. VIII. §. 2.

Qui præmotionem universalem adstruunt, qualem nos explicavimus, indesinentem scilicet illuminationem mentis, & inclinationem voluntatis ad bonum generatim sumptum, quam Deus imprimit voluntati, servatque per jugem conservationem; hi non habent Sanctum Thomam sibi adversantem. Priori loco citato: *In utroque statu*, inquit, *indiget homo auxilio divino, ut ab ipso moveatur ad bene agendum*. Audiu auxilium gratiæ *moventis*, non audiu *prædeterminantis*. Secundo loco habet Angelicus: *Homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis: sed in statu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam sanantis*. Moventis dixit, non efficaciter *præmoventis*, qualis est gratia sanans, qua *non solum datur hominibus ut perseverare possint, sed ut perseverent*. Postremo loco: *Nulla*, inquit, *res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis divinæ*. Ex qua generali ratione probat necessitatem gratiæ etiam in primo homine, additque statim pro natura infirma specialem rationem, idest servitutem legis peccati. Bene habet. Iuveni rursus nomen *motionis* universalis, & gratiæ *sanantis*; & nihil ultra. Hi sunt firmissimi Adversariorum nostrorum recessus, & summorum virorum invictissima propugnacula.

PROPOSITIO III. Consentit hactenus dictis Ægidius Romanus.

Nobis quidem solemne non est jurare in verba alicujus Magistri, præsertim si latum unguem discedat ab Augustino; nam ubi cautum est Ægidio nomen dare ad servandam in Scholis uniformitatem doctrinæ Const. nostrarum part. V. cap. 2., ibidem est severiori lege sancitum, ne S. Patris, in his præcipue controversiis, quæ ad gratiam spectant, a semitis deflectamus; datumque humaniter de aliorum placitis pro libitu disputare. Sed quoniam Thomistæ, & qui inter nos de Ægidii nomine nuncupantur, clamitant Eremitanos Italos, Flandrosque Ægidianæ Scholæ nuncium misisse; pugnaciter pygmæus cum Hercule contendo illos Ægidium deseruisse, nos vero hac in parte, quæ una inter nos paries est divisionis, Doctoris placita consectari.

Ægidius dist. IV. in 2. sent. art. 4. ait. *Adhærere Deo amore casto in statu naturæ corruptæ non potest esse sine gratia, sed in statu naturæ institutæ potuit hoc esse per puritatem & innocentiam*. Fulgentius Bellelli vir cum dignitate, tum doctrina conspicuus lib. 2. de Mente Augustini cap. 19. arbitratur sentire Ægidium, quod Creatura innocens potuerit absque ulla gratia actuali bonum agere, atque ita pro sententia nostra ratiocinatur: *Si bene agere potuit nudum sine ulla gratia arbitrium; quanto magis id poterit cum supernaturali adjutorio, etsi versatili?* Aliter ego interpretor verba Ægidii, atque idem infero manifestius. Placuit illi Angelos & Adam conditos cum justitia originali, quæ tamen non esset gratia gratum faciens, sed solum subjectio inferiorum partium superioribus, quæ, ut observat Estius in 2. dist. 25., & idem Bellelli capite laudati Operis primo, fuit plurium Antiquiorum opinio. Quapropter quando Ægidius ait Angelos & Adam conditos absque gratia, intelligendus est absque gratia habituali, ut animadvertit idem Doctor dist. XXIX. dub. V. laterali. *Cum loquimur absolute de gratia, intelligimus de gratia gratum faciente*. Porro juxta Ægidium Deus simul cum natura contulit gratiam, & inclinationem, quam appellat amorem naturalem, quod simul cum natura fuerit primitus inspirata. *Deus*, inquit, *simul dedit angelis naturam & inclinationem. Et hæc inclinatio licet esset consequens naturam, poterat tamen dici gratia, quia erat quid additum naturæ; non enim fuit parvum donum simul cum natura dare angelis hujusmodi inclinationem*. Quæ inclinatio, & amor naturalis dici potest, & gratia: *naturalis*, quia simul cum natura inspiratus; *gratia*, quia fuit donum naturæ superadditum. Neque poterat Ægidius melius doctrinam suam contra futuros errores Baji communire; neque manifestius asserere creaturam innocentem non habuisse nudum absque ulla gratia arbitrium adversus interpretationem Bellelli. Illa autem inclinatio, ille amor, illa gratia naturæ superaddita fuit per Ægidium æque in singulis Angelis: *Ipse amor*, addit, *naturalis prout erat innocens & purus, quo omnes Angeli in instanti suæ creationis Deum dilexerunt, quædam gratia dici potest*. Cum vero omnes Angeli non permanserint in ea dilectione, consequens est non fuisse delectationem victricem, prædeterminantem atque efficacem. Lege clarissimum sui interpretem Ægidium.

Jam vero sic argumentor. Juxta Ægidium in statu naturæ corruptæ non potest homo adhærere Deo sine gratia; at in statu innocentiæ id potuit per solum amorem naturalem, purum, & innocentem: Atqui per Ægidium amor naturalis, purus, & innocens est illa inclinatio naturæ superaddita, sive gratia omnibus angelis collata, quæ profecto non fuit prædeterminans, nam alias angeli omnes stetissent: Ergo juxta Ægidium in statu innocentiæ poterat homo vel angelus adhærere Deo atque perseverare absque ulla gratia prædeterminante, & cum sola inclinatione ac dilectione singulis ex æquo collata. Major est ejusdem Ægidii, & minor constat ex dictis.

Rursus Ægidius dist. XXIX. art. 2. dub. 1. lat. docet Adam per solam originalem justitiam, quæ importat subjectionem partium inferiorum ad superiora, potuisse stare & evitare peccata, non tamen potuisse proficere & mereri: quod repetit seq. art. 3. affirmans quod idcirco non potuisset mereri, quoniam, ut diximus, supponit non habuisse gratiam gratum facientem: Atqui per Ægidium justitia originalis non importat gratiam prædeterminantem, sed solam creaturam puram conditam cum subordinatione carnis ad spiritum, & cum inclinatione gratiæ superaddita naturæ: Ergo per Ægidium potuit primus homo stare & evitare peccata absque ulla gratia prædeterminante. Confirmatur ex seq. art. III. Si Adam quemadmodum habuit originalem justitiam, habuisset etiam gratiam habitualem, nedum potuisset stare & evitare peccatum, sed etiam mereri & proficere; & ideo potuit stare, sed non potuit mereri, quia habuit originalem justitiam, sed non gratiam habitualem. Igitur juxta Ægidium in statu innocentiæ, ut possit homo perseverare & mereri nil ultra requiritur, quam justitia originalis & gratia gratum faciens. Omnes hæ argumentationes sunt verbis Ægidii compactæ.

Ulterius eadem distinct. dub. IV. probat naturam integram non potuisse sese præservare a peccato sine originali justitia, *VEL sine ulteriori gratia*: quod demonstrat, quia ut homo præservet se a peccato, habeatque veram justitiam & æquitatem, requiritur inferiorum subjectio, quam innocentia præstat originalis; & quæ nisi sit, necessaria est ulterior gratia ut comprimat motus, qui insurgunt in sensualitate repugnantes rationi: Igitur ubi sit justitia originalis, ut natura integra possit se præservare a peccato, non est juxta Ægidium necessaria *ulterior gratia*. Et nota quod per ulteriorem gratiam non potest Ægidius intelligere gratiam habitualem, nam ut constat ex præcedenti dub. 1. sine gratia habituali poterat creatura innocens sese præservare a peccato cum sola originali justitia. Miror neminem ex nostris, qui profitentur se Ægidianos, nunquam hæc observasse.

Magister Gavardi, & Hyacinthus Serry citant Ægidium pro ea quam tenent sententia P. I. Hexam. cap. XV. & P. 2. cap. III. & XXXI. Nullum alium locum commendant. Sed in his locis Ægidius solum docet Angelos primum fuisse productos, postea distinctos: primo naturam angelicam significatam fuisse per cælum, deinde per lucem. Vellem audire Ægidium asserentem Angelos bonos fuisse distinctos uberiori efficacis gratiæ adjutorio. At frustra id citatis locis requires. Quid sibi velit Ægidius ex ejus verbis satis superque intelligimus. Eo loci, & etiam dist. IV. in 2. sent. docet inter creationem angelorum & gratiam habitualem fuisse aliquam moram, ac principio collatam illis originalem justitiam, postea gratiam gratum facientem. En quomodo Angeli prius fuerunt producti, postea distincti: primo fuerunt cælum, deinde lux. Fuerunt producti cum originali justitia, distincti per gratiam habitualem: facti cælum per conditionem naturæ, lux per gratiam, lux autem a tenebris divisa per confirmationem in gratia, & per conversionem bonorum, malorumque aversionem. Imo num Angeli distincti fuerint a Deo, vel a seipsis, præterit Ægidius alto silentio: quamquam utrumque verum est, nempe distinctos a Deo per confirmationem in gratia, distinctos seipsis per conversionem ad Deum. Ergo nos neque ab Ægidio recedimus, uti nonnulli ex nostris conqueruntur.

CAPUT IX.

Argumenta opposita refutantur.

OPp. I. S. P. Aug. lib. XII. de Civ. Dei cap. 9. ait: *Aut minorem Angeli mali acceperunt amoris divini gratiam, quam illi qui in ea perstiterunt; aut si utrique boni creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt*. Ergo per Augustinum Angeli qui perseveraverunt majori gratiæ fulsulti sunt auxilio.

Non una est Theologorum ad hoc potissimum Thomistarum argumentum responsio. Affirmant quidam, S. Patrem hanc sub vitæ finem, in libro scilicet de Corrept. & Gratia retractasse sententiam; ita sentit, sed, ut arbitror, nulla ductus ratione, Franciscus Henno. Putant alii Angelos, qui perseveraverunt, adjutos fuisse validiori gratia, non tamen efficaci, sed in eodem gratiæ genere, versatili nimirum atque ab Angelorum pendula arbitrio, ut censet Macedo. Quidam asserunt Angelos permanentes fuisse magis adjutos eo sensu, quod usi sunt adjutorio dato sibi divinitus, dum alii otiosum illud cassumque reddiderunt. Sed vera est & Augustino conformior responsio Angelos qui perseveraverunt, cum possent a Deo in ancipiti statione relinqui, in

præ-

præmium perseverantiæ cumulatos fuisse tanta mentis illustratione, tantaque plenitudine caritatis, ut certissime noverint se in posterum nunquam ab originali justitia fore casuros. Quod apertissime explicat S. P. de Corrept. & Grat. cap. x. dicens: *Diabolus vero & Angeli ejus etsi beati erant, erat tamen quod adhuc eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent; donec istam summæ beatitudinis plenitudinem tanquam præmium istius permansionis acciperent: id est, ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia caritatis, cadere ulterius omnino non possent, & de se hoc certissime scirent.* Itaque illud prius *amplius adjuti ad beatitudinis plenitudinem pervenerunt*, & illud posterius, *magna per Spiritum Sanctum data abundantia caritatis, &c.* unum idemque sunt. Igitur dist. conseq. Angeli, qui perseveraverunt, fuerunt magis adjuti, & hoc adjutorium est adjutorium perseverantiæ, nego; est major abundantia caritatis accepta posteaquam per liberum arbitrium in veritate steterunt, concedo.

Atque, ut omnis præcludatur aditus Adversariis, notandum est, omnes fere ex nostris, hujusmodi majus adjutorium appellare adjutorium *patriæ*, non *viæ*. Quod oppugnatoribus præbet ansam insurgendi: Quomodo Angeli Sancti fuerunt magis adjuti auxilio patriæ, ut pervenirent ad patriam? Certe, inquit P. Serry, atque ante illum Guilelmus Estius, quod non habetur nisi in termino, medium non est, quo perveniatur ad terminum; at lumen gloriæ non habetur nisi in termino: ideoque non potest esse medium, quo perveniatur ad gloriam. Itaque Augustinus non ait Sanctos Angelos fuisse magis adjutos, ut pervenirent ad gloriam, & beatitudinem. Minime. Scribit magis adjutos pervenisse ad plenitudinem beatitudinis. Jam erant beati, erat tamen quod eorum adderetur beatitudini: deerat illis major abundantia caritatis: deerat certitudo, qua scirent se amplius non esse casuros. En plenitudo beatitudinis: id superadditum est, posteaquam per liberum arbitrium in veritate steterunt. Quam beatitudinis plenitudinem, majoremque abundantiam caritatis ideo dicimus auxilium patriæ, quod secum trahat certitudinem & inamissibilitatem beatitudinis, non quod auxilio isto Angeli Sancti perseverarent, & pervenirent ad patriam. Accessit enim adjutorium illud, postquam perseveraverunt, non antea. Attende num id verum sit. Quando angeli mali ceciderunt, boni perseveraverunt; sed Angeli Sancti receperunt per Augustinum majorem divini amoris gratiam, certamque suæ beatitudinis scientiam, postquam angeli mali ceciderant: Ergo donati sunt majori gratia, postquam perseveraverant, non, ut Adversarii comminiscuntur, ut perseverarent reipsa. Minor propositio est ejusdem Augustini lib. xi. præcedenti de Civit. Dei cap. xiii. *Si pares fuerunt, POST ISTORUM RUINAM illis certa scientia suæ sempiternæ felicitatis accessit.* Quapropter ea Propositio, *Fuerunt adjuti auxilio patriæ, ut pervenirent ad patriam*, falsa est, neque a nobis perfertur: hæc vero, *Postquam in veritate steterunt, fuerunt adjuti pleniori caritate & scientia, quæ secum traheret beatitudinem inamissibilem patriæ*, & vera est, & Augustiniana est, & frustra sophismatum impetitur machinamentis.

Denique cum multi diversa instantia in Angelorum via distinguant, & in angelis malis multa demerita, quod facit etiam Doctor Subtilis; cur affirmare non possumus angelos malos in primo instanti superbia tumidos corruisse, bonos autem humili conditionis creatæ consideratione stantes uberiorem gratiam postulasse: in altero instanti superbos angelos fuisse a Deo relictos, bonos vero confirmatos in gratia, & majori abundantia caritatis donatos: ac demum in tertio apostatas angelos sempiternis suppliciis addictos, perseverantes gloria beatitudinis coronatos; & consequenter gratiæ confirmationem, vegetioremque caritatem fuisse adjutorium *viæ*, non necessarium ad perseverandum, sed datum in præmium perseverantiæ, ut facilius ad beatitudinem pervenirent? Hæc quidem rationi consentanea sunt; nam si diutius in propriæ libertatis relicti essent indifferentia cum sola gratia versatili, deficere & ipsi Angeli boni potuissent; ideoque cadentibus aliis steterunt ipsi, sed propriæ conscii imbecillitatis, & facti aliorum, qui ruebant, timidiores exemplo, majorem gratiam postularunt, habuerunt, tantoque ardore dilexerunt Creatorem suum, ut statim ei perpetuæ felicitatis copularentur consortio. Sed de priori argumento satis: reliqua persequamur.

Opp. 2. Angeli boni non poterant se reddere meliores, & ab aliis discerni seipsis: Atqui si perseverassent cum solo adjutorio gratiæ versatilis, seipsis facti fuissent meliores: Ergo non poterant cum solo adjutorio gratiæ versatilis perseverare. Prob. major ex Aug. eodem loco dicente: *Si autem Angeli boni fuerunt prius sine bona voluntate, eamque in seipsis Deo non operante fecerunt, ergo meliores a seipso, quam ab illo facti sunt? Absit.*

Resp. dist. min. Facti meliores fuissent seipsis, id est, solo naturali arbitrio, & nullo adjutorio gratiæ præventi, nego; id est, arbitrio suo cum gratia Conditoris in bona voluntate permanentes, concedo. Id solum Augustinus docet, bonos Angelos non fecisse sese meliores angelis malis, quoniam utrique conditi in bona voluntate, & in gratia habituali fuerunt, in qua illi non virtute arbitrii naturalis, sed gratiæ beneficio steterunt, quod cujus generis fuerit, an efficax, an indifferens ad Augustini scopum definire minime pertinebat. Qualecunque enim fuerit, semper gratia Dei effecti sunt meliores, cum gratia fuerit bona voluntas primordio eis inspirata, gratia illustratio mentis superna, gratia auxilium *sine quo* non poterant in accepta persistere sanctitate. Explicat semet Augustinus dicens ibidem: *Neque enim Angeli seipsos meliores fecerunt, quam a Deo facti sunt, sed in eadem bona voluntate permanserunt, in qua primum conditi sunt.*

Opp. 3. Pertinet etiam ad Angelos dictum illud Apost. in 1. ad Corinth. *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* At Augustinus ex eo principio demonstrat contra Pelagianos necessitatem gratiæ victricis in statu naturæ lapsæ: Ergo istiusmodi gratia erat etiam in statu innocentiæ ad perseverandum necessaria. Profecto monitum Apostolicum etiam ad Angelos pertinere affirmat S. P. lib. xi. de Civit. Dei cap. 19.

Resp. conc. majorem. Etenim etiam Angeli a Deo virtutem acceperunt perseverantiæ, sed non eodem modo, quo filii Adam; in illis enim supernaturalis virtus dabat, ut possent perseverare; in his præstat ulterius ut actualiter perseverent. Atque dist. minor. Ex præfato Apostolico testimonio probat Augustinus contra Pelagianos necessitatem gratiæ victricis, ita ut necessitas gratiæ, prout contradistinguitur a donis naturalibus, eruatur inde invictissime, concedo: ita ut necessitas gratiæ victricis, quatenus a gratia indifferenti secernitur, ex verbis Apostolicis evincatur sine suppositione vulneratæ per originale peccatum naturæ, nego. Quidquid creatura habet, desursum est, ac beneficium liberalissimum Largitoris, neque ullatenus gloriari illa potest, nisi in Domino. Si Angeli absque ulla gratia creati essent, sibique sola naturali virtute sanctitatem & justitiam comparassent, gloriari utique potuissent se habere quod a Domino non acceperunt; & si homo fractis viribus, ignarus, pugna sensuum suorum lacessitus cum sola gratia versatili posset bonum agere; posset gloriari se infirmum debilemque tantum perficere, quantum Angeli præstiterunt, & quantum primus homo non fecit. Itaque ex Apostoli textu nulla facta statuum comparatione probatur necessitas gratiæ, prout gratia est donum naturæ superadditum, præscindendo an gratia istiusmodi indifferens sit, an prædeterminans, idque in unoquoque statu magnum est argumenti pondus: at si circumstantiæ superaddantur infirmitatis, demonstratur inde validioris gratiæ adminiculum, quod non spectat naturæ conditionem, sed lapsum. Nequit homo sive infirmus sit, sive sanus vivere absque alimentis, quæ Conditoris providentia ministrat: Si desint hæc, necesse est moriatur: si quis absque Conditoris munere sata conderet, pararetque alimonia, superbire posset, quod se propria industria servaret. Hæc ratio communis est tam homini infirmo, quam sano. At mala valetudine affectus nedum eget alimentis quæcunque sint, sed talibus, quibus & vita servari possit, & vires deperditæ reparentur. Aliunde reperitur necessitas alimentorum; aliunde talium alimentorum; prima est necessitas orta ex conditione naturæ; hæc vero necessitas proveniens ex contracta virium infirmitate. Hoc allato exemplo de gratiæ necessitate loquitur S. P. lib. de Corrept. & Grat. cap. xii. & lib. xiv. de Civ. Dei c. 27.

Opp. 4. Debuit creatura innocens, ut perseveraret, suppliciter orare Deum, & auxilium gratiæ humiliter postulare: Ergo gratiam, quæ ad actualem requiritur perseverantiam, non habuit; cum oratio impetratoria sit, & nihil petatur, nisi quod ab aliena liberalitate conceditur. Atque hinc est quod ex Orationibus Ecclesiæ probat Augustinus efficacis gratiæ necessitatem. Prob. ant. ex libello Gelasii adversus Pelagianos, qui habetur tom. iv. Conciliorum Philippi Labbei, ubi Romanus Pontifex ait: *Illa primæ conditionis integritas, dum ita de se fidit, tanquam ipso qui condiderat, non egeret; nec de perceptis agit gratias, quod nusquam fecisse memoratur, nec pro conservandis quæ sumpserat, poscit auxilium, nec ad eum etiam pulsata tentatoris accessu devota concurrit, & consulit, suæque se credit inter prospera voluntati, facile sine præsidio Creatoris patuit insidiis deceptoris; & in prævaricationem tracta consequenter illiciti, conditionem præfixæ mortis invenit.*

Resp. dist. antec. Debuit creatura innocens Deum orare oratione gemitus, nego; oratione laudis, concedo. Appello orationem gemitus illam, qua petitur auxilium nondum collatum: orationem laudis, qua de accepto auxilio gratiæ Deo referuntur. Sic pauper stipem postulat gemitu, dum percellitur fame; sed accepta eleemosyna laudat divitem misericordem, petitque ne se in posterum derelinquat. Ergo creatura innocens, quoniam originalem justitiam ac bonam voluntatem acceperat ex liberalitate Creatoris, tenebatur animadvertere se divini muneris conservatione indigere: atque in hoc erravit magnopere Adam, & malus angelus; quod prioribus verbis significat Gelasius Papa, dicens: *Dum ita de se fidit, tanquam ipso, qui condiderat, non egeret.* Tenebatur insuper omnium donorum largitori humiles gratias rependere; nam beneficiorum oblivisci vitium est ingratitudinis detestabile: quod damnans Gelasius subdit: *Nec de perceptis agit gratias, quod nusquam fecisse memoratur.* Tenebatur quoque pulsante ten-

rentatione orare, ne divino destitueretur auxilio, quod, etsi præsto aderat, poterat illud Altissimus, qui donorum suorum est Dominus, subtrahere; & ideo addit Romanus Pontifex: *Nec ad eum pulsata tentatoris accessu devota concurrit:* Quod autem creatura innocens teneretur petere gemebunda uberius victricis gratiæ adjutorium, frustra Adversarii ex verbis Gelasii conabuntur nobis insinuare. Persistere non voluerunt Angeli & Adam, quod Dei gratiam in vacuum receperint, *nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem intemerata durarent, suppliciter implorando*, ut repetit S. Gelasius paulo infra. Itaque si orassent oratione laudis, & implorassent ut accepta dona intemerata conservarentur, absque prædeterminante gratia perseverassent. Quo argumenti genere utitur Gelasius contra Pelagianos, quasi diceret: Fuit necessaria gratia creaturæ innocenti, ergo a fortiori indiget illa homo lapsus: si illa superbiendo, ac nimium de se fidens in veritate non stetit; quomodo nunc stare præsumat viribus confracta, ac vulnere sauciata lethali? Atque argumentum istud est etiam in Augustini libris usitatissimum. Hæc malo respondere, quam reponere Gelasium diversa ab Augustino sensisse.

Opp. 5. In Augustini libro de Cantico novo cap. 8. habetur: *Quid valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adamo monstratum est.*

Resp. (quamvis citatum librum non esse Augustini communiter censeant Critici, quod neque in libris Retract. neque in indiculo Possidii memoretur) id verum esse absque ullo gratiæ versatilis præjudicio. Primo monstratum est in Adamo cum sola gratia indifferente hominem esse in manu consilii sui, & posse sive ad ignem sive ad aquam porrigere manum; quum per efficacem gratiam Salvatoris regatur omnipotenti dextera Dei, & quamvis infirmus non tamen deficiat, neque adversitate aliqua superetur. Deinde in Adamo monstratum est, arbitrium non adjutum, scilicet virium suarum confidentia Dei munera pessumdans ac sponte abjiciens, & sic propriis viribus relictum, posse tantum peccare; veluti in clando, qui projiciat omne substentaculum & cadat, apparet non posse baculo destitutum incedere. Hanc interpretationem tradit apertissime S. P. serm. xi. de Verbis Apostoli, dicens: *Regebat eum ipse qui fecerat; voluit deserere eum a quo factus est: permisit Deus tanquam dicens, deserat me & inveniat se, & miseria sua probet, quia nihil potest sine me. Hoc modo ergo ostendere voluit Deus, quid liberum arbitrium valeat sine Deo.* Perperam igitur exponunt Thomistæ verba Augustini, quasi in Adam monstratum sit, quod sine gratia efficaci non poterat permanere: cum ibi intelligatur arbitrium nedum destitutum gratia efficaci, verum etiam deserens eum a quo factus est, relictum propriis viribus, abjiciens munera Conditoris, fidens sibi ipsi, & parvipendens adjutorium, sine quo non poterat perseverare, potuisset tamen nisi superbiendo sibimetipsi maluisset blandiri.

Opp. 6. In statu quoque innocentiæ juxta Augustini placita adstrui debet gratuita prædestinatio; Igitur & gratia victrix ac prædeterminans. Probatur ant. exemplo Christi, qui absque ulla meritorum prævisione electus est: unde Augustinus in lib. de Prædest. SS. cap. xv. inquit: *Est etiam preclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, ipse mediator Dei, & hominum Christus Jesus.*

Resp. nego ant. Ostendimus enim sup. capite in statu innocentiæ prædestinationem fuisse arbitrii mercedem, nunc vero gratiam liberationis, quod accipiendum est de arbitrio gratia Dei fulfulto, & de mercede reddenda meritis gratia comparatis, sed gratia versatili ac propria illius status; nam merita naturalia etiam hominis integri commentitia sunt, ut definitum est a Summis Pontif. Pio V. & Gregorio XIII. Ad probat. dico non eamdem esse de Christo, & de simplici creatura rationem. Nam Christus primogenitus multorum fratrum & caput prædestinatorum spectat ad Ecclesiam istam, quam acquisivit sanguine suo: & in unoquoque corpore eadem est vita capitis & membrorum, in unaquaque Ecclesia eadem gratia Capitis & Fidelium, qui spiritualem vitam ex eo hauriunt ac participant. Propterea cum nos efficacibus indigeamus adjutoriis, etiam Redemptori nostro collata sunt, non ob ejus necessitatem, sed propter Ecclesiæ sponsæ suæ participationem atque ornamentum. Quamquam Augustinus qualem gratiam habuerit Christus expresse non meminit; videtur autem talem esse ejusdem sensum verborum: Sicut Christus ut esset hominum Redemptor, & unionem haberet hypostaticam, nullis præcedentibus meritis creditur prædestinatus; ita nos ad initium fidei & ad gratiam, atque in hac perditionis massa etiam ad gloriam, nullo meritorum intuitu fuimus præordinati. *Sicut ergo prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus. Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet quæ regnat Dei gratia, per Jesum Christum Dominum nostrum*: ait ibidem S. Pater.

Opp. 7. Adversantur traditæ statuum divisioni præclarissimi Ecclesiæ Patres: Fulgentius, qui lib. ii. ad Trasimun. cap. 2. scribit eamdem gratiam custodisse angelum a ruina, & reparasse hominem lapsum: Gregorius, qui lib. xv. Moralium cap. xxxii. ad occulta judicia Dei, non ad merita refert, quod ex angelis aliquos sempiterna beatitudine donaverit, alios æternis addixerit cruciatibus: universa demum Ecclesia, quæ vetat anathemate, ne asseramus bonis angelis, & primo homini, si ad ultimum vitæ perseverasset, felicitatem futuram fuisse mercedem, non gratiam.

Resp. Fulgentium gratiam Conditoris & gratiam Reparatoris eamdem appellavisse non quantum ad vim effectricem, sed quantum ad principium, & virtutem Dei omnipotentis, qui eam impertitur. Constat ex eodem Fulgentio, cujus hæc sunt verba: *Una est in utroque gratia operata, in hoc ut surgeret, in illo ne caderet: in illo ne vulneraretur, in isto ut sanaretur: ab hoc infirmitatem repulit, hunc infirmari non sinit. Illius esca, istius medicina. Hunc autem quisquis sanum sapit, Filium Dei esse non ambigit, qui est virtus & sapientia Patris, sapientia immutabilis, virtus inseparabilis.* Quo trahunt, quæso, Thomistæ hunc locum, ex quo contra Arianos probatur Unigenitum Dei Filium, nedum hominem factum fuisse humani generis Salvatorem, sed etiam, ut Virtus & Sapientia Patris est, servatorem fuisse angelorum, & consequenter immutabilem Deum, & Patri consubstantialem? Hæc sunt egregia pro efficaci gratia testimonia? Si ita est; si eadem gratia quantum ad vim effectricem in utroque statu requiritur, quomodo erit potentior quæ sanat vulnera, & reprimit perduellem concupiscentiam? Et si validior est; quomodo est eadem? Sed lege Fulgentium in lib. de Fide ad Petrum cap. 3. diserte cum Augustino docentem angelos sanctos non fuisse a Deo majori gratia sanctæ dilectionis cumulatos, nisi postquam aliis cadentibus ipsi propria voluntate steterunt.

Gregorius vero ad inscrutabilia judicia Dei refert, non quod angeli boni steterint, aut mali ceciderint, sed quod Deus noluerit istis ignoscere, atque ad resipiscendum gratiam largiri: quod cum esset omnipotens, poterat si voluisset, & quare noluerit latet in altitudine divitiarum scientiæ suæ. Habet similia S. P. Augustinus lib. xi. de Gen. ad lit. cap. 10. quæ perperam ad se trahunt Adversarii. Quid enim ad illorum caussam accedet, si fateamur Deum potuisse angelos desertores convertere, & cur noluerit penes ipsum esse, ut scribunt Gregorius & Augustinus? Id nullus ratione præditus negat: cur autem uni, non alteri donetur perseverantia, pertinet ad inscrutabilia judicia Dei in hoc tantum statu, in quo uni misericorditer confertur, alteri juste denegatur; & quare huic conferatur, non illi, cum omnes in massa fuerint perditionis, caussa nulla est, præter Dei beneplacitum. Hæc ad illum statum non pertinent, in quo perseverare aut non perseverare in libero erat arbitrio. Sed age, quandoquidem Magnum Gregorium laudavimus, audias illum hæc lib. v. Moral. c. 28. scribentem: *Mire autem omnipotens Deus naturam summorum spirituum bonam sed mutabilem condidit; ut & qui permanere nollent, ruerent, & qui in conditione persisterent, tanto in ea jam dignius, quanto ex arbitrio starent; & eo majoris apud Deum meriti fierent, quo mutabilitatis suæ motum voluntatis statione fixissent.* Quidnam pro sententia nostra desideras manifestius? Porro & nos fatemur merita bonorum angelorum fuisse ex gratia; sed negamus fuisse ex gratia prædeterminante: unde quod ultimo loco opponebatur, urget Bajum, non Augustini discipulos.

Sunt quædam alia apud Hyacinthum Serry; sed ex dictis prorsus corruunt. Accusat nos antilogiæ, quod gratuitæ prædestinationis simus propugnatores: sed angelos gratis prædestinatos quis hujus nostræ sententiæ assertor putavit unquam? Ait providentiam certam esse infallibilitate mediorum: at quis ex nobis in hac providentia, quæ infirmos spectat, naturam quoque integram comprehendit? Inquit nos statuere scientiam Dei esse caussam rerum omnium: verum quis nostrum de omni penitus scientia, atque de æquali in omni eventu causalitate id fatetur? Hæc, & similia eadem exsufflantur, qua proferuntur, facilitate. Istius generis sunt, quæ afferuntur ex historia Congr. de Auxiliis, in qua Molinianus Orator die 22. Novemb. 1605. curavit evertere necessitatem gratiæ efficacis ex lib. de Corrept. & grat. S. Augustini; nam quod Jesuita affirmaverit auxilium prædeterminans non esse necessarium ex dependentia caussæ secundæ a prima, verum est: quod ex eo principio asseruerit non opus esse in hoc statu auxilio prædeterminante, falsum est: cum ex eodem Augustini libro demonstretur hujus auxilii necessitas ex capite infirmitatis. Quæ vero objiciunt alii Thomistæ ex ratione primi moventis, & indifferentiæ creaturarum, fuerunt omnia superius refutata: neque opus est recudantur hoc capite, in quo nimis forte ob Adversariorum meorum dignitatem lectores defatigavi.

CAPUT X.

Sit ne scientia futurorum contingentium, de quibus pertractatum est, appellanda juxta consuetudinem Scholasticorum Scientia Media.

PRIMO hujus libri cap. diximus scientiam Dei comparate ad possibilia appellari in Scholis scientiam *simplicis intelligentiæ*, seu, ut vocant aliqui, naturalem: connotative vero ad res in aliqua temporis differentia existentes, *scien-*

scientiam visionis. Inter res possibiles atque existentes sunt aliquæ, inquit Ludovicus Molina in Concordia quæst.XXIII. art. 4. quæ non sunt quidem absolute futuræ, essent tamen, si aliqua poneretur conditio, V. G. si Tyrii ac Sidonii Christi virtutes ac signa vidissent, ad illam fuissent conversi: Si Deus in tali circumstantia peccantem ad resipiscentiam vocabit, aget is certocertius pœnitentiam: quæ dicuntur futura conditionata, & a Deo certissime prævidentur, ut vidimus in cap. II. prop. 3. Ergo quemadmodum inter possibilia & absolute futura mediant conditionata; ita inter scientiam *simplicis intelligentiæ*, quæ spectat ad possibilia, & scientiam *visionis*, quæ refertur ad res existentes & absolute futuras, mediat scientia conditionatorum, quæ appellatur *scientia media*. Rejiciunt hanc Thomistæ, quod nulla res percipi possit futura, nisi a Deo caussæ secundæ prædeterminentur; & prædeterminatione supposita non possint non evenire; & consequenter affirmant quælibet futura a Deo cognosci per scientiam *visionis*. Quod si quæras, quomodo dari possit decretum efficax ac prædeterminans, & nihilominus res non sint absolute futuræ; respondent id esse, quoniam circa futura conditionata datur decretum efficax & absolutum ex parte Dei, sed conditionatum ex parte objecti.

Neque aliter sentiunt circa decretum Scotistæ, sed physicam prædeterminationem negant tamen, cum decretum divinum a præmotione sejungant; nam licet antecedens, extrinsecum voluntati creatæ censent omnino. Nostrates vero, qui gratiam prædeterminantem in hoc statu defendunt, sed necessariam non putant pro statu innocentiæ, neque prædeterminationem admittunt ad opera naturalia, neque ad *materiale* peccati, in his omnibus scientiam mediam profitentur, eam duntaxat relegantes ab operibus supernaturalibus status naturæ lapsæ; de quibus postmodum. Quidam arbitrantur futura conditionata, neque ad scientiam *visionis* pertinere, quod nullum extet de his decretum; neque ad scientiam *mediam*, quod istiusmodi futura non sint diversa a rebus possibilibus, nisi rationis nostræ figmento, ac nomine tenus; ideoque spectent ad scientiam naturalem, sive *simplicis intelligentiæ*. Atque hæc sententia & Thomistis, & Molinianis adversatur, & sive prædeterminationem defendas, sive rejicias, a vocabulo scientiæ *mediæ* semper abhorret: ut præ ceteris præstat in promptuario divinæ Providentiæ vir eximius, & apud Hispanos Augustinenses celeberrimus Joseph a Villanova. Vides, ni arbitror, ab explicatione hujusce vocabuli *scientiæ mediæ* quæstionem istam pendere, ideoque de nomine, non de re disceptati. Sed meam de hac re sententiam excipias.

PROPOSITIO I. Si accipias *scientiam mediam* pro certa præscientia futurorum ordinis naturalis, sive supernaturalis in statu naturæ innocentis, necnon operum malorum ejusdem status absque ullo prædeterminante decreto, admitto vocabulum *scientiæ mediæ*.

Assentiuntur huic propositioni quotquot pro diversitate auxiliorum in utroque statu nobiscum pugnant. Et prob. Neque ad opera naturalia, neque ad supernaturalia naturæ integræ, neque ad peccata debet admitti decretum prædeterminans: Ergo hæc non in decreto prædeterminante, sed tantum per scientiam mediam præcognoscuntur.

PROPOSITIO II. Præscientia peccatorum in statu naturæ lapsæ spectat ad scientiam *visionis*, non ad scientiam, quam vocant *mediam*.

Negant id qui nobiscum prædeterminationem ad *materiale* peccati rejiciunt, dicentes: Deus non prædefinit *materiale* peccati, ergo non prævidet peccata in decreto prædeterminante, sed per scientiam *mediam*. Verum peccata non sunt objectum *scientiæ mediæ*, quoniam non prædefiniuntur, sed alio ex capite. Necessaria est in hoc statu, ut actu vitentur peccata, gratia ab intrinseco efficax; hanc Deus aliquibus elargitur, aliquibus denegat; qui hac gratia privantur, possunt quidem per auxilia indifferenter moventia sese continere a peccatis, sed ob prædominantem cupiditatem, nisi efficaciter adjuventur, libere in scelera prolabuntur. Jam vero sic argumentor: Quod prævidetur a Deo sub conditione inferente, non est objectum scientiæ *mediæ*, sed scientiæ *visionis*: Peccata in statu naturæ lapsæ prævidentur sub conditione inferente: Igitur non sunt objectum scientiæ *mediæ*, sed scientiæ *visionis*. Negant minorem quidam ex nostris, propterea quod denegatio gratiæ efficacis non est conditio inferens peccatum, eum ideo quisquis peccet quia vult, non quia denegatur illi beneficium indebitum; & id quidem verum est; sed ego non constituo conditionem inferentem peccatum in denegatione gratiæ efficacis; sed illam conditionem statuo in ipsa libera voluntate affecta prædominantibus cupiditatibus, & tali pondere concupiscentiæ, ut sola gratia victrice possit molliri. Quare ita minorem illam sic probo. Peccati vulnus, vesana cupiditas, perduellis concupiscentia est conditio inferens peccatum, ut sancta delectatio, & gratia victrix est conditio inferens meritum, tametsi voluntas peccet quia vult, & meretur, quia gratia illi dat velle; sed in statu naturæ lapsæ præscientia meritorum pertinet ad scientiam *visionis*, quia prævidentur sub conditione gratiæ prędeterminantis: Ergo in statu naturæ lapsæ pręscientia peccatorum spectat ad scientiam visionis, quoniam in hoc statu peccata pręnoscuntur sub conditione voluntatis ad malum cupiditate vehementi inclinatæ, & quæ libere quidem, sed certissime labitur, nisi gratia prędeterminante adjuvetur.

PROPOSITIO III. Si accipiatur *scientia media* pro cognitione conditionatorum, quæ non sit neque scientia *visionis*, neque scientia *simplicis intelligentiæ*, neque in pręsenti statu, neque in statu innocentiæ locum habet.

Ita Joseph a Villanova disp. II. dub. X. cap. 4. & dub. XI. cap. V. & dub. XII. & probatur. Futura, quæ reipsa non erunt, sed forent aliqua posita conditione, non sunt futura, sed possibilia: Possibilia sunt objectum scientiæ naturalis, sive *simplicis intelligentiæ*: Sunt ergo objectum hujus scientię etiam futura, quæ non erunt reapse, sed forent hac, aut illa posita conditione. Probatur major: S. P. Augustinus lib. XXVI. contra Faustum cap. 4. ait: *Omnia, quæ vere futura sunt, sine dubio fient; si autem facta non fuerint, futura non erant*. Atqui futura conditionata non erunt: Ergo non sunt vere futura, sed possibilia duntaxat.

Respondent Adversarii ex hoc evinci tantummodo quod non sint futura absoluta, non autem quod non sint futura conditionata. At sic persisto. Futura conditionata non sunt absolute futura, sed tantum dependenter a conditione: Conditio non est futura, sed tantum possibilis: Ergo futura conditionata non sunt futura, sed possibilia. Rursus aut ponetur illa conditio, aut solummodo potest poni: Ex quo conditio aliqua ponenda sit actu, redditur res futura absolute: Igitur ex eo quod poni quidem possit, sed ponenda non sit, remanet res conditionata tantum possibilis. Item ut transeat res futura de statu possibilitatis ad statum *futuritionis* non sufficit conditio tantum possibilis: quomodo enim quod in se *futuritionem* non habet, illam potest rebus tribuere? Tandem in idea ac perceptione rei futuræ venit id quod aliquando erit: Conditionata aliquando non erunt: ergo nequeunt appellari vere ac proprie futura.

Thomistæ, qui putant cognitionem futurorum conditionatorum spectare ad scientiam *visionis*, respondent eadem evadere futura per decretum absolutum ex parte Dei, conditionatum ex parte objecti. Moliniani contra, qui arbitrantur pertinere ad scientiam *mediam*, inquiunt transire de statu possibilitatis ad statum futurorum per potestatem caussæ liberæ, cui pręsto sint omnia requisita ad agendum, aut *transitu*, ut quidam dicunt, *objectivo*, sed non reali.

Verum gratis ista dicuntur. Ut enim omittam, quę contra ejuscemodi decreta partim absoluta, partim vero conditionata, quamplures opponunt; nos lib. 2. cap. 3. & hoc rursus, in quo versamur, cap. I. ostendimus decreta, aliaque divina attributa dici tantum connotative, & comparate ad objecta: quare nullum decretum ex parte objecti conditionatum potest excogitari, & absolutum ex parte Dei; sed qualecunque decretum, quum sit aliquid connotativum, aut absolutum, aut conditionatum est undequaque. Accedit, esse quidem in Deo decretum caussas liberas, & necessarias juxta singularum conditionem pręmovendi; sed liberas Deus nequaquam prędefinit, nisi in ordine ad opera supernaturalia hujus status, sed pręmovet tantum universaliter; quæ pręmotio non infert certam rerum *futuritionem*, sed complet tantum, perficitque potentiam, ut pro suo arbitratu prodire valeat in actum.

Minus vera est opinio aliorum, qui docent conditionata fieri in suo genere futura per possibilitatem caussę liberę; in qua, donec manet indifferens, nihil certo potest comprehendi, nisi facultas agendi vel non agendi. At hęc indifferens potentia non potest esse medium cognoscendi aliquid, pręterquam possibilitatem eventuum: in caussa quippe indifferenti, nisi aliud addatur medium, nihil, omnium consensione, dignosci potest infallibiliter. Esse autem objectivum in mente Dei nihil addit rebus, nisi cognitionem illarum, prout sunt in se. Quod si dicant aliqui extrahi futura conditionata a statu possibilitatis per decretum quod non est, sed potest esse; facile mihi erit reponere, Decretum quod potest esse, constituere rem possibilem, sed non futuram: alias enim quęcunque possibilia essent futura conditionata, cum non repugnet horum prędefinitio ad decretum.

Habes ex dictis posse etiam negari scientiam *mediam* ab iis, qui rejiciunt prędeterminationem. Nam futura absoluta possunt a Deo videri in determinatione libera voluntatis, ut diximus cap. VI. & conditionata in comprehensione omnium possibilium; quarum prima est scientia *visionis*, altera *simplicis intelligentiæ*. Neque his repugnant, quę definivimus cap. II. Prop. 3. Deum conditionata pręvidere ac pręnunciare, ut constat exemplis eo loco productis: quandoquidem pręvidentur per scientiam naturalem, & pręnunciantur sub aliqua conditione; quę cum sit possibilis, & non futura, non extrahit eventum a genere possibilium. Quamquam si absolute conditionata futura pręnuncientur, complectitur divina prędictio, pręter eorum possibilitatem, etiam aliquid actu existens. In exemplo sit: Si David commorabitur in urbe Ceila, tradent eum cives. Duo istic divinę scientię objecta occurrunt, proditio David, quę possibilis est, & cognoscitur per scientiam *simplicis intelligentiæ*: & pravus Ceilitarum ani-

mus, quem Deus comprehendit per scientiam *visionis*.

At nonnihil ingerit difficultatis genus aliud prædictionum, quæ in sacris literis occurrunt, in quibus aliquid prænunciatur, nec tamen intercedit aliqua conditio inferens, cujus caussa possint ad scientiam *visionis* quodammodo pertinere. Dum enim Eliseus Regi Israel ait: *Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem*; ut habetur lib. IV. Regum cap. XIII. 19., liquet conditionem illam percussionis terræ esse prorsus indifferentem ac disparatam, & nullatenus cum Syriæ eversione connecti. Quare verificari nequit divinum effatum, nisi ad scientiam, quam dicunt *mediam*, confugiamus.

Verum etiam in his illa duo, quæ diximus, reperiuntur, idest, pravus affectus Regis Joas spectans ad Scientiam *visionis*, & eversio Syrorum pertinens ad *simplicem intelligentiam*. Mandans enim Propheta, ut Joas percuteret jaculo terram, ostendit hoc signo, nequaquam Deum velle extremam Syriæ eversionem, quod Joas non declinans a peccatis Jeroboam parum fideret in virtute Domini Dei sui. Principio enim Eliseus ait; *Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam*, demonstrans Deum quidem ad redigendos in potestatem Israelis Syros omnes futurum fuisse paratum, si Rex Joas nullum malum fecisset in conspectu Domini, fidenterque pugnasset. Mox ostendens diffidentiam torporemque Regis ait: *Percute jaculo terram*. At Joas leviori ictu, tribusque tantum vicibus terram percussit, stetitque illico. Quod si non in eum diffidentia fractusque animus irrepsisset, incessanter, fortiterque jaculando perstitisset ad nutum saltem prophetæ. Qui propterea contra Regem iratus inquit, quod si pluribus ictibus terram concussisset, subacta omnino, ac eversa esset Regio Syrorum. Itaque Elisei prædictio parabola quædam fuit, qua Regis Joas redargueret inertiam, pravumque animi temperamentum: quod proinde fuit scientiæ *visionis* objectum.

Præterea, ut ad principia sua revertatur disputatio, si futuram Syriæ eversionem ad naturalem rerum ordinem dixeris pertinere, fateor absque decreto ullo prædeterminante fuisse præcognitam, ut priori propositione dictum est. Si vero reponenda sit inter futura ordinis supernaturalis, quod Syria bello vastata foret in Dei cultum ac religionem captivanda; necesse erat, ut Regis Joas prædefinirentur actiones, eique gratia victrix daretur, qualem forte habuisset, nisi se omnibus peccatis Jeroboam coinquinasset; ut dicam proximo cap. XII. de habitatoribus Corozain & Bethsaidæ.

C A P U T XI.

Futura supernaturalis ordinis ad statum naturæ lapsæ pertinentia prævidet Deus in absoluta illorum prædestinatione.

EST itaque scientia *Media*, missis vocabulorum ambagibus, præscientia futurorum independenter ab omni decreto prædeterminante: cumque plures Societatis Jesu Theologi decretum illud etiam ab infirmitatis statu amoveant, quod putent omne antecedens absolutum, & necessarium humanam evertere libertatem, propugnant acerrime scientiam *mediam* contra omnes Augustinianos, ac Thomistas, qui junctis tandem dexteris contra Moliniana scita fœdus ineunt.

Adeo sibi de Scientiæ *Mediæ* inventione complacuit Molina, ut in sua Concordia membro ult., minime veritus sit affirmare se omnium mortalium primum veram conciliandi cum Gratia libertatem adinvenisse rationem, quæ latuit Augustinum summum illum divinæ gratiæ Magistrum, ac defensorem. *Quæ si tradita fuisset*, inquit, *tempore Augustini, aut ab eo fuisset exposita, itum fuisset obviam hæresibus Pelagianorum & Lutheranorum, nec tam multi ex Massiliensibus & Gallorum Episcopis ad hæresim defecissent*. Ipsi tamen auctori suo hæc Scientia *media* visa est principio suspecta, timebatque editas de illa elucubrationes publici juris facere, ut scribit t. p. disp. VII. cap. I. Herice, quod & ingenue de seipso fatetur Fonseca lib. VI. Metaphys. cap. 2. q. 4. At Franciscus Suarez, ne Molinianum Commentum damnetur a veterum studiosis prætextu novitatis, lib. 2. de Scientia cap. 3. ait Scientiam *mediam* ab antiquioribus Scholasticis fuisse traditam sub nomine scientiæ *simplicis*, & *visionis*, atque pro eadem stare Sanctissimos Ecclesiæ Patres. Quamobrem in Schola Medistarum primum aperte dogmata Sancti Augustini rejici, deinde ad Molinæ sensa detorqueri cœperunt, quamcitius, si superis placet, se tantum Augustini mentem assecutos jactitabunt.

Illud itaque extra dubium est Scientiam Mediam fuisse traditam a Semipelagianis, & ab Augustino improbatam; quod constat ex Epistolis SS. Prosperi & Hilarii. Nam asserebant Pelagiani, inquit Prosper, *tales perdi, talesque salvari, quales futuros illos, si ad longiorem servarentur ætatem, scientia divina præviderit*, & parvulos absque baptismate morte abripi, quod Deo cognitum sit, *fuisse si diutius viverent, peccaturos*: voluisse etiam Christum apparere, & prædicari hominibus Scientiam suam, *quando sciebat, & ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri*. Quibus victi testimoniis Jesuitæ in rescripto publicato Romæ, dum gravissima agitaretur controversia, hæc ingenue confessi sunt: *Verum est quod Patres Prædicatores evulgarunt, videlicet etiam ipsos Massilienses Semipelagianos hanc scientiam mediam docuisse, quod bene inferunt ex illis verbis Hilarii in Epistola ad Sanctum Augustinum: Cum autem dicitur eis, quare aliis vel alicui prædicetur, quod aliquando pene omnibus, sicut nunc aliquibus prædicatum non sit, dicunt id præscientia esse divina, ut eo tempore, & ibi veritas annunciaretur, quando & ubi prænunciabatur esse credenda*. Idem nomine Societatis confessus est P. Cobos anno 1601. in responsione ad quendam Propositionem XIV. apud Censores a Sede Apostolica deputatos. De quibus consule erudita scripta Joannis Gonzales, Thomæ de Lemos, Hyacinthi Serry, & qui omnia collegit, & Historiæ Congregationis de Auxiliis amplissimam suppeditavit materiam, Gregorii Nunnez Coronel Augustiniani præfatæ celeberrimæ Congregationis Consultoris & Secretarii, cujus autographa servantur in Bibliotheca Angelica urbis, & in Cœnobio Montis Georgii.

Neque Pelagiani Scientiam *Mediam* adinvenere, sed acceperunt a superiorum sæculorum hæreticis Arianis. Qui, ut refert Alexander Episcopus Alexandriæ in Epist. quæ habetur in Actis Nicænæ Synodi, & Theodoretus lib. I. Ecclesiasticæ Historiæ cap. IV., asserebant Christum Dominum ex omnibus fuisse prælectum, quod Deus, *eum præscientia & præsensione prænovisset neutiquam ipsum aspernaturum*. His reciprocam reddit echum Molina I. P. Conc. q. 23. art. IV. ut evidentissime demonstrat Cardinalis Gotti Quæst. VI. de Scient. futur. Cond. Dub. 3. §. I. & Didacus Alvarez disp. VII. de Aux. n. 2.

Hæc non ideo dicta sunt, ut in Semipelagianis Scientiam *Mediam* damnatam esse quisquam suspicetur. Non sum tali ingenio erga Theologos de Ecclesia optime meritos: neque immemor sum eorum, quæ scripsi sexto cap. præcedenti. Imo duplex oppono Medistas inter, ac Semipelagianos discrimen. Primum est, Semipelagianos affirmavisse initium fidei esse ex nobis, neque veram Christi gratiam ad primum conatum fideique primordia credidisse necessariam: cum Medistæ gratiam Christi, licet non prædeterminantem, etiam ad primum bonæ voluntatis motum requirant. Alterum vero est, quod Semipelagiani caussam prædestinationis ad gratiam contendebant esse illa opera parvulorum, quæ nunquam futura erant, quod Catholici defensores Scientiæ *Mediæ* nusquam aut ore, aut calamo tradiderunt.

Quamvis hæc vera sint, & de Scientia *Media*, donec accedat judicium Ecclesiæ, nihil possimus temere definire; distinguenda est tamen in Semipelagianis duplex caussa, cur illam scientiam adstruebant. Prima caussa est, ne videretur Deus iniquus, & personarum acceptator, si ex duobus parvulis pariter originali obnoxiis peccato unum, non alterum prædestinaret: quod ne sequeretur, asserebant unum, non alterum eligi intuitu meritorum, quæ facturi essent, si vixissent: id vero de prædestinatione saltem ad gratiam Moliniani non audent proferre. Secunda caussa est, ne prædestinatione antecedenter efficaci fatalis induceretur necessitas: & propter hanc caussam non solum Medistæ Scientiam Mediam tuentur, verum etiam in dies veteres Semipelagianorum repetunt querimonias, quod prædestinatione beneplaciti, & gratia victrice liberum tollatur arbitrium.

S. P. Augustini in hac controversia quanti facienda sit auctoritas, manifestum est ex decretis Pontificum, & Sanctorum Patrum testimoniis, qui ejus doctrinam plenis calculis probaverunt, ut dicam in Protheoria libri VI. Sed quantum ad quæstionem hanc propius accedit, cum in Congregatione de Auxiliis ageretur, præcepit Clemens VIII. ut ad mentem Augustini discuteretur, quod is viginti annorum spatio pro Gratia Dei contra Pelagianos dimicaverit, & eo Duce egerit acies Catholicæ Ecclesiæ triumphum: & nihil prætermiserit eorum, quæ ad præsentem pertinent controversiam. Quæ in Historia Congreg. de Aux. lib. V. cap. I. P. Meyer, sive personatus cognomine Theodori Eleuterii ingenue fatetur. Atque hinc est, quod Scientia *Media*, ut a Molina traditur, cum repugnet Augustino, teste eodem Molina Q. XXIII. Conc., etiam decreto Claudii Aquavivæ Præpositi Generalis amplissimæ Societatis Jesu anno 1613. fuit improbata: eamque rejiciunt Azorius & Henriquez, aliique ejusdem Societatis viri docti: ut dicam agens de Gratia efficaci. Pertinet vero ad præsens institutum hanc Scientiam *Mediam* refutare, & ea resolvere, quæ in ejus munimentum congessere Moliniani.

PROPOSITIO: Deus videt futura libera ordinis supernaturalis, quæ spectant ad statum naturæ lapsæ, dependenter ab efficaci decreto non per Scientiam *Mediam*.

Non iisdem principiis nos hanc *Mediam* Scientiam depellimus, quibus utuntur Thomistæ, sed hoc uno, quod & ipsi approbant, ducto ex necessitate gratiæ efficacis, quam in hoc statu ad omne opus salutare credimus necessariam. Itaque Propositio hac ratione fulcitur. Etenus prænosceret Deus futura ordinis supernaturalis per Scientiam *Mediam* & independenter ab omni decreto efficaci, quatenus non statuisset hominibus lapsis conferre efficacem gratiam,

sed

sed quamdam generalem & arbitrii pedisequam, cujus efficientia ab humana voluntate ipsam gratiam determinante penderet: Atqui Deus hominibus lapsis decrevit misericorditer largiri gratiam victricem, sine qua nunquam vulnerata per culpam Adæ libertas opus efficeret salutare: Ergo Deus prævidet futura supernaturalia hujus status, non per Scientiam *Mediam*, sed in absoluto & efficaci suæ voluntatis decreto. Major propositio certa est; quando enim aliqnid cognoscitur sub conditione inferente, & ad unum determinata, certum est ad Scientiam *visionis*, non ad *mediam* spectare: quemadmodum verirates istæ; Si lumen fulgeat, si dies elucescat, si aperiantur fenestræ, illuminabitur aula; si gravi vulnere hominis præcordia confodiantur, corruet mortuus; si aeris nubes valido aquilone perdantur, cessabunt pluviæ, & alia effata istiusmodi. Efficax autem Decretum, gratia victrix, ac prædeterminans est conditio inferens: & consequenter objectum aufert Scientiæ mediæ.

At minorem propositionem probaturi sumus ubi de Gratia disputabitur efficaci. Nunc quædam, ne in primo limine Candidati vacillent, accuratius postmodum expendenda subjiciam. Appellatur itaque Dei Gratia supernaturalis quædam vis nobis Dei liberalitate collata, unde omnes sanctæ cogitationes, & omnes motus bonæ voluntatis proveniunt: quæ definiri potest verbis Augustini lib. 4. contra duas Epist. Pelagianor. cap. 5. *Gratia est inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus*. Hæc vero, quantum ad præsens institutum attinet, absolute efficax est, quando vincit ac superat omnem cordis obdurationem, & facit ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati. De qua sane gratia inquit S. P. Aug. de Prædest. SS. cap. VIII. *Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur*. Præstat vero hanc appellare absolute efficacem, quoniam tam valida delectatione trahit, ut contranitens concupiscentia superetur, & voluntas infallibiliter, libere tamen & cum indifferentia potentiæ ad oppositum, sequatur vocantem; & quoniam tali gratiæ, quæ ex nolentibus volentes facit, nunquam liberum resistit arbitrium. Est tamen aliud genus gratiæ, quæ allicit quidem quantum in se est, tribuitque potestatem recte sancteque operandi, si tamen obex pravæ affectionis removeatur, quam placet appellare efficacem relative; quoniam hæc comparate ad varias hominum affectiones & efficax, & sufficiens tantum nuncupatur. Nam si carnalis delectatio, cui humana voluntas obstringitur, illius gratiæ delectatione prævaleat, frustratur hæc suo effectu, & redditur inefficax; & hæc est gratia sufficiens, cui liberum arbitrium quamfrequenter resistit. Quod si sancta delectatio carnalem superat concupiscentiam, reapse effectum sortitur, & victrix est, ut dicitur ab Augustino. Non enim peccator minori concupiscentiæ pondere pressus indiget vividissima illa inspiratione dilectionis, quæ a nullo duro corde respuitur, sed satis est si talem habeat, quæ pugnantis concupiscentiæ motus retundat. Quamobrem hanc gratiæ arbitramur esse Œconomiam; ut primo homini tale collatum fuerit adjutorium, quod generali quadam delectatione integram ejus mentem alliciendo daret posse non peccare, posse non mori, posse bonum non deserere; ut docet cap. XII. de Corrept. & Grat. S. P. Augustinus. Nunc vero gratia determinatam quoque delectationem inspirat, quæ si fortis sit admodum, & tam vivida ut quælibet cordis duritia auferatur, est gratia efficax absolute: si non sit tantæ vividitatis atque intensionis pro varia affectione voluntatis, cui confertur, modo effectum consequetur, eritque efficax, modo effectu frustrabitur, eritque inefficax; quamquam inspiret sanctam delectationem ad bonum in particulari, & sit ex suis intrinsecis sufficiens ad producendum opus salutare.

Ergo necessitatem victricis gratiæ, quæ talis sit saltem comparate ad cordis nostri duritiem, ostendit primum divina Scriptura; quæ non ab humana voluntate, neque a divini auxilii cum ipsa voluntate temperamento, sed ex modo operandi ejusdem gratiæ repetit efficaciam. Hujusmodi sunt verba Apostoli ad Philippenses II. *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate*. Et Ezech. 36. *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis & operemini*. Quæ postrema verba exponens S. P. Augustinus in lib. de Grat. & lib. arbitrio cap. 16. ait: *Ille facit, ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati*.

Idem probant Orationes Ecclesiæ, quibus non auxilium solum, sine quo agere non valemus, sed illud etiam continuo imploramus, quo actu velimus, & quod possumus exequamur. His enim supplicationibus orat Sancta Mater Ecclesia: *Fac nos, quæsumus Domine, semper tuis obedire mandatis: Fac nos amare quod præcipis: Quod immerita contulisti, propitius exequaris: Tribue quæsumus, ut ad promissiones tuas sine offensione curramus: Tua medicinalis operatio tuis semper faciat inhærere mandatis*, &c. Hæc frustra a Deo peterentur, si mandatis inhærere, currere, exequi, amare a determinatione nostra penderet. *Prorsus in hac re*, inquit S. P. lib. de Dono Persev. cap. 7. *non operosas disputationes expectet Ecclesia, sed attendat quotidianas orationes suas. Orat ut increduli credant: Deus ergo convertit eos ad fidem: orat ut credentes perseverent: Deus ergo donat perseverantiam usque in finem.*

Si vero Augustiniana Scripta volvamus, testimonia occurrent ad rem nostram innumera. *Quæstio, quæ inter nos agitur*, ait S. P. in Epist. ad Vitalem, *est utrum hæc gratia, quoad effectum, præcedat, an subsequatur hominis voluntatem; hoc est, ut planius id eloquar, utrum ideo nobis detur quia volumus, an per ipsam etiam Deus efficiat, ut velimus*. Et de Corrept. & Grat. cap. XII. *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret*. At plura alibi exscribam, & ab Adversariorum circumventione tutabor.

Advertendum est interim complures Patronos Scientiæ *Mediæ* repetere gratiæ efficaciam ex eo, quod illam misericors Deus largiatur in aliquibus circumstantiis, in quibus prævidet humanam voluntatem sibi vocanti & excitanti obtemperaturam: & hac ratione per Scientiam *mediam* dirigi putant absque gratia victrice totius prædestinationis nostræ negotium. Illam gratiam in his loci, ac temporis circumstantiis collatam *Congruam* appellant, eamque fatentur nunquam effectu proprio frustrari. Hi nimirum præter sufficiens auxilium, quod adsit omnibus, illud speciale addunt, quo Molinianam Sententiam liniunt pigmento, & veluti arte gladiatoria nobiscum ludunt. At perperam. Etenim S. P. Augustinus Hom. XXIII. inter L. docet, efficaciam gratiæ minime a circumstantiis naturalibus esse petendam; sed gratiæ donum esse, si improbis meditantibus scelera deest locus ac tempus, si non adest suasor malorum, si præsto sit qui ad bona opera hortetur. Hoc utique modo, vocat ille qui disponit omnia suaviter, prout videt unicuique congruere: hanc gratiam, si lubet, *Congruam* dicamus: sed in omnibus circumstantiis divinam fateamur præordinationem, qua Deus pro suo beneplacito definivit ita vocare, & hominum voluntates allicere, ut infallibiliter sequantur vocantem; itant opportuna hujus, illiusve circumstantiæ occasio non sit divinæ prædefinitionis caussa, sed effectus. Et quod maximum est, in lib. de Prædest. SS. cap. 2. S. P. exemplo Pauli longiori oratione demonstrat etiam in oppositis circumstantiis Deum quandoque gratiam largiri: ille enim alienus a fide, *quam vastabat, eique vehementer aversus repente est ad illam gratia potentiore conversus, convertente illo, cui hoc ipsum facturo per Prophetam dictum est: Tu conversus vivificabis nos: ut non solum ex nolente fieret volens, verum etiam ex persecutore, persecutionem in ejus fidei, quam persequebatur, defensione pateretur*. Ex quibus efficacis gratiæ necessitas, quantum ad præsens assertum necesse est, comprobatur. Omnia vero, quæ hucusque diximus, ad hanc reducuntur synopsin: Eget homo lapsus auxilio ab intrinseco efficaci: istud a decreto absoluto atque a divino beneplacito in nos derivatur: quidquid ab hujusmodi pendet decreto non est objectum Scientiæ *mediæ*: Ergo opera supernaturalia hominis lapsi per scientiam mediam non prænoscuntur.

Addam aliqua ex Augustino momenta, in quibus expresse de futurorum agitur præscientia. Ac primum sit: Prævidet Deus peccatorum conversionem, & cetera opera meritoria, tamquam dona sua, & veluti opera a se principaliter facienda: sed dona sua, & opera a se facienda prævidet Deus in sua prædestinatione, sive absoluto decreto: Ergo in sua prædestinatione, in suo decreto videt Deus conversionem peccatorum, & cetera opera meritoria. Ita S. P. lib. de Præd. SS. cap. X. *Prædestinatione quippe ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus*. Et de Dono Persev. cap. XVII. *Si nulla est prædestinatio quam defendimus, non præsciuntur a Deo Dei dona*: Et ibidem: *Quod si dantur, & ea se daturum esse præscivit, profecto prædestinavit*.

Preterea Semipelagiani contendebant, ut constat ex Epist. Hilarii, præscientiam conditionatorum independenter a divina prædestinatione traditam quoque fuisse ab Augustino Epist. ad Porph. 42. n. 102. ubi scripserat: *Si tantæ potestatis fuisset Pythagoras, ut ubi vellet, & quando vellet, sua dogmata prædicaret, & si haberet etiam cum ea potestate summam rerum præscientiam, nusquam, & nunquam appareret, nisi ubi & quando sibi homines credituros esse prænosceret*: Et infra: *hoc solum eis brevitatis gratia in hujusmodi quæstionis disputatione dicamus, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri*. Quem locum in patrocinium scientiæ *mediæ* produxerunt Patres Societatis Jesu in disputatione XXXIII. habita coram SS. D. N. Clemente VIII., eumque ad Scientiam hanc *mediam* confirmandam validissimum putat Franc. Suarez lib. 1. de Gratia Prolog. 2. cap. 3. At S. P. lib. de Prædest. SS. cap. 9. hæc ex adverso respondet: *Cernitisne me sine præjudicio latentis consilii Dei aliarumque caussarum hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæstionem, sufficere videretur? Quid enim est verius, quam præscivisse Christum qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrum prædicato sibi Christo, a seipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, utrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere atque disserere tunc necessarium*

non

non putavi. His autem docet Augustinus se utique tradidisse scientiam conditionatorum, sed absque præjudicio latentis consilii Dei, sive in prædestinatione ad fidem, & in proposito voluntatis suæ ante mundi constitutionem. Quod scientiæ *mediæ* omnino est peremptorium.

Neque ullius momenti est, quod ait citato loco Suaresius, S. Patrem priorem sententiam de Præscientia Dei antecedente decretum potius confirmasse, dicens: *Posset etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem*, eo vel maxime quod Augustinus cit. Epist. 502. scribit noluisse Christum apparere infidelibus, *quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse præscivit*: quæ verba accipi non possunt de præscientia consequente decretum, cum Deus neminem eligat ad non credendum. Non, inquam, hæc dici possunt. Quis enim non videat ea verba, *Posset etiam sic dici*, &c. complecti electionem eorum, qui prædestinati sunt ante mundi constitutionem? Quis non percipit referenda esse ad ea, quæ S. P. scripserat citata Epist. nulla tunc facta mentione prædestinationis, quam exorta Pelagiana hæresi laboriosius explicare oportebat? Quis non acquiescat, posteaquam Augustinus admonuit se loquutum absque præjudicio latentis consilii Dei? Quis non miretur Suaresium non advertisse ea, quæ sequuntur: *Tunc satis erat breviter esse dicendum excepta altitudine sapientiæ & scientiæ Dei, & sine præjudicio aliarum caussarum?* Quis non sentiat refutari ab Augustino Semipelagianorum objecta, non confirmari? De infidelitate autem plurimorum, non eadem ratio est, ac de fide: illius caussa est sola voluntas; hujus voluntas & gratia: de illa stat sine prædestinatione præscientia, in ista prævidet Deus quidquid est ipse facturus. Sed & infidelitas, si Deus subtrahat auxilium efficax, videtur absque ulla scientia *media*, ut dixi cap. præc. propos. 2. Quapropter futilis est Suaresii argumentatio, & contra eum retorquetur.

Tandem S. P. Augustinus, cum illi a Semipelagianis objicerentur quædam testimonia veterum Patrum, qui operum præscientiam independenter a prædestinatione, & efficaci divinæ voluntatis proposito videbantur tradidisse; libro de Dono Persev. cap. 18. respondet illos præscientiæ nomine designasse prædestinationem: *Quid ergo*, inquit, *nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei Tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eamdem prædestinationem intelligere?* Sed præscientia prædestinationi subnixa, non est illa, quam appellant scientiam *mediam*, hæc enim prædestinationem antevertit, & nullum decretum supponit nisi conferendi omnibus & singulis gratiam versatilem, in qua nil potest certo præsciri, neque discretio aliqua unius præ alio contineri: Igitur rejicit Augustinus scientiam conditionatorum, qualem propugnant Medistæ.

CAPUT XII.

Solvuntur ea, quæ obtrudunt Defensores scientiæ mediæ.

PRIMO ita arguunt adversarii. Deus prævidit futuram conversionem Tyriorum ac Sidoniorum independenter ab omni conditione inferente: Ergo vidit per scientiam *mediam*. Probat. antec. Matth. XI. 21. ita Christus increpat Corozaitas & Bethsaitas: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone facta essent virtutes quæ facta sunt in vobis, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent*. Itaque vidit Deus futuram conversionem Tyriorum ac Sidoniorum sub ea gratia, quam habuerunt Corozaitæ ac Bethsaitæ: Sed gratia, quam habuerunt Corozaitæ, & Bethsaitæ non fuit efficax, & conditio inferens: Ergo Deus non prævidit futuram conversionem Tyriorum ac Sidoniorum, dependenter a conditione inferente, & a decreto, auxilioque efficaci.

Resp. nego consequentiam: futura quippe conversio Tyriorum ac Sidoniorum, cum sit conditionata, spectat, ut diximus cap. X. prop. III. ad scientiam *simplicis intelligentiæ*, qua Deus vidit possibilem conversionem ad fidem in Tyriis & Sidoniis, si apud eos facta essent signa ac prodigia, quæ patrata fuerant apud Corozaim & Bethsaidam. Harum autem urbium cives idcirco Christus increpat, quoniam obstinati erant, pervicaces, obdurati, & resistebant Spiritui Sancto, cui Tyrii ac Sidonii nulla tali obduratione obcæcati obtemperassent vocanti. Et hanc Judæorum obdurationem Christus scientia *visionis* comprehendebat. Quapropter eorum increpatio in comparatione Tyriorum, quatenus spectat ad conditionatam istorum conversionem infert in Christo scientiam *simplicis intelligentiæ*, & prout spectat ad pervicaciam & cæcitatem Judæorum demonstrat scientiam *visionis*. Illa enim conversio erat possibilis: ista obduratio existens. Ad probat. ant. dist. majorem: Vidit Deus futuram conversionem Tyriorum ac Sidoniorum sub ea gratia, quam habuerunt Corozaitæ, & Bethsaitæ & hæc gratia in Tyriis & Sidoniis fuisset ab intrinseco efficax, quæ in Corozaitis & Bethsaitis talis non fuit ob eorum duritiem, concedo: fuisset in utrisque tantum versatilis, nego. Habet gratia Christi, quæ convertit corda hominum, gradus suos, & in uno est efficax, in altero otiosa redditur ob pervicaciam arbitrii. Quapropter credidissent Tyrii & Sidonii, si æqualia signa vidissent, quia *non erant sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum*, sicut erant obdurati & excæcati Corozaitæ, inquit S. P. lib. de Dono Persev. cap. 14.

Sed dices, Non erit ergo Gratia ab intrinseco efficax, sed tantum ex liberi arbitrii affectione, ut contendunt Moliniani.

Resp. hanc propositionem falsam esse. Aliud est enim ponere impedimentum ne gratia Dei effectum suum sortiatur; aliud reddere illam efficacem. Ponit utique liberum hominis arbitrium impedimenta, quibus gratia aliquando effectum suum non consequitur: & hæc impedimenta sunt peccata quæ præcedunt, pravi habitus, bonorum ambitio, odii atque invidentiæ nutrimenta: quæ in se habebant arbitrii vitio Corozaitæ; digni proinde gravissima increpatione, quoniam cur non crederent ipsi ponebant remoram, veluti splendentissimo Soli clausos sponte oculos objicientes. Vide S. Thomam in III. contra Gent. cap. 159. At cur gratia sit efficax, cur unum discernat, non alterum, cur in illo omnia validissimo impulsu superet impedimenta, trahatque renitentem hominum voluntatem, non ex nobis, sed ex Dei munere venit. Interdum enim Deus, qui sanat contritos corde, & erigit omnes elisos, talem elargitur gratiam, quæ agit de omni mala cupiditate triumphum: sed hanc, quæ speciali titulo efficax dicitur, misericordia Dei non omnibus impertitur. Communior est gratia alia, quæ in se valida quidem est, sed ei, nisi adsit specialis illa victrix & magna, liberum arbitrium culpabili voluntate resilit. Habet in se virtutem sanitatis medicamentum, neque est ab ægrotantis conatu morbi cura, & corporis valetudo. Si autem infirmus velit comedere quidquid appetit, acrem respirare malignum, surgere e strato, spernere medentis consilium, nunquam medicinæ poterit experiri in se beneficium. Est pariformiter gratiæ efficientia a Deo, impedimentum ex nobis.

Insurges. Si gratia sit ab intrinseco efficax, poterant Corozaitæ Christo increpanti respondere, se ideo non credere, quoniam non largiebatur illis efficax adjutorium: injuste corripi, & nullam esse sui cum Tyriis & Sidoniis comparationem: his adfuturam in hypothesi gratiam, qua ipsi carebant, potentiorem ac victricem: deesse sibi voluntatem, quæ præparatur a Domino: hanc daret, & nisi credant, corripiantur.

Hæ sunt vetustissimæ Semipelagianorum querimoniæ; quibus tenentur quoque respondere, qui defendunt gratiæ congruæ necessitatem. Etenim in horum sententia poterant reponere Corozaitæ, se non vocari ad Christi fidem in talibus circumstantiis, in quibus positi Tyrii ac Sidonii fuissent, ut assensum præberent vocanti. Itaque recurrendum est ad ea quæ respondit S. Pater Adrumetinis, videlicet, merito corripi Corozaitas, quia fidei impedimentum, excæcatio, pervicacia, resistentia non ex Deo erat, sed ex ipsis. In hoc juste increpari comparatione Tyriorum, quod hi minus essent obdurati, minus invidi, minus dediti cupiditatibus. Si ad habendam actualem fidem efficax gratia requiritur, id esse post Adæ culpam, a qua proficiscitur humani arbitrii imbecillitas. Parare tamen Deum, qui vult omnes homines salvos fieri, auxilia singulis sufficientia. Si adjutorium, quo efficitur in nobis bona voluntas, non omnibus ex æquo conceditur, esse inscrutabile Dei judicium. Is cujus vult miseretur, & quem vult indurat: negat beneficium indebitum, exercet debitum judicium. *Tu quis es*, ait Apost. 5. ad Rom., *qui respondeas Deo?* Uno verbo: culpanda est in infidelitate mala hominis voluntas, laudanda in fide credentium misericordia liberatoris. *Sed alii credunt, alii contradicunt: volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignorat? Quis hoc neget? Sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas a Domino; discernendum est utique quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio*: ait S. P. lib. de Præd. SS. cap. VI. Addam præclarissimam sententiam S. Prosperi resp. VIII. ad Excerpta Genuensium. *Quare autem*, inquit, *hoc eis negatum fuerit, dicant, si possunt, qui calumniantur: & ostendant cur apud eos Dominus mirabilia, quibus profutura non erant, fecerit; & apud eos, quibus erant profutura, non fecerit? Si rationem facti, & profunditatem judicii ejus penetrare non possumus; manifestissime tamen scimus, & verum esse quod dixit, & justum esse quod fecit, & non solum Tyrios & Sidonios, sed etiam Corozaim, & Bethsaida potuisse converti, & fideles ex infidelibus fieri, si hoc in eis Dominus voluisset operari*. Refunditur autem ab Augustino & Prospero in inscrutabile judicium Dei, quod uni, non alteri donetur efficax gratia; quia nulli debetur; & cum pares sint malis meritis, qui eligitur misericorditer liberatur: qui derelinquitur justissimo reprobatur judicio.

Ex dictis constat quid sit respondendum similibus Scripturarum divinarum testimoniis, V. G. I. Regum 23. ubi Davidi quærenti, *Si viri Ceilæ tradent me in manus Saul?* ait Dominus, *Tradent*. Jeremiæ XXXVIII. 17. *Si profectus exieris ad Principes Regis Babylonis, vivet anima tua*. Matth. XXIV. 22. *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro*, &c. Hæc enim omnia pertinent ad Scientiam *simplicis intelligentiæ*, quatenus noscitur possibilis proditio

Davi-

Davidis, vita Sedeciæ, prævaricatio Justorum: & ad Scientiam *visionis*, in quantum videtur conspiratio Celeitarum, indoles principum Babylonis, infirmitas Justorum qui nunc stant, sed in consilio maligna atium, ia circumveniectium fraude, in persecutione impiorum caderent, nisi gratia juvarentur potentiore. Vide cap. præced. prop. 3.

Conantur secundo Scientiam mediam comprobare auctoritatibus Augustini. Primo quia lib. XII. de Civit. Dei cap. 6. docet aliquos duos æqualiter affectos esse, & tamen unum ad impudicam voluptatem percelli, alterum in castitatis amore permanere: *Si aliqui duo*, inquit, *æqualiter affecti animo & corpore videant unius corporis pulchritudinem, qua visa unus eorum ad illicita perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret: si eadem tentatione ambo tententur, & unus ri cedat, atque consentiat; alter idem qui fuerat perseveret: quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere?* Quo in loco S. P. non ad gratiam victricem, non ad prædestinationem, non ad divinum propositum, sed ad solam voluntatem æqualiter affectam, eademque gratia suffultam tam impudicitiam refert, quam contineatiam & castitatem. II. In lib. de Dono Persev. cap. 14. scribit: *Habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentia, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Ubi manifestissime gratiam congruam audimus commendari. III. In lib. de Spir. & lit. aperte testatur non omnem voluntatem nostram ex Deo esse. IV. de Prædestinat. cap. X. ait: *Potest autem esse sine prædestinatione præscientia*: & consequenter non omnia, quæ certissime Deus prævidet, fuerunt ab eo definita. V. In Exposit. Epist. ad Romanos Prop. LV. *Non omnes*, inquit, *qui vocati sunt, secundum propositum vocati sunt: hoc enim propositum ad præscientiam & prædestinationem pertinet; nec prædestinavit aliquem, nisi quem præscivit crediturum; & secuturum vocationem suam, quos & electos dicit*. En Scientia media literis cusa cubitalibus. VI. Lib. 1. ad Simplic. quæst. 2., *Nullius*, inquit, *frustra miseretur: cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat*. Plura sunt ibidem pro gratia congrua satis pervia legentibus.

Generalis responsio est, S. Patrem hæc & similia pronunciasse absque præjudicio latentis consilii Dei, aliarumque caussarum, ut ipsemet Augustinus inimicis gratiæ Dei respondet lib. de Prædest. SS. cap. 9. Atque si aliquando ante Episcopatum Scientiam *mediam* propugnaverat; *Nondum diligenter quæsierat, nec adhuc invenerat, qualis sit electio gratiæ*: ut profitetur lib. I. Retractat. cap. 23. Resp. tamen ad singula. Et primo quod proferunt ex lib. XII. de Civit. Dei etiam ab iis, qui gratiam congruam defendunt, solvendum est. Non sunt enim æqualiter affecti corpore & animo, qui in diversis positi sunt loci ac temporis circumstantiis. Deinde S. P. quærit ibidem caussam mali, non boni, ut apparet ex illis verbis: *Quid putamus esse caussa, ut in illo fiat, in isto non fiat voluntas mala?* Profecto mala voluntas habet caussam deficientem, & provenit a solo homine; sed voluntas bona excitatur principaliter a Dei gratia. Hinc S. P. probans in libris de Civit. Dei contra Manichæos malum non esse a Deo, affirmat unice oriri ab hominum voluntate: sed in libro de Dono persev. cap. 3. disputans contra Pelagianos de origine meriti probat consimili exemplo non a voluntate, sed ab inscrutabili judicio provenire, cur ex duobus, tametsi æqualiter sint affecti, *uni donetur perseverantia, non alteri*. Lege in utroque loco Sanctum Doctorem.

Ad 2. constat ex supradictis habere homines in seipsis vim ingenii, ac naturalem indolem, & comparata etiam virtutum officia, quibus si congrue vocentur, vocantem non respuant. At naturales affectiones naturæ non disponunt ad gratiam; id enim asserere est Semipelagianum, & hæreticum: sed removent tantum gratiæ obicem & impedimentum: neque ullatenus recte operantur qui naturaliter habent divinum munus intelligentiæ, *Si Dei altiori judicio* (nota quæ statim intonat Augustinus) *a perditionis massa non sunt gratia prædestinatione discreti*. Atque hæc est gratia congrua Augustini, non qualem fingunt Moliniani.

Ad tertium & quartum dicendum non omnem voluntatem esse a Deo prædeterminante, si sermo sit de operibus naturalibus, & peccatis, quorum est in Deo præscientia absque prædestinatione: sed plura de his cap. VII. præcedenti.

Quintum locum retractat S. P. lib. I. cap. 23. affirmans se adhuc Presbyterum ea verba scripsisse, cum nondum sciret etiam fidem inter munera Dei reperiri: unde vellem ab his adversarios nostros abstinere, ne fateri cogantur S. Patrem Scientiam *mediam* revocavisse.

Ad ultimum respondeo quidquid Augustinus exornavit præfato libro 1. ad Simpl. exponendum esse juxta ea, quæ de hoc libro scribit in 2. Retract. cap. I. dicens: *In cujus quæstionis solutione laboratum est quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ: sed vicit Dei gratia, nec nisi ad illud potuit perveniri, ut liquidissima veritate dixisse intelligatur Apostolus: Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti?* Deinde non sic appellat S. P. gratiam congruam, quasi ipsius efficacia sita sit in rerum circumstantiis, & naturalium affectuum cum divinis auxiliis temperamento: sed quod Deus omnia tali congruentia disponat & aptet, ut ubi, & quando sibi videtur, alliciat, trahatque indeclinabiliter hominum voluntatem. Et hoc apparet ex his quæ sequuntur: *Cum ergo nos ea delectant, quibus proficimus ad Deum, inspiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu nostro, & industria, aut operum meritis comparatur; quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera caritate ferventia, ille tribuit, ille largitur.* Quid plura? recurrit tandem maximus Gratiæ Vindex etiam hoc loco ad inscrutabilia judicia Dei, qui cujus vult miseretur, quem vult indurat.

Adoriuntur denique nos adversarii depromptis a ratione argumentis: quorum primum est, scientiam *mediam* post innumeras oppugnantium argutationes, veluti igne probatam in Congregatione de auxiliis immunem ab omni errore emersisse. Deinde per eam componi facile dissidia, & liberum arbitrium contra Jansenianos & Calvinistas defendi: decreta e contra prædeterminantia ex quo fuerunt intrusa fuisse scissionum seminaria, & Adrumetinos, Massilienses, plurimosque viros turbasse pietate, ac doctrina conspicuos. Ulterius necessariam esse scientiam *mediam*, ut Dei voluntas dirigatur in suis decretis circa supernaturalia opera status naturæ lapsæ, cui antequam Deus conferat gratiam, qualem ei videt congruere, explorare debet quidquid possit humana voluntas cum adjutorio versatili, si in tali rerum constituatur circumstantia. Praterea nunquam in una tantum caussa videri effectum, qui producitur a duabus, & consequenter bona opera, quæ efficiuntur a gratia simul & voluntate, non posse in prædestinatione gratiæ infallibiliter prævideri. Tandem frustra conari Augustinianos, ut gratiam victricem cum libertate componant: nam omnis suppositio antecedens, absoluta, & inimpedibilis destruit indifferentiam libertatis: Decreta, prædestinatio, gratia victrix sunt aliquid antecedens, absolutum, & inimpedibile: Tollunt ergo libertatis indifferentiam.

Quidam ad I. respondent sub Paulo V. jam exaratum diploma, quo prohibebatur sententia Ludovici Molinæ, sed sic Deo disponente non fuisse publicatum: verum si promulgatum non est, nullum suppeditat adversus scita Molinæ argumentum. Addunt aliqui proscriptam scientiam *mediam* die XV. Jul. ann. 1697. decreto Caroli Mauritii Le Tellier Remensium Archiepiscopi: sed nihil nos movere debent privata judicia contra statuta Pontificum. Ergo dicimus scientiam *mediam* in Congreg. de Auxiliis non esse neque damnatam, neque improbatam; tolerari, non commendari; judicium de ea suspensum, non definitum: servandam inter nos caritatis vicissitudinem, non veritatis deserendam inquisitionem; abstinendum a puerili rixarum prurigine, & a critices intemperantia, non a sectandis magni Augustini vestigiis. Hæc ad primum.

Ad secundum vero dicimus hanc rationem adeo facilem conciliandi libertatem cum gratia nunquam ab ortu Pelagianismi ad Molinam usque sive ab Augustino, sive ab Ecclesia fuisse probatam: incredibile esse tanto annorum intervallo Christianam Fidem Moliniano Magisterio, si ad veritatem accederet, fuisse privatam: affirmandum esse iis, qui congrua jactant adjutoria, Deum optimum maximum revelasse veritatem Augustino pugnanti adversus hæreticos, & constituto in circumstantiis rerum gravissimis, non Molinæ scribenti tranquilla pace, debellatis hæreticis, & finita caussa Pelagianorum. Augustinianam vero doctrinam turbasse horum hæreticorum reliquias, & prostratorum cinerem ventilantes: consecratam ad hæc tempora Summorum Pontificum laudibus splendidissimis: gloriæ characterem esse, si ea concitati fuerunt ingrati: flocci faciunda Launoii dicteria confossa a Clementis XI. vigilantissimis curis fulmine Vaticano. Moliniana dogmata e contra non a Semipelagianis, & gloriosis Defensoribus libertatis refelli, sed ab Augustini ac D. Thomæ caterris pugnantibus pro Christi gratia, pro arbitrii facultate, pro imperturbata Patrum suorum traditione.

Ad tertium dico, universas vias Domini esse misericordiam & veritatem, sive justitiam & pacem. Iis dirigitur Deus in hoc miseriarum statu absque *media* scientia. Videt omnes posteros Adæ originali coinquinatos peccato, & ex una luti massa pro sua potestate fingit sibi vasa honoris, & permittit coagmentari vasa contumeliæ. Quos eligit ad honorem, trahit ad se omnipotentissima gratia, præmovet efficaciter, adjuvat infirmos, erigit elisos, convertit rebelles: hæc est via misericordiæ. Et quotquot reprobat ad contumeliam, relinquit inhiantes cupiditatibus, sinit dari sponte præcipites, spernit sanie voluntaria confectos: hæc est via veritatis, & via justitiæ. Ut ergo omnia a fine usque ad finem disponat suaviter, ac fortiter, sufficit scientia *simplicis intelligentiæ*, qua comprehendit quidquid ejus subditur potestati; necnon *scientia visionis*, qua in posteris Adæ cernit miseriam, & culpam, hanc objectum justitiæ, illam misericordiæ.

Ad quartum vera est responsio, in una caussa cognosci effectum alterius, si hæc ab illa recipiat virtutem, motum, & determinationem ad actum: quod præstat divinum adjutorium hominum voluntati. Ut postremam aufugias muscipulam, faciam oppido.

SCHO-

SCHOLION.

„ Quam a sexto capite huc usque propugnavimus sententiam, recentiores Augustinenses, Itali maxime ac Belgæ, communi consensione defendunt, aliam tamen viam doctissimis Thomistarum, Ægidianisque nostris ineuntibus, nobiscum vero in rejicienda Medistarum præscientia, & victrici adstruenda gratia, alacriter, naviterque certantibus. Operæ ireque pretium me facturum fore arbitror, si quibus momentis iidem Thomistæ & Ægidiani requirunt præmotionem effectricem ad singulos actus creaturæ rationalis, ad supernaturales vero in utroque statu tam integræ, quam vitiatæ naturæ gratiam sese efficacem, demonstrare curabo.

„ Ac principio non est opus, ut *physicæ*, prout vocant, *Prædeterminationis* assertores ac defensores vindicem ab erroris suspicione. Abunde id præstat eorum quilibet: atque post Benedicti XIII. Clementis XII. atque Benedicti XIV. Brevia & præscripta, censeo nefas esse Thomistarum sententiam aliqua censura perstringere, & caussam eos inter, & adversantes, *finitam esse*. Alibi de his pertractavimus: atque sat est perlegere Vindiciarum nostrarum præfationem, & Reverendissimi P. Jo: Thomæ de Boxadors amplissimi FF. Prædicatorum Magistri Epistolam ad suos datam anno 1657. die Aprilis tricesima. Nullus insuper erit, qui *Prædeterminationis* vocabulum jure reprehendat; quamvis illud rejiciant etiam Ægidianorum nonnulli. Principio enim non video quid *Prædeterminationis* nomen differat a nominibus *Præfinitionis*, *Prædefinitionis*, *ac Prædestinationis*, quæ nomina passim occurrunt in Sacris Litteris, & apud Patres. Joannes Gonzalez *Controv. de Gratia sufficienti & efficaci* singula hæc vocabula habere eamdem significationem luculentissime ostendit. Apostoli ad Galatas & ad Ephesios scribentis, Ephesini Concilii definientis quid certa fide tenendum sit *de Christi prædestinatione* adversus hæresim Nestorianam, Cyrilli Alexandrini eamdem hæresim, & Augustini affinem Pellagianam refellentium, necnon S. Prosperi in Epistola ad Rufinum, Leonis I. cognomento *Magni* ad Episcopos per Siciliam constitutos, S. Fulgentii in priori ad Monimum libro, ceterorumque Patrum eadem & significationis ejusdem usurpantium vocabula, loca plurima laudat prædictus accuratus doctusque Theologus. Patribus vero si nabem, ingentemque numerum Scholasticorum addere vellem, nullus foret dicendi finis, & legentium abuterer patientia. Porro si veterum aliquis expressum *Prædeterminationis* vocabulum minime adhibuit, aut etiam nullibi, aut perraro apud fidei nostræ Conditores, Vindicesque usurpatum adinvenitur; fugit neminem, ad Catholicam Doctrinam diligentius custodiendam, & validius propugnandam, nova sæpenumero vocabula assumpta fuisse in usum; *nova* utique, non quantum attinet ad veritatis significationem, dogmatumque substantiam, sed quantum spectat ad verborum sonum, flexionem, inditamque vim sensus lucidioris & uberioris, quem pro temporum diversitate, & pro emergentium hæreseon natura, quandoque nomina verbaque nanciscuntur. Quis enim aut Nicænos Patres audeat reprehendere, quoniam ad profligandos Arianos improbatum olim, atque in ore Sabellianorum fallaciter impieque usurpatum, vocabulum *Homoousion* adhibuerunt & consecrarunt? Quod pari ratione de vocibus *Usia*, *hypostaseos*, *Theotocos*, alisque hujus generis, & insuper de *Transubstantiationis* vocabulo, & de illa loquendi forma *Ex opere operato*, quibus adversus Novatores modo utimur, differendum est, etiamsi quædam istarum vocum non semper fuerint prolata a majoribus nostris in una eademque significatione, quædam vero barbara quoque videantur, minus latina, & parum cohærentia Grammaticorum syntaxi. Absit itaque, ut ego vel irridere, vel respuere audeam *Prædeterminationis physica* vocabulum, quod ad supremæ causæ promotionem commonstrandam viri doctissimi percommodum idoneumque existimarunt; quando & ego de Gratia hujusce status verba faciens, motionemque illam, quæ *moraliter* tantum attrahat, putans non sufficere ad explicandam effectricis gratiæ energiam, non semel fassus sum egere nos *physica prædeterminatione*; & quando in Scholasticorum Commentariis, & in disputantium palæstris, non hanc tantum *Prædeterminationis* latinam propriamque vocem, sed alias permultas olim inauditas, Grammaticis incompertas, ludicras, & quæ in Latium ex Arabum physiologia irruperunt, adacti necessitate & assuetudine, patimur, audimus, & pronunciamus.

„ Opponebant aliqui, immerito & imperite usurpari *Physica prædeterminationis* vocabula, propterea quod *physicum* idem prorsus significet ac *naturale*; ideoque si voluntatem humanam *physice* præmoveri dicamus, consequens fit *naturaliter* determinatam esse, atque indita libertate exspoliatam. At nullius ponderis est cavillula istiusmodi: siquidem non tantum *physicum* dicitur id, quod natura tale est, ut corpus, vel spiritus: verum etiam appellatur *physicum* quidquid vere ac proprie est, aut efficitur: unde *Potentia physice activa intelligitur illa* (inquit Suaresius 3. p. q. 13. art. 1. disp. 31. sect. 3.) *quæ per realem, & veram actionem operatur*: & *causa physica ea est*, quæ per se *influit*, *& dat esse effectui*, inquit idem Theologus lib. 3. de Grat. oper. cap. 5. num. 10. De fide quoque ajunt Theologi ac Patres credendum esse, beatissimam Christi humanitatem non *morali* tantum, verum etiam *physica* ratione Divino Verbo fuisse arcana & hypostatica unitione conjunctam; & *physice* itidem miracula, & opera humanæ reparationis, quæ profecto libertima fuere, adimplevisse. Imo ut *φύσις*, *natura*, derivatum vocabulum a *φύω*, *fio*, proprie significat *quod est*, *quod fit*, *quod gignitur*, atque a Patribus non tantum pro *natura*, sed etiam pro *persona* invenitur prolatum, ut dicam lib. 7. cap. 21. & lib. 26. cap. 15. ita *physicum* nativa propriaque significatione denotat *quod vere*, *& reipsa est*, *atque efficitur*: ideoque si Deus revera præmotione sua humanas actiones efficit, rectissime hæc præmotio dicitur *physica prædeterminatio*: de quo vocabulo videor mihi satis dissemisse.

„ Ad ea modo, quæ in controversia sunt posita, deveniendo, Deum prædeterminare quæcunque futura sunt, etiam libera & contingentia, tam naturalis, quam supernaturalis ordinis, atque ad quemlibet statum creaturarum rationalium pertinentia, nec non physicam actionem, in qua peragenda causæ secundæ liberæ deflectunt a rectitudine finis, sive, ut loquimur in Schola, *materiale peccati*, sententia est longe inter Theologos communior, & magna alacritate, argumentorumque ingenti copia, firmissimoque pondere confirmata. Qua supposita, consequens est omnia ea, quæ futura sunt, a Deo in efficaci suæ voluntatis proposito decretoque cognosci.

„ Ac primum ajunt Thomistæ, ad præscientiæ divinæ certitudinem ac firmitatem necessarium esse *efficax divinæ voluntatis propositum*, *seu decretum*, contra id, quod statuimus cap. 6. prop. 1. nec oppositum demonstrari putant auctoritate Augustini ibidem producta ex cap. 10. de Prædest. SS. ubi asseritur dari *sine prædestinatione præscientiam*; siquidem illic pertractatur de præcognitione peccatorum; de quorum præscientia dicam postea. Neque enim, amota prædefinitione supremæ causæ, certo & immutabiliter future libera & contingentia prævideri poterunt, & prænosci. Enimvero nequit futurum aliquod firmissime & immutabiliter præcognosci, nisi firmissime atque immutabiliter futurum sit. Tale vero non est, nisi causa secunda contingens & libera cognoscatur divina prædefinitione ad actum determinata. Neque ad illam immutabilem præscientiam sufficit aut causarum secundarum comprehensio, aut illarum, earumque effectuum in æternitate præsentia: quippe nulla est, sejuncta prædeterminatione, ipsorum effectuum *objectiva*, ut inquiunt, præsentia, vel idea in mente Dei, neque ratio, per quam alio modo, quam ut *possibiles* tantummodo, comprehendi queant. Atque id, ni fallimur, docet apertissime S. Thomas 1. p. q. 14. act. 13. ubi ait: *Contingens aliquod dupliciter potest considerari: uno modo in seipso, secundum quod jam in actu est, & sic consideratur, non ut futurum, sed ut præsens; neque ad utrumlibet contingens, sed ut determinatum; & propter hoc sic infallibiliter subdi potest certa cognitioni, utpote sensui visus, sicut cum video Socratem sedere. Alio modo potest considerari contingens ut est in sua causa: & sic consideratur ut futurum, & ut contingens nondum determinatum ad unum, quia causa contingens se habet ad opposita: & sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Unde quicunque cognoscit effectum contingentem in causa sua tantum, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem*, &c. Constans est in hac tradenda doctrina doctor Angelicus; eamdem quippe repetit q. 57. art. 3. q. 88. art. 3. & 4., ac rursus q. 16. de Malo art. 7. Videsis Didacum Alvarez *de Auxiliis divinæ Gratiæ* disput. 7. num. 17. Quare S. Thomæ discipuli facili negocio reponent, nostram responsionem ad postremam oppositionem cap. 6. ubi diximus res futuras posse prævideri in principio indifferenti *active*, nequaquam persistere, quoniam Causa contingens est principium indifferens *active*, non autem *passive*; & tamen ex contingenti nullam aliam haurire possumus cognitionem, præter *conjecturalem*, eo quod causa contingens indifferenter se habeat ad opposita, nempe ad ponendum effectum, vel non ponendum. Idcirco Deus futura contingentia intuetur, non prout comprehenduntur in causa secunda, sed prout sunt illi in æternitate præsentia. Præsentia vero esse nequeunt, nisi ejusdem causæ secundæ *prædeterminatione* supposita.

„ Accedit, quod nihil revera dici potest certo, atque determinate futurum ante voluntatis divinæ prædefinitionem atque decretum, si vel Augustino, vel Thomæ Aquinati præbeamus assensum. Nam Augustinus lib. 26. contra Faustum cap. 4. scribit: *Ideo nescio quid sit*

„ *futu-*

futurum, quia quid habeat voluntas Dei de hac re, me latet: illud me tamen non latet sine dubio futurum, si hoc Dei voluntas habet: Tract. 68. in Joannem, *Deus fecit futura ea prædestinando*; atque de Præd. SS. cap. 10. Prædestinatione ea *præscivit, quæ fuerat ipse facturus*. Pariter S. Thomas 1. p. q. 16. art. 7. inquit: *Illud, quod nunc est, ex eo futurum fuit antequam esset; quia in causa sua erat ut fieret: unde sublata causa non esset futurum illud fieri. Sola autem causa prima est æterna. Unde ex hoc non sequitur, quod ea, quæ sunt, semper fuerint; verum ea esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit ut essent futura: quæ quidem causa solus Deus est*. Legendum insuper est caput 68. libri primi *contra Gentiles*, quo nihil expressius ad S. Thomæ mentem investigandam, nihil validius ad hanc fulciendam proferri potest, ut docent Thomistæ clarissimi Gonet disput. 4. *de scientia futurorum contingentium*, Alvarez paullo supra laudatus, Contensonus *lib. 2. Theol. mentis & cordis dissert. 2. cap.* 1. Thomistæ alii, & Francisci Sylvii singulare Opusculum *de Præmotione Physica*. Si quis autem collecta undique munimenta pro statuenda, & ab oppositis animadversionibus vindicanda sententia Thomistica præ manibus habere desiderat, pervolutare curet egregium numerisque omnibus absolutum opus Gallice inscriptum, *De l' Action de Dieu*, cujus auctor est Laurentius Franciscus Boursier Doctor Sorbonicus famæ apud eruditos viros celeberrimæ.

Tria vero sunt, quæ haud levem in hac sententia Thomistarum, aliorumque *Prædeterminationis Physicæ* defensorum ingerunt difficultatem. Unum, quomodo cum illa conciliari possit creaturæ rationalis libertas: alterum, qua ratione Deus non sit auctor peccati, si peccati quoque actionem prædeterminet: tertium, quo tendat traditum ab Augustino discrimen inter naturæ innocentis, & naturæ lapsæ statum, si in utroque futura libera debeant a divina prædefinitione pendere. Agam de his omnibus in libris, qui consequentur, accuratius. Nunc Thomistarum vestigiis insistens compendio rem agam.

Libertatem discipuli S. Thomæ ita cum divinæ voluntatis decreto, seu prædeterminatione componunt. Sicuti, inquiunt, Deus est *primum esse*, ideoque causa omnis esse: ita Deus est primum *intelligere & velle*, ideoque causa omnis intellectionis & voluntatis. Quamobrem dominium, quod voluntas habet supra actus suos, & deliberatio, qua se determinat ad agendum, *licet excludat determinationem virtutis ad unum, & violentiam causæ exterius agentis, non excludit influentiam superioris causæ, a qua est ei esse & operari, & sic remanet causalitas in causa prima respectu motuum voluntatis*. Agnosco verba S. Thomæ præcitato cap. 68. libri 1. *contra Gentiles*. Addunt, nullatenus repugnare, quod eadem actio libera sit comparate ad causam secundam contingentem, necessariam vero (necessitate *consequentiæ*, atque, ut in Schola loquimur, *ex suppositione*) respectu divinæ scientiæ, & relate ad supremæ causæ definitionem. Enim vero, *licet causa suprema sit necessaria, tamen effectus potest esse contingens propter causam proximam contingentem. Sicut germinatio plantæ est contingens propter causam proximam contingentem, licet motus solis, qui est causa prima, sit necessarius. Et similiter scita a Deo sunt contingentia propter causas proximas, licet scientia Dei, quæ est causa prima, sit necessaria*. Atque hæc itidem verba esse Doctoris Angelici 1. p. q. 14. art. 13. ad 1. nobis compertum est. Addunt rursus Thomistæ, divinam voluntatem iis tantummodo rebus, quibus causas necessarias aptavit, imponere necessitatem; sed res illas contingenter evenire, quibus aptavit causas contingentes: *Cum igitur voluntas divina sit efficacissima; non solum sequitur quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed & quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam fieri Deus necessario, quædam contingenter: ut sit ordo in rebus ad complementum universi: & ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus ex necessitate proveniunt: quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniunt*. Percipit, opinor, unusquisque & hæc esse verba S. Doctoris 1. p. q. 19. ar. 8. ubi eam quæstionem pertractat more suo, perspicue scilicet, breviterque, *Utrum voluntas Dei necessitatem rebus imponat*. Perpetuam esse hanc Angelici Præceptoris Doctrinam constat ex aliis locis, præsertim ex 1. p. q. 83. a. 1. ex 1. 2. q. 10. art. 4. & q. 112. art. 3. ex lib. 2. *contra Gent.* cap. 29. & lib. 1. cap. 85. ex 3. p. quæst. 46. art. 1. aliisque locis compluribus. Legendi sunt Doctores Scholastici pertractantes de ea quæstione, *Quænam suppositio antecedens tollat libertatem*: quam dubitationem omnem dirimens accurate diligenterque pertractat Joannes Gonzalez in Controversia V. art. 5. a pag. 280. usque ad pag. 308. editionis Leodii, necnon Estius dist. 24. lib. 2. §. 14. & 15. &c.

Fateor Ægidianos nonnullos aliam a Thomistis inire viam ad libertatem humanam cum divinis prædefinitionibus, & cum gratia efficaci conciliandam, a *prædeterminationis physicæ* nomine abhorrentes. Sed discrimen nominis esse puto, non rei. Enimvero tradunt, a suprema & a secunda causa conjunctim simulque effectum prodire, neque prædefiniri *virtutem*, sed *actionem* duntaxat. Docent enim eumdem actum indeliberatum & deliberatum, seu infusum atque elicitum esse; indeliberatum, quatenus est qualitas & inspiratur a Deo, sive quatenus a voluntate recipitur, atque ad id causa contingens ac libera *passive* se habet: deliberatum vero, prout elicitur a voluntate, a qua cum sit actus vitalis, debet oriri. Ita quidem Ægidius apud Fridericum Nicolaum Gavardi tom. 2. *de Scientia Dei* q. 4. art. 1. & tomo 4. *de Gratia actuali* q. 2. art. 2. verum, ut libere fatear quod sentio, logomachia hæc est, quæ Thomistas non debet ab Ægidianis, ipsumque Ægidium a S. Thoma, discipulum nempe a Præceptore divellere. Principio namque nullus Thomistarum *prædeterminationem physicam* exigit *ad actum primum*, ut vocant, seu ad virtutem potestatemque causæ contingentis ac liberæ constituendam, sed *ad actum secundum* duntaxat, idest, ut causa contingens & libera agat, atque ex potentia prodeat in actum: ideoque in rejicienda prædeterminatione, quæ tollat indifferentiam libertatemque *virtutis*, & inferat necessitatem *antecedentem*, Thomistæ Ægidianis adhærent: in adstruenda vero prædeterminatione actus, ex qua tantummodo infertur necessitas *consequens*, Ægidiani consentiunt Thomistis. Nequit deinde assequi imbecillitas ingenioli mei, qua ratione dicendum sit cum Ægidio, eumdem actum inspiratum esse *indeliberatum* quatenus est a Deo, & in nobis producitur; *deliberatum* autem in quantum vitalis est, & a nobis elicitur; & pariter dici non debeat cum S. Thoma eumdem effectum esse *necessarium*, prout subest scientiæ & voluntati divinæ, & esse *liberum & contingentem*, quatenus elicitur a causa secunda contingenti & libera; præsertim cum *indeliberatum* a necessario, & *deliberatum* a libero nullo pacto discriminentur. Postremo Ægidiani nostri constituunt *causalitatem* gratiæ efficacis in eo, quod trahat *indeclinabiliter* voluntatem in Deum, eamdemque voluntatem *insuperabiliter* roboret ad exercendos actus virtutum, & tentationes vincendas: idque demonstrant recte ac sapienter pluribus testimoniis S. P. Augustini, docentis *Gratia Dei voluntatem humanam trahi, fieri ut velit, ut agat, ut diligat, ut non deficiat, ut invictissime bonum eligat, ut illud deserere invictissime nolit, ut voluntas spiritus vincat voluntatem carnis contraria concupiscentem, ut humana voluntas, quamvis infirma, nulla adversitate vincatur*. Dictum optime. At quod agit, roborat, trahit, annon Causa est? Proculdubio. Si agit, trahit, roborat, atque ut humana voluntas bonum velit, vincat, nec deficiat, in eadem voluntate operatur *indeclinabiliter & invictissime*, nonne est causa efficiens, determinans, & omnem tollens actus flexibilitatem & contingentiam? Utique. Causa denique nonne præcedit effectum? Certissime. Igitur efficacitas gratiæ est origo, ac principium deliberationis ac determinationis, qua voluntas bonum eligit, ac prosequitur. Igitur non est causa in utramque partem flexibilis, & indifferens, sed agens indeclinabiliter ac determinans. Igitur præcedit, tamquam causa effectum, *determinationem* voluntatis humanæ, seu potius una eademque *determinatio* prius natura est a causa prima, quam sit a causa secunda. Quid est, obsecro, *determinatio & motio* supremæ causæ, qua efficiente humana voluntas seipsam movet ac determinat, nisi *prædeterminatio* ac *præmotio*? Qui ergo gratiam seipsa effectricem propugnant, nequaquam debent nomina *physicæ prædefinitionis*, aut *physicæ prædeterminationis* objicere. Videsis Estium præcitatum §. 14. Hæc pro Ægidianis cum Thomistis conciliandis dicebam modo: quamquam Gratia, quæ constituitur in actu simul proficiscente a Deo, & ab humana voluntate, debet potiori jure appellari *cooperans & adjuvans*, quam *operans ac præveniens*. Falsum enim est priorem motum bonæ voluntatis, licet vitalis sit, esse deliberatum, scribente Magno Augustino *de Gratia & lib. arbitrio* cap. 17. *Cooperando incipit: quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens:* paucisque interjectis, *Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur*. Sed de his alibi: nunc enim de priori quæstione superius proposita, scilicet, de præscientia futurorum contingentium dependenter *a physica prædeterminatione*, divinoque decreto, dictum est satis.

Dubium alterum est, an Deus prædefiniat actum peccato infectum, seu, ut ajunt Scholastici, *materiale* peccati, & consequenter num peccata futura cognoscat in sua *prædeterminatione*: quod valde obscurum videtur, ac perdifficile, quoniam si Deus actiones malas prædeterminet, erit illarum causa efficiens: quod infinitæ ejus bonitati repugnat quammaxime. Suadere id conabamur capite septimo hujus libri. At modo pro contraria sententia pugnandum est, ac primo inquirendum *an Deus*

„ *fit causa malorum*. Loquimur vero *de malis culpæ*, quæ in Deum ejusque bonitatem & gloriam nequeunt ordinari, siquidem *malorum pœnæ*, cum in Deum referantur, & ordinentur ad manifestationem justitiæ suæ, Deum ipsum auctorem esse nemo prorsus ignorat. Etenim Deus mortificat & vivificat, occidit & sanat: immittit bellum, & creat pacem: punit & miseretur: atque ut cap. 3. ait Amos: *Non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit*. Justum quippe est impios puniri, & reddi retributionem superbis; & quemadmodum quidquid bonum est, refertur in Deum *auctorem omnis bonitatis*: ita quidquid justum est, referri debet in Deum *auctorem omnis justitiæ*.

„ At in malis culpæ, quæ *peccata* appellantur, duo distinguantur oportet, *actus* nimirum, & *rectitudinis privatio*. Actus, cum aliquod opus sit, a prima causa esse debet, quoniam Deus *omnia in omnibus operatur*, ut inquit Apostolus in priori *ad Corinthios* Epistula cap. 12. Hujus ratio est, quia Deus est *prima causa*, & nihil potest habere esse absque illo, a quo est *omne esse*. Quidquid autem est, in quantum est, bonum est: nulla autem res bona esse potest, nisi sit ab illo, qui est auctor omnis boni. Atque hæc est doctrina S. P. Augustini lib. 1. *de Doctrina Christiana* cap. 32. *Enchir.* cap. 13. in libro 83. *qq.* quæst. 21. & 24. S. Thomæ 1. 2. q. 79. art. 2. & 3. in 2. *Sent.* dist. 37. q. 2. art. 2. & *ad Annib.* dist. item 37. q. unic. art. 1. ubi ait, *Hæreticum est dicere aliquod ens, in quantum ens, non esse a Deo, nec solum fidei contrarium est, sed etiam rationi*: S. Anselmi in libro *de Concordia prædestinationis & præscientiæ*, ex quo apertissima testimonia producit Estius lib. 2. dist. 37. §. unico. Ceteri laudantur a Didaco Alvarez lib. 3. disput. 24.

„ *Privatio* autem *rectitudinis*, in qua ratio mali, & peccati consistit, a Deo esse nequit. Enimvero Deus odio habet peccata, ut passim divina clamat Scriptura; nihil vero eorum, quæ fecit, potest odio prosequi. *Odio sunt impius & impietas ejus*, legitur cap. 14. Sapientiæ; & præcedenti cap. 11. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*. Atque hujus rei evidens ratio est, quia malum cum privatio sit, & defectus boni, non est a causa efficiente, sed a causa deficiente: alioquin cogeremur cum Manichæis adstruere supremum principium malorum. Hanc esse S. P. Augustini sententiam perspicuum esse puto ex libro 1. hujus Operis cap. 8. Angelicus Doctor idem docet præcitatis in locis. Sat est perlegere quæ tradit 1. 2. quæst. 79. art. 2. Nam quod hactenus diximus, illic enucleate luculenterque explanatur. *Respondeo dicendum* (ita S. Thomas) *quod actus peccati est ens & est actus, & ex utroque habet quod sit a Deo: omne enim ens, quocunque modo sit, oportet quod derivetur a primo ente, ut patet per Dionysium 5. cap. de Divinis nomin. Omnis autem actio causatur ab aliquo existente in actu, quia nihil agit, nisi secundum quod est actu: omne autem ens actu reducitur in primum actum, scilicet Deum, sicut in causam, quæ est per suam essentiam actus. Unde relinquitur quod Deus sit causa omnis actionis, in quantum est actio. Sed peccatum nominat ens & actionem cum quodam defectu: defectus autem ille est ex causa creata, scilicet libero arbitrio, in quantum deficit ab ordine primi agentis, scilicet Dei. Unde defectus iste non reducitur in Deum sicut in causam, sed in liberum arbitrium; sicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curvam, sicut in causam, non autem in virtutem motivam, a qua tamen causatur quidquid est motionis in claudicatione: & secundum hoc Deus est causa actus peccati, non est tamen causa peccati; quia non est causa hujus, quod actus sit cum defectu*. Hæc S. Thomas.

„ Jam vero his præmissis, propugnatores *prædeterminationis physicæ* ad hunc modum secundam quæstionem resolvunt. Deus, inquiunt, prænoscit peccata, *quatenus actus sunt*, in decreto suæ voluntatis, quo decreto statuit actiones quaslibet causarum secundarum, tamquam causa suprema ac princeps, efficere; quoniam ipse omnium quæ sunt, *in quantum sunt*, est prima causa, & nihil esse potest, quin sit ab illo, qui est *suum esse*, & a quo *est omne esse*. Dum hæc tradunt, loquuntur ore Doctoris sui, quem & nos nupertime audivimus: loquuntur & ore S. P. Augustini scribentis sæpenumero, ut diximus præcit. cap. 8. *Quidquid est, in quantum est, ex Deo est*. Si ergo peccata *sunt aliquid*, quatenus *aliquid sunt*, ex Deo sunt. In quantum vero peccata sunt mala, quod in carentia rectitudinis, & *in defectu ab ordine primi agentis* situm est, eatenus prævidentur a Deo, quatenus decernens efficienter concurrere ad omnem actionem creaturarum suarum, sinit ipsas a recto ordine deflectere, ejusque justo judicio subtrahit auxilium efficax, quo destitutæ a recto illo ordine corruunt, & propria voluntate, *quæ ad malum seipsa sufficit*, deficiunt, & peccant. Quod perinde est, ac si dixeris, malum *ut malum* prævideri a Deo in *Decreto permissivo*, ut inquit Schola Thomistica. Atque hoc decretum *permissivum* appellatur, quoniam cum voluntate Dei concurrendi ad actionem physicam, quæ est *voluntas efficiens*, copulatur denegatio auxilii, quo actio absque defectu, & absque recti ordinis carentia peragatur; quæ est *voluntas* malum non efficiens, sed *permittens* duntaxat.

„ Consequitur ex dictis I. facile conciliari ea Scripturarum Sanctarum loca, quæ videntur opposita; quibus nempe affirmatur Deum omnia in nobis operari; & diligere omnia quæ sunt, odio autem habere impium & impietatem ejus: quoniam est causa actus peccati, *ut actus est*, & non est causa *carentiæ recti ordinis*, quæ carentia est a causa deficiente, constituitque quod est malum, & dignum odio. Pari ratione Deus Bonus odio habet hominem malum, non *ut est homo*, quem fecit ipse Deus auctor omnium bonorum; sed *ut est malus*, qualem homo fecit seipsum, deficiens, atque sese avertens a summo Bono. Conciliantur insuper testimonia Augustini allata cap. 7. prop. 1. si affirmemus Deum *prædestinatione* prænovisse *actionem* peccati, quoniam prædestinatione præscivit omnia, *quæ erat ipse facturus*, atque facturus erat quidquid in tempore aliquod habens esse futurum erat; prænovisse autem sine prædestinatione *quæcunque peccata*, quatenus peccata sunt, nempe defectus liberi arbitrii a recto fine aberrantis, eo quod hujusmodi defectus a secunda causa *deficiente*, non autem a prima causa *efficiente* proveniunt. Recte quoque ait S. Pater, Deum præscire omnia, *quorum est auctor*, non tamen omnium, quæ præscit, esse auctorem; propterea quod est auctor omnium rerum quæ sunt, *in quantum sunt*: non est autem auctor, sed *justus ultor* eorum, quæ mala sunt, *prout mala sunt*, recto destituta ordine, & bonitati divinæ contraria. Tertio explicantur eodem modo testimonia S. Thomæ producta prop. 2. cap. 7. quibus affirmat Deum *nullo modo* velle malum, *quod privat ordine ad bonum divinum*; siquidem prælaudata quæst. 79. art. 2. explicat apertissime seipsum dicens: *Deus sic est causa actus, ut nullo modo sit causa defectus concomitantis actum, & ideo non est causa peccati*. Vide 1. p. q. 48. art. 1. & 6. ubi S. D. demonstrat malum nil esse aliud, quam *privationem boni*, & malum culpæ consistere *in deordinato actu voluntatis*.

„ Habes hinc, quare Deus prædefiniens actionem, cui adnectitur peccati nequitia, non sit, auctor peccati. Non est auctor peccati, inquiunt doctissimi Thomistæ, quoniam peccati nequitia sita est in defectu ordinis ad summum bonum, & licet hæc nequitia conjuncta sit actioni humanæ, non est tamen eidem actioni conjuncta, quatenus est actio *primæ causæ efficientis*, sed quatenus est actio *causæ secundæ deficientis* a recto ordine. Exemplum claudicantis paullo supra præmisimus. Si adhuc aliqua difficultas hæreat menti, adeas Didacum Alvarez libro 2. de Aux. divinæ gratiæ disput. 11. & lib. 3. disput. 24. Joannem Gonzalez prope finem controversiæ 5. art. 11. §. ultimo; Joannem Baptistam Gonet disput. 4. *de Scientia futurorum contingentium* art. 6. §. 4. & disput. 8. *de Provid. Dei* art. 4. §. 9. in quo lepidulum affert exemplum ex doctrina Casuistarum, n. 210. Vincentium Contenson libro 2. dissert. 2. cap. speculat. 2. ad. 3. Omnes hac in re consentiunt S. Thomæ discipuli. Vellem lector adiret, & sedulo expenderet quæ Auctor Operis inscripti *de l' Action de Dieu* profert sect. 7. cap. 17. cui titulus, *Que la premotion ne rend point Dieu auteur du peché*, ejusdemque Capitis *Analysim* tomo 2. pag. 377. Perpauca enim addenda sunt de futuris ordinis supernaturalis *status naturæ innocentis*, quæ a Deo non prævideri *in decreto absoluto & prædeterminante*, idcirco demonstrare nitebar superiori cap. 8., quoniam in eodem statu necessariam non fuisse ad perseverandum in accepta justitia angelis & primo homini *gratiam seipsa efficacem*, viri complures doctissimi censent invictissime inferri ex libro S. Patris Augustini *de Correptione & Grat.* cap. 10. 11. & 12.

„ Scopus Augustinianæ doctrinæ, quæ in hisce tribus capitibus continetur, est refellere Semipelagianos asserentes neminem esse corripiendum, si initium salutis sit a gratia, non *a voluntate* liberi arbitrii, atque si ex Dei *beneplacito* præparetur voluntas a Domino, & donum perseverantiæ usque in finem iis conferatur, qui gratiæ largitate sunt a massa perditionis discreti, idest electi in vasa misericordiæ, quæ Deus præparavit in gloriam. Hinc Augustinus cap. 10. instituit quæstionem, quid de primo homine, qui certe sine ullo vitio creatus est rectus, sentiendum sit, *quantum attinet ad hoc donum Dei, quod est in bono perseverare usque in finem*. Docent itaque S. Pater, primum hominem non habuisse *perseverantiam*, quoniam si habuisset, proculdubio perseverasset. Ait Deum sic ordinasse angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet quid posset eorum *liberum arbitrium*, deinde quid posset *suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium*: Accepisse angelos, qui steterunt per liberum arbitrium, *beatitudinis plenitudinem*, tamquam præmium ipsius permansionis, magnam scilicet abundantiam caritatis Dei, ut cadere ulterius non possent, & hoc de se certissime nossent: consecuturum fuisse eamdem beatitudinis plenitudinem primum homi-

„ hominem, si pariter per liberum arbitrium stetisset. Quærit deinde Augustinus, *An Adam habuerit Dei gratiam*, & cap. 11. docet habuisse quidem gratiam magnam, sed disparem. Ait ipsum Adam in statu integritatis non opus habuisse illa gratia, quam implorant Sancti in hac vita, in qua caro concupiscit adversus spiritum: tunc Deum homini dedisse *bonam voluntatem*, necnon adjutorium, *sine quo* in eadem bona voluntate non posset permanere si vellet; ut autem vellet, reliquisse in ejus arbitrio: Nunc vero dari gratiam longe potentiorem, qua non tantum fit, ut homo possit, sed etiam fit, ut velit; nimirum, ut quoniam non perseverabit nisi possit & velit, illi *perseverandi & possibilitas & voluntas* divinæ gratiæ largitate donetur. Atque hanc gratiam cap. 12. Augustinus appellat *Adjutorium Quo*, nempe *quo fit propter quod datur*.

„ Adjutorium *Quo* esse gratiam seipsa efficacem, perspicuum est. Augustinus enim ait, Deum hoc divinæ gratiæ adjutorio operari in voluntate hominum *ut velint*: subventum esse infirmitati voluntatis humanæ, ut *indeclinabiliter & insuperabiliter* ageretur; ut quamvis infirma, *non tamen deficeret*; ut *invictissime* quod bonum est velit, & hoc deserere *invictissime* nolit. Quæ ab Augustino locupletissime tradi constat ex præcitato cap. 12. num. 38. explicari autem hac loquendi ratione efficacitatem atque energiam divinæ gratiæ, manifestum est ex libro *de Grat. & lib. arbitrio* cap. 16. num. 32. & cap. 17. num. 33. Cum vero S. Pater in prælaudato libro *de Corrept. & Grat.* cap. 12. num. 37. apertissime scripserit primum hominem non indiguisse hoc adjutorio, *quo* fit ut velimus, & *quo* ipsa perseverantia largitate gratiæ donatur, quia ejus voluntas tales vires habebat, ut bene vivendi potiretur facilitate, eo quod *sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi concupiscentialiter resistebat*; idcirco Augustinenses nostri, quibus & nos capite 8. studuimus morem gerere, magna utique probabilitate inferunt ipsum hominem primum non indiguisse ad perseverandum *gratia per semetipsam efficaci*.

„ Quid a Thomistis, ceterisque propugnantibus *in utroque statu* ipsius gratiæ necessitatem reponatur, dictum est supra. Planior tamen videtur via, si dicatur pertractate Augustinum de Gratia præveniente, *qua præparatur voluntas a Domino*, & de perseverantia usque in finem, quæ electis in vasa misericordiæ confertur prædestinatis in regnum Dei; nullatenus autem agere de applicatione voluntatis ad actum, ad quem in utroque sanæ & infirmæ naturæ statu requiritur *physica prædeterminatio*, sive præmotio supremæ causæ, idest, Dei, qui *in cælo & in terra omnia quæcunque voluit, fecit*, & qui etiam illa, *quæ futura sunt facit*, ut legimus Ps. 134. & Isaiæ 45. scilicet, cujus voluntati *humanæ voluntates non possunt resistere, quominus faciat quod ipse vult: quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit*; atque habet *humanorum cordium* quo et placet *inclinandorum omnipotentissimam potestatem*. Quæ sunt verba ipsius Augustini in eodem libro *de Corrept. & Grat.* cap. 14. num. 45.

„ Pertractans itaque S. Doctor de Gratia præveniente, & operante, qua *præparatur voluntas a Domino*, qua homines *ex nolentibus fiunt volentes*, qua Deus voluntatem bonam *præparat adjuvandam*, sive de adjutorio *Quo* fit ut velimus, bene sapienterque ait S. Pater hac gratia, hoc adjutorio non indiguisse hominem primum. Inquit enim undecimo capite num. 32. *Dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum*. Si bonam voluntatem Deus dederat primo homini, simul in ipso *condens naturam & largiens gratiam*; profecto idem homo non opus habebat eo adjutorio, quo præparatur bona voluntas. Cur enim homini præparandum, quod in creatione illi collatum fuerat? *Ut reciperet bonum, gratia non egebat, quia nondum perdiderat*, inquit eo loci S. Pater. Ita apposite Semipelagianos refellit, demonstrans *bonam voluntatem* in primo homine fuisse a Deo, quoniam cum ipsa bona voluntate *factus est, qui factus est rectus*. Propterea hæc bona voluntas fuit ab omnipotentissima Dei potestate, ab absoluto & efficaci decreto, a physica præmotione; quoniam fuit a Deo qui fecit hominem rectum.

„ Si loquamur autem de homine infirmo, multo magis, inquit Augustinus, bona voluntas ex Deo est. Nunc enim voluntas *est serva peccati*: muniri debet, & firmari *adversus tot & tantas tentationes, quæ in Paradiso non fuerunt*: vincamus oportet voluntate spiritus *voluntatem carnis contraria concupiscentem*. Id fit *adjutorio Quo* paullo supra explicato. Cetera, quæ ab Augustino traduntur, videlicet, primum hominem non accepisse *perseverantiam*, saluberrime Deum illius, & angelorum ita instituisse naturam, ut prius ostenderit quid in eis posset *liberum arbitrium*, deinde quid posset *gratiæ suæ beneficium*: dedisse illis adjutorium, *sine quo perseverare non poterant*, ut autem perseverarent in eorum reliquisse arbitrio: *per ipsum liberum arbitrium* stetisse angelos sanctos: nunc prædestinatis in regnum Dei dari *largitate gratiæ* ipsam perseverantiam: hanc esse beneficium, ac donum collatum indignis: *potentiorem* esse gratiam in secundo Adam, qua fit ut homo velit, & tanto ardore diligat, ut carnis voluntatem voluntate spiritus vincat: per istam gratiam infirmam voluntatem tentationibus non succumbere, *& invictissime* bonum velle: voluntatem servam peccati liberari per illud, qui dixit, *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis*: talem esse hanc libertatem, ut prædestinati in regnum Dei, quamvis, quamdiu hic vivunt, pugnent contra concupiscentiam peccatorum, non ultra tamen serviant peccato, *quod est ad mortem*, idest, non deserant usque ad mortem fidem, quæ per dilectionem operatur; hæc, inquam, aliaque his consimilia, quæ in tribus illis capitulis *de Correp. & Grat.* continentur, tam a Thomistis propugnantibus necessitatem *adjutorii efficacis* ad perseverandum etiam in statu innocentiæ, quam ab Augustinensibus nostris hanc necessitatem in eodem statu negantibus, ultro ac lubenter unanimi consensione traduntur.

„ Hæc quum ita sint, dici potest Augustinum ne verbum quidem in libro *de Correp. & Gratia* fecisse de motione Dei, qua causa secunda applicatur ad actum, sed discrimen duntaxat status Innocentiæ, & Infirmitatis eo modo, quo dictum est, tradidisse; nec alia ratione affirmasse necessarium non fuisse primo homini adjutorium *quo* fit ut velimus, & *quo* voluntate spiritus vincitur, voluntas carnis, nisi quia primus homo positus in bonis sui creatoris *bonam voluntatem* acceperat, carebat *voluntate carnis* contraria concupiscentis; ideoque non egebat gratia, qua bona ei inspiraretur voluntas, quia hanc bonam voluntatem *nondum perdiderat*. Cohæret, ni fallor, hæc responsio auctoritati Sancti Thomæ 1. 2. quæst. 109. art. 2. ubi ait: *Secundum utrumque statum natura humana indiget auxilio divino ad faciendum vel volendum quodcumque bonum, sicut primo MOVENTE, ut dictum est*; & infra: *Igitur virtute gratuita superaddita virtuti naturali indiget homo in statu naturæ integræ quantum ad unum, scilicet, ad operandum & volendum bonum supernaturale: sed in statu naturæ corruptæ quantum ad duo, scilicet, ut sanetur, & ulterius ut bonum supernaturalis virtutis operetur, quod est meritorium. Ulterius autem in utroque statu indiget homo auxilio divino, ut ab ipso MOVEATUR ad bene agendum*. Vide ibidem etiam resp. ad 1.

CAPUT XIII.

Quonam pacto divinis prædefinitionibus libertas cohæreat humana.

EX Augustiniana doctrina circa prædestinationem & gratiam consequi libertatis exitium querebantur olim Semipelagiani, ut constat ex Epistolis Hilarii & Prosperi: nec novum est, sed in tali officina elaboratum propositum ultimo loco argumentum. Pro cujus solutione advertendum est, modum conciliandi cum gratia prædeterminante libertatem visum Sanctissimo Protoparenti Augustino perdifficilem, ut fatetur lib. IV. contra Julianum cap. VIII. *Ista quæstio, ubi de arbitrio libertatis & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium negari Dei gratia videatur: quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri*. Habet similia S. P. Epist. CV. & lib. de Sp. & Litera cap. 39. Hinc merito suspecta nobis redditur concordia per scientiam *mediam*, quæ cum sit facillima & obvia, nunquam tamen probari potuit Gratiæ Magistro ac Propugnatori Augustino. Dabo in hac re clarissimorum Theologorum, qui scientiam *mediam* rejiciunt, non unam hujus conciliationis methodum, & quæ planior videbitur, erit nobis eligenda.

PRIMA REGULA.

Thomistis familiare est recurrere ad sensum *compositum*, ac *divisum*, seu, quod idem est, ad potentiam *possibilitatis*, & potentiam *positionis*. Sensus horum est, salvari hominis libertatem, quoniam non potest quidem non agere supposita divina prædeterminatione, sed potest absolute & si ab ea præscindatur. Quemadmodum dum ambulo non possum non moveri, at possum tamen desistens ab exercitamento ambulationis. Hanc autem prædeterminationem ponunt ad actum, & respectu operationis, non quantum spectat ad potentiam: scilicet, Deus determinat E. G. actum caritatis, sed relinquit liberam potestatem ad odium: in quo longe recedunt a sententia Calvini, qui impie asseruit non remanere sub efficaci decreto Dei indifferentiam ad oppositum, quod jure damnatum est a Tridentino sess. VI. can. 4. Statutum est enim *liberum hominis arbitrium a Deo excitatum posse dissentire si velit*. Quod non eo sensu definitum est, quasi efficax Dei motio ad opus salutare non trahat: sed quod ita trahat, ut voluntas possit resistere, licet efficaciter præmota nunquam resistat.

Addunt aliqui distinguendam esse triplicem necessitatem: *absolutam*, qua aliquid ita est, ut non possit non esse; quo sensu necesse est Deum esse: *naturalem*, qua aliquid ita est, ut virtute naturali aliter se habere non valeat: quo sensu necesse est cælum moveri: & necessitatem *consequentiæ*, quo aliquid aliter se non potest habere ob rerum connexionem & cohærentiam; quo sensu necesse est hominem moveri dum currit.

In horum itaque Theologorum principiis negandum est quamcunque suppositionem antecedentem evertere libertatem: & si adversarii insurgant dicentes fieri non posse, ut stante efficaci prædeterminatione non eveniat necessario res præfinita; recurrendum est ad traditam distinctionem, in sensu *diviso*, & necessitate *absoluta* vel *naturali*, nego: in sensu *composito*, & necessitate duntaxat *consequentiæ*, concedo.

SECUNDA REGULA.

Quidam, atque, ut arbitror, longe melius distinguunt inter caussas quæ extrinsecus movent, atque impellunt, neque illarum quas præmovent, *formam* penetrant, aut *modum* attingunt; & inter Deum, qui nobis intimus nedum secundam caussam movet, sed etiam efficit voluntatem, & cum libera operatione determinat quoque modum agendi contingenter. Imprimis, inquiunt, summam habet Deus potestatem inclinandi hominum corda quocunque velit, ut scribit Augustinus de Corrept. & Grat. cap. XIV. *Magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas*. Deinde decrevit Deus quædam fieri necessario, & quædam libere, & quibusdam effectibus aptavit caussas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus ex necessitate proveniant; quibusdam autem aptavit caussas contingentes & defectibiles, ex quibus effectus eveniant contingenter; ut ait S. Thomas I. P. q. 20. art. VIII. Addunt hi Theologi contingentiam semper in caussam proximam esse refundendam; *Sicut germinatio plantæ est contingens propter caussam proximam contingentem, licet motus solis qui est caussa prima, sit necessarius*: ait idem S. Thomas I. P. q. XIV. art. 13.

Juxta horum principia dicendum est inferri quidem necessitatem ex suppositione antecedente caussæ extrinsecæ, quæ impellit ad actum, & ex necessitate caussæ proximæ, quæ substantia sua sit determinata ad unum: non vero ex suppositione caussæ primæ, quæ non solum infert actum, verum etiam naturam caussat, & modum attingit. Quod si dicas: Necesse est ut quidquid Deus prædefinivit, eveniat infallibiliter; respondendum est, etiam prædefinitum fuisse ut mediis liberis futurum sit: quæ si necessario ponerentur, falleretur divina præscientia, & frustraretur definitio, quum Deus præsciat ac definiat fore ut fiant libere & contingenter. Si rursus insistas, quod possibili posito in actu, nullum, ut fert commune proloquium, sequitur inconveniens: ideoque si potest homo sub efficaci decreto dissentire, supponi potest quod actu dissentiat, & frustretur decretum; pariter dicendum est, verum esse Scholasticum axioma, si possibile ponatur in actu eo modo, quo possibile est: non est autem possibile, ut ponatur dissensus nisi ea libertate, quæ fuit a Deo præfinita. Quamobrem si res est futura, id Deus & præscivit & definivit; & nisi futura esset, etiam hoc a Deo prævisum esset ac definitum.

Hæ duæ rationes conciliandi cum divinis prædefinitionibus humanam libertatem sunt principiis Thomistarum valde affines. Quibus si nos uti velimus, possumus percommode; dummodo decreta absoluta, gratiam victricem, prædeterminationem non adstruamus ex capite essentialis dependentiæ. Arduum est enim percipere, quod modus sit contingens ac liber, qui suapte natura postulat ad unum determinatum actum prædefiniri.

TERTIA REGULA.

Sunt ex Augustinianis nonnulli, qui efficacem gratiam etiam in utroque statu propugnant, negant tamen esse prædeterminantem. Nam S. P. Augustinus, inquiunt, in hoc efficaciam gratiæ constituit, quod operetur Deus in nobis bonam voluntatem, & agat motum ejusdem: quod illam stupentem suscitet: quod ex indignatione transferat ad lenitatem; neque aliud est gratia Christi, quam caritas diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. At impossibile est hominem velle, diligere, fieri ex nolente volentem ante motum liberum voluntatis. Non ergo præcedit, inquiunt, gratia Christi, neque prædeterminat liberum voluntatis arbitrium. Hi propterea negant gratiam efficacem esse aliquid antecedens & necessarium: negant præcedere actum liberum; negant consequi ex gratia necessitatem operationis.

Mihi vero tam plana & expedita via, quæ nunquam Augustino succurrit, videtur tortilis & obliqua. Distinguendum enim est inter actus voluntatis indeliberatos, & deliberatos. Gratiam efficacem esse sanctam delectationem indeliberatam, a Deo excitatam in corde hominis, ultro fateor. Sed deliberatam ac volitam, de cujus libertate agimus, quis appellaverit Christi gratiam? quis non dixerit gratiam in voluntate supponere? Certo per dilectionem deliberatam meremur: & meritum subsequitur gratiam, quemadmodum effectus quilibet suam caussam. Igitur sicut actus indeliberatus præcedit deliberatum, ita gratia Christi antecedit actum liberum voluntatis.

QUARTA REGULA.

Nonnulli, qui admittunt statutum supra discrimen inter statum creaturæ innocentis & per peccatum corruptæ, tenent, quod suppositio antecedens si necessaria sit ex capite dependentiæ, & requisita a rerum creatarum conditione & essentia, fortassis libertatem interimat: at si contingens sit, accidentalis & ex capite infirmitatis, atque necessaria duntaxat non propter rerum essentiam, sed propter status circumstantias, non libertatem cogere, sed sanare. Quod sequentibus exponunt exemplis. Concupiscentia etiamsi pondus sit ad malum inclinans, & adeo grave, ut Apostolus illam dicat legem repugnantem rationi, & captivantem in lege peccati: attamen, ut fides Christiana docet, vulnerat quidem libertatem, sed non interimit, eo quod adventitia sit, accidentalis, & præsupponat in arbitrio indifferentiam, quæ essentialiter constituit libertatem. Nam nullum accidentale, qualecunque sit, essentiam rerum immutat; velut quod homo sit albus, aut niger nullam infert essentiæ hominis variationem. Itaque cum decretum efficax, gratia victrix, & absoluta prædefinitio non sint creatæ libertati essentialia, sed exigantur ob vulnus peccato Adæ contractum, non poterunt evertere libertatis naturam. Imo quemadmodum concupiscentia, quæ ad malum inclinat minuit voluntarium, non tollit: ita gratia Christi, quæ bonam excitat voluntatem, arbitrium perficit, non perimit.

Rursus divina præscientia est aliquid antecedens, & nihilominus nullam infert necessitatem. Quare? attulimus cap. 3. caussam multiplicem. Sed fautores Scientiæ mediæ respondent præscientiam non tollere libertatem, quia nihil ponit in rebus, & objectum supponit, non facit: quod universaliter falsum est, multa enim præsciuntur prædestinatione, & multorum ipsa præscientia est caussa, cum Scientia Dei respectu plurium rerum sit practica. Sed detur adversariis quod ipsi contendunt. Præscientia, quæ supponit objectum & non facit, non infert necessitatem: Ergo neque necessitatem infert prædestinatio accidentalis, quæ præsupponit arbitrium in sua essentiali constitutum indifferentia. Simile quidpiam proferre possumus ex gratia congrua, quæ antecedit actum, & infallibiliter sortitur effectum; nec tamen officit libertati, quoniam supponit arbitrium in sua essentiali indifferentia.

Præterea explicatur hæc Sententia singulari quadam opinione Suaresii. Disputatur a Theologis de Christi libertate supposito præcepto Patris. Thomassinus docet fuisse tantummodo liberum libertate a coactione, sive lubentiæ. Maurus censet non fuisse liberum ad transgredienda præcepta, sed solum ad illa adimplenda per hunc actum, vel alium. Quamplures affirmant non fuisse illi impositum præceptum rigorosum. Multi dicunt fuisse liberum non quantum spectat ad substantiam mortis, sed quatenus pertinet ad circumstantias. Quid Suaresius? Is Tom. I. in III. P. dist. XXXVII. sect. 2. ait posse voluntatem Christi considerari dupliciter: I. ut voluntas creata est. II. ut unita Personæ divinæ ipsam regenti; salvari autem in Christo libertatem, propterea quod licet peccare non possit humana Christi voluntas quatenus unita Verbo, potest tamen secundum se inspecta; non enim unio cum Verbo ad humanæ voluntatis essentiam pertinet. *Voluntas*, inquit, *Christi secundum se potest dici potentia peccandi, seu capax peccati, non tamen ut est voluntas Christi, quia jam componitur cum illa voluntate conjunctio cum potentia divina*. Bene habet. Quomodo salvatur libertas in Christo, quia ejus voluntas secundum se est essentialiter capax peccati, quamvis peccare non valeat prout unita personæ Verbi: salvatur pariter libertas in voluntate nostra ex quo essentialiter sit indifferens, licet prædeterminetur accidentaliter, exigente gratiam indeclinabilem sauciata liberi arbitrii natura.

Itaque ex dictis ita difficultatem resolvunt: Suppositio antecedens, & inimpedibilis tollit libertatem si essentialis sit, & exigita titulo dependentiæ, transeat: si accidentalis sit, & requisita ex capite infirmitatis, nego.

Si dicas: Ad veram libertatem in statu naturæ lapsæ requiritur non solum libertas a coactione, verum etiam libertas a necessitate; est enim contraria propositio damnata in Jansenio: Atqui ex antecedenti necessario, quamvis accidentali, tollitur libertas a necessitate: Ergo, &c. Respondent dist. majorem. Requiritur libertas a necessitate essentiali, concedo: a necessitate accidentali, nego. Existimavit Jansenius libertatis essentiam constitui per solam immunitatem a coactione, offendens plura in Augustino testimonia, quibus non semel arbitrii libertas per lubentiam & spontaneitatem describitur. At aliter Augustinus loquitur de libero arbitrio disputans contra Stoicos Fati assertores, & contra Manichæos facientes Deum auctorem peccati; aliter contra Pelagianos inimicos prædestinationis & gratiæ. Agenti enim contra Manichæos & Gentiles Philosophos, sat erat asserere malam voluntatem esse ex nobis, neque

ad

ad hanc arbitrium cogi aliqua constitutione fatali. At contra Pelagium disputanti necesse fuit demonstrare humanam voluntatem præveniri gratiæ muneribus eo majoris efficientiæ, quo sanandum est vulnus arbitrii, & regenda validis præsidiis infirmitas. Hæc Jansenius, quamquam in Augustiniana lectione aliquandiu versatus, sub inversusque permiscens, agens de Gratia definitionem arbitrii contra Stoicos traditam unice usurpavit. Illud liberrime patrari dixit, quod non fit coacte, etiamsi eveniat necessitate aliqua essentiali. Asseruit proinde amorem Beatorum in patria esse undequaque liberum, quia amant summum bonum voluptate ac lubentia; cum tamen necessarius sit necessitate essentiali, neque relinquat potentiam ad oppositum.

QUINTA REGULA.

Doctrinam nuper traditam, quod Theologorum illorum pace dixerim, verbo tenus, non re a Janseniano errore discrepare arbitramur. Quippe Jansenius non adeo desipuit, ut crederet beatitudinem esse homini essentialem, quinimo in beatis veram libertatem, eamdemque ac in viatoribus gratia præventis asseruit, propterea quod, ut gratia victrix, ita Dei visio ad creaturæ rationalis essentiam non spectat. Et quidem toto libro III. de Statu naturæ lapsæ nititur Jansenius monstrare victam vitio naturam libertate carere propter ignorantiam & concupiscentiam, quæ humanam voluntatem captivant in lege peccati, & carnalibus desideriis obstringunt: veram autem libertatem restitui per gratiam liberantem, & liberum facientem; & tam concupiscentiam, quam gratiam ita dominari, ut ablata indifferentia ad bonum, & malum agendi inducant necessitatem. Ut ergo concupiscentia non est natura, sed vitium, & gratia non est homini lapso perfectio essentialis, sed donum, ita per Jansenium, peccandi necessitas & dominatus concupiscentiæ accidentalis est, quomodo & accidentalis necessitas recte agendi quam infert gratia liberatrix. Tantummodo in sensu Jansenii sub dominatu concupiscentiæ, aut gratiæ consistit libertas a coactione, quoniam homo peccat culpabili cupiditate, & recte agit victrici delectatione: neque cogit arbitrium cupiditas, vel delectatio. Hæc est perversa doctrina Jansenii: quare non video quo jure Theologi quidam affirment Jansenium necessitatem essentialem, non accidentalem asserere, & hoc inani præsidio studeant gratiam cum Dei prædeterminatione componere. Quartam ergo regulam reprobo substituta sequenti, quæ est Jansenianis principiis opposita.

Igitur creatura rationalis duabus facultatibus prædita est, intellectu, & voluntate: intellectus objectum est verum, & objectum voluntatis est bonum. Mens non est indifferens ad verum in communi, quia non potest cognoscere quod non est verum; neque voluntas est indifferens ad bonum in communi, quia non potest amare quod non est bonum. Ergo ad verum in communi naturaliter determinatus est intellectus, & ad bonum in communi est naturaliter determinata voluntas. Non ita res se habet circa hoc particulare verum, & circa hoc particulare bonum. Si hoc particulare verum sit per se evidenter clarum, nec videatur per aliud, cujusmodi sunt veritates, quæ appellantur prima principia, E. G. omne totum majus est sua parte, in quibus nulla interesse potest species falsi, naturaliter intellectus determinatur ad assentiendum, nec remanet libertas & indifferentia judicii. Si autem hoc particulare verum non sit per se evidenter notum, & videatur per aliud, cujusmodi sunt veritates, quibus permisceri potest species falsi, E. G. hæc propositio, Sol circa terram movetur, potest mens assentiri, vel dissentiri, & sive assentiatur, sive non, remanet semper indifferentia judicii ac vera libertas. Pariter si hoc particulate bonum ita proponatur voluntati, ut non possit apprehendi sub specie mali, & sit per se, evidenter, & omnimode bonum, ut Deus visus per lumen gloriæ facie ad faciem, voluntas in hoc bonum tendit eadem necessitate, qua fertur in bonum in communi, in quo nequit apprehendi aliqua ratio mali, & consequenter non remanet in voluntate vera indifferentia ac libertas: at si hoc particulare bonum non proponatur, ut omnimode bonum, neque evidenter & tale apprehendatur, uti in hac vita fides, caritas, martyrium, quæ ita voluntati proponuntur, ut ea possit fugere & nolle, cum possit intellectus apprehendere, & proponere aliquam speciem mali in mundi contemptu, in sui abnegatione, in mortis supplicio; tunc quidem remanet in voluntate vera indifferentia, & vera potentia ad oppositum.

Ex quibus infertur primo contra Jansenium, Beatos cum Deum videant intuitive, non esse in amore beatifico liberos, cum ad amandum Deum clare visum sint naturaliter determinati: unde S. Thomas I. p. q. lx. art. v. ait: *Cum in Deo sit unum & idem ejus substantia, & bonum commune, omnes qui vident ipsam Dei essentiam, eodem motu dilectionis moventur in ipsam Dei essentiam, prout est ab aliis distincta, & secundum quod est quoddam bonum commune. Et quia in quantum est bonum commune naturaliter amatur ab omnibus, impossibile est, quin diligant ipsum.* Sequitur secundo, quandiu in hac mortali vita degemus, posse Deum libere odio haberi; quia licet per ideam summi boni, & ex rebus aspectabilibus illum cognoscamus existere; tamen per plures effectus apprehenditur sub quadam specie, qua inordinatæ voluntati proponitur tamquam malum, E. G. tamquam prohibens peccata, & pœnam infligens: quod expressis terminis docet idem Sanctus Thomas I. 1. 2. quæst. XXXIV. art. I. in corpore. Sequitur tertio non ideo concupiscentiam non evertere libertatem, quia accidit ex Adæ peccato, & essentia humani arbitrii pravam inclinationem non exigit, ut fatetur quoque Jansenius hac eadem ratione adstruens veram peccandi libertatem in damnatis ac dæmonibus: Sed quia concupiscentia non ita flectit ad malum, ut non possit proponi voluntati aliquod bonum illi contrarium, quod concupiscitur. Sequitur quarto gratiam prædeterminantem & victricem stare cum libertate, non quod necessaria sit duntaxat titulo infirmitatis, sed quia ita mentem illustrat, & voluntatem incendit, ut excitari possint contrariæ cogitationes & affectus: veluti quando Martyr per efficacem gratiam determinatur ad mortem subeundam, potest timere mortem ipsam & formidare supplicia. Sequitur ultimo tolli veram libertatem a necessitate etiam per determinationem accidentalem, si talis sit ut non relinquat potentiam ad oppositum; quomodo vincula licet adventitia & accidentalia tollunt libertatem a coactione, si tam vehementer constringant, ut non remaneat aliqua potestas arctissimos nodos solvendi. Sed hæc alibi accuratius.

SEXTA REGULA.


Postrema regula conciliandi cum divinis præfinitionibus libertatem est, quam plurimi probant Recentiores: qui docent efficaciam gratiæ non consistere in mortua aliqua qualitate physice prędeterminante, sed in blanda intimaque delectatione, quę superat determinatione morali omnem adversam cupiditatem. Atque hi putant se facile nodum solvere, dicentes indifferentiam physicam non nulli nisi prędeterminatione physica, & recte componi cum prędeterminatione morali. Utuntur idoneis quibusdam exemplis. Dum (inquiunt) vir compos sui amore tenetur proprię vitę servandę, nunquam in se convertet gladium, nunquam bibet sponte venenum, nunquam ex prealta turri desiliet; quod physice tamen potest, & faciet reipsa si naturali rationis lumine destituatur. Quis etiam, (addunt) dixerit disertissimum oratorem cogere illos, quibus, verbis, ac propositis rerum agendarum exemplis ita alicujus rei describit utilitatem, ut non valeant abjicere exhortationes? Ita non cogit, neque affert necessitatem Christi gratia, quę efficaciter pręmovet blanda, suavique caritatis delectatione.

Tria sunt, ut opinor, in hac regula: unum aperte falsum, unum verum, unum dubium. Verum est, gratiam in mentis illuminatione, & sancta delectatione consistere, ut ex nostris docent Cardinalis Norisius, Augustinus Burgensis, Basilius Poncius, Manso, aliique plurimi, necnon Macedo, Lauria, Isambertus, Habert, Gradin, & infiniti propemodum, quibus nec dissentit Hyacinthus Serry in suo D. Thoma conciliato; quamquam communior sit Thomistarum sententia gratię naturam sitam esse in qualitate, quę hanc illuminationem & sanctam delectationem pręcedit. Sed hęc quęstio alibi pertractabitur. Falsum est autem hanc illuminationem, & delectationem moraliter, & non physice prędeterminare liberum hominis arbitrium; illa enim cęlestis illuminatio & casta dilectio, non allicit duntaxat suadetque, veluti dum nuces ostendis puero, & trahis illum, sed vere ac proprie efficit ut faciamus quare exemplum oratoris non est ad rem; & vereor quin istud nimis arrideat Pelagianis, qui minime negant gratiam trahentem voluntatem sola propositione objecti. Dubium tandem in hac sententia remanet, quomodo hęc prędeterminans delectatio libertatem non tollat; ideoque recurrendum est ad regulam pręcedentem: quam confirmat ipsum exemplum hominis deliri occidentis seipsum; qui non peccat, propterea quod mente captus, & nullius consilii, caret indifferentia judicii: & ex adverso homo sanæ mentis sub determinatione naturalis amoris libere servat propriam vitam, quoniam cum tali amore stat judicii indifferentia, ea nempe, quæ apprehendere potest in ipsamet vitæ propriæ conservatione aliquam speciem mali.

Sed quoniam ad cupiditatem & delectationem recurrunt etiam Janseniani, ut sententiam hæreticam Sanctorum verbis incrustatam reddant quodammodo speciosam: observandum est liberum arbitrium comparari aliquando a SS. Patribus stateræ, quæ hinc, indeque ab imposito pondere flectitur: unde ab Augustino in lib. de Spiritu, & litera definitur cap. 33. *Media illa vis, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest.* Trahit autem sua quemque voluptas, & pondus animæ est ejus amor; ideoque media illa vis inclinatur in bonum delectatione justitiæ, in malum vero perversa flectitur cupiditate. Ergo Janseniani in hoc turpissime errant, quod liberum arbitrium, quasi mortua esset bilanx, non vis, seu activa facultas, positum inter cupiditatis & gratiæ ęqualia pondera opinentur nihil posse operari, ita ut necessario agat quod amplius delectat, uti statera a graviori pondere necessitate dejicitur; ut scribit lib. IV. de Grat. Christi cap. 9. malus Augustini Interpres

terpres Jansenius. Hæc profecto sententia hæretica est; non enim liberum arbitrium est indifferens ad instar stateræ: non est potentia passiva, sed activa; neque post Adæ lapsum periit, & est titulus sine re, sed vivit adhuc, agit, & dum trahitur sive concupiscentia, sive sancta delectatione, habet indifferentiam potentiæ a nobis superiori Regula expositam. Quapropter æquilibrium Jansenianum, sive æqualem, alternamque concupiscentiæ & gratiæ pugnam, quæ sopiri non potest, nisi altera alteram superet delectando, eoque, ut Jansenius inquit, totum vergat pondus, nec non comparationem stateræ, quam alio plane sensu, & ad significandam liberi arbitrii indifferentiam activam Patres tradiderunt, perinde ac Calvini dogma rejicimus & damnamus. Neque tamen admittere possumus æquilibrium aliud virium arbitrii, quasi tantum valeat ad peccandum, quantum ad non peccandum æqua penitus lance; sed firmiter confitemur illud invalidum esse, donec per gratiam Christi sanentur omnes languores animæ, ut Epist. 186. ad Paulinum docet S. Pater. Unde qui tale æquilibrium propugnant, *Vident esse peccati originalis obliti*, inquiunt gravissimi Theologi Ludovicus Gotti de Grat. Actuali q. 2. dub. 5. §. 3. & Benitez disp. 111. dub. 1. cap. 1. ambo ex claro S. Dominici Ordine, & Angelici Doctoris magna Schola.

His, quantum vires ingenii mei poterant, explicatis, quintam Regulam ceteris præfero, & hujus ope reliquas ad Catholicum sensum, in quo ab Auctoribus suis traduntur, existimo revocandas. Itaque affirmo sub efficaci gratia, in sensu composito ac diviso Thomistarum priori regula explanato, manere veram indifferentiam potentiæ cum determinatione actus, quoniam perseverat cum tali determinatione indifferentia judicii. Idem assero de modo illo intrinseco contingenter operandi, quem modum suprema caussa in inferioribus attingit, ut dixi secunda regula. Hoc idem de prædeterminante gratia, cujus necessitas repetitur ex hominum infirmitate. Idem pariter de sancta delectatione, in qua Christi gratiam collocandam esse fatemur. Ex quibus etiam apparet, cur tam sensus compositus & divisus Thomistarum, quam aliæ omnes regulæ locum non habeant in visione beatifica; quod scilicet non remaneat potentia ad oppositum, ubi summum bonum ita videtur, ut nequeat in eo apprehendi species aliqua mali. Atque hæc est ratio conciliandi decreta absoluta, gratiam, ac prædestinationem Dei cum libertate humana, absque ulla Scientia media. In quibus si nondum lectores acquiescant, oro, ut animadvertant, quod principio monui, hanc perdifficilem esse quæstionem. Ego enim in exitu libri sum, ubi cum Augustino de Spiritu & lit. cap. XXXIV. tantum dixero: *Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caveat ne inveniat præsumptiores.*



DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER QUINTUS,

In quo differitur cur Dei voluntas dicatur ab Apostolo bona, beneplacens, & perfecta.

ROPOSITUM est hoc libro de Divina Voluntate differere; de qua pertractatis iis, quæ ad prædefinitiones secundarum caussarum spectant, & quæ potissimum in hoc argumento ingenia exercent Scholasticorum, minus prolixa superest disputatio. Ergo videndum primo quomodo hæc Dei voluntas sit *bona ac beneplacens*, id est, non delectetur morte peccatoris, neque ulla sint opera manuum suarum, quæ despiciat, & in quibus perpeti providoque regimine ordinem rectum fixumque non servet. De *perfectione* quoque Voluntatis, quæ est persistens cum immutabilitate libertas, agendum erit. Atque ita fiet, ut paucis liber ille absolvatur: nam de divino erga electos beneplacito, in libro, qui ad istum consequetur, paullo operosior instituenda erit dissertatio.

CAPUT I.

An Divinum Beneplacitum erga singulorum hominum salutem versetur.

DARI in Deo Voluntatem constat Theologorum omnium consensione: non enim hanc negare potest, quisquis cælestem Patrem quotidie orat, dicens, *Fiat voluntas tua:* aut eumdem cum Psalmista adloquitur, Ps. 113. v. 10. *Super misericordia tua & veritate tua: ne quando dicant Gentes: Ubi est Deus eorum? Deus autem noster in cælo, omnia, quæcumque voluit, fecit.* Consequitur autem voluntas natura sua intellectionem: neque aliud est quam in aliquod objectum conjuncta cum perceptione propensio. Quisquis ergo substantiam absque voluntatis potentia persistentem excogitet, is non Deum percipiet, sed rem corpoream spiritu ac ratione carentem. Ex his vero, quæ diximus de divina simplicitate, compertum est Dei substantiam, intelligentiam, ac voluntatem nullatenus ab invicem discrepare, diversamque cum nominum, tum idearum sortiri rationem, cum ad plures terminos comparantur. Quod enim de sapientia dictum est supra, debemus affirmare, ut scribit Augustinus in v. de Trinitate cap. x. *De omnibus omnino, quæ de Deo possunt pronunciari.*

Quoniam ergo voluntas dicitur comparative ad bonum, atque ipsamet Dei substantia bonum est per se subsistens, & per se diligendum, cetera vero omnia bona sunt quadam participatione ac dependentia: certum omnino est solam bonitatem divinam esse voluntatis Dei objectum *terminativum ac motivum*, & bonitatem creaturarum objectum, ut vocant, *terminativum materiale*, atque *secundarium*. Quæ cum sola vocabulorum explicatione facillime intelligantur, sufficit præfatas dictiones enunciavisse.

Ex diverso quoque respectu varia emersit in Scholis divinæ voluntatis partitio. Alia enim est voluntas *signi*, alia *beneplaciti*: illa est manifestatio aut declaratio exterior, qua Deus nobis significat se aliquid velle; hæc vero est ipsamet interior volitio aliquid tanquam sibi gratum decernens. Porro signa voluntatis divinæ sunt præceptum aliquid jubens, aut prohibens, consilium, permissio, & operatio. Hanc voluntatem improprie & metaphorice dici est manifestum; nam voluntas est actus immanens, signum vero externa manifestatio. Quemadmodum ergo exterior pronunciatio verborum non est intima mentis contemplatio, sed signum ejusdem, ita præceptum, divinumque consilium sunt duntaxat interioris voluntatis significationes, non ipsamet latens atque interna volitio. Signa vero, quæ nobis Deus exhibet, cum falsa nequeant esse, semper internam aliquam voluntatem supponunt: at non semper illam, quam nos ex primo signi contuitu possumus conjicere. Ita cum Deus præcepit Abrahamo immolationem Isaac, apparebat hoc signo velle Deum mortem ipsius, sed intendebat solummodo experiri fidem & obedientiam Abrahami, & promissi Reparatoris atque Unigeniti sui præfigurare crucifixionem. Ita permissiones peccatorum latentis alicujus consilii certissima signa sunt, sed nunquam mortis atque interitus peccatoris, quum velit misericordissimus pater, ut convertatur & vivat. Eapropter cum docent Theologi voluntatem *signi* sæpenumero non impleri, hoc sensu debent intelligi, quod non semper ea compleantur, quæ nos arbitramur hisce signis subesse; sed aliquando alia eveniunt longe præstantiora; quorum caussa Deus præscius futurorum præcedentia signa præmiserat. Atque hæc de voluntate, quam *signi* appellant.

At voluntatem beneplaciti, de qua exquisitior habenda est disceptatio, dividunt Theologi in *antecedentem*, & *consequentem*. Fautores Scientiæ mediæ voluntatem antecedentem illam dicunt, quæ antecedit voluntatis humanæ consensum, ejusque præscientiam: consequentem e contra, quæ talem consensum consequitur. At nos, qui totis lacertis contendimus dari absolutam voluntatem aliquos salvandi ante prævisa merita, & independenter a voluntatis humanæ prævisione, non possumus in hoc statu illam probare sententiam, neque futurum credere bonæ voluntatis actum aliquem, ante divinum liberalissimum beneplacitum, quo præparetur ipsa bona voluntas a Domino. Itaque voluntatem antecedentem Thomistæ illam dicunt, quæ connotat homines secundum se spectatos, ut conditos ad imaginem ac similitudinem Dei, & pretio Passionis Christi redemptos: & voluntatem consequentem illam, quæ comparatur ad creaturas rationales in certis constitutas circumstantiis, quibus spectatis vult Deus aliquid simpliciter & absolute. Quemadmodum ergo justissimus princeps vult omnium civium ac totius Reipublicæ incolumitatem ac vitam, & mercator mercimoniorum suorum conservationem; & ille tamen furem & homicidam damnat mortis, is vero tempestate jactatus arcas mercesque projicit in mare: ita Deus quemque ad salutem invitat, & tota die expandit manus suas ad populum contradicentem, ut omnes ad illum accedant, capiantque hæreditatem salutis; sed quosdam sceleribus inquinatos, propter gloriam justitiæ suæ, rejicit, reprobatque. Quibus exemplis utitur D. Thomas 1. p. q. xix. art. 6.

Nos, non repudiata hac Thomistarum doctrina, cum sit hæc duplex hominum consideratio, secundum se, & in genere, atque in certis quibusdam circumstantiis, distinctio rationis nostræ, cumque vere ac proprie, & præcisa etiam consideratione mentis humanæ Deus sincere voluntate antecedenti velit omnium hominum salutem, duo alia connotata paullulum diversa spectamus, unde sumitur duplicis voluntatis, antecedentis & consequentis distinctio. Attendendus est ergo ordo a Deo impositus, in quo omnes homines tam justi, quam impii, donec vivunt, in via, qua ad salutem pervenire possunt, collocantur; omnes jus habent accedendi ad Ecclesiam, petendi Sacramenta, & obtinendi gratiam, quam hæc efficiunt: omnibus prædicatum est Evangelium, exhibita misericordia, præparata divinorum beneficiorum munera: pro omnibus Christus abunde cumulateque satisfecit, & pretium Redemptionis exhibuit, *non solum pro peccatoribus passus* (ut ait Catech. Rom. p. p. cap. 5. n. 11.) *sed etiam pro illis, qui pœnarum omnium, quas pertulit, auctores, & ministri fuerunt.* Hujus ordinis impositio est objectum voluntatis antecedentis; unde Janseniani, aliique hæretici, qui affirmant neque Ecclesiam pro omnibus institutam esse, neque pro omnibus oblatam Passionem Christi, neque pro omnibus satisfactum, nefarie impieque negant Deum velle omnium salutem antecedenti voluntate. Deinde attendendum est hujus impositi ordinis complementum & executio, qua hominum plurimi perducuntur ad salutis terminum, accipiunt donum perseverantiæ, percipiuntque reapse fructus Passionis Christi; de quibus præfatus Catechismus Rom. P. 2. cap. 4. n. 24. inquit: *Si vero fructum, quem homines ex eo perceperint, cogitemus, non ad omnes, sed ad multos tantum eam utilitatem pervenire facile intelligemus.* Atque secundum hanc postremam rationem non pro universis, sed pro multis suum fudisse sanguinem, & rogasse Christum Catechismus ipse declarat. Igitur voluntatem antecedentem illam dicimus esse, quæ spectat ad ordinis impositionem; & consequentem eam, quæ executionem respicit hujus ordinis: utramque vero esse voluntatem beneplaciti, & effectum sortiri, ad quem primario ordinatur.

Pluribus vocabulis hanc duplicem voluntatem veteres designarunt. Tradidit voluntatis utriusque discrimen Damasc. lib. 11. de Fide Orthodox. cap. xxix. his verbis: *Voluntas antecedens est, quod quis a seipso vult. Consequens, quod ex eorum quæ fiunt caussa proficiscitur. Nam præcedente voluntate vult Deus omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire: verum nobis peccantibus vult*

nos

nos castigari prout conducit. Ibidem appellat Damascenus voluntatem antecedentem voluntatem *bonitatis*, sequentem vero voluntatem *justitiæ*. Beatus Prosper in fine Respons. ad Ob. Vincent. priorem voluntatem vocat *invitantem*, alteram *judicantem*. S. Anselmus in cap. VI. Matth. primam nominat *voluntatem misericordiæ & de rerum possibilitate*: secundam *voluntatem justitiæ, & de effectibus rerum*. Itaque voluntas antecedens, bonitatis, misericordiæ, & possibilitatis rerum efficit, ut omnes salvari possint, & constituantur in via salutis, eamque consequantur, si velint. Voluntas consequens, justitiæ, & de rerum effectibus præstat, ut omnes reipsa salventur, & ponantur in termino salutis. Hæc Patres: in quibus animadvertendum est voluntatem consequentem dici voluntatem *justitiæ* comparate ad judicium ac retributionem; nam quatenus electis suis media elargitur particularium gratiarum, etiam voluntas consequens & effectrix appellanda est voluntas misericordiæ.

Quod nunc quæritur est, num detur in Deo voluntas antecedens salvandi omnes: nam de voluntate sequenti manifestum est in ea singulos non comprehendi. Videndum etiam, an hæc voluntas antecedens in Deo sit vere ac proprie, an vero metaphorice tantum, quemadmodum est in Deo ira, pœnitudo, commiseratio. Negant primum Jansenius, Quesnellus, Trickius, & ejusmodi pestes, qui contendunt, omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvari infallibiliter, quod damnatum est in Propositione XXX. Paschasii Quesnelli, & consequenter docent velle Deum salvos fieri solos prædestinatos, atque pro istorum salute tantum fuisse Redemptorem suffixum cruci. Negant voluntatem antecedentem proprie in Deo esse Thomistæ praeclarissimi, Bannez, Zumel, Bancel; quibus subscribunt Sylvius & Estius, necnon ex nostris Basilius Legionensis, Florez, & alii contra longe plures, quos tamen ego arbitror posse facili negocio simul conciliari.

PROPOSITIO I. Deus voluntate antecedenti vult omnes homines, nemine prorsus excepto, salvari.

Demonstratur hæc propositio I. Divinarum Scripturarum auctoritate. Nam illam beneficam voluntatem Dei testatur Ezech. XXXIII. 32. his verbis: *Quare moriemini domus Israel? dicit Dominus. Vivo ego. Nolo mortem impii, sed ut convertatur, & vivat*. Quibus verbis Deus non contentus dixisse se velle impiorum conversionem, id etiam juramento confirmat. Istud vero quantum nos reddat de divina voluntate certiores colligitur ex Tertulliano lib. de Pœnit. cap. IV., ex Hieronymo Epist. XLVI., imo ex eodem Apostolo ad Hebræos cap. VI. 16. dicente: *Homines enim per majorem sui jurant: & omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem est juramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui interposuit jusjurandum*. In quo enim possumus propositam spem continere, si neque firmam anchoram habeamus verbum Dei, & immobile ipsius jusjurandum? Rursus idem Apostolus in I. ad Timoth. II. ait: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus .... Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus: unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Atqui pro omnibus orandum est, ac pro omnibus passus est Christus, nemine prorsus excepto: Igitur & omnes homines, nemine excluso, vult Deus salvos fieri: alias inepta foret, & minus cohæreret Apostolica exhortatio. Hinc S. Prosper ad 2. object. Vincentianam, quæ hujusmodi est: *Quod Deus nolit omnes salvare, etiamsi omnes salvari velint*: respondet: *Remota discretione, quam divina scientia intra secretum justitiæ suæ continet, sincerissime credendum atque profitendum est, Deum velle, ut omnes homines salvi fiant: siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissime præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur, ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi salvantur salvantis est donum*.

Respondent Janseniani productum Pauli testimonium referri ad homines status innocentiæ, non vero ad illos, quos originalis culpa devinxit. Quod ostendi potest etiam ex idea voluntatis antecedentis, quam supra tradidimus ex Thomistis: hæc enim respicit rationalem creaturam secundum se, & abstrahendo a superinductis circumstantiis peccati. Ubi ergo originalis culpa supponitur, voluntas antecedens non habet locum.

At inanis profecto elusio. Nam in primis Apostolus de his loquitur, pro quibus affirmat orandum esse: At præcepit ut oremus pro omnibus, etiam regibus improbis, quales tunc orbis terrarum dominabantur, & quos specialiter ibi commemorat: Ergo ad omnes homines Apostolica spectat sententia. Imo quemadmodum prior ille status innocentiæ primi parentis peccato deperiit; ita nos beatus Apostolus non hortatur, ut pro hominibus status innocentiæ Deum exoremus: sed nostras præscribit supplicationes pro iis, quorum & vitiata est natura, & facilis est interitus, possibilis tamen Deo miserante conversio. Præterea Apostolus addit Christi mediationem, ac redemptionem. Omnes ergo, quicunque *Redempti* sunt, sub illa generali voluntate certissime comprehenduntur. Neque obstat, quod in hoc statu superinductæ sint circumstantiæ originalis peccati; tum quia etiam originali culpa, imo & actuali quacunque posita, spectant viatores omnes ad ordinis impositionem superius declaratam: tum etiam quoniam passione Christi prioris damnationis chirographum deletum est, ac propterea subsistit adhuc generalis illa voluntas intuitu meritorum Christi: per quem *regenerati sumus in spem vivam*, quemadmodum testatur Apostolus.

Hinc validissime probatur propositio ex quo Christus pro omnibus hominibus mortem subierit. Id in libro de Hæresi Janseniana adversus quintam propositionem sumus demonstraturi. Nunc satis est Jansenii dogma brevissime refutare. Ac primo opponitur allato Pauli testimonio: *Unus est mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*: quod de solis prædestinatis non potest intelligi; quum nos hortetur Apostolus, ut nuper diximus, ad orandum pro omnibus, etiam reprobis ac perditissimis. Rursus idem Apostolus 2. ad Corinth. cap. 5. v. 14. *Si unus*, inquit, *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*. Probatur hoc Pauli testimonio omnes Adæ posteros originalem culpam contrahere, ut constat ex lib. VI. Augustini contra Julianum cap. 4. & ex XX. de Civit. Dei cap. 6. Igitur sicuti omnes in Adam mortui sunt, ita Christus pro omnibus mortuus est. Atqui in Adam mortui sunt omnes: Ergo pro omnibus omnino mortuus est Christus. Verum de hac gravissima controversia citato loco accuratius.

Possumus generalem illam voluntatem salvandi omnes auctoritate quoque Patrum corroborare. Nam D. Basilius Hom. in Psalm. XXIX. *Pœna*, inquit, *secundum Dei judicium; vita vero est, quam ille vult. Quid ergo dicit? nempe velle hoc Deum, suæ ut vitæ participes omnes fiant*. Macarius Hom. 26. *Dominus in benignitatem, & misericordiam compositus unice desiderat, quod toti prorsus ad eam convertamur, ab omni contrarietate nos eripientes*. Chrysostomus in I. ad Timotheum cap. 2. *Imitare Deum tuum: si enim ille omnes vult salvos fieri, merito pro omnibus oportet orare: si omnes ille vult salvos fieri, velis & tu: si & tu vis, ora pro iis*. Ambrosius lib. III. de Interpellat. David. cap. 2. *Pulchre itaque Apostolus, ut præmisimus, explanavit, quia & omnibus bonus est Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, &c.* Prosperum paullo superius laudavimus: & de S. P. Augustino dicendum est infra in resp. ad I. Adde Concilium Arelatense tertium, Moguntinum, Valentinum, & Carisiacum: Theologos quoque celeberrimos cujusque ordinis, atque ætatis; quorum consensio invictum suppeditat argumentum.

Ex dictis eruitur quoque validissima ratio. Tenemur quippe omnes orare pro singulis, petere ac sperare regnum cælorum, ac Redemptorem nostrum ardentissima caritate diligere, propterea quod nos a perditione per mortem suam atrocissimam liberavit: Atqui tanta spei, & caritatis motiva prorsus evanescerent, si nos pulsare posset suspicio, quod divinum beneplacitum non se extenderet ad omnium hominum salutem: Ergo, &c.

PROPOSITIO II. Hæc voluntas salvandi omnes est in Deo vera, propria, atque sincera.

Sequitur ex dictis, & brevissime confirmatur. I. Quidquid sacræ literæ de Deo affirmant, si maxime deceat ipsius bonitatem, misericordiam, ac providentiam, qua rationales creaturas dirigit in viam salutis; id absque ulla hæsitatione est asserendum de ipso Deo: Atqui in sacris libris legitur velle Deum, ut omnes homines salvi fiant; id vero magnopere decet infinitam ipsius caritatem, & directionem creaturarum in finem ultimum: Igitur absque ulla hæsitatione asserendum est, Deum proprie ac sincerissime velle salutem omnium. II. Voluntas antecedens dicitur comparative ad institutionem mediorum, quibus omnes salvari possunt: Hoc autem est aliquod vere bonum, quod est objectum voluntatis sinceræ ac propriæ: Ergo est in Deo sincera ac propria voluntas illa antecedens salvandi omnes. III. Vere Deus omnes ad agnitionem veritatis invitat, omnibus si velint, Ecclesiæ Sacramenta dispensat, pro omnibus redemptionem dedit Unigenitum suum. Hæc sunt signa beneficentissimæ Dei voluntatis. Atqui istiusmodi signis non subest certa, & absoluta voluntas omnes efficaciter perducendi ad consecutionem salutis. Subest ergo saltem voluntas generalis, & antecedens, quæ versatur circa salutis possibilitatem, in qua singuli comprehenduntur.

Verum quidem est, complures Theologos affirmare, voluntatem antecedentem, non esse in Deo proprie, quod S. Thomas scribat esse voluntatem inefficacem, conditionatam, ac suspensam; eamque I. P. q. XIX. art. 6. ad I. appellet *velleitatem* potius, quam voluntatem; quoniam non semper impletur: cum e contra illud semper compleatur, quod Deus vult *simpliciter*. Atque hinc est, quod Paulus Irenæus, aliique Janseniani dogmatis fautores a celeberrimis Theologis jactant se minime dissentire.

At pessime novæ hæreseos patroni aberrant. Scholasticorum enim dissidium facile componitur, atque a Pseudoaugustinianis illis toto distat cælo. Distinguendus est enim duplex divinæ voluntatis effectus. Unus est rationalem crea-

creaturam ad finem supernaturalem ordinare, eamque in via locare salutis, necnon ei parare, exhibere, conferre quoque, nisi ea detrectet, auxilia gratiæ sufficientia. Alter effectus est creaturam rationalem ad salutem perducere, illam in termino collocare, & præter communia gratiarum dona, eidem specialissima & efficacia, etiam finalis perseverantiæ, largiri. Horum diversitatem effectuum ex antiquioribus tradiderunt Ægidius Romanus 1. dist. 46. q. 1. & Scotus, ac beatus Bonaventura eodem loco: ex recentioribus vero Bernardus Desirant lib. xxx. Aug. Vindicati, & alii quamplurimi. Dum ergo Theologi aliqui asserunt voluntatem antecedentem in Deo esse metaphorice, id Catholico sensu pronuntiant. Ac primo, cum nulla sit intrinseca Deo distinctio, negant esse in Deo antecedentem voluntatem distinctam a consequente, quod totum discrimen petendum sit ex parte volitorum, ut inquit Durandus Quæst. 3. distinct. 47. Deinde si comparetur voluntas Dei antecedens ad actualem gloriæ consecutionem, atque ad seriem auxiliorum, quibus ad salutis terminum perducuntur electi, manifestum est hanc voluntatem in Deo non esse propriam ac veram, neque semper impleri; quoniam reapse non omnes electi sunt, neque omnibus volt Deus talia media impertiri, quæ certissime cooperante libero arbitrio ad salutem perducant. Sed impletur tamen in aliquo ordine, & semper effectum proprium & immediatum consequitur; primum scilicet, qui est ordinare creaturam in suum finem, eamque in via constituere salutis. Quæ doctrina Catholica est, vera, & ab omnibus, si Molinianos excipias, summa consensione defenditur. Jansenius vero voluntatem hanc generalem a statu naturæ lapsæ procul ablegat, nullam gratiam admittit, cui liberum arbitrium resistat, nullam sinceram voluntatem salvandi nisi prædestinatos, nullum præter electos a Christo Reparatore redemptum, & licet aliquando ad palliandum dogma perversitatis Veterum usurpet verba, longe tamen ab eorum sensu recedit. Ita voluntatem Dei antecedentem, quam inculpate Veteres impropriam ac metaphoricam appellaverunt, propterea quod illam comparaverint cum actuali consecutione salutis: adversus Jansenistarum cavillationes nos sinceram verissimamque esse contendimus, sed illam explicandam esse censemus connotative ad generalem ordinem creaturarum, non ad qualescunque rerum circumstantias: alioquin nullum foret discrimen inter duplicem Dei voluntatem, quod nemo consentit.

EORUM, QUÆ OBJICIUNTUR, REFUTATIO.

Opp. 1. Exponere Apostolicam sententiam, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, de generali voluntate antecedenti, in qua singuli homines complectantur, est falsa interpretatio, quam S. P. Augustinus rejicit tamquam doctrinæ prædestinationis & gratiæ hujus status apertissime repugnantem. Ergo & rejicienda est ab Augustini discipulis ejusmodi commentario. Prob. ant. Quadrifariam sanctissimus Antistes sententiam interpretatus est Apostolicam. Primum, ut dicatur Deus velle omnes salvos fieri, quia nullus fit salvus, nisi Deo volente ac prædestinante, quemadmodum de Ludimagistro dicimus: *Omnes pueros literas docet*, non quod gymnasium frequentent omnes omnino pueri; sed quia illo uno Magistro proficiunt quotquot literis impendunt operam. Ita S. P. Epist. ad Vitalem, in Enchirid. ad Laur. cap. CII. lib. de Prædest. SS. cap. VII. de Corrept. & Gratia cap. XIV. & lib. IV. contra Julianum cap. VIII. Altera Augustiniana interpretatio est, ut *Omnes* accipiantur distributive, & pro *generibus singulorum*, quomodo dicitur omne animal fuisse in arca Noe, idest, animal cujuscumque speciei; itaut sententia sit, Deum velle salvos fieri nonnullos ex omni genere & conditione, Judæos, Græcos, pueros, adultos, divites, pauperes, &c. Ita S. P. in Enchirid. cap. CIII. de Corrept. & Gratia cap. XIV. necnon Fulgentius, Anselmus, Beda, aliique. Tertia expositio est, ut asseratur velle Deum omnes salvari, quoniam *nos facit velle*: Nam sicut clamantem Spiritum, ad Romanos VIII., recte dixit Scriptura, a quo efficitur ut clamemus; ita recte dicimus volentem Deum, a quo efficitur ut velimus. Ita S. P. de Corrept. & Gratia cap. XV. & lib. XXII. de Civit. Dei cap. 1. Neque solum efficit Deus, ut electi velint salvari, sed etiam ut pii homines magnopere desiderent omnium salutem, tametsi non omnes salvari velint, ut animadvertit ex Augustino Estius dist. XLVI. §. IV. & Sylvius quæst. XI2. art. 6. Postrema expositio est; Deum contulisse humano generi in universum auxilia quamplurima externa, quibus suam pro omnium salute curam ac sollicitudinem significavit, nimirum legem omnium menti inscriptam, exemplum ac redemptionem Christi, prædicationem Apostolorum, orationes Ecclesiæ, Sanctorum virorum merita ac labores, &c. Quam interpretationem affert fidelissimus Augustini Discipulus Prosper in Resp. ad 1. & 2. Ob. Vincent. Hæc omnia interpretamenta excludunt a Deo voluntatem antecedentem salvandi omnes, & admittunt duntaxat voluntatem consequentem pro electis, pro ceteris autem voluntatem *signi*, ac metaphoricam. Ergo juxta Augustini doctrinam non videtur generalis illa propria ac vera voluntas admittenda.

Resp. Vasquesius 1. p. disp. 83. cap. 2. beatissimum Patrem locum Pauli nullo ex illis modis recte exposuisse, & noluisse concedere voluntatem Dei antecedentem circa omnium salutem. Sed stant adversus Vasquesium Theologi præstantissimi, qui prælatas expositiones summopere commendant, & ceteris quoque præferunt, S. Thomas q. XIX. art. 6. Estius dist. 46. §. IV. Sylvius q. 3. ad præcit. artic. beati Thomæ, S. Anselmus & Beda apud Gerardum Vossium lib. VII. Hist. Pelag. parte 1. Thesi 2. ut prætermittam clarissimos Thomistas, & Augustinianos universos. Itaque respondendum est, allatas Augustini interpretationes, nequaquam cum voluntate antecedenti circa omnium salutem pugnare. Nam S. Pater de voluntate consequenti, absoluta, efficaci, & quæ est de rerum effectibus, non de antecedenti, quæ spectat homines in universum, accipiendus est. Ac primo id præmonuit Sanctus Thomas in 1. dist. 46. q. 1. art. 1. Deinde hæc eadem Vasquesii impostura post obitum S. Patris in Galliis spargi cœpit; eique occurrit beatus Prosper in Præfat. Resp. ad Object. Vincent. dicens: *Continent ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia, asserentes talia in nostro esse sensu, qualia diabolico continentur indiculo*. In illo vero prodigiosorum mendaciorum indiculo, secunda contra Augustinianam doctrinam objectio erat: *Quod Deus nolit omnes salvare*: & consequenter Vasquesius ineptissimas Semipelagianorum querimonias ingeminat. Præterea Augustinus acerrime in libris laudatis propugnabat prædestinationem & gratiam, necnon voluntatem Dei trahentem validiori gratiæ adjumento unum præ alio, quod Pelagiani negabant, ideoque de voluntate efficiente & absoluta erat ei specialiter pertractandum. Rursus S. P. voluntatem antecedentem salvandi omnes apertissime admittit lib. de Spiritu & lit. ad Marcellinum cap. XXXIII. ubi hanc proponit quæstionem: *Si voluntate quærimus, de hac quæritur unde sit. Si natura, cur non omnibus, cum sit idem Deus omnium creator. Si dono Dei, etiam hoc, quare non omnibus, cum omnes homines velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire?* Ad istam vero quæstionem sic respondet: *Vult Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum seipsos fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est: vinceretur autem, si non inveniret quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere, quod de talibus ille constituit. Qui enim dicit, v. g. volo ut hi omnes servi mei operentur in vinea, & post laborem requiescentes epulentur, itaut quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat; videtur quidem quicunque contempserit, contra voluntatem Domini sui facere: sed tunc eam vincet, si & pistrinum contemnens effugerit: quod nullo modo fieri potest sub Dei voluntate*. His verbis, exemplisque satis liquet non rejici a S. Protoparente Augustino antecedentem voluntatem salvandi omnes, & ejus interpretationes supra recensitas de voluntate efficaci & absoluta accipiendas esse, quam præsertim nolebant admittere Pelagiani.

Opp. 2. Antiquiores Augustini Discipuli, & qui fideliores habentur ejusdem Asseclæ, nullam in Deo voluntatem agnoscunt, nisi divinum erga prædestinatos beneplacitum. Fictitia est ergo voluntas antecedens salvandi omnes. Prob. ant. Auctor Hypognost. lib. VI. cap. ult. *Omne*, inquit, *quod Deus vult facere, potest, nec prorsus humana voluntate præpeditur, quod vult*. S. Fulgentius lib. de Incarnat. cap. XXXI. *Omnes ergo, quos Deus vult salvos fieri, sine dubitatione salvantur: nec possunt salvari, nisi quos Deus vult salvos fieri: nec est quisquam, quem Deus salvari velit, & non salvetur; quia Deus noster omnia, quæcunque voluit, fecit*. S. Prosper Carmine de Ingr. cap. 16.

At vero omnipotens hominem cum gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus; cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit; non moribus illi
Fit mora; non causis anceps suspenditur ullis.

Quibus docet, nullam esse in Deo voluntatem, quæ suspensa sit, neque adimpleatur; qualis est antecedens, conditionata, & inefficax. Patres denique Africani in Sardiniam relegati Epistola Synodica cap. XIV. *Omnes*, inquiunt, *prædestinati ipsi sunt, quos Deus vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: qui propterea omnes dicuntur, quia in utroque sexu ex omni hominum genere, gradu, & conditione salvantur. Semper quippe voluntas Dei omnipotentis impletur, quia potestas ejus nullatenus vincitur*. Fideliores ergo Augustini discipuli voluntatem salvandi omnes ad solos referunt prædestinatos.

Resp. dist. ant. Fideliores Augustinianæ doctrinæ sectatores nullam in Deo voluntatem salvandi profitentur, nisi respectu prædestinatorum, & loquuntur de voluntate consequente, & quæ est de rerum effectu, conc. de voluntate antecedente, & quæ est de rerum possibilitate, nego. Prædictos Patres de voluntate consequente verba facere, liquet primum ex eorum scopo, & ex argumento quod

tractant: quum toti sint in vindicanda adversus Pelagianos, horumque reliquias discretione rejiciendorum, atque eligendorum, præparationeque gratiarum, non qualiumcumque, sed quas Deus juxta propositum voluntatis suæ impertitur electis. Id namque obtrectatores Augustinianæ doctrinæ negabant pugnaciter. Præterea horum Patrum sensus haud obscure ex recensitis libris, locisque deprehenditur. Etenim Auctor Hypognost. loquitur de voluntate salvandi *finaliter*, idest perducendi reipsa prædestinatos ad salutis consecutionem, ac terminum, ut ex sola lectione capitis ultimi manifeste colligitur. De hac eadem voluntate accipiendum esse beatum Fulgentium, quæ subsequuntur verba liquido manifestant. Nam scribit: *Ipse prædestinando præparavit gratiæ donum, qui gratiam donando implet prædestinationis effectum*. S. Prosperum loqui de voluntate absoluta, quæ suum consummat opus, & ex his carminibus eruitur, & ex Respons. ad 2. Ob. Vincent., de qua supra. Afros quoque Patres de consecutione salutis, non de ejusdem initio disputare ex eo constat, quod in laudata Epistola de Prædestinatione secundum Dei propositum agere instituant. Sed vide Desirantium lib. Aug. Vindicat. XII.

Opp. 3. Omnis Dei voluntas impletur; dicitur enim in Psal. 134. v. 6. *Omnia quæcunque voluit, fecit in cælo, & in terra*: & cap. 46. Isaiæ v. 10. *Omnis voluntas mea fiet*. Atqui voluntas antecedens non impletur: Ergo voluntas antecedens in Deo minime reperitur.

Resp. 1. dist. min. Voluntas antecedens non impletur quantum ad effectum sibi proprium, qui est omnes in via constituere salutis, ac singulis præparare & exhibere auxilia communia, quibus consequi possunt salutem, si velint; nego: non impletur quantum ad effectum voluntatis consequentis, qui est perducere ad terminum salutis, & largiri specialissima gratiarum dona, quibus salus certissime comparetur, concedo. Resp. 2. dist. majorem: Omnis Dei voluntas impletur, si absoluta sit, & consequens, concedo: Si conditionata, & antecedens, subdistinguo: non impletur in individuo, & in singulis hominibus inspectis secundum peccatorum circumstantias, ipsomet Deo ita volente ac disponente in gloriam gratiæ, & manifestationem justitiæ suæ, concedo: non impletur comparate ad creaturas rationales spectatas secundum se in universum, & abstractive a superinductis peccatorum circumstantiis, volente Deo creaturarum suarum perditionem, nego. Utraque responsio constat ex dictis, sed prior cum tradita a nobis notione voluntatis antecedentis magis cohæret.

Insistes: Si voluntas antecedens dicatur duntaxat connotative ad creaturam rationalem abstractive ab individuis aliqua circumstantia affectis; Ergo Deus voluntate antecedenti dicendus erit velle salutem etiam damnatorum hominum, ac dæmonum, neque minorem habebit curam reproborum adhuc permanentium in via, quam dæmonum ac damnatorum.

Resp. transmisso antec. nego consequentiam; quum enim effectus voluntatis antecedentis sit locare rationales creaturas in via salutis, eisque communia gratiarum dona parare, ut valeant æternam sibi promereri beatitudinem, donec liberi arbitrii facultate ad bonum, malumve uti possunt: non potest ad hanc voluntatem pertinere quisquis jam constitutus in termino, neque merendi pollet libertate, neque piorum oratione juvatur, neque ulla interiori gratia excitatur, neque aliquod experiri potest divini beneplaciti beneficium.

Opp. 4. Non est voluntas antecedens propria ac sincera, quæ conjungitur cum voluntate consequente illi opposita: Voluntati salvandi omnes opponitur voluntas consequens damnandi quamplurimos: Igitur voluntas antecedens salvandi omnes in Deo propria, ac sincera non est. Prob. ma. Si enim in potestate esset mercatoris motos fluctus componere ac tempestatem sedare, & nihilominus in mare merces projiceret; hæc voluntas consequens & efficax, qua projicit merces, evidentissime ostenderet non fuisse in eo sinceram, propriamque voluntatem merces conservandi. Cum ergo Deus possit omnes salvare; si plures damnat ac reprobat, manifesto ex hac damnandi, ac reprobandi voluntate infertur, illam, quæ versatur circa omnium salutem, in Deo propriam sinceramque non esse.

Resp. dist. majorem: Si utraque voluntas antecedens & consequens connotent eumdem finem, idemque objectum, conc. Si diversum, nego. Mercator, cum particularis persona sit, unicum sibi finem præfigit, nimirum negotiationem ac lucrum; & comparate ad finem unum non datur duplex voluntas opposita, sed unica. At Deus universalis rerum omnium provisor, ac rector non solum voluntate sua locat omnes in via salutis dum vivunt, & vult illos ad impositum ordinem pertinere, verum etiam illud definit, quod efflagitat particularis singularum rerum conditio, & impositi ordinis executio. Respicit ergo voluntate antecedenti rationalem creaturam universim, eamque visceribus misericordiæ & caritatis complectitur: consequenti vero hæc, vel illa individua, quæ meritorum malorum præscientia damnat ad ostensionem justitiæ. Quum ergo in divina voluntate duplex sit connotatio, ac duplex finis; non implicat voluntatem antecedentem & consequentem invicem esse contrarias; sive, ut loquar rectius; unam eamdemque voluntatem, si ad diversa referatur connotata, aliquam dicere oppositionem; quæ, cum sit ex parte terminorum, nullam potest in Deo evincere discrepantiam.

Opp. 5. Ideo judex voluntate antecedenti vult omnium civium incolumitatem, quoniam non intuetur futuram aliquorum flagitiosissimam conversationem, quos de patrato scelere accusatos voluntate consequente damnat ac punit; quorum pessimam vitam si antecedanter novisset, nunquam de ipsorum salute fuisset sollicitus: Igitur Deus, qui omnium rerum præsentissimam habet cognitionem, de illorum salute, quos voluntate justitiæ reprobat, condemnatque, non potest habere voluntatem sinceram antecedentem misericordiæ, ac beneplaciti, ut salvi fiant.

Quidam respondent allatum exemplum non esse ad rem, nam si de improbo, ac pestifero cive loquamur, quemadmodum & de peccatore finaliter impœnitente, comparatur voluntas ad personam in certis circumstantiis constitutam; & consequenter non remanet objectum voluntatis antecedentis, sed in his locum habet sola voluntas consequens: quæ responsio, ex tradita definitione utriusque voluntatis in sententia Thomistarum, est manifesta. Alii docent Judicem non esse generalem provisorem, sicuti Deus est, ideoque ex voluntate antecedente, qua vult homicidam vivere in quantum homo est, nulla ei præparare media, ut possit capitis pœnam vitare: Deum vero singulis hominibus, quantumvis scelestissimis, communia saltem media præbere: unde in Judice voluntas antecedens est sterilis & otiosa; in Deo autem vera, benefica, & alicujus effectus operatrix. Sed respondemus exemplo Judicis nostram confirmari sententiam. Etenim etiamsi Judex præcideret civis alicujus meditatum flagitium, quo patrato in reum pœna mortis animadverteret, non tamen civem illum prorsus desereret, sed monitis minisque a perpetrando scelere deterreret, impleretque omnia, quæ munus postularet Rectoris, ac Judicis. Ita Deus, quamquam ob multorum, quam prævidet, obdurationem futuramque impœnitentiam illos reprobet ac suppliciis addicat, eos tamen generalibus adjumentis non deserit, sed misericordissima caritate hortatur adjuvatque ne pereant.

Opp. ult. Voluntas antecedens de universorum salute effugium erat Semipelagianorum, quo Augustinianam de Electione aliquorum secundum Dei propositum doctrinam repudiabant.

Resp. Semipelagianos admisisse in Deo voluntatem antecedentem, quæ ex præscientia humani consensus, fideique sola naturali facultate elicitæ proprium consequeretur effectum, impugnasse penitus voluntatem sequentem, qua Deus certos a massa perditionis ante mundi constitutionem liberare decrevit: excogitasse quoque, ut salutis initium in nobis statuerent, prævisionem meritorum, quæ nunquam futura erant, in parvulis, qui ante usum rationis rapiuntur. Quæ omnia sequenti libro sunt refutanda. Nos e contra dicimus nunquam ab humana divinam præveniri voluntatem, hanc omnium meritorum nostrorum caussam esse ac principium; &, quo ab inimicis gratiæ Christi magis recedamus, etiam voluntatem consequentem & absolutam a divino proposito, non ab operum præscientia repetendam esse defendimus. Distat ergo toto cælo voluntas antecedens in sensu Pelagianorum ab ea, quam hactenus propugnavimus.

CAPUT II.

Nullam esse in ordine universorum Creaturam, quam Deus sui ipsius caussa non amet, & cujus non habeat sedulam curam ac vigilantissimam providentiam.

PROXIMA est quæstio de Amore Dei erga creaturas suas, & de providentia, quam tenet, rerum universarum. Pro qua dirimenda illud tamquam certum supponimus, in Deo repetiri actum amoris, quo vult rebus a se aut productis, aut producendis aliquod bonum; etsi in eo non sit desiderium, neque odium, saltem inimicitiæ, proprie tale. Desiderium enim est de bono tantum absente; quod nequit in Bono incommutabili, ac summa *entis* plenitudine excogitari. Odium quoque est velle alteri malum: quod repugnat Deo semper ad benefaciendum propenso. Nam & quando punit, cujusque malevolentiæ expers est; neque movetur animi perturbatione, sed amore justitiæ, & propriæ divinitatis, gloriæque motivo. Quare odisse dicitur impios, translata ab hominum indignatione proprietate sermonis.

PROPOSITIO I. Deus amat creaturas suas propter propriam sui ipsius bonitatem.

Duas hæc thesis partes habet. Ac prima probatur ex 1. Geneseos v. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: & Sap. 11. 25. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*. Probatur quoque ratione. Deus namque creaturis suis aliquod largitur bonum, existentiam, conservationem, & quidquid ipsarum conditioni, & rerum ordini maxime congruit. Atque, si nondum fuerunt productæ, id illis sempiterna sua voluntate conferre decrevit. Vult ergo creaturis universis aliquod bonum, ideoque vero illas amore prosequitur.

Altera

Altera pars propositionis, scilicet quod Deus omnia diligat propter semetipsum, constat patiter ex Scripturis; legitur enim Proverbiorum XVI. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*. Cui & ratio manifestissima accedit; & quod sola bonitas divina sit caritatis Dei objectum, ut inquiunt, *specificativum*: & quod ita Deo conveniat ratio primi principii, quemadmodum finis ultimi. Quamobrem ut operari non potest, nisi ex se ipso; ita nequit, nisi propter se, aliquid velle, aut diligere.

Opp. 1. Divinus amor est indistinctus a Dei essentia: Deus non est aliud, quam ens a se: Ergo non amat aliud quam se.

Resp. dist. maj. Divinus amor, & essentia idem sunt, si spectentur in se, conc. si comparate ad terminum, atque connotative, nego. Deo idem est esse ac velle, seu illud dicitur ad se, illud relative; quemadmodum de scientia, ceterisque attributis Dei alibi dictum est; unde nil mirum si scientiæ ac voluntatis divinæ assignati possit extrinsecum connotatum, tametsi illud nequaquam *Essentiæ* idea ac nomine comprehendatur.

Opp. 2. Aliquem diligere propter se est amor concupiscentiæ: Talis amor Deo videtur indignus: Igitur Deus neminem diligit propter se.

Resp. aliqui non repugnare Deo amorem concupiscentiæ; non amorem illum, quo concupiscimus quod non habemus, sed quo concupiscimus aliquod bonum ei, quem diligimus. Sed resp. dist. maj. est amor concupiscentiæ, si inde aliqua diligenti proveniat utilitas ac delectatio, conc. secus, nego.

Opp. 3. Deus in creaturis suis vult sæpenumero mala: non ergo eas diligit.

Resp. dist. ant. mala culpæ, nego. Mala naturæ, idest monstra ac portenta, subdistinguo, vult directe, nego; indirecte, ac propter justitiæ ordinem, ac regimen universi, concedo.

Quæres quid asserendum sit de possibilibus.

Resp. non convenire circa amorem rerum possibilium Scholasticos. Tenent quidam amari a Deo, atque his momentis ducuntur. Primo: Possibilia bona sunt in suo genere, nempe non actu, sed *possibiliter*: Quidquid autem bonum est, a Deo proculdubio diligitur. Præterea: Possibilia a Deo cognoscuntur, ergo & amantur; si enim res possibiles, quæ non sunt, possunt esse divinæ cognitionis objectum, poterunt quoque objectum esse divini amoris; nam qualem veritatem habent, talem etiam habent in se bonitatem. Rursus salus omnium est possibilis, ut capite dictum est præcedenti, & tamen illam vult Deus sincero animo. Mundus ergo possibilis, licet nullam habeat, vel habere debeat existentiam, diligi potest a Deo, amore saltem simplicis complacentiæ.

Quidam ex adverso creaturas possibiles a Deo nulla ratione amari putant. Quod primo hac probant argumentatione: Nullam participant creaturæ possibiles rationem boni; non enim habent existentiam, quæ prima est ceterarum perfectionum, nisi objectivam duntaxat, & a divina indistinctam omnipotentia: At illud quod nullam in se continet bonitatem, nequit esse objectum dilectionis, aut complacentiæ. Ulterius. Amor Dei effectivus est, non affectivus, & semper rebus impertitur quidquid dignum videtur amore: creaturis autem possibilibus nihil bonitatis aut perfectionis largitur Deus, & consequenter minime ab eo diliguntur. Ad hæc: duo sunt caritatis, & amoris actus, uti, & frui. Utimur rebus, quas ad consecutionem finis præstantioris ordinamus: fruimur vero iis, in quibus animus voluptate ac dilectione quiescit. Hinc Magister Sent. in principio prioris libri docet rebus creatis utendum esse, Deo autem summo bono, atque ultimo fine fruendum. At possibilibus Deus neque utitur, neque fruitur. Non utitur; quoniam non eliguntur in usum propter aliquid obtinendum; nec fruitur, quia nulla re creata Deus tamquam ultimo fine delectatur. Nullus ergo actus amoris erga possibilia existit in voluntate divina. Traditur hæc ratio a S. Patre Augustino lib. I. de Doctrina Christiana cap. XXXI. ubi postquam ostendit Deum nos diligere utendo, non fruendo, ait: *Nam si neque fruitur, neque utitur, non invenio quemadmodum diligat.*

In hac vero opinionum diversitate, duo nobis certa videntur: primum non diligere Deum creaturas possibiles amore aliquo efficaci: quod probant argumenta nuper producta. Secundum vero, quod sicuti bonitatem & essentiam possibilium constat non esse a parte rei, sed tantum in mente hominis abstrahentis; ita amor ille divinus erga possibilia, non est in re, sed in nostra solummodo cogitatione. Non enim diligi possunt, nisi quomodo sunt, quæcunque amore rectissimo diliguntur.

PROPOSITIO II. Gubernat Deus providentia sua omnia etiam abjectissima, ac minima.

Adversus Stoicos & Epicureos, qui negaverunt supremi Numinis regimen, & Genethliacos, qui omnia fato & inevitabili siderum constitutione arbitrabantur contingere, cap. 2. ac 3. primi libri propositionem firmavimus. Eamdem sequentibus momentis communimus. Principio enim divinam hanc providentiam sacræ testantur literæ. Octavo Sap. cap. vers. 1. legitur: *Attingit a fine usque ad finem, & disponit omnia suaviter*. Rursus seq. cap. XII. 13. *Non est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus*. Tum Matth. 2. 29. *Nonne duo passeres asse veneunt: & unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt*. Et cap. VI. 26. *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester cælestis pascit illa.* De malis quoque, si ea sint pœnarum, ait Isaias XLV. *Ego Dominus faciens pacem & creans malum:* nimirum ad punitionem impiorum, & commendationem justitiæ suæ. Si vero sint mala culpæ, ab eo permitti, ut notam faciat potentiam suam, *& ostendat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ*, inquit Apostolus ad Rom. IX. 23.

Hanc Dei providentiam Patres communiter demonstrant. Joannes Damasc. lib. 2. de Fide cap. 29. eamdem probat ex infinita Dei bonitate; nam & homines quoque ac bestiæ propriorum fetuum providentiam habent naturali instinctu: *& qui non providet, vituperari solet*. Utitur eadem ratione adversus Adimantum Manichæum S. P. Augustinus. Ambrosius in primo de Officiis cap. 13. idem evincit, quod nullus operator negligat operis sui curam. Theodoretus ac Salvianus de Divina Providentia elegantissima conscripserunt Opuscula. Eamdem Paulinus, aliique metro celebraverunt. Neque soli Ecclesiæ Patres, sed etiam Gentiles Philosophi de summi Numinis providentia præclarissimas protulere sententias. Eminet inter ceteros Hierocles, qui scripsit in Stoicos de Fortuna & usu Deorum, Chalcidius ad Timæum Platonis, Jamblicus segmento VIII. de Mysteriis Ægyptiorum, Alexander Aphrodisiensis in libro de Fato, Gellius Noctium Atticarum lib. VI. cap. II. Diogenianus Peripateticus contra Chrysippum, & alii. Quorum unanimis sensus est dari seriem & nexum caussarum omnium, quæ consilio & voluntate universalis motoris in suos quæque effectus diriguntur, salva semper contingentia eorum, quæ in nostra sunt potestate.

Eamdem providentiam res singulæ contestantur. Primo certi cælorum motus, ratique ordines astrorum, quibus anni tempora ac secula imperturbato nexu prætereunt; singulæ mundi regiones, mira animantium ac satorum propagatio, Regnorum, etiam divinis oraculis prænunciata vicissitudo, ut Græcorum, Chaldæorum, Medorum: hominum præsertim, inter animalia præstantissimi generis, artes, commercia, consuetudines. Quæ omnia, aliaque permulta non dubitamus quin opera sint rationis, ut in altero libro de natura Deorum disputat Marcus Cicero. Secundo apparet mirabilis hæc providentia, in his, quæ primo aspectu casu evenire creduntur, sed spectatis circumstantiis apparent mirabili dispositione contingere. Explicat id in libro ad Imperantes Aphrodisiensis exemplo Oedipi, quem Lajus exposuit, & a bubulco educatus obvius factus parenti ignarus ignarum occidit. Quod fato non evenisse constat ex præcedenti oraculo Apollinis Pythii,

Te namque perimet, si qua erit proles tibi,
Atque inde tota sanguine undabit domus.

Sed missa fabula, quis non fortuito, & sublata Numinis providentia accidisse existimasset, ut Moses in fiscella scirpea ad fluminis alveum exponeretur, Joseph ad Ægyptios duceretur captivus, David relicto pecore proficisceretur ad urbem, & asinis deperditis Saul ad Samuelis domum accederet? Et tamen hæc disponente Deo facta esse probavit eventus. Nam ex tam remotis caussarum primordiis Joseph in Principem Ægypti, Moyses in populi Ductorem, David ac Saul in Reges maximos evaserunt. Plura Salvianus in 1. de Providentia, & Nemesius cap. 42. congesserunt. Cum ergo etiam ea, quæ temere nata videntur, ad aliarum rerum occasionem incidant opportune, dubitare non possumus quin contingant superiore aliqua ratione moderante. Postremo accedit & ratio: Si enim est Deus, is profecto sapientissimus est, rerumque universarum ideis repletus, tum principium, ac finis omnium creaturarum. Atqui nisi omnibus provideret, & ad se omnia ordinaret, non esset in eo ratio incommutabilis universorum, neque summa potestas, & ultimi finis dignitas ac præstantia; vel quod non minus videtur absurdum, productis a se rebus invideret, & illas in pugnam ac distractionem sineret abripi. Est igitur in Deo ratio, dispositio, & regula universorum. Atque hæc est providentia, quam Boetius lib. IV. de Consolat. Philosoph. Prosa sexta definit: *Providentia est ipsa illa divina ratio in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit.*

RESPONDETUR AD OBJECTIONES.

Opp. 1. In hac rerum universitate plura sunt, quæ a recto ordine deflectunt, & cum sueturum caussarum fine nequaquam cohærent, ut monstra & ostenta; complura etiam, quæ universo nullam afferunt pulchritudinem, aut utilitatem, ut innumera insectilium, ac vermiculorum genera. Igitur erga hæc saltem non extat ratio divina, vel providentia.

Resp. nego ant. Quæcunque enim casualia & portentosa videntur, distant quidem ab intentione ac fine particularium caussarum, sed non a directione ac regula caussæ prioris, & licet videantur noxia & inordinata, si comparentur ad caussam proximam, sunt tamen magnopere utilia, & ordina-

dinatissima si referantur ad sempiternam rationem, & constituram a Deo rerum seriem. Quippe & illud sapientissime a Deo æterna lege sancitum est, ut caussæ secundæ natura sua mutabiles quandoque in rerum efficientia commutentur, ut in ipsa contingentium varietate unius summæ caussæ mutata ratio persistat. At vide Resp. nostram ad 3. Cap. III. lib. I. Porro etiam minima & viliora ad præordinatum providentiæ finem maxime conducunt, & licet insipientibus superflua videantur, non sunt tamen Conditori, & artifici suo, qui omnibus utitur ad gubernationem universitatis, cui summa lege dominatur. Aptissimo exemplo id planum facit S. P. Augustinus lib. I. de Genes. contra Manich. cap. XVI. *Si in alicujus opificis officinam* (inquit) *imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta, quorum caussas ignorat: & si multum est insipiens, superflua putat. Jam vero si in fornacem incautus ceciderit, aut ferramento aliquo acuto, cum id male tractat, seipsum vulneraverit, etiam perniciosa & noxia existimat ibi esse multa: Quorum tamen usum, quoniam novit artifex, insipientiam ejus irridet, & verba inepta non curans, officinam suam constanter exercet. Et tamen tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare quæ ignorant, sed cum ea viderint, credant esse necessaria. In hoc autem mundo, cujus conditor, & administrator prædicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum caussas non vident, &c.*

Insurges: hanc de rebus vilioribus providentiam non habere Deum affirmat Apostolus I. ad Corinth. IX. 9. dicens: *Numquid de bobus cura est Deo?* Consentit beatus Hieronymus in Caput I. Abacuc. Videtur quoque divina indignum Majestate summum Deum rebus abjectissimis immisceri.

Resp. Significare Apostolum, quod præceptum Deut. XXV. 4. *Non alligabis os bovi trituranti*, specialiter datum fuit caussa hominis; nempe ut mercedem & alimoniam, quam jumentis largimur, magis in homines exerceamus. Probat enim ibi Paulus licitum sibi fuisse victum accipere a Corinthiis, tamquam laborum suorum justum debitumque stipendium: quoniam etiam qui plantat vineam edit, bibitque de ipsius fructu, qui pascit gregem, de lacte ejus manducat; & Mosaicum præceptum non alligandi os bovi trituranti, propter Ecclesiæ ministros datum est, quibus, dum seminant spiritualia, licet carnalia metere, & dum in Sacrario operantur, ea quæ de Sacrario sunt comedere. Hieronymum asserere, quod non sit eadem providentia, eademque cura de hominibus, ac de ceteris rebus, non vero negare quod Deus omnia immediate dirigat, & gubernet, diximus, & apertissime ostendimus lib. IV. cap. II. Prop. 2. ad. I. Id minime dedecet altissimam Dei majestatem. Ut enim ratiocinatur D. Ambrosius: *Si injuria est regere, nonne est major injuria fecisse? cum aliquid non fecisse nulla injustitia sit, non curare quod feceris summa inclementia. Quod si aut Deum Creatorem suum abnegant, aut ferarum & bestiarum se haberi numero censent, quid de illis dicamus, qui hac se condemnant injuria?* lib. I. de Officiis cap. 13.

Dices: Atqui videtur congruum, ut Altissimus universorum Dominator ministerio creaturarum utens, quemadmodum Reges, terrenique principes, non immediate subjecta gubernet.

Resp. Falsum esse ant. quippe quod Reges per constitutos a se Vicarios remotas regant provincias, non tam dominii argumentum est, quam potestatis coarctatio. Contra Deus qui omnipotens est, & ubique præsens, singulis rebus tribuit efficaciam; & omnia propria potestate disponit. Non deest illi dominationis magnificentia, cum per subjectam creaturam innumera operatur; neque dum communicat creaturis dignitatem caussalitatis, suæ prodit indigentiam virtutis. Quanto caussis corporeis, quæ invicem separantur agendo, nobilior est anima, quæ per membra omnia diffunditur, & opera vitæ per corporis organa exercet; tanto, si aliquam fas est infinito addere comparationem, reges a præpositis suis loci intervallo ac viribus separatos antecellit Altissimus, qui ubique præsens nunquam a creaturarum suarum operatione sejungitur.

Opp. 2. Dei providentia si esset, foret a justitia inseparabilis: quod falsum est de præsenti providentia. Primo enim cur Deus innumera mala permittit, si justus est? Deinde si homines mali sunt propria voluntate; quare via impiorum prosperatur, quare florent iniqui? Cur e contra bonis accidunt sæpissime mala? Cur non perdit Deus improbos, & beneficiis non cumulat honestiores?

Resp. Justissimam esse præsentem Dei providentiam. Permittit mala, ut perfectiora & magis defæcata fiant bona: sunt enim fructus suavissimi, dum folia & cortex acrioris sunt succi: modulatio vocis magis jucunda cum certa interpositione silentii; & umbra in picturis eminentiora quæque distinguit. Vide has, aliasque elegantissimas similitudines apud August. de Genes. ad lit. Op. imperf. cap. 5. Permittit quoque Deus mala, ut eveniant bona, quemadmodum dixi lib. I. cap. VIII. Nam & peccatorum occasione manifestatus est ordo justitiæ, & opera exercentur misericordiæ. Prosperatur via peccatorum, ut boni sese avertant a cupiditate temporalium: *Nec bona cupidius appetantur, quæ mali etiam habere cernuntur*: ait S. P. lib. I. de Civit. Dei cap. VIII. Tum, ut Deus justus, si aliquid boni fecerint, eis præsentis vitæ mercedem rependat. Non est tamen felicitas impiorum, ut creditur, maxima ac diuturna: sed interiori pace destituti innumeris sese immiscent calamitatibus. Præterea *Omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur*: inquit idem Augustinus in Psalmum LIV. Bonis adversitates adveniunt, ut terrena spernant; & momentaneum hoc & leve tribulationis ipsorum æternum gloriæ pondus operetur. Non possumus denique injustam dicere providentiam, quæ in altero sæculo sempiterna supplicia, & beatissimam requiem paravit: nec semper in hac vita coronat merita, ut cum justum noverimus, spe melioris substantiæ nutriantur studia virtutum.

Dices: Saltem perditissimorum hominum, quos sinit in profundum prolabi peccatorum, nullam habet Deus providentiam.

Resp. Impios, quamquam de illis non habet Deus eamdem curam, quam tenet de Electis, a divina tamen providentia non deseri, a qua destituti necesse foret, ut prorsus perirent, atque reducerentur in nihilum. Relucet vero in his providentiæ Dei rectitudo, quod ex moribus improborum apperet infirmitas ac libertas arbitrii, virtus misericordiæ & gratiæ in his qui præservantur, summa Dei potestas ac beneplacitum in discernendis Electis, & in domo magni patris familias ad omnem usum vasa tam aurea, quam fictilia videntur disposita. Ut insuper piorum exempla nos ad imitationem hortantur; ita impiorum flagitia reddere debent timidiores, nobisque pavorem simul, ac sanctam incutere sollicitudinem. Si vero quæras qui fieri possit, ut peccata divinæ subjiciantur providentiæ; respondendum est, quod non eo sensu providet Deus peccatis, ut ea curet ac prædefiniat; non enim caussam habere possunt, nisi deficientem, cum sint privationes debitæ rectitudinis. Sunt nihilominus subjectum providentiæ quantum ad ordinem, cum permittantur altissimo Dei consilio, ut inde majora bona proveniant. *Quædam ergo & facit Deus & ordinat: quædam vero tantum ordinat*; inquit S. P. Augustinus cit. lib. de Genes. cap. V.

Opp. ultimo. Videtur hæc providentia, quæ singulas res suis nectit ordinibus, idem ac Fatum Stoicorum, quod ex Chrysippo Gellius ita describit lib. VI. cap. 2. *Fatum est sempiterna quædam, & indeclinabilis series rerum, & catena volvens semetipsa sese, & implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta, connexaque est.*

Resp. Quæstionem de Fato, quam Cicero vocat obscurissimam & implicatissimam, non debere mentem pulsare Fidelium. Non enim datur Fatum, quod sit anticipata necessitas provenientis ex certa siderum dispositione: de quo nonnihil me scripsisse memini superiori libro cap. III. & VII. Tale Fatum invexit primus omnium Democritus, qui etiam humanarum actionum caussam statuit naturam æternam materiæ, & antecedentium caussarum colligationem, ut scribit lib. I. de Placitis Philosophorum cap. XXV. Plutarchus: unde ex hoc Gentium fonte hauserunt errorem Hermogenes, ac Marcion; de quo lib. V. Tertull. ait: *Collocans enim Deo Creatore materiam de porticu Stoicorum.* Ab hac materia esse mala ac peccata asserebant; quæ tamen digna prædicabant execratione, quemadmodum virtutes, tametsi stellarum inclinatione & impulsu patratas, laudibus atque amore. Quod apta comparatione sic exponit Manilius:

Nam neque mortiferas quisquam minus oderit herbas,
Quod non arbitrio veniant, sed semine recta.
Gratia nec levior tribuetur dulcibus escis,
Quod natura dedit fruges, non ulla voluntas.

Cum ergo noverint hanc malitiosam materiæ vim Dei bonitati repugnare; facile fuit etiam cum Fato æternum principium malorum inducere, & Manichæorum hæresim ex Persarum, Magorumque cineribus suscitare. Hinc Priscillianus *ex Manichæorum & Gnosticorum dogmate* hæresim nominis sui condidit, inquit ad annum Christi 381. Eusebius: ad subsequentem annum 386. illam refert Sigebertus, propagationis magis, quam ortus rationem habens. Grassabatur in partibus Hispaniarum, ubi primum emerserat, ætate quoque Augustini & Orosii: quin ibidem exarsisse etiam vivente Leone Magno, constat ex ejus ad Turibium Epistola.

Fatum sic acceptum nemo est qui non damnet. Nam primo, ut satis liquet ex hujus origine, & scribit S. Leo elegantissime Epistola, quam nuper laudavi, quisquis fatum adstruit, *tenebris se etiam paganitatis immergit*: nimirum conatur asserere necessariam ac sempiternam malitiæ vim, naturæ summi Dei optimæ ac perfectissimæ repugnantem. Cultum quoque siderum per hanc amentiam necesse est instaurari. Deinde neque de bonis, neque de malis actibus ullum poterit esse judicium, si in utramque partem fatalis necessitas motum mentis impellit, & quidquid ab hominibus agitur, non est hominum, sed astrorum; ut arguunt citato loco S. Leo, hom. X. Gregorius Magnus, & in lib. ad Orosium S. P. Augustinus. De Fato sic accepto rectissime eo loco Gregorius: *Absit a fidelium cordibus, ut fatum esse aliquid dicant.*

At si

At ſi accipiatur Fatum, ut illud dafinit Boetius, pro *inhærente rebus mobilibus diſpoſitione, per quam providentia ſuis quæque nectit ordinibus*; dari fatum probatur iiſdem argumantis, quibus divinam aſſeruimus Providentiam. Quapropter S. Pater in v. de Civit. Dei cap. x. ſcribit: *Si propterea quiſquam fato tribuit, quia ipſam voluntatem, vel poteſtatem fati nomine appellat, ſententiam teneat, & linguam corrigat.* Et jutemerito monet a Fati nomine eſſe abitinendum; quod ſermonis conſuetudine videatur ſignificare certam poſitionem ſiderum, ex qua caſus eveniant inevitabiles. Ceterum providentia Dei rerum non tolli contingentiam conſtat: ax quo in certa cauſſarum omnium diſpoſitione, etiam cauſſæ contingantes ac liberæ continеantur; & prima cauſſa nedum ſingulos effectus diſponat, ſed etiam rationem ae modum. Quare ex Dei providentia nulla conſequi poteſt abſoluta neceſſitas; ur dictum eſt præcedentis libri cap. 3. ae poſtremo. Atqua hine eſt, injuſtas aſſa expoſtulationes & querelas mortalium, qui Deo tribuunt moleſtias, & ægritudines, quibus plerumque in pœnam ſcelerum ſuorum afficiuntur. Quod non ſolum exprobrat Auguſtinus Enarrat. in Pſalm. 72. & libro 22. adverſus Fauſtum, verum etiam ſapientiſſimus, & antiquiſſimus Poetarum Homerus in hiſce verſibus latina redditis, & a Hierocle, & Gellio adverſus nocentes recitatis, ne eum maleficio revicti ſunt, ad Fati aſylum confugiant:

Dys fatere invidiam mortalis turba laborans
Clamitat a nobis naſci mala; cum tamen ipſi
Per ſcelus accerſam ſupra ſibi Fata dolores.

CAPUT III.

Divinæ voluntati perfectionem libertatis nequaquam deeſſe.

RESTAT tertia voluntatis conditio, quam diximus eſſe plenitudinem libertatis. Hanc reperiri in Deo facile quiſque conjiciet; ſed ejus rationem exponere Theologi putant maxime arduum atqua operoſum. Nam Cajetanus Dei libertatem conſtituit in perfectione aliqua ſubſtantiæ divinæ ſuperaddita, ac pro lubitu variabili: quæ opinio videtur cum ſimplicitati, tum immutabilitati Divinæ naturæ repugnare. Quamquam ſi variationem illam dixeris duntaxat reſpectu terminorum, ut tenent primores Thomiſtæ, & credibilius eſt voluiſſe Cajetanum, multos habet opinio illa, graviſſimoſqua Aſſertores. Sed ſunt, qui tenent Dei libertatem non addere ad ſubſtantiam divinam neceſſariam ac immutabilem, niſi reſpectum rationis, ita ut per nullam Deo intrinſecam perfectionem conſtituatur: quod poſt Aureolum antiquiorem Scholaſticum voluit quoque Legionenſis, & Vaſqueſius cum nonnullis aliis docuerunt. Alii a contra Dei liberratem ſtara putant in intrinſeca quadam *entitate*, variabili in ſe *virtualiter*, quatenus divinæ voluntatis actus perinde ſe habeat ac ſi poſſit non exiſtere, ut ſatis ambigua explicant Herrera, aliique complures. Nos vero cohærenter ad ea, quæ diximus ſecundo horum Opuſculorum libro, ſcilicet, nihil eſſe in Deo aut mutabila, aut adventitium, aut quoquo modo a perſiſtente natura divarſum, niſi ratione connotatorum, dicimus conſiſtere Dei libertatam ajuſque actum in ipſamet Dei ſubſtantia intelligente ac volente, quatenus terminatur ad axteriora objecta: quod non ſolum docuit noſter Gregorius, verum atiam Scotus, & ex recentioribus Theologis, Tournely, Habert, Fraſſen, Du-Hamelius, Juenin, aliique viri clariſſimi.

Pro hac autem reſolvenda quæſtiona, ſupponimus agi nunc de libertate, quæ eſt poteſtas agendi, vel non agendi; nam ſi liberum accipias pro eo, quod neceſſarium eſt, & liberum tantum a *coactione*, ſeu libertate lubentiæ; certum eſt Deum eſſa liberum etiam comparate ad propriam bonitatem; quam licet neceſſario, lubentiſſime tamen, maximaque diligit voluptata. At eſt hæc libertas ſola naturæ liberæ, & ſui juris haud completa proprietas: & quotquot da libertate ſcripſerunt, ad hanc pertinere tradunt, ut ſit pleniſſima poteſtas indifferens ad utrumlibet. Libertatem quoque *contrarietatis*, quæ aſt ad bonum & malum, Deo non convenire, liquet ex his, quæ diſputavimus lib. II. cap. VI. de potentia peccandi: quam eſſe a Deo removendam demonſtrat idea ſummi ae perfectiſſimi *Entis*, quod nullatenus poteſt ſiva a bonitate, ſiva a recta agandi ratione deflectare. Quamquam ſi referas hanc liberratem *contrarietatis* non ad bonum & malum patrandum a Deo, ſed ad pœnam, vel præmium rependendum hominibus; aſſantior ego Scotiſtis, qui in ipſo Deo ſtatuunt etiam libertatem *contrarietatis*, quandoquidem unum aligit, alterum reprobat, eamdemque perſonam deſerit peccantam, quam amplectitur pœnitentem. At in his, quemadmodum diverſa intervenit connotatio, ac tarminorum affectio, ita nulla oſtenditur *contrarietas* reſpectu Dai: de quo illud in præſentiarum inquirimus, num in rebus a ſe productis ſeſa gerat libere, ita ut unum ſic eligat, ut alterum valeat eligere, atque quidquid facit, eo pacto faciat, ut potuerit non facere: quam communiſſime vocant Scholæ libertatem *contradictionis*.

PROPOSITIO I. Eſt in Deo oppoſita neceſſitati libertas.

Oraculis Scripturarum contra Vorſtium, Wiclefum, alioſque hujus farinæ Refractarios hæc roboratur aſſartio. Pſalmo enim 134. habetur: *Omnia quæcumque voluit, fecit*. I. ad Corinth. 12. 11. *Hæc omnia operatur idem ac unus ſpiritus, dividens ſingulis prout vult*. Matth. XX. *An non licet mihi quod volo, facere? &c.* Ad Rom. IX. 18. *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat, &c.* Idem probatur ex PP. dicente Auguſtino XXII. de Civit. Dei cap. 3. *Non ideo quia Deus peccare non poteſt, liberum arbitrium habere negandum eſt*. Damaſcenus lib. 14. da Fida cap. 22. ita adverſus Arianos ſcribit. *In tantum proceſſiſtis impietatis, ut negetis quod Filius Dei liberæ voluntatis ſit. Ac certe ſoletis etiam Spiritui Sancto derogare, & negare non poteſtis ſcriptum eſſe: Spiritus ubi vult ſpirat. Ergo ſi Spiritus ubi vult ſpirat, Filius quod vult non agit? Omnia operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult. Prout vult, hoc eſt pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro neceſſitatis obſequio*. Ac S. Bernard. de Grat. & lib. arbitrio: *Libertas a neceſſitate*, ait, *æque & indifferenter Deo, univerſæque tam malæ, quam bonæ rationali convenit creaturæ*. Vide & Baſilium Hom. I. in Hexam. Ambroſ. eodem loco lib. I. cap. 5. Hieronymus in Epiſt. ad Philemonem cap. 1. 14. &c.

Probatur quoque ratione. Ac primo libertatem exigit ratio ſupremi dominii. Deinde magnificentia ac liberalitas, quæ, auctore Seneca libro de beata vita cap. 24. ita nominatur, quia *a libero animo* proficiſcitur. Præterea divinitatis perfectio, quæ non exigua eſt poſſe de rebus univerſis pro ſuo arbitratu diſponere. Ulterius ſumma ejus ratio ac ſapientia, quæ poſtulat, ut omnia fiant a ſuprema cauſſa cum electione & conſilio. His apud Scriptores vulgatiſſimis addo argumentum aliud apertiſſimum atqua invictiſſimum. Poſſunt ſingulæ creaturæ a divina ſeparari operatione; neque ulla cum Dei poteſtate junguntur lege neceſſitatis: Eſt ergo Deus in ordine ad creaturas eſſentialiter indifferens ac liberrimus. Antecedens probatur; ſi enim res creatæ a vi effectrice primæ cauſſæ ſeparari non poſſent, conſequaretur omnes creaturas æternas eſſe, quemadmodum æterna eſt Dai virtus ac ſubſtantia: eſſe inſuper Deum imperfectum, niſi operaretur ad axtra; neque aliquid eſſe creatum, ſed omnia ſempiterna, & cum divinitate eſſentiali unitata connexa.

PROPOSITIO II. Conſtituitur Dei libertas per actum ſempiternum ac neceſſarium divinæ voluntatis a ſubſtantia indiſtinctæ, prout connotat objectum creatum, & effectum contingentem & defectibilem.

Hæc propoſitio duas habet partes. Ac prima ſic probatur. Dei libertas perfectio intrinſeca eſt, ejuſque actus eſt immanens & vitalis: In Deo autem nihil intrinſecum ac imminens reperitur præter neceſſariam ac ſempiternam ſubſtantiam intelligentem & volentem; alias foret Deus compoſitus atqua imperfectus. Eſt argo libertas divina idem ac neceſſaria & perſiſtens ſubſtantia Dei intalligens ac volens. Altera pars ſic oſtenditur: Requiritur ad libertatam aliqua indifferentia; liberum enim opponitur neceſſario: Sed actus divinæ voluntatis non eſt indifferans prout comparatur ad bonitatem divinam, quæ perfecta cognita non poteſt cadere ſub indifferentia judicii; cum nullum ſit bonum, quod cum ſummo Deo valeat æquiparari: Ergo hæc indifferentia attendi debet penes connotata, id eſt, exteriora objecta, quæ contingenter, & ax libera Dei voluntara efficiuntur in tempora. Ex quibus ſequitur, libertatem Dei eſſe ex genere illorum, quæ connotative, non abſolute dicuntur; ſcilicet, unum ſignificant, & aliud, ut inquiunt dialectici, conſignificant. Primum eſt ipſamet Dei natura, quæ eſt & ſuum eſſe, & ſua operatio; alterum vero quidquid in aliqua temporis efficitur differentia: quod pro ſolutiona argumentorum eſt apprime obſervandum. Lege quæ diximus de Dai immutabilitare lib. II. cap. IV. Prop. III.

RESPONDETUR OPPOSITIONIBUS.

Opp. 1. Libertas importat alectionem; eſt enim daliberatio, ſive dijudicatio animi, qua ſe aliquid facere, vel dimittere quiſquam proponit: In Deo non reperitur Electio: Ergo in Deo non exiſtit libertas. Ad hæc: Poſtulat libertas indifferentiam ſaltam activam; hæc autem repugnat Deo; quandoquidem, ubi datur indifferentia activa, datur poteſtas, quæ aſſe poteſt ſine actu: Atqui in Deo nulla extar potentia, quæ poſſit eſſe ſine actu: Ergo neque aliqua indifferentia. Rurſus: Non conſiſtit cum immutabilitata libertas: Deus eſt immutabilis: Igitur non eſt liber.

Raſp. ad primum, nego minorem; licet enim in Deo non ſit electio cum permixta conſultatione, quæ mutationem importat intelligentiæ, animique ancipitem ſuſpenſionem; eſt tamen electio, quæ aſt unius optio præ alio, abſqua ulla animi hæſitatione. Nam illa voluntatis anta electionem indeliberatio ae ſuſpenſio, cum ex ignorantia provenrat, arbitrii defectus magis dicenda eſt, quam perfectio. Ad ſecundum dico eſſe quidem in Deo indifferentiam activam; ſed cum hæc dicatur connotative, indifferens Deus eſt non comparate ad propriæ entitatem ſubſtantiæ, ſed ad mutabilitatem effectuum: quamquam poteſtas

stas etiam sine actu non semper dicat imperfectionem; non enim homine, qui actu loquitur, est semper imperfectior ille, qui, cum loquendi habeat potestatem, silentium servat. Verum in Deo nulla est potentia ab actu distincta, nisi prout actus accipitur terminative; exigente summa Dei perfectione, ut idem sit ejus potestas & operetio. Ad tertium nego majorem; quippe salvatur Dei immutabilitas cum indifferentia actus liberi, dummodo iste contingens sit, quatenus connotat terminum, non pro eo, quod dicit in recto. Etenim creatio mundi est actus liber; & tamen ex quo Deus in tempore mundum condiderit, non est intrinsece mutatus. Libera fuit quoque Verbo divino humanæ naturæ assumptio; at non proinde aliquid Personæ Verbi putandum est accessisse; nimitum cum Deus sit actus purissimus, libere agit absque sui mutatione; alias foret in Deo potentia indeterminata ac suspensa, & ejus libertas creaturarum subjiceretur defectibus, quos de summo Deo differentes caute debemus ab omni ejus proprietate secernere.

Opp. 2. Cum Nicolao L'Herminier. Actus Dei liber constituendus est in actione voluntatis, quæ potuerit non esse; & discrimen aliquod assignari debet inter libertatem & actum. At discrimen nullum est, nisi quod libertas est quædam facultas pertinens ad Dei substantiam, actus vero operatio ejusdem facultatis, qui possit non esse. Deinde quæritur quid sit Dei libertas *formaliter* & in abstracto: atque huic quæstioni non bene satisfit, dicendo, libertas Dei est ipsa divina substantia terminative accepta: sicuti quærenti quid sit æternitas, haud recte respondetur dicendo esse divinam substantiam principio ac fine carentem. Rursus etiam Dei scientia est *Entitas* divina connotans creaturas: Non ergo per hujusmodi connotationem propria ratio libertatis poterit explicari.

Resp. ad primum, utique actum Dei liberum esse actionem, quæ potest non esse: at quoniam quidquid in Deo est, si spectetur secundum id, quod importat in recto, est necessarium atque immutabile; opus est, ut hujus liberæ actionis indifferentia versetur tota penes extrinsecum connotatum. Discrimen vero inter facultatem & actum in Deo pariter nullum est; nisi hoc unum, quod facultas connotat terminum ut potest poni, actus illum respicit ut positum, vel ponendum in aliqua temporis differentia: atque hoc pacto libera potestas creandi connotat creaturam possibilem, decretum liberum creaturam futuram, creatio & conservatio actualis creaturam actu existentem. Ita Deus nulla retione mutatus dicitur & potens, & volens; quemadmodum idem nummus appellatur pretium, & artha. Ad secundum nego hanc non esse optimam Æternitatis definitionem: *Æternitas est ipsa Dei substantia, prout caret fine ac principio*. Nam ait Augustinus in Psalmum primum & centesimum: *Non enim aliud anni Dei, & aliud ipse Deus; sed anni Dei æternitas est. Æternitas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile*. Habet similia beatus Anselmus in Monologio cap. 25. ubi de divina substantia ait: *Æternitas ejus nihil aliud est, quam ipse*. Falsum est ergo quod censet L'Herminier, Æternitatem Dei, aliaque divina attributa definienda esse tanquam *formas* divinitati inhærentes: cum potius similes definitiones repugnent Deo, qui substantialiter est sua æternitas, sua voluntas, sua libertas. Ad tertium respondeo scientiam pariter ac libertatem sumptas in recto esse unam Dei, eamdemque substantiam: distingui autem vicissim diversa connotatione; nam scientia terminatur ad creaturas, ut veritatem habent intelligibilem; libertas vero easdem respicit, quatenus existentiam habent contingentem, & prout sunt media libere ad ultimum finem ordinata.

Opp. 3. Actus liber Dei vitalis est · Ergo est illi prorsus intrinsecus.

Resp. dist. ant. Est actus vitalis connotans extrinsecum objectum, concedo. In eo tantum, non in perfectione intrinseca, quæ est ipsamet Dei substantia, consistens; nego. Multa sunt Dei intrinseca, quæ tamen ad objectum creatum comparantur, ut præscientia, virtus creatrix, prædestinatio, & cetera istiusmodi. Atque etiam *ab intra* personæ Patris intrinseca est generetio ac paternitas, quæ tamen absque ordine ad Filium a persona Patris distinctum nequeunt comprehendi.

Insurges: Hujusmodi connotatio vel intrinseca est, vel extrinseca: Si istud dixeris, constituetur Dei libertas per aliquid externum, atque adventitium; Si primum, erit Deo intrinsecus ac necessarius respectus ad res creatas. Rursus si tali connoretione divina constat libertas, erit imperfectior libertate creata, quæ sine istiusmodi terminatione consistit. Insuper nulla divina perfectio etiam inadæquate constitui potest per aliquid extrinsecum, & creatum: Istiusmodi connotatio extrinseca est, & creata: Igitur nequit etiam inadæquate divinam constituere libertatem.

Resp. ad 1. Talem connotationem spectatam ex parte actus, atque secundum id, quod supponit in recto, intrinsecam esse, necessariam quoque, & sempiternam; contingentem autem esse, extrinsecam, ac variabilem ratione termini & objecti. Quod explicari potest exemplo relationis Dei Creatoris ad res creatas, aliisque supra productis. Est enim Deus in se revere Creator, & quæcunque ipsius operatio æterna est, neque a divinitate sejungitur; & tamen liberrima est ipsius omnipotentia; advenitque ei nova Creatoris denominatio per solam rerum creatarum connotationem. Hoc ferme pacto nulla facta in *fundamento*, ut inquiunt, mutatione, nova illi ex accessione termini venit, aut similitudinis, aut æqualitatis, aut coexistentiæ relatio. Illud vero quod de libertate creata dictum est, nostram confirmat assertionem. Enimvero in libertate creata & inderetminatio, & volubilitas, & diversorum actuum variatio succedit, neque opus est, ut exterius contingentiam suam mutuetur. At Dei libertas, cum non sit suspensa ac mutabilis, neque in se actus habere possit diversos, a terminis duntaxat suam accipit indifferentiam. Quapropter qui actum Dei liberum in ordine ad connotata nobiscum exponunt, nihil divinæ derogant perfectioni; sed loqui videntur de divina simplicitate, atque immutabilitate decentius. Sed & illud negari potest, voluntatem nostram nullatenus per extrinsecum objectum constitui. Constituitur enim, non quidem accepta secundum *formam*, pro qua supponit, sed comparate ad terminum, quem consignificat. Hoc pacto constitui quoque divinam perfectionem, si ea sit de genere earum, quæ connotative dicuntur, non est indecens, sed perquammaxime congruum. Nam hac retione, ut diximus, omnia fere attributa explicantur; quæ, tametsi connotent creaturas, non appellantur tamen Deo extrinseca, sed ab ejus natura ac substantia sunt penitus indistincta.

Opp. 4. Si idem esset actus Dei liber, ejusque substantia, quemadmodum illa, ita ille æternus foret, & necessarius. Præterea eadem Dei perfectio esset simul immutabilis & contingens; immutabilis, quoniam talis est Dei naturæ; contingens vero, quoniam talis debet esse actus liber. At hæc valde repugnant sanæ, rectæque rationi. Male ergo a nobis Dei libertas, ejusque exercitium exponitur.

Resp. utique actum Dei liberum æternum ac necessarium esse, si spectetur in eo, quod importat *in recto*, ut nuper diximus de hujus actus connotatione. At cum tali necessitate stat contingentia retione termini & objecti. Neque pugnat eumdem actum immutabilem, & contingentem esse respectu diversorum, quomodo eadem creatio æterna est, si comparetur ad Deum, temporanea, si referatur ad creaturas: eadem voluntas absoluta respectu prædestinationis Sanctorum, conditionata relative ad meritorum retributionem: eadem denique scientia practica comparative ad objectum operabile, speculatrix in ordine ad ea, quæ ab artifice universorum non fiunt.

Quod si insistas: Actus Dei liber fuit ab æterno, neque tamen ab æterno extitit aliqua creatura; occurrit semper eadem responsio, scilicet, Actum Dei liberum fuisse ab æterno secundum substantiam suam, non quoad terminum. Et si rursus objicias, quod si ab æterno nulla erat res creata, neque etiam potuit esse connotatio, quam requirimus ad libertatem; respondemus ab æterno talem connotationem fuisse ad terminum futurum, quæ productis jam creaturis transit ad terminum existentem, quomodo ipsa creatio ac virtus omnipotentiæ spectabat ab æternitate mundum producibilem, quem nunc connotat jam productum; & scientia, quæ erat futurorum, facta est scientia præsentium, nulla accedente ex parte Dei mutatione.

Opp. ultimo: Quælibet creatura dependet a libera Dei voluntate, & est effectus liberæ determinationis ipsius; ergo respectus ad creaturas non constituit, sed supponit actum liberum voluntatis divinæ.

Resp. dist. ant. Creatura est effectus voluntatis Dei liberæ, inadæquate acceptæ & pro actu in Deo permanente, pro quo supponit, concedo: adæquate, & acceptæ etiam pro termino quem connotat, nego. Non sequitur, creature dependet a libera Dei voluntate, & est effectus determinationis ipsius: igitur non constituit ulla ratione actum Dei liberum. Constitutiva enim per modum termini & connotati possunt a re, quam constituunt, vere ac proprie produci; & sat est, si hæc præsupponatur absolute & in seipsa considerata vel tempore, vel natura, vel origine sola præcedens. Nam Pater constituitur in esse Patris per relationem ad Filium, & tamen Filius a Patre procedit & generatur. Secus dicendum est de constitutivis per modum *formæ* inhærentis. Verum istud in Deo constitutivum nullum est præter incommutabilem ejus substantiam.

Ex quibus plura fas est ad rem Theologicam conjicere. Primum quidem nullam esse in Deo intrinsecam indeterminationem; quæ cum sit irresoluti animi fluctuatio, & quædam suspensio nescientis quid sit eligendum, neque ad essentiam libertatis requiritur, neque potest cum perfectissima Dei scientia componi. Infertur secundo nullam esse caussam Voluntatis divinæ, nisi prout caussa accipitur lata quadam significatione pro suo termino, atque objecto; sicut nulla datur caussa, nullumque principium divinitatis. Sequitur tertio non dari in Deo libertatem *contradictionis* in sensu, quo illam explicant complures Scholastici, id est, voluntatem intrinsece suspensam ab omni actu *volitionis*, aut *nolitionis*, quorum neuter potest de novo incommutabili Deo contingere; dari tamen *contradictionis* libertatem, ut est potestas indifferens ad agendum, vel non agendum, indifferentia spectata ex parte connotatorum, quæ cum ex dictis satis comprobari posse videantur, persequar deinceps Librum de Electione Sanctorum, quæ divinæ Libertatis ac Providentiæ actus est singularis, atque præstantissimus.

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER SEXTUS,

In quo de Electione Justorum secundum propositum voluntatis Dei, Augustino ductore, certatur.



SPOPONDI quarto libro cap. xi. huic, Præfationis loco, præmittere Augustinianæ commendationem doctrinæ, quam tentarunt inofficiosi quidam Scriptores labefactare. Sed cum obtrectatoribus obsecuti sint, debitumque supernumeraverint Carolus Moreau, Fulgentius Lafosse, Cardinalis Norisius, aliique viri doctissimi, ne videamus ferre ad sylvam ramusculos & ramenta, pauca ex iis, quæ ad Gratiæ ac prædestinationis caussam attinent, colligenda breviter nobis erunt.

Itaque S. Augustini doctrinam Summi Catholicæ Ecclesiæ Pastores mirifice coluerunt. Innocentius asseruit, illam *integra ratione consistere*, se vero iis, quæ adversus Pelagium S. Pater elucubraverat, *pari assensione* adhærere. Bonifacius, ut scribit contra Collatorem cap. 21. S. Prosper, cum esset doctissimus, *adversus tamen libros Pelagianorum Augustini responsa poscebat*. Cælestinus comprimens Semipelagianorum audaciam Epist. ad Galliarum Episcopos testatur, quod Augustinum sanctæ recordationis virum *nunquam sinistræ suspicionis rumor aspersit*. Hormisdas vero in Epistola ad Possessorem ait: *De arbitrio tamen libero, & Gratia Dei quid Romana, hoc est Catholica sequatur & asseverat Ecclesia, in variis libris beati Augustini, & maxime ad Prosperum & Hilarium*, posse cognosci, & contineri de his *in scriniis Ecclesiasticis expressa Capitula*. Prætermitto Felicem IV., Gelasium, Zosimum, de quibus lege Norisianas Vindicias cap. vi. Subscribunt Pontifices singuli Joanni XXII. Constitut. 2. data anno 1326. hæc asserenti: *Celeberrimus Pontifex Augustinus profligatis hæresibus, earumque radicibus extirpatis, Catholicæ Fidei veritatem in lucem produxit, eduxit in publicum, firmis ac invictis rationibus solidavit*. Optima hæc Augustini existimatio apud ceteros Ecclesiæ Pastores semper obtinuit. *Ducem Ecclesiæ* appellavit Clem. VIII., *Ecclesiæ auctoritatem* Paschalis II. *Ecclesiæ quietem* Leo X. *Ecclesiæ irrefragabile jubar* Innoc. XI. *Ecclesiæ fulgidissimum lumen* Clemens XI. Quæ in laudem Augustini vulgata sunt erroneis, pravisque dogmatibus emergentibus, eoque tempore, quo proscriptis hæresibus Lutheri, Calvini, Quesnelli, Jansenii, plures Scientiæ mediæ assertores arrepta occasione coctam crambem recoxerunt, Augustinianum dogma, novum, libertati fatale, & excessu prolarum vafertime traducentes. Quorum clamoribus aliquos timidiores defecerat animus, præsertim ubi Augustinianis sententiis fraudulenter intextas damnari viderunt Novatorum hominum propositiones: qui & Scripturis divinis, & maximorum virorum textibus munire satagunt falsitatem; quemadmodum versipelles auctores mendacii Sacramentis, ut sibi captivent humanam fidem, sæpenumero mentiuntur. At recreavit nos humanissimis Epistolis datis ad FF. Prædicatores Papa Beatissimus Benedictus XIII. quibus ita Augustini ac Thomæ discipulos alloquitur: *Magna anima contemnite, dilecti Filii, calumnias intentatas sententiis vestris de gratia præsertim per se & ab intrinseco efficaci, ac de gratuita prædeterminatione ad gloriam sine ulla prævisione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuistis, & quas ab ipsis SS. Doctoribus, Augustino & Thoma, se hausisse, & verbo Dei, summorumque Pontificum, & Conciliorum decretis, & Patrum dictis consonas esse schola vestra commendabili studio gloriatur*. Ex quibus quanti fecerint Romani Antistites Augustiniana circa prædestinationem dogmata satis arbitror comprobatum.

Neque minorem Augustino Sacrosancta Concilia detulerunt honorem. Synodus enim Arausicana celebrata v. Kal. Julias anno Christi 529. xxv. S. P. Augustini propositiones de Gratia versas in Canones consecravit, approbante Felice IV. Pontifice Maximo. Concilium v. Œcumenicum, *Sequimur*, inquit, *per omnia Sanctum Augustinum: & suscipimus omnia, quæ de recta fide, & condemnatione hæreticorum exposuit*. Eumdem Augustinum vocat Toletana x. Synodus *partem contra hæreticos munitiorem*: ceteris illum præfert sess. vii. Florentina hoc celeberrimo elogio: *Nunc Sanctorum Doctorum auctoritates in medium proferamus: ac in primis Augustini illustrissimi Latinorum Doctoris, quem Quinta Synodus consecravit*. Canones de justificatione, de gratia, & de peccato originali editos a Tridentina iisdem ferme Augustini verbis majori ex parte constructos demonstrat in Opere de Mente hujus Concilii circa Gratiam Antonius Reginaldus. Veracissimam ac fidelissimam appellat Augustini doctrinam in lib. de Tribus Epist. cap. 35. Lugdunensis Ecclesia: eamdem compendio exscripserunt in Epistola Synodica Africani Patres in Sardiniæ insulam relegati.

Quid sentiant de Augustini libris Ecclesiæ Patres, neminem arbitror ignorare. Fulgentius lib. i. ad Monimum cap. xxx. scribit ex libris Augustini, & Responsionibus Prosperi posse cunctos cognoscere, *quid debeant de prædestinatione Sanctorum, impiorumque sentire*. Rhemigius in lib. de tenenda veritate S. Script. affirmat Augustinianis de Gratia & libero arbitrio plenissimis clarissimisque definitionibus *quod Fidei Catholicæ necessarium est, contineri &, si quid inde subtrahatur, violari veritatis integritatem*. Hieronymus Epist. 25. inter Augustinianas, sic S. Patrem alloquitur: *Catholici te Conditorem antiquæ rursum fidei venerantur, atque suspiciunt*. Quæ de Gratia Christi, pro qua tanto animi ardore pugnavit, a Hieronymo dici, neminem latet. Paulini, Prosperi, Alipii, Thomæ Archiepiscopi Valentini, aliorumque Augustino sive amicitia, sive ratione instituti conjunctorum laudes præclarissimas non opus est recensere. Gravissimam Arnobii Junioris sententiam prætermitto, ut eam, aliorumque Patrum auream pro Augustino catenam legas majori cum voluptate in Vindiciis Norisii.

Quali vero reverentia Augustinum suspiciant Theologi, infinitus erit, si velim commemorare. Aliquos tantum numerabo ex venerabilissimo Ordine, quem professi sunt Adamus, Martinonus, Annatus, Bonartus, & quidam alii in carpendo Augustino liberiores, ex amplissima nempe Societate Jesu, qua neque majori æquitate ornatum judicem possum eligere, neque sapientia ac doctrina magis conspicuum. Dixi cap. xi. quarti libri Patrem Meyer, qui sub nomine Eleuterii vulgavit Historiam de Auxiliis adversus eam, quam scripsit Hyacinthus Serry, ingenue fateri lib. v. cap. i. Clementem VIII. in Prolusione disputationum præcepisse, ut ad normam doctrinæ Augustini, tamquam ad heraclium lapidem exorta circa Prædestinationem & Gratiam dissidia componerentur. Quare videant, qui sinistre judicant de Augustino, an maximis controversiis dirimendis regula soleat aptari non recta. Bellarminus de narratis supra decretis Synodi Arausicanæ lib. 2. de Grat. & lib. arb. c. ii. scribit: *Porro in illis Capitulis* (ex libris S. Augustini verbatim excerptis) *continentur omnia fundamenta sententiæ de Prædestinatione gratuita, ut non possit ullus prædestinationem negare, nisi velit illis Capitulis contraire*. Suaresius, quo neminem temperatum magis ac modestum memini me legisse, Prolog. vi. de Grat. cap. vi. in quæstionibus de Prædestinatione ait: *auctoritatem Augustini maximam esse, & semper ceteris præferendam*. Et Vasquesius ipse ingenio ad criticem proniori: *Quamvis* (inquit t. 2. disp. 190. cap. 6.) *nullus esset ex PP. commemoratis, quem pro hac sententia de gratiæ necessitate ad singula opera bona moralia Scholastici Doctores allegare possent, in uno solo Augustino, ejusque schola sua opinionis præsidium libenter collocarent, eumque sibi sufficere merito arbitrarentur, quod unicus sit, qui dum agitur de gratiæ necessitate, sicut sol inter reliquos præfulget*. Claudius quoque Aquaviva Præpositus Generalis ann. 1584. consilio & opera clarissimorum Societatis virorum selegit sententias, quas tenerent ubique inclyti Sodalitii Præceptores: atque in opinionum delectu pag. 37. ista protulit: *Item definitum est prædestinationis nec rationem, nec conditionem esse ex parte nostra. Id ad pietatem parum pertinere dicet aliquis. At hanc Augustini doctrinam non modo communiter Theologorum Scholæ jam recipit, sed & Ecclesiæ Patres per mille, & ducentos circiter annos, &c.*

Unum est, quod inter Scripta summorum Virorum dolui aliquando vehementer, ornatissimum nempe Dionysium Petavium, quo nemo accuratius Augustinianam propugnavit sententiam, & a falsis interpretamentis Vasquesii, Lessii, aliorumque Sociorum studuit vindicare, mutata inopinato facie lib. x. Theolog. dogmatum cap. i. maluisse eam retractare, quam pressis laudabiliter vestigiis insistere; ita ut initio hujus capitis scripserit: *Jam pridem in utramque partem disputari cœpit in Scholis iste quæstio, neque pro aliquo præjudicio valere ad hanc controversiam cre-*

dita

dita est auctoritas Augustini. At re maturius inspecta animadverti nulli hominum Augustini discipulos magis debere, quam ipsi Petavio. Primo quia ubi viri aliqui docti Societatis conati sunt in sententiam oppositam, ut sutores faciunt corium, Augustinianas trahere auctoritates, Petavius demonstravit interpretes esse non bonos. Deinde quia ubi plures illas falsitatis, antilogiæ, & affinitatis Calvinianæ damnaverunt; ostendit vir eximius esse a damnatis erroribus alienissimas, atque a multis summa cum doctrinæ ac pietatis commendatione defendi. Hæc a me eisdem Petavianis verbis sunt dicta, ut dum is laudat pro Sententia Molinæ Augustinum, dum ille S. Patrem erroris insimulat, dum hi Jesuitatum arietes domestico propugnaculo reprimantur.

Vereor insuper, ne Petavius aliquid humani passus in gratiam Societatis contra propriam mentem librum illum decimum cogitaverit soperstruere. Quod & ex ejus Epistolis probat Auctor Historiæ Congregat. de Aux. pag. 104. & ex doctrina alibi ab ipso Petavio tradita potest inferri. Etenim lib. VII. cap. XI. num. V. exponens Evangelicæ parabolæ clausulam, *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*, scribit, *regni cælestis & æternæ salutis adipiscendæ modum ac rationem non ex humanis æstimari judiciis, neque ex eo, quod in usu hominum & consuetudine versatur, sed sola Dei gratuita voluntate, ac pro ejus arbitrio totum illud administrari*: & infra, *totum salutis regnique cælestis negotium ex Dei arbitrio & voluntate pendere: quod ab Apostolo traditum sæpe adversus Pelagianos, & eorum reliquias inculcat Augustinus, &c.* Ex quibus apparet quænam sit Petavii sententia, ubi ex libertate loquitur, non ex domesticorum impulsu. Nam si aliter est, & proprio loquitur sensu, necessaria consecutione possum inferre, Petavium, ipsomet judice, deteriori caussæ patrocinari. Enimvero lib. IX. cap. VI. n. I. præmonet: *Cum de Gratia vel Prædestinatione disputandum est, minorem haberi antiquorum Patrum rationem, qui extiterunt ante exortam hæresim Pelagianam, quam eorum, qui postea sunt secuti. Latinorum vero multo majorem, quam Græcorum etiam hæresi illa posteriorum, quoniam magis aliquanto Latinam Ecclesiam, quam Orientalem exercuit hæresis Pelagiana; & Græci plerique intima Pelagianorum dogmata, vel ignorarint funditus, vel minus accurate perspexerint. Ac Latinorum omnium, quorum in hac controversia major est auctoritas, principem esse consensu Theologorum Augustinum*. Hæc & longe majora de Augustini sententia promit Petavius ille eloquentissimus. Quid ergo? Dum altero libro sententiam Augustini retractat, atque textus Apostoli cum nonnullis Græcorum in oppositum sensum detorquet; nonne illos sequitur, qui minorem habent in his controversiis, ipso Petavio judice, auctoritatem? Aut ergo Petavius Societati suæ contra compertam sibi veritatem morem gessit; aut contra majorem auctoritatem superba fronte pugnavit. Ipsius autem momenta quanti pendeant dicam infra; nam hactenus ex Romanis Pontificibus, ex Conciliis, ex Patribus, ex Theologorum consensu, quæ sit in hac materia auctoritas Augustini probandum erat.

Pugnat adversus dicta, quod alii quoque Patres summorum Pontificum Constitutionibus laudantur; ex quo sequitur nullam esse Augustino præ ceteris auctoritatem. Rursus quod idem Augustinus Epist. LX. ad Hieronymum scribit solis Scripturarum libris Canonicis auctoritatem certissimam esse deferendam. Tertio quod non possumus aliquam propositionem infallibilem existimare, propterea quod a solo tradita sit Augustino, ut definitum est ab Ecclesia. Tandem quod Augustinus in plurimos gravissimosque errores lapsus fuerit.

Sed hæ nubeculæ nequeunt splendidissimi Solis lucem obumbrare. Detur siquidem nullum esse in ceteris libris Augustinum inter aliosque Patres discrimen: detur non fuisse indutum virtute ex alto, ut abundantius omnibus laboraverit, quemadmodum testatur Fulgentius; attamen dum agitur de Prædestinatione & de Gratia Augustino nefas est refragari, si in ejus libris continetur quod asseverat Ecclesia, ut affirmant Pontifices; si antiquam fidem rursus condidit, ut narrant Patres; si ejus Sententiæ Canones evaserunt, ut colligitur ex Conciliis; si unicus sufficit, ubi disputatur de Gratia, ut fatentur Theologi. Habent etiam alii Patres in his, quæ data opera contra hæreses elaborarunt, suum cum Augustino honorem, si æquali ab Ecclesia exaltari fuerint præconio. Rectissime vero S. P. scribit Hieronymo privatis Scriptoribus non esse deferendam infallibilem auctoritatem: at quando quæ a privatis Doctoribus exarata sunt Ecclesia commendat, summa excipienda sunt reverentia. Neque credimus Augustino, quia scripsit hæc Augustinus; sed quoniam recte Augustinum scripsisse, superiori accipimus testimonio. Defendendum esse Augustinianum dogma non respiciendo ad aliquam Pontificum Bullam, non audent proferre nisi hæreticus, ac seminator zizaniorum: qui ut eludant Ecclesiæ decreta, ululant: *Dixit Augustinus*, quando Augustinus non loquitur. Neque ullus mortalium, neque portæ Inferi adversus Petram, supra quam fundata est Domus Domini, poterunt prævalere. Ego quidem, si Ecclesia Augustini scripta damnaret, omnium primus in ardentem rogum Magistri libros projicerem; sed celebratos universalis Ecclesiæ plausu Catholico exponam sensu, & filiali officio tutabor. Augustinianas antilogias, excessus, absurda fingunt homines aut invidi, aut improbi. Ubicunque se dederit occasio, & ego infirmissimus pro gloria tanti Patris certabo. Sed desistam proloqui, ne oratio mea limites excedat præfatiunculæ.

S C H O L I O N.

„ PErpauca ex plurimis magnorumque Virorum, Summorum Pontificum, & Conciliorum pro splendidissimo Latinæ Ecclesiæ Lumine Augustino testimoniis collegimus, quæ morosis, atque, ut loquamur temperanter, inofficiosis Criticis nostrates ex adverso possint opponere. Quo enim fuliginis succo, tetroque carbone nonnulli in sanctissimum doctissimumque Protoparentem dicteria & scommata scripturierint, capite Vindiciarum postremo demonstrat illustris Norisius. Qui cum obtrectatorum nomina caute prudenterque silentio prætereat, dignus est, quem nos imitemur, nulli, quod etiam monet Apostolus, malum pro malo reddentes. Quamobrem prodere nobis religio est, unde fuerint excerptæ viginti illæ duæ theses Augustino admodum injuriosæ, proscriptæ autem a Sacra Toleti, & Vallisoleti Inquisitione: quas poterit unusquisque perlegere in Appendice Historiæ de Auxiliis pagina 212. Venetæ editionis. Abstinendum ea de causa ab aliis enumerandis: quorum aliqui veriti non sunt scriptitare, *Bene consultum* futurum fuisse *Triadi Patrum Augustino, Fulgentio, & Prospero, si perinde Catholici haberentur, ac Cassianus, Faustus, aliique Massilienses*: alii eumdem S. Patrem doctrinam tradidisse *parum consentaneam Scripturis Sacris, immo erroneam in fide, quæ libertatem tollat, præbeat hominibus occasionem despondendi animum, ne dicam desperandi, quæ exhortationes & objurgationes nomine Dei factas in Scriptura impiis vertat in fictiones & irrisiones, potius quam veri animi significationes*. Alii apud *Afros Episcopos, inter quos erant Fulgentius, pluresque D. Augustini discipuli, natam Prædestinatianorum hæresim*, ideoque difficile nequaquam fuisse *sperare ab illis condemnationem librorum Fausti Rhegiensis*. Mitto hujus generis plura, quæ legi possunt in priori libro Apologetici Vincentii Baronii Ordinis Prædicatorum sectione 4. paragrapho 2. ubi istarum assertionum commemorantur auctores, a quibus nominandis consulto ducimus esse abstinendum.

„ Abs re tamen non erit advertere, hæc, aliaque in Augustinum liberiori stylo, quam reverentia erga Doctorem maximum postulat, ab iis fuisse conscripta, qui vel gratiam effectricem, quæ a nullo duro corde respuitur, & prædestinationem Sanctorum secundum propositum gratiæ Dei conati sunt oppugnare. In horum classe extitere Semipelagiani illi, quos in suis ad Augustinum Epistolis commemorant Hilarius & Prosper, ac præsertim qui objecta Gallorum, & Genuensium consarcinarunt ab eodem Prospero refutata, appellata prodigiosa mendacia, & recentiorum calumniis paullo supra indicatis, ut apes apium, seu ova ovorum, simillima. Semipelagianis vero concinuit in Opere posthumo Gallice inscripto, *Veritable Tradition de l'Eglise, sur la Predestinetion, & la Grace*, Leodii procuso Joannes Lannoius, easdem calumnias, quæ in objectis Gallorum & Vincentianis leguntur apud Prosperum, audacter impudenterque recoquens & ingeminans: dignus sane, quem Clemens XI. anno 1704. Apostolica definitione reprimeret, declarans immaturum fœtum illum hominis ad ventilandos Sanctorum cineres nati, *impium, blasphemum, necnon fulgidissimo Ecclesiæ lumini, maximoque Doctori sancto Augustino, quinimo ipsimet Ecclesiæ, atque Apostolicæ Sedi injuriosum*. Ita nimirum quotquot adversus præstantissimum Gratiæ vindicem iniqua emittunt verba & allatrant, in Sedem suam, Ecclesiamque Catholicam insanire, ipse summus Ecclesiæ Pastor testatur. Et tamen quæ simul collecta in uno Lannoii libro cernuntur, sparsa contineri in eorum lucubrationibus, qui licet Catholici sint, nec a nobis possint censoria Semipelagianismi nota perstringi, collectis, ex viginti saltem Auctoribus oppugnantibus Augustinianam de Gratia & de Prædestinatione sententiam, locupletissimis testimoniis evincere adnitebatur Anonymus epistola Launoii, quasi ex Elysiis data, lepidulo & acri stylo confecta. Atque illos quoque viginti Auctores nos officii & Catholicæ Communionis memores arbitramur silentio esse prætereundos. Hoc enim unum ad institutum nostrum satis esse putamus, si dixerimus illos, quorum tacenda sunt nomina, idcirco in Augustinum debacchari, quoniam Sancti Patris doctrinam, haud secus, ac Launoius, Vatiniano prosecuti sunt odio. At nemo unus nobis succenseat, si post Joannem Launoium expresso nomine Joannem Clericum commemorabimus: qui sub ambitioso *Phereponi* nomine scribens adversus Augustinum acerbo animo, & amarolento stylo animadversiones multiplices cuique palam facit odisse se Augustini

„ nomen

nomen veneratione atque admiratione dignissimum, atque odisse illud, ut ajunt, cane pejus & angue. At odii hujus causam arduum ac difficile non est divinare. Fuit enim Joannes Clericus Arminianus, nempe unus Remonstrantium, recentiorumque Pelagianorum. Ut vero olim Augustino notam inurere consuevere hujus furfuris homines Manichæorum denegantium libertatem humanam, deinde Prædestinatianos appellare ejusdem S. Patris discipulos; ita Thomistas, Theologosque nostrates paullo antea tanquam Lutheri, & Calvini asseclas, postea ut Baji Jansenitque sectatores illi duntaxat traduxere, qui prædestinationem ante præscientiam meritorum, & gratiam prævenientem, atque in nobis infallibili consecutione operantem velle & perficere, tanquam libertati exitiosam rejiciunt. Ne autem repetamus quæ dicta scriptaque sunt in Lupum, Norisium, & Augustineoses ceteros; Thomistæ omnes iisdem insimulationibus subjiciuntur, æque ab Adversariis lacessiti, ac doctrinæ suæ immunitate securi. Quoniam his, qui vel Thomisticam, vel Augustinianam sententiam impetunt, adhærent modo Gallorum nonnulli, a Remigio, Prudentio, & Sorbonæ proceribus paullatim effecti degeneres: memoria nobis repetendum est, Clerum Gallicanum universum in bina formula, qua Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutiones debita reverentia excepit, expresse declarasse *Jansenii doctrinam ab Augustino longe distare;* eumdemque religiosissimum Clerum in generalibus Comitiis anni 1655. ad solamen illorum, qui traducuntur tanquam pravorum dogmatum propugnatores, mandasse ut Actis hæc, quæ sequuntur, insererentur: „ In presenti rerum statu Comitiis placuit hocce caput ad solatium fidelium, qui doctrinam sancti Augustini merito venerantur, clarius explicandum esse. Hi scilicet verentur, ne doctrina illa ex Constitutione Pontificia aliquod detrimentum patiatur, quem metum nonnulli eis incutere conantur: at sperandum subtimidos illos fideles, qui de hac re non ex seipsis, sed tantum ex aliorum, quibus fidem adhibent, testimonio judicant, potius Cleri Gallicani, quam privatorum quorumdam auctoritati concessuros; quorum privatorum eruditionis & ingenii laus, totius Gallicanæ, imo universalis Ecclesiæ, Jansenii doctrinam aliam esse a doctrina Augustini declarantis, testimonio nequaquam præferri debet. „ Regio quoque Edicto lato anno 1668. die 23. Octobris, atque innovato rursus anno 1702. die 5. Martii, non Augustinianis duntaxat Theologis, verum etiam alterius cujusque Instituti doctrinam S. Patris naviter propugnantibus invidiosam Jansenismi accusationem inferri, Christianissimi Regis auctoritate interdicitur: quod & Comitiorum Generalium anni 1700. sanctione, necnon Romanorum Pontificum constitutionibus opportuniori loco producendis saluberrime cautum fuit. Hoc enim loco illud tantummodo adnotasse præstabit, Augustino, ejusque discipulis, ubi de Prædestinatione, & Gratia disputatio instituitur, primum a Pelagianis deliramenta Manetis, tum a Semipelagianis hæresim Prædestinatianam, postea a quibusdam Catholicis quidem, sed magis pro arbitrii libertate, quam pro Christi Gratia sollicitis, Calvini fatalem necessitatem, postremo ab Arminianis omnes istas, quæ tandem in idem recidunt, injuriarum plenissimas notas opponi: quarum eo minus habenda est ratio, quo minus in Ecclesia pollent auctoritate, atque hac in re Pelagianorum vestigia premunt, qui easdem calumnias ingeminant.

CAPUT I.

Dari aliquam Prædestinationem Electorum, eamque multiplicem: de qua agendum sit, & qua methodo: quomodo definiatur, & proprie sit explicanda.

COMPLECTOR unico capite plures parvi momenti quæstiones, necessarias tamen tironibus, de Prædestinationis existentia, nomine, partitione ac natura.

PROPOSITIO I. Datur aliqua Electorum ad gloriam Prædestinatio.

Probatur I. ex Epist. Pauli ad Rom. cap. VIII. ubi hæc habentur: *Quos prædestinavit, hos & vocavit.* Deinde suadetur ratione: nam prædestinare est rationalem creaturam ad æternam vitam præeligere: Atqui Deus plures ad æternam vitam preelegit; de fide enim est multos reapse a Deo in beatissimam requiem assumi: Ergo, &c.

Opp. 1. Si aliqui essent prædestinati, tollerentur orationum, jejuniorum, aliorumque bonorum operum merita, & sancta flaccesceret salutis æternæ sollicitudo, quum prædestinatio in nostra non sit potestate.

Resp. argumentum istud diluendum infra, ubi de Prædestinatione gratuita disputabitur. Modo dist. ant. Prædestinatio non est in nostra potestate quantum ad caussam, conc. quantum ad terminum, atque sempiternæ vitæ consecutionem, nego. Si dicas Damascenum lib. 2. de Fide Orthodoxa cap. 30. asserere: *Prædestinationem esse earum rerum, quas Deus absolute vult, præscientiam vero illarum, quæ in nostra positæ sunt potestate;* Dico Damascenum velle, quod Deus prænoscat, non prædestinet ea, ad quæ potestas nostra sola sufficit, ut opera naturalia & peccata: quæ vero etiam a Deo prædeterminante operantur, & præsciri & prædestinari; quamquam non omnia mediis necessariis perficienda definiuntur, sed juxta caussarum secundarum statutam ab ipso Deo conditionem, ut constat ex lib. IV.

Opp. 2. Si Deus aliquos prædestinaret, forent omnes Electi; ideo enim prædestinantur aliqui, ut ostendatur in his divina bonitas ac liberalitas. At hæc magis manifestaretur, si prædestinatio extenderetur ad omnes.

Resp. & Dei misericordiam magis, magisque apparere in comparatione miseriæ, in quam sponte ruunt præcipites plurimi: atque ad divinam pertinere providentiam, ut manifestetur simul justitia in reprobis, & misericordia in Electis, eo vel maxime, quod nec impios illa deserit; ut dictum est libro præcedenti cap. 2.

PROPOSITIO II. Multiplex est prædestinatio, variisque vocabulis designatur.

Alia enim est ad bonum, alia ad malum, pœnæ scilicet, sed non culpæ: Ita Conc. Valentinum can. 3. *Fidenter confitemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.* Idem affirmat S. P. Aug. in Enchirid. ad Laurent. cap. 100. Atque Fulgentius ad Monimum: *Non ergo*, inquit, *prædestinati sunt mali ad hoc, quod male operantur a concupiscentia sua abstracti, & illecti; sed ad hoc, quod juste patiuntur inviti.* Deinde prædestinatio ad bonum (jam enim usus invaluit, ut communiter in bonam partem Prædestinationis trahatur vocabulum) alia est ad *finem*, alia est ad *media*. Illa est divinum propositum conferendi rationalibus creaturis æternam gloriam; ista vero propositum largiendi gratiam, ac præsertim finalem perseverantiam. Porro prædestinatio ad gratiam vel est ad gratiam sufficientem ac versatilem, vel ad gratiam efficacem: De prima ait S. P. lib. de Prædest. SS. cap. 6. *Electio quippe ista gratiæ, non utique meritorum.* De secunda inquit eodem lib. cap. X. *Prædestinatione Deus præscivit quæ fuerat ipse facturus.* Quas omnes divisiones constat diversa tantum connotata spectare.

Prædestinati ad gloriam, de quibus agendum specialiter, vocantur *Præfiniti* ac *Prædeterminati*, quod est prorsus idem. Appellantur quoque *Dilecti*, & *Electi*: unde Apostolus 2. ad Timotheum: *Omnia*, inquit, *substineo propter electos.* Vocantur item *Cogniti & Præcogniti*: sic in altera ad Timoth. Epist. ait Apostolus: *Cognovit Dominus, qui sunt ejus.* Et Petrus Epist. 1. *Præcogniti ante mundi constitutionem.* Ulterius dicuntur *Probati, præordinati in vitam æternam, & vocati secundum propositum:* idque apud eumdem Paulum non semel. Etiam vocantur ab ipsomet Apostolo *vasa misericordiæ*, necnon *vasa in honorem*. Joannes cap. X. appellat *oves*: & cap. XI. *Filios Dei*: Matthæus denique cap. XXV. *Benedictos a Patre.*

Similiter Prædestinatio appellatur *Dilectio*, *Electio*, *Propositum*, *Discretio ac Præparatio*. Quæ nomina, licet sæpissime pro eadem significatione usurpentur, secundum tamen rationem nostram ordinem quemdam important. Cum enim Prædestinatio ut ordinatio creaturæ rationalis in finem, videtur supponere divinam scientiam; quoniam velle alicui finem ultimum est actus dilectionis; dilectio vero cognitionem præsupponit. Nullam hæc omnia præseferunt difficultatem.

PROPOSITIO III. Prædestinatio ad gloriam definiri potest: *Præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicunque liberantur.*

Traditur hæc definitio a S. P. Augustino lib. de Dono Persev. cap. XIV. Non conveniunt Theologi in hujus definitionis explicatione. Fautores Scientiæ *mediæ* putant loqui Augustinum de Præscientia conditionata. Nos de Scientia absoluta, quæ ab efficaci pendet decreto, si loquamur de Prædestinatione hominum lapsorum; quam certum est S. Patrem potissimum definire. Supponit enim liberatio miseriam, miseria culpam. Et cum hominibus lapsis præparetur a Dei beneplacito donum finalis perseverantiæ, rectissime ait S. P. Prædestinationem esse præparationem beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur. Quapropter Augustinus de prædestinatione hominum post originale peccatum ratione quadam speciali locutus est. Si de statu innocentiæ sermo sit, erit prædestinatio præscientia quædam conditionata; sed non præparatio finalis perseverantiæ, quam Deus angelis & primo homini in viribus reliquit arbitrii. Manifesta sunt hæc ex cap. VIII. & XI. lib. IV. Ergo Prædestinationem, prout utrumque statum complectitur, possumus cum D. Thoma 1. P. q. XXIII. art. 1. definire: *Est ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ.*

PROPOSITIO IV. Prædestinatio pertinet ad mentem Dei simul, ac voluntatem.

Media hac via inter Scholasticos incedo: & assero quod si prædestinatio accipiatur pro sola ordinatione & directione creaturæ rationalis in finem æternæ vitæ, ut nuper diximus cum S. Thoma, prædestinatio est actus intellectus connotans actum voluntatis, ut docent Thomistæ: si vero accipiatur pro divino proposito, & decreto conferendi gratiam & gloriam, quo sensu ait S. P. Augustinus de

Prædest. SS. cap. x. *Prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro*: arbitror cum D. Bonaventura, Scoto, & doctissimo Ariminense Prædestinationem esse actum voluntatis supponens actum intellectionis.

Atque sic probatur pars 1. Ordinare unum ad aliud est opus intelligentiæ, *sola enim ratio dirigit*, inquit 2. Metaphys. Arist. Ergo si accipiatur prædestinatio prout dicit directionem & ordinationem creaturæ rationalis, ad munus spectat intelligentiæ. Hujusmodi autem ordinationem connotare actum aliquem voluntatis constat: nam eapropter Deus aliquos dirigit in vitam æternam, quia illos amat, cum amare nihil sit aliud, quam velle alteri bonum. Igitur prædestinatio præsupponit, & connotat actum voluntatis, amoris, ac beneplaciti, ut dicebamus modo. Secunda propositionis pars certissima mihi videtur; primo quia propositum, decretum, dilectio pertinent ad voluntatem: deinde quia S. P. lib. de Dono persev. cap. 22. apertissime ad voluntatem Dei prædestinationem refert: & denique quia etiam Hilarius ac Prosper in Epist. ad Augustinum illam appellant *Divinæ voluntatis propositum*. Connotare autem actum intelligentiæ certissimum quoque est: nam voluntas supponit intellectum sibi proponentem quod beneplacito suo eligat, & prosequatur.

Opp. 1. Prædestinatio definitur ab Augustino: *Præscientia & præparatio mediorum, &c.* Præscientia est actus intellectus: Est ergo actus intellectus prædestinatio. Resp. nego consequentiam; si enim præscientia pertinet ad intellectum, præparatio ac propositum spectat ad voluntatem: quare Augustinus exigit ad prædestinationem actum utriusque potentiæ, intellectus dirigentis, & voluntatis determinantis. Præterquamquod est opinio inter Philosophos valde probabilis etiam judicium directivum ac practicum non mentis esse, sed voluntatis operationem.

Opp. 2. Dirigere est actus liber & efficax: Libertas & efficacia spectat dumtaxat ad voluntatem: Ergo. Resp. directionem spectare ad voluntatem, prout importat propositum, ac decretum; atque ad intellectum, si accipiatur pro sola præscientia ac directione: ut dictum supra.

Opp. ultimo: Prædestinatio est pars providentiæ: Providentia per Boetium Pros. 6. libri IV. ad solum pertinet intellectum: Ergo &c. Resp. nego minorem. Providentia enim attinet ad intellectum simul & voluntatem, quoniam intellectus non ordinat unum ad aliud, nisi voluntas velit unum propter aliud. Boetius ait: *Providentiam esse ipsam divinam rationem, quæ multa disponit*. Atque id quidem recte: nam solæ caussæ ratione utentes finem sibi ipsis aut subjectis sibi caussis proponunt, & provident media: cetera in finem propositum ab auctore naturæ contendunt.

CAPUT II.

Refutatur Ambrosii Catharini palmaris error.

CATHARINUS non omnes, qui sempiternam adipiscuntur beatitudinem, voluit in numero prædestinatorum comprehendi: sed duplicem illorum, qui salvantur, proprio marte constituens ordinem, in una parte locavit eximiæ sanctitatis electos, ut Deiparam Virginem, Apostolos, ceterosque virtutibus ac miraculorum gloria conspicuos; in altera homines minoris meriti ac perfectionis, qui tamen redduntur regni cælorum participes. Sanctos prioris generis prædestinatos esse concedit, & uberiori gratiarum copia donari, ita ut infallibiliter paratam sibi gloriam obtineant. At homines postremi generis, ordinaria scilicer virtute exornatos negat prædestinari, aut efficaci aliquo adjutorio subtrahi a perditione, sed communibus auxiliis suffultos docet & ipsos ad beatitudinem pervenire. Pervertens quoque nominum significationes, noluit prædestinationem interpretari, quasi sit electio omnium salvandorum ante mundi constitutionem; sed particulam *Præ* in hoc nomine solummodo arbitratus est importare majorem cumulum meritorum, atque prioritatem dignitatis, non temporis. Quam Ambrosii Catharini sententiam *novum commentum* appellat Estius, & Dominicus Bannez ejusdem instituti 1. p. q. 23. art. 7. *hæresim manifestam*. Et quidem videtur valde propinqua errori Pelagianorum, qui apud Auctorem Hypognostici lib. 6. prædestinationem in solis Apostolis asserebant: quamquam initium salutis esse ex nobis, quod proprie est hæresis Pelagiana, nunquam revera tradidit Catharinus; ut facile possit contra fratris sui accusationem defendi. Erravit tamen omnium judicio solemniter, ut mox demonstrabo.

PROPOSITIO I. In vocabulo *Prædestinationis* propositio *Præ* non dignitatis, sed temporis denotat præeminentiam.

Demonstratur; nam 1. ad Corinth. cap. II. habetur: *Prædestinavit Deus ante sæcula*. Et ad Ephes. 1. *Elegit nos ante mundi constitutionem*. Item Matth. xxv. *Possidete regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi*: idest, ut exponit S. P. Tract. 105. in Joannem: *Ante mundum, & ante omnia tempora*. Probatur etiam ratione: Prædestinatio est propositum divinæ voluntatis: Atqui propositum divinæ voluntatis æternum est, cum sit actio divina: Ergo &c.

Opp. Catharinus: Ait Apost. ad Rom. VIII. *Quos prædestinavit hos & vocavit, & quos vocavit hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit*. Sed vocatio, justificatio, glorificatio, licet sint actus divini, sunt tamen in tempore: Igitur & prædestinatio. Resp. Disparem esse rationem inter prædestinationem, vocationem & justificationem: nam prædeterminatio, præscientia, decretum, & cetera istiusmodi, sunt actiones immanentes, & dicuntur relative ad intelligentiam ac voluntatem divinam: at vocatio, justificatio, & glorificatio, sunt actiones transeuntes, & dicuntur connotative ad effectum productum in tempore.

PROPOSITIO II. Soli prædestinati salutem consequuntur æternam.

Communem hanc assertionem tradunt Scripturæ, confirmant Patres, suadet ratio. Matth. XXII. dicitur, quod illi, qui non sunt ex numero Electorum, mittentur *in tenebras exteriores*. Item ex cap. XXIV. manifestum est inter electos ac reprobos non dari medios. Rursus cap. XXV. Electis cæleste regnum promittitur *paratum a mundi constitutione*. Salvantur ergo electi tantummodo.

Idem docet S. P. Augustinus, qui lib. IV. contra Julianum cap. 4. affirmat ex duobus parvulis ante mortem unum baptizati, alterum non baptizati eo quod unus sit prædestinatus, non alter: atque Juliano objicienti locum Apostoli: *Bonitas Dei ad pœnitentiam adducit*, respondit: *Verum esse constat, sed quem prædestinavit adducit*. Libro quoque de Corrept. & Gr. cap. 1. *Neque nos moveat*, inquit, *quod filiis suis quibusdam Deus non dat perseverantiam. Absit enim ut ita esset, si de illis prædestinatis essent, & secundum propositum vocatis, qui vere Filii sunt promissionis*. Igitur Augustinus docet neminem esse perseveraturum, salvandum neminem, qui non sit de numero prædestinatorum. Neque aliud tradit lib. de Fide ad Petrum cap. 35. beatus Fulgentius, imo & Sacrosancta Tridentina Synodus Sess. 6. cap. XII.

Denique probatur ratione: Salvandi, qui non sunt prædestinati, aut pervenient ad gloriam sola naturali virtute liberi arbitrii, aut adjutorio supernaturalis gratiæ: Si primum dicatur a Catharino, manifeste profitebitur, ut constat, hæresim Pelagianorum: si secundum, jam prædestinationem aliquam fatetur; non enim conferuntur media, nisi ratione finis, neque gratia nisi ratione gloriæ. Non dico autem omnia gratiarum dona, quæcumque ea sint, conferri ex decreto efficaci dandi gloriam: minime: sed, quod sat est ad impugnandum Catharini assertum, dico quod prædestinatio importat seriem auxiliorum, quibus prædestinati æternam salutem consequuntur, sive sint efficacia, sive sufficientia duntaxat. Ergo si omnes adipiscuntur salutem per gratiam, jam salus erit prædefinita, tanquam per gratiam comparanda. At quænam gratia ex Dei prædestinatione conferatur, quemadmodum an prædestinatio gratuita sit, an ex præscientia meritorum, non est hujus loci definire.

Opp. 1. Matth. XX. habetur: *Erunt novissimi primi, & primi novissimi*, idest postremum tenebunt locum, qui primum electi sunt: Ergo datur duplex salvandorum ordo, unus eorum, qui vocati sunt & non electi, alter eorum qui simul electi sunt, & vocati.

Resp. 1. cum Estio primos & novissimos dici & respectu hominum, & respectu Dei, ita ut Evangelicæ sententiæ sensus sit: *Multi qui judicio hominum videntur primi, erunt Deo novissimi: & multi e contra qui judicio hominum novissimi videntur, primi erunt judicio Dei*. Homines enim ceteris præferunt divites, nobiles, sæculari gloria præclaros: at Deus humiles spiritu, pauperes, & qui persecutionem patiuntur propter justitiam.

Resp. 2. in regno cælorum, quo nomine hujus temporis Ecclesia dicitur, primos esse novissimos, & novissimos primos, quoniam Judæi, qui primi ad Ecclesiam vocati fuit, nondum ad Christi fidem accesserunt, ad quam venerunt Gentiles, *novissimi*, & post illos Apostolica prædicatione invitati.

Opp. 2. Multi sunt prædestinati *a constitutione mundi*, ut legitur cap. XXV. Matth. Ergo non omnes qui salvantur ab æterno prædestinati fuerunt.

Resp. Idem esse *a constitutione mundi*, &, *ante mundi constitutionem*, quia Deus nihil disponit in tempore, quod non prædefinierit ab æterno; quare dicitur quidem in Evangelio Cælorum regnum paratum *a mundi constitutione*; sed ad Ephes. 1. *ante mundi constitutionem*, & in 1. ad Timoth., *ante tempora sæcularia*.

Opp. 3. Vocati in vineam hora undecima non erant electi, & tamen receperunt mercedem: Consequuntur ergo salutem aliqui, qui non erant prædestinati.

Resp. Ut ad 1. in Evangelica parabola novissimos dici Gentiles, qui ad Christum conversi receperunt eandem mercedem cum Judæis, qui legis Mosaicæ servaverant instituta. Quamquam in parabolis scopus attendi debet, neque necesse est omnia omnibus respondere. Sed vide, quæ de hujusmodi parabola diximus IX. capite lib. III. Adverte tamen, non in eo errasse Catharinum, quod aliquos eximie sanctos, & efficacissima vocatione electos esse affirmaverit; nam idem de Paulo scribit S. Pater lib. de Grat. & lib. arb. cap. V. sed ideo erravit, quia erga salvandos inferioris ordinis nullam agnovit electionem, nullum propositum, nullam specialem Dei providentiam.

CA-

CAPUT III.

Deum neminem eligere sive ad gratiam, sive ad gloriam ex præscientia operum naturalium, neque propter opera præcedentia moralium virtutum.

ORIGENES hydra hæreseon omnium, ut scribit lib. I. Hist. Pelagianæ Norisius, contendebat non una cum corpore animas procreatas, sed antequam carnalibus vinculis colligarentur, separatas omnino propriam sortem bonam, aut malam promeruisse. Ita ex naturalibus meritis comparatis ante unionem ad corpus placuit Origeni quamcumque præelectionem repetere. Pelagius vero, qui ex Rufino Origenista exitiosissimum hausit venenum, aliquos prædestinari voluit ad gloriam, alios ad supplicia, quia illos Deus prævidit pie sancteque victuros viribus arbitrii nullo indigentis gratiæ Salvatoris beneficio; hos e contra usque in finem novit in scelera prolapsuros. Is nimirum non utique præexistentiam animarum, sed præscientiam tamen naturalium meritorum cum Origene adstruit. Temperarunt errorem aliquantisper Semipelagiani asserentes bona opera compleri per gratiam Christi, sed præcedere ex nobis initium fidei, & primum sanctæ cogitationis exordium: vel saltem, si etiam prima fides munere divino inspiratur, pendere ex arbitrio solo illius acceptationem & usum; atque ita divinæ electionis esse caussam meritum naturale fidei initialis, aut cælestium donorum acceptationis. Hæc omnia plenis Theologorum suffragiis reprobantur. Est tamen quorumdam opinio, qui tenent prædestinationem ad primam gratiam pendere nonnunquam a prævisione operum virtutum moralium; non quod hæc opera *de condigno*, & ex rigoroso debitu Deum ad elargiendum gratiam obstringant; sed quoniam *de congruo*, & condecentia quadam Dei liberalitatem alliciunt ac trahunt. Sunt vero morales virtutes illæ, quæ naturaliter absque gratiæ auxilio exercentur: easque certum est de se peccata non esse, hominemque reddere pravis cupiditatibus minus addictum. At inesse illis aliquam rationem meriti titulo quoque decentiæ, negant Augustiniani Theologi. Sed ad ludum literarium jacienda jam alea.

PROPOSITIO I. Erronea est animarum præexistentia, quam finxit Origenes, & commentitium meritum Prædestinationis comparatum ante illarum unionem ad corpora.

Non est operosum Origenianam hæresim confutare. Primo impugnatur ex Scripturis, nam constat ex Historia Geneseos universorum Conditorem antea formasse corpus Adam ex limo terræ, deinde inspirasse in faciem ejus *spiraculum vitæ*, & hominem factum tunc esse in animam viventem. Non ergo anima corpori præexistebat. Secundo rejicitur ex Apostolo, qui Epist. ad Rom. cap. v. ait: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*. Nullum ergo datur peccatum antequam anima informet corpus; alias mors & peccatum non per Adam intrasset in mundum, sed per meritum Animæ antecedenter prævaricatæ. Et cap. 9. de Jacob, & Esau: *Cum nondum*, inquit, *nati essent, aut aliquid boni egissent aut mali*. Quæ verba nihil ad rem facerent, si animæ eorum priusquam in corporeum carcerem detruderentur, aliquid fuissent promeritæ. In II. etiam ad Corinth. cap. v. scribit Apostolus, *Homines judicandos secundum ea, quæ gesserunt in corpore*. Tertio damnata est Origeniana Sententia Capite I. Quinti Generalis Concilii his verbis: *Si quis dicit, aut sentit præexistere hominum animas, utpote quæ antea mentes fuerint, & sanctæ virtutes, satietatemque cepisse divinæ contemplationis, & in deterius conversas esse, demissasque in corpora supplicii caussa; anathema sit*. Denique apparet errorem Origenis principiis absurdissimis inniti, cujusmodi sunt fabulosa unitio omnium creaturarum rationabilium, angelorum, dæmonum & hominum, atque singularum productio absque numero, & ordine: de quibus lege Scholion primum ad Capitula contra Origenem clarissimi nostri Christiani Lupi.

PROPOSITIO II. Non prædestinantur Electi ex prævisis meritis comparandis sola facultate liberi arbitrii.

Est definitio Fidei contra hæreticos Pelagianos. Et probatur I. ex Apost. dicente ad Rom. cap. II. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia*: & infra: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* II. ex Augustino scribente ad Vitalem: *Scimus gratiam Dei nec parvulis nec majoribus secundum merita nostra dari*. III. ex ratione Theologica, siquidem opus naturale non potest supernaturalia beneficia promereri: Gratia & vita æterna beneficia supernaturalia sunt: Ergo opus naturale nullum gratiæ, aut vitæ æternæ meritum habet.

PROPOSITIO III. Neque prædestinantur Electi ob præscientiam fidei aut bonæ voluntatis ex solo libero arbitrio naturaliter prodeuntis.

Ad fidem pariter hæc propositio pertinet, & contra Semipelagianos definita est a Synodo Arausicana Canon. II. & a Tridentina de Justificat. Canone v. Prob. I. ex Apostolo 2. ad Corinth. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis*. II. ex Augustino hæc verba in lib. de Prædest. SS. cap. 2. sic exponente: *Attendant hic, & verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei cœptum, & ex Deo fidei supplementum. Quis enim non videat prius esse cogitare, quam credere?* III. ex ratione: Gratia enim est donum gratis collatum: Non ergo retribuitur fidei, aut cuivis operi solius liberi arbitrii facultate patrato.

PROPOSITIO IV. Libera acceptatio, & bonus usus arbitrii prævisus antecedenter ad gratiam, non sunt caussa prædestinationis.

Sequitur ex dictis; probatur I. quia sine gratia nemo opus aliquod bonum, quod revera sit meritorium salutis æternæ, potest efficere: Igitur neque motivum prædestinationis esse potest acceptatio gratiæ, & usus arbitrii prævisus antecedenter ad gratiam. II. quoniam plurimi prædestinantur, qui neque gratiam acceptaturi sunt, neque recte eadem usuri, ut sunt infantes qui Sacro tincti baptismate ante rationis usum decedunt. Quos non prædestinari propter merita Parentum, neque propter bona opera, quæ si diutius viverent facturi essent, certum est in Augustiniana sententia, ut ostendam in sequentibus. III. Per Augustinum in lib. de Prædest. SS., de Dono Persev. de Correp. & gratia, quod liberum arbitrium Deo vocanti consentiat, & bene utatur acceptis donis, est donum gratiæ descendens a Patre luminum. Igitur commentitia est præscientia acceptationis & recti usus arbitrii antecedenter ad gratiam. In his quatuor propositionibus Catholici omnes conveniunt.

PROPOSITIO V. Opera moralium virtutum a Deo prævisa nullo pacto prædestinationis nostræ caussa sunt.

Loquimur etiam de merito condecentiæ, sive *de congruo*. Et probatur I. Si opera moralium virtutum meritum aliquod haberent sive gratiæ, sive gloriæ, nostra sempiterna salus ab operibus naturalibus duceret initium: Atqui id falsum est: Ergo &c. Prob. minor: Initium nostræ salutis est fides supernaturalis, quæ est donum Dei; Nam Apostolus ad Ephes. cap. 2. ait: *Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est*. Quæ Apostoli verba exponens Tridentinum Concil. Sess. 6. cap. VIII. ait: *Perpetuus Ecclesiæ Catholicæ sensus tenuit, ut per fidem justificari dicantur, quia fides est humanæ salutis initium*.

Si dixeris Tridentinum explicandum esse de merito *de condigno*, non *de congruo*; dico id gratis omnino asseri, & contra Sacrosanctæ Synodi mentem. Nam eadem sess. definitur, *Justificationis initium sumi a vocatione Dei, qua nullis eorum meritis præcedentibus vocantur*: Excluditur ergo qualecunque meritum etiam *de congruo*. Præterea Fides, quæ ab Apostolo, & a Concilio initium salutis appellatur, vitam æternam atque justificationem *de congruo* tantum promeretur, non *de condigno*: At libero arbitrio sine gratia virtutes morales exercenti, ut constat ex Augustiniana Epist. ad Xystum, non inest meritum, quale ex divino adjutorio tribuitur Fidei: Igitur eidem libero arbitrio sine gratia operanti nullum meritum salutis æternæ concedendum est, etiam solius congruitatis atque decentiæ.

Rursus demonstratur propositio; quippe si opera moralium virtutum nostram prædestinationem quomodolibet promererentur, gratia non esset gratia, quoniam daretur secundum merita nostra: quod damnatum est in multis Conciliis, Diospolitano, Arausicano, aliisque omnibus post exortam hæresim Pelagianorum.

Probatur etiam auctoritate S. P. Augustini, qui lib. I. ad Simplic. quæst. 2. ait: *Non habeo quid intuear in eligendis hominibus ad gratiam & salutem, nisi vel majus ingenium, vel minima peccata, vel utrumque. Addamus etiam, si placet, utiles honestasque doctrinas. Sed cum hoc statuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi eligit ut confundat fortia, ut eum intuens, & pudore correptus ego irrideam multos, & præ quibusdam peccatoribus castiores, & præ quibusdam Piscatoribus Oratores*. Et libro I. de Peccatorum meritis & remiss. *Unde fit*, inquit, *ut homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, in eo loco sit, ubi ei prædicari gratia Christiana non possit: alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis coopertus ita gubernetur, ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur?* Hæc Augustinus, qui manifestissimis exemplis demonstrat aliquando prædestinari quosdam moralibus virtutibus minus deditos, idque non a meritis naturalibus pendere, sed a Dei beneplacito. Contrariæ opinionis censuram affert Ludovicus Habert de Prædestinat. Paragrapho v. & Juenin cap. VI. art. I. Concl. 3.

His occurrunt quidam Theologi reponentes officiis virtutum moralium gratiam rependi decentia quadam & congruitate, quæ non operibus naturalibus inest in se inspectis, sed vi conventionis, de qua complacuit Divino Patri cum Christo pacisci, se quidem *facienti quod in se est* gratiam & gloriam minime denegaturum. At suppositum est & ad libidinem fictum pactum illud Molinianum, nullius nixum Scripturæ Sacræ auctoritate, & exemplis eorum qui inter Ethnicos relinquuntur, productisque Augustinianis verbis oppositum; dissonum quoque rationi: non enim constituto pacto, quod retribuitur beneficium est, sed justitia. Quare sequentem propositionem: *Quia opera viribus solius naturæ elicita omnino sterilia sunt, atque incapacia merendi dona intrinsece & theologice supernaturalia, ideo dicimus obligationem quam Deus habet conferendi gratiam facienti quod*

est in se viribus naturæ, seu viribus gratiæ pure naturalis, sive non theologice supernaturalis, non oriri ex bonitate talium operum, aut ex ullo merito sive condigno, sive congruo, quod insit illis operibus in ordine ad gratiam; sed ex pacto inter Christum fidejussorem nostrum & Patrem inito, ad gratiam hominibus conferendam propter Christi merita, respiciendo ea naturalia opera ut purum terminum, non ut meritum ullum aut rigorosam conditionem: Istam, inquam, Propositionem in Comitiis Generalibus Cleri Gallicani die 4. Septembris anno 1700. habitis in Regio Palatio Sangermano notatam hoc tetro commate invenimus: *Pactum istud, quod inter Deum & Christum asseritur, commentum est temerarium, erroneum, nec solum tacente, sed etiam adversante Scriptura, & SS. Patrum traditione prolatum.*

Opp. 1. legitur in Evangelio: *Venite benedicti Patris mei. Esurivi enim & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere:* Igitur eleemosyna, aliaque moralia opera sunt caussa salutis. Prob. conseq. nam opera nuper in Evangelio commemorata non sunt a caritate Christi & a fide: alias ibidem justi non responderent: *Domine, quando vidimus te esurientem?* Ergo opera illa naturalia sunt, & viribus arbitrii patrata.

Resp. nego consequentiam; nam opera meritoria æternæ salutis referri debent in Deum, & in ejus obsequium exerceri, quod absque fide & caritate nemo præstat: & iidem opera, quæ non proficiscuntur a gratia, veram rationem meriti nequeunt habere, sed abunde compensantur per temporalem aliquam mercedem, ut de naturalibus virtutibus Romanorum non semel asseruit Augustinus. Justi ergo in extremo judicio mercedem ac præmium referent eleemosynarum, quas ob Christi amorem elargiti fuerint minimis ac pauperibus. Ad probationem consequentiæ dico eapropter justos dicturos esse: *Domine, quando te vidimus esurientem?* quoniam ipsi non viderunt Christum in carne pauperem & mendiculum: unde correpti admiratione, quandonam, inquient, vidimus te regem gloriæ more pauperum cibum, potum, atque indumenta petentem? Quam admirationem ab eis supremus Judex removendo dicturus est: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Opp. 2. In Actibus Apostolorum cap. x. Cornelius promeruit eleemosynis suis, ut instrueretur in fide. Lucæ xix. Zachæus studio videndi Christum impetravit, ut ab eo videretur, & vocaretur. Lucæ xxiii. Latro socium increpans & Christi prædicans innocentiam ab eo meruit audire: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Resp. Cornelium non sine aliqua fide eleemosynas erogasse, ut ait S. P. cap. vii. de Prædest. SS. ac probatur ex illo Pauli testimonio: *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* Promeruit ergo, ut instrueretur in fide, quoniam orabat, & eleemosynam largiebatur ex fide aliqua, tametsi nondum valida atque perfecta. Idem dicendum est de Zachæo & Latrone, in quibus ut ait Prosper cap. 13. & 14. adversus Collatorem: *Præcessit aliqua præparatio ex supernaturali fide:* quæ facile potuit in ipsis esse, quoniam ambo erant Judæi. Fidem præsertim Latronis, qua credidit in hominem crucifixum, agentem animam, plenum opprobriis, derelictum a suis, nullo prædicante, blasphemantibus omnibus, quis non credat maximum opus gratiæ, ac præstantissimum passionis Christi beneficium? Lege Homiliam S. Joannis Chrysostomi in Sanctum Latronem. At nihil nos debent movere istiusmodi exempla, quibus abutebantur etiam Semipelagiani.

Opp. 3. In multis Scripturæ locis asseritur Deum invenire bonos, ac propterea illis gratiæ beneficia rependere; ut Genes. 18. Job. 13. & alibi. Præterea Zachariæ cap. 1. *Convertimini ad me*, ait Dominus, *& ego convertar ad vos:* & Prov. 16. *Hominis est præparare animam, &c.*

Resp. *Deum invenire in bonis hominibus illud tantum, quod ipse facit;* Ita S. P. lib. 2. contra duas Epist. Pelagianorum: exhortationibus Scripturarum commendari liberum arbitrium, sed non excludi gratiam prævenientem, quemadmodum, ubi dictum est, *Converte nos Deus salutaris noster, Converte nos Domine, & convertemur*, &, *Præparatur voluntas a Domino*, commendatur gratiæ beneficium, non denegatur libertas; ita S. P. lib. de Grat. & lib. arb. cap. 5.

Opp. 4. Augustinus de Dono Persev. cap. 14. scribit: *Habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem.*

Resp., ut diximus lib. iv. cap. xii., Augustini verba tantum probare, quosdam propter virtutum moralium exercitamenta habere minorem in se obdurationem, & facilius, si a Deo vocentur, moveri: non vero ex allatis verbis infertur naturalia opera habere aliquod gratiæ meritum. Constat ex verbis quæ subsequuntur: *Si Dei*, inquit ibidem Augustinus, *altiori judicio a perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina, vel facta per quæ possent credere, si audirent talia, vel viderent. In eadem perditionis massa derelicti sunt etiam Judæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis, clarisque virtutibus.* Hæc S. P. Itaque si ab altiore judicio Dei descendit ut aliquis credat & salvetur, & quisquis tali judicio discretus non est, nequaquam credit; profecto sola naturalia opera nullatenus supernaturalis fidei promerentur initia.

Opp. 5. Chrysostomus Hom. 45. in Genes. docet *Abrahamum se prius disposuisse, quam a Deo tam magna gratiæ acciperet beneficia.*

Resp. Propter grassantem hæresim Manichæorum, qui negabant liberum arbitrium, S. Joannem Chrysostomum passim eam dicendi adhibuisse rationem, præsertim in Homiliis ad populum, ut illum ad bona opera inflammaret. De Chrysostomi sententia dicendum alibi. Immerito Vasquesius tantum Ecclesiæ Patrem Semipelagianis adnumerat. Possumus omnia loca Chrysostomi, ubi negat Deum prævenire hominum voluntatem, commode exponere, quod eam non præveniat libertatem evertens, ut commenti sunt Manichæi. Aperte sese explicat Sanctus Doctor Hom. xii. in Epist. ad Hebræos, ubi ait: *In Dei potestate sunt omnia, sed non ita, ut nostrum liberum lædatur arbitrium:* & infra: *Non prævenit nostras voluntates, ne perdat nostrum liberum arbitrium.*

Opp. 6. In Martyrologio Romano die Junii ultima legitur, Basilidem Ethnicum militem recepisse mercedem, quod sanctam virginem Potamienam visitasset dum ad supplicium duceretur, ejusque pudicitiam tutatus esset. Resp. vel mercedem ibidem dici orationem a Virgine factam pro Basilide, vel in isto aliquam fidem præcessisse ex supernaturali Dei beneficio; qua deinde Martyr occubuit, ut scribit Euseb. Hist. Eccl. lib. 6. cap. 5.

Opp. ultimo Scholasticum proloquium, *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Resp. sensum hujus axiomatis esse, quod qui facit ex viribus primæ gratiæ quod potest, gratiam a Deo habet uberiorem ac pleniorem. Explicatum alio sensu *mutatis tantum vocibus Semipelagianismum instaurat*, inquit in laudata Censura Clerus Gallicanus. De hoc Scholasticorum proloquio plura dicam in disputationibus de Gratia Christi: ubi propositiones hujus capitis novorum argumentorum accessione erunt confirmandæ. Sunt enim nunc pro necessitate hujus libri leviter delibatæ, atque labiis, ut inquiunt, extremis.

CAPUT IV.

Prædestinationem ad gloriam priorem esse prædestinatione ad gratiam.

DE PRÆDESTINATIONE ad gratiam inquirendum restat, num electionem illam antecedat vel subsequatur quæ est ad gloriam. Sunt autem in divinis omnia simul; & sola ratione nostra unum præcedit alterum; ideoque de hac tantum *prioritate* præsens quæstio instituitur.

PROPOSITIO. Prædestinatio ad gloriam præcedit prædestinationem ad gratiam.

Breviter probatur I. ex Scripturis; sic enim habetur Act. xiii. *Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam:* Ergo præordinatio ad vitam caussa est, cur Deus largiatur donum fidei, & consequenter gratia subsequitur prædestinationem ad gloriam, ut caussam effectus. II. ex Fulgentio, qui lib. 1. ad Monim. cap. 13. scribit: *Illi cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita sua bonitate prædestinavit ad regnum: quia enim tales prædestinando præparavit ut Regno digni essent, præparavit secundum propositum vocandos ut obediant; præparavit justificandos, ut accepta gratia recte credant, & bene vivant, &c.* Et S. P. Augustinus de Prædest. SS. cap. x. *Gratia*, inquit, *est prædestinationis effectus.* III. Probatur ratione: Finis est omnium caussarum prima, quippe prior est finis in intentione, & ejus caussa aguntur omnia, & media opportune parantur: Atqui gloria est finis, & gratia est medium consequendi ipsam gloriam: Ergo in Dei mente ac prædestinatione gloria prior est, quam gratia.

Opp. 1. In re gratia præcedit gloriam: sed ordinem, quem res habent in se, habent etiam in divina prædestinatione: Ergo, &c.

Resp. nego minorem, quoniam in executione media præcedunt finem, in intentione vero finis præcedit media. Constat id exemplis evidentissimis. Ægrotus prius intendit sanitatem, & hujus gratia eligit medicamenta; in executione vero medicamenta præcedunt sanitatem: & sanus prius decernit iter Romam versus habendum, & hujus caussa parat equum aut rhedam; & tamen prius hanc conscendit, quam perveniat ad Urbem.

Opp. 2. Quamquam operans prius intendit mercedem quam opus, qui tamen indicit operam prius intendit opus, quam mercedem; ita colonus primo vult denarium, deinde vineæ culturam; sed Dominus vocans operarios vult primum culturam vineæ, deinde solutionem denarii. Ergo Deus, qui nos quasi operarios conducit in vineam suam, primo intendit opera nostra ac merita, postremo mercedem & gloriam.

Resp. con. ant. nego conseq. ac paritatem. Homines præcipue in conducendis operariis spectant propriam utilitatem, ideoque prius volunt opus tamquam sibi utile; & quia hanc utilitatem habere nequeunt nisi solvant operariis mercedem, ideo hanc mercedem intendunt secundo loco. Contra Deus, qui bonorum nostrorum non indiget, sed spectat gloriam suam, ac nostram utilitatem, primo

vult

vult nostram beatitudinem, in qua magnopere glorificatur; & quoniam beatitudo haberi non potest absque gratia, idcirco gratiam secundo loco intendit. Atque ita respondet Estius dist. xl. §. VIII. Sed respondere quoque possumus majorem esse falsam, quando aliquid intenditur tanquam beneficium indebitum, antequam proponatur ut merces: quod planius erit in sequentibus dilucidandum.

CAPUT V.

Ex sacris literis ostenditur Prædestinationem ad gloriam in hoc statu non esse ex præscientia meritorum.

QUÆSTIONEM aggredimur magna contentione inter Theologos agitatam. In qua jam non disputatur de meritis naturalibus, quæ comparate ad gratiam, vel gloriam nulla sunt, sed de meritis Deo per gratiam auxiliante patratis. Hæc autem quæstio non versatur circa Prædestinationem quantum ad omnes ejus effectus; sic enim accepta comprehendit gratiam, quam non esse ex operibus docet Catholica Fides; sed disputatur de gloria, cujus intuitu divina beneficia, præsertim vero finalis perseverantia, donantur. Neque dubium ullum est de meritis Christi, dicente Apostolo ad Ephesios I. 5. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum*; sed de meritis personalibus ipsorum prædestinatorum. Inquiritur autem de hoc statu, in quo supponitur originale peccatum; nam de prædestinatione Angelorum nos quidem adversariis consentimus.

Sunt ergo duo inter se pugnantia Scholarum placita. Primum est eorum, qui tenent Deum æqualiter velle omnes salvos fieri, singulis conferre media ad salutem, & illos ad gloriam eligere, quos prævidet bene operaturos, & perseveraturos usque in finem. Alterum illorum, qui docent ex perditionis massa Deum pro suo beneplacito ante prævisionem futurorum operum alios prædestinare, alios relinquere: atque his, quos prædestinat, præter communia gratiarum dona, beneficia talia parare, quibus a perditione certissime liberentur. Tenent priorem Sententiam Henricus Gandavensis, Okamus, Gabriel, & cum aliis recentioribus Jesuitis Vasquesius, Lessius, Valentia. Stant pro opposita S. Thomas, Ægidius, Gregorius Ariminensis, Bellarminus, Suaresius, Simonet, Abulensis, Estius, Sylvius, & alii. At discipuli Scoti dissident inter se, quod eorum Antesignanus 1. Sent. dist. 41. asserat utramque Sententiam esse probabilem; Mastrius tamen, quem fere omnes sequuntur, gratuitam prædestinationem defendit; tenet contrariam sententiam Claudius Frassen. Quoniam Medistæ complures Prædestinationem gratuitam nedum rejiciunt, sed etiam cum Joanne Adamo dicunt ab Augustino per excessum fuisse traditam, in eaque desiderari Catholicum aliquod temperamentum; non abs te erit meminisse decreti Claudii Aquavivæ, de quo diximus in Præfatione. Probatum illud fuisse votis Joannis Azorii, Gasparis Gonzalez, Jacobi Tyrii, Petri Busæi, Antonii Guisani, & Stephani Tucci, demonstrat Norisius in Vind. cap. III. §. VII. Addimus Eminentissimum Bellarminum, ad quem nuper accessit Edmundus Simonet, lib. 2. de Grat. cap. XI. in fine hæc profert: *Hæc sententia non quorumvis doctorum opinio, sed fides Ecclesiæ Catholicæ dici debet.* Neque Bellarminus ipse adduci unquam potuit, ut assentiretur Sententiæ P. Caroli Faraonis Præceptoris sui, ut scribit in vita Bellarmini cap. VI. Jacobus Fuligatus. Quid plura? P. de Rhodes Jesuita dis. v. de Deo quæst. 2. sect. 5. hæc de Sententia nostra pronuntiat: *Tenent illam* I. *Scripturarum interpretes nobilissimi Abulensis, Salmeron, Pererius, Toletus, Lyranus, & ad unum veteres omnes.* II. *Controversiarum Scriptores celeberrimi Bellarminus, Driedo, Ricardus, Castro, Estius, Florantius.* III. *Scholastici fere omnes. Scripturas habent pro se apertissimas, ac multos Patres, rationes denique omnino efficaces.* Addit Sententiam oppositam a plerisque fuisse exceptam, quoniam ignari citius illi acquiescunt, neque in ea statim se prodit divinorum judiciorum abyssus.

Distinguendus est autem duplex ordo, *intentionis* scilicet, & *executionis*, qui diversum connotant terminum; quatenus Deus videns universam perditionis massam aliquos misericorditer voluit eripere & ad gloriam transferre; noluit tamen hanc largiri nisi tanquam coronam justitiæ, & bonis arbitrii meritis, ideoque specialia gratiarum dona electis suis præparavit, ut hæc merita ponerentur, quibus gloria rependenda esset tanquam merces ac præmium. Itaque *intentionis* ordo dicitur relative ad massam perditionis, in qua comprehenduntur aliqui nulla meritorum prærogativa ab aliis secreti & sola misericordia prædestinati: & ordo *executionis* dicitur comparate ad opera meritoria, quibus divina promissione supposita gloria non tam beneficium est, quam retributio mercedis. Fatemur itaque omnes gloriam coronam esse, denarium, bravium, justamque retributionem. Idque negant solummodo Calvinus, Gomarus, & hujus furfuris pauci, dicentes bona opera Deo pluribus titulis deberi; ideoque non esse meritoria felicitatis æternæ. Sed frivola sunt hæc; nam qualiacunque sint bona opera creaturarum, si non merentur gloriam secundum absolutam æqualitatem, merentur tamen divina præsupposita ordinatione. His prænotatis de ordine divinæ intentionis, e Scripturarum, Patrumque doctrina repetimus discussionem.

PROPOSITIO: Ex sacris literis demonstratur prædestinationem ad gloriam esse in statu naturæ lapsæ gratuitam.

Quamplurima sunt scripturarum divinarum testimonia, quibus nostrum roboratur theorema. Primum sit Joan. xv. habetur: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Alterum desumi potest ex Epistola ad Ephes. cap. I. ubi Apostolus ait: *Elegit nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in caritate*: & infra: *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Tertius locus sit ex Epist. ad Coloss. cap. I. *Qui dignos nos facit in partem sortis Sanctorum*: ubi sortem appellat Apostolus Electionem ad gloriam, quod obtingat adinstar sortis præter hominum intentionem, ac studium. Accedunt verba ejusdem Apostoli ad Titum cap. 3. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit*: quo loco utitur potissimum S. Thomas. Afferri quoque possunt ex Epist. ad Corinth. loca omnia, quibus docet solam Dei gratiam homines discernere, & nemini gloriandum esse, nisi in Domino; E. G. hæc verba: *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*

Neque dissimilia sunt, quæ ex veteri Testamento possunt proferri. Eligam perpauca. In Psalmo 17. legimus: *Salvum me fecit, quoniam voluit me.* Apud Ezech. 38. promittens Deus Electis suis immutationem cordis, aliaque spiritualia bona, quæ sunt effectus prædestinationis æternæ, ait: *Non propter vos ego faciam, sed propter nomen sanctum meum.* Et ne multus fiam, 1. Regum, Psalm. 22. 78. 105. & Jerem. 14. implorant justi gratiam, salutem, ac beatissimam æternitatem propter gloriam divini nominis. Constat ergo ex his, aliisque permultis Sacrarum Scripturarum textibus non propter merita hominum, sed secundum beneplacitum Dei fieri prædestinationem Sanctorum.

Adversarii respondent in his locis agi tantum de Electione ad fidem, ad Evangelium, ad gratiam, sive de prædestinatione ad gloriam complete & adæquate acceptam, prout etiam auxiliorum dona complectitur. Sed inaniter ludunt operam. Nam fructus, qui manet, non est fides, non gratia; sed finalis perseverantia, consummata caritas, & sempiterna beatitudo. Neque eligi dicuntur Sancti ad Sanctitatem & gratiam, sed e contra Sanctos & immaculatos fieri, quia sunt electi; ut observat in primum caput ad Ephes. Hieronymus. Sors quoque Sanctorum non potest esse sola fides, aut gratia, quoniam hæc reprobi quamplures participant. In Epist. autem ad Titum expresse ex Dei misericordia repetitur consecutio salutis. Discernunt quidem fides & gratia inter incredulos & fideles, inter impios ac Sanctos; sed discretio ista est temporalis, non sempiterna; nam qui prædestinati non sunt, partem habebunt cum infidelibus. Quid ultra expetis? Ut dicatur cælorum regnum complacita Dei benignitate promissum? Id Lucas affirmat cap. XII. 32. *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Et Christus Dominus de ovibus, quas *dedit ei Pater*, Joannis x. 28. *Et ego*, inquit, *vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Quinam sunt autem, nisi prædestinati ad gloriam, oves, quæ e manu pastoris rapi non poterunt? & quare non erunt oves hæ rapiendæ, nisi quia Pater eas elegit, & dedit Christo? Sed hæc omnia brevissime complexus sum, ut unicum D. Pauli testimonium accuratius expendam.

Est illud in Epist. ad Romanos cap. IX. ubi Apostolus ad demonstrandum adoptionem filiorum Dei ex carnali generatione, aut ex operibus prævisis nequaquam pendere, sed unicam habere caussam in Dei beneplacito, affert exemplum duorum filiorum Isaac, Jacob, & Esau, & v. 11. ait: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Hoc loco Apostolus pares fuisse demonstrat Jacobum & Esau, quantum ad parentes, quia ex uno concubitu eos genuit Rebecca; & quantum ad merita eorum, quia ex solo Dei proposito, extantibus adhuc puerulis in utero, prædictum est matri Genes. xxv. 23. *Major serviet minori.* Et ne quis objiceret Deum esse iniquum, qui absque meritorum intuitu unum elegit, non alterum, addit protinus: *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor, cujus misereor, & misericordiam præstabo, cujus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Rursus aptissimo exemplo coercet hominum querimonias. *O homo*, inquit, *tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, & aliud in contumeliam?* Deinceps

ne quis

ne quis reponeret Deum esse crudelem, qui odisset Esau; ait odium erga Esau fuisse ex justitia, & amorem erga Jacob ex misericordia: *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Ex quibus apparet filios promissionis & adoptatos in hæreditatem Christi fuisse præfiguratos in Jacob: Atqui Jacob nullo meritorum suorum intuitu electus est, sed benevola voluntate Dei, qui miseretur cujus vult misereri: Ergo, &c.

Contra apertissimum testimonium Apostoli variis interpretamentis sese adversarii tutantur. Ac primo nonnulli respondent loqui Apostolum de prædestinatione ad Evangelicam legem, & ad gratiam, non vero de prædestinatione ad gloriam; sed refutantur quamfacillime. 1. quia vocati *secundum propositum* sunt juxta Apostolum prædestinati etiam ad gloriam. Scribit enim præcedenti cap. VIII. *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt Sancte.* At iis, qui electi sunt ad solam fidem vel gratiam, non omnia cooperantur in bonum, quia ex istis reprobi peccant, & plures nusquam a peccatu resurgunt, & omnes pessima morte decedunt; & consequenter his neque mors, neque permissio peccati cooperantur in bonum. Deinde de prædestinatis ait ibidem Apostolus vocati, justificari, glorificari. *Quos autem prædestinavit*, inquit, *hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Qui ergo non glorificantur, non sunt de numero illorum prædestinatorum, de quibus D. Paulus instituit sermonem. Rursus de his scribit non separari a caritate Christi, sed angustias, famem, nuditatem, gladium, & adversa omnia superare *propter eum, qui dilexit nos.* At qui fidem & gratiam recipiunt, sed non finalem perseverantiam, ab ea caritate morte perpetua separabuntur. Præterea Apostolus vocat prædestinatos vasa misericordiæ, & vasa honoris; honor autem electorum est vita æterna; qui enim hanc deperdent, in opprobrium sempiternum tradendi erunt. Denique concludit Apostolus vasa misericordiæ præparata esse in gloriam; at quamplurimis confertur gratia, quibus tamen non est præparata gloriæ beatitudo. Quamvis ergo loquatur Apostolus de vocatione ad legem Evangelicam & de prædestinatione ad gratiam, quod verum est; tamen non denegat electionem ad gloriam, sed contra ostendit ex hac electione conferri Electis a Deo & fidem & gratiam, & specialiter efficax auxilium, quo separari non possunt a caritate Dei, quo finaliter perseverant, quo in vasis misericordiæ gloriæ suæ divitiæ manifestantur.

Alii respondent loqui Apostolum de prædestinatione ad gloriam, & hanc non esse ex prævisione meritorum, quæ comparantur naturæ viribus, sed esse tamen ex præscientia operum, quæ perficiuntur auxilio gratiæ. Verum neque hæc responsio subsistit. Si enim Apostolus sola naturalia opera excluderet, frustra sibi objecisset Deum fore iniquum, & acceptatorem personarum. Immerito quoque recurrisset ad merum beneplacitum Dei, qui misericordiam impendit cui vult; atque nulla ratione ex his, quæ dixerat sequenti cap. XI. conclusisset prædestinationis mysterium & judicia Dei esse inscrutabilia. Etenim quilibet etiam ingenio rudis percipit quæ affirmat Apostolus locum non habere, si prædestinatio fiat ex prævisione meritorum etiam quæ comparentur per gratiam. Tunc enim non est respondendum: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, aut *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Non utique; sed respondendum esset, nullam apud Deum esse iniquitatem, nullamque personarum acceptationem, quia hunc prædestinavit, illum repulit non secundum propositum voluntatis suæ, sed secundum præscientiam meritorum. *Quis illum acutissimum sensum* (inquit S. P. Augustinus Epist. 194. alias 105.) *defuisse Apostolo non miretur? Hoc quippe ille non vidit, quando sibi velut adversantis objecti quæstione, non id potius tam breve, tam apertum, sicuti isti putant, verum absolutumque respondit. Cum enim rem stupendam proposuisset, quomodo de nondum natis, nec aliquid agentibus boni aut mali recte dici potuerit, quod unum Deus dilexerit, alium odio habuerit, ipse sibi objecta quæstione motum exprimens auditoris: Quid ergo dicemus, inquit, nunquid iniquitas apud Deum? absit. Hic ergo erat locus, ut diceret quod isti sentiunt. Futura enim Deus opera prævidebat, quando majorem minori serviturum esse dicebat.* Quæ Augustini responsio militat de præscientia operum, quæcumque sint, sive naturalia, sive comparata per gratiam unicuique communem. Accedit quod Apostolus ait: *Antequam aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante, &c.* Vide non ad opera gratiæ, sed ad vocantis electionem ac propositum Jacobi prædestinationem referri. Tandem duo illi gemini Jacob & Esau, *Cum nondum nati fuissent*, neque naturalia, neque supernaturalia opera perpetraverant; & consequenter Apostolus utraque excludit.

Respondet Beccanus ex nostra explicatione sequi etiam Esau fuisse reprobatum absque præscientia meritorum, quod est dogma Calvinianum. At inepta consecutio; nostra enim sententia docet reprobationem negativam fieri propter originale peccatum, quod oderat Deus in Esau; positivam vero in adultis & baptizatis propter peccata actualia: & Deum gratis damnare homines, & prædestinare sine culpa ad supplicium, nemo Calvino concedit. De utraque reprobatione agam in fine hujus libri. Nunc adverte Apostolum appellare prædestinatos *vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam*: reprobos *vasa iræ apta in interitum*. Non prædestinat ergo istos ad malum, sed adinvenit *aptos ad interitum*.

Denique quidam reponunt non agere Apostolum de singulorum hominum prædestinatione, aut reprobatione, sed de sorte populi Judæorum & populi Gentilium, utriusque enim typum gerebant Jacob & Esau, ut habetur Genes. XXV. 23. & Malachiæ I. 2. & 3. & consequenter designare prædestinationem Judæorum ad possessionem terræ Chanaam, Gentium ad hæreditatem in solitudine, & inter dracones deserti. Addunt non esse firmissimum argumentum a sensu literali ad mysticum. Verum & hæc futilia sunt, & inania. Detur namque Jacobum prædestinatum ad possessionem terræ Israel typum fuisse Judaici populi, Esau præordinatum ad montium solitudinem figuram fuisse Gentilium, certe Paulus non de electione ad bona temporalia loquitur, sed de prædestinatione ad gloriam, ut supra vidimus. Hinc fatetur sibi esse tristitiam magnam, & continuum dolorem cordis, quoniam Israelitæ, qui erant cognati ejus secundum carnem, & quorum erat adoptio filiorum, & testamentum, & legislatio, & promissa, a caritate Christi, & Sanctorum sorte deciderint. Ait tamen non excidisse Dei verbum, quoniam veri Israelitæ sunt filii Dei, & filii promissionis æstimantur in semine. Sic a literali sensu ad mysticum transit Apostolus, & in Jacob prædestinatos, in terra Chanaam cælestis Jerusalem hereditatem exponit: quasi dicat, Quemadmodum nullis prævisis operibus Jacob prędestinatus fuit ad terram promissionis; ita ante præscientiam meritorum ad cælestem patriam prçordinantur electi. De sensu autem literali ad mysticum validissime argumentamur, si prior sensus, ut contingit in casu, sit in Veteri Testamento, alter expressus in Novo.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

Primo opponunt locum Matth. cap. XXV. *Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Ergo intuitu operum regnum cæleste paratum est.

Resp. dist. ant. & Evangelica verba simul explano: ita ut illo textu, *Esurivi, & dedistis mihi manducare*, significetur caussa ac motivum possessionis regni, concedo; caussa ac motivum præparationis, ac prædestinationis, nego. Ea verba *Esurivi, &c.* non referuntur ad dictionem istam *paratum*; sed ad verba, *venite, & possidete*: & ideo non respiciunt regni prçparationem, sed possessionem. Quod constat ex verbis quæ consequuntur. Dicturus est enim Christus reprobis: *Discedite a me in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus: esurivi enim, & non dedisti mihi manducare.* Porro hoc in loco caussalis, *Esurivi enim, &c.* refertur ad verba, *Discedite in ignem æternum*, non ad alia, *qui paratus est diabolo, & angelis ejus.* Diabolo enim non est paratus infernalis ignis eo quod homines facturi non essent opera misericordiæ. Sic itaque etiam prior sententia exponenda est.

Insurgit Frassen; Ex prędicto loco infertur reprobos damnari propter demerita: Ergo infertur electos prędestinari propter pręvisa merita.

Resp. cum alio Scotista Francisco Henno retorquendo argumentum. Non infertur ex prędicto loco ignem inferni paratum diabolo propter carentiam eleemosynarum: Igitur neque inde infertur regnum cælorum paratum fuisse propter eleemosynarum distributionem. Resp. 2. ut supra, propter demerita reprobos in ignem sempiternum detrudi, ac propter merita electos regnum possidere: neque istic agi de prędestinatione, sed de judicio: pręsertim cum etiam parvuli baptizati regnare debeant in cælis, qui nullam largiti sunt eleemosynam.

Opp. 2. In Scripturis æterna vita appellatur *merces, denarium, bravium, corona justitiæ, &c.* Ergo propter bona opera prędestinantur electi.

Resp. dist. ant. & hæ appellationes concernunt ordinem *executionis*, conc. ordinem *intentionis*, nego.

At inquies: Nemo vult dare alicui mercedem ac præmium, nisi ex meritis: Igitur si in Scripturis gloria appellatur merces ac præmium, Deus non intendit conferre gloriam nisi propter merita.

Resp. dist. maj. Nemo vult dare alicui mercedem ac prçmium nisi ex meritis, ita ut merita sint motivum voluntatis dandi mercedem ac prçmium, nego maj. ita ut qui vult dare mercedem comparandam ex meritis, prçparet etiam ipsa merita, quibus merces comparetur, concedo maj. Utique Deus vult dare gloriam ut mercedem, atque ut prçmium meritorum; sed merita non sunt motivum divinæ voluntatis, qua primo intendit gloriam alicui. Quod explicatur exemplo. Si Rex audiens prçclara alicujus viri faci-

facinora, eumque antecedenter vix noverit, & propter egregia ejus opera illum ad Reipublicæ munia, ac Magistratus honores promoveat, vult quidem honorem conferre meritis, & sunt hæc caussa princeps regiæ voluntatis. At si Rex inter familiares suos aliquem summopere diligens velit illum ad gradus ac dignitates promovere, sed quoniam conferuntur strenuis & qui inferiora munera obierint, idcirco electo familiari media ministret, quibus dignitatem promereatur, E. G. constimat ducem militiæ, exhibeat illi arma, committat regimen urbium, pecuniam atque indulta largiatur, expletisque negotiis ad præfixum honorem adsumat: tunc certe Rex confert dignitatem ex meritis; sed *τὸ ex meritis* non appellat beneplacitum Regis, sed solam dispensationem mercedis; eo quod familiari suo primum liberalem impendit dilectionem, deinde ex præconcepta intentione omnia illi prædicta media suppeditaverit. Hoc secundo modo de divina prędestinatione discurrendum esse contendimus. Addo ex Suaresio lib. 2. de Caussis Prędest. cap. 23. non sequi, datur meritum respectu gloriæ, quæ est effectus prędestinationis, ergo datur meritum respectu prędestinationis, quæ est caussa gloriæ; multæ siquidem sunt caussæ effectus prędestinationis, quæ non sunt caussæ prędestinationis illorum effectuum. Prędicatio enim S. Ambrosii fuit caussa conversionis Augustini, & conversio Augustini est effectus prędestinationis ejusdem. At prędicatio Ambrosii non est caussa prędestinationis Augustini, sed est effectus ac medium ad conversionem. Eodem modo prędestinatio est caussa gloriæ, merita sunt media ad gloriam, gloria est effectus prędestinationis ac meritorum, nec tamen sequitur merita esse caussam prędestinationis. Denique adversarii nonne adstruunt generalem voluntatem salvandi omnes antecedentem ad merita, & tamen docent gloriam meritis ipsis retribui? Nihil ergo nos dicimus de voluntate efficaci, nisi quod ipsi docent de voluntate conditionata.

Opp. 3. Apost. ad Rom. c. 8. ait: *Quos præscivit & prædestinavit*: Ergo pręscientia meritorum est caussa prędestinationis.

Resp. 1. dist. ant. Et nomine præscientiæ intelligitur actus dilectionis, conc. Intelligitur actus cognitionis bonorum operum, nego. In sacris literis præscientiæ nomen sæpissime pro dilectione usurpatur, ut ad Rom. XI. *Non repulit plebem suam quam præscivit*. Ad Tim. 2. *Cognovit Dominus qui sunt ejus*. Matth. 25. *Non novi vos*. Joan. X. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oves meas*. Hoc pacto in adducto textu nomen præscientiæ usurpatur. Primo quia absolute ponitur nomen præscientiæ, neque ulla mentio fit meritorum: non enim ait Apostolus, *quos præscivit bene victuros*: sed tantum *quos præscivit*. Deinde quia verbum *præscivit* particula *Et* copulavit cum verbo *prædestinavit*; ita ut unum sit alterius explicativum ac synonimum, ut in lib. 2. de Dono persev. cap. XVIII. asserit Augustinus. Usurpant verbum *cognoscere* pro *diligere* etiam latini scriptores, & Hebræi passim. Vide lib. IV. c. 2. Prętcrea dist. cons. Ergo pręscientia est caussa prędestinationis: *præscientia* personæ, quæ opera meritoria factura est, conc. *præscientia* meritorum illius personæ, nego. Si velis pręscientiæ nomen pro actu intellectionis accipere, dicam quod Deus pręscivit, *id est*, pręcognovit personas, quas prędestinavit conformes fieri imaginis Filii sui: non quod ante prędestinationem novit earumdem personarum merita; quoniam hæc ipse Deus *præparavit in Christo, ut in illis ambulemus*.

Opp. 4. II. ad Tim. 2. habetur: *Si quis emundaverit se, erit vas in honorem*: Vas honoris designat prædestinatum. Ergo ab emundatione vitæ prædestinatio dependet. Resp. dist. & explico textum Apostoli: *Si quis emundaverit se, erit vas in honorem*, quemadmodum ab æterno per gratuitam prædestinationem electus erat, conc. *Erit vas in honorem*, idest locabitur in prædestinatorum numero intuitu prævisę emundationis, nego.

Opp. 5. Joannis XVI. habetur: *Pater amat vos, quia vos me amastis*. Præcedit ergo amor hominum, & caussa est amoris divini, atque electionis. Resp. explanando verba Joannis: *Pater vos amat*, idest, majoribus cumulat beneficiis, *quia vos me amastis & credidistis*, concedo: Pater ab æterno amavit vos, quia vos me amaturi eratis in tempore, nego. Istæ, & consimiles Scripturæ phrases tantum significant, quod gratia gratiam meretur, ut observat Ven. Beda Homil. super Evang. Domin. ante Ascensionem, & Estius dist. 41. §. VII. ad 7.

Opp. 6. Psalmo 18. legitur: *Intende ad visitandas omnes gentes, non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem*: Deus ergo priusquam misericordiam exerceat, expectat an homines operentur iniquitatem. Resp. dist. antec. Et loquitur Sanctus David de justitia infligente pœnas, quas merentur iniqui, concedo: de misericordia, quæ iniquos prædestinat, nego. Obvius prædictorum verborum sensus est: *Intende ad visitandas omnes gentes*, justissimis in eas suppliciis animadvertendo, *neque miserearis impiorum*, qui operantur iniquitatem, nisi peccatorum suorum egerint pœnitentiam.

Ultimo opponunt illud Pauli in I. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri*. Sed inde tantum consequitur neminem esse, quem Deus *voluntate antecedenti* nolit salvari: quæ voluntas *antecedens* respicit omnes, ut diximus libro præced., neque est voluntas illa *efficax & absoluta*, quæ refertur ad solos prædestinatos, & qua præparantur beneficia gratiarum, quibus electi a perditione certissime liberantur.

CAPUT VI.

Stet ne revera pro hac Sententia Augustinus.

QUIDAM ex Adversariis fatentur Augustinum gratuitam quidem prædestinationem tradidisse, sed novam invenisse semitam, nova impressisse vestigia: multis ejus sententiam videri horridam atque asperrimam: ex ea multos fideles fuisse turbatos & ad Pelagianos defecisse: ridiculos esse ejus numinis adoratores, qui illum credunt fidelissimum testem antiquitatis. Alii e contra, ne Augustini desertores habeantur, & ne tanti Doctoris videantur abjicere auctoritatem, illum nobis adversari propugnant. Et primis quidem debitam vicem rependit Norisius cap. ult. Vindiciarum; atque supra a me nonnulla quoque dicta fuerunt, unde possit redargui tanta verborum licentia. Nunc contra ceteros de vera Augustini mente disputandum.

PROPOSITIO: S. P. Augustinus docuit apertissime gratuitam prædestinationem ad gloriam.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Cum assereret Pelagius prædestinari homines a Deo, quia illos sanctos & immaculatos fore prævidit, S. P. Augustinus ex adverso docuit sanctitatem ac meritum non esse caussam prædestinationis, sed potius effectum: Ergo Augustinus tradidit homines ad gloriam gratis prædestinari. Prob. ant. verbis S. P. lib. de Prædest. SS. cap. XVIII. *Præsciebat, ait Pelagianus, qui futuri essent sancti & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, qua tales futuros esse præscivit, elegit. Elegit, inquit, antequam essent, prædestinans filios, quos futuros sanctos, immaculatosque præscivit: utique ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse prævidit*. Hęc est Pelagianorum doctrina. *Intueamur ergo* (sequitur Augustinus) *verba Apostoli, atque videamus, utrum propterea nos elegerit ante mundi constitutionem, quia sancti, & immaculati futuri eramus, an ut essemus? benedictus, inquit, Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui nos benedixit in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati. Non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus. Nempe certum est, nempe manifestum est; ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans ut tales per gratiam ejus essemus*. Ergo quod aliqui sint sancti & immaculati, atque tales a Deo prænoscantur, per Augustinum non est motivum, sed effectus prædestinationis divinæ.

Dices cum Vasquesio agere Augustinum de prædestinatione ad *gratiam*, quam negabant hæretici Pelagiani.

Resp. Vasquesium apertissime decipi. Nam Pelagius quadruplex genus gratiæ admittebat. Prima gratia est ipsum liberum arbitrium, ejusque possibilitas; de qua gratia non disputat Augustinus, quia omnibus hominibus communis est, neque ad illam unus præ altero eligitur. Secunda Pelagianorum gratia est remissio peccatorum, de qua pariter non instituitur disputatio, quia Pelagiani asserebant remissionem peccatorum dari sine meritis, ut scribit S. P. lib. de Grat. & lib. arb. cap. 6. Tertia gratia Pelagianorum est lex & doctrina; neque de hac ab Augustino præfato loco disseritur, quia hæc non minus confertur electis, quam reprobis. Quarta gratia est vita æterna. Gratuitam ergo prędestinationem ad ipsam æternam vitam negabat Pelagius, dum affirmabat prędestinationem fieri ex pręscientia meritorum; ideoque Augustinus contra hæreticum illum disputat de prędestinatione ad gloriam. Præterea Pelagius arbitrabatur hominem posse sine gratia justificari & salvari, & tamen fatebatur eligi ac prędestinari certos homines præ aliis; ergo dum aliquorum prędestinationem commemorat, non de prędestinatione ad gratiam accipiendus est, sed de prędestinatione ad gloriam; & consequenter de hac redarguitur ab Augustino. Rursus Sanctus Pater probat quidem gratis homines prędestinari ad gratiam, sed inter eos, qui vocantur gratis, & justificantur, duo distinguit genera, unum eorum, qui non perseverant & non coronantur, alterum eorum, qui recipiunt gratiam perseverantiæ, & coronæ, & ait illos, qui secundum propositum vocati sunt, certissime gloriam consequi: *Electi sunt* (inquit proximo capite) *ea vocatione, qua Deus id, quod prædestinavit, implevit; quos enim prædestinavit, ipsos & vocavit, illa scilicet vocatione secundum propositum: non ergo alios, sed quos ita vocavit, ipsos & justificavit; nec alios, sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, illos & glorificavit*: ubi perspicue appellat prædestinationem secundum propositum non prędestinationem ad gratiam, qua plures vocantur & justificantur, sed prędestinationem ad gloriam, qua vocati & justificati glorificantur. Quare utraque prædestinatio per Augustinum præcedit merita.

Dices 2. Loqui Augustinum de prædestinatione ad initium Fidei contra Semipelagianos.

Resp. neque hanc stare interpretationem; siquidem prædestinatio ad fidem communis est tam electis, quam reprobis.

ARGU-

ARGUMENTUM II.

Augustiniana de prædestinatione *secundum propositum* evulgata Sententia, adversus illam multi Massilienses concitati sunt, ut scribit Prosper data ad Augustinum Epistola: *Multi*, inquit, *servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione Electorum secundum Dei propositum disputasti*. Dicebant enim Massilienses, Deum ante mundi constitutionem *eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præviderit*. Vides apertissime ab his adstrui prædestinationem ad regnum ex meritorum præscientia. *Hoc autem propositum* (inquiunt) *vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuerit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem corporis adferre: eo quod utraque parte superfluus labor sit, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere*. Ajebant quoque *removeri omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntatee, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem*. Itaque Sanctus Augustinus illam tradidit prædestinationem, ex qua Semipelagiani opponebant consequi libertatis exitium, omnemque removeri humanam industriam: Sed opponebant id consequi ex prædestinatione *ad regnum secundum propositum*, atque antecedenter ad præscientiam meritorum: Ergo Sanctus Augustinus hanc secundum propositum prædestinationem aperte tradidit.

Respondent aliqui Semipelagianos improbasse in Augustino gratuitam prædestinationem ad gratiam, & ad fidei initium, & non prædestinationem ad gloriam.

Verum hi sola lectione Prosperi refutantur. Etenim Massilienses dicebant *eos Deum prædestinasse in regnum suum, quos bene operaturos præviderit*; dicebant *quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam; quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui sponte crediderint*: dicebant occasionem negligentiæ exhiberi *per hanc prædicationem propositi Dei, quo fideles fiunt, qui præordinati sunt ad vitam æternam*. Atqui prædestinare in regnum, & præordinare in vitam æternam, est prædestinare ad gloriam, non ad gratiam, vel ad initium Fidei: Reprehendebant ergo Semipelagiani in Augustino prædestinationem ad gloriam. Ad hæc reprobant Massilienses illam prædestinationem, qua ante prævisionem meritorum, est eligendorum atque rejiciendorum facta discretio, & qua alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ creati sunt, prout placuerit Creatori: Atqui, ut mox ostendam, non sunt per Augustinum vasa honoris, neque a massa perditionis discreti, nisi qui prædestinantur ad gloriam: Igitur prædestinationem ad gloriam reprobabant in Augustino Massilienses. Demum contendebant Semipelagiani illos prædestinari ad regnum, quos Deus credituros esse præscivit; Augustinus e contra asserebat credituros esse, ac perseveraturos usque in finem, quos Deus secundum propositum prædestinaverat. Igitur Semipelagiani negabant in electis fidem ac perseverantiam esse effectum prædestinationis ad gloriam.

Alii reponunt improbari a Semipelagianis in Augustino prædestinationem ad gloriam, quæ fit ex prævisione meritorum; nolebant enim acquiescere, inquit S. Prosper, *Prædestinatum Electorum numerum nec augeri posse, nec minui*.

Sed perperam id reponitur: nam Semipelagiani eam prædestinationem improbabant, ex qua eis videbatur auferri liberum arbitrium, & fatalem necessitatem induci: Atqui hæc absurda Semipelagiani consequi putabant ex gratuita prædestinatione ad gloriam, quæ exercitium antecederet libertatis: Igitur Semipelagiani hanc prædestinationem ad gloriam in Augustino improbabant. Rursus constat ex eodem Prospero Semipelagianos admisisse prædestinationem ex meritis: non ergo reprehendebant in Augustino quod & ipsi probabant. Ulterius dum asserebant numerum electorum posse augeri, & minui, loquebantur de numero electorum ante præscientiam bonorum operum, quæ erant facturi; nam post hanc præscientiam quemadmodum determinata sunt merita, ita determinatus est numerus electorum: Ergo dum negabant prædestinatum electorum numerum nec augeri posse nec minui, loquebantur de sola prædestinatione ante meritorum præscientiam.

ARGUMENTUM III.

Illam prædestinationem tradidit Augustinus, qua unus a massa perditionis discernitur, alter in eadem massa relinquitur: At docuit unum discerni a massa perditionis, alterum in eadem massa relinqui per gratuitam prædestinationem ad gloriam: Igitur illam gratuitam prædestinationem tradidit Augustinus. Prob. minor. ex lib. de Corrept. & gratia cap. VII. ubi hæc habentur: *Ab illa perditionis massa, quæ facta est per primum Adam, debemus intelligere neminem posse discerni, nisi quod hoc donum habet quisquis habet, quod gratia Salvatoris accepit*.

Et ne Adversarii respondeant S. Patrem loqui de prædestinatione ad gratiam, qua ex divina liberalitate accepta ex meritorum præscientia fit Electorum discretio, operæ pretium est demonstremus, nullo pacto in Augustiniana sententia dici discretos ac prædestinatos, nisi qui æternam salutem infallibiliter consequuntur. Quod probo I. ex eodem capite, ubi S. Pater docet illos qui non acceperunt perseverantiam finalem, etiamsi gratiæ participes facti fuerint, ab illa tamen massa perditionis non esse discretos: *Qui Evangelium*, inquit, *non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perseverantiam non acceperunt... non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem*. Hæc Augustinus. Sane qui in melius commutantur, prædestinati sunt ad gratiam, & tamen de his affirmat S. Pater, non esse prædestinatos, nisi illis donetur perseverantia. Perspicuum est igitur loqui Augustinum de sola prædestinatione gratuita ad gloriam, quæ sola dicitur in ejus libris *discretio*. De hoc Augustiniano testimonio scribit Petavius lib. IX. cap. VI. n. 10. *Dirimendæ controversiæ sufficere potest, si quis minime studio partium obcæcatus, sed æque veritatis arbiter esse velit*.

Sed etiam clariora sunt verba S. Patris in fine ejusdem Capitis, ubi ait: *Qui vero perseveraturi non sunt, ac sic a fide Christiana & conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat; proculdubio nec illo tempore, quo bene pieque vivunt, in isto numero computandi sunt. Non enim sunt a massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, & ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi; sed in eis vocati, de quibus dictum est, multi vocati: & non in eis, de quibus dictum est, Pauci vero electi*. Eadem repetit capite IX. & cap. XIII. ubi disertissime docet non pertinere ad numerum prædestinatorum qui aut jaceot sub peccato, quod originaliter contraxerunt, aut volvuntur per diversas noxias cupiditates, aut gratiam Dei suscipiunt, sed non perseverant, & deserunt ac deseruntur. Demum in hanc gravissimam sententiam prorumpit: *Numerus ergo Sanctorum per Dei gratiam Dei regno prædestinatus, donata sibi etiam usque in finem perseverantia, illuc integer perducetur, & illuc integerrimus jam sine fine beatissimus servabitur, adhærente sibi misericordia Salvatoris, sive cum convertentur, sive cum præliantur, sive cum coronantur*. Omnia verbo dicam. Non sunt per Augustinum prædestinati & electi secundum propositum nisi prædestinati & electi ad perseverantiam & ad gloriam, ita ut qui credunt, baptizantur, & Deo vivunt, sed non habent donum perseverantiæ, Electi, non dicantur nisi a nesciis futurorum. Si ergo Sanctus Pater tradidit prædestinationem, & electionem gratuitam, de prædestinatione & electione ad regnum est certissime accipiendus.

ARGUMENTUM IV.

Prædestinatio parvulorum, qui sacro tincti lavacro assumuntur in gloriam, gratuita est, & ex nullo meritorum intuitu: sed Augustinus ejusdem generis esse contendit prædestinationem parvulorum & adultorum: Igitur gratuitam utrorumque electionem S. Pater asseruit. *Ex duobus itaque parvulis* (inquit de Dono Persev. cap. IX.) *originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur: & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur ut vocantem sequatur, inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt judicia Dei. Illud autem fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse*. Hoc loco manifestissimum est S. P. Augustinum loqui de prædestinatione parvulorum qui assumuntur in gloriam, & de prædestinatione adultorum, quibus donatur finalis perseverantia; & consequenter non de quacunque electione ad gratiam, sed de electione ad vitam æternam instituere sermonem. Sed & illud manifestissimum est excludi ab Augustino præscientiam meritorum, etiam comparatorum per gratiam, tum quod merita ac perseverantiam repetat ex divina prædestinatione, tum quod recurrat cum Apostolo ad inscrutabilia judicia Dei, nunquam vero ad futurorum operum præscientiam.

Pelagiani, qui hoc argumento Augustini magnopere premebantur, ne in parvulis assumptis veritatem faterentur prædestinationis, in reprobatis vero maculam originalis peccati, dicebant illos eligi, istos rejici præscientia operum, quæ facturi erant, si pervenissent ad usum rationis. At S. Pater hanc eorum responsionem pluribus rejicit. I. Quoniam tribuitur Sap. 4. divinæ misericordiæ si rapiat pueros antequam malitia pervertat intellectum eorum; ideoque peccata quæ prævidentur futura, si diutius viverent, divino non puniuntur judicio. II. Quia unusquisque, ut scribit Apostolus in 2. ad Corinth., ante tribunal Christi stabit, ut referat secundum ea quæ gessit in corpore, non secundum ea quæ fuerat patraturus, si ultra vixisset. III.

Quod

Quod non remittantur per baptismum peccata quæ prævidentur futura: non ergo istiusmodi peccata judicio Dei puniuntur. *Abhorret ergo*, (ut Augustini utar verbis lib. de Dono Persev. cap. IX.) *ea Pelagianorum responsio ita a sensibus Christianis, aut prorsus humanis, ut id etiam refellere pudeat*. Legite S. P. & de Prædest. SS. cap. XII. & Serm. 26. de Verbis Apost. cap. 12.

Ulterius Pelagiani asserebant parvulos prædestinari ac reprobari propter parentum suorum merita: quod falsum esse pluribus deprehenditur. I. Quia plerumque festinantibus ac paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo sic disponente non baptizatus decedit. II. Quia experientia compertum est ex bonis parentibus improbos gigni filios, ut Absalon ex David; ex malis procreari bonos, ut Enoch ex Cain, atque ex eodem femore bonos ac malos, ut ex Abraham Ismael, & Isaac. III. Quoniam contingit aliquando, ut eadem mater alium natum portet ad gratiam, alium invita suffocet: quod merito S. Pater in Dei refert potestatem, & in altitudinem divinorum judiciorum.

Reponebant rursus hæretici Deum velle quidem omnium parvulorum salutem, sed secundas caussas impedire ne ad gratiam perveniant baptismatis. At S. P. Augustinus hæc subterfugia sequentibus verbis retundit: *Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus subvenire, illis autem non subvenire, cum sit utriusque caussa communis: aut res humanas in parvulis non divina providentia, sed fortuitis agi casibus opinabimur, cum rationales vel damnandæ, vel liberandæ sint animæ, quandoquidem nec passer cadit in terram sine voluntate patris nostri, qui in cælis est*. Cap. XII. de Dono Persev. Ita parvulorum exemplo non solum refutatur hæresis Pelagiana, sed roboratur etiam sententia gratuitæ ad gloriam præordinationis.

Si dixeris prædestinationem parvulorum gratuitam esse etiam in ordine *executionis*, ideoque non esse normam electionis, qua prædestinantur adulti; Resp. *in intentione* & parvulos & adultos prædestinari secundum propositum divinæ voluntatis, & utrisque præparari beneficia certissimæ liberationis, quæ judicio Dei inscrutabili reprobis denegantur: & in hoc eadem est caussa parvulorum & adultorum. At media, quæ electos ad beatam vitam perducunt, non sunt prorsus eadem. Parvulis præparatus est baptismus & raptus ante usum rationis: adultis vero baptismus & finalis perseverantia. Ergo illi rapiuntur nondum capaces merendi: isti assumuntur post meritum. Hæc est ratio cur regnum cælorum est corona justitiæ adultis, non parvulis; licet prædestinatio ad regnum sit gratia tam parvulis, quam adultis.

ARGUMENTUM V.

Hoc est discrimen, ut diximus lib. IV. cap. 8. inter prædestinationem Angelorum, & filiorum Adæ, quod illis beatitudinis plenitudo fuit *merces meriti*; istis vero est *gratiæ beneficium*. Id ex eo probatur, quoniam contulit Deus creaturæ innocenti adjutorium, *quo permaneret si vellet*; sed ipsam perseverantiam in ejus reliquit arbitrio. Infirmitati autem voluntatis humanæ taliter subventum est, ut per gratiam Salvatoris non solum detur illi *posse perseverare*, sed etiam *perseverantia ipsa donetur*. Hæc capite laudato satis videor mihi demonstravisse. Percipiuntur vero, ut docent Theologi, divina decreta ex qualitate mediorum; & erga eos, quibus conferuntur media indifferentia, datur divina antecedens electio conditionata tantummodo: sed erga illos quibus donantur auxilia ab intrinseco efficacia & infallibilia, datur prædestinatio absoluta, & a nulla conditione dependens. Igitur quemadmodum prædestinatio Angelorum fuit conditionata & ex præscientia meritorum, quia illis datum est solum *posse perseverare*: ita hominum lapsorum prædestinatio est absoluta & antecedens quæcunque merita, quia istis donatur etiam actualis *perseverantia*. Atque hęc sententia, inquit Ludovicus Habert cap. XIX. Paragr. III. Q. 2., est communis inter Theologos post S. Augustinum lib. de Corrept. & Grat. cap. X. Quare non videntur cohęrere principiis, qui negant in Angelis necessitatem gratię efficacis, & adstruunt gratuitam eorumdem prædestinationem, ut fecit noster Lasosse: sed aut Thomistis, aut Medistis, aut nobis assentiendum est; & in utroque statu debet admitti prædestinatio gratuita cum gratia efficaci, aut conditionata cum gratia versatili; sive in statu innocentiæ prædestinatio ex præscientia meritorum cum adjutorio *sine quo*, & in statu infirmitatis cum adjutorio *quo* prædestinatio gratuita. Itaque Augustinus, qui in hoc statu efficacem gratiam propugnat, etiam absolutam electionem asserere tenebatur. Sed lege capita 8. & 11. libri IV.

ARGUMENTUM VI.

Postremo Magnus Augustinus, ut cetera prætermittam, lib. de Prædest. SS. cap. XV. affirmat prædestinationem Christi esse nostræ prædestinationis exemplar: Sed prędestinatio Christi ad unionem hypostaticam, ad sanctitatem, & ad gloriam fuit omnino gratuita: Ergo & talis est Sanctorum hominum prædestinatio: *Est etiam* (inquit S. Pater) *præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ, ipse Salvator, ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est, comparavit? Respondeatur, quæso, ille homo ut a Verbo Patri coæterno in unitatem Personæ assumptus filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? quod ejus bonum qualecunque præcessit? Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret?*

Adversarii respondent etiam hoc loco Augustinum loqui de prędestinatione ad fidem & ad gratiam: quod probant hoc argumento: Augustinus appellat Christum pręclarissimum lumen nostrę prędestinationis & gratię: *gratiæ*, inquit, non *gloriæ*. De prędestinatione ergo ad gratiam sermonem habet.

Verum haud operosum erit responsionem illam refutare; cum Augustinus ex prędestinatione Christi inferat eos, qui prędestinati sunt, gratis eligi ad fidem, gratis ad regenerationem, gratis ad finalem perseverantiam; ita ut ideo credant, ideo speciali vocatione trahantur, ideo in fide ac sanctitate permaneant quia fuerunt electi secundum propositum, conformes fieri imaginis Christi, ideoque in electis, & fides, & regeneratio, & perseverantia sint effecta prædestinationis ad Gloriam, non caussa. Posteaquam enim S. Pater Exemplum Christi proposuit, enucleate recenset quid Deus Electis suis impertiatur, atque primum de Fide inquit: *Sicut ergo prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset; ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus. Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet, quæ regnat Dei gratia per Jesum Christum Dominum nostrum*. Posthac de speciali vocatione, qua trahuntur Electi, S. Doctor hæc profert: *Vocat enim Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici Filii sui, non ea vocatione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias: illa quippe vocatione & Judæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est, & Gentes, quibus Christus crucifixus stultitia est: sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus dicens ipsis vocatis Judæis, & Græcis prædicare se Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam, sciens esse quamdam vocationem eorum, qui secundum propositum vocati sunt, quos præscivit, & prædestinavit conformes imaginis Filii sui*. Insuper de iis, qui hac peculiari vocatione trahuntur, ait Augustinus: *Ad hanc vocationem qui pertinent, omnes sunt docibiles Dei, nec potest eorum quisquam dicere: credidi ut sic vocarer: prævenit eum quippe misericordia Dei, quia sic vocatus est ut crederet. Omnes enim docibiles Dei veniunt ad filium, quoniam audierunt, & didicerunt a Patre per Filium, qui evidentissime dicit, Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me. Istorum autem nemo perit, quia omne, quod dedit ei Pater, non perdet ex eo quidquam. Quisquis ergo inde est omnino non perit, nec erit inde qui pereat*.

Itaque Augustini argumentum erat, Christum Dominum esse prædestinationis & gratiæ exemplum præclarissimum, quoniam sicut ille nullis præcedentibus meritis prædestinatus fuit ut esset caput nostrum, atque ex hac prædestinatione natus est *de spiritu & virgine absque ullo peccato*; ita qui prædestinati sunt a Deo ut sint membra Christi; non quidem uti sunt fideles reprobi, sed membra, quæ non pereant, nec dividantur a corpore, certa vocatione trahuntur, credunt, regenerantur, ac perseverant, eisque quodlibet peccatum dimittitur. Hunc Augustini sensum aperte exhibent vetustæ sententiæ ante annos 800. ex ejus libris collectæ, & editæ a Sirmondo Tom. 2. pag. 944. Quamobrem S. Pater propugnat, traditque gratuitam prædestinationem ad Fidem & ad Gratiam, neque id quispiam denegat: sed commonstrat simul & fidem & gratiam & vocationem Electorum esse effecta gratuitæ prædestinationis ad gloriam; quomodo nativitas & gratia Christi effectus fuit illius prædestinationis, qua prædestinatus est ut fieret Caput nostrum: atque ex ipsa gratuita prædestinatione ad gloriam probat Augustinus fidem non esse ex nobis, quoniam si ex nobis, nemo prædestinatus esset ad gloriam *secundum propositum*.

Becanus argumento respondet nihil eo concludi, quoniam Christus consecutus est gloriam sine meritis, & nos illam per merita comparare debemus; ideoque de Christo ad homines non valet illatio. Sed Becanus suamet doctrina revincitur. Si enim exemplum Christi allatum ab Augustino non tenet de consecutione gloriæ, quæ nobis rependitur propter merita; accipiendum ergo est de *ordine intentionis*, in quo ad gloriam prædestinentur electi absque meritorum præscientia. Deinde neque Christus absque meritis omnem gloriam consecutus est, illam præsertim, qua constitutus est Caput prædestinatorum, & Sponsus Ecclesiæ. Etenim legimus in Evangelio: *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Et de Ecclesia scribit Apostolus, *Quam acquisivit sanguine suo*. Habuit itaque Christus a primo instanti beatitudinem, eamque præcedentem quæcunque merita: sed non habuit omnem gloriæ extensionem, quam sibi promeruit morte, teterrimoque Crucis supplicio.

Quod si dicas nonne debet esse discrimen inter prædestinatio-

nationem Capitis ac membrorum ? Imo & maximum : at non situm est in eo quod Christus prædestinatus sit gratis ad gloriam, & nos ad gratiam. Non, inquam, istud intercedit inter nos & Christum discrimen : sed ille ex nullius meritis nos ex meritis ejus fuimus prædestinati ; idque pertinet ad gloriam Capitis, atque ad conditionem membrorum.

SOLUTIO EORUM, QUÆ OBJICIUNTUR.

Opp. 1. S. P. Augustinus lib. 1. ad Simpl. Q. 2. explicans verba Apost. ad Rom. IX. *Ut secundum electionem propositum Dei maneret*, ait : *Non secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio, idest non quia invenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideo manet propositum justificationis ipsius : sed quia illud manet, ideo invenit opera, quæ jam eligat ad regnum cælorum : nam nisi esset electio, non essent electi ; nec recte diceretur : Quis accusabit adversus Electos Dei ? Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio : nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo qui rejicitur. Unde quod dictum est, Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum nisi præscientia.* Atqui ex his verbis constat electionem a bonis operibus, non a Dei beneplacito petendam esse : Ergo, &c.

Huic argumento non una responsione Theologi occurrunt. Quidam cum Bellarmino respondent Augustinum, dum hæc scripsit, *Nondum diligentius quæsivisse quænam sit electio gratiæ, de qua dicit Apostolus : Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt* : ut ipse profitetur lib. 1. Retract. cap. 23. Neque officit quod opponunt Lessius & Vasquez, S. Patrem, in 2. Retract. lib. cap. 2. & de Prædest. SS. cap. 4. affirmare se in libris ad Simplicianum tradidisse veram de gratia sententiam : hoc namque perleve est ; approbat enim duntaxat quæ scribens ad Simplicianum specialiter pertractaverat, scilicet gratiæ necessitatem, non vero vocabulum *electionis*, quod a se minus recte acceptum testatur. Alii respondent verba Augustini hunc sensum reddare : *Non quia Deus invenit opera bona in hominibus, ideo manet propositum, quia hæc bona opera disponuntur ex vi ejusdem propositi, unde non sunt causa ipsius, sed effectus* : ideoque ex hoc loco Augustiniana sententia potius corroboratur : & hac responsione utuntur communiter nostrates. Henricus Florez plurium rationum complexu nititur ostendere præfata verba non ex mente Augustini proferri, sed ex sententia adversariorum, quam in sequentibus rejicit, dicens : *Non igitur ex præscientia voluit intelligi factam electionem minoris, ut major ei serviret.* Sunt qui reponant omnem quidem electionem importare distantiam inter eum, qui eligitur & eum qui rejicitur, ut advertit Sanctus Pater ; sed necesse non est talem distantiam præsupponi, cum sæpenumero ab ipsa electione caussetur. Nam electio ad gratiam, ut fateri debent adversarii, non supponit in electis distantiam, sed facit ; & amor, quo Deus prosequitur creaturam, non præsupponit in ea bonitatem antecedenter ad Dei amorem, sed ipse amor bonitatem creaturæ impertitur. Hæc omnia probabilia sunt, & sufficiunt ad argumenti propositi solutionem.

Sed ego aliter respondendum esse arbitror. Docuit Sanctus Pater duplicem esse *electionem*, ut demonstrat adversus Vasquesium P. Petavius. Alia est *electio* antecedens & gratiæ : alia est *electio* consequens & justitiæ. De priori electione loquitur Augustinus lib. V. adversus Jul. cap. 3. dicens : *Nullum elegit dignum, sed eligendo effecit dignum* : de secunda lib. de Prædest. Sanctorum cap. 17. *Intelligamus ergo vocationem, qua fiunt Electi.* Electio illa præcedit vocationem ac meritum : electio ista meritum & vocationem consequitur : una est caussa cur præparentur electis gratiæ beneficia ; altera est hujusmodi beneficiorum effectus : per illam electi discernuntur in mente Dei ab æterno ; per istam separantur in tempore.

Resp. itaque nullum esse adversus nos propositum argumentum ; nam in 1. ad Simplicianum Q. 2. loquitur Augustinus de electione consequenti, non antecedenti. Et constat, quandoquidem S. Pater ait : *Electio non præcedit justificationem, sed electionem justificatio.* Igitur *electio*, de qua loquitur Augustinus, est temporalis assumptio ad gloriam, quæ subsequitur justificationem. Deinde ait : *Nemo enim eligitur nisi distans ab illo qui rejicitur* : in electione autem æterna nullus distabat ab alio, sed omnes in eadem eramus perditionis massa. Tertio dixerat paullo ante non esse electionem ex præscientia : *Non igitur ex præscientia voluit intelligi Apostolus factam electionem* ; igitur dum ait electionem esse ex præscientia, de diverso electionis genere est exponendus. Si autem quæras, cur Augustinus *Electionis* nomen, quo proprie significatur æterna prædestinatio, usurpet ad demonstrandum prædestinationis effectum, tunc respondeo adhuc fuisse ambiguum, num daretur vera Electio inter pares, & nondum diligentius distinxisse inter *Electionem* gratiæ, & *Electionem* justitiæ, ut animadvertit citato lib. Retract. 1. cap. XXIII. qua distinctione posita araneorum telæ sufflamine dissipantur.

Nota obiter Vasquesium, qui hoc argumento potissimum utitur, exponere Augustinum in aliis omnibus testimoniis de Electione ad gratiam, non ad gloriam. Quare ergo hoc loco de prædestinatione ad gloriam Augustinum interpretatur ? Ait Augustinus eadem Quæstione ad Simplicianum, paucis interjectis, prædestinatum fuisse Jacobum *liberalitate donorum Dei, non electione meritorum.* De qua disputat prædestinatione ? Si de Prædestinatione ad gratiam, quare Vasquesius detorquet verba Augustini ad solam gloriæ electionem ? Si de Prædestinatione ad gloriam, cur non fatetur hanc fieri citra omnem præscientiam meritorum ? Sed lege Dionysium Petavium adversus Vasquez disserentem lib. IX. cap. XIV.

Opp. 2. Augustinus lib. de Prædest. SS. cap. XIX. asserit prædestinationem, de qua tractat, ad fidem pertinere : *Hoc scio*, inquit, *neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas Sacras defendimus, nisi errando disputare potuisse* : Gratuita prædestinatio ad gloriam non spectat ad fidem : Igitur Augustinus non disputat de gratuita ad gloriam prædestinatione.

Resp. non deesse qui censent Augustinianam de Prædestinatione ad Gloriam sententiam pertinere ad fidem. Nam Patres Synodi Sardiniensis in fine libri de Incarnat. & Grat. id aperte testantur. Claudius Aquaviva in delectu quæstionum, de quibus scripsi pag. 135. affirmat hanc doctrinam communiter recipi in Scholis, tradi ab Ecclesiæ Patribus, & semper hujus prædestinationis oppugnatores male audivisse. Ab hac de Prædestinatione sententia Recentiores non sine periculo recedere, scribit ad annum 490. Baronius. De Bellarmino & Simoneto dictum supra. Posset ergo negari minor propositio. Responderi etiam posset spectare ad fidem, in quantum ex veritate irrefragabili, quod finalis perseverantia sit speciale donum gratiæ, ipsa prædestinatio gratuita ad regnum necessaria illatione consequitur. Sed ut nullum de alienis placitis proferamus judicium, dicimus spectare utique ad fidem gratuitam prædestinationem ad gratiam, & de hac etiam pertractare Augustinum ; sed illam invictissime comprobare ex divino proposito dandi gloriam, ex quo series omnis gratiarum præparatur Electis ; ut argumentis præcedentibus demonstravi. Addunt quidam Augustinum scripsisse traditam a se doctrinam pertinere ad fidem, quoniam eo tempore illam oppugnabant soli Semipelagiani.

Prætermitto quæ opponi solent ex libro VI. Hypognosticon, ex quæstione 68. inter LXXXIII. atque ex Propositione LV. in Exposit. Epist. ad Rom. Liber enim Hypognosticon falso tribuitur Augustino. Quæstiones LXXXIII. conscriptæ sunt ante Episcopatum, cum adhuc Semipelagianorum detineretur errore. Quæ vero traduntur laudata Prop. LV. retractantur lib. 1. Retract. cap. XXIII.

S C H O L I O N.

„ DUro instituimus de Prædestinatione, aut de repro-
„ batione quæstiones, ut Augustini mentem perci-
„ piamus, oportet ea expendantur quæ ab illo cum de
„ parvulorum, tum de electorum electione, ac damnatio-
„ ne traduntur. Qui nolleut parvulorum sortem ad exem-
„ plum adultorum afferri, noverint se ea in re Semipela-
„ gianorum calcare vestigia. De his enim scripsit ad San-
„ ctum Doctorem Hilarius, *Parvulorum autem causam ad*
„ *exemplum majorum non patiuntur afferri.* Beatus autem
„ Prosper, *Cumque inter hæc innumerabilium illis multi-*
„ *tudo objicitur parvulorum, qui utique excepto originali*
„ *peccato, sub quo similiter omnes homines in primi homi-*
„ *nis damnatione nascuntur, nullas adhuc habentes volun-*
„ *tates, nullas proprias actiones, non sine Dei judicio se-*
„ *cernuntur ; tales ajunt perdi, talesque salvari, quales fu-*
„ *turos illos in annis majoribus, si ad activam servarentur*
„ *ætatem, scientia divina præviderit.*
„ Exemplo itaque parvulorum utitur S. Pater non tan-
„ tum in locis superius *Argum. IV.* productis, verum et-
„ iam lib. de Præd. Sanct. cap. 13. ubi plura scitu digna,
„ & quæ adversariorum responsiones eliduni, perutile erit
„ advertere. Atque illud cum primis, Semipelagianos qui
„ fatebantur nasci omnes homines originali labe inquina-
„ tos, respondendi & evadendi viam ostendere rigidiori-
„ bus Pelagianis dogmatizantibus nullum dari originale
„ peccatum, neque baptismum conferri in peccatorum re-
„ missionem. Sicut enim Semipelagiani ajebant puerulos
„ raptos post baptismum acerbo funere esse prædestinatos,
„ & decedentes absque baptismate esse reprobatos ob fu-
„ turorum operum, quæ fecissent victuri, præscientiam
„ divinam : Ita Pelagiani *Dicerent* (verba sunt Augu-
„ stini) *prorsus nullum esse originale peccatum, sed pro suis*
„ *futuris, si viverent, meritis vel baptizari, vel non bapti-*
„ *zari eos, qui de corpore solvuntur infantes : & in vera*
„ *remissione peccatorum baptizari, quoniam nullum ex Adam*
„ *traherent ; quoniam remittuntur eis futura peccata, de*
„ *quibus illos Deus pœnitentiam præscivit acturos.* Hujus
„ argumentationis vis est : Deus non remittit in baptismo
„ peccata, quæ noscit esse futura : ergo neque baptizatis
„ rependit gloriam pro meritis, quæ futura esse præscivit.
„ Præterea ita ratiocinatur Augustinus : *Ita facillime* (Pe-
„ lagiani) *agerent atque obtinerent causam suam*, qua gra-
„ tiam Dei secundum merita nostra dari contendunt. Sed
„ quia hominum futura, quæ non sunt futura, proculdu-

„ bio

„ bio nulla sunt merita, & hoc videre *facillimum est; ideo nec Pelagiani hoc dicere potuerunt, & multa magis nec isti* (Semipelagiani) *dicere debuerunt*. Atque ex his Augustini verbis duplex consurgit ratiocinatio: prima quidem, Præscientia futurorum meritorum non facit ut collatio gratiæ sit ex meritis, ut commenti sunt Pelagiani: præscientia itaque meritorum futurorum facere nequit, ut prædestinatio ad gloriam fiat ex meritis, quemadmodum Semipelagiani putabant. Altera vero, Merita futura nulla sunt, & quoniam nulla sunt, Deus non confert parvulis propter opera, quæ facturi essent si viverent, gratiam baptismatis: itaque quia nulla sunt non confert Deus intoitu eorumdem meritorum ipsis parvulis, ante usum rationis cum baptismate decedentibus, cælestem gloriam. Idem Augustinus præcitato cap. 13. scripserat, *Attendant, & videant si ita est, non jam in parvulis morientibus sine baptismate peccata originalie vindicari, sed sua cujusque futura, si viverent. Item baptizatis non originalia dilui, sed futura si viverent: sed alios acturos pœnitentiam, alios non acturos fuisse prævisos, ideoque alios baptizatos, alias sine baptismo exisse de hac vita*. Quæ verba præter argumentationes nuper productas, hanc aliam suppeditant, Peccata actualia, quæ parvuli patraturi forent, si viverent, non sunt causa reprobationis divinæ: ergo & bona opera, quæ facturi essent, non sunt causa divinæ prædestinationis. Recte, sapienterque in præcitata Epistola S. Prosper: *In tantum*, Semipelagiani, *quibuscunque commentitiis meritis electionem Dei subjiciunt, ut quia præterita, quæ non extant, futura quæ non sint futura confingant, novoque apud illos absurditatis genere, & non agenda præscita sint, & præscita non acta sint*.

„ Ingeniose subtiliterque de prædestinatione parvulorum pertractat Gregorius noster Ariminensis in 1. Sent. dist. 40. & 41. q. 1. art. 2. ubi hæc ex Augustino argumenta producit. Primum: Nemo præmiatur a Deo propter merita, quæ nec ejus, nec alterius sunt, fuerunt, aut erunt: Ergo nec per talia fuit prædestinatus. Sed merita, quæ pueri habuissent, si vixissent, nec eorum, nec alterius sunt, fuerunt, aut erunt: Ergo per talia merita pueri non fuerunt prædestinati. Alterum seu potius ejusdem confirmatio: Merita, quæ omnino nulla sunt, præmium nullatenus exigunt: At merita quæ non sunt, non fuerunt, nec erunt, omnino nulla sunt: Ergo illiusmodi merita nullatenus præmium exigunt. Tertium: Si judicarentur homines pro meritis suæ vitæ, quæ non habuerunt morte præventi, sed habituri fuissent, si vixissent, nemini prodesset, quod raptus foret, *ne malitia mutaret intellectum ejus*, ut legitur Sap. cap. 4. Id vero nullus Chritlianus dicere audebit. Quis enim Christianorum non confiteatur bonum futurum fuisse Judæ si circumcisione die octavo suscepta mox decessisset, idemque non sentiat de quolibet baptizato, qui propter patrata scelera addicitur gehennæ? Quartum: Si Paulus judicandus fuisset secundum futura bona opera, obiisset autem dum persequebatur Ecclesiam Dei, nihil ei profuisset præscientia eorumdem bonorum operum quæ fecisset si diutius vixisset. Præscientia itaque bonorum, aut malorum operum quæ fierent, sed non fiunt, non subjiciuntur judicio Dei. Quintum: Si Deus propter conditionalem usum liberi arbitrii, scilicet propter præscientiam operum, quæ decedentes parvuli acturi forent, si viverent, illos prædestinaret, sequeretur quod illos prædestinaret ad talem gradum beatitudinis, quam promereri potuissent, si ultra annos Mathusalem semper recte operando vixissent. Sicut enim novit Deus, quid homo justus ageret, si viveret usque ad annum E. G. centesimum, ita præscit quid operaturus esset, si vitam protraheret usque ad annum nongentesimum sexagesimum nonum, quo anno vita functus est Mathusalem. Sequeretur etiam Deum justum judicem redditurum unicuique non tantum mercedem eorum, quæ gessit in corpore, sed etiam eorum, quæ gesturus fuerat, si diutius vixisset. Hæc vero quantum rationi, sacrisque litteris contraria sint, non opus est prolixiori oratione explicare: sed legatur præcitato articulo secundo Ariminensis; de prædestinatione enim parvulorum secundum mentem Augustini dictum satis superque.

„ Quantum pertinet ad adultos, pro istorum prædestinatione facta antecedenter ad præscientiam meritorum, inter alia Augustini testimonia produxi *Argum.* 3. quæ leguntur in libro de Corrept. & gratia cap. 7. Oporteret totum illud caput exscribere: sed illud saltem expendi debet, quod sequitur; *Quicunque*, inquit, *ab illa originali damnatione, ista divina gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod & procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audiunt credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant: & si quando exorbitant, correpti emendantur, & quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant redeunt; & nonnulli accepta gratia, in qualibet ætate periculis hujus vitæ, mortis celeritate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in filio suo, ante constitutionem mundi per electionem gratiæ*. Aperte autem hoc in loco docet S. Pater, ideo electos audire Evangelium, credere, perseverare, corrigi, emendari, subtrahi ab hujus vitæ periculis, quoniam prædestinati sunt, & a massa perditionis per electionem gratiæ discreti: non vero ait ideo prædestinatos, & a massa perditionis per electionem gratiæ discretos esse, quia per Dei præscientiam prævidit eos Deus credituros, pœnitentiam acturos, ac perseveraturos. Sequitur Augustinus: *Illi ergo electi, ut sæpe dictum est, qui secundum propositum vocati, qui etiam prædestinati atque præsciti. Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo illorum perit, quia non fallitur Deus; horum si quisquam perit, vitio humano fallitur Deus; sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. Electi autem sunt ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Judas ad opus, cui congruebat. Ab illo quippe electus est, qui novit bene uti etiam malis, ut per ejus opus damnabile, illud propter quod ipse venerat, opus venerabile compleretur. Cum itaque audimus*, Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est? *illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per judicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum; illum ad effundendum sanguinem suum*. Atque his Augustini verbis invicte ostenditur, loqui ipsum de prædestinatione ad gloriam, non autem, ut quidam comminiscuntur, de sola prædestinatione ad gratiam. Enimvero ii, qui prædestinati sunt *ad obtinendum regnum*, & quorum *nemo perit*, ad gloriam prædestinati sunt, non vero solum ad gratiam. Augustinus de iis loquitur, qui prædestinati sunt *ad obtinendum regnum*, & quoruro *nemo perit*. Igitur de iis Augustinus loquitur, qui prædestinati sunt ad gloriam, non vero solummodo ad gratiam.

„ Id quoque evidenter eruitur ex verbis S. Patris prope finem septimi ejusdem capitis, ubi docet illos ad electionem, de qua disputat, minime pertinere, qui licet vocati sint, atque ad tempus Christiane fideliterque vivant, tamen non accipiunt perseverantiam, neque ad beatam vitam perveniunt: quos nec illo tempore, quo bene pieque vivunt, in electorum numero vult computari. *Non enim* (inquit) *sunt a massa illa perditionis præscientia Dei, & prædestinatione discreti, & ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc non electi: sed in eis vocati, de quibus dictum est*, Multi vocati; *& non in eis, de quibus dictum est*, Pauci vero electi. *Et tamen quis neget eos electos, cum credunt, & baptizantur, & secundum Deum vivunt? Plane dicuntur electi a nescientibus quid futuri sint, non ab illo qui eos novit non habere perseverantiam, quæ ad beatam vitam perducit electos, scitque illos ita stare, ut præscierit esse casuros*. Non poterat sane Augustinus expressis magis, enucleatisque verbis significare illam a se prædestinationem defendi, quæ eos non complectitur, qui ad tempus credunt, & agunt, gratia Dei eos vocantis & adjuvantis, bonam piamque vitam, sed ipsa gratia justo Dei judicio destituti non perseverant, neque ad celeste regnum perveniunt. Hos autem, quamvis electi fuerint ad fidem, atque ad gratiam, non esse tamen electos ad gloriam, immo neque electos dici ab illo, quos Deus præscivit non esse perseveraturos, nonne evidentissimum apertissimumque est cuique lumine rationis prædito? Sanctum itaque Parentem Augustinum præcitato in loco de Prædestinatione ad Gloriam loqui non videtur mihi posse ab aliquo in dubium revocari.

„ Jam vero proximo capite VIII. de ea perseverantia, *quæ ad beatam vitam perducit electos*, ita Augustinus prosequitur: *Hoc si a me quæratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, qui eam qua Christiane viverent dilectionem dedit, me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum, audio dicentem Apostolum, O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Et, O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quantum itaque nobis judicia sua manifestare dignatur, gratias agamus; quantum vero abscondere, non adversus ejus consilium murmuremus, sed hoc quoque nobis saluberrimum esse credamus*. Cum plura de Perseverantia eo loci disseruisset S. Pater, prope finem ejusdem capitis hæc subjicit: *Cur igitur hoc tam magnum beneficium aliis dat, aliis non dat Deus, apud quem non est iniquitas, nec acceptio personarum, & in cujus potestate est, quandiu quisque in hac vita maneat, quæ tentatio dicta est super terram? Sicut ergo coguntur fateri donum Dei esse, ut finiat homo vitam istam, antequam ex bono mutetur in malum, cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorant: ita donum Dei esse in bono perseverantiam secundum Scripturas, de quibus testimonia plura jam posui, fateantur nobiscum, & cur aliis detur, aliis non detur, sine murmure adversus Deum dignentur ignorare nobiscum*. Eo tendit disputatio Augustini, ut evincat illos prædestinatos esse secundum propositum voluntatis Dei, quibus confertur magnum illud donum perseverantiæ, *quæ ad beatam vitam perducit electos*, & de qua idem Augustinus fatetur, se ignorare *cur aliis do-*

» *netur, aliis non donetur*. Quis hinc non inferat electorum prædestinationem ad gloriam ante bonorum operum præscientiam? Cujus menti statim non occurrit argumentatio illa palmaris & obvia? Fateri debemus cum Augustino ignorare nos cur uni *donetur*, alteri *non donetur* magnum perseverantiæ donum, quo electi ad beatam vitam perducuntur. Ergo pari ratione fatendum ignorari a nobis causam, cur aliqui a massa perditionis misericorditer discreti sint, alii in eadem massa justo Dei judicio sint derelicti. Dicam verbo: nulla datur causa præter beneplacitum divinæ voluntatis, cur electis conferatur a Deo donum finalis perseverantiæ: Ergo nulla datur causa præter beneplacitum divinæ voluntatis, cur electi sint a Deo ad æternam vitam prædestinati.

» Attigi argumentationem istam hoc sexto cap. *Argum.* 3. eamque repeto proximo capite 8. Neque enim est leviter ac perfunctorie tractanda. Est enim cum Augustinensium, tum omnium Thomistarum princeps, firmissimumque fulcimentum.

CAPUT VII.

Utrum alii ab Augustino Patres hanc sententiam secuti fuerint.

UT de aliorum Patrum sententia certum proferatur judicium, necnon ad ipsorum intelligentiam latissima sternatur via; non abs re factum puto, si pluribus, brevissimis tamen theorematibus quæstionem istam resolvero.

PROPOSITIO I. De Patribus, qui scripserunt ante exortam Pelagianorum hæresim, minus debemus esse solliciti.

Prob. verbis S. Patris lib. de Prædest. SS. cap. XIV. *Quid opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod proculdubio facerent, si respondere talibus cogerentur?* Confirmatur hæc ratio exemplo ipsiusmet Augustini, qui antequam cum Pelagianis gloriosum iniret certamen, de prædestinatione non tam exquisite scripserat, ut vidimus capite superiori. Comprobatur etiam, nam Patres præcedentium sæculorum aut de gratia Dei quid sentirent breviter ac transeunter attigerunt, aut immorabantur disputando adversus alios inimicos Ecclesiæ, aut populum sacris concionibus ad virtutes & orationis frequentiam simpliciter hortabantur; ut scribit citato loco Augustinus.

Prop. II. Si de Græcis loquamur Patribus, non debemus excipere auctoritatem Origenis.

Probatur: nam Origenes Pelagianam doctrinam in libris Periarchon aperte prædocuit: unde Hieronymus in Epist. ad Ctesiphontem: *Doctrina tua*, inquit *Origenis ramusculus est*. Deinde Origenis opera, dato gratis, quod olim extiterint pura, ut aliqui autumant, interpolata tamen fuerunt a Rufino Presbytero Pelagianorum, ut appellant, Coryphæo. De S. autem Joanne Chrysostomo putat Vasquez Semipelagianis adhæsisse: sed tanti Patris doctrinam alibi ab erroris suspicione vindicabimus.

PROPOSITIO III. Veteres Patres, qui verbis ambiguis de SS. prædestinatione tractarunt, possumus commode exponere, quamquam videantur alicubi a meritorum præscientia illam repetere.

Et quidem primo accipere possumus præscientiam operum pro ipsa prædestinatione, ac præparatione divina, sine qua nequeunt merita cogitari. Hinc S. P. lib. 2. de Prædest. SS. cap. XIX. ait: *Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eamdem prædestinationem intelligere?* Maluerunt autem usurpare nomen præscientiæ, quod & facilius intelligatur, & non repugnet veritati; & ne viderentur evertere libertatem, & sentire cum Manichæis, quorum tunc temporis nefaria hæresis grassabatur. Secundo modo possumus PP. exponere de prædestinatione considerata secundum ultimum ac principalem effectum, idest quantum ad executionem: uti explicavimus verba Evangelica: *Percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi: esurivi enim, &c.* Rursus possumus illos Patres accipere de Electione ac prædestinatione, qua Deus intendit conferre gloriam tamquam mercedem ac præmium meritis comparandis per gratiam præparatam electis ex vi antecedentis propositi, ut diximus in solutione argumentorum, quæ adversus nos objiciuntur ex sacris literis. Denique exponere eos possumus dicendo merita & gratiæ usum habere rationem caussæ comparate ad nostram prædestinationem, sed caussæ finalis, non efficientis ac meritoriæ, prout docet S. Thomas Quæst. XXIII. art. V. dicens: *Usus gratiæ prævisus non est ratio collationis gratiæ, nisi secundum rationem caussæ finalis*; quia nimirum ad hoc gratia confertur, ut ea bene utamur, quemadmodum scribit Apostolus, Deum nos elegisse ante mundi constitutionem, *ut essemus Sancti & immaculati*. Ad Ephes. cap. I. 4.

PROPOSITIO IV. Patres, qui floruerunt post Augustinum, gratuitam Prædestinationem apertissime tradiderunt.

Recensebo nonnullos. S. Prosper ad object. Vinc. cap. 2., *Illi*, inquit, *cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate sua prædestinavit ad gloriam*. Fulgentius ad Monimum lib. I. cap. 13. *Potuit sicut voluit prædestinare quosdam ad gloriam, quosdam ad pœnam. Sed quos prædestinavit ad gloriam, prædestinavit ad justitiam; quos autem prædestinavit ad pœnam, non prædestinavit ad culpam.* Gregorius Magnus lib. I. Dialogor. cap. 8. *Ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotente Deo disposita, ut ab hoc electi pro labore perveniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit dare*. Bernardus Serm. 78. n. 3. *Intuere nunc mecum in hoc tam magnifico opere nostræ salutis tria esse quædam, quæ sibi vindicat auctor Deus, prævenitque in illis auxiliatores & cooperatores suos, prædestinationem, creationem, inspirationem*. S. Thomas Q. citat. ad 3. *Quare hos elegit in gloriam, & illos reprobavit non habet rationem, nisi divinam voluntatem*. Idem docet Petrus Diaconus in lib. de Incarnat. & Grat. cap. I. Primasius Episcop. Africanus in Epistolam ad Romanos cap. 5. Gregorius VII. in Psalmos Pœnit. S. Thom. de Villanov. Conc. III. de S. Joanne Baptista. Et alii apud Bellarminum lib. 2. de Grat. & lib. arb. cap. XI. Petavium lib. IX. cap. XVI. & Thomassinum lib. VIII. cap. 8. Idem tenent Gallicani Antistites in Concilio Valentino III. & præsertim Ecclesia Lugdunensis in libro de tribus Epist., & quotquot Augustinianam probavere sententiam, de quibus dixi in Præf.

Resolvitur ex dictis quæstio proposita. Etenim Patres, qui floruerunt post hæresim Pelagianam gratuitam prædestinationem eliquatissime tradunt: Alii autem vetustiores vel parem non habent in hac materia auctoritatem, vel possunt commode exponi. Communi ergo traditione veritas hujus asserti firmatur.

RESPONSIO AD OBJECTA.

Opp. I. Veteres PP. exponentes verba Apostoli: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui, &c.* asserunt id esse dictum ex futurorum operum præscientia. Subscribunt ergo sententiæ repetenti prædestinationem ex meritis. Prob. ant. I. ex Irenæo lib. IV. adversus hæres. cap. 38. ubi ait: *Ex futurorum præscientia dictum fuit, Jacob dilexi, &c.* II. ex Hieronymo in cap. I. Malach. ubi pariter docet *dilectionem & odium Dei ex præscientia operum* proficisci. III. Ex Chrysostomo, qui Hom. XV. in Epist. ad Rom. cap. 8. scribit: *Qua igitur de caussa hic amori, ille autem odio habendus erat? Quoniam quidem hic malus, ille autem bonus erat*.

Resp. nego ant. si de prædestinatione quantum spectat ad *intentionem* solummodo proferatur. Et ad primam probat. dico utique ex præscientia futurorum dictum fuisse, *Jacob dilexi, &c.* ut scribit Ireneus, quandoquidem Deus præsciebat quid erat ipse facturus in Jacob per auxilium gratiæ suæ. Hieronymi super Malach. scribentis sensus est: *Deum diligere illum qui odit vitia, sed ut vitium odio habeat efficit Deus ipse potentissimis auxiliis*. Chrysostomus exponendus est de prædestinatione ad gloriam considerata sub ratione mercedis ac præmii, quo sensu utique meritorum prævisionem importat: sed hæc merita nusquam Chrysostomus negat præparari a Domino; imo id luculenter affirmat lib. I. de Provid. & Hom. XII. super illud ad Corinth. VIII. *Quid habes quod non accepisti?* Itaque frequentissimam illam propositionem, *Gloria confertur ex præscientia meritorum*, ita distinguimus, ex præscientia meritorum, quæ inducant divinum propositum, nego: quæ ex divino proposito deducantur, concedo. Merita comparantur per gratiam: gratia confertur ex intentione dandi gloriam: gloria præparatur Dei beneplacito, ideoque hinc inferuntur merita, non merita Dei propositum antevertunt. Vide Resp. ad I. cap. IV.

Opp. 2. Joannes Damasc. exponens ea verba Apost. ad Roman. IX. *An non habet potestatem figulus, &c.* inquit, *Non ipse Deus honorabilia, aut ignominiosa struit vasa, sed propria uniuscujusque electio*. Et lib. 2. de Fide scribit: *Secundum præscientiam suam præjudicavit omnia Deus*.

Resp. priori loco Damascenum non agere de æterna prædestinatione, sed de præsenti merito bonorum operum, per quæ reddit quisque semetipsum vas honorabile Electione voluntatis suæ: sed hæc voluntas debet a Domino præparari, quod Damascenus minime negat. Alterum per testimonium accipiendum est de prædestinatione in ordine *executionis*; nam paucis interjectis ait *Deum prædestinare aliis præmium secundum bonitatem suam, aliis supplicium secundum justitiam suam*: Adde Joannem Damascenum eodem lib. II. cap. 30. docere πρόγνωσιν, idest *præscientiam* esse eorum, quæ libere a nobis fiunt, etiamsi fiant divina præordinatione: προορισμὸς vero, idest *prædestinatio* non liberam Electionem finis per Damascenum significat, sed τὸ ἔργον προειδότος, *Electionem & opus præscientis*: ac propterea *prædestinationis* nomine Damascenus significat prædestinationem in *executione*, & nomine *præscientiæ* prædestinationem in *intentione*.

Opp.

Opp. 3. S. Hilarius in Psalm. 64. hæc scribit: *Non res indiscreti judicii Electio est, sed ex meritis delectu facta discretio est.*

Resp. beatum Hilarium Electionis & discretionis vocabulo non intelligere propositum æternum Dei, sed temporalem assumptionem, qua homo ad uberiorem gratiam, vel gloriam eligitur, ut diximus Capite preced. de Augustino scribente ad Simplicianum. Nam eligere secundum vocis etymon non est præordinare, sed ex pluribus unum legere, atque actu carpere. Exponit autem Hilarius versum illum Psalmi: *Beatus, quem elegisti & assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis.* Hæc utique assumptio, hæc electio supponit merita; sed hæc merita ab omnium gratiarum largitore pro suo beneplacito præparantur.

Opp. 4. S. Prosper ad XII. Object. Vincent. ait: *Quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati; essent autem prædestinati, si essent reversuri.*

Resp. prædestinationem dupliciter accipi. I. Quantum ad divinum propositum, ut in illis Apostoli verbis: *Quos præscivit & prædestinavit, &c.* II. Quantum ad manifestationem & signum; ut de Christo Domino apud eumdem Apost. *qui prædestinatus est filius Dei*, scilicet, *manifestatus*. Itaque distinguo & explico verba D. Prosperi: Et Sanctus Doctor accipiendus est de prædest. quatenus est electio, & præordinatio divina, nego: quatenus est signum ac manifestatio divinæ præordinationis, concedo. Eodem modo exponendum est vulgare illud proloquium, quod circumfertur tanquam Augustinianum: *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris*; nempe, si malis operibus ostendis impium ac reprobum temetipsum, satage ut te manifestes conversione & exemplo electum ac sanctum. Ceterum Prosperum gratuitam prædestinationem fateri constat ex I. Resp. ad Ob. Gallorum, & ex universis ejus operibus, ubi Augustini insistens vestigiis, docet quomodo spectet ad inscrutabile Dei judicium quod unus, non alter eligatur,

Nec discernantur merito qui munere distant,

ut inquit in carmine de Ingratis.

Opp. ultimo: S. Fulgentius lib. I. ad Maximum cap. 24. sic loquitur: *Prædestinavit ad supplicium quos a se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros: prædestinavit ad regnum quos ad se præscivit misericordiæ prævenientis auxilio redituros:* Ex quibus verbis sic arguitur. Ex Fulgentio prædestinatio ad gloriam se habet quemadmodum prædestinatio ad pœnam: Prædestinatio ad pœnam supponit prævisionem meritorum: Igitur & prædestinatio ad gloriam.

Resp. dist. majorem. Prædestinatio ad gloriam se habet quemadmodum prædestinatio ad pœnam, in ordine *executionis*, conc. in ordine *intentionis*, nego. Responsio constat ex dictis. Certe Fulgentius prædestinationem ratione intentionis præcedere docet præscientiam meritorum, cum alibi, tum libro de Fide ad Petrum cap. 3. ubi ait: *Illi cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate sua prædestinavit ad REGNUM.*

SCHOLION.

„ Poterant ex Patribus alia permulta proferri, & de iis, qui nobis adversari existimantur, prænotari nonnulla; si prolixius causam, quam nostram esse arbitramur, agere ac defensitare fuisset in animo, eaque periclitaretur, nec haberet innumeros, præstantissimos, acerrimosque patronos. Prætermittere non debemus argumentum Beati Prosperi multorum comprobatum experimento, qui post scelestissimam turpissimamque vitam, sub hujus vitæ exitum convertuntur, ac statim morientes rapiuntur in cælum, neque ob precedentia opera, quæ mala fuere, neque ob futura, quæ nulla prorsus sunt, in electorum sortem adsciti. Ita ergo Prosper in Carmine de Ingratis cap. 24. alias 18.

„ *Denique ne quisquam ex morum splendore putetur*
„ *Censeri, aut fidei merita ad bona summa vocari,*
„ *Seu non divino sit munere mentibus ipsa*
„ *Inspirata fides; recole innumerabile vulgus*
„ *Retro senum, & juvenum, qui cæca turpiter usi*
„ *Libertate animi, per cultus dæmoniorum,*
„ *Per magicas artes, per amorem rapta tenendi,*
„ *Per stupra, per cedes, vitam duxere nefandam;*
„ *Et tamen incumbente obitu, jam limite in ipso*
„ *Extremi flatus, miserante nocte remota*
„ *Cognovere Deum, purgatorisque lavacri*
„ *Munere, nulla mali linquentes signa prioris,*
„ *Exempti mundo, mutarunt tartara cœlo.*
„ *Quæ merita hic numeras? si precedentia cernis,*
„ *Impia: si queris post addita, nulla fuerunt.*

„ Verissimum est loqui hic Prosperum de impiissimis infidelibus, qui in fine vitæ Christianam Fidem suscipiunt. Sed hæc inde eruitur pro Electorum prædestinatione consimilis ratio: si gratiæ deputandum est, non meritis, quod infidelis idolorum dæmonumque cultor, morti proximus, regeneretur baptismate; cur gratiæ, non meritis tribuendum* est, quod impius, qui nihil boni patravit, sub vitæ extremis preventus gratia ingemiscat, & accepto perseverantiæ dono, quod præteritis flagitiis minime debebatur, nec ei præparatum fuerat ob opera futura, quæ occumbens facturus non est, ad electorum gloriam pertranseat? Plura alia habentur apud Prosperum, presertim adversus Collatorem, atque in Epistola ad Rufinum. Ex Fulgentio permulta exscripsit Franciscus Sylvius in 1. p. q. 23. art. 5. Laudantur ibi a doctissimo Thomista Hieronymus in Epistolam ad Ephes. cap. 1. Ambrosius de Fuga seculi cap. 1. & in Psalm. 43. Gregorius Magnus homil. 8. in Ezechielem, Haimo, & Concilium Valentinum celebratum sub Lothario, quod tertio capite definit in electione salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum. Nos superius alios quoque Patres commemoravimus. Ex libris Doctoris Angelici, nimirum ex præcitato art. 5. ex lib. 3. contra Gentes cap. ultimo, ex q. 6. de Verit. art. 2. atque ex Commentariis in Epistolas Pauli ad Romanos, & ad Ephesios, tam dilucida producit testimonia, ut nequeant ullo pacto in oppositam partem torqueri. Maximum Theologorum numerum huic sententiæ adhærentium, quos eo loci Sylvius recenset, necnon articulos anno 1347. damnatos a Sacra Facultate Parisiensi, non opus est singillatim commemorare. Legatur Theologus ipse prestantissimus. Nostrates recenset qu. 3. de Prædestinatione artic. 2. Fridericus Nicolaus Gavardi. Fieret singulorum nomina repetendo inutilis jactura temporis.

„ Utilius fortasse erit, quædam adnotare ad solvenda quæ ex Patribus objiciuntur percommoda. Ac in primis memoria retinendum est monitum S. Patris Augustini de Præd. SS. cap. 18. de quo prop. 1. hujus capitis septimi. Revera nonne operam luderet, qui vel pro Chiliastarum sententia, vel pro Quartadecimanis, vel pro Rebaptizantibus, illos modo Patres in medium proferret, quos certum est a veritate aberrasse, antequam traditio diligentiori, & pleniori examine exploraretur? Ita qui de prædestinatione, & gratia pertractarunt ante exortam hæresim Pelagianam, non tanti faciendi sunt, quantum ii, qui de eodem argumento postea scripserunt. Id vero non ita a me dictum sit, ut comparare velim defensores Prædestinationis ante prevîsa merita antiquioribus illis Patribus, qui propugnaverunt errores postmodum ab Ecclesia damnatos. Minime gentium. Nullam sententiam nobis oppositam censura perstringimus. Fruatur illa per me quidem sua, si quam habet, probabilitate; quamquam proscriptam in Semipelagianis doctrinam pertinentem ad Christi gratiam tradidisse inculpate veteres aliquos Patres Medistę aliqui censent. Quibus si a nobis responsum detur, uti ab omnibus Catholicis rejicitur veterum illorum Patrum opinio de predestinatione ad gratiam, ita a nobis rejici posset illorum opinio de predestinatione ad gloriam; nemo poterit nos arrogantiæ, seu irreverentiæ redarguere. At satius ducimus hoc unum reponere, veterum Patrum, qui de hac questione data opera non disseruerunt, nec investigare curarunt quenam sit revera electio gratiæ, nec temere scripta esse dijudicanda, neque auctoritatem ad dirimendas controversias postea exortas plus æquo, & supra ceteros, qui accuratissime discutere has studuerunt, amplificandam atque extollendam. Pari ratione objicientibus Arianis quædam non adeo perspicua Orientalium Patrum testimonia, respondit lib. 2. adversus Rufinum cap. 4. S. Hieronymus, mirum non esse si, *antequam in Alexandria quasi dæmonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quædam, & minus caute locuti sint, & quæ non possunt perversorum calumniam devitare.*

„ Deinde Origenis, eorumque Græcorum, qui illius sectantur doctrinam, non admodum in hisce quæstionibus valere existimanda est auctoritas: siquidem ipsius Origenis Pelagianam doctrinam *ramusculum* esse, testatur in Epistola ad Ctesiphontem prelaudatus Hieronymus. Est autem habenda eodem loco doctrina Theodoreti, Theophylacti, & Œcumenii, quoniam & Origenem secuti sunt, & oppositam Augustini tradidisse sententiam fatetur disp. 89. in 1. p. cap. 3. Gabriel Vasquez. Locant quidem permulti suæ causæ præsidium in eloquentissimo sapientissimoque Chrysostomo. At ejus Vindicias exornabimus agentes de Semipelagianorum erroribus, quippe & hunc preclarissimum Ecclesiæ Doctorem Semipelagianis prælusisse putarunt ipsemet Vasquesius, atque Molina; tametsi melius de Chrysostomo sentiant Habertus, Vellosillus, Gonet, Sylvius, aliique plurimi, imo & pro ipso pugnet lib. 2. de causa Prædestinat. cap. 8. Franciscus Suarez. Interim vero, si nobis Chrysostomi objiciantur testimonia, quæ nobis primo adspectu videantur esse contraria; respondere sat erit, loqui illum de electione & prædestinatione, spectata, quatenus est merces & corona justitiæ, sive, ut ajunt Scholastici, *in ordine executionis*; aut sermonem instituere de gratiæ muneribus, & de humanæ voluntatis cooperatione, absque prejudicio latentis consilii Dei; aut, quod existimo probabilius, sollicitum de plebe ad capessendum æternæ

„ salu-

salutis iter vehementer excitanda, docuisse quid ex parte nostri necessarium sit, non quid in sua prędestinatione misericors Deus inescrutabili judicio statuerit, atque prędefinierit. De Arnobio demum, de Fausto Rhegiensi, & de Joanne Cassiano, quos certum est Semipelagianismo laborasse, non est cur plura dicamus.

SCHOLION ALTERUM.

LEgi Opus inscriptum, *Augustiniana Ecclesiæ Romanæ Doctrina a Cardinalis Sfondrati nodo extricata*, Typis Coloniensibus anno 1600. in lucem editum: quo opere exagitatur, expenditur, & refellitur prælaudati Cardinalis Cælestini Sfondrati liber inscriptus *Nodus Prædestinationis* Venetiis anno 1698. procusum: huic autem libro in fronte prefigitur S. Francisci Salesii ad P. Leonardum Lessium Epistola conscripta anno 1618. die 26. Augusti, & post Hieronymi Albricii Impressoris nuncupatoriam Epistolam, ejusdem libri Auctorisque commendatio Joannis Damasceni Fratris Ordinis Minorum, quos Conventuales appellant, qui illum edendi provinciam subiit. Priusquam vero de libri hujus pretio, & doctrina dicamus, perpauca de prelaudata Epistola sanctissimi Genevensium Antistitis, & de Fratre illo Minorita premittenda esse arbitror.

„ In illa itaque Salesii ad Lessium Epistola hæc verba leguntur: *Sententia illa antiquitate, suavitate, ac Scripturarum nativa auctoritate nobilissima, de Prædestinatione ad gloriam post prævisa merita, sane mihi gratissima fuit, qui nimirum eam semper ut Dei misericordiæ, ac gratiæ magis consentaneam, veriorem, ac amabiliorem existimavi, quod etiam tantisper in libello de Amore Dei indicavi*: Quo sanctissimi Præsulis testimonio quidam Augustinianæ sententiæ Impugnatores mirifice sibi plaudunt. At cur id faciant, nulla profecto est causa. Enimvero, si eis Franciscus Salesius patrocinatur, nobis patronus est Augustinus: ac si pro illis cum non exigua Molinistarum manu pugnat Leonardus Lessius, pro nobis cum longe ampliori & validiori numero Theologorum, quibus in hac pugna adhærent quoque Molinistarum nobilissimi, Angelicus Doctor Thomas, Ægidius, & Scotus etiam, quemadmodum in dist. 40. §. 8. demonstrat Guillelmus Estius.

„ At vereor, ne errore amanuensis (fraudem quippe suspicari nolo) in Salesii Epistola legatur, *Post prævisa merita*, quum tamen scriptum fuerit, *Ante prævisa merita*. Etenim Præsul sanctissimus illam, quam commendat, sententiam appellat *Dei misericordiæ, ac gratiæ magis consentaneam*. Ubi autem Dei misericordia, & gratia magis elucescunt, quam in prædestinatione, quæ opus misericordiæ est, & gratiæ nullis precedentibus meritis debita? Etsi vero misericordia & veritas, justitia & pax sese in Deo amplectuntur, & osculantur, id est, non segregantur, nec distinguuntur: attamen divina illa virtus una & indivisa, prout comparatur ad merita, *Justitia* vocatur, non absolute, & antonomasice *misericordia*; & quod rependitur meritis non *opus Gratiæ* simpliciter dicitur, sed potius *Corona Justitiæ*, qualem esse gloriam *in ordine executionis* & nos fatemur. Commendat quoque Salesius illam de prædestinatione sententiam *ab antiquitate, a suavitate, a nativa Scripturarum auctoritate*. At ex quo cœperunt post exortam Pelagianam hæresim controversiæ de Prædestinatione, & de Gratia agitari, annon antiquitate præpollet sententia Augustini? Inter Scholasticos quoque Thomas, Ægidius, Scotus cum tempore, tum dignitate Molinæ, Lessio, Sociisque præcedunt. Porro suavitatem, animique tranquillitatem nobis magis ingenerat in Deo omnipotenti & misericordissimo spem locare, quam in humani arbitrii infirmissimis, ac sæpenumero succumbentibus viribus. Est insuper nativa, expressa, & perspicua scripturarum sanctarum significatio, Gratiam Dei esse vitam æternam, Deum nos elegisse ante mundi constitutionem, per suam misericordiam salvos nos facere, cur unius, non alterius misereatur inscrutabilia esse judicia Dei, aliaque hujus generis bene multa. Quare ex ipsis S. Antistitis verbis sententia de Prædestinatione ad gloriam ante meritorum præcognitionem fulcitur potius, quam subvertatur.

„ Præterea haud mediocriter me movet quod S. Franciscus affirmat se mentem suam indicasse in Opere *de Amore Dei*. Jam vero perpauca ex hoc Opere, & singillatim ex lib. 4. cap. 7. delibemus. In quo capite docet Salesius omnem curiositatem vitandam esse, & humiliter in Dei sapientissima providentia esse acquiescendum. Id vero qua ratione demonstrat? Primum illos magnæ temeritatis redarguit, qui causam quærunt, cur Deus ampliora gratiarum dona uni, quam alteri largiatur, & cur in Tyro ac Sydone mirabilia non fecerit, quæ in Corozain, & in Bethsaida patravit. Tum docet non posse meliorem rationem voluntatis divinæ, in iis, quæ spectant ad opera providentiæ, & ad vias, quibus homo perducitur ad caritatem & ad vitam æternam, assignari, quam divinam ipsam voluntatem quæ est omnium rationum suprema ratio: nullam a nobis decretorum ejus causam esse quærendam, atque oportere, ut adoremus Dei propositum, decretum, beneplacitum, determinationem tamquam supremi & rectissimi judicis infinita æquitate, & infinita justitia præditi. Exclamandum ait enim Apostolo, *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus*. Producit exemplum duorum parvulorum, qui licet uno tempore, eodemque ex utero nati sint, illorum tamen unus percepta baptismi gratia moritur, & vitam æternam assequitur, alter decedit non baptizatus & regis cælestis privatur hæreditate; hujus diversi eventus nobis esse caussam rationemque prorsus incertam; & cum Apostolo & Augustino recurrendum esse ad judicia Dei inscrutabilia; tametsi aliqui reponant non teneri Deum ad cursum secundarum causarum, quæ mortem inferunt, avertendum & immutandum, qui cum illa inscrutabilium judiciorum Dei altitudine, occulta nobisque ratione pervertitur. Neque in iis, ceterisque Salesii verbis vestigium extat ullum, quo dignoscatur hæc a Dei providentia disponi ex præscientia meritorum, quæ utique in prædictis parvulis sunt nulla. Plura addit eo loci S. Genevensis Episcopus ex Augustino tradente ex sola Dei voluntate pendere, cur unus assumatur, alter deseratur: quæ infra de mente ipsius Augustini dicturus in medium afferam, atque expendam. Profecto si nulla ex parte nostris sit caussa, cur misericors Deus uni, non alteri conferat uberrima divinarum gratiarum dona, ideoque specialissimum beneficium finalis perseverantiæ: si voluntatis divinæ nos præordinantis ad gloriam nulla proferri potest ratio præter ipsam Dei voluntatem: si de duobus parvulis cur unus assumatur, non alter, pariterque ex duobus adultis cur unus vocetur ut vocantem sequatur, alter vero aut non vocetur, aut non ita vocetur. cur denique unus accipiat, alter non accipiat magnum perseverantiæ donum, inscrutabilia sunt judicia Dei; profecto prædestinatio est opus misericordiæ, ac nulla illius ratio proferri potest præter divinæ voluntatis beneplacitum, ejusque absolutam plenissimamque potestatem. Atque hæc est S. Francisci Salesii doctrina. Ejus itaque ad Leonardum Lessium Epistola aut supposita est, aut inadvertenter in ea particula *post* fuit immutata, aut de sola prædestinatione in *ordine executionis* Salesius loquitur, aut saltem in Tractatu *de Amore Dei* præcitato lib. 4. cap. 7. ad sententiam, quam nos propugnamus, propius accessit. At de Salesio hactenus.

„ Cælestini Cardinalis Sfondrati *Nodus Prædestinationis* nullam apud nostrates habere debet auctoritatem. Adversus illud opus, statim ac prodiit in lucem, plura vulgata sunt scripta. Excerptæ illinc fuerunt propositiones 102. censura notandæ. Perpaucas recenseo. I. *Parvuli, qui sine baptismo decedunt, beati quidem sunt, nec tamen pereunt*: contraria Concilio Tridentino definienti sess. 6. cap. 1. parvulos ante baptismum secundum animam *mortuos* esse, *natura filios iræ*, servos peccati, & sub potestate diaboli ac mortis. II. *Deus parvulos cælo exclusit ob peccatum non proprium, sed paternum*: falsa, quoniam peccatum originale unicuique proprium inest, ut definit prælaudata Synodus Tridentina sess. 5. & docet Apostolus ad Rom. 5. illis verbis, „ In quo omnes peccaverunt „. III. *Damnari nemo potest paterna culpa*: Reprobata a Bellarmino lib. 6. de amissione Gratiæ cap. 2. tanquam Catholicæ fidei contraria, imo ab Apostolo eodem cap. 5. ubi ait: „ Judicium quidem ex uno in condemnationem. „ IV. *Licet Deus parvulos morientes absque baptismo ad cælestem gloriam non admittat, alio tamen, multoque majori illos afficit beneficio*: absurda utique propositio, inaudita, & ab omni veritatis specie aliena penitus & abhorrens. V. *Deus vult efficaciter omnium salutem; & hæc voluntas, quantum est ex parte Dei, est efficax & absoluta*; assertio, quæ ideæ absolutæ & efficacis voluntatis repognat, rejecta ab Augustino cap. 95. Enchiridii, immo a Propheta regio, qui ait de supremo Numine, „ Omnia, quæcunque voluit, fecit. „ VI. *Nisi Deus velit omnes efficaciter & absolute salvari, dracones & basilisci amore Deum superabunt*; positio divinam justitiam impie sugillans, atque blasphema. VII. *In arbitrio operantium est, ut eligantur*: thesis refutata ab Augustino Tract. 86. in Joannem, & in locis aliis permultis. VIII. *Gratia effectrix ex sententia Augustini nihil aliud est, quam cognitio congrua*; assertum, quo excluditur inspiratio bonę voluntatis, & gratiæ, quam Ecclesia contra hæresim Pelagianorum necessariam esse definivit. IX. *Ipsa divinę bonitatis ratio exigit, ut in dandis majoribus, aut minoribus gratiis, major minorve necessitas & infirmitas peccatoris attendatur; ideo enim plura remedia Judæ reprobo adhibita fuerunt, quam Petro electo, quia illi gravior morbus, & ideo pluribus remediis curandus*: non tantum falsa enunciatio, quia Deus majora, aut minora gratiarum beneficia confert pro suo beneplacito, atque pro sua excellentissima & liberrima potestate; verum etiam erronea, quatenus ad rationem divinæ bonitatis spectare significat, ut scelesissi-

„ stissimis peccatoribus efficacissimas gratias impertiatur, atque reipsa proditori Judæ ampliores, quam Petro contulerit. X. *Cum peccatum sit essentialiter offensio & injuria Dei; sublata Dei cognitione, necessario sequitur, nec injuriam, nec peccatum, nec æternam pœnam esse:* Propositio peccato philosophico ab Apostolica Sede damnato quammaxime affinis. Hæ decem, aliæque ejusdem surfuris nonaginta duæ propositiones in *Nodo Prædestinationis dissoluto* contineri demonstrat Auctor Operis inscripti, *Augustiniana Ecclesiæ Romanæ Doctrina a Cardinalis Sfondrati Nodo extricata*, exscriptis hujus verbis, & pagina, lineisque citatis, primæ editionis Rom. anni 1696. Procusum fuit hoc Opus Coloniæ anno 1700. Habentur vero propositiones illæ 102. pag. 180. & seqq. Consimiles quadraginta excerptæ fuerunt Romæ ex libro Cardinalis Sfondrati paullo post ejusdem libri editionem; & in præcitato Opere procuso Coloniæ leguntur pag. 35.

„ Licet ex his facile comprehendi possit quo loco habendus sit, & quanti faciendus *Nodus Sfondrati*; addendum est tamen contra illum ad SS. DD. Innocentium Papam XII. gravissimas scripsisse litteras Carolum Mauritium Le-Tellier Archiepiscopum Ducemque Remensem, Ludovicum Antoninm De Noailles (postea S. R. E. Cardinalem) Archiepiscopum Parisiensem, Jacobum Benignum Bossnet Episcopum Meldensem, Guidonem de Seve Episcopum Atrebatensem, & Henricum Fydeau de Brou Episcopum Ambianensem. Nullam tamen ab Innocentio XII. vel ab aliis Pontificibus Romanis in prænunciatum Sfondrati Opus censuram latam fuisse fatemur; neque nos illud censoria aliqua nota perstringimus; sed lectorem monemus, ut illius doctrinam solerter expendat. Futurum enim fore arbitramur, ut si patientia tali præditus sit, ut accurate Opus ipsum pervolutare queat; non tantum illic prænarratas offendat positiones, verum etiam alia complura, quæ vel auctoris, vel saltem editoris indiligentiam patefaciant. Occurrunt enim ibidem octo saltem Scripturarum divinarum loca male producta; ex Augustino deprompta supra quadraginta testimonia, partim vitiata, partim mutila, partim in contrarium sensum detorta; contradictiones item permultæ; &, quod caput est, eadem cum Fausto Rejensi Semipelagiano circa Gratiam ac liberum arbitrium in sexaginta quatuor assertionibus concordia. Quæ ne a me injuria videantur dici; adeat lector prælaudatam Confutationem Coloniæ typis commissam: ex illa enim hæc perpauca me collegisse non ibo inficias.

„ Fortassis a vero alieni non sunt, qui opinantur prædictum *Nodum Prædestinationis dissolutum* Eminentissimo Cælestino Sfondrati suppositum esse. Principio enim hujus viri sapientia ac doctrina *ex Gallia vindicata* potest æstimari; cui *Nodus* neque eruditione, neque doctrinæ nexu comparari potest; quamquam non desunt, qui affirmant, totam *Galliæ vindicatæ* molem, aut rerum saltem monumentorumque congeriem, opera Cardinalis Barberini collectam Roma fuisse transmissam. Deinde vero Editor Operis Frater Joannes Damascenus laudat in sua Præfatione S. Franciscum Salesium eadem cum Sfondrato docentem de Prædestinatione *lib. 5. de Amore Dei cap. 3.* etiamsi hoc in loco nec vestigium, nec vola doctrinæ, quæ in *Nodo* propugnatur, appareat; & tradatur opposita lib. 4. cap. 7. prout diximus paullo supra; ut sileam quod in sua ad Innocentium XII. Epistola ajunt Galliarum Præsules, hunc Editorem *speciosas approbationes*, ut videtur, *pro imperio, & palma composuisse*, dum librum magnifica adulatione extollens non alio lemmate inscribendum esse pronuntiat, quam verbis Gregorii Nysseni τὸ ἱερὸν καὶ θεῖον ἔργον, scilicet, *sacrum divinumque opus*. Denique Auctor ipse, quisquis sit, sive memoratus Cardinalis, sive alius quispiam, modo de Augustino honorificentissime loquitur, modo ait ad instar venatorum, qui prædam insequuntur, nec capiunt, sæpenumero spe inveniendi mutasse locum; & nunc aliis armis opus esse, *alio hoste, belloque instante*; atque, ne plura dicam, tradit *Nodi* dissolutor p. prima §. 2. num. 16. parvulis sine sacramento regenerationis denatis, *si non gratiam sufficientem, qua vitam æternam consequi possint, exhiberi tamen beneficium longe præstantius, quodque infinitis partibus ipsam gratiam sufficientem antecellat: eo enim beneficio e medio tolluntur, quam peccatis se obstringant; & non damnantur, & innocentiam personalem, quæ scilicet peccatis actualibus opponitur, illibatam conservant, & in eum statum bonorum naturalium transferuntur, quam paragrapho primo ex Angelico Doctore descripserat*. In illo autem paragrapho primo non tantum cum S. Thoma pueros sine baptismo decedentes *pœna sensus* non torqueri definit, (quam fuisse sententiam Angelici Doctoris lib. 2. Sent. dist. 33. q. 1. & de Malo q. 5. art. 2. ultro fatemur) verum & pueros illos negat *esse miseros*, negat *naturalibus bonis exui*, ibique propositiones fere omnes, quarum nonnullas superius recitavi, rotundis verbis enuntiat: pueris quoque, de quibus agitur, naturalem illam beatitudinem concedit, quam & mente percipiunt, & corde expetunt, alioqui non assereret *miseros* illos non esse, nec *dolore aliquo* macerari; quod num ad Pelagiana dogmata accedat, lectorem appello ad Ven. Bellarminum lib. 6. de statu peccati, seu lib. 3. de peccato originali: scribit insuper convinci *omnium Theologorum auctoritate* eosdem parvolos *pœnæ sensibilis* fore immunes, quamvis plures gravissimique Theologi oppositum doceant; & ne singula prosequar, de puerulis illis, ac præsertim de filiis infidelium, accipiendum esse contendit, quod legitur Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*; quæ verba de pueris baptismate regeneratis explicat S. P. Augustinus, ut vidimus superiori capite VI. *Argum.* 4. Atque hæc de Epistola S. Francisci Salesii, quam PP. Societatis Jesu ajunt a se Antuerpiæ servari theca inclusam argentea, & quam non semel laudat Editor *Nodi dissoluti*, non tanto utique pretio æstimandi, quanto ab adversariis nostris æstimandus esse censetur.

CAPUT VIII.

Esse gratuitam prædestinationem rationibus quoque Theologicis consentaneam.

NE QUIS dicat Augustinianam doctrinam solummodo auctoritate uti, accedit sequens

PROPOSITIO: Gratuita prædestinatio rationibus comprobatur.

Ex plurimis, quæ possent produci, quatuor tantum argumenta, eaque ex dictis notissima, nunc proponam. Sit primum: Divina voluntas homines in perditionis massa existentes ad gloriam prædeterminans est voluntas absoluta, efficax, & omne meritum antecedens: Ergo prædestinatio est pro hoc statu gratuita. Probo ant. Voluntas conferendi media quæ efficaciter perducant ad finem, supponit voluntatem efficacem & absolutam ejusdem finis: Media quæ Deus hominibus lapsis largitur, ut consequantur salutem, sunt ab intrinseco efficacia, & infallibiliter ad salutem perducunt: Ergo supponunt absolutam & efficacem voluntatem ejusdem salutis. Minor propositio certa supponitur, & probanda est de Gratia Christi, quam pro hoc statu omnes Augustini discipuli efficacem propugnant, & præsertim ad perseverantiam finalem, quæ non donatur nisi prædestinatis: vide interim Arg. III. Cap. V. II. Merita, quibus ad gloriam pervenitur, sunt prædestinationis effectus, efficiuntur namque per gratiam, quæ prædestinatis confertur eo fine ut gloriam adipiscantur; Ergo hæc merita nequeunt habere rationem caussæ respectu prædestinationis. III. Prædestinationis mysterium inscrutabile est, & in altitudinem refunditur divinorum judiciorum. Non ergo pendet ex meritorum præscientia, & ex libero humanæ voluntatis arbitrio. IV. Deus prædestinat quamplures, qui si illorum spectentur merita, criminibus obnoxii sunt atrocissimis, quales fuerunt olim vas Electionis Paulus Apostolus, Maria Magdalena, felix Latro, magnus Augustinus, Joannes Mantuanus, Francus Senensis, Margarita de Cortona, aliique permulti. Igitur non attendit Deus, *qui mel producit de petra, oleumque de saxo durissimo*, merita hominum, ut inserat oleastrum in bonam olivam, & fingat ex luto vasa honoris: sed ipse futura bona opera præparat, ut in illis ambulemus; &c.

AD CONTRARIA ARGUMENTA RESPONSIO.

Opp. 1. Potest quis efficaciter velle finem, etiamsi ponat talia media, quæ sufficiant ad finem consequendum, nisi aliunde impediantur; sive postea sequatur effectus, sive non sequatur. Ægrotus enim & medicus volunt efficaciter sanitatem dum ponunt media, quæ illam præstare valent, tametsi quandoque sanitas non habeatur. Potest ergo etiam Deus velle nobis gloriam per modum finis, licet media conferat non efficacia, sed duntaxat sufficientia, talia nimirum, quibus si bene utamur, gloriam consequi possimus.

Resp. nego ant. Etenim voluntas finis non est efficax, quando media ad consecutionem finis necessaria efficacia non sunt. Atque exemplum medici & ægroti in adversarios retorquetur: nam si medicus certo cognosceret medicinam talem esse efficacem, eamque in sua haberet potestate, illam procuIdubio exhiberet infirmo, quem efficaciter vellet sanum fieri. Igitur si Deus velit efficaciter gloriam prædestinatis, neque desunt ei certissima remedia liberationis, scilicet gratia victrix, ac perseverantia finalis, media illiusmodi Electis nequaquam denegat.

Opp. 2. Merita hominis lapsi, excepta finali perseverantia, non sunt medium efficax ad gloriam: Ergo etsi Deus operetur in nobis merita nostra per auxilium efficacis gratiæ, non sequitur esse eadem merita prædestinationis effectum.

Resp. quod eo ipso quod finalis perseverantia effectus est prædestinationis, ipsa prædestinatio non fit ex præscientia meritorum: siquidem prædestinare ex præscientia meritorum, est prædestinare præsertim ex præscientia finalis perseve-

severantiæ. Nam nisi quis prævideatur perseveraturus usque in finem, quomodo meritorum intuitu eligeretur ad gloriam? At perseverantia finalis effectus est prædestinationis ad gloriam; & consequenter prius est ratione nostra hominem esse prædestinatum, quam prævideri perseveraturum usque in finem. Ergo concedo totum argumentum; quum sæpenumero multi sint vocati, & justificati, in quibus nisi sit præparatum donum perseverantiæ, neque vocatio, neque justificatio sunt effectus prædestinationis; & illis tantum, qui sunt prædestinati, datur donum perseverantiæ: *Hæc utique dona Dei, quæ dantur electis secundum Dei propositum vocatis (in quibus donis est & incipere credere, & in fide usque ad vitæ hujus terminum perseverare) hæc, inquam, Dei dona, si nulla est prædestinatio quam defendimus, non præsciuntur a Deo: præsciuntur autem; hæc est igitur prædestinatio, quam defendimus*; S. P. de dono Persev. cap. XVIII. vide Cap. V. Arg. III.

Opp. 3. Qui prædestinationem gratuitam asserunt, incidunt necessario in illud dilemma, ex quo nunquam sese expedient: Aut prædestinatus sum, aut reprobatus: Si prædestinatus, consequar, quidquid fecero, præparatam beatitudinem: si autem sim reprobatus, damnabor certissime. Quod incommodum in adversariorum sententia vitatur: quapropter verior hæc est, atque rationabilior.

Resp. nego ant. Nam, ut diximus, quamquam Deus homines gratis eligit, non vult tamen dare gloriam adultis nisi ut mercedem & coronam justitiæ: gratis enim eligit ad gloriam obtinendam per merita; itaut merita connotent prædestinationis *objectum*, non *motivum*; Quare Prædestinationis actus gratuitus quidem est, sed *objectum*, ut inquiunt, *onerosum*. Neque dicas fieri non posse, ut actus prædestinationis sit liberalis intentio, complementum vero non exigat meritorum conditionem. Cum enim hæc merita comparentur per gratiam beneplacito divino collatam, non tollunt liberalitatem prioris intentionis, ut explicatum est Cap. IV. in Ref. ad 1. Hujusmodi argumentum ex Semipelagianorum latebris erupit, ut scribit in Epist. ad Augustinum beatus Prosper. At S. P. lib. de Dono Persev. cap. XV. sic illud in Adversarios contorquet: *Nonne si Deus illos bonos futuros esse præscivit, boni erunt, in quantalibet nunc malignitate versentur: si autem malos, mali erunt in quantalibet nunc bonitate cernantur? Nunquid ergo propter hujusmodi causas ea, quæ de præscientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt, vel tacenda: tunc scilicet, quando si non dicantur, in alios itur errores?* Nimirum tenentur adversarii eidem respondere argumento, cum tam sit certa & invariabilis Dei præscientia quam ipsi negare non audent, quam Dei prædestinatio, quam nolunt fateri. Ac multo magis retorquerit argumentum de gratia congrua, quam recentiores excogitarunt.

Appellatur præfatum argumentum *Rustici*, cui rudibus quoque exemplis est respondendum, E. G. aut hac infirmitate morieris, aut non: cur ergo ad sanitatem uteris medicamentis? Certa est futuri anni segetum copia: quare seris & occas? Vel manus afferent fures, vel parcent tabernæ foribus; & quid invigilas mercimoniis? Tentanti diabolo simplicem quoque anachoretam ferunt respondisse: sum aut Electus, aut reprobus; frustra ergo me ad peccandum sollicitas, insidiasque moliris. Vide Cæsarium lib. 1. c. 27. Itaque operibus bonis incumbendum est: nam Deus misericors est simul, ac justus; & licet nos præveniat ut misericors Pater, reddet tamen coronam ut justus Judex.

Opp. 4. Non est Dei voluntas irrationalis: debemus ergo aliquam ipsius caussam assignare.

Resp. seclusa consideratione meritorum dari caussam prædestinationis, si consideretur absolute, & hanc esse, *ut ostendat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ*: at si prædestinatio accipiatur comparative, idest, si quæras cur ex eadem massa unum eligat, non alterum, quam caussam inquiris præter divinam voluntatem ac potestatem? *Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Ita respondet Apostolus ad Rom. IX. *Contra istam veritatis tam claram tubam quis homo sobriæ vigilantisque fidei voces ullas admittat humanas?* S. P. Augustinus De Dono Persev. cap. VII.

Addo argumentum, si quid habet roboris, evertere etiam *prædestinationem ad gratiam*.

Opp. 5. Si Deus unum præ alio eligeret absque meritorum intuitu, esset personarum acceptator: Ergo, &c. Prob. ant. Acceptator personarum ille dicitur, qui æqualibus inæqualia dispensat: At Deus in sententia hac nostra æqualibus, nempe in eadem massa constitutis, inæqualia præberet ac præpararet, uni scilicet gratiam finalis perseverantiæ, alteri auxilium tantum sufficiens; illi gloriam, huic gehennam. Igitur esset acceptator personarum.

Resp. neg. seq. ad prob. dist. ma. Acceptator personarum ille est, qui æqualibus inæqualia largitur, & alicui debitum fraudat, concedo: Si nulli fraudet debitum, sed ex misericordia det uni quod ei non debetur, & ex justitia reddat alteri quod debetur; nego quod sit personarum acceptator. *Acceptio personarum* (ait S. P. lib. 2. ad Bonif. cap. 7.) *ibi recte dicitur, ubi ille qui judicat relinquens caussam meritorum, de qua judicat alteri, contra alterum suffragatur, quia invenit aliquid in persona quod honore vel miseratione dignum sit. Ubi autem est commune delictum & nullum meritum, acceptio personarum nequit esse*. Affert ibidem S. Pater exemplum duorum debitorum, quorum uni creditor remittit debitum, ab altero autem exigit: idque absque ulla iniquitate & acceptatione personarum. Videte in lib. de Dono Persev. cap. VIII. explicationem parabolæ Matth. XX. ubi pater familias querulo cuidam operario dixit: *Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic novissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Legite & in Epist. ad Sixtum exemplum parvulorum, *in quibus Pelagiani hujus argumentationis vires perdunt*. Sciscitamini demum, an sit acceptatio aliqua personarum uni gratiam *congruam* largiri, & illam alteri denegare.

Opp. 6. Prædestinatio juvatur precibus & orationibus Sanctorum: Aliquam ergo habet caussam.

Resp. dist. ant. Juvatur Sanctorum precibus quantum ad *consecutionem* effectus, conc. quantum ad *intentionem* conferendi gloriam, nego.

Opp. ultimo: Gratuita prædestinatio destruit libertatem: non est igitur defendenda. Prob. ant. Si prædestinatio est gratuita, decretum divinum antecedit omnem actum voluntatis creatæ, eam prædeterminat, & salus consequitur infallibiliter & ex necessitate: neque obsistere potest voluntas, alias posset frustrari ipsum divinum decretum, quod est omnino immutabile.

Ad argumentum istud cusum, ut constat ex dictis cap. 5. arg. II., in officinis Massiliensium, respondeo nego ant. ad prob. dist. antecedens. Decretum divinum antecedit ac prædeterminat voluntatem creatam prædeterminatione, qua inspirando Sanctam delectationem vehementem quidem, & corda trahentem, sed nullum necessitatis vinculum imponentem libertati, Deus facit ut faciamus, ut in præceptis ejus ambulemus, ut vitemus peccata, a quibus liberum est abstinere; concedo antecedens. Decretum divinum antecedit, ac prædeterminat voluntatem creatam, prædeterminatione, qua aut se facie ad faciem manifestando, aut plenissima boni delectatione trahendo, aut externa vi compellendo reluctantes, Deus liberum arbitrium necessitate constringat; nego antecedens. Doctrina est Adversariorum nostrorum, præscientiam, quamquam antecedens est, non tollere libertatem, quia nihil efficaciter in hominum arbitrio operatur: & constans est assertio nostra, Prædestinationem & decretum Dei efficax libertatem non evertere, sed perficere, quia ita efficaciter per inspirationem caritatis operatur, ut cum indifferentia, & potestate ad oppositum eidem liberum arbitrium cooperetur; quemadmodum explicavi postremo capite lib. IV. & repetam disserens de libero arbitrio, & exagitando Hæresim Pelagianam.

S C H O L I O N.

„ OPeræ pretium facturum me esse crediderim, si unde sint deprompta quæ adversus Prædestinationem hactenus propugnatam vehementiori animorum contentione objiciuntur, lectoribus patefaciam. Ad hæc itaque capita revocantur argumentationes Adversariorum. I. Inquiunt opponi sententiam de Prædestinatione *secundum Dei beneplacitum*, sive ante bonorum operum præscientiam sacris litteris, ac præsertim Apostolo ad Timotheum scribenti, *Deum velle, ut omnes homines salvi fiant*. Neque enim vult Deus illos salvos fieri, quos non eligit, nec prædestinat. II. Ajunt sententiam illam veterum Patrum, & Ecclesiastico sensui adversari. III. Autumant dici posse fatum plusquam adamantinum, inevitabile, atque inferens necessitatem. IV. Ex eadem sententia inferri putant a Deo aliquos eo fine creari, ut pereant: V. Illinc pariter consequi affirmant, reddi ab ipso Deo impossibilem consecutionem æternæ salutis iis, quos ante meritorum suorum præscientiam prædestinat. Item injustum fore. Rursus acceptatorem personarum. VI. Ex parte vero hominum ex nostra sententia inferri arbitrantur, primum quidem, ut injiciatur hominibus occasio desperationis: Deinde ut torporem in nobis efficiat, auferatque sollicitudinem, & in sanctis fervorem extinguat, lapsis vero curam adimat resurgendi. VII. Infirmæ hominum menti ineptam illam ratiocinationem insinuant, vel sum de numero electorum, vel non sum: nulla diligentia intrabo, si non sum; nulla, dummodo sim, excidam negligentia. VIII. Consimilia his, & absurdissima urgent consectaria, videlicet, ex Augustiniana doctrina deduci neque electum, neque perdendum indigere exercitamentu orationis: neminem induci debere ad incertum voluntatis divinæ: firmam spem collocari non posse in auxilio perseverantiæ, quod an præparatum sit, ignoratur: fatuum esse militiæ ducem, qui in suppetiis incertis spem ponat: locum non

habere

habere in hac sententia exhortationes vel ad infideles ut convertantur, vel ad impios ut agant pœnitentiam, vel ad negligentes ut salutis iter alacriori animo arripiant. His ergo telis adversus prædestinationem præviam ad præscientiam operum futurorum decertant Molina q. 14. art. 3. disput. 53. num 2. & q. 23. Concordiæ art. 4. & 5. disput. 1. membro 6. Lessius de Prædest. sect. 6. num. 79. & de Grat. effic. cap. 3. & cap. 7. n. 2. & 3. Valentia disp. 1. q. 23. de Prædest. puncto 4. in corollariis, &c. *Quæ enim*, ait ceterorum Antesignanus Molina præcitata disputatione 1. Concordiæ pag. 335. edit. anni 1695. *Quæ enim, non dicam, bonitas & clementia, sed æquitas patitur, ut nulla omnino ratione usus liberi arbitrii habita, eo vel solo, vel præcipuo fine Deus certos solum quosdam homines ex æternitate elegerit, & prædestinaverit, reliquos vero pene innumeros non electos, & non prædestinatos reliquerit, sciens continuo eo ipso futuros reprobos, ut haberet quos puniret, & in quibus justitiam suam vindicatricem commendaret? Quæ item æquibonitas, & clementia postulat, ut pro sua tantum voluntate, absque ulla consideratione usus liberi arbitrii cujusque decreverit, ut hi in particulari essent prædestinati, illi reprobati. Certo id potius duri, feri & crudelis, quam clementissimi principis, auctorisque totius consolationis, bonitatis, ac pietatis, esse videtur, eaque ratione potius obscuraretur divina justitia, quam commendabilis redderetur: id, quod latius circa permissionem peccatorum ad eumdem finem, art. 3. sumus prosecuti.* Paucis interjectis ita Molina subjicit: *Profecto, si quod impugnamus verum est, fictiones potius & irretiones, comparatione eorum qui vitam æternam non consequuntur, videntur imitationes, atque objurgationes, quæ ex persona Dei facta in Scripturis Sacris continentur, quam veri animi significationes: quod tamen assertum non solum esset indignum divina bonitate & majestate, sed etiam blasphemia plenum.* Rursus post pauca: *Denique præter quam quod hæc sententia occasionem præbet hominibus despondendi animo, ne dicam desperandi, segnius operandi, obtendendi excusationes, atque sentiendi de Deo, non ut oportet, in bonitate, atque ea de causa minus hominum animos erga creatorem diligendum ac colendum excitare videatur; certe non video quanam ratione patentissima libertas arbitrii nostri, quam experimur, quæque tam aperte in Scripturis sanctis traditur cum divina prædestinatione ita explicata cohærere valeat.* Sunt hæc Ludovici Molinæ verba oppositionum, quarum summam paullo supra produxi, synopsis quædam, atque complexio. Voce autem simili tonat cum Mediltarum antesignano prælaudatus Leonardus Lessius: qui citata sect. 6. de Prædest. propugnatum a nobis voluntatis divinæ beneplacitum appellat *Fatum plusquam adamantinum, fatum inevitabile*. Addit, *Persuasio de absoluta electione ante omnem prævisionem, nescio ad quid sit utilis, nisi ad licentiam vitæ & desperationem. Subjicit, Quorsum ista doctrina pertineret, nisi ad injiciendam hominibus desperationem?* Scribit, *Cur ego sim sollicitus, sit potius, ut humano more loquar, sollicitus ille, ut decreta ipsius impleantur? vel sum de numero electorum, vel non sum. Nulla incuria excides, nulla diligentia intrabis.* Ait præterea, *Quid opus, ut multum patiar in posterum? Non enim possum frustrari eo, quod mihi absoluto ante omnem operum prævisionem est præparatum.* Plena est hisce locutionibus Molinistica Theologia, neque oportet in iisdem colligendis tempus conterere. Pervenit quippe ad Italos quoque, exterosque homines quæ e suggestu in Quadragesima anni 1757. a Molinista Concionatore habita fuit de Prædestinatione oratio in majori Civitatis Autissiodorensis Templo, in qua eadem prorsus ratione pro omnibus & singulis hominibus Christum mortem subiisse, ejusque passionis fructum eodem modo, quod aperte Tridentini Concilii sanctionibus adversatur, applicari universis, ab auditoribus irrisoria interrogatione petens, num coli & adorari debeat Deus iniquus & dirus, Deus, qualem Calviniani fingunt, auctorem perditionis, & culpæ, atque necessitate ineluctabili impellentem ad perditionem? Ex quo apparet ea, quæ aut falsa sunt, aut saltem Scholasticorum disputationibus subjecta, non tantum a Molinistis oppugnari, irrideri, calumniis impeti, verum etiam tamquam Orthodoxæ fidei contraria palam, & in sacris etiam concionibus prædicari.

Modo unde hæc hausta fuerint, perspicue ostendam. I. quod sententia nostra videatur contraria divinæ voluntati salvandi omnes, &, quod idem est, universorum omnino hominum redemptioni, est objectio octava calumniantium Gallorum, his verbis a Prospero Aquitanu descripta, *Quod*, in Augustini sententia, *non omnes homines Deus velit salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum*; & object. 9. *Quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus*. Atque idem Vincentius & Faustus frequenter objiciebant, ita, ut ipse Prosper scripserit ad Rufinum, *Illud nobis quasi contrarium a non intelligentibus semper objicitur, quod Deus omnes homines velit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* II. Quod ajunt quidam sententiam nostram sacris litteris, veterumque Patrum traditioni contrariam esse, in Semipelagianorum pariter officina procusum fuit: siquidem de his scribit idem Prosper in Epistola ad Augustinum, quæ libro de Prædest. Sanctorum præmittitur. *In Sanctitatis tuæ Scriptis, quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum, secundum Dei propositum disputasti.* Et intra: *Hæc enim ipsorum definitio ac professio est omnem quidem hominem Adam peccante peccasse, & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari, universis tamen hominibus propitiationem, quæ est in Sacramento Sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam.* Itidem Semipelagianorum hæc erat, ut in eadem Epistola legimus, communis assertio, *Ea, quæ de Epistola Pauli Romanis scribentis, ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis Electorum merita proferuntur, a nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur.* III. Fatum inevitabile, & pereundi necessitatem Semipelagianos Augustinianæ sententiæ objecisse, monet eo loci Prosper scribens illos tradidisse, *Removeri omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem.* Hilarius item in ea, quæ Epistolæ Prosperi subjicitur, testatur Massilienses doctrinæ S. P. Augustini objectasse, potestati illorum, qui ab universa damnatorum massa *excipiuntur per gratiam liberandi*, nulle injustitiam juxta Sancti Patris doctrinam *inevitabili necessitate conjunctam esse*. Faustus quoque lib. 1. de lib. arb. cap. 4. *Sub pietatis fronte*, inquit, *gentilitatis malum, & inter gratiæ vocabulum absconditum erit fatale decretum*, si nimirum propugnetur, asserta ab Augustino prædestinatio. IV. Inter Massiliensium Semipelagianorum objecta istud quoque apud Prosperum recensetur, *Quod Deus majorem partem generis humani ad hoc creet, ut illam perdat in æternum*. Quæ num. V. innuimus, antequam objicerentur a Molinistis, fuerant prolata a Pelagianorum Reliquiis, nam & illud objiciebant, *Quod quibusdam vocatis, & pie justeque viventibus obedientia subtrahatur, ut obedire desistant*, nec non illud, *Quod velit Deus, ut major pars sanctorum a sanctitatis proposito ruat*, nec non alterum, *Quod velit, ut magna pars Christianorum a fide apostatet*. Sunt enim objectiones istæ XII. calumniantium Gallorum, atque VIII. & IX. Vincentiana. VI. Eorumdem Semipelagianorum est pervulgatum a Molinistis objectum, quod sententia nostra trahere queat aliquem ad desperandum: *His verbis sanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant quamdam desperationem hominibus exhiberi*, ait Hilarius laudata ad Augustinum Epistola: & Faustus lib. 1. de lib. arbitrio cap. 4. *Quid enim*, inquit, *ultra speret, quem suum jam gratia facit? In quo e contrario non desperet, quem præfinitio violenta damnavit?* Teporem vero, neglectumque virtutis oriri ex Augustini sententia, querebantur Massilienses dicendo, *Removeri omnem industriam, tollique virtutes, si Dei Constitutio humanas præveniat voluntates*; verba sunt Prosperi. Itidem Semipelagiani, eodem Prospero narrante, dicebant, *Hoc propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis afferre; eo quod in utramque partem superfluus labor sit, si, neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere.* Consonat Hilarius scribens: *Asserunt inutilem exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur quod correctio valeat excitare*: & pariter, *Nam si sic prædestinati sunt, inquiunt, ad utranque partem, ut de aliis ad alios nullus possit accedere, quo pertinet tanta extrinsecus correctionis instantia?* VII. Propositum septimo loco argumentum, vel sum de numero Electorum, vel non sum: si sum, nulla cura excidam; si non sum, nulla diligentia intrabo: fabricaverunt item Semipelagiani, ut liquet ex illorum verbis nuperrime exscriptis, atque ex iis, quæ immediate subjiciuntur, *Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quam Deus definierit, accidere; & sub incerta spe cursum non posse esse constantem: cum si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit adnitentis intentia.* Similia Hilarius. Quare ad utrumque Augustinus dirigens librum de Dono Perseverantiæ inquit cap. 15. *Sed ajunt, ut scribitis, neminem posse correptionis stimulis excitari. Si dicatur in conventu Ecclesiæ audientibus multis, ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alii ex vobis de infidelitate, accepta obediendi voluntate, veneritis ad fidem, vel accepta perseverantia maneatis in fide: ceteri vero, qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum vos adjutorium gratiæ miserantis erexit. Veruntamen si qui estis necdum vocati, quos gratia sua prædestinaverit eligendos, accipietis eamdem gratiam, qua velitis & sitis electi: & si qui obeditis, si præde-*

stinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis. Atque hanc Semipelagianorum argumentationem nullius esse roboris Augustinus demonstrat exemplo præscientiæ, quæ neminem in torporem segnitiemque vertere debet, quamquam boni futuri sint, quos Deus bonos futuros esse præscivit, in quantalibet nunc malignitate versentur; & si malos futuros esse præscivit, mali proculdubio erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur. VIII. Consectaria demum postremo numero recensita Molinistæ a Semipelagianis mutuati esse videntur. Enimvero de neglectu orationis scripsit Faustus lib. 1. de lib. arbitrio cap. 4. *Qui unum in origine perditum, alterum in prædestinatione affirmat electum, vide quo improba persuasione declinet. Quid enim aliud dicit, nisi quod adjutorio orationis neuter indigeat?* De spe, ut ex Prospero didicimus, Semipelagianorum querimonia erat, *sub incerta spe cursum non posse esse constantem*. Addebant apud Hilarium, *Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se velle*. De electorum constituto numero, atque de exhortationum incitamentis ita prælaudatus Prosper, *Nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum nec augeri posse, nec minui; ne locum apud infideles, ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant; ac superflua sit industria ac laboris indictio, cujus studium cessante electione frustrandum sit*. Hilarius ibidem: *Ceterum quicquidlibet donatum sit prædestinatis, id posse & amittere & retinere propria voluntate contendunt. Quod tunc falsum esset, si verum putarent eam quosdam perseverantiam percepisse, ut nisi perseverantes esse non possint. Inde est quod & illud pariter non accipiunt, ut eligendorum, rejiciendorumque esse definitum numerum velint*. Legantur Prosperi, & Hilarii ad Augustinum Epistolæ, ejusdemque Prosperi ad Rufinum, atque ad objecta Gallorum, & ad objectiones Vincentianas.

Horum, quæ in Augustinum Semipelagiani olim jaculabantur, cum iis, quæ Moliniani regerant, & quorum paullo supra verbis ipsorum quamdam præmisi epitomen, facta diligenter comparatione, cuique compertum esse debet, ex quo fonte quidquid contra sententiam nostram objicitur, promanaverit. Neque tamen ego existimandus sum adeo impudens, audax, atque Apostolicarum definitionum contemptor, ut Medistarum sententiam esse unam eamdemque cum errore Cassiani, aliorumque Semipelagianorum, pronuntiem. Quamvis enim hac de re fuerit acerrime disputatum in Congregationibus de Auxiliis; nulla tamen promulgata est definitio, neque ulli fas est alterius Scholæ Theologis notam hæresis alicujus inurere. Nec me fugit, hoc passim Molinistas inter ac Semipelagianos assignari discrimen, quod hi repetere crediderint initium fidei, piumque desiderium voluntatis ex naturali facultate liberi arbitrii; Molinistæ autem initium quoque illud a Dei gratia fateantur oriri. Absit itaque ut de Theologis Orthodoxis, neque a S. Romana Ecclesia proscriptis, sinistre, audacterque sentiamus. Hoc unum asserimus, nos non habere ullo in pretio repetita illa objectamenta, quæ sive ab Arminiano scriptore, sive a Catholico adversum nos ipsos urgeantur, certissime scimus a Semipelagianis fuisse primum contra Augustinum contorta, atque ab ipso, a Prospero, ab Africanis Patribus, a Theologis præstantissimis non semel refutata & contrita.

CAPUT IX.

Argumenta, quibus permotus Petavius Augustinianam retractavit sententiam, eodem Auctore solvuntur.

GRAVISSIMUM clarissimumque Theologum Petavium decimo Theologicorum Dogmatum libro Augustinianam de prædestinatione retractavisse sententiam, quam præcedenti egregie propugnaverat, jam in præfatione præmonui. Ne quis id factum arbitretur rationibus invictissimis, quamquam munivit satis Scholarum nostrarum assertum, ad uberiorem notitiam argumenta Petavii referam quambrevissime, neque alio Magistro, quam Petavio ipso, refellam.

I. Libro x. cap. 1. num. 3. ait verbum ὁρίζων, significare aliquando prædestinationem citra merita, & usum voluntatis: unde eo verbo utitur Apostolus ad Rom. cum de Christo loquens dicit, *prædestinatum esse filium Dei in virtute*. At verbum προορίζων non absolutam Dei voluntatem designat, sed eam, quæ supponit singulorum meritatem; nam in iv. Act. Apost. ubi legitur de nefario Judæorum facinore: *manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri*; ibi est verbum προώρισε: idem scilicet cum priori sola addita præpositione. Nullus igitur sanus ac sobrius ex illis verbis potest liquido judicare, qualis sit Sanctorum prædestinatio.

Resp. lib. ix. cap. 1. num. 2. ait Petavius: *Itaque quod* ὁρίζων *Græce scriptum est in loco illo primi ad Romanos Capitis*; Qui prædestinatus est filius Dei in virtute, *Latinus noster vertit, quasi esset* προορισθεὶς, *ut est in nono capite*, Quos præscivit & prædestinavit. Atqui loco illo primi capitis significatur prædestinatio citra præscientiam meritorum: Igitur verbum προορίζων non significat decretum, cujus caussa pendeat ex hominum voluntate, atque ex humano arbitrio rationem, & originem habeat sui. Præterea, ut seq. num. dicam, juxta Petavium Apostolus verbo illo προορίζων significat prædestinationem ad legem atque Evangelium: quæ proculdubio est citra humanorum meritorum præscientiam: itaque eodem verbo designatur sola gratuita prædestinatio. Neque contrarium evincunt verba Act. iv. 27. cum referantur ad Redemptionem humani generis sola Dei voluntate prædefinitam, non ad Judæorum, vel Gentilium nefarium facinus; ut vidimus lib. iv. cap. 7. Sed hæc perlevia sunt, & tam verbum, ὁρίζων quam προορίζων solam prædestinationem significare concedimus: sed Apostolus loquitur de prædestinatione κατὰ πρόθεσιν *secundum propositum*, versu præcedenti; & de ea, per quam: *cujus vult miseretur, & quem vult indurat*, seq. cap. ix. v. 18.

II. Observat Petavius Apostolum in Epist. ad Romanos exemplo Jacob & Esau velle tantum ostendere vocationem ad legem & Evangelicam gratiam, quæ utique est ex sola voluntate Dei. Sed minime sequitur, ex solo Dei proposito homines eliguntur ad gratiam: ergo & gratis prædestinantur ad gloriam: quemadmodum non sequitur, Judas electus est ad Apostolatum: igitur est etiam prædestinatus ad regnum. Ita ratiocinatur lib. x. cap. 1. n. v.

Resp. lib. ix. cap. xii. n. 3. ait Petavius: *Quod ad Romanos scribens Apostolus breviter accurateque verbis istis explicat:* Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui. *Hoc vero non minus in justitia, quam æterna gloria consistit*. Et paucis interjectis, *Elegisse Deum asserit suos, ut Sancti sint & immaculati; tum ut adoptivi sint per Christum filii, non qualicumque modo, sed ut perfectam in se Dei, ac Christi similitudinem referant. Id enim filiorum natura postulat*. Quod Petavius probat non ex solo Augustino, sed luculentissimis Scripturis, & Veterum testimoniis: & concludit prædestinationem, de qua loquitur Apostolus, perinde Sanctitatem & gratiam, ac salutem & gloriam importare. *Nam utraque nos Deo similes facit: utraque simul a massa damnata liberat*. Hæc Petavius. Loquitur ergo Apostolus de Prædestinatione ad legem, & gratiam Evangelicam, & simul ad gloriam; & ex una infertur alia, non in singulis, qui credunt & vocantur, sed in his, qui sunt prædestinati *conformes fieri imaginis filii Dei*. In qua prædestinatione non comprehenditur Judas: & ideo non sequitur, Electus fuit ad Apostolatum; Ergo & ad regnum. In prædestinatione enim gratia & æterna felicitas colligantur; quoniam illa confertur electis ex certo Dei consilio & proposito dandi æternam felicitatem. At proditoris Judæ vocatio nullum habuit ad æternam gloriam ex divino proposito ordinem ac respectum; ut erudite Petavius sequenti num. iv.

III. Ex consuetudine, inquit, Scripturarum odium Esau nonnisi minorem significat dilectionem. Neque Dei propositum, quod commemoravit Apostolus, absoluto suffragatur decreto. Aliorsum enim trahuntur hæc verba etiam ab ipsomet Augustino lib. 1. Q. 2. ad Simplic. antequam ad alteram descisceret opinionem. Explicandum est ergo Dei propositum cum prævisione voluntatis ejus, qui eligitur. Ita lib. x. cap. 1. num. vii.

Resp. Scripserat ibidem paullo ante Petavius: *Uti Jacob nullis suis meritis divinum illum favorem obtinuit, fratri ut suo anteponeretur: quo ex favore & gratia promissam Palæstinæ regionem pinguem & uberem est adeptus: Esau vero nullis item meritis suis hoc infortunio percussus est, ut sterilem & incultam solitudinem possideret. Sic & Judæorum olim populus nullis suis officiis hanc a Deo gratiam emeruit, ut legis, Sacramentorum, ac regni Dei compos & hæres esset*. Igitur etiamsi Esau, ac reprobi a Deo aliquo diligantur amore; nam & ipsis plurium gratiarum dona impertitur; etiamsi dicas Esau probabiliter salvum cum Estio, Platelio, aliisque, parum id refert. Ratiocinatur Apostolus procedens de literali sensu ad mysticum: Jacob nullis meritorum officiis electus fuit ad uberrimam regionem Palæstinæ: Nulla ergo prævisione meritorum prædestinantur electi ad cælestis Jerusalem possessionem, cujus typum gerebat terra Chanaan. Augustinum in libro primo ad Simplic. loqui de sola electione consequente demonstrat Petavius lib. ix. cap. xiv. probatque eo loco gratuitam prædestinationem magnopere adjuvari. Qua ergo fronte scribit Augustinum ab opinione, quam tenuerat, descivisse, notata in margine quæstione ad Simplic. 2. Illa duplici *electione*, quam Petavius maxime probat lib. ix. cap. xii. n. vii. Græcorum Patrum, & Augustini ad Simplic. sensa explicantur. De Vasquesio hujus loci præsidium sibi advocante, *Quid aliud* (scribit Petavius citato cap. xiv. n. xi.) *quam non expendisse verba illa Augustini, Vasquesium, aliosque putandum est?* Vide num illorum albo sese præclarissimus Scriptor accenseat.

IV. Massam luti, ex qua figulus pro sua potestate fingit vasa honoris & contumeliæ, Augustinus absoluti decreti propugnator accipit pro multitudine hominum peccato contaminata; sed ex adverso stat Chrysostomus homilia 16.

in Epist. ad Rom. pag. 142. Hieronymus in Epist. 150. ad Hedibiam. Ita Commentator Ambrosii, Origenes, Tertullianus, Methodius, Theodoretus, & alii, qui docent totum inter vasa discrimen petendum ex hominum voluntate. Ita lib. x. cap. 1. num. ix. & seq.

Resp. Affirmat Petavius lib. ix. cap. vi. n. i., cum de gratia, vel electione ac prædestinatione disputandum est, majorem haberi rationem Latinorum Patrum, quam Græcorum, atque inter illos principem consensu Theologorum esse Augustinum, propterea quod hæresis Pelagiana magis aliquanto Latinam, quam Orientalem exercuit Ecclesiam, & adversus illam acerrime Augustinus pro Catholica Fide pugnavit. Cur ergo Augustino ceteros præfert? Cap. xvi. num. ii. ait Hieronymum in Epist. ad Hedibiam *Apostoli verba minus commode interpretatum*. Sed manifestum est loqui Hieronymum de electione consequente, & de prædestinatione *quæ liberum servat arbitrium*. Eodem cap. num. i. demonstrat Petavius Ambrosium sententiæ Augustini minime refragari; quod eodem momento Deus prædestinatos elegerit, & decreverit pro meritorum magnitudine majorem, minoremve mercedem. Addit, quod eruditis omnibus compertum est, præcitatos Commentarios non esse Ambrosii. Divum Joannem Chrysostomum nobis adversari revera arbitratur Petavius: sed tamen hunc aliosque debemus accipere de electione, qua unus præ alio assumitur, præsertim cum Chrysostomus rejiciat scientiam, quam vocant conditionatam, auctore ipso Petavio cap. iii. num ix. Sed de Patrum cum Augustino consensu dixi superiori cap. vii.

V. Quæ scribit Apostolus ad Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti & immaculati in conspectu ejus in caritate*; Augustinus ad prædestinationem retulit. Sed Paulus de sola electione intelligendus est, quam ipse declarat, dicens, *ut essemus Sancti*; quod facit & in cap. 8. ad Romanos scribens: *Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*: quæ verba de sola electione ad fidem prolata frustra pro absoluto decreto, quo & gratia & gloria nectuntur, solent obtendi. Ita lib. x. cap. 1. n. xiv.

Resp. Hæc sunt verba Petavii lib. ix. cap. xi. n. 3. *Hinc ab eodem Apostolo scriptum est alibi*. Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti & immaculati in conspectu ejus in caritate: *Mox vero*: Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ. *Elegisse Deum asserit suos, ut Sancti sint, & immaculati: tum ut adoptivi fiat per Christum filii, non qualicunque modo, sed ut perfectam in se Dei ac Christi similitudinem referant. Id enim filiorum natura postulat... Joannes vero perfectam cum Deo similitudinem (quam filiorum naturam conditionemque propriam esse dixi) sic in futura vita pollicetur, ut in hac interim esse nos Dei filios asseveret: Carissimi, nunc filii Dei sumus: & nondum apparuit quod erimus. Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est*. Hactenus Petavius. Itaque electio, de qua Apostolus ad Ephes. 1. & ad Rom. viii., ex mente Petavii est gratuita: Hæc electio est ad perfectam Christi similitudinem, quam nobis Joannes pollicetur in futura vita: Ergo electio ad perfectam similitudinem Christi in futura vita obtinendam est gratuita.

VI. Apostolus electionem refert ad incomprehensibilia judicia Dei, ad Rom. xi. 33. Electio autem ad gloriam non spectat ad incomprehensibilia judicia Dei, in Scripturis enim Deus patefecit, quod pro eo ac quisque gessit in corpore recepturus est in judicio. Igitur de electione ad fidem, & ad Christi notitiam intelligendus est D. Paulus: nam hujus electionis caussa nemini comperta est.

Resp. Hæc habet Petavius lib. ix. cap. viii. num. iv. *Sit enim verior illa sententia, quæ Deum mortales omnes salvos esse velle definit, ex eoque decreto sufficientem omnibus ad illam adipiscendam vim & auxilium sufficere: postea, ut quisque concessis sibi adjumentis uti voluerit, aut noluerit, ita eligi vel reprobari: tum profecto si quis iniquum id esse Dei arbitrium caussari vellet, non exceptione ac perscriptione illa summovendus esset adversarius, qua usus est Apostolus, nec arcanorum Dei judiciorum altitudo commovenda: sed recta & facilis esset illa defensio, ac communibus hominum sensibus aptior; ideo justam esse Dei in utramque partem sententiam, quod & illos qui invitati paruerint ad cæleste convivium admiserit, & eos qui perinde vocati renuerint excludendos censuerit*. Salvatur ergo in Augustiniana Sententia, auctore Petavio, arcanorum judiciorum impenetrabilis altitudo. Vide cap. viii. in Resp. ad iv.

VII. Universæ viæ Domini sunt, ut habetur in Ps. 24., *misericordia, & veritas*. Ubi de misericordia agitur, non est locus inquisitioni meritorum, nec repetuntur rationes; quod ex Sacris literis accepimus pertinere ad vocationem & gratiam: sed vicissim Scripturæ ipsæ nos docent, gloriam meritis Sanctorum ex justitia deberi. Id nos admonet Paulus 2. ad Corinth. 9. & 2. ad Timot. 4. Id Parabolæ patrisfamilias conducentis operarios in vineam, & illius qui peregre abiturus pecuniam servis distribuit. Id forma judicii a Matthæo cap. xxv. descripta, & alia fere innumera, quæ studiose collegit Lessius. Ita lib. x. cap. ii.

Resp. Legimus apud Petavium lib. ix. cap. xii. num. 2. *Deum itaque putandum est selectis illis & eximiis, quas ex infecta primi parentis scelere massa liberavit, æternam salutem haud absolute destinasse; sed modo quodam ac via comparandam. Non enim gratis, ac tamquam liberale aliquod munus hanc illi decrevit dare; sed ut bravium ac merces bonorum esset operum iis, quibus per ætatem sic assequi liceret. Nam de parvulis, quos ante usum rationis*

Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo,

aliter existimandum est. Docet consequenter per Augustinum gloriam esse coronam justitiæ, & tamen prædestinationem ad gloriam Dei esse ex beneplacito; quoniam divina voluntas non est de salute electorum simpliciter, sed simul & pro indiviso gloriam & gratiam dare constituit, ita ut adjumentorum series, quibus ad merita & Sanctitatem adducimur, nobis ex divino proposito conferantur. Addit n. vi. adversarios nostros in quadam latebra captionis versari, & gratuiti vocabulum ab objecto ad Deum agentem transferre. Quare ambæ viæ Domini, misericordia & veritas, in Augustiniana doctrina late patent; & aurea quadam catena beneficia connectuntur misericordiæ, & retributiones justitiæ. Misericordia Domini est, quod nulla ex nobis occasione captata aliquos eligat, & omnem seriem præparet adjumentorum: justitia vero quod meritis vitam æternam rependat. Sed de his actum a nobis quinto Capite. Transit deinde Petavius ad probandam generalem in Deo voluntatem salvandi omnes, & Salvatoris nostri pro singulis hominibus mortem: quæ duo nos absque præjudicio gratuitæ prædestinationis fatemur esse certissima.

Prætermittendum non est Augustini a veteribus Patribus dissonantiam objectasse primum Semipelagianos, deinde eam asseruisse in Annalibus Belgicis Hugonem Grotium, & lib. vii. Historiæ Pelagianæ Gerardum Vossium, postea solemnissimum incentorem Joannem Launojum. At omnium jacula retundit ipsemet Augustinus in lib. de Prædest. SS. cap. xiv.; & cuique horum respondet in vulgatissimo Epigrammate beatus Prosper:

Te stylus iste
Conficit, & verbis perderis ipse tuis.

SCHOLION

„ Dionysio Petavio, viro Societatis Jesu doctissimo, non uno nomine gratias refero. Principio enim fatetur Augustino, ubi agitur de Prædestinatione & de Gratia, majorem, quam ceteris Patribus deferendam esse auctoritatem. Tametsi supra num. 6. ejusdem Petavii sensum exposui; præstat tamen in præsentia illius verba subjicere. Igitur lib. 9. de Prædest. cap. 6. num. 1. ita vir eloquentissimus scribit: *Cum de gratia, vel electione, ac prædestinatione disputandum est, minor haberi solet antiquorum Patrum ratio, qui ante Pelagianam ortam hæresim extiterunt, quam eorum, qui postea sunt secuti. Latinorum vero multo major, quam Græcorum, etiam hæresi illa posteriorum; propterea quod magis aliquanto Latinam Ecclesiam, quam Orientalem exercuit hæresis Pelagiana, quæ iis de rebus altercandi occasionem præbuit, sic ut Græci plerique intima Pelagianorum dogmata vel ignorarint funditus, vel minus accurate perspexerint. Omnium vero Latinorum, quorum in hac controversia majorem dixi authoritatem, princeps est, consensu Theologorum, Augustinus: cujus de gratia sententiam, quotquot deinde consecuti sunt Patres ac Doctores; tum vero Ecclesiæ Romanæ Præsules, Præsulumque conventus aliorum, ratam & catholicam esse judicarunt; ut hoc satis magnum putarent veritatis argumentum, quod ab Augustino positum ac decretum esse constaret. Paucos duntaxat recentiores excipio, qui in electione potissimum ad gloriam, vel prædestinatione pertractanda, ultro se ab Augustini opinione discessisse profitentur: ut præ ceteris Ambrosius Catharinus, ac nonnulli de Scholasticis Theologis fecerunt. Alii porro ne tantum a se pondus auctoritatis abjudicarent, Augustinum quoquo modo trahere in partes suas conati sunt, & contra quam omnis retro antiquitas instituit, illius interpretari sententiam, quod inter alios aggressus est Gabriel Vasquez: qui duo quadam scribit adversus omnia Augustini testimonia, quæ ad prædestinationem gloriæ sine operum præsensione comprobandam afferri vulgo solent: Alterum prædestinationis vocabulum ab Augustino ad solam gratiam restringi, quem errorem supra capite primo confutavimus. Alterum nunquam Augustinum adversus Pelagianos, vel eorum reliquias de electione, vel prædestinatione ad gloriam, sed ad gratiam tantummodo disputasse: hanc vero posteriorem constat soli Dei bonitati sine ullis meritis adscribendam: priorem autem ad bonorum operum merita comparari: ut quemadmodum Deus in fine gloriam propter merita redditurus est; sic ex æterno ad eadem futura merita*

„ *respiciens gloriam decernat*. Hactenus Petavius; qui adversus Vasquesium & Lessium doctrinam Augustini explicat, vindicat, corroborat usque ad caput decimum sextum. Ex his vero duo apertissima corollaria inferuntur: unum quidem, Petavium, dum proximo libro x. demonstrare nititur prædestinationem ad gloriam fieri ex meritorum cujusque præscientia, pugnare, ipsomet judice, adversus majorem auctoritatem, quam esse auctoritatem Augustini tam diserte fatetur. Alterum, eodem Petavio assertore, illos, qui Augustinum putant de prædestinatione ad gratiam, non autem de prædestinatione ad gloriam, contra Pelagianos, eorumque reliquias disputasse, evidenter decipi. Imo initio quoque libri x. non solum ait Augustini doctrinam esse hujusmodi, *ut eam tuto Catholicus quisque possit amplecti, eamque a multis hactenus defensam, atque etiam hodie summa cum doctrinæ, ac pietatis commendatione defendi*; verum & de iis, qui in sententiam oppositam trahere Augustinum conantur, ait: *Ne illius opinionis desertores haberentur, maluerunt interpretes esse non boni, ut eo invito ac repugnanti opinionem alteram inducerent*.

„ Ceterum non desunt e Societate Jesu Theologi gravissimi, qui prædestinationem ad gloriam ante meritorum cujusque electi præsensionem fieri demonstrant. Etenim Venerabilis Bellarminus lib. 2. de Gratia & libero arbitrio cap. 10. prolixe luculenterque evincit, prædestinationis nullam esse caussam in nobis, in eadem quæstione versatus usque ad proximum caput 16. & aperte capite 15. declarans, *non solum ad gratiam efficacem, sed etiam ad gloriam gratis homines eligi*. Suarez etiam lib. 2. de caussa Prædestinat. cap. 23. quæstione accurate explicata, inquit: *Dico ergo primo, Prædestinatio non habet caussam, vel rationem ex parte prædestinati, non solum quoad decretum dandi illi primam vocationem congruam; verum etiam nec quoad decretum efficax dandi ei felicitatem & salutem æternam*. Addit Suaresius paullo post positionem hanc alteram: *Dico secundo ex parte prædestinati nullam dari caussam prædestinationis quantum ad æternam prædestinationem ad gloriam, vel ad perseverantiam, vel ad gratiam sanctificantem, vel ad bonos actus supernaturales, etiamsi talium effectuum, ut in tempore dantur, possit dari aliqua caussa, vel ratio ex parte hominis*. Obiter tamen notandum est, Suaresium ac Bellarminum, dum gratis homines ad gloriam prædestinari docent, non rejicere scientiam Molinisticam, quam Scholastici *Mediam* vocant: siquidem docent Deum prædilectione quidem sua efficaciter & absolute aliquos ad gloriam prædestinare, sed post prævisum liberum voluntatis consensum gratiæ excitanti, qui liber consensus licet prærequiratur Medistarum sententia, ne efficax divinæ voluntatis decretum inferat antecedentem, atque ineluctabilem necessitatem, non est tamen caussa ejusdem decreti; quoniam ex eorum numero, quos prævidet gratiæ moventi assensuros, aliis decernat pro suo beneplacito conferre donum finalis perseverantiæ, & gloriam, aliis hanc denegando, quos novit esse casuros. Quare inter scientiæ *Mediæ* defensores non desunt, qui prædestinationem propugnant, cujus ex parte prædestinatorum nulla sit caussa. Sed Leonardus Lessius Præfat. in disput. de Prædestinat. illud quoque *præsidium scientiæ conditionatæ* repellit. Hac notatione præmissa, ad alios quosdam Societatis Jesu Scriptores revertimur. Nam Joannes Maldonatus in caput 6. Joannis scribit: *Augustinus, & qui ejus de Prædestinatione sententiam sequuntur, in prædestinationem referunt, hunc trahi, illum non trahi, quia prædestinatus fuerat, ille non fuerat. Itaque non magis quærendum esse, quare hic trahatur, ille non trahatur, quam quare hic prædestinatus fuerit, ille non fuerit. Nec enim ejus rei quærendam esse caussam, quæ præter divinam voluntatem caussam nullam habet*. In caput item quintum decimum, expendens ea Christi verba, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*. Maldonatus hæc habet: *Augustinus hoc loco, & lib. de Prædestinat. SS. capite 17. & ubicumque hunc locum tractat, Prosper in libro contra Collatorem, & in Comment. in Psalmum 131. Beda, & Latini fere omnes de prædestinatione interpretantur; atque hinc probant nullam prædestinationis caussam in nobis esse, quia si esset, nos ipsi priores elegissemus*. Videsis & Lorinum in caput 7. Eccles. v. 14. atque in caput 13. Actuum Apost. versu 48. Riberam in cap. 1. Malach. versu 2. Pererius insuper in caput 25. Geneseos ait: *Paulus cognovit, & pro vero & certo tradidit, gratuitam electionem Jacob fuisse figuram gratuitæ electionis tam ipsius, quam aliorum omnium prædestinatorum ad vitam æternam*. Demum, neque enim singulos commemorando Societatis Jesu Theologos longior ero, Gregorius de Valentia disput. 1. de Prædestinat. quæstione 23. contendit eodem prorsus instanti, spectata etiam ratione nostra fieri prædestinationem ad gloriam simul & ad gratiam, ideoque præscientiam bonorum operum excitante, ac præveniente gratia patrandorum non esse caussam prædestinationis, sive electionis ad gloriam.

„ Quamvis autem Honoratus Tournely q. 22. de Deo & Divinis Attributis art. 2. conclus. 4. putet Gregorium de Valentia difficultatem effugere, non solvere, propterea quod *nostro concipiendi modo inter finem & media, inter præmium & merita quidam est ordo prioritatis*: attamen nulla, spectata quoque intentione nostra, apparet contradictio, ut Deus priori instanti decernat electis conferre simul gloriam, & gratiam, qua possit ei cooperando ipsam gloriam promereri, atque ad illam, quam Deus vult mercedem esse, & coronam justitiæ, pervenire: idque decernat pro beneplacito voluntatis suæ, ante præscientiam meritorum, quæ comparari debent auxilio gratiæ. Cujus rei hæc est ratio, quod in sensu Gregorii de Valentia non absolute Deus ad gloriam prædestinavit, sed ad gloriam modo quodam & via comparandam, scilicet, parvulis per sacramentum regenerationis, adultis per opera meritoria. Quare ait Petavius lib. 9. superius citato cap. 12. n. 2. locum hic non habere quorumdam Theologorum nimis enucleatam & subtilem inquisitionem, prius ne natura & cogitatione nostra Deus electorum gloriam, quam eorum merita, sive, ut vocant, *media*, sibi proposuerit. Ac Petavius id hac elidit ratione: *Verum ut ita res se habeat, cum per se, & absolute quippiam, velut finis objicitur: tamen cum idem certo modo affectus, & aliqua conditione & forma circumscriptus est, qua a meritis & operibus separari non potest; hæc ipsa necesse est in illo pariter includi, atque concipi. Itaque nec opera prius ac merita, quam iis debitam gloriam, objicit sibi divina prædestinatio; neque gloriam ante merita: sed utrumque simul, ac pro indiviso, quatenus gloriam non simpliciter, ut dixi, sed velut præmium dare constituit*. Atque hæc pro sententia Gregorii de Valentia, non pro nostra, ex Petavio produximus. Nos enim probabilius existimamus, prius finem, quam media a Deo sua prædestinatione decerni, etsi finis assecutio conditione sit circumscripta; propterea quod media illa multiplicis generis sunt, ac parvuli sine usu liberi arbitrii, adulti vel per innocentiam, vel per conversionem, vel per martyrium, cuncti vero per donum perseverantiæ consequuntur beatitudinem. Igitur in illo simplici & indiviso, ut a nobis concipitur, divinæ prædestinationis actu solam percipimus præparationem gloriæ ac perseverantiæ finalis: Cetera, quæ diversa sunt, & unum electorum secernunt ab alio, modulo perceptionis nostræ, consequuntur ad priorem illum divini beneplaciti actum. Vide supra cap. 8.

„ Demum Petavius cap. 12. de quo paullo supra, num. 8. & 9. docet duplicem esse *Electionem*, alteram antecedentem, consequentem alteram. Prior est *electio gratiæ*, quæ ex nulla meritorum præscientia oritur, de qua S. P. Augustinus lib. 5. contra Julianum cap. 3. & de Prædestinat. SS. cap. 18. ubi hanc electionem gratiæ explicat exemplo Jacob & Esau, allato ab Apostolo ad Rom. 9. 11. Appellatur hæc *Electio gratiæ*, quoniam Deus *nullum elegit dignum, sed eligendo fecit dignum*: quoniam elegit *non electione meritorum, sed liberalitate donorum*. Electio *Consequens* illa est, qua ex bonis operibus justificatus eligitur ad salutem. De hac electione S. P. lib. 1. ad Simplic. qu. 2. inquit, *Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio*. Utramque electionem paucis verbis idem S. Pater declarat de Prædest. SS. cap. 17. ubi exponens verba Christi Jo. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, inquit: *Intelligamus ergo vocationem, qua fiunt electi, non qui eliguntur qui crediderunt, sed qui eliguntur ut credant*; & post pauca: *Elegit ergo eos de mundo, cum hic ageret in carne, sed jam electos in seipso ante mundi constitutionem*. Hac duplici electione supposita, ex Petavio, quæ Petavius contra Augustinum opponit, eliduntur, & exsufflantur. Vide supra cap. 6. in solut. object.

CAPUT X.

Christi merita nostræ prædestinationis esse caussam.

SALVARI omnes prædestinatos beneficio mortis Christi nemo Catholicorum in dubium vertit. Solus enim propter salutem nostram Crucis patibulum subiit,

Eripiens quidquid veteris migraverat hostis
In jus, per nostrum facinus, cum femina prima
Præceptum solvens culpa nos perpete vinxit.

Inquit Carmine XVI. Apollinaris Sidonius. Illud tantum quæritur, an Electionis Sanctorum merita Christi caussa fuerint, an vero illam sint subsecuta, ut diximus de illorum auxiliorum complexu, quibus pervenitur ad gloriam, & quæ caussa sunt meritorum, sed electionem ac propositum Dei consequuntur.

PROPOSITIO: Fit ex Christi meritis prædestinatorum electio.

Tradit hanc propositionem Apostolus, qui in Epist. ad Ephes. cap. 1. ait: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spi-*

rituali

rituali in cælestibus, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti & immaculati in conspectu ejus in caritate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ. Constat etiam ratione: nam Christus nobis promeruit omnes prædestinationis effectus, idest gratiam, justificationem, ac finalem perseverantiam, dicente eodem Apostolo: *Creati sumus in Christo in operibus bonis, ut in illis ambulemus.*

Opp. 1. Ipse Salvator est prædestinationis nostræ exemplar lumenque præclarissimum, ex Augustino cap. xv. de Prædest. SS. Sed prædestinatio Christi est omnino gratuita & respectu suipsius, & respectu alterius: Ergo & nostra.

Resp. dist. majorem. Prædestinatio Christi est exemplar prædestinationis nostræ, ita ut ille sit mediator Dei & hominum, primogenitus prædestinatorum, & Caput Ecclesiæ, nos vero filii adoptivi, palmites, & membra; conc. Ita ut pares simus dignitate, neque nos ab illo redemptionem, gratiam, ac spiritualem vitam participemus, nego. Sed vide cap. vi. arg. ult.

Opp. 2. Mors Christi & meritum ipsius medium est, quo salutem consequimur: Sed, ut dictum supra, Deus, ratione saltem nostra, prius vult finem, quam media: Voluit ergo prius salutem hominum, quam mortem Christi, & consequenter hæc nequit esse prædestinationis nostræ caussa ac motivum.

Resp. Principio Deum prædestinasse numerum Electorum etiam permanente statu innocentiæ, ut scribit S. P. lib. xiv. de Civit. Dei cap. x. Deinde quantum spectat ad creaturam innocentem, quoniam hæc indigebat sola gratia versatili, decretum tulit Angelos hominesque salvandi conditionatum, non efficax. Ad hæc cum prius vellet ostendere quid posset liberum arbitrium, deinde beneficium gratiæ suæ; permisit innocentem creaturam delinquere. Definivit postmodum Incarnationem æterni Verbi ad reparandum humanum genus, oblatumque pretium mortis suæ pro universorum redemptione suscepit. Voluit denique ex redemptis hominibus, & in jus hæreditatis misericorditer restitutis, instaurare numerum prædestinatorum, a quo per liberum arbitrium homo prævaricator exciderat: atque ut superabundaret gratia ubi abundavit delictum, non solum voluit quod possint omnes salvari, sed certos statuit liberandos a perditione, quibus beneficia specialissima præparavit. Ita mors Christi, ejusque meritum est caussa nostræ prædestinationis, non quidem quatenus Deus determinavit numerum Electorum, sed quatenus hunc numerum ex hominibus a Christo redemptis voluit efficaciter instaurare. Igitur distinguo consequens: Deus prius voluit mortem Christi, quam numerum prædestinatorum, nego consequentiam: quam instaurationem hujus numeri, concedo.

Resp. 2. Deum voluisse hominum redemptionem, & propter hanc decrevisse Incarnationem Verbi: deinde vero ex redemptis hominibus aliquos prædestinasse, & intuitu passionis Christi his auxilia efficacia præparavisse. Habent ergo Christi merita rationem, medii, si comparentur ad redemptionem humani generis: & rationem caussæ, si referantur ad absolutam electionem aliquorum ex numero Redemptorum.

CAPUT XI.

De Sanctorum pro Electis intercessione.

QUÆRITUR nunc utrum Sanctorum precibus Prædestinati juvari possint, non quantum ad divinum propositum, sed quantum spectat ad consecutionem salutis.

PROPOSITIO: Utiles sunt prædestinatis Orationes Sanctorum.

Id cum Scripturis, tum exemplis probatur. Scripturis quidem; nam in Canonica Epistola Jacobi legimus: *Orate pro invicem, ut salvemini.* Exemplis autem; nam propter orationes beati Stephani Saulus Ecclesiæ persecutor in vas Electionis, Fideique Præconem, & propter lacrymas precesque piissimæ Matris Monicæ S. Pater Augustinus de servitute Babylonis in civem fidelissimum supernæ civitatis Jerusalem, vocati sunt. Hæc vero non ita dicta sint, quasi orationes Sanctorum promereantur nobis omnes omnino prædestinationis effectus; quandoquidem & ipsa Oratio Sanctorum inter istiusmodi effectus connumeratur: quatenus E. G. ex proposito salvandi Saulum & Augustinum, decrevit Deus ut pro illo positis genibus clamaret beatissimus Protomartyr; pro isto piissima parens assiduis fletibus ingemisceret.

Ob. 1. Oratio SS. vel est pro aliquo particulari, vel pro omnibus in communi, vel pro aliquo indeterminate: At nullo ex his modis confert ad nostram prædestinationem: Ergo, &c. Prob. min. nam cur Deus in particulari hunc, non illum trahat, nullam habet caussam, nisi voluntatis suæ beneplacitum: ideoque oratio Sanctorum pro aliquo in particulari inutilis est, & frustranea. Rursus frustranea est, & inutilis pro omnibus in communi, cum non salventur omnes, sed plurimi reprobentur; quod spectare ad perfectionem universi, multi Theologi affirmant. Postremo oratio pro aliquo indeterminate nullam requirit efficacem intentionem conferendi gloriam. Igitur, &c.

Resp. Juvari orationibus Sanctorum prædestinationem nostram, non quod per eam divinum immutari possit decretum: sed quoniam prædefinita est tamquam medium, quo comparatur prædestinationis effectus, scilicet detestatio peccatorum, justificatio, ac finalis perseverantia. Sive ergo pro aliquo in particulari, sive indeterminate Sancti orent atque intercedant, non agunt frustranee; est enim illorum oratio, non ad divinum propositum ordinata, sed ad consecutionem finis, quem Deus mediis caussis obtinendum esse decrevit.

Opp. 2. Illud, quo posito, vel non posito sequitur nihilominus effectus, nihil confert ad eumdem effectum: Sed prædestinatio consequitur effectum suum, sive Sancti pro nobis orent, sive non orent; quippe quæ impediri nullatenus potest: Ergo, &c.

Resp. Divinam prædestinationem esse quidem infallibilem, neque impediri posse; quia proculdubio evenit in tempore quod prædefinivit Deus ab æterno: sed evenit eo modo, quo Deus ipse disposuit, & mediis caussis secundis, idest, Sanctorum intercessionibus, rectisque ipsorum prædestinatorum operibus.

Opp. ultimo: Electio E. G. Augustini præcessit prævisionem lacrymarum & orationum piæ Matris Monicæ, alias non fuisset electio gratuita. Igitur licet Monica non orasset, Augustinus salutem & gloriam consequutus fuisset.

Resp. dist. ant. Electio Augustini præcessit prævisionem precum ac gemituum Monicæ, ordine intentionis, conc. ordine executionis, nego: *Si aliqui nondum sunt vocati* (inquit S. Pater lib. de Dono Persev. cap. 2.) *pro eis oremus, ut vocentur. Fortassis enim sic prædestinati sunt, ut nostris orationibus & accipiant gratiam, & efficiantur electi.* Erat ergo ita prædestinatus Augustinus, ut orante ac flente uberrimis lacrymis pia Matre gratiam consequeretur, & beatissimi Ambrosii cederet hortationibus.

CAPUT XII.

Effectus prædestinationis connumerantur.

PRÆDESTINATIONIS effectus sunt beneficia, quæ Deus optimus maximus confert Electis ex efficaci intentione illos ad vitam æternam perducendi. Ut vero aliquod donum dicatur effectus prædestinationis, tria requiruntur: ac primum, quod bonum sit, & Deo auctore efficiatur, nam moralis malitia, cum sit aversio a Deo, nequit ad vitam æternam suapte natura ordinari. Necesse est deinde, ut proficiscatur ex intentione conferendi gloriam; siquidem qualecunque medium ad finem referri debet: ideoque gratiarum munera, quantumvis præclara, collata reprobis non sunt appellanda effectus prædestinationis ad gloriam. Requiritur denique, ut cum effectu ad gloriam perducat: est enim prædestinatio præparatio mediorum, quibus certissime liberantur quotquot liberantur. Sequentibus autem positionibus quinam sint hujusmodi effectus demonstrabo.

PROPOSITIO I. Effectus prædestinationis primarii sunt Vocatio, Justificatio, & glorificatio.

Apostolus ad Rom. viii. 30. ait: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Hæc omnia a divina prædestinatione, tanquam a caussa oriuntur; Ergo sunt ejusdem prædestinationis effectus. Prob. mi. etenim, ut nuper dicebamus, prædestinatio est præparatio auxiliorum, quæ certam trahunt eorum, qui eliguntur, liberationem. At glorificatio a corporis animique miseriis perpetuo liberat: vocatio autem, & justificatio ipsam glorificationem præcedunt. Hinc beatissimus Pater pauperum Thomas a Villanova Conc. 3. de S. Jo. Bapt. docet, *Catena indissolubili hæc omnia ex prima illa origine gratuita emanare.*

Opp. 1. Vocatio & justificatio conferuntur sæpenumero etiam reprobis: impium enim est, damnatumque Calvinianum dogma, nunquam dari reprobos vere justos.

Resp. dist. propositionem: Deus impertitur gratiam vocationis, & justificationis etiam reprobis, ex efficaci intentione hos perducendi ad gloriæ consecutionem, nego. Ex voluntate, qua vult hos quoque credere, obtemperare vocanti, atque ad tempus servare justitiam, deserendos tamen justissimo Dei judicio, nec finaliter perseveraturos, concedo. Jam diximus requiri ad prædestinationis effectum, ut descendat ex efficaci divinæ voluntatis proposito largiendi beatitudinem, quod sane propositum ad nullum reprobum attinet.

Rursus objicies: Deserunt aliquando prædestinati vocationem, excidunt a justitia, & etiam in Apostasiæ crimen prolabuntur: quomodo erit ergo his in gratia, quam conculcant ac proterunt, medium ad beatitudinem obtinendam?

Resp. Etiam. Reviviscunt enim præcedentia merita per subsequentem pœnitentiam, atque ex recordatione prioris vocationis magis Electus trahitur ad assentiendum præsenti: ex præterito etiam lapsu timorem, & humilitatem concipit: resipiscens majorem erga se Liberatoris misericordiam experitur: conteritur animo quod fuerit quidem immemor

bene-

beneficii: gratificantem sibi diligit vehementius: atque verba Davidis repetit: *Priusquam humiliarer, ego deliqui: propterea Eloquium tuum custodivi*. Psalm. CXVIII. vers. 67.

Tertio sic argumentaberis: Glorificatio non est medium, sed finis: non est ergo prædestinationis effectus.

Resp. effectum prædestinationis esse quodcunque beneficium eo fine collatum ut electi a massa perditionis liberentur, sive liberentur per modum medii, sive per modum termini. Quare glorificatio, qua Electi ab illa massa penitus subtrahuntur, non solum prædestinationis effectus est, sed etiam maximus, ac præcipuus.

Denique oppones: Gratia collata Adam in statu Innocentiæ, quamquam restituta per ejus pœnitentiam, non fuit effectus prædestinationis Adami: Igitur neque prædestinationis effectus erit gratia, quam alii Electi receperunt, perdiderunt autem propter culpam, tametsi superveniente pœnitentia reviviscat.

Resp. conc. ant. nego cons. Gratia enim, & reliqua dona status originalis innocentiæ nequaquam provenerunt ex intentione efficaci largiendi gloriam; hæc enim efficax intentio originalem noxam supponit; ut ubi abundavit delictum, ibi superabundet & gratia.

PROPOSITIO II. Substantia quoque prædestinati, aliaque naturalia dona inter prædestinationis effectus possunt aliquo sensu connumerari.

Hanc conclusionem ita temperandam esse putamus; quoniam si substantia prædestinati spectetur absolute, nimirum, ut pendet a solo creationis decreto, certum est non esse prædestinationis effectum; quippe decretum creandi homines præcedit ratione nostra præscientiam originalis peccati; ideoque in hac parte nos consentimus Vasquesio, ceterisque Societatis Jesu Theologis. Itaque substantiam prædestinati dinumeramus inter effectus prædestinationis, in quantum servata misericorditer post peccatum præordinatur ad gloriam. Substantia enim prædestinati servata est post originale peccatum propter merita Redemptoris: Ergo est prædestinationis effectus. Consequentia videtur evidens; nam si substantia prædestinati servata est non vi prioris decreti spectantis ad creationem, sed intuitu meritorum Christi, apparet posse & ipsam ad gloriam efficaciter præordinari. Probatur ergo ant. Propter Adæ peccatum non solum expoliatum fuit humanum genus supernaturalibus donis, sed ulterius quoque promeruit, ut redigeretur in nihilum, ideoque beneficio misericordiæ præservatum est. Igitur propter Christi merita huic malo subventum est; unde Augustinus Serm. 11. de Verbis Apost. c. 5. docet Electos *per Jesum Christum esse creatos*.

Opp. 1. Voluit Deus hominum redemptionem, & ejus caussa Unigenitum Filium misit in Mundum: præsupponitur ergo ad Christi merita substantia prædestinatorum, qui redimendi erant, & ex numero redemptorum præeligendi.

Resp. distinguendam esse ratione nostra duplicem in Deo voluntatem; unam redimendi humanum genus per Christi Incarnationem; alteram instaurandi numerum Electorum ex hominibus per Christum redemptis. Falsum est igitur substantiam prædestinati servatam Christi merito non esse posteriorem Incarnatione, quatenus præordinatur ad numerum illum instaurandum. Quare dist. conseq. Substantia prædestinati præsupponitur ad Christi merita, idest, voluntas redimendi humanum genus antecedit ratione nostra decretum Incarnationis, concedo; voluntas implendi statutum prædestinatorum numerum, & quosdam præ ceteris ad hunc finem præordinandi præsupponitur ad Christi merita, nego. Vide cap. x. ad 2.

Opp. 2. Prędestinatio facta est post prævisionem originalis peccati: Atqui peccatum originale supponit substantiam prędestinati; Ergo substantia hęc prȩsupponitur ad prędestinationem.

Resp. dist. mi. Peccatum originale supponit substantiam prędestinati spectatam absolute, prout creata & producta est; conc. Spectatam quatenus misericorditer præservata ordinatur ad instaurandum numerum Electorum, nego minorem.

Opp. 3. Si humana substantia modo explicato prædestinationis effectus est; erit etiam effectus prædestinationis substantia reproborum, quoniam & hæc meritis Christi servatur. Adde non posse numerari inter prædestinationis effectus quod est commune tam Electis, quam reprobis: Sed substantia etiam ut conservata post peccatum communis est tam Electis, quam reprobis: Ergo hæc numerari non potest inter prædestinationis effectus.

Resp. nego sequelam: & ad probat. dico esse quidem reproborum substantiam effectum meritorum Christi, nec tamen dici posse effectum prædestinationis: quia non omne beneficium meritis Christi collatum prædestinationis effectus est, sed illud quod habet conjunctum propositum conferendi etiam gloriam; ut diximus supra de vocatione & justificatione. Quapropter illud etiam, quod Electis reprobisque commune est, in illis, in quibus omnia ordinantur ad gloriam, censetur inter prædestinationis effecta: tametsi non est tale in filiis perditionis & gehennæ, quibus non confertur eo fine, ut perducantur ad gloriam.

Quæ diximus de substantia prædestinati, valent etiam de naturalibus donis. Et si opponas hujusmodi dona minime pertinere ad gloriam, quam supernaturalis gratiæ auxilio tantummodo comparamus; Respondeo utique naturalia, E. G. voluntas, liberum arbitrium, ingenium, &c. se solis ad æternam salutem, imo ad fidei, aut cujusque meriti initium non sufficere; ut adversus dogmata Pelagiana quisque Catholicorum fatetur; ad illam tamen gloriam conducere virtute supernaturalium auxiliorum. Firmiter quippe tenendum est contra nefariam Calvinianorum hæresim etiam naturalem arbitrii facultatem active ad opera pietatis concurrere, dummodo gratiæ beneficio adjuvetur. Atque hoc duntaxat sensu naturales potentias inter effectus prædestinationis ad gloriam percensemus.

PROPOSITIO III. Etiam permissio peccati est aliquo pacto prædestinationis effectus.

Non loquimur de peccato finali, quod per pœnitentiam non deletur, & sempiternam perditionem secum trahit; tale enim peccatum in prædestinatis nullum est, quibus paratum est perseverantiæ donum ex liberalitate Creatoris. Neque sermo est de effectu, qui immediate & per se ad gloriam conferat, & quem consueverunt Scholastici appellare effectum *elicitum*; cum revera permissio peccati per se videatur magis pœna, quam donum, neque ad comparandam beatitudinem immediate conducat: sed de effectu remote, & mediate ad gloriam perducente, & quem dicunt Scholæ *imperatum*. Atque sic explicatam thesim demonstro 1. testimonio Apostoli dicentis ad Rom. VIII. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti*. Quæ verba expendens Augustinus de Correp. & Grat. cap. 9. ait: *Diligentibus enim omnia cooperantur in bonum: usque adeo prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant, & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores*. Idem Augustinus lib. XIV. de Civit. Dei cap. 13. *Audeo dicere*, inquit, *superbis esse utile cadere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, unde sibi displiceant qui jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit quando flevit, quam sibi placuit quando præsumpsit. Hoc dicit & Sacer psalmus: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine*. Similiter beatus Gregorius lib. 11. Moralium cap. 26. *Fit ut aliquando se hæc gratia utiliter subtrahat, & præsumenti, quantum infirmatur, ostendat: tunc enim vere cognoscimus bona nostra unde sint, quando hæc quasi amittendo sentimus, quia a nobis servari non possunt*. Ex his vero conficitur ratio Theologica: Quod ex divina ordinatione conducit ad bonum spirituale prædestinati, effectus est prædestinationis saltem *imperatus*: Permissio peccati ex divina ordinatione conducit ad spirituale bonum prædestinati, idest, ad humilitatem, & æquiorem beneficiorum divinorum existimationem: Ergo permissio peccati est prædestinationis effectus saltem *imperatus*. Vide Proposit. 1. ad secundam objectionem.

Opp. 1. Permissio peccati non est Dei beneficium, non confertur ex meritis Christi, non est actus misericordiæ largientis dona, sed opus justitiæ aut ponientis culpam, aut derelinquentis hominem in manu consilii sui, non denique liberalis distributio, sed æqua denegatio victricis gratiæ: Ergo non est cum prædestinationis effectibus dinumeranda.

Resp. permissionem peccati posse duplici ratione considerari, idest, in se, & prout divinæ providentiæ subest ordinationi. In se quidem spectata importat divinorum auxiliorum justam denegationem, & pœna est hominis præsumentis, non gratia Domini liberantis: at in intentione illius, qui, ut ait Augustinus de Correp. & Grat. cap. x. *Melius judicavit de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere*, habet & ipsa permissio peccati quamdam rationem beneficii, quatenus scilicet trahit ad majorem humilitatem, pœnitentiam, solicitudinem, & gloriam prædestinati. Distinguenda est ergo illa propositio. Permissio peccati non est beneficium, &c. spectata in se, & solitarie, concedo: ut subest proposito, consilioque Liberatoris, nego antecedens.

Opp. 2. Prudens rerum universarum Provisor permittere non debet maximum malum, quale est peccatum, ex intentione largiendi majorem humilitatem, aut gradum gloriæ subliniorem: quomodo non est sapientissimi Medici morbum permittere, ut conferat sanitatem ægroto. Nam infirmitas est animæ, & etiam deplorandus interitus, si mortali crimine maculatur.

Resp. Deum sapientissime peccata permittere, ut assequatur finem in quo magis magisque justitia, misericordia, atque incomprehensibilis providentiæ ratio deprehenditur. Ut enim in Sententia Adversariorum nostrorum vult Deus negativam reprobationem multorum ad manifestandam justitiæ rectitudinem erga reprobos, & amplitudinem misericordiæ erga Electos: ita prudentissime peccatum permittit, ut demonstretur necessitas gratiæ, infirmitas arbitrii, pœna superborum, virtus pœnitentiæ, misericordia Liberatoris, ac præmium denique humilitatis. Quæ licet comparanda non essent peccato, quod maximum malum est, si considerentur ratione sui, sunt tamen longe meliora si in his spectentur Redempto-

ris

ris merita, & glorificationis majestas. Alioqui nunquam Deus permisisset peccata absque nota imprudentiæ; quod irreligiosum, horrendumque est cogitare. Ad exemplum vero Medici dico non permitti ab eo morbum, ut simpliciter conferat sanitatem; permitti tamen interdum, ut sanitatem conferat robustiorem. Atque consimili ratione non permittit Deus in prædestinato peccata, ut simpliciter eum justificet; sed ut justificet firmiori sanctificatione, in qua humilior perseveret. Præclare & considerate Bernardus in Psalmum 90. *Nonne cooperatur nobis ille casus in bonum, unde & humiliores efficimur, & cautiores?* At quæ hoc loco tractanda erant, absolvimus.

CAPUT XIII.

Quomodo Electorum prædestinatio fixa sit, certissima, & immutabilis.

DUOBUS modis considerari posse prædestinationem Sanctorum, hoc est, in intentione Dei, & in rerum executione, sępe hoc eodem libro dictum est. Utroque modo spectatur, dum quæritur, sit ne infallibilis & certa: nimirum an talis sit comparate ad Deum eligentem, & ad hominem quoque libere præcepta observantem, ut æternam vitam consequi valeat.

PROPOSITIO: Prædestinatio tam respectu Dei, quam hominum Electorum est omnino immutabilis: ex parte tamen Dei certa est, ex parte hominum prorsus incerta.

Quantum spectat ad primam partem probatur: Decreta Dei efficacia & absoluta sunt omnino immutabilia, non enim Deus voluntatem habet similem humanæ, quæ haud semel propositum mutat, neque volenti efficaciter salvum facere hominem resistit arbitrium. Ergo ex parte Dei prędestinatio immutabilis omnino est. Talem quoque esse respectu hominum, probatur; nam supposito divino decreto prędestinatus infallibiliter gloriam consequitur: Ergo prędestinatio etiam ex parte hominis prędestinati immutabilis dicenda est. Quomodo autem stet cum hac immutabilitate libertas humana, explicatum est libro quarto.

Secunda pars demonstratur; nam respectu Dei prędestinationem esse certam docet Apostolus 2. ad Tim. II. 19. dicens: *Cognovit Dominus, qui sunt ejus.* Et Augustinus lib. de Corrept. & Grat. cap. 7. *Nemo eorum perit, quia non fallitur Deus.* Hominibus autem incertam esse colligitur ex Eccles. IX. I. *Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta.* Ex Trident. Sess. 6. cap. 12. *Nemo, quandiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero prædestinatorum.* Quæ sunt verba Augustini lib. de Corrept. & Grat. cap. 13. Accidit & congruens ratio: decebat enim hominibus talem spem futuræ felicitatis præcipi, quæ simul anxietatem & timorem incuteret; ut cum metu ac tremore salutem propriam operarentur, & gratiæ dona non superbiendo parvipenderent, sed extimescendo custodirent.

Objicies I. Vulgatissimum est Augustinianum illud proloquium: *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris.* Serm. etiam 102. de Temp. ait S. P. *Utinam tam cito peccator homo resurgat ad pœnitentiam, quantum cito Deus vult definitam mutare sententiam.* Ecclesia pariter orat, ut liber vitæ *prædestinatorum nomina adscripta retineat.* Atqui ex his liquet prædestinationem esse mutabilem. Ergo, &c.

Resp. accipi prædestinationem dupliciter, *adæquate* secundum omnes effectus, qui catena quadam indissolubili in electis colligantur, ut sunt vocatio, fides, justificatio, incrementa virtutum, perseverantia, & corona: *inadæquate*, secundum aliquos tantum effectus, quos aliquando in prædestinato certum est deperdi atque intermitti, ut justificatio, devotionis fervor, rigidusque modus vivendi. Itaque prædestinatio accepta *adæquate*, ut effecta omnia complectitur, præsertim vero finalem perseverantiam, & retributionem mercedis, aut considerata in se, ut est Dei propositum, & firma stabilisque voluntas ea omnia præordinans, immutabilis dicenda est: sumpta vero *inadæquate*, nempe pro justificatione, sive effectu alio intermedio, est omnino mutabilis. Igitur dist. minorem: liquet prædestinationem esse mutabilem, quantum spectat ad effectum aliquem medium, idest, ad justificationem, & opera prædestinati, concedo: quantum attinet ad divinum propositum, perseverantiam finalem, & gloriæ coronam, nego. Proloquium illud vulgare, *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris*, inter Augustiniana scripta non inveniri plures affirmant, & videtur derivatum ex consimili sententia Tract. 26. in Joannem, *Si non traheris, ora ut traharis.* Sermonem quoque 102. de Tempore non esse Augustinianum scribit Estius. At dato, quod utrumque genuinum sit, dico prædestinationem illic sumi *inadæquate*, pro justificationis gratia, aut pro signis prædestinationis, ut dixi cap. VII. ad 4. Eadem est ratio verborum Ambrosii dicentis; *Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris mutare delictum:* & orationis Ecclesiæ, in qua lusit operam nobilis quidam Orator. Nam hæc, & similia de prædestinationis effectu medio, aut de exterioribus signis sunt exponenda.

Resp. 2. Præfatas Sanctorum auctoritates explicandas esse de prædestinatione, non comparata ad efficacem Dei voluntatem, & absolutam beneplaciti sui præfinitionem, quæ immutabilis est, atque efficit reapse quidquid decernit ac prædeterminat; sed de prædestinatione relate ad legem a Deo promulgatam, in qua statuitur peccatoribus, nisi resipiscant, sempiternum supplicium; sed pœnitentiam agentibus deletur damnationis chirographum, scelerumque pœna remittitur. Quæ responsio longe facilior est, & germanior.

Objicies 2. Prædestinatio idem est, ac liber vitæ, in quo Electi descripti sunt: Ab hoc vitæ libro deleri possunt Electi: Ergo prædestinatio non est revera immutabilis. Probatur minor ex verbis Moysis ita Deum alloquentis Exodi XXXII. 31. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.*

Resp. nego minorem. Et ad probationem dico Sacrarum Scripturarum Interpretes verba Mosis non eodem modo explicare. Nam aliqui contendunt exponenda esse de libro vitæ temporalis, quomodo Num. XI. 15. *Obsecro*, inquit idem Moyses, *ut interficias me.* Quare optabat potius mortem, quam videre divinam ultionem in populum, quem in manu forti eduxerat de Ægypto. At sunt qui etiam de libro prædestinatorum hæc acceperunt, dicentes Mosen rem petendo, quam noverat impossibilem, voluisse exprimere vehementissimum cordis sui desiderium de Hebræorum incolumitate, & salute.

Ob. 3. Paulus ad Corinth. I. cap. 9. *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in servitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Potest ergo reprobari etiam Electus.

Resp. Apostolum nomine reprobationis, nequaquam intelligere Dei propositum, aut divinæ voluntatis actum, sed privationem gratiæ, ac reprobationis effectum, ut dictum est supra.

Ob. ultimo: Si prædestinatio esset immutabilis, qualiacunque forent opera prædestinati, hic semper salutem consequeretur: ideoque vulgari dilemmate uti posset; vel sum prædestinatus, vel reprobus; Si prædestinatus, etiamsi quodcunque crimen patravero, salvus ero; Si autem reprobus, quid bonis operibus insudo?

Respondeo locum non habere præfatum dilemma, quoniam est quidem prædestinatio immutabilis: sed executioni mandanda liberis meritis prædestinati, ut dictum est cap. VIII. in Resp. ad 3. Argumenta autem hæreticorum de certitudine justificationis, quæ possent adversus postremam thesis partem afferri, excutienda sunt alibi. Sufficit nunc animadvertere, neminem scire certitudine fide, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum, ut definit Tridentinum Sess. 6. cap. 9., & loca quædam Apostoli, quibus abutuntur inimici veritatis, vividam spem, non certitudinem, nisi moralem, manifestissime demonstrare.

CAPUT XIV.

Historiam heresis Prædestinatianæ fabulam esse, cui fidem nullam debemus.

INTER extremos circa Prædestinationem, & Gratiam errores connumerandi duo sunt, Pelagianorum, & Prædestinatianorum. Pelagiani asserebant prædestinationem haberi ex prævisione operum moralium, & necessitatem gratiæ negabant; quam hæresim aliqui temperantes putarunt initium fidei esse ex nobis, atque hinc salutis primordia pendere, in ceteris supernaturalia auxilia minime denegantes. Hi sunt, quos ob doctrinæ cum Pelagii dogmatibus affinitatem Semipelagianos appellaverunt. Prædestinatiani e contra gratiam etiam victricem, & prædestinationem *secundum propositum* gloriantur se cum Augustino defendere: quæ duo cum Semipelagiani admittere noluerint rejicientes Augustinianam doctrinam, ex qua videbatur eis consequi libertatis interitum, tanta pertinacia Prædestinatiani defendunt, ut liberum arbitrium tolli, & speciosum esse titulum sine re, pugnaciter fateantur. Atque ita Semipelagiani pro defensione libertatis, Prædestinatiani pro absoluta prædestinatione decertant, ac se mutuo conviciis dilacerant, utrique malæ caussæ patroni. Illi enim de Christi Gratia pessime, & de Augustino irreverenter locuti sunt: hi de libertate hominis, ultra quam impudenter, de Augustino autem plusquam imperite. Constans enim est ac certissima S. Patris doctrina quod neque prædestinatio deneganda est, neque humana libertas evertenda.

Prædestinatianos ergo postremis sæculis extitisse, & nunc etiam vigere in secta Calviniana, & quantum ad aliqua dogmata etiam in Janseniana Catholici omnes norunt. Sunt enim dogmata prædestinatiana Deum ad vitam & ad mortem eadem ratione prædestinare, divinam pręscientiam hominem violenter compellere, perire Dei voluntate quicunque pereunt, trahi etiam invitos ad salutem,

nullam

nullam esse in Deo voluntatem salvandi omnes, & Christum pro solis Electis mortem oppetiisse: quæ omnia opponebantur a Semipelagianis, tanquam consectaria Augustinianæ doctrinæ, & talia esse pessimi Augustini Interpretes, id est, iidem Prædestinatiani non diffitentur. Exortam hanc hæresim circa annum 424. apud Monachos Adrumeti Byzacenæ Provinciæ Metropolis, iterumque emersisse in Galliis circa annum 429. renovatam insuper a Gothescalcho Monacho Orbacensi sæculo IX. & anno 847. affirmant Tyro Prosper, Sigebertus, Baronius, Spondanus, Alvarez, & post editum a Sirmondo viro clarissimo librum Prædestinati alii Scriptores plurimi. Sed hæc esse commentitia tradunt viri alii doctissimi, ut Usserius, Maguinus, Norisius, Cabassutius, Macedo, Contensonius, Natalis Alexander, & propemodum infiniti: qui observarunt traductos fuisse a Semipelagianis odioso nomine Prædestinatianorum Cultores Augustinianæ doctrinæ, & hos sub corio fictitiæ hæreseos immerito vapolasse.

Hæc, ut patitur instituti mei ratio, suscepturus examinanda, ad coercendam obtrectatorum nostrorum (si tamen sunt aliqui) præcipitem loquentiam, præmoneo nullum inferri doctrinæ magni Augustini præjudicium, etiamsi concedatur emersisse adhuc eo vivente Prædestinatianorum sectam, & hujus gregales sese tanti Doctoris auctoritate præclarissimoque nomine circumvallasse. Ut enim scite ait Facundus Hermianensis lib. 6. contra Motianum, *Melius loqui non potuit Augustinus, quam Prophetæ, quam Apostoli & Evangelistæ: quorum verbis male intellectis, & incongrue adhibitis tam multi suos defendere conantur errores.* Imo quisquis sedulo animadvertat Adrumetinorum controversias opera Augustini fuisse sopitas, excitatis autem Semipelagianorum clamoribus, Augustinianam doctrinam nedum immunem evasisse, sed Cælestini Romani Pontificis fuisse insigni approbatione condecoratam; caussam quoque Gothescalchi undecim annis hinc inde ventilatam ab ipso Hincmaro ceterisque infelicis Monachi adversariis ad Augustiniana scripta, tanquam ad lydium lapidem revocatam, ut contra Joan. Launojum probat Hyacinthus Serry cap. 14. Vindiciarum: quisquis, inquam, hæc animadvertat, necesse est fateatur Augustinianam sententiam magnis subortis tempestatibus emersisse e vado scopulos prætervectam. Jam vero quæ præfabar hunc habeant terminum.

PROPOSITIO I. Nulla fuit in Monasterio Adrumeti, Augustino superstite, hæresis Prædestinatiana.

Demonstratur primo. Etsi Augustinianæ doctrinæ defensores passim a Semipelagianis appellati sunt Prædestinatiani; nihilo tamen minus nulla fuit in re horum hominum secta, ut doctissimi viri tradiderunt. Sanctus enim Prudentius Trecensis Episcopus in lib. contra Joannem Erigenam cap. 4. ait: *Tertiam vero hæresim, quam Pelagianis contrariam asseritis, quæ ita donum gratiæ prædicatur, ut libertas arbitrii funditus auferatur, nec legimus, nec audivimus.* S. quoque Rhemigius adversus eumdem Erigenam, *Quæ est*, inquit, *ista secunda hæresis tam incognita, tam inaudita, quæ libero arbitrio denegato solius gratiæ sit prædicatrix, nisi, ut nobis videtur, disputator iste vel beatum Augustinum latenter quasi hæreticum accusat?* Quæ probant universaliter hæresim Prædestinatianam neque ab Adrumetinis exortam, neque inter Massilienses iterum erupisse, neque suscitatam fuisse per Gothescalchum. Sed ne a maritimis Africæ, septisque Adrumetinis discedam; an non Augustinus scripsit librum de Hæresibus ad Quodvultdeum circa annum 428. exortis jam, sedatisque in Adrumetino monasterio dissidiis? Quomodo ergo Prædestinatianam hæresim nuperrime natam, & a seipso, ut inquiunt, opportune præfocatam silentio prætermisit, dum obscuriores quasque commemoravit? Quo prætcrea jure prope finem libri potuit asserere hæresim Pelagianam esse *omnium recentissimam*, si alteram ipse jugulaverat juniorem Pelagiana, eidemque directe contrariam? Verum ad alia accedamus.

Probatur 2. Explicatione disceptationis Adrumetinorum, brevique rerum gestarum narratione. Scripserat Augustinus celeberrimam Epistolam 105. ad Sixtum, quæ sententiæ gratuitæ prædestinationis, & gratiæ per se efficacis munimentum est singulare. Cum hæc per Florum Adrumetum delata esset, & avide inter Monachos legeretur; quibusdam imperitis visum est, vocationem secundum propositum & gratiam victricem tollere libertatem humanam, ipsis adeo liberum arbitrium propugnantibus, ut tollerent Dei gratiam. At Valentinus Abbas, & Florus, aliique pro doctrina S. Patris acerrime steterunt. Hinc obortæ contentiones, quas Felix & Cresconius inconsulto Monasterii Præside, nec satis caussa perspecta ad Augustinum profecti ambigue admodum retulerunt. Ac principio Florum accusarunt, tanquam arbitrium negasset: sed interpellati ab Augustino, se minime in his quæstionibus versatos esse prodiderunt. Deprehendit nempe S. Pater, Adrumeti Pelagianæ hæreseos cineres excitari, & sub prætextu salvandi libertatem novum bellum adversus Christi gratiam cieri. Quare ad extirpanda pravitatis semina librum scripsit de gratia & libero arbitrio, de quo in 2. Retract. cap. 66. hæc habet: *Propter eos, qui cum defenditur Dei gratia putantes negari liberum arbitrium, sic ipsi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, asserentes eam secundum merita nostra dari, scripsi librum, cujus titulus est de gratia & libero arbitrio. Ad eos autem scripsi Monachos Adrumetinos, in quorum Monasterio cœperat esse contentio.* Nondum autem Adrumetinis acquiescentibus, & rursus opponentibus non esse corripiendos legis transgressores, si divina constitutio humanam prævenire debeat libertatem, quandoquidem deest illis auxilium ex Dei beneplacito præparatum; addidit librum de Correptione & gratia *plenissimum*, ut ait in Epist. ad Augustinum beatus Prosper, *divinæ auctoritatis*. Atque hæc origo, hic finis dissidiorum, quæ moverunt Adrumetini.

Ex his manifeste evincitur inde Semipelagianorum quidem, non Prædestinatianorum hæresim erupisse. Etenim qui opinabantur gratiam dari secundum merita nostra, & negabant Electionem secundum propositum eo quod videretur afferre exitium libero arbitrio, ac proinde recedebant ab Augustino; hi Semipelagiani erant, non Prædestinatiani: quippe Prædestinatiani & Electionem secundum propositum agnoscunt, & Augustini doctrinam sequi magnifice de se prædicant, quamquam turpiter in errorem rapiuntur in iis, quæ spectant ad libertatem. Sed in Monasterio Adrumeti erant, qui ita negarent Dei gratiam, ut defenderent liberum arbitrium, & ideo recedebant a doctrina Augustini. Igitur inter Adrumetinos Semipelagiani quidem nonnulli erant, sed non Prædestinatiani.

Quod argumentum corroboratur testimonio Prosperi in Epist. ad Augustinum: in qua narratis Semipelagianorum adversus Electionem secundum propositum Dei oppositionibus, *Evenit*, inquit, *ex dispositione misericordiæ Dei, ut cum quosdam intra Africam similia movissent, librum de Correptione & Gratia plenum divinæ auctoritatis emitteres.* Consimilis ergo fuit adversus Augustinianam sententiam Semipelagianorum Massiliensium, & Adrumetinorum Monachorum expostulatio.

Comprobatur denique Assertum, & simul ostenditur præter Semipelagianos, non fuisse alios prave sentientes apud Adrumetum. Cresconius & Felix, qui ad Augustinum venientes retulerunt obortas inter Cœnobitas dissensiones, accusarunt Florum tanquam prædestinatianum, id est, hostem infensissimum libertatis. At liquet ex Epistola Valentini ad S. Patrem, duos illos Monachos falsa narrasse, ac Florum solam gratiam omnia præcedentem merita Catholice propugnasse. *Servi tui Flori*, inquit Abbas, *fides est, Pater, non sicut fratres illi locuti sunt: in præsentiarum audierunt ab eo dictum non juxta merita nostra dari donum pietatis, sed per gratiam Redemptoris.* Itaque rumor exortæ in Adrumetino monasterio Prædestinatianæ hæreseos ex falsa relatione Felicis & Cresconii excitatus est: neque ullus Prædestinatianus fuit reapse inter Monachos Africanos. Quis enim talis fingi potest? Valentinus? At de hujus fide nullus dubitat. Florus? liquet hunc fuisse falso accusatum. Cresconius & Felix? Hi vero accusatores erant erroris, quem imperite suspicabantur in Floro. Reliqui Monachi, qui ita defendebant liberum arbitrium, ut negarent Dei gratiam? Illi quidem Prædestinatiani a nemine, qui sit sui compos, appellabuntur. Lege autem cum Valentini Epistolam, tum Augustini responsionem; neque alium Adrumetinum inveneris, qui de hæresi possit esse suspectus.

Opp. 1. Fuerunt in monasterio Adrumeti, qui ita gratiam asserebant, ut arbitrium everterent: Hi erant Prædestinatiani: Ergo, &c. Probatur maj. S. P. Augustinus in Epist. ad Valentinum: *Retulerunt*, inquit, *Monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum, eo quod quidam in vobis sic gratiam prædicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium.*

Resp. nego maj. Et ad prob. dico Felicem & Cresconium falsa narrasse. Ut hi ad S. Patrem pervenerunt; statim advertit eos inscios esse, & circa controversias gratiæ parum versatos. Eos propterea penes se aliquanto diutius retinuit Augustinus, ut scribit in Epistola ad Valentinum, *quo instructiores redirent adversus novos hæreticos Pelagianos.* Optime quippe novit in Adrumeto recentissimam Pelagii hæresim suscitari, postquam pluries imperitos relatores interrogaverat. Hinc redeuntibus illis Adrumetum cum libro de Gratia & libero arbitrio, sic Monachos adhortatus est: *Neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium sic defendatis, ut a Dei gratia separetis.* Rescripsit quoque Valentinus, non esse in suo Monasterio, qui liberum arbitrium negarent. Enimvero sic generaliter loquitur: *Liberum arbitrium Dei gratia non negamus.* Flori quoque fidem commendat, & Felicis & Cresconii, qui ad Augustinum proficiscentes nil Abbati communicaverant, imprudens consilium redarguit. Sanctus autem Augustinus initio libri de Corrept. & Gratia ita Monachis gratulatur: *Hanc fidem, quæ sine dubio vera & Prophetica & Apostolica fides est, etiam in fratre nostro Floro invenisse me gaudeo: unde hi potius corrigendi sunt, qui eum non intelligebant.* Concedo itaque Felicem & Cresconium retulisse Augustino quod Adrumeti essent, qui negarent arbitrium; sed nego verum narrasse.

Opp. 2. S. P. Augustinus in libro de Gratia & libero arbitrio non solum gratiam defendit, sed liberum arbitrium

depræ-

deprædicat; quod vel solo libri titulo satis liquet. Sed ex quo defendat gratiam, sequitur extitisse in Adrumeto, qui gratiam negarent. Ergo ex quo liberum prædicet arbitrium, infertur etiam fuisse, qui negarent idem arbitrium; ideoque Monasterium in duas factiones, Pelagianorum unam, & alteram Prædestinatianorum, fuisse divisum.

Resp. hoc argumentum, quod Adversarii putant validissimum, nullum omnino esse. Primo enim quid probat, si dicamus Augustinum principio credidisse Felici & Cresconio, adeoque adversus Prædestinatianos, quos extare audiebat, scripsisse: quum tamen nulli essent, & illi duo Monachi mentirentur, ut reapse mentitos esse apertissime declaravit Valentinus? Annon bene S. Pater se gessit una cum erumpente Semipelagianismi hæresi evellens etiam ficti erroris radices, quas noverat olim insitas a Manichæis? Deinde si attentius librum de Gratia & libero arbitrio legas, percipies totum in hoc versari, ut probet gratiam nulla merita nostra supponere, neque tamen liberum perimere arbitrium; propterea quod Pelagiani affirmabant gratiam dari secundum merita, & ex Augustiniana sententia consequi interitum libertatis. Sed rem clarius expediam. Hæc propositio, *Non datur sub gratia efficaci liberum arbitrium*, enunciatur a Pelagianis, & a Prædestinatianis æqualiter, sed sensu prorsus contrario. Pelagiani ut tollant Dei gratiam, ita argumentantur: Gratia efficax tollit arbitrium, ergo non datur: quo telo etiam nos impetunt Catholici, clarissimique viri, qui nullatenus Pelagianis adhærescunt, gratiam tamen per se efficacem rejiciunt. Contra Prædestinatiani illam propositionem efferunt, ut negent arbitrium, atque ita pessime argutantur: Datur gratia efficax; ergo non datur libertas. Debet ergo quisquis sentit cum Augustino pugnare pro libertate, sive contra Pelagianos disputet, sive contra Prædestinatianos. Et contra Pelagianos quidem, ut retundat quod hi opponunt adversus Gratiam victricem, & Electionem secundum propositum: adversus Prædestinatianos autem, ut repellat horrendam consecutionem, quam Augustiniana circa gratiam doctrina obvallare perperam moliuntur. Quare distinguo propositionem majorem: Augustinus non solum gratiam propugnat, sed etiam liberum arbitrium, retundens criminationem Pelagianorum, concedo; repellens assertionem Prædestinatianorum, nego.

Opp. ultimo. Erupisse hæresim Prædestinatianam circa ann. 415. scribit in Chronico Sigebertus. Ortam sub Honorio, qui imperium obtinuit circa annum 417. tradit in suo Chronico Prosper Tyro. Ejusdem meminit & Arnobius, qui circa eadem tempora floruit in Psal. 147. Posteriores Historicos quis posset singulos recensere?

Resp. nil mirum si hi, aliique plurimi commemorarunt hæresim Prædestinatianorum, cum hoc nomine a Semipelagianis traducerentur veri Augustini discipuli. Crediderunt nempe nonnulli impostoribus: falsaque crimina aut malevolentia, aut bona fide pro veris historiis venditarunt. Ac Sigebertus fabulam imbibit a Fausto Rejensi, qui cum Semipelagianus fuerit, non ex veritate, sed ex livore Prædestinatianos appellavit quotquot doctrinam Augustinianam sectabantur: de quo Fausto mox dicam. Arnobium etiam Semipelagianum fuisse demonstrat Norisius lib. 2. Hist. Pelag. cap. xv. Sed fuerit frugis melioris: quis demonstraturus est, illum, & ceteros, qui Prædestinatianos commemoraverunt, non fuisse deceptos publica voce, quam spargebant Semipelagiani, extare Prædestinatianos, qui tollerent libertatem? Nec fidem promeretur Prosper Tyro, qui potuit fabulam ex eodem fonte haurire, & in historia hospes omnino est, & anacronismis plenissimus. Quod, ut plura alia prætermittam, apparet ex anno, cui initium hæresis Prædestinatianæ alligavit, id est 417. quo nondum cœperat Augustinus pertractare de prædestinatione electorum, nec Epistolam ad Sixtum adhuc scripserat. Atque, ut prorupisset commentitia hæresis apud Adrumetinos, non tamen ante annum 424. habuisset natalia: unde Tyro etiam peccat in Chronotaxi, eoque pejus Sigebertus qui vulgi opinione decepti errores erroribus implicarunt.

PROPOSITIO II. Neque sub Cælestino I. erupit in Galliis secta Prædestinatianorum.

Qui hanc apud Massilienses suscitatam tradunt, putant adversus eam Hilarium & Prosperum Augustini primum, deinde Cælestini imploravisse auxilium. At non ita se res habuit. Hilarius & Prosper non contra Prædestinatianos, sed contra Semipelagianos ad Augustinum confugerunt. Quod probatur ex Epistola Prosperi, cujus verba superius cap. 6. fuerunt producta. Ex quibus constat Massilienses non probasse prædestinationem in regnum Dei, & propositum eligendorum ac rejiciendorum, quo ante mundi constitutionem facta dicitur ab Augustino electorum reproborumque discretio. Consimilia scripsit Hilarius. Prædestinatiani autem & gratuitam prædestinationem dicuntur asseruisse, & Augustini sibi adscivisse patrocinium. Obortæ itaque inter Massilienses controversiæ, non Prædestinatianæ hæreseos seminarium fuerunt, sed Semipelagianismi incrementum. Præterea S. P. Augustinus acceptis literis Prosperi & Hilarii, occurrit gliscenti malo editis libris de prædestinatione Sanctorum, & de Dono perseverantiæ. Hos vero libros, quis non videt contra hostes gratiæ Dei, & reprehensores Augustinianæ doctrinæ fuisse conscriptos? Sat est oculos in prioris libri initia conjicere: ubi Massilienses, quorum Hilarius & Prosper piam curam gerebant, adhuc in quæstionibus de prædestinatione, & de gratia caligare dicuntur: Pelagianæ favere opinioni; cavendum, ne teneant poeticam sententiam, *Spes sibi quisque*, *&c.* Quæ dicta sint salva Massiliensium pietate ac sanctitate, qui nondum damnato Semipelagianismo, nulla fuerunt hæresis labe polluti. Semipelagiani tamen habendi sunt: & consequenter in his malleus hæreticorum Augustinus Pelagianorum compressit, contrivitque reliquias.

Opp. 1. Irrupisse Cælestino Pontifice hæresim Prædestinatianam, & Prosperum & Hilarium de hac hæresi consuluisse Augustinum, testatur antiquissimus Auctor Prædestinati, quem Sirmondus ex vetustissimo codice luce donavit, & insertus est Tomo Bibl. PP. vicesimo octavo.

Respondet vir summus Norisius, Sirmundum effœta jam ætate, & post annum 80. hunc librum publici juris fecisse, indulgendumque esse plenæ viri alioqui doctissimi senectuti, si a veritate deflexit: ejus historiam nuncupari fabulam a Maguino viro omnigena literatura ornatissimo: constare ex Epistolis Hilarii & Prosperi longe distare ab erroribus Prædestinatianorum dogmata Massiliensium. Addunt viri alii clarissimi Auctorem Prædestinati se manifesto prodere Pelagianum. Docet enim concupiscentiam esse a Creatore, quomodo ab illo sunt singula membra corporis; ac perduelles motus libidinis non pœnam originalis peccati, sed legem esse naturæ. Quæ fuisse dogmata Pelagiana constat ex libris Augustini contra Julianum. Cum ergo Pelagiani appellarent Prædestinatianos omnes propugnatores Augustinianæ doctrinæ, mirum non est, si Auctor Prædestinati meminerit commentitiæ hæreseos, de qua Augustini discipuli postulabantur. Quidquid sit; liber Prædestinati ex literis Prosperi & Hilarii fallax undequaque deprehenditur.

Opp. 2. Prosper & Hilarius in suis ad August. Epistolis referunt apud Massilienses multos esse affirmantes, *divina constitutione virtutes removeri, tolli libertatem, & sub nomine Prædestinationis fatalem necessitatem induci*. Atqui soli Prædestinatiani hæc mendaciorum portenta effutiebant. Igitur, &c.

Resp. Sirmondum, qui hoc utitur argumento, caligantibus senio oculis haud recte Prosperi verba legisse. Etenim non absolute scripsit Prosper, multos Servorum Dei in Massiliensi urbe consistentes denegare libertatem, & divinæ constitutioni concedere, ut homines violentet compellat; sed ait hæc a Massiliensibus dicta fuisse conditionate, illative, & contra ea, quæ S. P. Augustinus de vocatione Electorum secundum Dei propositum disputaverat. Vide testimonia beati Prosperi supra capite vi. Prosperum contra Prædestinatianos scripsisse putavit etiam magnus Annalium Ecclesiasticorum auctor Baronius; cui nequaquam consentire possumus tum propter hactenus discussa, cum propter auctoritatem Fulgentii, qui lib. 1. ad Monimum cap. 30. testatur Prosperum in singulis Opusculis, quæ tunc elucubravit, respondere iis, quæ a Semipelagianis *Divi Augustini dictis non ex veritate, sed ex livore objiciebantur*.

Opp. 3. Saltem circa annum 470. Prædestinatianos extitisse negari non potest. Colligitur ex libris Fausti, ex Synodo Arelatensi, & Lugdunensi, quæ hanc hæresim proscripserunt: ex Epist. ad Lucidum, & ipsius Lucidi palinodia, in qua ore proprio se Prædestinatianis adhæsisse fatetur.

Resp. dato vera esse quæ narrat Faustus, neque Synodos Arelatensem & Lugdunensem esse ab illo confictas, quod non soli affirmant apologistæ Jansenii, ut scribit Tournely de Gratia Christi pag. edit. Venet. 118. sed etiam Gilbertus Mauguinus, quem idem Tournely supra pag. 112. condigna laudatione memoravit: dato, inquam, hæc vera esse, constat Faustum fuisse Semipelagianum; Semipelagianos vero objecisse Augustinianis eadem paradoxa, quæ devorant veri Prædestinatiani. Cum ergo Faustus referret in Synodis esse nonnullos erroribus Prędestinatianorum imbutos, idque confirmarent alii Semipelagiani, provide Galliarum Antistites, inter quos aliqui erant pìissimi doctissimique, sex illas propositiones a Fausto exhibitas condemnarunt, ut si qui eas proferrent, ab horrendis blasphemiis in posterum abstinerent. Duo enim extra controversiam posita sunt, & paradoxa illa in se hæretica esse, & a Semipelagianis adversus sententiam de gratuita prędestinatione olim objecta, ut execrabilem illam redderent, ac traherent in invidiam. Ergo merito damnata sunt, & damnata dicuntur a Fausto, & Gennadio; cum impia sint & hęretica; atque hac in parte oberrant miserrimi Janseniani, qui negant esse damnata. At non hinc sequitur extitisse revera sectam Prędestinatianam; sed hoc unum, videlicet, damnata fuisse dogmata, quæ Semipelagiani falso Augustini discipulis imponebant. De Lucido autem, dato pariter quod vera sint, quæ narrantur a Fausto, veramque recantatam ab eo palinodiam, tametsi non tenemur hæc etiam concedere Scriptori pice Semipelagianismi inquinato: dico Semipelagianos acutos fuisse, acerrimos, atque, uti ab Augustino appellantur, *ingenia bona*. His ergo impugnantibus Electionem secundum propositum, quasi evertat libertatem, cum quæstio sit ad solvendum difficilis, ab Augustiniana do-

doctrina nonnullos minus exercitatos potuerunt facile removere, compellentes subtilioribus sophismatibus ad credendum se in antecessum errasse, quamquam sensissent peroptime: quod sæpenumem experimur in hominibus pinguioris minervæ, qui cum Adversariis versutis, loquentibusque congrediuntur. Id forte contigit Lucido. Verum hoc etiam dato Lucidum fuisse pravi dogmatis assertorem, quomodo legimus de Monimo apud Fulgentium lib. 1. cap. 3. nulla ratione fit consequens extitisse Sectam Prædestinatianam, & veram esse historiam, quæ narratur in libro Prædestinati: sed ad summum, ut contendit noster Norisius, prava ea dogmata a quibusdam obscuri nominis tradita, numquam vero sive a Massiliensibus, sive a Monachis Admmetinis.

PROPOSITIO III. Gothescalchus Prædestinatianus non fuit, licet veram caussam imprudenter susceperit defendendam.

Ita censent eruditissimi viri Gilbertus Maguinus, Christianus Lupus in Notis ad 1. Conc. Romanum, Cardinalis Norisius in Hist. Gothescalchi, aliique plures: & quamquam sententiam oppositam propugnent multi celebres æque, & eruditi Theologi, nostra tamen & præsidia habet validissima, & horum argumentationibus minime quatitur. Probatur autem 1. testimonio Sanctorum Prudentii, & Rhemigii, necnon universæ Lugdunensis Ecclesiæ, recitato Prop. 1. Quam Ecclesiam errasse errore facti scribit Pagius ad annum 846. ob apertissima monumenta, quæ extant apud Hincmarum, Annalistam Bertinianum, aliosque ejusdem ætatis Chronologos, quæ collegit etiam ex Historia Ludovici Cellotii Natalis Alexander Dissert. v. Sæculi IX. Honoratus Tournely de Hæresi prædestinatiana, aliique. Sed hæc omnia neque Prudentii & Rhemigii elevare possunt auctoritatem, neque Gothescalchum aperte hæreticum demonstrare. Id vero probatur singula breviter excutiendo.

Primo, inquiunt, Gothescalchum anno 847. docuisse duplicem Prædestinationem ad vitam, & ad interitum sempiternum in collatione quam habuit apud Insubres cum Eberardo religiosissimo Comite, & in colloquio cum Episcopo Brixiensi Nothingo. Hunc certiorem reddidisse Rabanum Archiepiscopum Moguntinum, illumque sollicitasse ad confutandum Gothescalchum. Id clarissimum Archiepiscopum abunde præstasse, & insequenti anno 848. damnasse Gothescalchum in Synodo Moguntina. Verum hæc infirma sunt; primu quia non constat Gothescalchum asseruisse prædestinationem ad malum culpæ, quam tradunt Prædestinatiani, sed e contra liquet ex ipsius Confessione solam propugnasse prædestinationem ad pœnam ob prævisa demerita infligendam; onde etiam Vossius, qui de caussa Gothescalchi disputat libro VII. Historiæ Pelagianæ P. IV. dubitat, ne caussa tanta contentione agitata vere fuerit Logomachia. Qui vero reponunt Gothescalchum in gemina Confessione errorem simulasse, repugnant sibi ipsis, dum miserrimum Monachum usque ad extremum fuisse pertinacissimum, & perfricatæ in defensando errore frontis, continuis clamoribus conqueruntur. Præterea ipse Rabanus & Hincmarus fatentur Gothescalchum Augustinianæ doctrinæ fuisse studiosissimum: quod etiamsi hæretico Prædestinatiano convenire possit, Monachus tamen Orbacensis non ideo se jactabat adhærere Augustino, ut negaret liberum voluntatis arbitrium: sed, ut de ipso libero arbitrio teneretur *quicquid a beato Augustino, & ceteris Catholicis PP. inculcatum est, non juxta perniciosissimum dogma Gennadii Massiliensis*: ut fatetur idem Hincmarus lib. de Prædest. cap. 21. Nothingus vero parum, ut Norisius inquit, in Augustiniana palæstra exercitatus, non is erat, qui posset Rabanum circa altissimam quæstionem informare: unde ille *non necessariam, & ad rem non pertinentem disputationem assumpsit*, quomodo in libro de tribus Epistolis affirmat S. Rhemigius. Neque tamen ego de Rabano viro doctissimo sinistrum fero judicium: sed errores prædestinatianos rectissime damnatos pronuncio; at nego a Gothescalcho vere fuisse prolatos, tametsi aliquam caussam damnationi, & quidem specie tenus justam dederit postulatio Nothingi, & intemperans ingenium Gothescalchi: de quo dicam in fine disputationis.

Secundo proferunt adversus Gothescalchum luculentissima testimonia Hincmari, & Annalistæ Bertiniani, nec non Synodum Carisiacam, quæ anno 849. edidit contra Gothescalchum quatuor anathematis Capitula, in quibus sunt proculdubio Prædestinatianorum dogmata fulgurita. Verum neque hæc valida sunt, ut videntur. Nam quod pertinet ad Hincmarum, *fuit illi fallere & falli proclive*, inquit Cl. Sirmondus dissert. de 2. Dionysiis cap. 4., *Camaleonti* a Nicolao Pontifice comparatus; & coacta ab illo Concilia ab eodem Romano Pontifice appellata sunt in Ep. 46. *Conventicula de Sanguinibus*. Præcipitem fuisse in ferendis sententiis constat ex eadem caussa, in qua ipse accusator, ipse testis, ipse judex Gothescalchum damnavit, & cæsum virgis inaudito irreligiositatis & crudelitatis exemplo vi compulit ad projiciendam in ignem Apologeticam Scripturam, quam Concilio offerendam in sui defensionem paraverat. Constat & ex altera caussa circa Trinam unitatem, in qua Gothescalchum veram traditionem propugnasse nemo jure negabit, cum universalis Ecclesia Trinam deitatem affirmet: & nihilominus Hincmarus etiam in hac caussa Gothescalchum blasphemum, & hæreticum declaravit, temere mutilatis Ecclesiasticis hymnis, editisque de hoc etiam argumento fallacibus lucubrationibus. Constat etiam ex caussa Rothadi, quem violentissima oppressione tentavit compellere, ut in proprium damnationem ipse subscriberet, quem tandem Romanus Pontifex ut caussæ meritum postulabat, absolvit, & Hincmaro exprobravit Epist. 41. atrocissimum scelus, imitationemque Dioscori.

Licet ex his appareat Synodum Carisiacam conventiculum fuisse Hincmaro auctore coactum, neque certum sit damnasse Gothescalchum, ut demonstrat Norisius Tom. 4. pag. 686. respondeo tamen quatuor illius Synodi Capitula, sive anathematismos immerito contra Gothescalchum urgeri. Enim vero hæc eadem capitula explosa sunt a Synodo Valentina celebrata anno 855. canone quartu his verbis: *Porro Capitula quatuor, quæ a Concilio Fratrum nostrorum minus prospecte suscepta sunt propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati, a pio auditu fidelium penitus explodimus, & ut talia & similia caveantur per omnia auctoritate Spiritus Sancti interdicimus*. Æquum est autem, ut potius Concilii Valentini, quam Carisiaci auctoritas teneatur. In hoc enim convenerunt omnes Episcopi trium provinciarum Lugdunensis, Viennensis, & Arelatensis; at in Carisiaco sola factio Hincmari interfuit. Deinde Valentinæ Synodi Canones anno 859. a Concilio Lingonensi firmati sunt, iterumque a pleno XII. Provinciarum Tullensi habito eodem anno præsente Carolo Principe. Fuerat ergo injusta Sententia Synodi Carisiacæ adversus miserum Gothescalchum.

Me non fugit doctissimum Alexandrum laudata dissert. v. §. XI. contendere decreta Valentinæ Synodi non pugnare cum Capitulis Carisiacis. Possem insistere, quod aliter judicarunt Valentini Patres, qui in his Capitulis expresse fatentur contineri errorem contrarium veritati. Possem & appellare ad Hincmarum, qui in II. Opere de Prædestinatione miratur eadem Capitula, quorum fuerat ipse architectus, a tantis ac talibus viris, & Episcoporum primoribus fuisse damnata. Verum docebor, ut decet, ab Alexandro gravi ac perinsigni Scriptore. Valentinæ Synodi Patres, inquit ille, errore facti putarunt Carisiacorum Auctores Capitulorum asseruisse Christum eadem ratione, eodemque sensu esse mortuum pro iis, qui pereunt, ac pro illis, qui per Christi gratiam perseverant ac salvantur. Id verissimum esse fateor; non enim Synodus Valentina probavit Christum non esse mortuum pro omnibus, ut sibimet persuadent Jansenistæ. Dabo etiam Natali Alexandro, Canones Valentinos fuisse conscriptos ab Ebbone Gratianopolitano Episcopo, qui occultas gerebat cum Hincmaro simultates; Ebbonem etiam pannum aliquod quarto Canoni assuisse, quo expoliatur in Synodo Lingonensi & Tullensi: tametsi genuinum esse præfatum Canonem, constet ex citata præfatione ipsius Hincmari, imo etiam probatum a Nicolao Papa Epist. 24. affirmet S. Prudentius: nec non idem testentur Annales Bertiniani ad annum 859. & Sirmondus ipse in Hist. Prædestinat. cap. 12. neque conjecturæ Natalis Alexandri de assuto panno ab Ebbone quicquam probent, cum laudatus Canon fuerit paullulum immutatus opera S. Rhemigii, ut consuleret dignitati Hincmari, & Caroli Regis, quorum auctoritate conscripta fuerant Capitula Carisiaca. Verum, ut dixi, omnia Alexandro concedantur.

Sed vicissim jure postulo, ut mihi Adversarii Gothescalchi similia concedant, maxime quod in mea sententia salvabitur a nota hæreseos infelix ille Monachus, & demonstrabitur evidentius prædamnata hæresis Janseniana: cujus fautores, si opponamus dogmata Gothescalchi, habebunt fortassis rimulas mille. Quid ergo? Erravit, inquis, Synodus Valentina errore facti, & Canone illo quarto proscripsit hæresim Semipelagianam, aut, si mavis hoc dicere, confirmavit Augustinianam doctrinam de morte Christi sufficienter pro omnibus, efficaciter tantum pro Electis, etiamsi hanc negasse Patres Carisiacos nulla ratione probetur, ut opinati sunt per errorem facti Patres Synodi Valentinæ. Ergo a pari errare potuit Synodus Carisiaca errore facti, & quatuor Capitulis damnare hæresim Prædestinatianam de morte Christi pro solis prædestinatis, etiamsi hanc hæresim propugnari a Gothescalcho crederet Hincmarus deceptus errore facti. Hujus argumenti fulcrum est, quod dogma de Christi morte assertum a Gothescalcho, quemadmodum & alia capita sensum Catholicum patiuntur. Nam Christum efficaciter pro solis prædestinatis mortuum esse, sicuti & dari prædestinationem impiorum ad sempiternum supplicium, non solum Gothescalchus affirmavit, sed Augustinus, Prosper, Fulgentius, & Theologi complures, qui tamen Prædestinatiani non sunt. Addis: Forte Ebbo Canoni Valentino assuit laciniam ob simultates cum Hincmaro. Et istud licet falsum gratis iterum concedatur: sed mihi fas sit reponere; Ergo & Hincmarus ad fallendum Ebbone procliviot potuit ornare fimbriis Capitula Carisiaca propter iratum, aversumque animum ab homine dura crudelique fortuna jactato.

Videamus modo quare tam humaniter sentiamus de Gothescalcho. Prima ratio est, quod digniores fide videantur Rhemigius, Prudentius, Lupus Ferrariensis, Lugdunensis Ecclesia, & Synodus Valentina, quam Hincmarus; ut liquet

quet

quet ex dictis. Deinde quia revera dogmata Gothescalchi Catholicum habent sensum, & toto cælo distant ab errore Calvini, & Jansenii. Præterea quoniam ex ipsomet Hincmaro colligitur Gothescalchum Catholico, non hæretico sensu ea dogmata propugnasse. Primo enim accusatur dixisse quosdam esse prædestinatos ad mortem æternam; quod de malo pœnæ accipiendum, liquet ex ejus Confessione, & ex ipso Hincmaro: in illa quippe ait, Deum prædestinasse reprobos ad interitum: *Propter præscita certissime ipsorum propria merita*: & apud Hincmarum de Prædest. cap. 21. *Præscivit eos pessimum habituros ortum, pejorem obitum: prædestinavit autem eos ad luendum perenne tormentum, & sempiternum interitum*. Accusatur secundo loco dixisse non esse in Deo voluntatem salvandi omnes: quæ assertio de voluntate efficaci vera est, & traditur ab Augustino cap. 96. Enchiridii, & eadem ferme sunt verba Gothescalchi apud Hincmarum in Epist. ad Rom. Pontificem Nicolaum. Accusatur tertio dixisse Christum non esse mortuum pro totius mundi Redemptione: quæ horrenda quidem, & recte anathemate proscripta assertio est: sed Gothescalchus ait Christum non esse mortuum pro reprobis, ut scribit de Præd. cap. 29. idem Hincmarus, *perpetualiter*, idest, absoluta & efficaci voluntate donandi illis perseverantiam, & coronam. Rursus benigne de Gothescalcho sentimus, propterea quod hæc tria capita accusationis sunt omnino eadem cum objectis Gallorum, ut constat ex libro Prosperi adversus Collatorem, & ex Responsione ad Objectiones Vincentianas. Quare Gothescalcho idem contigit quod assertoribus Augustinianæ doctrinæ, fuitque de iisdem commentitiis erroribus accusatus. Ulterius Hincmarus ubique accusat Gothescalchum quod eamdem prorsus teneat pravitatem doctrinæ cum Monachis Adrumetinis, aliisque veteribus Prædestinatianis. At hæresim Prædestinatianam non fuisse apud Adrumetinos, neque anathematizatam a Prospero, demonstratum est supra; neque oppositum docent Tournely, Pagius, & Alexander. Fatemur itaque Gothescalchum audiisse tanquam Prædestinatianum, erroresque ei tributos jure fuisse proscriptos: sed ab eo defensatos pravo sensu, & servata undequaque æquitate actum cum eo ab Hincmaro affirmare non possumus. Concedimus denique Gothescalcho claros fuisse adversarios, inter quos Joannes Erigena, qui a Floro Diacono egregie confutatus est: sed non defuerunt ei Defensores inculpatæ vitæ, ac famæ celebrioris, quos paullo supra commemoravi.

Demum in hoc Gothescalchum reprehensione dignissimum censeo, quod verum dogma imprudenter defendit, atque, ut ait Christianus Lupus, non ex charismate. Prædestinationem enim ad mortem in aures vulgi non sine offensione & scandalo prædicavit, ita ut multi in desperationem perducti dicerent: *Quid mihi necesse est pro salute mea, & vita æterna laborare? quia si bonum fecero, & prædestinatus ad vitam non sum, nihil mihi prodest*: inquit Rabanus in literis ad Eberardum. Meminisse debuerat Gothescalchus etiam Massiliensibus sanctissimis doctissimisque viris apparuisse Augustinianam doctrinam primo aspectu perdifficilem & asperrimam, ac talem multo magis videri hominibus rudioribus, quibus altissimæ quæstiones non sunt, nisi caute, proponendæ. Imo prædestinationem ad mortem, quæ non potest nisi verbis admodum crudis explicari, nunquam apud imperitam plebem prædicandam esse arbitramur: prædestinationem vero ad vitam diverso plane modo, quam soleant quidam ex Cathedra transeuntes ad pulpita, qui ut habeantur doctiores prædicandi officium legitime non observant. Talis fuit Gothescalchus: qui prædestinationem ad mortem inter vulgi catervas, prohibentibus etiam Episcopis, pertinacissime dogmatizavit, cum tamen nihil interesset rei Christianæ, quomodo scribit Præf. 2. in Sæculum IV. Benedictinum Eruditissimus Mabillonius, incumbere in vocabulum Prædestinationis ad interitum, si modo aliis verbis Catholica sententia teneretur. Neque Augustinianam doctrinam satis superque munitam necessum fuit Gothescalcho a Prædestinatianæ hæresis suspicione purgare, cum damnatis Semipelagianis tranquilla pace, regnoque suo potiretur. In hac ergo parte Gothescalchi ingenium laudare non possumus, eumque propriæ famæ pessime consuluisse putamus, ita ut neque in ipso maculam hæreticæ pravitatis inveniamus, neque optimi Theologi temperamentum.

SCHOLION.

Negari non potest Gothescalchum in Synodo Moguntiaca, cui præfuit Rabanus Maurus, anno 848. damnatum fuisse. Acta tamen hujus Synodi perierunt, una excepta Epistola, quæ nec Synodica est, sed ipsius Rabani. Non sufficiunt, quæ de Synodo Moguntiaca narrantur, ad convincendum Gothescalchum hæreseos. Primum, quia idem Gothescalchus vicissim accusavit Rabanum, quod negaret prædestinationem reproborum ad pœnam, qui fuit error eodem tempore serpens, & præsertim Joannis Scoti, cognomento Erigenæ, seu Fringenæ, qui edidit librum *de unica Prædestinatione*, & adductus in hæresis suspicionem abiit in Angliam, ubi anno 883. a pueris, quos docebat, confossus est graphiis. Deinde, quia nunquam Gothescalchus asseruit prædestinationem ad mortem, quæ *fatalem* inferret *necessitatem*, quam Massilienses quoque objecerant Augustino; sed eam, quæ est ex præscientia peccati, nec ullum injicit humanæ libertati vinculum necessitatis. Verum quoque est, Gothescalchum, auctore Rabano, missum ad Hincmarum Rhemensem, a quo coacta Synodo Carisiaca, male Gothescalchus habitus est, virgis cæsus, & in monasterium detrusus. Sed Hincmari in ea causa agendi ratio non omnibus approbatur: cumque Gothescalchus detineretur custodia, sapientissimi Galliarum Theologi ejusdem susceperunt patrocinium, Ratramnus monachus Corbeiensis, Lupus Ferrariensis abbas, & S. Prudentius Episcopus Trecensis. Præterea Hincmarus ipse in lib. de Prædest. cap. 5. exponens doctrinam Gothescalchi ex hujus scripto exhibito Synodo Moguntinæ, eam reprobationem a Gothescalcho traditam fuisse scribit, quæ pendet a malis reproborum meritis: id vero quod Hincmarus addit, reprobos ita a Deo ad damnationem impelli, *ut incorrigibiles fiant*, non fuit Gothescalchi assertum, sed extortum falsumque Hincmari consectarium, ut ad annum 848. demonstrat Abbas Fleurius. Quod insuper nonnulli ajunt, Gothescalchum etiam ab Amolone Archiepiscopo Lugdunensi, & a Floro ejusdem Ecclesiæ diacono, tamquam *Prædestinatianum*, refutatum fuisse, quemadmodum in sua Ecclesiastica Historia nuper tradidit Franciscus Morenas tom. 3. pag. 477., alienum est a vero; nam Epistola Gothescalchi ad Amolonem, & hujus ad Gothescalchum, supposititia censenda est; tum quia Amolon non Gothescalchi doctrinam refutavit, sed scriptum in septem capita distributum ab adversariis Gothescalchi ad ipsum Amolonem directum, in quo scripto, ut in libro Hincmari, dogma Gothescalchi minus sincere describitur: tum quia scripta, quæ Gothescalchi, & quæ Amolonis supersunt, in eadem doctrina de Prædestinatione, ac Reprobatione mirum in modum consentiunt: tum demum quia S. Remigius Amolonis successor, Florus Diaconus, & universa Lugdunensis Ecclesia, pro doctrina Gothescalchi pugnarunt: quod de S. Remigio Franciscus Morenas fatetur pag. 480. de Floro autem contra fidem Historiæ tradit oppositum. Quis enim, aut beatum Remigium prædecessori suo Amoloni, aut Florum Remigio suomet Archiepiscopo, contraria tradidisse crediderit?

Proferuntur denique adversus Gothescalchum quatuor Capitula Synodi Carisiacæ, celebratæ anno 853. Nos contra pro Gothescalcho produximus canones, & decreta Synodi Valentinæ, habitæ anno 855. Num hæ Synodi invicem pugnent, non inquiram. Dixi de hac re satis. Legi potest & Fleury lib. 49. Hist. Eccl., & quarta *Eusebii Philalethis* ad Franciscum Morenas Epistola. Certissimum est, quatuor illa Carisiaci Concilii capitula a Synodo Valentina canone 4. tamquam noxia, inutilia, contraria veritati, atque a pio fidelium auditu explodenda, rejici & interdici. Hunc canonem superius exscriptum non repetam. Sufficere arbitror ad Gothescalchum purgandum, quamquam munimenta alia suppeterent, quod S. Remigius scripsit in libro *de tribus Epistolis*, inserto XV. Voluminii Bibliothecæ Patrum. *Videtur nobis sine dubio*, inquit Sanctissimus Lugdunensium Antistes, *quod illa, quæ de divina prædestinatione dixit*, Gothescalchus, *juxta regulam Catholicæ fidei vera sunt, & a veridicis Patribus manifestissime confirmata, nec ab ullo penitus nostrum, qui catholicus haberi vult, respuenda, sive damnanda; & ideo in hac re dolemus, non hunc miserabilem, sed Ecclesiasticam veritatem esse damnatam*.

CAPUT XV.

An opportunum sit Populis prædicare Augustinianam de Prædestinatione Sententiam.

HISTORIA Gothescalchi demonstrat posse etiam veræ doctrinæ in aures vulgi effusione magnam cieri tempestatem: cumque nonnulli, qui forte has nostras disquisitiones perlegunt, suggestum debeant conscendere, ut vitent contentionum pericula, consulantque honori Ordinis sui, & Christianæ plebis utilitati, hanc etiam quæstionem instituo, num, & quo pacto possint de prædestinatione Sanctorum haberi conciones; quam monitionibus præceptisque, non argumentationum textura juxta Augustini sensa resolvam.

MONITUM I.

Quamquam verissimum est dari prædestinationem Electorum ad vitam, & impiorum ad mortem, illa autem fiat ex Dei beneplacito, hæc ex præscientia meritorum, atque omnis prædestinatus salutem consecuturus sit, omnis reprobus sempiternum supplicium; imprudenter se gereret Orator, qui tantummodo exponeret divinorum decretorum immutabilitatem: E. G. si demonstrandum proponeret, non posse prædestinatum excidere a vita æterna, aut reprobum esse immutabiliter damnandum; atque in his duntaxat assertionibus tota versaretur oratio. Probatur 1.

Scripturarum Sanctarum auctoritate, quæ nobis æternam vitam tanquam mercedem & coronam justitiæ proponunt, & nos ad observantiam præceptorum proposita retributione exhortantur, eamque apprehendendam esse declarant a perseverantibus usque in finem. Contra ignem æternum legis transgressoribus minitantur: quibus spei, timorisque incitamentis removentur vitia, virtutesque foventur; unde hæc monita exitiosissimum est prætermittere. Accedit malitia hominis & ad torporem proclivitas, quæ duo percellunt improbos, ut nil quærant præterquam patrocinia peccandi: quos etiam tentat supplantator in desperationem inducere. Atque hoc primum præceptum traditur ab Augustino in libro de Dono Persev. cap. XXII. his verbis: *Quæ tamen prædestinatio non ita populis prædicanda est, ut apud imperitam vel tardioris intelligentiæ multitudinem redargui quodam modo ipsa sua prædicatione videatur; sicut redargui videtur & præscientia Dei, quam certe negare non possumus, si dicatur hominibus, sive curratis, sive dormiatis, quod vos præscivit qui falli non potest, hoc eritis. Dolosi autem vel imperiti medici est etiam utile medicamentum sic alligare, ut aut non prosit, aut obsit.*

MONITUM II.

Præsertim, ne offendat conscientiam infirmam, abstinere debet Concionator a prædicanda prædestinatione ad interitum & ad mortem. Quod probatur præclarissimis Scripturarum exemplis, quibus ubique declarantur summa Dei misericordia, longanimitas, patientia, humanitas, voluntas salvandi omnes, alia plurima, quibus ad veniam petendam facile obdurati trahuntur. Cavendum est enim, ne ipsa veritas fiat occasio scandali mulierculis ad desperandum pronis, ac simus imitatores Gothescalchi, cujus rationem, ingeniumque reprehendimus. Ergo a vocabulis, quæ imperitos turbare possunt, abstinendum est penitus. Atque hoc etiam præceptum docet nos S. Pater eodem lib. cap. 16. dicens: *Facile est enim, imo & utile, ut taceatur aliquid verum propter incapaces, maxime si timendum inde sit, ne pejores faciamus eos, qui non intelligunt, dum volumus eos, qui intelligunt, facere doctiores.*

MONITUM III.

Haud recte se gereret, qui prædicante Catholico viro prædestinationem ex meritis, adversus sacram concionem obloqueretur. Primo enim, ut diximus lib. IV. capite 6. & 11. Medistarum doctrina nulla perstringi debet censura. Deinde Concionatores illi non Theologicas quæstiones in rostris pertractant, neque divinorum decretorum altitudinem tunc inquirunt; sed moribus formandis incumbunt: & quidquid proferunt, si intelligantur de prædestinatione in ordine *executionis*, verissima sunt. Quare cum in habendis Concionibus hunc sibi scopum proponant erudiendi plebem, viamque demonstrandi, qua perducamur ad gloriam, debemus illorum doctrinam probare; neque apud multitudinem redarguere, quæ nullatenus pertinent ad exercitamenta Scholarum.

MONITUM IV.

Etsi hæc vera sunt: debemus tamen gratuitam prædestinationem ad gloriam prædicare; quod licitum est, si prudenter fiat, simulque bonorum operum onera, quorum beatitudo merces est, & corona, Apostolica hortatione ingerantur, neque dissensiones Scholasticæ e suggestu prosiliant. Hoc monet Augustinus citato libro cap. XX. dicens: *Quid est, quod invicta conclusi violentia veritatis recte se sibi dicere existimant, Etsi verum est quod dicitur de prædestinatione, non est tamen populis prædicandum? Prædicandum est prorsus, ut qui habet aures audiendi, audiat.* Id vero S. Pater etiam ratione confirmat, si enim recte prædicatur pudicitia, pietas, aut quæcumque alia virtus, ut Deus recte colatur, & diligatur proximus: ergo & recte prædicatur prædestinatio gratuita, ut nemo mortalium glorietur in seipso, sed tantum in Domino.

MONITUM V.

Rationem, quam Augustinianus in prædicanda prædestinatione servare debet, est excitare in unoquoque spem, & ad sedulam legis observantiam vehementer hortari. Quæ profecto consecuturus est, si E. G. asserat prædestinationis nostræ caussam esse Dei misericordiam, & infinita merita Redemptoris, qui regeneravit nos in spem vivam: petendam esse assiduis precibus perseverantiam a Domino, cum omne donum perfectum descendat a Patre luminum: operandum esse cuique salutem suam, cum timore ac tremore, servandumque diligenter præcepta legis: quia licet prædestinatio beneplacitum sit Dei, ejus tamen consecutio meritis liberi arbitrii alligatur: fugiendum denique peccatum tanquam e facie colubri, propterea quod quisquis damnatur ad gehennam, propter sola peccata damnatur. Porro Augustinianam doctrinam tali cautione proponere videtur valde proficuum: quippe ex consideratione divinæ misericordiæ, quæ gratiam & gloriam gratis præparat, nemo est quantumvis scelestissimus, qui sperare non debeat, cum plus donare possit Dei misericordia, quam hominum demereri malitia. Ex consideratione autem infirmitatis humanæ, & incertitudinis finis, quem nemini Deus revelat, ut simus semper parati, & nescientes diem, neque horam vigilemus tanquam ad adventum furis, salutaris timor incutitur, sanctaque bonorum operum solicitudo. Audiatur eodem lib. cap. XXII. Sanctus Pater hæc præmonens. *Non existimo*, inquit, *debere sufficere, nisi hoc, vel hujusmodi aliquid addat, ut dicat, vos itaque obediendi perseverantiam a Patre luminum sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere non vos esse a prædestinatione alienos, quia etiam hoc ut faciatis, ipse largitur. Absit autem a vobis ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis, qui spem habet in homine, & bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine, quia Beati omnes, qui confidunt in eum. Hanc spem tenentes servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Ita Augustinus; ac subinde: *Hæc atque hujusmodi cum dicuntur sive paucis, sive multitudini Ecclesiæ, cur metuimus Sanctorum prædestinationem prædicare?*

MONITUM VI.

Quoniam in contrariis opinionibus exercitati credunt ex doctrina Augustini removeri virtutes, & ad studia operum bonorum torporem induci, quod falsum omnino est, atque ut satis constat perantiquum Semipelagianorum convicium: quo iis quoque oratio possit esse jucunda, neque præjudicatis eorum opinationibus collineet: in hunc finem dirigendus sermo est, ut ad pietatis officia audientium corda inflammentur, maxime quod legitimum Concionatoris sit munus non aures tantum sono & numeris permulcere, sed opportune, importune arguere, obsecrare, plantare, evellere in omni patientia & doctrina. Hunc vero finem ex Augustiniana Theologia satis percommode assequetur orator. Humilitas enim E. G. quæ virtutum fundamentum est ceterarum, sive cognitio, qua homo sibi ipsi vilescit, facile excitatur, si quis animadvertat neminem discerni ab altero ex semetipso, sed divinorum liberalitate donorum; quod præsertim suadetur Augustiniana sententia. Ad spem trahit meditatio divinæ omnipotentiæ & misericordiæ, quoniam his magis confidimus, qui præ ceteris nobis opitulari & possunt & volunt. Et sunt quidem nostræ sententiæ cardines, quod complacuit divinæ misericordiæ regnum pusillo gregi parare; & quod potens est suscitare filios Abraham ex lapidibus, & producere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Timor quoque oritur ex consideratione humanæ infirmitatis & indignitatis: Augustiniana autem doctrina humanam docet infirmitatem, ubi demonstrat arbitrium non valere ad bonum, nisi ab omnipotenti bono adjuvetur, neque Deum diligere, ut oportet, si non sancta voluptate & caritate trahamur. Atque adeo nobis merita nostra mala proponit, ut nullus Augustini discipulus divinarum gratiarum postulet amplitudinem, nisi ab inexhausto fonte misericordiæ ac pietatis. Neque faciunt nos Augustini dogmata desides, languidosque ad agendum; quin validius excitant ad orandum, cum oriatur orationis necessitas ex humili cognitione propriæ infirmitatis, & ex contemplatione divinæ misericordiæ. Caritatis quoque singulare motivum est, recogitare perpetuam Dei dilectionem, qua elegit nos ante constitutionem mundi, ut essemus sancti & immaculati, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam magnam. Excitamur præterea ad grati animi recordationem, & amorem erga Dominum Jesum Christum, cujus passionis merito donatur nobis perseverantia, & a massa perditionis specialissimo beneficio subtrahimur. Denique inducitur nobis ex Augustinianis principiis, ne in peccatum aliquod prolabamur, aut negligenter exequamur opera pœnitentiæ, cum incerti simus an post peccatum & voluntariam obdurationem redonetur nobis præter auxilium sufficiens ea gratia victrix, quæ superat motus perduellis concupiscentiæ: quam tamen gratiam debemus, ut dictum est, & petere orando, & sperare ab infinita Dei misericordia, quæ clamantes ad se nunquam deserit.

His ergo monitis prædestinationem Sanctorum poterit quisque in Augustiniana sententia populis prædicare: imo virtutes promovere, extirpare vitia, vitare scandala, & incontaminatam Augustini doctrinam provide tueri adversus veteres Massiliensium objurgationes, quas aliquando repetere nonnullos minime pudet.

OPPOSITIO UNICA.

Adversus prædicta objectio una remanet, eaque ex actis adversus Leonardum Utinensem inclyti Ordinis Prædicatorum. Is ergo anno 1549. dum per Quadragesimam Utini conciones haberet, prædicavit prædestinationis nullam aliam rationem dari, quam beneplacitum divinæ voluntatis, & nihil in æternitate præcessisse ipsam Dei voluntatem prædestinantem. Protulit inter cetera propositiones duas, quarum prima erat, *Prædestinatus nullo modo damnari potest:*

poteſt: altera, *Prædeſtinatio in voluntate & arbitrio noſtro poſita non eſt*. Cum hæc male a populis exciperentur, Vicarius Generalis Utinenſis data ad Joannem Grimanum Patriarcham Epiſtola Leonardum tanquam hæreticum accuſavit. Grimanus vero, qui Concionatoris defenſionem ſuſcepit, & ipſe tanquam hæreſis ſuſpectus ad Sanctæ Inquiſitionis Tribunal delatur eſt. Non eſt ergo licitum prædicare populo prædeſtinationem gratuitam, & revera hæc ad torporem, deſperationem, vel ſaltem ſcandalum Chriſtianam plebem inducit.

Reſp. 1. Nego conſequentiam: nam, ut liquet ex duabus propoſitionibus, quas Leonardus demonſtrandas aſſumpſit, non videtur ab eo ſervatum primum & ſecundum monitum ſupra ex Auguſtino deprompmtum. Ceterum etſi Vicarius Generalis, & nonnulli Utinenſium ſteterint adverſus Concionatorem, ejus tamen dogma a Patriarcha, necnon a doctioribus probatum eſt. Et ſane illud prudenter expoſitum non ad deſperationem impellit, ut diximus, ſed ſpem excitat vividiorem. *An vero timendum eſt* (inquit Aug. de Dono Perſev. cap. 22.) *ne tunc de ſe homo deſperet, quando ſpes ejus ponenda demonſtratur in Deo; non autem deſperet, ſi eam in ſe ipſo ſuperbus & infeliciſſimus poneret?* Deinde licet aliqui ſint ad vitia nimium proni, atque in torporem & negligentiam inclinent; non eſt tamen reticenda prædeſtinationis prædicatio ad utilitatem humilium, qui gloriantur tamen in Domino, & ad reprehenſionem ſuperborum qui confidunt in homine. Si enim quidam ſint, qui nunquam orent, propterea quod Deus ſcit quid nobis ſit neceſſarium, aut ex prædicatione Orationis fallaci conſecutione inferant non innoteſcere Deo hominum deſideria; *Num propter tales* (ait eodem lib. cap. 17. S. Pater) *hujus ſententiæ veritas deſerenda, aut ex Evangelio delenda putabitur?* Sed plura ibidem, & ſequentibus Capitibus acerrimus Prædeſtinationis & Gratiæ Vindex ac Propugnator.

Reſp. 2. Leonardum Utinenſem immerito fuiſſe accuſatum, & pro eo pugnaſſe Joannem Grimanum in Epiſtola ad Vicarium Generalem Utinenſem, in qua gratuitæ prædeſtinationis ſententia proculdubio exponitur ac defenditur. Hanc vero Epiſtolam, quantum ad dogma ſpectat, probarunt Tridentini Concilii Patres. Quod probatur I. Ex Epiſtola Cardinalis Lotharingii ad Pium IV. Pontificem Maximum, in qua refert Patriarcham Aquilejenſem unanimi conſenſu fuiſſe purgatum: unde Pontifex non ſolum Grimanum in gratiam recepit, ſed etiam purpura Cardinalitia exornare decreverat: qua tamen Grimanum denuo accuſatum de amicitia cum quibuſdam hæreticis privarunt poſtea malevoli. II. Ex Epiſtola ad S. Carolum Borromæum data Tridenti die 14. Auguſti anno 1563. & a quatuor Cardinalibus ſubſcripta: in qua hæc leguntur; *Judicarunt omnes abſolvendum a calumnia ipſi ita impoſita, aſſerentes illum nedum proprium, verum etiam ſuæ nationis Theologorum, quibuſcum totum negotium diligentiſſime contulerat, ſenſum eſſe*. III. Ex votis Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Theologorum, qui rem diſcuſſerunt: quæ vota poteſt quiſque legere in Hiſtoria Pallavicini, & apud Antoninum Reginaldum in libro de Mente Concilii Tridentini circa Gratiam efficacem Parte I. cap. V. Tandem ex judicio ac ſententia pronuntiata die 14. Septembris eodem anno, & in publicas tabulas relata, quæ talis eſt: *Domini noſtri Jeſu Chriſti nomine invocato, ſolum Deum præ oculis habentes, & de aliorum in Theologia Peritorum conſilio & aſſenſu, judicamus, atteſtamur & pronunciamus literas Joannis Grimani Patriarchæ Aquilejenſis, cum Apologia junctas, non eſſe hæreticas, ſeu de hæreſi ſuſpectas, neque ſic declaratas eſſe ſcandaloſas: non tamen divulgandas propter nonnulla difficilia minus exacte in eis tractata & explicata.*

Dices: Civitas Utinenſis, & Forojulii Provincia Patriarcham Grimanum ad Synodum provocarunt; atque, ut conſtat ex poſtremis verbis ſententiæ latæ, Grimani Epiſtolæ prohibitæ ſunt ne publicarentur. Ergo ſententia de Prædeſtinatione, quam aſſerebat Grimanus, ſuſpecta eſt, non populis prædicanda.

Reſp. Priorem partem antecedentis falſam eſſe, licet enim Vicarius Utinenſis, aliique imperiti concionem F. Leonardi accuſaſſent, & poſtea multi Criminatores etiam Patriarcham Grimanum, tamen Utinenſis Civitas Præſuli ſuo omni humanitatis officio conjuncta operam maximam contulit, ut ipſius innocentia fieret manifeſta, & doctrina haberetur immunis. Nam cum Grimano unum fuiſſe ſenſum Theologorum ſuæ nationis affirmarunt Cardinales quatuor Legati Synodi Tridentinæ citata Epiſtola ad Borromæum. Imo & univerſa Venetorum Reſpublica Grimano publicis Epiſtolis ſedatis tempeſtatibus gratulata eſt. Ad alteram partem antecedentis dico non eſſe a PP. Tridentinis ſtatutum ne prædicaretur Prædeſtinatio gratuita, ſed ne publicarentur Epiſtolæ Grimani, non propter dogma, ſed propter nonnulla, quæ ille minus in Theologicis diſputationibus exercitatus non ſatis exacte explicaverat: quæ ex eadem Epiſtola ad Carolum Borromæum, & ex laudatæ Sententiæ verbis certa ſunt, & majoribus quaſi theatris propoſita.

At Grimanus, inquis, etiam poſt ſententiam Tridentinam ad Sanctæ Inquiſitionis tribunal delatus eſt. Ita ſane; ſed irrito perverſorum Accuſatorum conſilio. Magis quippe, magiſque Præſulis innocentia refulſit: & ſumma cum laude fuit abſolutus, ita ut ipſi honoris cauſſa hymni publice canerentur; quorum unam duntaxat ſtrophen recitabo:

Quam longos ſævoſque fere, Pater, impete triſtis
Inſultus odii ardenti virtute tuliſti!
Non ſecus ac amplam media inter nubila fervens
Efficit urenti ſemitam ſibi lumine Phœbus.

Demum etiamſi Grimanus non propter perverſa tempora graſſantis hæreſis Lutheranæ, ſed etiam ob dogmatum perverſitatem feciſſet purpuræ palliique jacturam: Aſſertoribus ac Prædicatoribus Auguſtinianæ doctrinæ ſufficit, in his, quæ ad hanc ſpectant, Patriarchæ Aquilejenſis Epiſtolas nullam reportaſſe cenſuram, ſed approbationem Patrum Tridentini Concilii, qui Grimanum abſolvendum eſſe judicarunt, quoniam de prædeſtinatione differens ab Auguſtino, Proſpero, Bernardo, & Thoma Aquinate nequaquam receſſerat: ut liquet ex Epiſtola ad Borromæum non ſemel citata.

SCHOLION.

„ PRæter id, quod contigit Leonardo Utinenſi, domeſticum demonſtrat exemplum quanta diligentia ſervari oporteat monita a nobis præmiſſa, ut cum veritate doctrinæ, atque ædificatione fidelium, Prædeſtinationis arcanum populis exponatur, miſſis ſubtilioribus quæſtionibus, quæ inter Scholaſticos agitantur, objectiſque illis abſtruſioribus, quibus humana ingenia commoveri ſolent ac perturbari. Exemplum autem illud eſt Auguſtini Muſæi Tarviſini, viri alioqui doctiſſimi: qui cum Senis, ac Vicentiæ in frequenti auditorum concione de *Prædeſtinationis myſterio* verba e ſuggeſtu feciſſet; effugere non potuit ſiniſtra illa judicia, quæ de viris quoque doctiſſimis, qui coram plebe ſapientiores videri volunt, quam poſtulet conditio audientium, & quæ infirmiorum captum ſuperant, recondita eruditione, fucatiſque verbis effundunt, ſæpenumero fieri ſolent. Exagitatio autem, cui eam ob rem ſubjici debuit Muſæus, eumdem compulit, ut doctrinam ſuam Paulo III. Pontifici Maximo quibuſdam theſibus propoſitam ſupplici libello exhiberet dijudicandam; eaque non Apoſtolicæ Sedis cenſuram, ſed adprobationem potius, & laceſſiti Auguſtinianæ doctrinæ propugnatoris patrocinium conſequeretur. Cum vero id non omnibus compertum ſit, Appendicis loco huic quintodecimo capiti addere conſtitui ipſius Auguſtini Muſæi Theſes ſupplicemque libellum, ac Breve prælaudati Pontificis Maximi *Pauli* III., prout in Archivio Cœnobii S. P. Auguſtini de Urbe aſſervantur. Muſæi itaque Scriptum eſt hujuſmodi.

ELENCHUS

„ *Doctrinæ aſſertæ per me, & prædicatæ ſummam per Concluſiones, & Corollaria continens.*

CONCLUSIO I.

„ Prædeſtinationem eſſe cum Præſcientia apud Deum, ex Scripturis Sanctis, Sanctis Patribus, Eccleſiæ Doctoribus, Sacriſque Theologis (quam Chriſtianus nemo negare niſi errando poteſt) aſtruimus.

CONCLUSIO II.

„ Prædeſtinationem eſſe divinæ gratiæ (ad liberandos electos de maſſa perditionis Adæ, in quo uno omnes peccaverunt, & in condemnationem abierunt) præparationem in præſenti vita, & gloriæ in futurum donandæ, cum Divo Auguſtino, & Theologis definimus. Contra, reprobationem promeritæ Gehennæ eſſe præparationem, affirmamus.

COROLLARIUM I.

„ Evangelium ergo Jeſu Chriſti effectum prædeſtinationis antiquæ, recte definimus, eo quod gratiam per Chriſtum allatam exhibitamque (iis quos prædeſtinavit ad hæc Pater ante Orbis creationem) revelet, ac prædicet. Jam enim gratia eſt prædeſtinationis effectus.

COROLLARIUM II.

Unde fit, ut Evangelium ad prædeſtinationis myſterium, ceu ad cauſam & radicem ſuam referatur. Quumque Evangelii quadriceps flumen de Paradiſo Dei emanans, in ſuum veluti fontem, reducatur in Divinæ prædeſtinationis ſanctum & immutabile propoſitum, quiſquis Evangelium prædicaverit, effectum æternæ & incommutabilis Prædeſtinationis prædicaſſe cenſetur.

CO-

COROLLARIUM III.

„ Cum igitur causa & effectus referantur, & necesse sit in rationibus utrorumque utrisque uti, qui exacte, resoluteque Sanctum Evangelium, jussu Christi, prædicaturus est omni indifferenter Creaturæ, Prædestinationis mysterium pariter, omni Creaturæ, parvis, magnis, doctis, imperitis, maribus, & fœminis, eum prædicare oportet; ut, quibus datum est, capiant, & in Domino glorientur. Quam Conclusionem contra Pelagianos hæreticos Sanctus etiam Augustinus strenue defendit, meque, perpetua dissertatione, in toto libro de bono perseverantiæ docuit.

CONCLUSIO III.

„ Deum dicimus de damnabili humani generis massa præscisse misericordia, quos non meritis, sed electione gratiæ suæ, prædestinavit ad vitam æternam; Cæteros autem, quibus æternam Gehennæ pœnam præparavit, & justo judicio ab hac gratia voluit expertes fieri, præscisse tantum, proprio vitio perituros; non ut perirent, sive præordinasse, sive creasse, vel etiam impulisse. Hanc ex Augustini doctrina didicimus.

COROLLARIUM IV.

„ Ergo quamquam, cui vult miseretur, & quem vult indurat, non tamen est iniquitas apud Deum, neque est acceptor personarum Deus.

CONCLUSIO IV.

„ Quum universas vias Domini *misericordiam & judicium* esse (Scriptura sancta docente) didicerimus, & Apostolus *investigabiles & incomprehensibiles vias ejus* expaverit, non discusserit, admiratus fuerit, non aperuerit, *O altitudo divitiarum &c.* Quamvis ex Scripturis Sanctis, Sanctissimisque Doctoribus, Prædestinationem, & reprobationem apud Deum esse (sine acceptione personarum) certo certius habeamus: & utraque in Divinam, sicut misericordiosissimam, ita justissimam Dei voluntatem referri debeat causam, in generali; in particulari tamen profundum judiciorum Dei nos latere fatemur: proinde ab homine minime perquirendum, sed in pietatis silentio humiliter adorandum, eique in timore serviendum, cum perseverantia usque in finem; quibus tamen datum desuper fuerit: *Non enim omnibus datum est*.

COROLLARIUM V.

„ Proinde etsi de mysterio Prædestinationis beneficiorum Dei prædicandum sit, quod & quantum & Scripturis Sanctis, volente Deo (ad ædificationem Ecclesiæ Sanctæ suæ) revelatum est: Non tamen profundum illud inscrutabilium viarum Dei (quatenus nostram latere infirmitatem Pater æternus voluit) temere attentandum esse censemus: Quinimmo admonendos fore non dubito auditores, ne illud vel quærere audeant: juxta illud: *Noli altum sapere, sed time*: & item, *Scrutator majestatis opprimetur a gloria &c.* Et semper mortales ad humilitatem alliciamus, cornua humanæ præsumptionis ac propriæ confidentiæ conteramus.

CONCLUSIO V.

„ Liberum arbitrium (cum possibilitatis bono ad utrumlibet) in solis fuisse hominibus Protoplastis ante peccatum, cum Augustino, ex Sacris litteris confitemur; Qui delicto captivi, mox fuerunt (justo Dei judicio) in libero arbitrio depravato, languido, & claudicatu dimissi, ut hoc eisdem esset pœna in non faciendo quod vellent, qui semper (si Deo fuissent obedientes) sufficere potuissent ad omne quod voluissent bonum. Quod vitium, tamquam ex vitiata radice, omnis ex ea suborta humana propago contraxit, Christo solo excepto, qui non ex Opere Adæ conceptus aut natus, sed de Spiritu Sancto, est.

COROLLARIUM I.

„ Per peccatum igitur primi hominis, liberum arbitrium in hominibus, possibilitatis bonum tantum, non nomen & rationem perdidit. Quo factum est, ut exinde nati natorum, & quot nascentur ab illis, non sufficiunt implere quod velint, cum *Caro concupiscat adversus spiritum, & Corpus corruptibile aggravet animam*, ut non quæ volumus, eadem faciamus.

COROLLARIUM II.

„ Divina, igitur, ope, auxilio, & gratia opus est, cuique bene vel cogitaturo, vel volituro, vel etiam acturo secundum Deum; alioquin nec inchoare, neque certe peragere posse se quisque præsumat: Ipse namque est, *qui dat & velle, & perficere pro bona voluntate*: Et *non est volentis*, velle, *nec currentis*, currere, *sed Dei miserentis*. Hanc vero gratiam se daturum electis suis præscivit, atque proposuit Deus *ante tempora sæcularia*.

COROLLARIUM III.

„ Esse itaque liberum arbitrium in hominibus universis, ex opere Adami propagatis, constantissime prædicamus; itaut quisquis ipse negaverit esse, Catholicus minime habeatur: Quisquis item liberum arbitrium ita esse in hominibus prædicaverit & senserit, ut solis viribus suis depravatæ naturæ innixus, absque speciali Dei munere & gratia, bonum opus sancte, aut cogitare, aut incipere, aut etiam perficere, vel demum in eo perseverare sufficiat, minime is Catholicus est: dicente Apostolo: *Gratia enim Dei salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei namque donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* Rursus, *non sumus sufficientes vel cogitare quidquam a nobis quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.* Qui ait: *sine me nihil potestis facere &c.* Et *oravi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua &c.* Etenim: *non qui inceperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

COROLLARIUM IV.

„ Liberum itaque arbitrium & ad bonum & ad malum faciendum, confitendum est nos habere; sed in malo faciendo liber est quisque justitiæ, servusque peccati: in bono autem nullus liber esse potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit: *si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis*. Nec tamen ita, ut cum quisque fuerit ab eo liberatus a damnatione ex servitute peccati, jam non indigeat ultra suæ liberationis auxilio; sed ita potius, ut ab illo audiens, *sine me nihil potestis facere*, vicissim & ipse dicat eidem, *Adjutor meus esto ne derelinquas me*.

COROLLARIUM V.

„ Proinde neque bona opera auferimus, neque meritum, sed secundum donum gratiæ Dei, unumquemque fidelem fieri, non autem fidem in se ipso ex proprio sensu genuisse. Et opera bona per gratiæ preventum preparari, nullo liberi arbitrii merito, sed ipso incipiente ac perficiente Deo, faciente ut abundent in libero arbitrio, & dante in eis ipsis perseverare usque in finem, indubie confitemur.

CONCLUSIO V.

„ Verum enimvero, cum opera quædam fidei donum præcedant in adultis, quædam vero fidem consequantur, quæ per dilectionem operatur, nihil nos prioribus illis operibus promereri gratiæ aut gloriæ, sed consequentibus illis dumtaxat, & a radice fidei per caritatem emanantibus justificari nos, & coronari demum illa in nobis catholice affirmamus. Ita tamen ut Christianus in hac vita, de meritis minime extollatur. Quandoquidem in præsenti peregrinatione nobis labor indictus est, ut per auxilium gratiæ præcedentis merita fiant, non autem ut præcedentium fiat retributio meritorum; juxta illud Apostoli: *non quod jam perfectus sim, sequor autem &c.*

COROLLARIUM I.

„ Quidquid ergo homo Christianus in præsenti vita fuerit consecutus, donum Dei est, non humanum meritum; *cum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem &c.* ubi erit perfecta justitia nostra, *tum reddetur unicuique secundum opera sua*: Quoniam per universam hujus sæculi vitam meritum eorum omne fuit gratia, ut demum juxta doctrinam Apostoli, sit nunc gratia ex gratia, tunc vero gloria ex gratia, dicente Propheta, *Gratiam & gloriam dabit Dominus*.

COROLLARIUM II.

„ Quibus fit, ut prædicatione illius divinæ gratiæ, quæ prædestinata, & præparata est electis de massa perditionis Adæ ante mundi constitutionem, non ex meritis, sed gratis miserente Deo, non tollamus liberum arbitrium, immo magis convincamus & confirmemus, licet naturaliter nonnisi servum peccati, & in omni ætate in malum usquequaque propensum, & claudicantem; a qua servitute ut liberetur, & in bonum dirigatur, assurgatque ad promissa Dei præparata, ac præfinita, præordinata illi est gratiæ libertas, & medicina per Christum. Non præpararetur autem ei, si nihil esset omnino liberi arbitrii reliquum nisi vox, etsi esset res (ut perversi asserunt hodierni hæretici) de solo titulo. Non etiam

bo-

„ bona opera, eut demum meritum tollimus eadem prædicatione, quinimmu confirmamus ac magnificamus cum Apostolo, qui clamet: *Deum præparasse nobis bona opera, in quibus ambularemus*; & in reliquo *repositam sibi Coronam justitiæ*, quam sibi redditurum prædicat, *in illa die, justum Judicem*.

CONCLUSIO VII.

„ Cum vero, Augustini auctoritete, in omni opere bono nostro Deus, qui operatur (Teste Paulo) in nobis nedum *velle, & perficere*, sed & *omnia in omnibus*, primas sibi vindicet; semper enim, ut ejunt Sapientes, effectus attribuitur principaliori agenti, posteriores vero nobis partes relinquantur, scilicet operator Deus, cooperatur homo: *Cooperatores* (inquit Paulus) *sumus Dei*. Operatur inquam Deus in nobis vel per nos gratia sua, cooperamur nos libero arbitrio, per ejus gratiam e servitute peccati liberato, & restituto: Consequens est, ut nedum de meritis, sed neque de bonis operibus intumescere cor nostrum omnino debeat, quando nostrum (ut Sanctus Cyprianus docet) *nihil est*, sed totum Dei: *Quid enim habes, quod non accepisti? aut quid gloriaris, quasi non acceperis?* Sed *qui gloriatur* (uti monet idem Apostolus) *in Domino glorietur*.

CONCLUSIO VIII.

„ Cum secundum propositum æternum & immutabile, in infallibili sue præscientia prædestinaverit Deus gratis electos suos ad Regnum Cœlorum, paratum illis a constitutione Mundi; Reprobos vero, eorum prævisa demerito, ad supplicium gehennæ; consequens est infallibiliter hos demum omnino damnari, illos vero proculdubio Cœlorum Regno potiri. Neque secus fieri posse, dicente Christo apud Joannem 10. *Et nemo potest rapere oves meas de manu mea*: Quid hoc dictu est, nisi id, quod Augustinus 18. Soliloquiorum de Prædestinatis ait: *Qui nequaquam perire possunt?* Neque tamen his verbis Theologorum sententiam *de sensu composito & diviso* espernari, aut possibilitatem illam logicam rejicere intendimus; immo ferendam esse probamus inter doctos in Scholis.

CONCLUSIO IX.

„ Cum per unum hominem *peccatum intraverit in Mundum, & per peccatum mors, & in omnes homines pertransierit*, qui progeniti sunt opere terreni Adami (*in quo omnes peccaverunt*) hincque factum sit, ut omnes pertracti fuerint in condemnationem, a qua ne u liber esse queat, nisi inde eripiatur per gratiam Dei, & hominis Jesu Christi: Idcirco Parvulos abeuntes, qui non regenerati sunt *ex aqua & Spiritu Sancto*, sempiternæ Gehennæ supplicio deputandos in postremo Judicii die, cum Augustino tenemus. Mitissima quamvis pœna (in genere illo) puniendos existimamus, in comparatione eorum, qui originali etiam mortalia eddiderunt: attestante Christo, qui ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Et Scriptura clamante: *Juxta mensuram delicti, erit & plagarum modus*.

Post alias vero Theses, quæ ad præsens institutum non pertinent, sic tandem concludit.

„ Te igitur, Sancte Peter *Paule III.* Christi in terris Vicarie Eminentissime, eppello (sicut & tertio jam Senis te eppellavi) cui Christus ligandi atque solvendi Pontificium tradidit augustissimum, & Cleves Regni Cœlorum commendavit: tuum subeo devote judicium: tuæ censuræ me, vitam meam, meamque doctrinam, quæ mea non est, sed Augostini, sed Peuli, sed Christi (quorum unius nomen, alterius protectorem agis pientissimum, tertii Vicarios es magnus) sponte subjicio. A te sanctam determinationem expecto, tota animi pietate amplexaturus, quidquid de Sancta Sede Petri, immo Christi Jesu, decreveris esse tenendum. Scio namque Romanam Sanctam Sedem magistram esse omnium Ecclesietum, fundatam supra firmam petram veritatis, contra quam nec Tirannorum vis, neque hæreticorum insidiæ, neque Inferorum portæ poterunt unquam prævalere. Si doctrinam hanc & Confessionem meam probabit Sanctites tua, Deo gratias agam, in eisqoe persistam, tue cum leude & gloria post Deum: sin reprobabis, & ipse pœnitus aspernebor. Si erravi, monstretur error, veniam supplex, atque prostratus (per Christum) oro, mox emendaturus errorem. Neque non, Sanctitatem tuam, misericordiæ viscera contenturam despero, sed Christum potius Petro præcipientem benignissime auditurum: *Non dico tibi septies, sed usque septuagies septies*. Errare quidem possum, quia homo; hæreticus non ero, quia nunquam pertinax. Christus Servator noster, cujus primatum tenes in terris, det tuæ Sanctitati in incœpto incremento Ecclesiæ Sanctæ suæ feliciter perseverare, ut eamdem Sanctitatem tuam in glorie intueri possimus in Cœlis: Utque hic & ibi, tecum valeamus omnes in Domino gloriari. Amen.

PAULUS PP. III.

Dilecte Fili Salutem & Apostolicam benedictionem.

„ Cum alias quorumdam relatione perceperimus te in sermonibus, ac prædicationibus in Civitatibus Senarum, & Viceriæ habitis, proximis elapsis duobus annis, nonnulle dixisse, & docuisse, quæ, ut ipsi asserebant, hæresim sapere, ec Populo scandalum exhibere videbantur, etque ob id te in Civitate Venetiarum carceribus mancipari, ac propterea .... sub cautione de te præsentando coram Nobis, relexari mandaverimus: tu autem .... obedientiæ filius coram Nobis in præfixo termino comparueris, & epologiam quamdem in tui defensionem, & doctrinæ, quam prædiceveras in præfatis Civitetibus, declarationem judicio Sedis Apostolicæ discutiendam, jodicandamqoe, per te editam exhibueris, & de præfatis contra te objectis inculpabilem te esse affirmaveris: proinde ut te eudite, defensionesque hujusmodi tuas edmittere, & alies tibi in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur, Nobis humiliter supplicaveris: Nos in tam gravi negocio mature providere, & justitiam unicuique reddere intendentes, Ven. Fr. Hieronymo Aleandro Archiepiscopo Brundusino, & dilecto filio Thomæ Badiæ Sacri nostri Palatii Magistro, vivæ vocis oraculo commisimus, ut visis contre te objectis & processibus, tam in Civitete Senarum, quam Vicetiæ contra te actis, & ad nos transmissis diligenter examinatis, & tua inspecta apologia, & præfata doctrina ex ore tuo eudite, omnia diligenter perpenderent, & quæ ac qualis esset, Catholica scilicet, vel hæretica, doctrina tue, Nobis fideliter referrent, ut super hoc possemus de opportuno remedio providere. Cumque præfati Hieronymus Archiepiscopus, & Thomas dicti nostri Paletii Magister receptis contra te objectis, ac responsionibus tuis, totoque hujusmodi negotio diligenter examinato Nobis retulerint, te sanam quidem doctrinam tenere, populum vero ob hujusmodi doctrinæ difficultatem, tuumque dicendi modum, fortasse non ita clarum, non id eccepisse quod tu Commissariis nostris prædictis explicasti. Nos omnibus his diligenter perpensis, & mature consideratis, te eb objectionibus hujusmodi, & a quibuscumque processibus desuper formatis, nec non etiam Cautiones, seu fidejussiones a te in Civitate Venetiarum, ut præfertur, præstiras, eb omni obligatione, auctoritate Apostolica, præsentium tenore absolvimus, & perpetuo liberamus, & quibuscumque Personis contra te super præmissis, quovis modo, aut quæsito colore sollicitantibus, & procurantibus, perpetuum silentium imponimus, ac omnem inhabilitatis, & iniamiæ maculam præmissorum occasione forsan per te contractam ebolemus, teque pristinæ famæ gradibus, locis, honoribus, officiis, ac privilegiis quibuscumque, & in eum statum, in quo antequam præmissa contra te acta essent, quomodolibet eras, quatenus opus est, restituimus, plenarieque reintegramus, ac te ulterius in aliquo, aot ab aliqoe Persona quacumque dignitete, etiam Legationis, seu Inquisitionis hæreticæ pravitatis, sen eliquo quovis officio fungente, in Persona, bonis, seu aliquovis modo occasione præmissorum molestari non debere, ac irritum, & inane quicquid secus e quoquem quavis etiem Apostolice euctoritate ettentatum fuerit, decernimus. Nihilominus, ut scandalo, quod ex prædicatione tue, ut præmittitur, in Civitatibus Senarum, & Vicetiæ supradictis ortum est remedium opportunum quantum possumus adhibeamus, & ut Populus ille, unde passus est scandalum in perniciem, inde erigatur ad salutem, tibi tenore præsentium districte præcipimus, & mandamus, ut ex nunc ad Civitatem Senarum, post octavam vero Pesche Resurrectionis Domini proxime futuram ad Civitatem Vicetię te conferas, & in publica prędicatione eam doctrinam, quam Commissariis prędictis explicasti, & te tenere, & prędicasse dixisti, ita clare, & distincte dicas, ut in formula, & responsionibus descripta, & a Commissariis nostris prędictis tibi tradita continetur. Volumus autem, & dilectis filiis causarum Camerę nostrę Generali Auditori, nec non Venerabilium Fratrum Petriarchę Aquilejensi, etque Episcopi Tervisino in Spiritualibus Vicariis Generalibus mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu elias tibi in pręmissis efficacis defensionis pręsidio assistentes auctoritate nostra faciant te absolutione, liberatione, silentii perpetui impositione, abolitione, restitutione, reintegratione, decreto, ec aliis pręmissis pacifice frui, & gaudete. Non permittentes te per quoscumque quomodolibet molestari.

Con-

» Contradictores quoslibet, & rebellet per Censuras Ecclesiasticas, & alia opportuna juris remedia appellatione » postposita compescendo, invocato, si opus fuerit, auxilio » brachii secularis, non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus aliis, & ordinationibus Apostolicis, » cæterisque contrariis quibuscumque, seu si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica Sede sit indultum, » quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi » mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 11. Martii 1538. Pontificatus nostri » anno IV.

Fabius Vigil.

E X T R A

» *Dilecto Filio Augustino Musæ Tarvisino Ordinis FF. Eremitarum Sancti Augustini Theologiæ Magistro.*

C A P U T XVI.

De numero, & signis Prædestinatorum.

ELECTORUM numerum incertum Viatoribus esse nemo ignorat; & Ecclesia in Dominicis Quadregesimæ ita precatur: *Deus, cui soli cognitus est numerus Electorum in superna felicitate locandus*; quæ verba habet etiam D. Thomas P. p. Q. XXIII. art. 7. Quidam tamen Prædestinatos Angelis, qui ceciderunt, numero comparandos esse opinantur: aut Angelis etiam, qui steterunt. At Angelorum quoque sive malorum, sive bonorum multitudinem dinumerare non possumus, quamquam id tentarunt otiosi quidam homines, magi præsertim & Cabalistæ. Præterea Augustinus lib. XXII. de Civ. Dei cap. 1. de sempiterna illa Jerusalem scribit: *Nulla civium suorum, idest Angelorum lapsorum numerositate fraudabitur, sed uberiore etiam copia fortasse regnabit.* Quamvis autem Prædestinatorum numerus nobis incertus est, propter infinitam Dei prædestinantis misericordiam quisque sperare tenetur, se in eodem numero comprehendi, & sedulam navare operam, ne ob patrata crimina æterno addicatur supplicio: atque, ut Bernardus monet Serm. 1. in Joan., solicitus esse in timore ac tremore, & humiliari sub potenti manu Dei, quia quales futuri sumus, id nos scire est omnino impossibile.

PROPOSITIO. Magnus est Electorum numerus, at valde exiguus, si comparetur cum numero damnandorum.

Magnum quidem esse Prædestinatorum numerum probatur ex cap. VII. Apocalyp. v. 9. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Sed in comparatione reproborum Electos esse perpaucos suadetur primo ex sacris literis. Matthæi enim VII. 14. legitur; *Angusta est porta, & arcta est via, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inveniunt eam.* Et Lucæ XIII. 24., cuidam Christum interroganti, *Domine, si pauci sunt qui salvantur?* Ipse respondit: *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Item Mat XXII. 14. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Comparantur etiam prædestinati ab Isaia Cap. XVII. & XXIV. spicis, quæ post messem in agro remanent, & granis uvarum, racemisque residentibus in palmite post vindemiam. Deinde appellantur in Evangelio *pusillus Grex*, non solum ob humilitatem, sed etiam *ob majorem numerum reproborum*, inquit Beda lib. IV. cap. 54. in XII. Lucæ.

Secundo probatur ex PP. S. P. Augustinus in Ps. 48. *Quot sunt illi, ait, qui videntur observare præcepta Dei? Vix invenitur unus, vel duo, aut paucissimi. Ipsos solos liberaturus est Dominus, & ceteros damnaturus.* Atque magnus Gregorius Hom. XIV. in Evangelia: *Ad fidem*, inquit, *multi veniunt, sed ad cœlestia regna pauci perveniunt.* Joannes autem Chrysostomus ita Antiochenos gravissima Oratione XIV. compellat. *Quot putatis esse in Civitate nostra, qui salvi fiant? Non possunt in tot millibus centum inveniri qui salventur: quin & de his dubito.* Quod ex depravatis in quolibet hominum genere moribus disertissimus Orator demonstrat.

Accedit evidentissima ratio. Triplex enim distinguitur hominum status, naturæ videlicet, legis, & Gratiæ, sive ab Adam ad Mosen, a Mose ad Christum, a Christo ad hæc tempora & deinceps ad mundi finem. In statu legis naturæ multa malitia hominum erat in terra; cuncta cogitatio intenta erat ad malum, & omnis caro corruperat viam suam super terram; ita ut pœnituerit Deum quod hominem fecisset, & tactus dolore cordis intrinsecus consumpserit omnem substantiam quæ erat super terram ab homine usque ad pecus, tam reptile, quam volucres cæli, exceptis animantibus, quæ cum Noe ingressa erant in Arcam. Narrat magnam Dei vindictam sacrum Geneseos caput sextum, ac septimum. Post diluvium iterum grassata est iniquitas, & una cum gentibus idolorum cultus, præceps appetentia, indomita, atque effrenata libido. Legem scriptam Judæi soli habuerunt, neque omnes illam servarunt, sed pauci admodum; ita ut David de Israelitis suæ ætatis hæc pronuntiaverit: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Quid vero de statu legis gratiæ? Major in ea pars est aut Ethnicorum, aut hæreticorum. Vix enim Catholici partem tenent Europæ dispersi in ceteris mundi plagis tanquam fructiferum arbustum in sylva. Neque omnes Catholici salvi fiunt. Horum aliqui Mundani dicuntur, aliqui Clerici, aliqui Fratres aut Monachi. Quantum spectat ad illos, quos Mundanos appellant, *Præter paucissimos, qui mala fugiunt, quid est aliud pene omnis cœtus Christianorum quam sentina vitiorum?* inquit in libro III. de Provid. Salvianus. De Clericis ob reverentiam Ecclesiastici ordinis nihil dicturi sumus. Mittimus ob eamdem caussam Monachos, quos ita alloquitur in Epist. ad Gulielmum S. Bernardus; *Quis in principio cum Ordo cœpit Monasticus ad tantam credidisset inertiam Monachos devenire? Ob quantum distamus ab iis, qui in diebus Antonii extiterunt Monachi! Sic Macarius vixit? Sic Basilius docuit? Sic Antonius instituit?* Addamus Bernardi verbis: *Sic Augustinus præcepit?* Ex his itaque constat in omni statu, & in omni hominum genere esse Prædestinatorum revera pusillum gregem. Debemus autem ex hoc numero Electorum exiguo apprehendere quid possit liberum arbitrium, quidque homini deberetur, nisi ei Reparatoris misericordia subveniret; ideoque spe simul erecti, ac timore concussi abjicere ægritudinem animi, atque arrogantiam.

SIGNA autem prædestinatorum hæc sunt. Primum sensum illecebris mundique voluptatibus nuncium mittere, non quidem solo corpore, sed animo ac spiritu, neque ex prava deliberatione, sed ex libertate & consilio. Pollicitus est enim Deus fidelis in omnibus verbis suis centuplum & vitam æternam, *Si quis reliquerit domum, vel fratres, &c.* Matt. cap. XIX. 29.

Secundum signum est tolerare tranquillo animo persecutiones & injurias *propter justitiam*, ut colligitur ex eodem Evang. cap. V. 10.

Tertium signum est humilitas non ficta, sed vere, & quæ in omnibus, & erga omnes se prodat: legitur enim in Psalmo C. 7. *Non habitabit in medio Domus meæ qui facit superbiam:* Et Matth. XVIII. 3. *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliaverit se, &c.*

Quartum signum est ardens in Deum & proximum caritas: de qua in Epist. ad Rom. cap. VIII. 14. *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Huic caritati adest individua divinorum præceptorum observantia, de qua Christus Dominus Joan. XIV. 15. *Si diligitis me, mandata mea servate.*

Signum quintum est libenter Dei verbum audire, Majorum exhortationibus acquiescere, & spirituali lectione magnopere delectari. Unde Joan. X. 27. legitur: *Oves meæ vocem meam audiunt.*

Sextum signum est specialissimus Deiparæ cultus. Nam de beatissima Virgine exponi potest versus 35. Capitis Proverbiorum octavi: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem a Domino.*

Septimum signum est non confidere in homine, sed in Deo, dicente Davide Ps. XXXIX. 5. *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus.*

Octavum signum est solicitudo in vitandis peccandi periculis, anxietas præteritorum peccatorum, studium placandi Deum fervens & expeditum, Sacramentorum frequentia, verborum castigatio, candor morum, puritas mentis, frequens examinatio conscientiæ, propositum perseverandi usque in finem, summa in reddendis votis fidelitas, & futuri judicii sine desperatione formido. Ad hæc omnia alia facile reducuntur.

C A P U T XVII.

An reprobatio positiva antecedat præscientiam peccatorum.

DE PRÆDESTINATIS hactenus. De reprobis disserendum est modo; qui in sacris literis vocantur *maledicti, vasa iræ, & contumeliæ, repulsi, despecti, hædi a sinistris statuendi*, aliisque consimilibus caracteribus. Est autem reprobatio duplex, alia *positiva, negativa* altera. Positiva est actus divinæ voluntatis, quo reprobis infligenda pœna decernitur. Negativa vero est privatio prædestinationis, sive non electio aliquorum ad gloriam electis aliis. Dari autem reprobationem negari non potest, dicente Domino in Evangelio Matth. cap. XXV. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.* Unde Valentinum Concilium Canone III. *Fidenter*, inquit, *fatemur prædestinationem Electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.*

Calvinus de reprobatione positiva asseruit nullam aliam caussam habere præter divinam voluntatem, idest, fieri independenter a prævisione cujuscunque peccati tam actualis, quam originalis. Docuit enim impius hæresiarcha ali-

aliquos tam Angelos, quam homines conditos fuisse a Deo ad æternam damnationem, Deumque ipsum, ut latum a se decretum exequatur, imponere reprobis necessitatem peccandi, eosque positive & efficaciter ad peccatum impellere. Hæc affirmat Calvinus in Exposit. Epist. ad Rom. lib. III. Instit. cap. 21. & alibi: Zuinglius lib. seu Serm. de Providentia, Joannes Piscator in notis ad Collat. Vorstii, Theodorus Beza in libro de Prædest. aliique Calviniani: quamquam nonnullis illius sectæ hæc sententia visa est detestabilis, ita ut multi Magistri sui dogma repudiaverint. Glassius Saxo-Gothanus, *Facessat*, inquit lib. 3. Grammat. Tract. 3. Can. 30., *illud dogma ad Orcum, ex quo in proscenium Ecclesiæ productum est*. Merito itaque Calvinianam blasphemiam etiam ab hæreticis reprobatam damnavit Sacrosancta Tridentina Synodus sess. 6. Canone 6. & 17. Quare sit

PROPOSITIO. Calvinianum de reprobatione dogma horrendum est, detestabile, & omni execratione dignissimum.

Etenim repugnat 1. Sacrarum Scripturarum oraculis: cujusmodi sunt Sap. XI. 25. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*. Oseæ XIII. 9. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum*. Jacob. 1. 13. *Nemo cum tentatur dicat quoniam a Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat*. Et alia quamplurima. Accedunt definitiones Conciliorum. Arausicani celebrati an. 529. Canon XXV. est: *Aliquos ad malum divina potestate esse prædestinatos non solum non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus*. Et Synodus Valentina habita, ut diximus cap. XIV. in Caussa Gothescalchi anno 855. Canone 3. post verba paullo supra recitata ait: *In electione tamen salvandorum misericordiam præcedere meritum bonum: in damnatione vero periturorum meritum malum præcedere justum Dei judicium*. Citatus denique Canon 17. Tridentini Concilii talis est: *Si quis dixerit reliquos omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate prædestinatos ad malum; anathema sit*.

Probatur 2. Traditione, quam etiam agnoverunt Centuriatores Magdeburgenses Cent. 2. cap. 4. ubi de Patribus, qui proximo ab Apostolis ævo vixerunt, ita scribunt: *De Prædestinatione ita docuerunt, ut quantum ad utriusque, hominis scilicet, & diaboli lapsum attinet, negarint eum fatali necessitate contigisse: nec prædestinationem in eo Dei, sed præscientiam solam admiserunt*. Egregia Justini Martyris in Apologia ad Antoninum Pium, & in Dialogo cum Tryphone testimonia collegit Vossius lib. VII. Historiæ Pelagianæ P. 2. thesi 12. Item Anonymi Scriptoris Quæstionum eidem Justino falso tributarum, nec non Isidori Pelusiotæ Epist. 56. libri primi. Sed his prætermissis S. P. Augustinus fauces perstringit Calvino lib. XIII. de Trinit. cap. 12. ubi ait: *Modus iste, quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi tamquam Deus hoc fecerit, aut fieri jusserit; sed quod tantum permiserit, juste tamen*. Et lib. 3. contra Jul. cap. 18. *Bonus est Deus, justus est Deus: potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est*. Atque huc spectant omnia, quibus lib. IV. cap. VII. ex Augustino demonstravi dari in Deo præscientiam malorum absque prædestinatione. Concordat S. Prosper, qui cap. 7. ad objecta Gallorum ait: *Reproborum lapsum Deo adscribere immodicæ pravitatis est, quasi ideo ruinæ impulsor atque auctor est, quia eos ruituros propria ipsorum voluntate præscivit: & ob hoc a filiis perditionis nulla prædestinatione discrevit*.

Rursus Calvinus refellitur rationibus ex magno Augustino depromptis: quarum sit prima. Sententia Calvini, quæ docet homines positive a Deo reprobari absque demeritorum præscientia, æternam legem, & ordinis universi tranquillitatem pervertit: Est ergo execrabilis & blasphema. Prob. ant. ex lib. 3. de lib. arbitrio cap. 9. ubi S. Pater ait: *Si peccatis detractis miseria perseverat, recte deformari dicitur ordo, atque administratio universi*. Et XIX. de Civit. Dei cap. 13. *Pax omnium rerum est tranquillitas ordinis: ordo est parium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio. Proinde miseri, in quantum miseri sunt, in pace non sunt, & tranquillitate ordinis carent. Veruntamen, quia merito & juste miseri sunt, in sua ipsa miseria præter ordinem esse non possunt*. Alterum argumentum est, quod ex Calviniano dogmate tollitur divina providentia, & justitia: ait enim ibidem S. Pater: *Providentia summi Dei, non fortuita temeritate regitur mundus: & ideo nunquam esset istorum æterna miseria, nisi esset magna malitia*. Justitia vero exigit, ut pœna infligatur propter præcedentem culpam: unde inquit idem Augustinus lib. III. de lib. arbitrio cap. 18. *Omnis pœna si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur*. Tertium argumentum illud est, quod Pelagiani, qui negabant originale peccatum, affirmabantque parvulos non baptizatos excludi a regno cœlorum, & absque culpa temporalibus miseriis vexari, sic ab Augustino redarguuntur lib. II. Operis Imperf. contra Julianum, *Cum dicitis nullum peccatum parvulis imputandum, injustum facitis Deum, qui eis grave jugum imposuit*. Et Serm. 14. de Verbis Apostoli: *Si parvulus est innocens, cur innocens imago Dei a regno cœlorum excluditur? Salva justitiam, si potes*. At Calvinus contendit destinari reprobis supplicium ante prævisionem cujusque peccati. Ergo Deum facit injustum, e plusquam Pelagiani, qui putabant quidem parvulos nulla culpa inquinatos excludi a gloria, non tamen asserere audebant, quomodo Calvinus dogmatizat, prædestinari ex sola Dei constitutione ad interitum sempiternum.

Respondere solent Calvinistæ Deum præparare utique reprobis æternum supplicium independenter a meritis, sed non illud infligere, nisi post peccatum: quemadmodum præparat quidem gloriam ante prævisionem meritorum, sed illam in executione non confert, nisi post merita.

Verum dum hæc Calvinistæ dicunt, nihil plane dicunt. Nam si pœnarum inflictio foret injusta, quando pœnis afficerentur innocentes, ut Calviniani fatentur: erit ergo etiam injustum decretum, sive Dei constitutio, quæ pœnam infligendam esse decernit, nulla præcedente malorum operum præscientia. Deinde talis constitutio absoluta, & antevertens quæcunque demerita vel justa est, vel injusta: si injusta, nequit in Deo excogitari. Si autem justa, poterit actu & executione perfici, etiamsi reprobatus innocens perseveret. Neque enim valet comparatio prædestinationis ad gloriam: quæ cum sit opus misericordiæ, non merita supponit, sed efficit. Quippe Deus cum sit bonus, potest sine bonis meritis liberare; sed cum sit justus, non potest damnare quemquam sine meritis malis: & misericordia exhibetur indignis, justitia autem dignis rependitur. Denique licet Calvinistis concedatur non infligi reprobis pœnam, nisi post perpetrata ab illis scelera; faciunt adhuc Deum injustum; cum in eorum systemate Deus vi decreti reprobativi impellat, trahatque inevitabili necessitate homines ad peccatum. At peccata nequeunt hominibus imputari, nisi sint libera, & voluntaria. Nam *peccatum usque adeo voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium: & hoc quidem tam manifestum est, ut nulla indoctorum turba dissentiat, &c.*, inquit August. lib. de Vera Relig. cap. 14.

Præterea reponunt Calvinistæ, in eadem absurda, quæ ipsis objectantur, impingere etiam Theologos Catholicos, quorum plerique docent Deum propter summum dominium, ac supremam erga homines potestatem aliquos a regno excludere absque præscientia, & absque peccatorum intuitu. Sed & hæc inanis evasio. Plures enim Catholici (quibus tamen minime subscribimus) antecedenter ad peccatorum præscientiam haberi putant solam reprobationem *negativam*, non *positivam*. Aliud est enim non eligi ad gloriam, quæ in horum Catholicorum sensu indebitum beneficium est: aliud destinari ad pœnam debitam culpæ. Primum ergo quidam Catholici docent, non secundum. Illi vero, qui tenent posse Deum etiam innocentes in ignem inferni detrudere, qui perpauci sunt, & antiquiorum numero, & auctoritate refutantur, non de potentia ordinaria loquuntur, sed in altera rerum serie, atque de extraordinaria potentia, ad quam præsens rerum constitutio non spectat. At Calviniani contendunt dari prædestinationem ad mortem independenter a culpa stante hac providentia: quod perversum est, & hæreticum dogma, Deique Ordinationi ac justitiæ plane contrarium.

AD EA, QUÆ OBJICIUNTUR A CALVINISTIS.

Possunt huc revocari loca illa divinarum Scripturarum, quibus videtur affirmari definitio ac prædestinatio ad malum, ut quod legitur cap. 2. Act. Christum traditum in mortem *definito consilio*: & Gen. 45. Joseph venumdatum non fratrum consilio, *sed Dei voluntate*; Quæ, ut diximus lib. IV. cap. VII. ita accipienda sunt, ut Deus prædefinierit Christi redemptionem, & exaltationem Joseph, & prævidens eodem instanti Judæorum, filiorumque Jacob invidentiam, statuerit justo judicio hanc non refrænare, ut liberis perversorum hominum machinamentis Dei prædefinitio impleretur: & summa Dei misericordia simul commendaretur, justumque judicium; illa quidem in prædestinatione ad bonum, illud in permissione malorum. His ergo prætermissis,

Opp. 1. In priori Epistola Petri cap. II. 8. hæc habentur: *His, qui offendunt verbo, nec credunt, in quod & positi sunt*. In quo loco habet Vulgata nostra, non, *in quod positi sunt*, quæ referuntur ad priora verba, *nec credunt*: sed *in quo positi sunt*, idest, *in quo verbo*: atque ita lectione nostra eluditur Calvinianum præsidium; sensus enim est: *Offendunt verbo, in quo positi sunt*, non obediunt Evangelio Christi, ad cujus fidem prædestinati sunt. At Theodorus Beza satis aperte demonstrat legendum esse: *In quod & positi sunt*: quibus significatur aliquos efficienter prædestinari ad non credendum. Et quidem τιθέναι *ponere* frequentissime sumitur pro *ordinare* ac *destinare*, ut demonstrat plurimis exemplis etiam Grotius Tom. III. Op. Theolog. p. 1102. Porro lectionem Bezæ esse nostra meliorem probatur ex Græco, in quo legitur, εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν, *in quo & positi sunt*: ubi habetur pronomen neutrum, nec referri potest ad masculinum λόγον, *Verbum*. Destituuntur enim exemplis, in quibus neutrum ponitur pro masculi-

sculino, quando non agitur de persona, vel saltem de aliquo complexo; ut eruditi viri facile demonstrabunt.

Respondeo vulgatam lectionem tenendam esse, ceterisque præponendam: in quam collineat Arabica, & Syriaca, quæ diserte hanc sententiam habent: *quod non acquiescant sermoni, in quem positi sunt*: לְמֶלְתָא וּלְהָדָא סִימִין : בְּדְלָא מִתְטַפְּיִסִין quare aut corrigendus est Græcus, aut neutrum respondet *Verbo*, quatenus etiam Christi personam significat, ut in primo versu Epistolæ primæ Joannis, *Quod erat in principio*, *&c.* Deinde perperam Beza exponit *poni* pro destinari a Deo. Nam licet τιθέναι hunc sensum habere possit, tamen non legimus hoc loco *in quod positi sunt a Deo*: sed tantum, *in quod positi sunt*. Ut ergo Bezæ concederetur reprobos positos esse in incredulitate, non in Sermone ac verbo: non sequeretur positos esse in incredulitate per Dei prædestinationem, sed propriæ voluntatis malitia, & diaboli directione.

Opp. 2. Deus reproborum corda obcæcat, obduratque: nam Exodi VII. 3. *Ego*, inquit, *indurabo cor ejus*. Et Joan. XII. 39. *Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, &c.* At si Deus aliquem excæcat, induratque, est caussa ad peccatum impellens, pro suo lubitu damnans, & prædestinans ad interitum. Ergo, &c.

Resp. dist. maj. Deus reproborum corda obdurat, *subtrahendo gratiam*, concedo: *impertiendo malitiam*, nego. Non eo sensu dicitur Deus excæcare corda impiorum, quod eis pervicaciam, malam cupiditatem, & peccandi libidinem infundat, & efficienter ad malum humanam voluntatem inflectat: non enim vult mortem peccatoris, neque ipse operatur iniquitatem, ut sacræ literæ, nec non summi, boni, justique Dei ratio aperte demonstrant. Sed occulto judicio sapientiæ suæ denegat auxilium efficax, sine quo impii libero voluntatis arbitrio in scelera prolabuntur. Propterea August. Epist. 194. alias 105. ad Sixtum docet Deum improbos obdurare *subtrahendo gratiam, non impertiendo malitiam*. Et tract. 53. in Joannem: *Excæcat*, inquit, & obdurat *Deus deserendo, & non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest*. In libro etiam XX. contra Faustum cap. 9. docet in opere malo *aliud venire de astutia suadentis, aliud de nequitia volentis, aliud de justitia punientis, cum diabolus suggerit, homo consentit, Deus deserit*.

Dices: At S. P. Aug. lib. de Grat. & lib. arb. cap. 20. & 21. docet exemplo Pharaonis, aliorumque reproborum, nec non exquisitis Scripturarum testimoniis, *operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum; quoniam malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab Adam, aut crevit per propriam voluntatem*. Igitur præsupposita in humana voluntate malitia, inclinat Deus, trahitque efficienter reprobum ad damnationem & culpam.

Resp. dist. consequens: Inclinat Deus trahitque ad culpam *directe* & per se, nego: *occasionaliter*, & permissive, concedo. Docet nempe Augustinus, ut ex supra dictis arbitror manifestum, impios aliquando deseri a Deo; quatenus sinit eos aut perversorum hominum consuetudine corrumpi, aut perturbationum & calamitatum magnitudine concuti, aut in bonorum temporalium affluentia superbire, aut aliis rerum circumstantiis abuti, in quibus etiam licita atque honesta inordinate ab improbis appetuntur. Hunc nodum erudite solvit S. Thomas in Epistolam ad Romanos cap. IX. 17. his verbis: *Instinctu quodam interiori moventur homines a Deo ad bonum, & ad malum: unde Augustinus dicit lib. de gratia & lib. arbitrio cap. 20. quod Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum. Nam ad bonum inclinat hominum voluntates directe, & per se, tamquam auctor bonorum: ad malum autem dicitur inclinare, vel suscitare homines occasionaliter: in quantum scilicet Deus homini proponit vel interius, vel exterius, quod quantum est ex se, est inductivum ad bonum: sed homo propter suam malitiam perverse utitur ad malum*. Quam doctrinam illustrat S. Thomas exemplo satis consono iis, quæ diximus de generali Dei præmotione; quam juxta Angelicum doctorem affirmavimus esse prædeterminantem tantum in ordine ad principia quædam generalia, in quibus particulares & individuæ operationes continentur, tanquam conclusiones in suis principiis. Exemplum illud est: *Deus instigat hominem ad bonum, puta regem ad defendendum jura regni sui, vel ad puniendum rebelles: sed hoc instinctu bono malus homo abutitur secundum malitiam cordis sui. Et hoc modo circa Pharaonem accidit: qui cum a Deo excitaretur ad regni sui tutelam, abusus est hac excitatione in crudelitatem*. Hæc S. Thomas.

Quod si insistas: Repugnat Deum summe bonum inclinare voluntates reproborum hominum ad malum, etiam *occasionaliter*; distinguenda erit hæc propositio: Repugnat Deum summe bonum inclinare ad malum occasionaliter, idest hominem constituere in tali occasione, quæ natura sua trahat ad peccatum, concedo: idest hominem ponere in ea duntaxat occasione, quæ posset illum excitare ad bonum, nisi propriæ perversitatis malitia abriperetur in malum, nego.

Argumentum Calvini ex Epistola ad Rom. cap. IX. v. 11. in proximo capite expedietur.

CAPUT XVIII.

Quid statuendum sit de reprobatione negativa.

THOMISTARUM complures, quibus etiam subscribunt Sylvius, Estius, & Collegium Salmanticense, tenent negativam reprobationem, quam definivimus supra non electionem multorum ad regnum ceteris electis, nullum ex parte reprobi habere motivum; sed Deum absolutum donorum suorum Dominum, quemadmodum absque ullo meritorum intuitu electos prædestinavit ad gloriam, ita etiam nulla operum habita ratione plurimos reprobasse. Docent quippe hi Theologi Deum principio voluisse rationalem creaturam, idest Angelos, hominesque creare; deinde quosdam pro suo beneplacito ad gloriam prædestinasse relictis aliis: tum electis singularia gratiarum dona parasse: ac postremo prævidisse peccata eorum, qui prædestinati non sunt, eosque ad supplicium ex tali præscientia damnasse. Quæ opinio longe abest ab impietate Calvini; non enim gravissimi illi Theologi ex divina reprobatione peccata hominum fieri putant, neque reprobos conditos fuisse ad damnationem, ut visum hæresiarchæ illi, qui summa cum errore malitia asseruit trahi reprobos ad interitum sempiternum fatali quadam necessitate. Neque tamen prædictam Thomistarum sententiam probant omnes illius Scholæ Magistri: sed plures fatentur solum originale peccatum esse caussam cur homines a regno cœlorum fuerint exclusi; ut docent Gonet, Lemos, Bancel, & novissime Eminentissimus Gotti. Hi tamen cum in statu quoque innocentiæ efficacem gratiam, & gratuitam prædestinationem propugnent, tenentur saltem reprobationem negativam angelorum statuere ante præscientiam cujusqua peccati, quemadmodum ante prævisionem meritorum defendunt Angelorum bonorum electionem. Nam in eo instanti, quo ante quæcunque merita Angelorum aliqui prædestinati fuerunt, reliqui profecto reprobati sunt negative, idest non electi. Datur ergo aliqua reprobatio negativa ante prævisa demerita, scilicet reprobatio angelorum, ut fatetur Cardin. Gotti de Reprob. q. IV. dub. 2. in fine. At si hæc vera sunt, quomodo valida erunt argumenta, quæ ab his Theologis afferuntur de reprobatione hominum propter originale peccatum, eo quod in Epist. ad Romanos cap. 9. exprimatur nomine odii, & ab Augustino appelletur opus justitiæ, & pœna peccati? Hæc manifesto constare nequeunt, nisi viri illi docti reponant, negativam reprobationem in hominibus quidem esse opus justitiæ, sed in angelis denegationem beneficii indebiti. Verum si hæc dicantur, corruunt argumenta, quibus Augustinus demonstrat adversus Pelagianos existentiam originalis peccati, propterea quod imago Dei creata cum elevatione ad finem supernaturalem, non possit absque culpa a regno cælorum excludi. Etenim respondere poterunt Pelagiani, etiam Angelum cum elevatione ad finem supernaturalem fuisse conditum, & tamen sine ullo demerito exclusum a gloria, & consequenter exclusionem illam non esse pœnam, neque ex ea demonstrari parvulos, qui non abluti baptismo decedunt, & cælesti regno consensu Pelagianorum privantur, originali obnoxios esse peccato.

Ergo Augustiniana sententia est, quod Deus principio ita disposuit naturam hominum & angelorum, ut in eis prius ostenderet quid posset liberum arbitrium, deinde quid gratiæ suæ beneficium. Contulit autem utrisque gratiam, sine qua perseverare non poterant, atque ut actu perseverarent in arbitrii potestate reliquit. Voluit proinde in eo priori instanti salutem & gloriam tam angelorum, quam hominum, non absoluta prædestinatione, sed conditionate tantum, idest, si per liberum arbitrium in accepta justitia stetissent. Prævidit tum ex Angelis quosdam perseveraturos, quosdam casuros, & illos ad gloriam assumens in præmium perseverantiæ majori adjutorio cumulavit, & certitudine beatitudinis; hos vero juste in perditione sua dereliquit. Quare Angelorum pars electa est propter meritum, pars propter demeritum reprobata. Vidit pariter Adæ peccatum ex eoque conflatam universi humani generis massam infectam ejusdem Adæ nequitia, quam potuisset iccirco perdere universam. At statuit eam reparare, decrevitque ut pro omnibus hominibus Unigenitus, quem genuit ante Luciferum, natus in tempore ex Maria Virgine, mortem subiret. Noluit tamen beneficio mortis Christi omnes Adæ posteros fieri eodem modo participes. Quibusdam beneplacito voluntatis suæ constituit conferre talem gratiam, quæ concupiscentiam etiam in baptizatis remanentem ad luctam præsertim in extremæ vitæ periodo reprimat, ita ut finaliter perseverent, & efficaciter perducantur ad gloriam. Atque hi sunt *vasa misericordiæ*, sive prædestinati. Reliquis Deus donorum suorum Dominus noluit tantam gratiam impertiri: sed ut ostenderet cum misericordia justitiam, permittit ex illa perditionis massa nonnullos privari gratia baptismatis, nonnullos, etiam ex baptizatis, perduellis con-

concupiscentiæ motibus assentiri, & propria libertate perire. Quapropter quisquis damnatur propter originale peccatum aliquo pacto damnatur; sed alii remota: proxime illi, quibus tala peccatum non remittitur per baptismum: remote autem & *radicaliter* tantum alii, quibus peccatum originale remissum est, sed justo Dei judicio permittuntur cadere, jactari carnalibus concupiscentiis, & per liberum voluntatis arbitrium perire.

Hæc est vera Augustiniana doctrina, quam tradit S. P. Epist. 105. ad Sixtum, in Ench. cap. 98., lib. III. contra Julianum cap. 3. Fulgentius lib. I. de Verit. Prædest. & grat. Prosper ad septimam object. Gallorum, Africani Patres in Epist. Synodica cap. 6. Etiam S. Thomas ejusque discipuli celebriores Zumel, Lemos, Bancel, Godoy, Gotti, qui, ut diximus, in his quæ spectant ad reprobationem hominum nobiscum stant. Ex nostris vero omnes ferme, Norisius, Gregorius, Argentinas, Gibbon, Gavardi, Belelli, Manso, Piette, omnes, inquam. Tantum de Baptizatis dissentire videntur Puteanus, Alviz, & Florez, sed explicatæ a nobis sententiæ neque istos arbitror refragari. Habemus ex Scotistis quoque Macedo & Frassen: ex recentioribus Juenin, Du Hamal, Habert, L'Herminier: ex ipsa Societata Jesu Bellarminum, Suaresium, Edmundum Simonet, Vasquesium & quotquot docent peccatum Adæ demeruisse posteris gratiam *congruam*. Sed plura de his apud Norisium in Vindiciis cap. IV. §. X. Nos, cum cetera capita Augustinianæ doctrinæ alibi vindicaverimus, hoc postremum de caussa negativæ reprobationis facile, Deo auspice, ac præeunte Augustino, expedimus.

PROPOSITIO: Reprobatio negativa suam ex parte reprobi caussam habet, nempe originale peccatum.

Tribus argumentorum generibus hæc propositio demonstratur. I. Ex Sacris litteris. II. Ex auctoritate Augustini. III. Ex ratione theologica. Ex Sacris literis profero unicum testimonium Pauli ad Rom. cap. IX. 11. 12. & 13. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum Electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et infra v. 21. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Hæc verba nequeunt intelligi de reprobatione positiva, ut liquet; hæc enim fit ex præscientia actualium peccatorum, ut supra adversus Calvinianos est demonstratum. Igitur de reprobatione negativa sunt proculdubio exponenda. Jam vero ita argumentor. Qui reprobi sunt negative odio habentur a Deo, & appellantur vasa iræ, vasa contumeliæ: Non possent autem odio haberi, neque appellari vasa contumeliæ, vasa iræ, nisi propter originala peccatum: Ergo propter originale peccatum reprobati sunt negative. Probatur minor I. quia nihil potest odisse Deus eorum, quæ fecit, ut legitur Sap. XI. 25. Omnia enim, quæ ipse fecit, sunt valde bona. Quid ergo odisse potest in Esau, quid in reprobo, nisi quod ipsa non fecit, idest originala peccatum? unda præclare S. P. lib. I. ad Simplic. q. 2. *Non odit Deus Esau hominem, sed Esau peccatorem.* Et in Epist. ad Sixtum: *Quid oderat in Esau antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* Præterea habet Deus potestatem ex eadem massa perditionis unum eligere, alium reprobare, propterea quod massa illa peccato primi hominis est inquinata; quomodo figulus ex eodam luto unum vas in honorem, aliud fingit in contumeliam: at si hæc massa eo fine producta ut si perstitisset in accepta originali justitia ad beatitudinem aveheretur, antequam ulla nequitia inficeretur, foret Dei jubitu destinata ut ex ea fierent vasa iræ, non videretur in Deo perfecta illa justitia, quæ postulat, ut nemo sine malis meritis damnetur. Et ideo Augustinus in Epist. 157. ad Optatum; *Merito*, inquit, *videretur injustum, quod fiunt vasa iræ ad perditionem, si non esset ipsa universa ex Adam massa damnata. Quod ergo fiunt inde nascendo vasa iræ, pertinet ad debitam pœnam.* Postremo qui reprobationem negativam a sola Dei voluntate repetunt, ex hoc eodem Apostolico testimonio sententiam suam stabilire conantur, dicentes posse Deum nulla habita ratione meritorum excludera creaturam rationalem a regno tamquam a beneficio non debito. Sed hoc falsum est, quoniam Deus neminam derelinquit, neminem rejicit, nisi ipse antecedenter ab homine derelinquatur, atqua, ut mox demonstrabitur, sola exclusio rationalis creaturæ a regno, etiamsi non prædestinetur ad gehennam, ignisque supplicium, pœna maxima est. Assignari ergo debet istiusmodi pœnæ, sive reprobationis, aut si mavis istud dicere, divinæ derelictionis, motivum aliquod ex parte reprobi: ideoque bene ac sapientat Augustinus citata ad Sixtum Epistola: *Quærimus caussam prædestinationis, & invenire non possumus: quærimus caussam derelictionis, & invenimus eam caussam esse peccatum originale.*

Ex Augustino autem præter ea, quæ dicta sunt, hæc depromuntur. Ac primum: Augustiniana sententia est, Adamum non habuissa quidem perseverantiam, quam si habuisset proculdubio perseverasset, sed hoc dono primum hominam minime indiguisse, quia tales vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex se ipsa concupiscentialiter resistebat, ut digne tantæ bonitati, & bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium. Nunc vero, ut actu perseveret, opus est auxilio validiori: quoniam, si in tanta infirmitate vitæ hujus, sibi relinqueretur voluntas, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non posset, maneret si vellet, inter tot, & tantas tentationes voluntas ipsa succumberet. Quare peccato Adæ deperdita est potentia illa proxime expedita perseverandi, quæ nisi data esset primo homini, non utique sua culpa cecidisset. Data est propterea per adjutorium illud, sine quo non poterat perseverare si vellat, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur ut vellet. Hæc ergo potentia proxime expedita potentiori gratia confertur modo prædestinatis, per auxilium scilicet actualis perseverantiæ, sive per adjutorium quo Deus operatur in nobis velle, & perficere. Atque hoc adjutorium, & hæc expedita ab omni impedimento potentia, quibus deest, pœna peccati est. Hæc docet Augustinus de Correpe. & Grat. cap. XI. & XII. iisdem plane verbis. Ex quibus manifesto thesis nostra probatur: quippe illi negative reprobati sunt, quibus Deus non præparavit donum actualis perseverantiæ, neque conferre decrevit adjutorium, quo vividiori gratia reddatur in extremo agona potentia proxima expedita ut nulla adversitate vincatur; cujus potentiæ privatio in nobis pœna est originalis peccati: Ergo propter originale peccatum, saltem remote, reprobatur quisquis reprobatur. Atque hoc argumento mirifice confirmatur sententia, quæ repetit necessitatem gratiæ efficacis ex sola corruptione naturæ: unde illud altu silentio prætereunt, qui se Augustinianos prædicant, & in utroque statu gratiam efficacem propugnant. Sed recole quæ dicta sunt lib. IV. cap. 8. & 9. Secundo Augustinus nullam prædestinationem gratuitam admittit nisi post Adæ peccatum; nam lib. de Dono Persev. cap. XIV. Prædestinationem definit *præscientiam ac præparationem beneficiorum, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.* Ex liberatio quidem miseriam pœnamque supponit. In libro quoqua XV. de Civit. Dei cap. 21. *Ex Adamo*, inquit, *origine damnata, veluti massa una merito damnationi tradita, Deus fecit alia in contumeliam vasa iræ, alia in honorem vasa misericordiæ.* Si ergo prædestinatio supponit peccatum, illud supponit & reprobatio negativa, quæ cum sit non electio aliquorum electis aliis, fit cum prædestinationa eodem, ut inquiunt, signo & instanti. Rursus negativa reprobatione fiunt homines vasa contumeliæ, ut ex Apostolo damonstravi: Sed per Augustinum si fierent homines vasa contumeliæ sine originali peccato, esset Deus injustus & iniquus; ait enim S. Pater Epistola 106. nunc 86. *Hæc massa si esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam.* Ergo per Augustinum nemo reprobatus est negative nisi propter originala peccatum. Denique S. Pater, negantibus Pelagianis originala peccatum, fatentibus tamen pueros sine baptismate raptos a regno cœlorum excludi, propter apertissimam Evangelii sententiam, *Nisi quis renatus fuerit*, &c. telo isto hæreticos lacessit, ac reprimit: Excluduntur puerili a gloria; ergo pœnæ subjiciuntur. At Deus justus non infligit pœnam absqua culpa: culpam igitur habent aliquam infantes illi, qui ante usum rationis non expiati Baptismatis unda rapiuntur. Quod argumentum, ut satis liquet, nullum esset, si creatura rationalis ad regnum cælorum ordinata possat inde excludi absque culpa. Utitur S. Pater hoc argumento lib. III. contra Julianum cap. 3. ubi recitata Christi Sententia, *Nisi quis renatus fuerit*, &c. ait: *Verum vos excellentissimi amatores illius vitæ, quæ futura est æterna cum Christo, nullam pœnam putatis esse imaginis Dei in æternum exulare a regno Dei: cum si parvam pœnam esse diceretis, non esset hæc vox beati amatoris illius regni, sed miseri contemptoris.* Ac subinde: *Porro si quod huic sufficit caussa, parvam saltem pœnam fatemini esse, quæ magna est, ut imago Dei non sinatur intrare in regnum Dei: obsecro aperite qualescumque oculos, & videte qua justitia pœna ista infligenda sit parvulo, quem clausis oculis originali obnoxium negatis esse peccato.* Sane hæc verba nequeunt intelligi de alia pœna, quam de exclusione sola a regno Dei; quia hanc solam a regno Dei exclusionam Pelagiani concedebant in pueris non baptizatis, adeo pervicaces & impii, ut nullam in his peccati pœnam agnoscerent.

Ex dictis hæ theologicæ argumentationes petuntur. I. Reprobatio negativa est non electio aliquorum electis aliis: Non electio supponit maculam originalis peccati: Ergo hanc maculam supponit negativa reprobatio. II. Reprobatio negativa est pœna: igitur supponit culpam. III. Quamvis gloria non sit debita rationali creaturæ, quemadmodum neque illi debetur gratia, ut contra Bajum Fide Catholica profitamur; ex quo tamen Deus condiderit rationalem creaturam cum originali justitia, & cum gratia sanctificante, iniquus esset si perseverantem in gratia & nulli demerito obnoxiam a regno cælorum excluderet: Ergo ideo illam a regno excludit, quoniam acceptam justitiam deperdidit, & originali labe contabuit. IV. Ut prædestinatis gratis confertur perseverantia finalis, ita reprobis justo Dei judicio negatur: Quod careant reprobi perseverantia finali pœna est originalis peccati, cujus effectus est privatio potentiæ

expeditæ perseverandi, quam beneficio Conditoris acceperat primus homo: Igitur negativæ reprobationis motivum est macula originalis. IV. Dei constitutio, qua electis aliis plurimi reprobantur, in ordine ad electos est actus misericordiæ miserantis: Ergo in ordine ad reprobos est actus justitiæ punientis. Hæc omnia ex dictis videntur satis manifesta.

CONTRARIA ARGUMENTA REFUTANTUR.

Opp. 1. Apostolus in Epist. ad Romanos citato cap. 9. ait, Esau odio habitum fuisse, *antequam aliquid boni egisset, vel mali*; ergo independenter e præscientia cujusque peccati reprobatus est Esau. Ad hæc: ibidem Apostolus refundit reprobationis motivum unice in Dei potestatem exemplo figuli, qui ex eodem luto fingit quædam vasa in honorem, quædam in contumeliam; ideoque ex Dei voluntate, & inscrutabili judicio fit tam prædestinatio, quam reprobatio. Ulterius S. P. Augustinus lib. de Dono Perseverantiæ cap. VIII. non minus reprobationem, quam prædestinationem refert ad inscrutabilia judicia Dei, scribens: *Cur in eadem caussa me potius, quam illum puniet, aut illum potius, quam me liberabit? hoc non dico; si quæris, quare? quia in hac re sicut justa est ira ejus, ita inscrutabilia judicia ejus.* Idem docet S. Thomas lib. I. ad Annibaldum q. unica art. 3. dicens: *Voluntas, secundum quam vult Deus aliquem non salvari, non requirit aliquam rationem ex parte voliti, cum salus gloria non sit debita naturæ humanæ.* Denique hæc omnia confirmantur ratione; nam Deus est gloriæ Dominus absolutus; potest ergo illam creaturæ rationali denegare, etiamsi nullum in ea præsupponatur peccatum.

Resp. Apostolum per ea verba, *antequam aliquid boni egissent, aut mali*, excludere merita personalia, non originale peccatum, ut supra ratione, & Augustini auctoritate satis superque probavi. Refundit vero in Dei potestatem, & in judicia Dei inscrutabilia reprobationem comparative acceptam, non absolute: nempe, cum omnes homines spectent ad massam eamdem luti, sive ad humanam naturam primi hominis macula infectam, & posset Deus justo judicio universam damnare; ex ea quædam vasa honoris, quædam iræ & contumeliæ fieri constituit, sola quidem sua potestate, quia in hac re sicuti justa est ira ejus propter peccatum, ita magna est ejus misericordia propter demeritum. Eadem est sententia Augustini, eadem est D. Thomæ; qui in Epistolam ad Romanos scribit: *Deus liberam habet potestatem ex eadem massa corrupta generis humani, sicuti ex quodam luto ..... quosdam homines facere præparatos in gloriam, quosdam in miseria relictos, &c.* & Q. III. de Veritate art. 2. *In ipsa electione ratio est divina bonitas: ratio autem reprobationis peccatum originale, ut Augustinus dicit.* Quod ergo scripserat ad Annibaldum, accipiendum est de massa generis humani spectata cum originali noxa; qua præsupposita est quidem gloria beneficium indebitum, cum tamen deberetur creaturæ rationali conditæ a Deo cum originali justitia & gratia sanctificante, si in his per liberum arbitrium perseverasset. Ex quibus solvitur quoque ratio postremo loco producta.

Hæc ex dictis facile comprobantur; sed manifestius etiam explicabuntur. Reprobatio absolute, & comparative potest considerari. Absolute, si instituatur quæstio; Cur E. G. reprobatus est Cain, cur Esau, cur Judas? Comparative si quæras, cur non reprobatus Abel & reprobatus est Cain ex uno Adamo progeniti? Cur Esau, & non Jacob? Cur Judas, non Petrus? Priori ergo quæstioni absolute propositæ respondemus: Propter peccatum originale; *Ex uno quippe omnes in condemnationem non injustam judicati sunt ire, sed justam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat, qui non liberatur debitum agnoscat*, ait lib. de Dono Persev. cap. VIII. Augustinus: & pariter S. Thomas in Epist. ad Rom. *Cum omnes homines propter peccatum primi parentis damnationi nascantur obnoxii, quos Deus per suam gratiam liberat, sola misericordia liberat: & sic quibusdam est misericors quos liberat; quibusdam autem justus, quos non liberat: neutris autem iniquus.* Alteri autem quæstioni, Quare liberatus est Abel non Cain, quare Jacob non Esau, quare Petrus non Judas, si omnes ex uno homine in condemnationem justam judicati sunt ire? respondendum est cum Apostolo: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Cum Augustino eodem loco: *Cur iste assumatur, ille derelinquatur, inscrutabilia sunt judicia Dei.* Cum beato Thoma in caput VI. Joannis: *Ratio quidem in generali potest assignari, ut scilicet in his, qui non trahuntur, appareat & refulgeat ordo divinæ justitiæ; in illis autem, qui trahuntur, immensitas divinæ misericordiæ. Quare autem in speciali trahat hunc, & illum non trahat, non est ratio aliqua, nisi beneplacitum voluntatis divinæ.* Quamobrem præcedentia argumenta, & si quæ sunt his consimilia, hac distinctione solventur: Refunditur in solam potestatem, & inscrutabile judicium Dei reprobatio in particulari & comparativa accepta, concedo: considerata generaliter & absolute, id nego.

Opp. 2. Saltem in reprobis baptizatis, quibus originale peccatum remissum est, nequit tale peccatum esse reprobationis motivum; quippe Concilium Tridentinum Sess. V. de Originali Peccato hoc decretum edidit: *In renatis nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem.* Quod affirmat etiam S. P. Aug. lib. I. ad Bonifac. cap. X.

Perdifficile est hoc argumentum, quo plures permoti a sententia Augustini recesserunt, ejus verba a nobis perversa intelligentia accipi autumantes, cum iidem profecto minime fuerint assecuti. Nequeunt enim percipere, quomodo originale peccatum remittatur, & nihil in renatis remaneat damnationis, & tamen illud caussa sit reprobationis negativæ omnium damnatorum. Advertendum tamen iis erat, hanc eamdem esse secundam apud Prosperum objectionem Gallorum, qui Augustinianam doctrinam sugillabant, quasi ex ea consequatur, *quod ab his, qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat baptismi gratia originale peccatum:* Cui tamen objectioni neque Prosper, neque quispiam alius Augustinianæ sententiæ vindex respondit S. Augustinum de baptizatis minime esse locutum. Neque hæc ullatenus poterant respondere, utpote qui bene noverant odisse Deum juxta Augustinum *in* Esau originale peccatum, cui procuidubio per circumcisionem remissum fuerat. Quomodo ergo ex hoc evadendum est labyrintho? Non quidem filo quorumdam, qui respondent peccatum originale remitti, quatenus est peccatum personæ, non quatenus est peccatum naturæ. Non est adeo perspicax ingeniolum nostrum, ut hæc tam speciose dicta assequatur: quippe non flocci facienda videntur quæ adversarii reponunt, peccatum originale dici peccatum naturæ, quia contrahitur nascendo: personam vero, ac naturam in hoc tantum differre, quod illa est natura ipsa per se incommunicabiliter existens: irrationabiliter dici remanere infectam in individuo naturam dum persona renascitur: separari non posse nequitiam & damnationem unius ab altera: non esse denique verum, quod nihil damnationis remanet in renatis, si remanet natura ipsa damnata; & alia hujusmodi, in quibus, si virorum illorum premantur vestigia, vereor ne adhuc in labyrintho versemur.

Itaque recurrendum est ad statuta supra Augustiniana principia. Diximus ex originali peccato non solum consequi privationem gratiæ sanctificantis, sed etiam privationem potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum, quæ tollitur per auxilium *quo*, necessarium in præsentis agonis statu, ubi caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem; non quod sine tali auxilio non detur potentia, & facultas liberi arbitrii, quæ stat, ut alibi demonstrabimus, etiam sub minima gratia; sed quia non viget amplius hujus arbitrii sanitas, quam primi peccati granditate perdidimus, & quam perficit medicinalis gratiæ Christi faciens ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati. Non opus est eadem repetere iis, qui Augustini libros de Gratia, & Perseverantiæ dono legerunt. Qui ergo non baptizantur, a regno cælorum proxime excluduntur propter peccatum originale, quatenus sequitur inde privatio justitiæ, & gratiæ sanctificantis. At qui baptismatis gratiam perceperunt, reprobantur propter originale peccatum remote, quatenus non datur eis donum perseverantiæ, & potentia proxime expedita per speciale illud adjutorium, quo Deus in homine operatur ut velit. Hæc Augustinus: hæc Patres Africani in Sardinia exules: hæc Magnus Gregorius apud Norisium, quem vide citato loco Vindiciarum.

Nunc vero ad argumentum respondeo: Concilium Tridentinum definit in renatis nihil remanere damnationis, id est, deleri penitus peccati maculam, tolli privationem sanctitatis & justitiæ, infundi habitum gratiæ sanctificantis, non vero, ut impii putant heretici, originalem labem non imputari, tegique, aut radi duntaxat; concedo. Definit Tridentinum ita nihil remanere damnationis, ut in singulis, qui renascuntur, sanetur vulnus concupiscentiæ, caro amplius non concupiscat adversus spiritum, reddatur libertas illa vegetior, quam habuit Adam, aut ne succumbat, conferatur unicuique adjutorium, *quo*, & donum actualis perseverantiæ; nego. Sacrosancta enim Synodus eodem loco declarat, *Manere in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem: quam concupiscentiam aliquando Apostolus peccatum appellat, non quod vere & proprie peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Et Sess. VI. Can. 22. definit *justificatum sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare non posse.*

Dices: Deus remittens culpæ reatum, remittit etiam pœnam peccati: Baptizatis remittitur culpæ reatus: Ergo baptizatis remittitur pœna peccati.

Resp. dist. majorem: Remittit etiam pœnam peccati, id est, omne debitum proxime & immediate connexum cum ipsa culpa, concedo; connexum remote tantum & *radicaliter*; nego. Exclusio a gloria est proxime connexa cum reatu peccati, & remote connexa cum privatione potentiæ proxime expeditæ, sive specialis auxilii actualis perseverantiæ, quæ privatio est pœna peccati. Qui ergo percipit baptismi gratiam, nequit proxime damnari propter originale peccatum, quoniam reatu hujus peccati caret, & nihil remanet in eo damnationis: damnantur tamen ob originale peccatum remote, quia, ut Africani Patres loquuntur in Epist. Synodica cap. 7. *Per nequitiam cordis*

(impius)

(impius) *in hominis terreni vetustate permanet, illius ibi judicio derelictus, qui gratis, justeque damnat.*

Insurges; Adam in statu innocentiæ caruit dono perseverantiæ, & adjutorio *quo*: neque tamen illo privatus est propter originale peccatum. Falsum est ergo denegare Deum donum actualis perseverantiæ in pœnam peccati Adæ.

Resp. nego conseq. Nam Adam nulla origine vitiata, nulla putredine nequitiæ compactus non opus habebat hoc adjutorio: eique fortissimo permisit Deus facere quod vellet, suffulto gratia, sine qua perseverare non posset, non qua actu fieret perseverans. Tali enim gratia felix ille homo nulla pugna lacessitus minime egebat. Nunc vero ad elationem reprimendam tumoremque superbiæ opus est amplioris gratiæ virtute, quam Deus aliquibus misericorditer elargitur, aliquibus juste denegat, ne sibi ipsi humana fidat infirmitas, & gratiam agnoscat in iis, qui liberantur, in iis vero, qui derelinquuntur debitum ac judicium. Legite Augustinum de Corrept. & Grat. cap. XII.

Opp. 3. Non datur caussa prædestinationis: Ergo nec reprobationis.

Resp. nego consequentiam; ut enim docet S. Pater lib. III. contra Julianum cap. 18. *Bonus est Deus, justus est Deus. Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine meritis damnare, quia justus est.* Ideoque *quærimus caussam prædestinationis, & invenire non possumus: quærimus caussam derelictionis, & invenimus eam caussam esse peccatum originale*: ait idem Augustinus in Epist. ad Sixtum. At de his supra.

Opp. ultimo: Nonnulli Theologi hanc sententiam comparant refutato superiori Capite dogmati Calviniano.

Resp. Iniquum esse horum Theologorum judicium, & non solum fulgidissimum Ecclesiæ lumen Augustinum, verum etiam cujusque ordinis Scriptores præclarissimos hac objectione irreverenter, & maxima sine pudore nequitia vexari. Inter Augustinianam, & Calvinianam sententiam prima ratio discriminis intercedit; quod Calvinus reprobationis primariam caussam non peccatum constituit, sed absolutam Dei voluntatem: Augustinus contra neminem sine malo ejus merito docet reprobari. Deinde Calvinus asseruit homines ad interitum violenter impelli: at Augustinus, voluntate sua cadere qui cadit, & adjutorio gratiæ stare qui stat. Calvinus præterea, radi tantum, sed non remitti in baptizatis peccatum originis, ideoque proximam in his damnationis caussam manere: Augustinus, percepta baptismi gratia originalem maculam prorsus abstergi, & remanere concupiscentiam ad agonem, caussam damnationis remotam. Ad hæc Calvinus in ipsa concupiscentia peccati originalis statuit naturam: Augustinus autem in macula reatus, quam penitus delet baptisma. Calvinus denique nulli reprobo fidem veramque justitiam concedit: & Augustinus reproborum plurimos & credere & justificari fatetur, licet in accepta justitia non perseverent finaliter. Perperam ergo nebulones offundunt tenebras splendidissimo nomini Augustini,

Quem Christi gratia cornu
Uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo.

Inquit Prosper cap. 2. Carm. contra Ingratos.

CAPUT XIX.

Absolvitur liber sextus nonnullis circa Reprobationem impiorum adnotationibus.

PAUCIS hoc postremum Caput expediam quibusdam propositis, quæ ex dictis facillime percipiuntur. Ac nonnulla de Reprobationis effectibus, quædam de reproborum numero, ac via perditionis brevissime recensebo.

De reprobationis effectibus hæc occurrunt. Primo, cum Deus neminem ad peccatum compellat, neque sit efficiens caussa malorum culpæ, nullum peccatum divinæ reprobationis effectus est, sed potius caussa. Definit enim Valentinum Concilium Can. 3. *In damnatione meritum malum præcedere justum judicium Dei.* Et quidem originalis culpæ præscientia hominum reprobationem non sequitur, sed antevertit. Alia peccata non efficiuntur Dei prædeterminatione, sed ex voluntatis malitia, neque decretum aliud supponunt, nisi permissivum. Sunt vero peccata reprobationis caussa diverso modo; Originale reprobationis negativæ sensu quæstione præcedenti explicato: & peccatum, quod cum morte conjungitur, qualecunque illud sit, reprobationis positivæ, & interitus sempiterni. Sed in Angelis, qui non sunt ex vitiata massa producti, fuit reprobationis motivum actuale peccatum.

Erunt ergo reprobationis effectus permissio actualium peccatorum, & justa denegatio supernaturalium auxiliorum, non quidem omnium, sed eorum, quæ efficaciter ad gloriam perducunt, quorum non sunt vasa iræ, filiique perditionis participes. Deus enim prævidendo aliquorum peccata decernit impios æterna pœna punire, statuitque eadem peccata non impedire speciali gratiæ adjutorio, relinquens hominem in manu consilii sui, eumque obdurans & excæcans subtrahendo gratiam, non impertiendo malitiam: ad malum quippe sufficit se sola creata voluntas, imo & inclinatur perduelli concupiscentia, quæ est pœna peccati; neque vincitur nisi contraria delectatione justitiæ. Quamobrem subtrahente Deo auxilium victricis gratiæ, sequitur voluntarium peccatum, & obduratio impiorum: cujus permissio, non efficientia, erit Deo tribuenda. Non sunt tamen effectus reprobationis, sive originale peccatum, sive actuale Angelorum; quoniam ea quidem permisit; sed neque homini, neque Angelis, priusquam caderent, subtraxit Deus aliquod auxilium necessarium ad perseverandum: gratia enim efficaci, quam utique non habuerunt, non egebat rationalis creatura in illo felicitatis statu. Horum ergo peccatorum permissio non attinet ad voluntatem prædestinantem, aut reprobantem, sed ad conditionatam antecedentem, qua voluit Deus ostendere quid posset liberum arbitrium absque prædeterminantis gratiæ adjutorio.

Quæ ergo diximus Cap. XII. de effectibus prædestinationis, sunt de reprobatione servato utriusque ordine confirmanda; ita ut reprobationis sit effectus quidquid est a Deo reprobante, & ad æternam damnationem perducit ex Dei intentione. Unde neque natura reprobi, neque liberum arbitrium, neque cujuspiam generis facultates inter effectus reprobationis sunt numeranda, cum non hæc largiatur Deus creaturis, ut pereant: quemadmodum effectus reprobationis non sunt sive inclinatio ad malum, sive culpa, sive arbitrii perversitas, quoniam hæc non sunt a Deo efficienter. Igitur effectus reprobationis erunt permissio peccati, quod nunquam dimittitur; justa denegatio doni perseverantiæ; excæcatio & induratio, quatenus idem sunt ac debita hominis impii derelictio, & misericordiæ subtractio, non prout sunt humani cordis singularis inertia ac nequitia: supplicium denique sempiternum, quo Deus juste punit quod ipse non fecit. Si autem quæras, quomodo permissio peccati, quod nunquam dimittitur, sit effectus reprobationis, & nihilominus ipsum peccatum sit caussa damnationis, atque ad illam præsupponatur; jam dictum est permissionem illam esse effectum reprobationis negativæ, ob quam denegatur gratia finalis perseverantiæ, & peccatum cum morte conjunctum esse caussam reprobationis positivæ, atque sempiterni supplicii. Eo pacto donum finalis perseverantiæ effectus est gratuitæ prædestinationis, & perseverantia ipsa est caussa glorificationis ac perennis felicitatis. Nihil est ergo in ea, quam propugnamus sententia, imperceptibile, vel repugnans.

Numerus reproborum quantus sit, ille solus comprehendit, cui noti sunt, qui permaneant ad coronam, & qui permaneant ad flammam: neque alius potest, quam Judex, plectendos pœna discernere. Majorem tamen esse reproborum, quam prædestinatorum numerum diximus cap. sexto decimo: quod nos humiliores ac timidiores reddere debet, quemadmodum eo loco monuimus.

Scala denique perditionis his gradibus constat. Primo reprobus leviora peccata contemnit, iisque super capillos capitis sui multiplicatis, torpescit paullatim, & derelinquit illum cor ejus, crescit profusa & effrenata cupiditas, flaccescit orationis studium, ac sensuum custodia, atque a scintilla una augetur ignis, & qui minora spernit in majora prolabitur. Dein contrahitur macula mortalis culpæ, quam sequitur individua comes mors animæ, recedente ab ea cum gratia sanctitatis Deo vita spiritualis cujusque substantiæ. Descendit tamquam tertio gradu impius in peccandi consuetudinem, qua, veluti catena quadam constringitur, adeoque gravatur, ut nequaquam surgat ad pœnitentiam. Hinc delabitur in mentis excæcationem: impius enim, cum in profundum venerit, non intelligit, rationem obscurante fascinatione nugacitatis; atque ita excæcatur ne videat & non intelligat corde: fitque, ut descendenti per subterraneos gradus corporaliter evenit, via illius tenebræ & lubricum. Profundior tum, ac deterior succedit gressus, id est, cordis obduratio, maloque inhærens animi pertinacia; de qua Apostolus ad Rom. II. 5. *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei*; & Eccl. III. 27. *Cor durum habebit male in novissimo*. Si quis nostrum (quod Deus avertat) per hos perditionis gradus progreditur, pedem tandem retrahat: clamet de profundis ad Dominum, quia apud illum misericordia, & copiosa apud eum redemptio: revertatur a via sua mala: ne tardet converti ad Dominum, & ne differat de die in diem: apprehendat disciplinam, ne quando irascatur Deus, & pereat de via justa: speret in eo, qui coronat in misericordia & miserationibus; timeat de seipso, Deus enim non *implanavit* peccatores, neque necessarii sunt ei homines impii. Utinam hujus libri assidua lectio, Deo prædestinante ac præmovente, illud præstet, ut nemo desperet, nemo intumescat.

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER SEPTIMUS,

In quo adversus hæreticos pro fide individuæ Trinitatis pugnatur.



DE ELECTORUM ac Reproborum sorte, quæ videbantur necessaria, fuerunt superiori libro absoluta. Sequitur, ut de altissimo Trinitatis mysterio, quod Catholicæ Fidei fundamentum est, dicere instituamus. Ut vero in rerum amplitudine ac varietate, missis iis, quæ absque delectu discuti consueverunt, & harum loco collocatis utilioribus, aliqua a nobis methodus teneatur, in qua suum quæque locum servare valeant; tres libros de hoc uno argumento duximus conscribendos. Erit primus Polemicus, eoque adversus Judæos, Samosatenianos, Fratres Polonos, Arianos, Græcosque a Romanæ Ecclesiæ communione sejunctos, divinarum Personarum pluralitatem, divinitatem Filii ac Spiritus Sancti, necnon hujus a Patre, Filioque originem vindicabimus. Alter erit Apologeticus; atque in eo Antenicænorum Patrum doctrina, ac Liberii Papæ, aliorumque fides ad rectam crisin dilucide revocabitur. In postremo, qui Scholasticus erit, quæstiones ceteras, quæ aut ad humanæ rationis normam exiguntur, aut in utramque partem, salva fide, agitantur, erunt breviter resolvendæ. Atque ita fiet, ut neque a Scholarum recedamus consuetudine, neque validiores hæreticorum impetus declinemus.

Hæresim ergo principio refutandam aggredimur longe lateque serpentem; nam præter Judæos a divinitate Personas eliminarunt innumeri propemodum Heterodoxi. In unius Personæ angustias Trinitatem coarctare Montanistas, genus perditissimorum hominum secundo Ecclesiæ sæculo exortum, scribit in Epistola ad Marcellam Hieronymus. Proximo sæculo Noetus, deinde Sabellius blasphemarunt eumdem esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & in veteri Testamento dedisse legem, in novo in hominum similitudine, & in linguis igneis apparuisse; quod de seipso pridem dixerat Simon Magus, auctoribus Irenæo, & Augustino. Marcellus quoque ac Photinus, post Paulum Samosatenum, Deum singularem ac solitariam personam dixerunt, ac Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum nomine solo distinctos. His quarto vertente sæculo adhæsit Priscillianus Episcopus Abulensis, ut affirmant Hær. lxx. Augustinus, & Leo Magnus Epistola tertia & nonagesima. At Theodorus Mopsuestenus & Nestorius, ut habetur in Œcumenica v. Synodo quaternitatem pro Trinitate dogmatizarunt: ob quam execrandam horrendissimamque blasphemiam Anastasius Imperator anno 518. fulmine ictus interiit. Mahomet etiam Pseudopropheta Saracenorum, qui eo appellantur nomine a *Saraca* Arabum civitate, septimo Christiani nominis sæculo solum binarium numerum in divinitate constituit, ipsam scilicet divinam essentiam, ejusque Animam. Subsecutus est circa annum 1531. omnium hominum impudentissimus Michael Servetus, qui præexcelsum Trinitatis mysterium *Tricipitem Cerberum*, ejusque Cultores *Tritheitas* dicere non erubuit, combustus postea Genevæ urgente Calvino, & impio diaboli ministro impiissimum condemnante. Subscripsere Serveto Valentinus Gentilis, Bernardinus Ochinus, Lambertus Danæus, aliique dicti a recessu Transilvani, Franciscus David Polonus, Nathanael Elianus, Christianus Francus Cracoviensis, Theodosius Schimbergius, & alii innumeri. Adde Socinianos recentiores Crellium, Wolzogenium, aliosque Polonos: qui a Lælio & Fausto Senensibus civibus sectæ nomen acceperunt; nam hi patria pietatis ac sapientiæ Emporio deserta, in Poloniam ac Transilvaniam sese recipientes una cum his, quos memoravi, hæresim inter rudiores efferosque populos propagarunt. Atque his connumerandi sunt hæretici, qui divinam substantiam dividere ausi sunt, ut Manichæi, quos refutavimus priori libro, & Ariani, atque Macedoniani inferius exagitandi. Consilium namque est primum Trinitatem divinarum Personarum, deinde singularum divinitatem adversus Impugnatores comprobare: quod divino implorato Numine facere instituimus.

CAPUT PRIMUM.

Trinitatem divinarum Personarum ex veteri Testamento adversus Judæos, hæreticosque probari.

QUAMQUAM Deus Hebraico popolo Trinitatis arcanum principio apertissime revelare opportunum minime existimavit; illud tamen altissima divinarum Scripturarum significatione censuit esse præcontinendum: ut fideles, qui Christo nomen dedissent, si novitatis suorum dogmatum arguerentur, Judæorum eluderent cavillationes. Hebræis autem duplicem ob caussam noluit tantum aperire mysterium; & ne in cultum idolorum proni Deorum suspicarentur pluralitatem: atque ut gradatim, & quasi per incrementa altissimarum rerum cognitione humana fragilitas imbueretur. Harum caussarum primam affert in Orat. de Moyse Basilius Seleuc. & Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist. Ep. 143. alteram magnus Augustinus in Quæst. vet. Testam. cap. 86. Hinc paullatim Sacrosancta Trinitas nobis innotuit: & in libris Mosis unitas divinitatis specialiter prædicata est: in Prophetis Dei Verbum annuntiatum, & Personarum binatius diligentius commendatus: Trinitas denique in nova lege evidentissime demonstrata. At quoniam superno accedente lumine, & Christi divinissimo Magisterio plura apparent in sacris Libris, quæ olim sub cortice literarum latebant; observarunt Patres ac Theologi, in veteri quoque Testamentu Trinitatis deprehendi vestigia; quæ data opera hoc loco erunt producenda.

Momentum I. ex versu primo Geneseos.

In principio creavit Deus cœlum & terram, qui Hebraice legitur: ברשית ברא אלהים השמים ואת־הארץ

Hoc primum momentum, quod innititur vocabulo *Elohim* אלהים pluralis terminationis conjuncto cum verbo *creavit* ברא numeri singularis, in gratiam Scholasticorum, qui eo usi sunt, nisi invictissimum, probabile quidem adversus morosos criticos arbitramur. Advertendum est autem, nos nequaquam asserere nomen אלהים significare Personas, ut quidam falso dixerunt; nam cum designet supremum Dominum dignum adoratione, ut diximus lib. 11. cap. 1. revera divinitatem significat, vel aliquid Deo, tanquam uni, tribuendum. Neque asserimus notari eo nomine triplicem gradum divinitatis, quod Arianum esset, atque Macedonianum; neque esse admittendos tres *Elohim*, ut ludit in dissertatione de hoc nomine Zanchius Socinianus: sed affirmamus in plurali illius nominis terminatione latere mysterium, neque phrasim esse Hebraicam, uti contendunt complures, pluralis numeri nomen cum verbo struere numeri singularis.

Ergo ita ex eo textu ratiocinamur. Cum Trinitatis opera *ad extra* inseparabilia sint, & producantur per omnipotentiam, quæ una cum substantia in tribus Personis est eadem, ad hanc significandam unitatem sapientissimus legislator Moses unius numeri verbum apposuit, idest ברא, *Creavit*. Cum vero in eadem essentia tres subsistant hypostases, pluralis numeri vocabulum usurpavit אלהים *Elohim*, cum in prompta esset singulare *Eloha* אלוה, aut tetragrammaton יהוה, aut quodpiam aliud ex recensitis 11. lib. cap. 1. Non enim id exigit, ut plures putant, Hebraicæ linguæ syntaxis, neque Hebræi plurali numero utuntur honoris caussa. Innuitur ergo eo loco divinarum pluralitas Personarum.

Quod id non exigat Hebraica phrasis, ostenditur. Nam etiamsi in sacris libris sæpe plurale nomen cum verbo nectitur singulari, ut observavit quoque Hieronymus: non est phrasis, quam postulet linguæ proprietas, sed in qua aliquid latet significationis. Etenim in Berescith Ketana legitur: *Nisi hic sermo scriptus fuisset, non licuisset dicere, Creavit Elohim*. Habet consimilia Rab. Moyses Hadar, & alii apud Galatinum lib. 2. cap. ix. Ex Hebræorum ergo antiquiorum confessione non phraseos natura est, sed occultæ significationis arcanum terminatio ista pluralis. Deinde etiamsi id evenisset alicubi, ut apud Hebræos non semper nomina & verba casus similitudine copularentur; ea tamen

men est divinarum literarum œconomia, ut ubicunque plurali numero de Deo nomen אלהים usurpatur, ne Pagani possint Judæis opponere in bonum quoque libris multitudinem contineri Deorum, & ne ipsi Judæi idololatriæ sumant inde occasionem, e vestigio remedium apponitur, ut advertit Rab. Joannan. Sic ubi in Genesi legitur, *Faciamus hominem*, ne possint Polythei plures Deos suspicari, subditur: *Et creavit Deus hominem*. Genes. xi. dicitur: *Descendamus & confundamus linguam eorum*, & post hæc: *Descendit Dominus*. Cap. xxxv. scriptum est, *Apparuerunt Dii*, & statim: *Fac ibi altare Deo, qui apparuit tibi*. Jerem. xxiii. *Pervertisti verba Deorum viventium*, & protinus: *verba Domini exercituum*. Ergo propter hanc eamdem Œconomiam, & non ex hebraica phrasi, ne ex numero plurali Elohim inferri possit multitudo Deorum, verbum additum est singulare. Postremo quod prætatum nomen aliquem numerum ratione terminationis insinuet, arguitur etiam, cum verbis pluralis numeri connectatur, ut 2. Regum cap. vii. *Iverunt Dii*, Genes. xxxv. *apparuerunt Dii*, & xxv. *Abduxerunt me Dii*, aliisque in locis, ubi nostra Vulgata habet Dei nomen singulari numero expressum.

Neque Hebræi juxta familiarem Europæorum consuetudinem caussa honoris nomen pluraliter efferunt. Nunquam enim legimus e plebe infimos primoribus salutem dicere, אלהים עמכם יהי *Vobiscum Dominus*, sed ajunt semper, יהי עמך. Nec mulier Tekoitis 2. Regum cap. xiv. ita Regem allocuta est הושיעו המלך *Servate me, o Rex*: sed הושיעה *serva*, inquit; idque constat ex toto Bibliorum Sacrorum volumine etiam ubi summus Deus, vel imperans, vel jubens ad homines loquitur.

Præter vocabulum Elohim, addo priorem vocem, בראשית *In principio*: quam nonnulli antiquiores legerunt, *In Filio*: ut Auctor libri, qui inscribitur, *Altercatio Jasonis, & Papisci*, quem scriptum nonnulli dixerunt a Jasone Thessalonicensi, cujus meminit Paulus in Epist. ad Romanos cap. 16. Hunc autem librum summopere commendat in iv. adversus Celsum Origenes. Ita legit quoque Tertullianus cap. contra Hermogenem xx. neque videtur dissentire Chaldaicus Paraphrastes, qui vertit: *In sapientia sua*. Hieronymus tamen principio Quæstionum in Genes. videtur hanc lectionem rejicere: quod revera hebraicum בראשית significet *In principio*. Verum quod affirmat Hieronymus de grammaticali literarum sensu, possumus rectissime accipere de Theologico. Scribit enim S. P. Augustinus in Q. ad Dulcitium viii. *Trinitas insinuatur Creatoris, dicente Scriptura: In principio fecit Deus cælum & terram*. Et caussam afferens, ait: *Intelligimus Patrem in Dei nomine, & Filium in principii nomine: qui non Patris, sed per seipsum creatæ primitus, ac potissimum spiritualis creaturæ, & consequenter etiam universæ creaturæ principium est*. Quare non est prorsus rejicienda lectio illa Jasonis: *In filio creavit Deus cælum & terram*.

Ingeniosa est observatio Pici Mirandulani, qui in fine Heptapli Cabbala prætatam lectionem nititur comprobare. Facta enim literarum partitione, priores tres ברא significant, *Creavit*: אב *Patrem*: בר *filium*, sola ב, *in*: unde habes, *Creavit Pater in Filio*. Alii Patrem innuunt in litera א, Filium in ב, ac Spiritum Sanctum in ר, quæ sunt prima elementa nominum אב, בן, רוח. At hæc solos Judæos urgent, qui hanc interpretandi rationem plus æquo sectantur.

PELLUNTUR CRITICORUM, ET GRAMMATICORUM OBJECTA.

Opp. 1. Ex primo Geneseos versu probari pluralitatem divinarum personarum negant viri in hebraica lingua doctissimi, idque probat Bellarminus lib. 2. de Christo cap. vii. exemplis clarissimis, quibus ex hebraicæ linguæ proprietate pluralis numerus pro singulari adhibetur. Etenim Genes. xxiv. 9. ubi legimus: *Posuit manum suam super femur Abraham Domini sui*, habet hebraicus codex plurale nomen אדוניו, *Dominorum suorum*. Item Exodi xx. 3. ubi Vulgata nostra legit: *Non habebis Deos alienos*: habent Hebræi לא יהיה לך אלהים אחרים *Non erit tibi Dii alieni*. Rursus falsum est nomen *Elohim* tantum cum singulari verbo conjungi, nam 2. Regum cap. vii. ut diximus, habetur: הלכו אלהים. *Iverunt Dii*; quibus similia plura alibi reperiuntur. Præterea nullus hactenus ea verba: ברא אלהים vertit, *Creaverunt Dii*; fecissent autem, si nomen illud pluralem significationem haberet. Denique si in vocabulo illo pluralitas personarum lateret, essent in divinis Scripturis contradictiones apertissimæ: ubi enim legimus Deum esse unum, sensus esset, Deus est unus, & non est unus. Hæc Bellarminus.

Resp. Longe plures etiam in hebraica lingua doctissimos in hoc Genesis loco mysterium animadvertere, ut Hebræi, quos memoravi, inter suos antiquissimi, & ex Scholasticis Magister Sententiarum, S. Thomas, Alphonsus Vivaldus, Franciscus Arretinus, Catharinus, &c. Item nobilissimi Sacrarum Scripturarum Interpretes Augustinus Steuchus, Lyranus, Paulus Burgensis, Joannes De la Haje, alii. Addo hæreticos homines saltem ob linguæ Sanctæ peritiam valde celebres, Ludovicum Cappellum in Diatriba de nomine Elohim, Salomonem Glassium lib. iii. Gram. Can. xxv. Alstedium Calvinianum in Lex. Theolog. cap. 3. Meisnerum Phil. Sobr. p. ii. & alios, qui cum Catholicis adversus Socinianos pugnarunt. Nec refert Aben-Hezram in Comment. nullum in voce *Elohim* agnovisse mysterium, & ad hebraicam phrasim confugisse: quoniam id fecit hominis ignorantia, & divinorum arcanorum incomprehensibilis altitudo.

Itaque ad primum Bellarmini argumentum dicimus 1. *Jod* non significare semper pluralitatem, sed poni sæpenumero ad distinguendum affixum pronominis, ut in his vocibus רגליו: את דבריו, quæ significant *pedem ejus*, *verbum ejus*, non *pedes*, non *verba*: quare in nomine אדוניו litera *Jod*, cum sequatur suffixum, non est nota pluralis numeri, sed pronominis; quemadmodum aliquando est signum regiminis, ut Gen. xlii. 30. *Dominus terræ*, אדוני־הארץ. Quibus in locis *Jod* a Grammaticis dicitur *Redundans*. Dicimus 2. quod licet ex proprietate linguæ Sanctæ nomina appellativa, quale est *Adonai*, numero plurali pro singulari efferantur, id locum minime habet in voce aliqua primitiva, qualem esse vocabulum *Elohim* demonstrant etiam hæretici Amama, & Glassius. Tertio reponimus in sacris Bibliis, ubi habetur sermo de Deo, etiam phraseos abjici consuetudinem; & si aliqua de Deo pluraliter enunciantur, statim singulariter repeti, ne plurium Deorum exoriatur suspicio. Quamobrem additur *Elohim* singulare verbum caussa hujus œconomiæ, non proprietate sermonis. Cap. vero Exodi xx. *Elohim* enunciatur de Diis Gentium, qui cum plures sint, consulto numero efferuntur plurali: ac verbum minori numero ponitur, *Non erit*, quod plures illi Dii non sint adorandi cultu illo, atque honore, qui debetur Deo unico, ac summo. Regum 2. cap. vii. tam verbo הלכו *Iverunt*, quam nomine אלהים *Dii* personarum significatur distinctio: neque ex plurali verbo *Iverunt* Deorum inferri potest pluralitas, nam subditur caute aliud verbum singulare לפדות־לו *ut redimeret sibi*, ut intelligatur de uno Deo haberi sermonem. Quæ unitas etiam manifestius colligitur ex verbis sequentibus מפני עמך אשר פדית לך ממצרים *A facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto*: ubi vides, & singulare verbum, & singulare pronomen. Ad ultimum Bellarmini argumentum facilis est responsio; nam hoc nomen *Deus* usurpatur a Latinis ad significandam substantiam, & consequenter nullus vertit unquam *Creaverunt Dii*. Quæ versio esset sane perversa, dicente Hieremia cap. x. 11. de Diis Gentium: *Dii cælum & terram non fecerunt*.

Opp. 2. Bellarmini argumenta aliis innumeris firmari possunt exemplis. Etenim ea vox hebraica בעלים quæ *Dominos*, ac *possessores* significat, passim de uno idolo, de uno homine effertur. Evenit idem de nomine אדנים, quod Esaiæ xix. 4. cum singulari adjectivo copulatum est, *Dominorum fortis* אדנים קשה. Nomen Dei אלהים, etiam de unico idolo enunciatur pluraliter in Exodo, ubi vitulus aureus appellatur אלהי זהב, de uno Moyse, quem Deus constituit, אלהים לפרעה *Elohim Pharaonis*; De uno Samuele, de quo clamavit Pythonissa, Vidi אלהים: de una Arca fœderis, quæ 1. Regum cap. 4. dicitur בא אלהים. Aqua etiam, cum una sit, vocatur מים: & in xxxvi. Ezech. ubi legimus *Aquam mundam*, habent Hebræi plurale, מים טהורים. His ergo exemplis constat, esse linguæ Sanctæ idiotismum, quotiescunque pluralis numerus usurpatur pro singulari.

Resp. nego ant. Atque ad 1. Exemplum, dico nunquam legi in Scripturis בעלים, nisi cum de falsis Diis accipitur, qui cum plures sint, nihil mirum, si plurali legatur terminatione. In singulari habetur duntaxat, ubi additur nomen unius Idoli, ut Judicum viii. 33. & Num. xxv. 3. de Idolis *Baal*, & *Beelphegor*. Quum enunciatur de hominibus, & significat rei possessores, additur ei genitivus, ibique, ut supra dictum est, *Jod* redundat; aut non ponitur absolute pro uno Domino singulari, sed indefinite pro omnibus, ut Esaiæ cap. 1. 3. Ad alterum exemplum respondet Cappellus קשה esse nomen substantivum, quo significatur *durities*: neque Hebræis inusitatum est substantivum pro adjectivo locare, & dicere E. G. *Dominos duritiei* pro *Dominos duros*. Sed verior est responsio, adjectivum singulare additum plurali significare apud Hebræos distributionem singulorum. Sic cap. præc. xvi. 8. ubi legimus, *Suburbana Hesebon deserta sunt*, habent Hebræi, אמלל שדמות *Arva desertum est*: scilicet, *quodcunque arvum*. Gen. xlvii. 3. ubi nostra vulgata ait: *Pastores ovium sumus servi tui*, רעה *Pastor* Hebræi legunt, idest *Pastor unusquisque*. Itaque singulare adjectivum קשה *durus* additum plurali אדנים *Domini* partitionem demonstrat, prædicitque Ægyptiorum Reges singulos futuros esse crudeles. Unde recte Vulgata: *Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium*. At nomen אלהים de uno dicitur vitulo, propterea quod erectus fuit in cultum plurium Deorum, qui ab Ægyptiis adorabantur, atque loco Unius, Trinique Numinis substitutus. Hoc nomine nedum Moses ac Samuel, sed Reges singuli, Judices, ac Magistratus sunt appellati, quod hi omnes referant Dei majestatem, gerantque vicem ipsius. Arca quoque præsentiæ summi Dei erat symbolum singulare. Aquæ demum, cum duo illarum sint genera, superiorum,

qua-

quales sunt imbres, & inferiorum, quales sunt lacustres & fluviatiles, מים appellantur.

Opp. 3. Manue Judicum XIII. viderat unum Angelum; & tamen v. 22. dixit ad uxorem suam, *Morte moriemur quia vidimus Elohim*.

Resp. Angelum, qui apparuit Manue, vocari אלהים, quoniam Dei præferebat personam. Quod satis liquet; nam v. 18. ait: *Cur quæris nomen meum, quod est Mirabile?* Unde Manue hœdum obtulit & libamenta Domino, qui facit mirabilia; ibid. v. 19. Aut fortasse credidit sibi Deum ipsum apparuisse; & ideo ait: *Morte moriemur, quia vidimus Deum*. Memor quippe erat dictum fuisse Moysi Ex. XXXIII. 20. *Non enim videbit me homo, & vivet*.

Op. 4. In Hebraica, Ismaelitica, & Arabica lingua quælibet res eximiæ honoris caussa plurali numero designantur. Ergo nomine plurali Elohim, non plurium numerus Personarum, sed unius Dei exprimitur altitudo. Ita ratiocinatur lib. 2. de Trinit. cap. VII. Petavius. Adde scortum honoris caussa ita Salomonem allocutum 3. Reg. III. 26. *Obsecro Domine, date illi infantem, & nolite occidere eum*.

Resp. Rationem illam usurpati pluralis numeri, quam ex Aben Hezra Petavius commemorat, scilicet gratia honoris ac dignitatis, ut ipse fatetur, viris quibusdam Eruditis nimis dilutam insulsamque videri. Profert duntaxat exempla duorum nominum בעלים, & אדנים, quæ ad rem non esse jam diximus. Ac dato in his tale linguæ detegi idiotismum; non proinde accidit idem in אלהים; quum illa appellativa sint, istud primitivum. Accedit œconomia Scripturarum ubi de vero loquuntur Deo, quam supra innuebamus. Pluralem numerum quandoque significare magnitudinem atque excellentiam etiam in Hebraica lingua multiplici caussa contingit, quam expendit Glassius lib. III. Tract. de Nomine Can. XXXIV. Sed fieri id in vocibus primitivis ad exprimendam dignitatem personæ, falsum est penitus. Etiamsi id fieret; non junguntur tamen ex linguæ proprietate singularia verba nominibus pluralis numeri, nisi ob aliquam significationem, ut vidimus exemplis præcedentium objectionum. Verba scorti ad Salomonem nullam exprimunt pluralitate numeri reverentiam, sed ea simul compellant Regem, & lictorem tenentem gladium. Addo Verbum activum plurale usurpari in lingua Sancta pro impersonali singulari, & imperativum pro subjunctivo, ut docent Grammatici. De his Cappellus in Diatriba de tribus *Elohim*. Profecto si plurale honoris esset characteristicum, a Deo ferente legem fuisset adhibitum: neque citato loco Salomon dixisset lictori: *Date huic infantem vivum*.

Opp. ult. Divinæ Personæ, ut constat ex Symbolo, quod tribuitur Athanasio, Catholice appellari nequeunt Domini, vel Dii, sed debent dici unus Deus, unus Dominus: Atqui nomen *Elohim* significat Deum, vel Dominum: Ergo vel erit nomen singulare, vel error in Sacris Bibliis irrepsit. Falsum est igitur in I. versu Geneseos nomen plurale cum verbo singulari conjungi. Ita arguit Cajetanus initio Com. in Genesim.

Respondet Catharinus in IV. Adnot. libro Cajetani sententiam Judaicam esse, & a Patrum auctoritate abhorrentem. At non conveniebat Ambrosio Catharino (ut verbis utar Sixti Senens. lib. IV. Bibliothec. S. annot. I.) fratrem suum ob tam leves caussas in suspicionem læsæ Trinitatis adducere. Quare dicimus certissimum esse apud Hebraicæ linguæ peritos אלהים esse nomen pluralis numeri, cujus singulare est אלוה, atque in hoc apertissime decipi Cajetanum. Quod autem scribit non consentire Symbolo Athanasii, si dicamus plures Deos aut Dominos, solutionem habet ex D. Thoma I. P. Q. XXXIX. art. 3. ubi ait: *Ad secundum dicendum, quod diversæ linguæ habent diversum modum loquendi: unde sicut propter pluralitatem suppositorum Græci dicunt tres hypostases; ita & in Hebræo dicitur pluraliter Elohim. Nos autem non dicimus pluraliter neque Deos, neque substantias, ne pluralitas ad substantiam referatur*. At de priori loco, quo utimur adversus Judæos, satis, superque dictum est.

Momentum II. Ex versu 26. cap. I. Geneseos.

Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: qui habetur in Hebraico: נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ

Utitur hoc loco ad probandam Trinitatem S. Joan. Chrysostomus Tom. V. hom. 2. Ambros. lib. VI. in Hexam. c. 7. Theod. Quæst. XIX. in Gen. Justinus in Dialogo cum Tryphone, nec non Interpretes ac Theologi omnes. Argumentum vero quod ex præfato textu deducitur duplex est. Primum literale, & obvium: Verba illa, *Faciamus*, &c. sunt unius Personæ alteram adloquentis: & quæ sequuntur, *Ad imaginem, & similitudinem nostram*, divinæ Essentiæ indicant unitatem. Est ergo in Deo pluralitas personarum, & unitas essentiæ. Alterum argumentum petitur ex verborum illorum expositione: Imago Patris est Filius; generatio enim est origo viventis e vivente in naturæ similitudinem: neque Filius esset Patris imago & similitudo, nisi eamdem haberet potestatem, & ei esset consubstantialis: item Spiritus Sanctus, cum sit communis dilectio & amor Patris & Filii appellari potest similitudo utriusque. Itaque in verbo *Faciamus* intelligimus Patrem: in *Imagine* Filium: in *Similitudine* Amorem; recteque dictum est, *Ad similitudinem nostram*, quoniam Spiritus Sanctus est Amor Patris, & Filii.

RESPONDETUR OBJECTIS.

Opp. I. Non infertur ex his verbis *Faciamus*, &c. Trinitatis arcanum, si ea protulerit unus Deus adloquens non alteram in divinitate personam, sed Angelos, quorum ministerio præsertim in opificio hominis usus fuit. Atqui verba illa ad Angelos dirigi nonnullis momentis suaderi potest. Primo auctoritate Rabbinorum, inter quos numerandi sunt Aben-Ezra, & R. Maimonides Hebræorum omnium doctissimi: deinde Philosophorum doctrina; nam Plato in Timæo docet in productione hominis a primo Deo adhibitos esse minores. Tertio testimonio divinarum Scripturarum, quæ innuunt Deum quotiescunque magnum aliquod molitur opus cælestium Angelorum exercitum consultare, ut lib. 3. Regum cap. XXII. 19. dum ageretur de Achab internecione ac deceptione legitur Deum super solium suum assistentem sibi exercitum Angelorum consuluisse. Ait ergo Deus hominem fabricaturus, *Faciamus*, quasi de rem præclaram opificio cum sua familia deliberans.

Resp. Fieri nequaquam posse, ut prædicta verba dirigantur ad Angelos. Primo enim Hebræi hanc interpretationem excogitantes ne cogerentur Dei Verbum tamquam distinctam a Patre personam fateri, maluerunt cum gentibus pluralitatem adstruere Deorum, ut scribit de hac illorum expositione Basilius; Enim vero ad creationem, cum sit productio ex nihilo, infinita requiritur potentia, neque ad illam Angelus, sive creatura aliqua potest adsumi. Quare illi, qui putant cum Platonicis minores Deos ad opificium hominis advocatos, plurium Deorum videntur esse cultores: *Conticescant ergo* (inquit Amb.) *& Judæi & Ariani cum suis paribus, qui dum unum a consortio divinæ operationis excludunt, plures inferunt, & prærogativam, quam Filio negant, servulis donant*. Atque etiamsi creaturæ & Angelus possent esse alterius creaturæ principium, constat tamen ad hominis productionem Angelorum ministerium non accessisse. Quippe ex rationali anima, & corpore constat homo. Animam ab uno Deo fuisse creatam, constat ex cap. II. v. 7., *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*. Similiter de corpore illic legitur: *Formavit Deus hominem de limo terræ*. Si ergo tam corpus quam anima ab uno procreata sunt, non interfuit hominum productioni Angelicum ministerium. Propterea ne opinemur plures esse hominis conditores, post verba *Faciamus* &c. sequitur in singulari, *Et creavit Deus hominem*. Ulterius hominem fuisse creatum ad Imaginem Dei, non Angelorum, ibidem Scriptura testatur. Accedit, quod neque Angelus est exemplar & idea hominis, neque una esse potest imago Dei, & Angelorum. Quod addebatur de Achab, habet cum generalem, tum particularem solutionem. Generalis est, a nobis non negari Deum uti quandoque ministris Angelis: utitur sane, & ubicunque id affirmat Scriptura; sed Angelos conditores fuisse hominis & Scriptura non docet, & demonstrat oppositum. Particularis vero solutio est, Factum Achab non suffragari Judæis, qui fabulantur Angelum, qui decepit Achabum, fuisse Animam Naboth, qui innocens fuerat lapidibus obrutus. At quoniam revera fuit Angelus malus de familia Satanæ, respondendum est latissimam esse disparitatem. Dedecet enim summam Dei bonitatem homines in mendacium inducere, ideoque fefellit Achabum per Angelum malum, idque non jubendo, sed permittendo, ut diximus lib. II. cap. VII. E contra cum creare sit opus Dei proprium, & ad ejus spectet omnipotentiam; non est cur in creatione hominis Angelorum exquisierit operam ac ministerium.

Opp. 2. Prætores, Tribuni, & quotquot summis funguntur magistratibus solent sub numero plurium dicere, *Jubemus, scribimus, imperamus*; non ad personarum pluralitatem, sed ad majestatem dignitatemque significandam: Atqui Deus reges ac principes dignitate antecellit: Usurpat ergo hac de caussa illam proprietatem formamque sermonis, *Faciamus*. Ita cum Judæis arguitur Marcellus Ancyranus apud Eusebium. Addit Socinus Deum sese more artificum ad hominis opificium hortari, ut Annibal venenum hausturus, *Liberemus*, inquit, *diuturna cura populum Romanum*.

Resp. nego conseq. Non enim Deus more procerum ac magnatum in Sacris literis de se pluraliter loquitur; siquidem in singulari numero verba fecit, etiam cum legem dedit, ac semetipsum Mosi manifestavit. Negari quoque potest etiam in latina lingua, quoties aliquis in plurali loquitur, quamdam declarari dignitatem; nam, ut scribit Laurentius Valla, non quidem in Sacris disciplinis, sed certe in latina lingua plurimum exercitatus, Elegant. lib. III. cap. XIO., *Quia gloriosius est quemvis unum per se, quam cum pluribus rem claram gessisse, Principes modestiæ gratia, ne soli videantur omnia gerere, loquuntur fere pluraliter; ut, Nos Maximilianus Romanorum Imperator, &c.* Sed quidquid de Latinis sit; *Si Deus propter auctoritatem ac majestatem de se loqueretur in plurali, oportuisset eum ita loqui vel semper, vel ut plurimum, præsertim cum legem daret in Sina*; inquit Quæst. 20. in Gen. Theodoretus. Quod addit Socinus, olim his verbis refutavit Basilius Hom. 9.

in Hexam. *Quis enim faber aut ærarius, aut lignarius solus ipse quidem, nec alio quoquam sibi cooperante stipatus, interque sua artis instrumenta desidens, sibipsi admurmurat dicens: Faciamus gladium, aut compingamus aratrum?* Atque etiamsi hæc loquendi consuetudo locum haberet in hominibus, qui possunt operum magnitudine deterreri, & animo hærere suspensi; obtinere non potest in Deo, qui neque indeterminatus esse potest, neque rerum faciendarum amplitudine retardari. Annibal vero plurali locutus est numero, intuens regios milites, qui domus suæ occluserant fores: ac præterea nullum hujusmodi exemplum in sacris libris occurrit, etiam dum verba faciunt Pharao, Abimelech, Achabus, aliique principes superbissimi. Marcello denique Ancyrano opponimus Chrysostomum, Basilium, Theodoretum, ac fere omnes Patres atque Interpretes: sed de horum traditione inferius.

Opp. 3. Veteres Rabini, ut Moses Gerundensis, & alii, explicant hunc locum, quasi Deus adloquatur terram, ex qua hominem condidit. Resp. dementiam esse singularem, caussam materialem ac patibilem commutare in caussam turpius effectricem, & mortuum elementum ad opitulandum omnipotenti advocare.

Opp. 4. Decipiuntur, qui hominem factum ad Dei imaginem arbitrantur, nulla quippe creatura potest esse similis Deo. Dicitur autem recte homo conditus ad similitudinem Angelorum, quoniam in mortali corpore spirituali anima donatus est. Sunt ergo verba laudata Angelorum, non Dei.

Resp. nego ant. Etenim ad imaginem Dei, non Angelorum creatum fuisse hominem subsequentia verba demonstrant: *Et creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam*. Hanc imaginem alii in mente rationali, alii in eo quod homo præsit volatilibus, piscibus, atque animantibus terræ, alii in libero arbitrio constituunt. Eam in ratione consistere certum puto, quum id affirmet S. Pater XXIV. contra Faustum cap. 2. Hujus quoque imaginis partem saltem esse externum dominium, scribit hom. 8. & 9. in Genes. Joannes Chrysostomus. Quidam dixerunt, quod sicut Deus condidit Adam a nullo alio progenitum, Evam ex ipso Adam formavit, & humanum genus ab Adamo simul & Eva propagatum est; ita Pater a nullo est genitus, Filius a Patre, & Spiritus Sanctus a Patre, Filioque procedens. Quæ postrema imaginis ratio parum mihi probatur; nam si neque Evam, neque posteros Deus condidisset, erat nihilominus Adam factus in similitudinem Trinitatis. Verum de hac in hominibus existente divina imagine in altera horum librorum nostrorum parte.

Opp. 5. Quælibet locutio aut vocalis est, aut mentalis; vocalis fit, dum vox ab uno ad alterum dirigitur; mentalis, dum ab uno ad alterum dirigitur intellectio: Atqui non datur unius divinæ personæ ad alteram locutio sive vocalis, sive mentalis; nam divinis personis deberet esse una eademque intellectio, ideoque una non posset ad alteram suam intellectionem dirigere; & ex alio capite vox a spiritibus invicem adloquentibus non emittitur: Ergo illa verba, *Faciamus, &c.* Non sunt Patris ad Filium, sed unius Dei ad Angelos.

Resp. Locutionem divinarum personarum non esse vocalem, neque mentalem eo sensu, quod Pater manifestet Filio cogitationem aliquam occultam, quemadmodum contingit in Angelis: sed est locutio, qua dirigitur sermo unius Personæ ad aliam per communicationem, participationem, & identitatem omnium divinorum consiliorum, quæ una persona habet ab altera per originem suæ processionis.

Momentum III. Ex cap. XIX. Gen. v. 24.

Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur & ignem, a Domino, de cælo, hebraice וְעַל עֲמֹרָה

גָּפְרִית וָאֵשׁ מֵאֵת יהוה מִן הַשָּׁמָיִם . ויהוה הִמְטִיר עַל סְדֹם

Ut vim hujus loci percipias, animadverte hic nomen יהוה non solum repeti, verum etiam repeti cum tali emphasi, ut unius exprimatur origo ab altero, nempe cum propositione מאת *ex, ab*. Observa quoque haberi illic nomen Dei primum et tetragrammaton, quod ubicunque occurrit, semper verum Deum significat, unde exponi nequit de Angelis, ut contendunt Grotius & alii, quos tamen refutat Cantwrightus. Igitur constat ex allato textu duas saltem esse in Divinitate personas, quarum una originem habet ex altera.

Innuit quoque ineffabile Dei mysterium, saltem probabiliter, solum nomen יהוה, ut constat ex libro R. Heccados, qui inscribitur *Revelator arcanorum*; ubi ait: *Animadverte nomen quatuor literarum, prout scriptio ejus est, sic enim scribitur in lingua nostra hebraica* יהוה *significare generantem. At non potest generans esse absque genito: & propterea nos volumus generantem & genitum unam esse substantiam*. Plura vide apud Galatinum. Neque videtur carere mysterio, quod nomen istud sit, ut appellant שֵׁם בֶּן־אַרְבַּע אוֹתִיּוֹת. Nam י significat apud Hebræos principium; est enim litera, ex qua ceteræ ducunt originem, & videtur Patrem designare. ה idem est ac *vivere, & esse*; neque inepte videtur posita ad significandum Filium, per quem creaturæ omnes vivere & esse cœperunt; & in quo, quæ facta sunt, vita erant. Tertia litera ו est nota nexus & unionis, ideoque denotat Spiritum Sanctum, qui est amor & caritas utriusque. Neque absque mysterio dixerim geminari literam ה, & repeti postremo loco; quoniam Filius duplicem habet naturam, divinam nempe, & humanam; sed hæc videntur ingeniorum exercitamenta.

RESPONDETUR OBJECTIONIBUS.

Opp. 1. Repetitio nominis יהוה fit loco pronominis: & idem est, *Pluit Dominus a Domino*, ac, *pluit Dominus a se, ex alto*. Non enim est in lingua Sancta inusitatum, aliquod nomen vice pronominis geminari; ut Genes. IV. Lamech alloquens uxores suas ait, *Audite me uxores Lamech*: pro *uxores meæ*: Possunt ergo Judæi facile argumentum istud eludere. Ita Vatablus, Petavius, & alii.

Resp. nego ant. Etsi enim sæpe nomina loco pronominum repetantur; tamen id non evenit, ubi de Deo sermo fit, ne Judæi idololatriæ sumant inde occasionem: quod hoc potissimum loco erat observandum, ubi proprium Dei nomen apponitur, cum verbo tamen singulari. Sed & repetitur cum propositione, ut diximus, significante originem, non absolute. Neque talis propositio significare potest *ex se, ex alto*; id enim exprimitur sequentibus verbis, *de cælis*, מִן הַשָּׁמַיִם. Et etiamsi hic locus ad refutandos Judæos non foret aptissimus, maximum tamen adversus hæreticos robur haberet. Quippe probant hinc Trinitatem Justinus in Dialogo cum Tryphone, Irenæus lib. 3. adversus hæreses, S. Athanasius libro contra Sabellii Gregales, S. Hilarius lib. IV. de Trinitate, Tertullianus contra Praxeam cap. 13. cæterique, ut Petavius fatetur, pene omnes. Quorum ductus auctoritate nimis ægre patior eruditos viros, qui ex proprietate Hebraicæ linguæ tantum elevant argumentum; præsertim cum extet anathematismus XVI. Synodi Sirmiensis: *Si quis*, Pluit Dominus a Domino, *non de Filio & Patre intelligat, sed ipsum a se dicat pluisse, anathema sit. Pluit enim Dominus Filius a Domino Patre*.

Dices: Sirmiensem Synodum fuisse conventiculum Arianorum, ut dicemus sequenti libro disputantes de caussa Liberii.

Resp. Hanc Synodum celebratam fuisse contra Photinum, etsi ab Arianæ factionis Episcopis; qui una in re a fide deviarunt negantes Verbum esse Patri Omousion, vel potius hoc vocabulum supprimentes: in altera fidei patrocinati sunt Photinum eo anathemate ferientes. Hac in parte Synodus illa recipitur, & commendatur in lib. de Synodis ab Hilario. Neque aliter sentiunt PP. primi Concilii Antiocheni in Epistola Synodica contra Paulum Samosatenum, ubi ex præcitato textu Personarum divinarum probant pluralitatem. Quare anathema Synodi Sirmiensis Catholicorum sensui cohæret.

Opp. 2. Falsum est nomen יהוה soli Deo tribui, nam hoc nomine appellatur mons, in quo Abraham pro filio obtulit sacrificium Genes. XXII. Item altare erectum e Moyse Exod. 17. Urbs quoque Jerusalem Ezech. 40.

Resp. nego antecedens. Mons enim, altare, & Jerusalem non appellantur יהוה absolute, sed cum addito; Mons scilicet dicitur יהוה יראה *Dominus videt*: Altare יהוה נסי *Dominus exaltatio mea*; Jerusalem יהוה שמא *Dominus illic*. Quapropter designatur hoc loco Dei præsentia, ac majestas, ut constat ex divini nominis additamento.

Momentum IV. Ex pluribus aliis locis veteris Testamenti.

Probetur præterea Trinitas pluribus aliis divinæ Scripturæ locis: quorum pleraque ad proximas dissertationes de Filii ac Spiritus Sancti divinitate sunt reservanda. Occurrunt modo versus 22. cap. III. Gen. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*. Et cap. XI. v. 7. *Venite descendamus, & confundamus linguam*. Psalmo II. 7. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, Ego hodie genui te*. XXXII. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Et CIX. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*: aliaque id genus permulta. Adversus Judæos urgendi quoque sunt versus 20. Genes. 44. *Est nobis pater senex, & puer parvulus, &c.* quem R. Hadarsan mystice de Deo, æternoque ejus Filio interpretatur; versus 3. Is. VI. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*, quem de pluralitate personarum divinarum explicat R. Jonadan. & versus 1. cap. LXI. *Spiritus Domini Dei super me*, quem de Spiritu Sancto inhabitante super Messiam exponit R. Kimchi.

SOLVITUR ARGUMENTUM.

Oppones. Primum testimonium ex cap. xii. Geneseos videtur intelligendum de Angelis, quorum scientiam concupierat Adam; non enim credibile est serpentem homini divinam sapientiam fuisse pollicitum, & ad hanc creaturam ratione præditam adspirasse. At alterum ex cap. xi. de Angelis accipiendum, tum Philo affirmat in libro de Confus. linguarum, cum Augustinus in xvi. de Civit. Dei cap. vi., & in 2. Moralium Magnus Gregorius. Quibus consentiunt qui tenent in veteri Testamento nunquam Deum apparuisse, quæ est opinio clarissimorum virorum quamplurium. Allata vero Psalmi ii. & cix. sunt Davidis ad Salomonem, quem ei peperit Uriæ uxor. In Psalmo xxxii. *Verbum* significat Patris vocem, & *Spiritus* anhelitum oris, non subsistentes Personas. Trisagium denique Isaiæ maximam Dei significat Sanctitatem. Tribus enim gradibus ad perfectionem pervenitur, positivo, comparativo, superlativo.

Resp. breviter priorem locum non posse Angelis tribui, quoniam præcedunt hæc verba ויאמר יהוה *Et dixit Dominus*: nomine ineffabili ac divinissimo apposito. Illa autem phrasi Deus ironice loquitur, & veluti hominem irridens, Similitudinem vero cum Deo potuit homo concupiscere, quemadmodum & Angelus, peccato superbiæ, non quæ ignorantiam consequeretur, sed debitæ considerationis prætermissionem; ut alibi dicendum est. Fatemur Deum confusionem linguarum operatum medus Angelis, eosque plura fecisse, quæ Deo tribuuntur, nempe apparuisse Abraham, dedisse legem, aliaque eximia patrasse; sed illi divinam majestatem verbis signisque præferebant. Idque præsertim hoc loco, in quo subditur, *Atque ita divisit eos Dominus, & dispersit eos Dominus.* Observavit Drusius, in Chronico templi secundi Senes reddidisse, *Descendam, & confundam*, & hanc attulisse caussam, *Ne gentes existimarent Judæis plures esse Deos.* Verba Psalm. ii. de nullo alio possunt commodius intelligi, quam de Christo; quum Messiæ hæreditas gentium fuerit repromissa, & de filio Dei naturali, non adoptivo proferantur aperte. Hunc tamen locum adversus Socinianorum interpretamenta iterum discutiemus; nam Judæos, vetereſque Sabellianos nunc perstringere cura est. In cix. non memorari Salomonem constat, quod neque Salomon sederit a dextris David, neque dici possit genitus ante Luciferum, neque fuerit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Addo & illic efferri nomen Dei tetragrammaton. De versu Psalmi xxxii. hæc luculenter Orat. iv. Catech. beatissimus Gregorius Nyssenus. *Neque enim dictio est Verbum, aut Spiritus anhelitus. Quænam enim tanta virtus proficiscitur a verbis, & ab anhelitu, ut sufficiant ad construendum cælum, & quæ in eo sunt virtutes? Si enim dictioni Verbum Dei est simile, & Spiritus anhelitui, similis est omnino virtus ex similibus, & quantas nostrum tantas vires habebit Dei verbum. Atqui operatione sunt carentes quicunque verbis transeunt spiritus: quo fit ut non agentes & non consistentes illos omnino constituant, qui ad nostri Verbi similitudinem Dei verbum deducunt. Sin autem, ut dicit David, Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum, constat mysterium veritatis, quod dictat esse dicendum Verbum in essentia, & Spiritum in hypostasi.* Hæc Nyssenus. Quod spectat demum ad Trisagium Esaiæ, ultro fateor superlativa quandoque fieri sola adjectivorum repetitione, ac præcipue in lingua Sancta, in qua non est diversa graduum in nomine terminatio. Verum hic latere mysterium colligitur ex trina repetitione, de qua vide accuratam observationem Ambrosii in lib. 2. de Fide ad Gratianum cap. 4. & ex textus prophetici *ευταξια*; nam v. sequenti viii. ait Dominus: *Quem mittam, & quis ibit Nobis?* Quo plurali numero vides Dominum exercituum sedentem super solium excelsum ter Sanctum vocari ob pluralitatem personarum. Sunt ergo, quidquid scribat Petavius, hæc loca ad retundendam pervicaciam Hebræorum idonea; neque, ut ille arbitratur, ex proprietate linguæ facile excutiuntur.

CAPUT II.

Judæorum ac Sabellianorum solvitur argumentum, & demonstratur non posse illos accusationibus dogma Christianorum impetere.

ANTITRINITARIORUM sophismata in suum quæque locum distribui: sed restat vulgare illud, quo pervicaciter Christianam fidem quatere moliuntur, petitum ex iis Scripturarum momentis, in quibus prædicatur Deus unus, excludens plurium consortium. Hujusmodi sunt ea verba Deuteronomii vi. 4. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus unus est.* Tum Esaiæ xliv. 6. *Ego primus, & ego novissimus, & absque me non est Deus.* Et ibidem v. 24. *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Capite seq. xlv. 5. *Ego Dominus, & non est amplius: extra me non est Deus. Ego Dominus, & non est alter.* Atque id genus bene multa. Ex quibus ita possunt argutare, Si tres essent in divinitate personæ, non esset Deus unus & singularis. At Deuteron. vi. dicitur *Deus unus*: Non sunt ergo plures in divinitate personæ. Deinde ubi plures personæ sunt, idem non potest dici primus & novissimus: Sed, ut inquit Isaias, idem Deus *primus est, ac novissimus*: Ergo non sunt plures in Deo personæ. Præterea soli Deo, quem Patrem appellamus, convenit omnia producere. Atqui, ut idem Isaias testatur, præter Deum, qui omnia condidit, *non est alius*; Ergo non est alius præter Deum Patrem. Possunt & illud urgere argumentum: In veteri testamento Deus appellatur Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Atqui Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob est una tantum persona; non enim potest esse Verbum, seu Filius, ut Christiani credunt; cum in horum Scripturis, scilicet Act. iii. scriptum sit, Filium fuisse glorificatum a Deo Abraham, a Deo Isaac, & a Deo Jacob: Est ergo Deus patrum nostrorum longe diversus a Filio, quem Deum esse existimant Christi fideles.

Breviter omnia expediam, quum singula probent tantummodo in Deo singularitatem naturæ, non vero unitatem personæ. Ergo cap. vi. Deuter. Dei prædicatur unitas adversus pluralitatem Deorum, quamquam non caret mysterio trina divini nominis repetitio, ut animadvertit R. Simeon Ben-Johai libro, qui inscribitur Zohar, & R. Ibba apud Galat. lib. 2. cap. i. Cui addo in libro Raccanath, in quo de numerorum mysteriis agitur, notasse veteres Cabalistas nomen יהוה *Deus* ter repetitum una cum numerali אחד, *Unus*, conficere numerum xci., qui resultat etiam ex voce אמן *Veritas*; unde inferunt Cabalistice significare non esse summam veritatem, nisi ternarius numerus conjungatur cum unitate. Ex quo testimonio probat Glassius Art. vii. de Allegoriis, vetustos Hebræos a doctrina nostra de SS. Trinitate non fuisse alienos. At Isaias 44. Capite Messiæ vaticinatur adventum; qui dicitur *primus*, quoniam secundum divinam naturam ante luciferum est genitus: & *novissimus*, quod secundum humanam natus sit in temporum plenitudine, vel, ut explicat Epiphanius, venturus sit in extremis temporibus judicaturus orbem terrarum. Ad tertium respondendum est unum solum Deum creasse universa, quoniam trium personarum una est omnipotentia, ac divinitas: sed videant quomodo sibi constent, qui supra autumabant etiam Angelos fuisse hominum conditores, & modo nobiscum confitentur unum duntaxat Creatorem. Ad ultimum dicimus, Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Jacob glorificasse Filium suum indutum carne, nostraque circumdatum infirmitate; non autem in ea divina, ac sempiterna substantia, quam Filius ipse habet cum Patre communem.

יהוה lxxviii. אחד xiii. אמן xci.

Pro coronide hujus adversus Hebræos disputationis quædam addo, quibus eos possimus adigere ad deponendam mentis obdurationem, illamque altissimo captivandam mysterio. Ac primo percommoda videtur perpetua Scripturarum œconomia, profunda linguæ Sanctæ syntaxis, quam non ad regulas Grammaticæ exactam parandum est, sed ex ea potius grammaticales natas institutiones; cum illa primigenia sit, mundique exorta incunabulis. Addendi sunt veterum Rabbinorum libri Commentarii, & Cabalistarum observationes: inter quas licet multa occurrant puerilia, sunt tamen, quæ monstrant vetustis Hebræis aliquam fuisse mysteriorum nostrorum notitiam, quod ex dictis abunde arbitror manifestum. Juvat quoque exponere Judæis Theologiam Philonis viri inter suos nominis, doctrinæque fama conspicui. Is enim lib. de Sacrificio Abel & Cain scribit in Deo esse Sermonem opificem mundi, qui neque est ingenitus, quemadmodum Pater, neque est genitus, ut sunt homines, & conjungi, inquit, Deum duabus summis efficaciis inter se distinctis, quarum una est *imperium*, altera *bonitas*, sed neutra mensuris capitur. Tradit similia lib. de Cherubim, & lib. 2. de Agricultura Noe, ut observat in notis ad v. de Veritate Religionis Christianæ cap. xxxi. Hugo Grotius. Quare eo pacto consistunt in una, perfectissimaque divinitate tres distinctæ personæ, quo juxta Philonem secernuntur invicem, & ab ingenito Patre, Sermo opifex creaturarum, & summa, incommensurabilis Bonitas. Rursus R. Maimonides in libro de Fundamentis, Joseph Albo, & Aben-Hezra ad Cap. xviii. Geneseos, putant in Deo reipsa distingui id quod cognoscit, quod cognoscitur, & cognitionem; quamquam hi omnes unicam statuunt, individuamque divinitatem. Etiam Cabalistæ, ut constat ex additamentis ad Lexicon Schindleri, Deum in tria diversa lumina dividebant. Ulterius in Gemara Hierosolymitana tit. de Docum. cap. 3. & in Gemara Babylonica tit. Joma cap. 1. memoratur Spiritus Dei, quem vulgo appellant *Schekina*, & in monte Oliveti diu Judæorum conversionem expectasse fabulantur. Quapropter si per Hebræos minime pugnat in unica divinitate Sermonem ab ingenito patre distingui; si non pugnat cognoscentem a cognitione verboque secerni; si non pugnat singularem Deitatem trino consistere lumine: si non pugnat procedere, & mitti a Deo *Schekina* increatum ad populi sui conversionem, divinumque & omniscium Spiritum Prophetarum: fateantur oportet nec repugnare in Deitatis unitate plures personas. Quæ non ideo dicta sunt, quasi omnia Judæorum commentaria probemus; sed ut videant Hebræi ab ipsis reprehendi quæ castigato a nobis, a se depravato sensu creduntur.

CA-

CAPUT III.

Divinarum Personarum Trinitas ex tribus novi testamenti locis contra hæreticos asseritur.

UBI de Verbi, ac Spiritus Sancti divinitate sumus disceptaturi, aliqui huc pertinentes afferentur textus Scripturarum. Producam modo tres solos, in quibus trinæ commemorantur Personæ; ac de tertio, quo res conficitur, agendum est accuratius.

Igitur primum testimonium depromitur ex cap. III. Matthæi, ex I. Marci, & III. Lucæ, ubi recensetur Christi baptismus, in quo tres personæ fuerunt declaratæ, Pater & Filius cælesti illa ac mirabili voce, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui:* & Spiritus Sanctus, dum super ipsum Christum *descendit corporali specie sicut columba*. Ad quod elevandum perperam reponunt Sociniani, designari istic personam Filii adoptivi, non naturalis. Nam de proprio Filio agi, indicant ea verba: *Hic est Filius meus dilectus:* quæ de nullo alio dicta leguntur: unde in Sexto de Trinitate, inquit Hilarius: *Annon tibi in eo, quod dicitur, Hic est, non hoc significare videtur, alios quidem cognominatos ab eo in filios; sed, Hic Filius meus est? Donavi adoptionis plurimis nomen; sed iste mihi filius est*. Et quibus verbis, quæso, naturalis Filius potuerat melius designari? Addo emphasim, quem præfert in Græco codice inculcatio articuli; nam habetur, ὁ υἱός μου, ὁ ἀγαπητός, *ille filius meus, ille dilectus*. Perperam quoque ajunt per Spiritum Sanctum intelligendam esse gratiæ plenitudinem, qua donatus est Christus. Enimvero quis dixerit, gratiam descendere, & super aliquem manere, quemadmodum de Spiritu Sancto legitur in Evangelio? Atque si Pater ac Filius personæ esse creduntur, quare non Spiritus? Num dicent, descendisse columbam, eamque collatæ gratiæ fuisse signum? At non columbam descendisse, sed Spiritum in specie columbæ, Evangelistæ testantur. Legunt Græci πνεῦμα τοῦ Θεοῦ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστεράν: *Spiritum Dei descendentem, quasi Columbam*: Est autem ὡσεὶ particula, quæ nunquam ponitur pro ea, quam Hebræi appellant *Caph veritatis*, sed aut mensuram, aut similitudinem significat, ad differentiam particulæ ὡς, quæ aliquando est, ut Græci vocant, ὡς ὁριστικὸν *definitivum*, ut Joan. cap. I. 14. δόξαν αὐτοῦ, ὡς μονογενοῦς *gloriam, quasi unigeniti*. Si ergo non dicitur descendisse columba; quis, nisi Spiritus Sanctus descendit? Num vero reponent, virtutem Altissimi descendisse in specie columbæ, idest non vehementi ac repentino sonitu, sed leni? At Spiritum corporali specie, quæ proculdubio columbæ erat, descendisse asseritur apertissime. Atque sive leni, blandoque illapsu, sive vehementi descenderit, non inferes inde Spiritum non esse personam. Minus audiendus Schlictingius dicens, si in columbæ specie apparuit Spiritus, eumdem & in linguis igneis fuisse super Apostolis dispertitum. Putidissima sane argutatio; quasi a signorum & imaginum partitione fas sit divisionem concludere personarum, & ab effectuum pluralitate multiplicitatem caussarum efficientium; & quasi nequeant esse unius artificis plures statuæ, & unius Principis plures imagines, aut virtus divinitatis unius linguæ symbolo circumscribatur. Sed quid morot Unitarios? Hæc leguntur II. Act. Apost. 3. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis; seditque supra singulos eorum*. Vides divisionem charismatum, & signorum in his verbis: *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ*. Vides Spiritus unitatem in sequentibus, *Seditque supra singulos eorum*. De primo autem testimonio satis.

Habetur alterum Matth. XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. En expresse individuæ Trinitatis confessio. Siquidem τὸ *in nomine* unitatem substantiæ, reliqua verba personarum indicant distinctionem. Quod ut eludant, nullum lapidem non movent Sociniani. Etenim reponunt aliqui conferendum baptisma in nomine Patris, & Christi filii ejus adoptivi, ac virtutis potestatisque divinæ. Quæ responsio frivola est, & cavillosa; tum quod si fatentur Patrem & Filium personas esse distinctas, id pari jure de Spiritu Sancto profiteantur necesse est, qui hoc loco eadem ratione exprimitur, & alibi missus dicitur, descendens, sedens, Paraclytus, aliisque characteribus designatur, qui subsistentem personam evidenter demonstrant; tum quod inepta est prorsus, & inusitata hujusmodi phrasis, ac sensus extortus, si dixeris ablui baptizatos in potestate potestatis, aut in virtute virtutis. Alii inquiunt, baptizari in Spiritum Sanctum nil denotare, quam tingi in fidem, doctrinamque Christianam: horumque interpretatio nixa videtur Græcorum versioni, quæ habet εἰς τὸ ὄνομα, *in nomen*. His ultro lubenterque fatebimur, quod baptizari εἰς τὸ ὄνομα, *in nomen*, sit ablui in fidem, & cum professione fidei Trinitatis; sed hinc nequaquam consequitur & Filium, & Spiritum Sanctum non esse distinctas a Patre personas. Quin cum baptizari εἰς τὸ ὄνομα *in nomen alicujus*, sit sese ei auctorare ac devovere, necnon in ejus jurare doctrinam; quo sensu de Hebræis, qui Mosi se dederunt, scribit Apost. I. ad Corinth. X. 2. πάντες εἰς τὸν Μωϋσῆν ἐβαπτίσαντο, *omnes in Moysen baptizati sunt*; & idem Apostolus negat quemquam baptizatum in suum nomen eadem Epist. cap. I. 13. 15. scilicet, neminem sibi mancipatum esse, tamquam novi dogmatis auctori: si, inquam, baptizari εἰς τὸ ὄνομα, est se fide ac professione alteri devovere; ex baptismatis forma recte colligimus, baptizatos fidei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, pari devotione, nulloque discrimine mancipari.

At insurgunt Sociniani dicentes posse conferri baptismum, & dirigi fidem in nomen plurium, quamquam unum non sint communione naturæ. Quod probari videtur hisce contextibus. In priori ad Corinth. cap. X. v. 2. legimus: *Et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, & in mari*; ubi nullus dixerit unam esse Mosis, nubis, marisque naturam. Exodi quoque XIV. 31. habetur. *Et crediderunt Domino, & Moysi servo ejus*. Tum I. Regum cap. XII. 19. *Et timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelem*. Adde commendari animam in sui agone, ut proficiscatur ex ergastulo carnis, *in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti, in nomine Angelorum & Archangelorum, &c.* ut habetur in appendice Breviarii Romani. Quid? Etiam fori consuetudo est, nomine simul Principis, & Magistratus, Judicisque subalterni, promulgari leges, ac proferri sententias.

Verum non sunt hæc Antitrinitariorum commentationes melioris notæ præcedentium. Quippe aliud est baptizari in Mose, & nube, & mari, aliud baptizari *in nomine, &c.* Baptizari in Mose est Mosi credere tanquam legislatori, ut diximus, & eo præeunte ingredi iter sub nube, & per mare. Baptizari in nomine Mosis, nubis, & maris, esset eamdem auctoritatem, eamdemque fidem tribuere Mosi, nubi, marique: quod cum ineptum sit, jure Apostolus hanc loquendi formam minime adhibuit. Ac præterea Apostolus ibi accipiendus est, veluti scribat: *Et omnes quasi baptizati sunt*: nempe, præfiguratum fuisse baptismum in Mose, in nube & in mari: nam & ait, *omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt; & omnes eumdem potum spiritalem biberunt: bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus*. Omnia scilicet olim in figuris contingebant. Ex quo autem Apostolus affirmet transitum maris rubri, duce Mose, fuisse typum nostri baptismatis, neque aliud promat; ineptiunt profecto, qui contra formam nostri baptismatis deducunt inde argumentum. Me non latet communiter respondere Theologos vetare Paulum ne Christiani dicantur baptizati in nomine creaturæ; & ideo, si baptizati sumus in nomine Filii, & Spiritus Sancti, est uterque cum Patre unus Deus; huc enim confugiunt omnes. At callidi Unitarii responderent, neminem baptizatum in nomine Pauli, quoniam is neque fuit institutor baptismi, neque novi dogmatis legisque propagator. Quæ, tametsi ad improbum sensum detorquentur, aliquid tamen continent veritatis. Paulus enim hortatur Corinthios, ut vitent schismata, neque dicat unusquisque, Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi; quoniam omnes per baptismum in unius Christi doctrinam fuimus mancipati, hominesque sunt Evangelii ministri, non auctores. Non possumus ergo baptizari in nomine alicujus, qui non sit legislator: quod fatebuntur hæretici. Ego itaque dico, quod baptizari in nomen alicujus, est se illi devovere fide, obsequio, obedientia, doctrina, tanquam primo institutori ac Magistro; idque constat textibus, quibus Antitrinitarii abutuntur. Ex quibus infero tam Patrem, quam Filium, & Spiritum Sanctum esse Evangelii institutores ac Magistros primos, summos, maximos, non unum subministrum alterius; imo unum eumdemque auctorem, & institutorem, ratione potestatis ac divinitatis, ob quam dictum est, *In nomine*. Textus vero ex cap. XIV. Exodi non juvat Socinianos; quoniam asserit Israelitas credidisse Deo tanquam Domino, ac Mosi solummodo tamquam Domini *Servo*: neque ad rem est alter ex primo Regum; quippe possumus & Deum & homines simul timere; at non Deo & homini pariter obstringi, tamquam Sacramentorum Institutoribus, atque auctoribus Gratiæ. In Animarum commendatione τὸ *in nomine* invocationis est nota; & non solum Deum, sed etiam Angelos æquum est invocare: in forma autem baptismatis præter invocationem, τὸ *in nomine* summam, ut diximus, auctoritatem, potestatemque significat. Forensis consuetudo, de qua supra, obtinet, ubi in Principe & Magistratu propter aristocraticam politiam est æquale, aut divisum imperium: nam ubi principatur Monarcha, non recte diceretur, *Imperat Princeps ac Magistratus*, sed, *Imperat Magistratus nomine Principis*. Et hæc de secunda auctoritate.

Tertio occurrit celebris versus 7. cap. V. Epistolæ I. Joannis: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*. Quo cum perquammaxime urgeantur Unitarii, multiplici via conantur ipsum elevare. Nam aliqui hæc verba assuta & insita, non autographa esse contendunt, quam opinionem tuentur Erasmus quoque, & Richardus Simon, vir alioquin Catholicus, & Criticus haud vulgaris: alii saltem nullius roboris esse arbitrantur, quod eo textu nunquam Pa-

Patres adversus Sabellianos, Arianosque pugnaverint: alii denique illorum verborum vim credunt penitus enervari, si comparentur cum versu VIII. sequenti, *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt*. Quibus agi de unitate testimonii, non substantiæ ac naturæ, manifestissimum est. Eapropter demonstrandum est versiculum illum genuinum esse, non insititium, laudatum a Patribus, atque ad comprobandum dogma Trinitatis aptissimum.

PROPOSITIO I. Germanus est præfatus versiculus VII. non adscititius, aut Catholicorum dolo, aut oscitantia ex margine, scholiisque in textum intrusus.

Hanc propositionem sic ostendo. Quamquam in nonnullis Mss. venerandæ antiquitatis versus iste desideretur, invenitur tamen in pluribus: nam Robertus Stephanus ex Codd. XVI. vetustissimis undique magna diligentia conquisitis septem duntaxat observavit hoc carere versiculo. Lovanienses ex magno Mss. numero testantur in quinque solis desiderari. Correctorium Bibliorum, quod asservatur in Bibliotheca Sorbonica, in paucis deesse testatur. Amelotius fidem facit extare in Vaticano codice omnium antiquissimo; in melioribus codicibus reperiri testantur Laurentius Valla, Calvinus, Theodorus Beza. Ipse Erasmus fatetur reperiri in vetustissimo codice Britannico; & Simonius non negat extare in Mss. San-Germanensi ante annos octingentos exaram. Grotius Tom. III. Theolog. Op. testatur penes se antiquissimum Ms. haberi, cujus auctoritate ait se plurimum duci, hunc versum exhibens. Laudat Salmeron Tract. VIII. in Evangelicam historiam etiam pervetustos Codices Hispaniensem ac Rhodiensem, quos scribit lectos etiam, aut notos Erasmo. Ex tanto ergo testium, & codicum numero, negari non potest, quin textus ille germanus sit, atque autographus.

Præterea quod desideretur in quibosdam Mss. non probat insitum esse & assutum. Quotiescunque enim eadem verba secundo ponuntur, facile evenit, ut Amanuenses intermedia prætereant. Neque enim desunt exempla, quibus talis Scriptorum probetur incogitantia; nam Jeremiæ cap. XXX. v. 15. & 15. in pluribus Græcis τῶν LXX. quatuor desiderantur commata, quod repetantur ea verba, *Propter multitudinem iniquitatis tuæ*. Et Josue cap. XXI. 36. in pluribus hebraicis codicibus deest τὸ, *Civitates quatuor cum suburbanis suis*: ob horum verborum repetitionem. Quæ non habebant vetusti codices conscripti tempore R. Kimchi circa annum Christi 1190. neque tempore Paraphrastæ Chaldæi, qui scripsit ante Christi adventum, neque tempore Masorecharum; & tamen habent codices aliqui antiquissimi, ut testatur Masius, Glassius, & præcitatus quoque Rabbinus.

Ulterius hujus loci germanitas ex Epistolæ contextu, & scopo corroboratur. Ex contextu; nam particula copulativa versus VIII. *Et tres sunt, &c.* & versus 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*; haud obscure demonstrant verborum connexionem, & quod Apostolus de duplici testimonio divino, & humano egerit sigillatim. Quod confirmat scopus Epistolæ. Scripsit enim Joannes Epistolam illam, ut auctor est Athanasius in Synopsi, & in Comment. Beda, adversus Hæreses Marcionis, Cerinthi, & Ebionitarum, qui Christum ante Mariam non fuisse, quemadmodum & Sociniani disserunt, opinabantur. Congruum erat ergo, ut Apostolus duplici testimonio præexistentiam & divinitatem Christi, necnon veritatem Incarnationis firmaret. Ex fide igitur Mss. antiquiorum, ex consuetudine Amanuensium, & ex ipsa Apostolica Epistola demonstratur hujus loci autographia.

PROPOSITIO II. Prælaudati textus auctoritatem agnoverunt complures Ecclesiæ Patres.

Ut omittam Tertullianum in libro adversus Praxeam cap. 25. & Cyprianum libro de Unit. Ecclesiæ, qui citant quidem hunc locum, ut de S. Cypriano constat ex Fulgentio ad decimam Arianorum objectionem, sed tamen non adeo aperte, ut cogantur acquiescere Heterodoxi, cum postrema tantum laudent verba, *Tres unum sunt*; ut, inquam, istos omittam, de quibus vide Bullum, Hammondum, & Veronensem doctissimum Blanchinum in Pseudo-Athanasiana Enarrat. certe præfatum textum tanquam divinum proferunt Eugenius Carthaginensis Episcopus in Professione Fidei, quam nomine Confessorum Mauritaniæ exhibuit Hunnerico Regi Ariano anno 484. laudat quoque Auctor Prologi in Epistolas Canonicas, qui tribuitur Hieronymo: laudat Epistola 1. ad Orthodoxos Hyginus Papa: laudat Victor Vitensis lib. 3. de Persecutione Vandalica: laudant Vigilius Tapsensis in libro ad Varimadum, qui Tomo VI. Biblioth. PP. inscribitur nomine Idacii Clari antiquioris Vigilio, Innoc. III. cap. *Quadam* extra de Celebrat. Miss. & in Generali Concilio Lateranensi adversus Joachimum Abbatem, Bernardus Serm. 1. & 2. in Octavam Paschæ, & Hesylus, qui contestatur hanc lectionem reperiri in antiquissimo Codice Anglicano, atque in altero Hispaniensi. Quorum testimonia vide partim apud Honoratum Tournely, & Nicolaum L'Herminier, partim apud Bullum, & Blanchinum, partim vero apud Salmeronem citatis locis. Inter hos vero, aliosque, duobus sese dedant Unitarii, & Critici necessum est, scilicet Athanasio Africanæ Ecclesiæ Antistiti, qui floruit longe ante exortam hæresim Pelagianam, & semper adhæsit Italicæ versioni nondum emendatæ a Hieronymo; & Cassiodoro, qui floruit quidem sexto sæculo, & post emendatam versionem Italicam, sed utebatur antiquissimis, probatissimisque Codicibus undequaque summa diligentia collectis, ut ipsemet scribit libro divinarum Instit. cap. VIII. Quod animadvertendum est, ne reponant morosi Sugillatores Cassiodorum Versione jam deturpata fuisse deceptum. Athanasius ergo producit testimonium istud in Expositione Symboli, quam ex penu Bibliothecæ Veronensis Capituli vulgavit præfatus Blanchinus: & Cassiodorus illud affert in libro Complexionum, quas edidit alter Veronensis urbis vir celeberrimus Scipio Maffei. Quare hi duo ambo Itali, & ejusdem urbis Patritii videntur tandem controversiæ materiem penitus sustulisse.

PROPOSITIO III. Supposita laudati versus Canonicitate, patens est trium Divinarum Personarum distinctio.

Constat, quandoquidem Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus dicuntur tres, & unum: sunt ergo tres personalitate & hypostasi, unum divinitate & natura. Quippe dici nequit quod sint plures, & unum secundum eamdem rationem; neque quod unum sint solo consensu, & unitate testimonii, ut dicam infra.

RESPONDETUR ERASMO, AC SIMONIO.

Opponit autem Erasmus. Sanctus Cyrillus lib. 14. Thesauri cap. penultimo profert contra Arianos versum VIII. *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, &c.* Non omisisset autem primum, seu antecedens, si in aliquo vetusto Codice reperisset. Nullam pariter hujus mentionem fecit Augustinus, qui contra Maximinum Arianum omnia argumentorum genera complexus est: neque Beda, cui in observandis antiquis exemplaribus nec diligentia defuit, nec peritia linguarum. Ad hæc: Hieronymus, qui hunc versum intrusit, unde illum exscripsit? Certe ex Græcis exemplaribus; sed hæc aut variabant, aut non: si non variabant, cur prætermiserunt Cyrillus, aliique Patres? Si variabant, quomodo docet Hieronymus utrum sit rectius, utrumve scriptum ab Apostolo? Præterea conqueritur Hieronymus aliquos eum accusare tanquam falsarium, corruptoremque sacrarum scripturarum. Quis vero eum clamasset falsarium, nisi publicam mutasset lectionem? Rursus additio hujus loci nihil efficit adversus hæreticos; quia cum constet olim codices variasse, nihil hoc telum adversus illos valebit. Præterea Erasmus, qui ex codice Britannico hunc versum reposuit, ne cui esset ansa illum calumniandi, consuluit postea duos codices miræ vetustatis in Burgensi Bibliotheca D. Donatiani, & neuter habebat. Accepit quoque a Paulo Bombasio deesse in vetusto codice Vaticano; in quo & auctoritas erat vetustatis, & Pontificis, quoniam ex illius Bibliotheca petitus est. Consentit editio Aldina, quæ eo caret. Hæc sunt, ob quæ Erasmus rediit iterum ad ingenium, postquam in editione Antuerpiensi anno 1531. lectionem Apostolicam restituerat.

Resp. Cyrillum, Augustinum, & Bedam hunc textum Arianis non objecisse, vel quod ad manus haberent codices, qui eo carebant, vel quia cum possent aliunde Arianos confutare, de *authenticitate* hujus loci contendere noluerunt. Usi sunt tamen hoc loco alii PP. quamplurimi, quos Prop. 2. memoravi; unde constat versum in omnibus Bibliis extasse, quæ hi Patres habuere præ manibus. Neque Hieronymus publicam mutavit lectionem; quandoquidem versus ille extabat in antiqua Itala, qua ante Hieronymi ætatem utebatur Athanasius Africanus Episcopus, necnon in vetustissimis membranis, unde exornavit Complexiones suas Cassiodorus. Hæc dicimus dato quod Prologus in Epistolas Canonicas auctorem habeat Hieronymum, quod inter eruditos non constat. Discerni autem potuit, quænam esset vera & Apostolica lectio ex codicum collatione, & numero; pluribus enim, & antiquioribus fides habenda est; præsertim ubi apparet caussa erroris Amanuensium, ut illic contingit. Neque omnes Ecclesiæ Hieronymum falsarium, corruptoremque divinarum scripturarum appellaverunt, ut fecissent, si publicam mutasset lectionem; sed omnes illum veneratæ sunt, & merito suspexerunt. Quod id ausus sit aliquis invidus & obtrectator, famam Hieronymo non minuit, sed auget: neque indicio id est, communem mutasse lectionem, sed castigasse privatam. Hac emendata habemus telum efficax contra hæreticos, qui nequeunt reponere nos pro lubitu sacras literas depravasse, cum id factum sit ex Mss. melioris notæ, & ex Patribus. In Burgensibus, quæ citat Erasmus, errorem dicimus irrepsisse, cujus non opus est, ut repetamus originem, aut exempla Erasmo ipsi notissima. Vaticanus codex, de quo Bombasius Erasmum reddidit certiorem, non est antiquior in Bibliotheca Pontificis; cum alium vetustiorem, in quo extat hic versus, viderit Amelotius; cui addendi sunt, quos 1. Prop. recensui, etiam Britannicus, qui invitum Erasmum ad Bibliorum suorum restaurationem impulerat. Quod ait non deesse Codici Vaticano Pontificis auctoritatem,

tem, quoniam ex illius petitur Bibliotheca, indignum est Erasmi eloquio ac doctrina: non enim thecis, paginisque librorum continetur Romani Pontificis auctoritas; neque ullus ex Successoribus Petri decrevit prædictum Codicem, aut Aldinum, aut Burgensem esse undequaque completum & Apostolicum; quemadmodum de Vulgatæ nostræ lectione tum Papa, cum Tridentina Synodus statuerunt.

Opp. 2. cum Richardo Simonio. Tres sunt notæ, quibus dignoscitur hujus falsitas testimonii; quarum prima est, quod desit in septem Mss. Regiis, in v. Bibliothecæ Colbertinæ, in multis Græcis, Latinisque, in Syriacis quoque, Arabicis, & Aethiopicis. Altera, quod in multis Codicibus versus VIII. præmittitur septimo, quod nempe Scholium ex margine in textum irrepserit. Tertia, quod nullus ante v. sæculum, & Victorem Vitensem ipsius meminit; neque etiam Hieronymus, cui supponitur Prologus in Epistolas Canonicas, & falso illi adscriptus.

Resp. Has Simonii conjecturas nullius esse momenti. Etenim quantum ad primam: constat versum septimum in pluribus Codicibus inveniri, & cur in aliquibus desit: quæ duo priori propositione sunt demonstrata. Non minus levis est altera; nam cum amanuenses errorem in scribendo adverterent, quæ omiserant reposuerunt: idque fateri debet Simonius, qui parum sibi constans Prima Parte cap. 18. Criticæ novi Testamenti laudat Codicem San-Germanensem ante annos octingentos exaratum, in quo versus septimus legitur non per modum Scholii & in margine; ut etiam in pluribus ex his, quos recensuimus. Levissima quoque est tertia; quandoquidem hunc textum laudarunt Athanasius Africanus, & Hyginus Papa, aliique bene multi ante ætatem Hieronymi.

Quod attinet ad Prologum in Epistolas Canonicas, num sit Hieronymi, necne, parum refert; cum alios præter Hieronymum Patres habeamus testes locupletissimos. At Simonius minimis ductus momentis illum Hieronymo abjudicavit, quem doctissimi PP. Benedictini Tom. 1. divinæ Bibliothecæ dignis Censuris exceperunt. Asserit Richardus adscribi perperam Hieronymo, quod in pluribus vetustissimis Mss. desideretur. Respondent Benedictini extare in Regiis num. 3561. & 3564. in Colbertinis n. 1. & 158. scriptis, nullo refragante, ante tempora Caroli Calvi, in quatuor quoque Bibliothecæ San-Germanensis, & in Corbejensi antiquissimo. Addunt nonnullas præfationes, quas omnes fatentur esse Hieronymi, abesse a vetustissimis Mss., in Regio n. 3564. desiderari Præfationem in librum Esdræ, & in tribus Exemplaribus Canonis Hebraicæ Veritatis deesse Præfationem in Psalterium. Deinde ait Simonius suppositium esse hunc Prologum quod extet in quibusdam Ms. absque nomine Auctoris. At Benedictini ex adverso demonstrant alias quoque Hieronymianas præfationes, vel omnes, vel aliquas sine auctoris nomine reperiri in Codice Ms. Montis Majoris prope Arelatem, in Canone Hebraicæ Veritatis Carcassonensis Ecclesiæ, in Colbertino antiquissimo n. 16. in San-Garmanensi n. 164. Tertio opponit Simonius Prologi Auctorem esse Collectorem illum, qui omnes libros novi, ac veteris Testamenti uno volumine complexus est. Et id conatur ostendere ex Præfatione affixa initio Actuum Apostolorum, quæ non est scripta a Hieronymo, sed desumpta ex ejus Prologo Galeato. Verum respondent Monachi in Prologo Galeato de libris novi testamenti altum haberi silentium, ac memoratam Præfationem desumptam esse ex Epistola Hieronymi ad Paulinum; ex qua putant derivasse etiam Prologum breviorem, qui reperitur in pluribus Mss. ante Apostolicas Epistolas. His eximuntur argumentationes Simonii, de quibus laudati Patres, Acta Eruditorum Lipsiæ anni 1693. a pag. 97. ad 110. & in Commentariis de Script. Eccles. Tom. 1. Sæculo IV. in Hieronymo, Cap. XI. Casimirus Ovdin Monachus excucullatus.

Verum tamen est quod iidem Monachi gravioribus ducti argumentis censent Prologum, de quo agimus, non esse Hieronymi. Primo, quod in ipso Prologo occurrit nomen Epistolarum Canonicarum, quas alibi S. Doctor appellat Catholicas, non autem Canonicas, uti vocari cœperunt ab ætate Cassiodori, qui hoc nomine utitur VIII. Capite libri divinarum Institutionum. Ulterius quod auctor Prologi glorietur rem perutilem se facere Ecclesiis, cum in priorem ordinem ac seriem Apostolicas revocet Epistolas; nam & perpetuo talem ordinem servasse comperitur, neque res videtur tantæ, ut inquit, utilitatis. Tandem ob styli barbariem, & orationem indignam Hieronymo eloquentissimo: apud quem nullibi invenies illud infimæ latinitatis *Quod quia*, ut in hoc Prologo offendes.

Cæterum neque hæc magnum habent pondus, & respondet ad singula Honoratus Tournely De Trinit. pag. 116. perantiquum esse Canonicarum Scripturarum vocabulum, usurpatum a Synodo Antiochena, & a IV. Carthaginensi: hanc styli discrepantiam nec Erasmum sagacissimum deprehendisse: Auctorem Prologi non designare, num Epistolarum ordinem inverterint veteres, num sui coætanei. Quibus addo ex Confessione eorumdem Benedictinorum, hunc Prologum præferre nomen Hieronymi in Mss. antiquioribus Corbejensi, Colbertino, San-Germani, & S. Andreæ prope Avenionem. Nolo tamen certum proferre judicium, dum solis agitur conjecturis. Si Prologus non sit Hieronymi, cedit in reprehensionem Erasmi; si vero sit, in confutationem Simonii; quum interim uterque peccet: nam Hieronymus in sacris litteris versatissimus infidelitatis argui non debet, nec ipse omnium primus versiculum in Apostolicam intrusit Epistolam.

RESPONDETUR ARIANIS ET SOCINIANIS.

Opponunt 3. Hæretici: In versu VIII. sequenti: *Et tres sunt qui testimonium dant in terra spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt*; non subintelligitur ulla substantiæ unitas, nullumque subest arcanum. Ergo neque in versu septimo præcedenti.

Resp. plures a Theologis adhiberi responsiones, quorum singulæ argutationem istam eludunt. Dicunt aliqui vetustissimos Codices non habere postrema verba, *Et hi tres unum sunt*: & Grotius diserte tradit addita fuisse ab Arianis; in quam sententiam inducitur ex antiquissimo manuscripto, quod deprehendit cum aliis pluribus concordare. Observant alii haberi in textu Græco *ὅτι οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν*, *Et hi tres in unum sunt*. Animadverti ego legi apud Idacium Clarum, sive Vigilium Tapsensem, in libro contra Varimadum, *Et hi tres in nobis sunt*. His omnibus liquet magnum interesse inter versum VII. & VIII. discrimen. Repetunt alii responsionem ex versu 9. proximo: *Si testimonium hominum accipimus, Testimonium Dei majus est*.

Ego vero, etsi omnes Sententiæ istæ probabiles sunt, & prima præsertim, cum Lovanienses testentur se quindecim pervetustos legisse Codices, in quibus non erat, *Et hi tres unum sunt*: hæc tamen verba genuina esse profiteor. Nolo enim contra hæreticos disputans partem Apostolici testimonii avide arripere, partem timide rejicere. Autographum censeo undequaque, tum quia legitur in Vulgata Latina, quæ ceteris versionibus præstat; tum quia legitur quoque a S. P. Augustino libro 11. contra Maximinum cap. 22. Sed operæ pretium est, ut evidenter ostendam, quomodo posteriora verba præcedentium vim non infringant. Primum ergo Spiritus, Sanguis, & Aqua sacramenta & signa sunt: & quotiescunque de sacramentis ac signis enunciatur quod unum sint; id non intelligitur quod sint una substantia, sed quod sint signum unius substantiæ; veluti si dixero, *Petra, & Aqua sunt unum*, volens significare in Petra Christum, & in Aqua Spiritum Sanctum, non sequitur petram & aquam unam habere naturam, sed sequitur tantum, quod unam naturam habeant Christus & Spiritus Sanctus, quorum sunt signa. Quod vero Spiritus, Aqua, & Sanguis sint sacramenta vel signa, ostendit loco nuper laudato S. P. Augustinus; ubi docet spiritum significare Patrem, de quo Joannes cap. IV. *Spiritus est Deus*: Sanguinem significare Filium, de quo Joan. cap. 1. *Verbum caro factum est*: & Aquam significare Spiritum Sanctum, de quo idem Joannes cap. VII. *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Cum ergo Spiritus, Aqua, & Sanguis sint signa, dum dicitur quod sunt unum demonstratur dumtaxat unitas in substantia Patris, Filii, & Spiritus Sancti, qui per hæc Sacramenta significantur. E contra Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus non sunt signa, non sunt sacramenta; ideoque dum dicitur quod sunt unum, ipsorum naturæ unitas demonstratur. Lege citato loco Augustinum.

Deinde hæc propositio *Unum sunt* proferri potest & de una substantia, & de rebus spectantibus ad unam substantiam. Enunciaretur de una substantia si dicerem E. G. *Pater & Deus unum sunt*: proferretur de rebus spectantibus ad eamdem substantiam, si dicerem, *Anima & corpus unum sunt*, scilicet, *unus homo*. Porro Spiritus, Sanguis, & aqua pertinebant ad eamdem substantiam Christi, exierunt enim de corpore ipsius; & consequenter rectissime dictum est quod sunt unum, nempe spectant ad eamdem Redemptoris humanitatem. Pater vero, Verbum, & Spiritus Sanctus non ideo dicuntur, *Unum*, quod partes sint ejusdem substantiæ, & licet natura diversi, ad eamdem spectent divinitatem; propterea quod divinitas neque partes habet, neque plurium naturarum distinctionem. Dicuntur ergo unum priori sensu, hoc est, unum divinitate ac substantia. Rursus ea verba: *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis*, habentur græce Καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ, τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα. Omnia sunt generis neutrius, πνεῦμα, τὸ ὕδωρ, τὸ αἷμα: ideoque dicendum fuisset καὶ τρία μαρτυροῦντα, non vero καὶ τρεῖς μαρτυροῦντες, nisi hæc verba referrentur ad versum septimum præcedentem ὅτι τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ. Quare Spiritus, Aqua, est Sanguis dicuntur *tres*, & *unum* hoc tantum sensu, quod addant testimonium in terra præter illud divinum, & cæleste, quod perhibetur a Patre, Filio, ac Spiritu Sancto. Postremo aliquid haberet ponderis hæreticorum cavillatio, si in 7. & 8. versu fieret comparatio inter unitatem, in qua conveniunt οἱ μαρτυροῦντες, testimonia cælestia, atque unitatem, in qua conveniunt Spiritus, Aqua, & Sanguis: at non fit comparatio hæc, sed inter rem, quam testificantur. Cum enim

enim Apostolus agat de fide in Christum, quem verum Deum, ac verum hominem esse credimus, ostendit esse verum & unicum Deum ex testimonio cælesti, verum & unicum hominem, ex testimonio terreno; idque ob hæreses, quæ tunc grassabantur circa Christi divinam, humanamque naturam.

CAPUT IV.

Expenduntur hæreticorum objecta ex novo Testamento petita.

HIS itaque, aliisque momentis fides individuæ Trinitatis adstruitur. Quorum pleraque de Verbi, ac Spiritus Sancti divinitate disputaturi proferemus in medium: nam in præsentiarum antiquorum Sabellianorum, necnon Crellii, Wolzogenii, aliorumque e grege Socinianorum objecta solvenda sunt, quibus in genere hanc fidem Catholicam quatere moliuntur. Sunt autem istiusmodi.

Opponit 1. Crellius. Joannis XVII. 3. Christus ita Patrem alloquitur: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant Te, solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Solus ergo Pater Deus est, & aliæ personæ excluduntur a communione divinitatis. Ea quippe est vis adjectivi hujus *Solus*, ut ceteros omnes excludat a participatione rei enuntiatæ, sive, ut inquiunt, *prædicati*. V. G. Si dicas, *Solus Christus est hominum Redemptor*, erit sensus nullum alium Redemptorem hominum esse præter Christum.

Communis & vera responsio est Patrem dici solum Deum per exclusionem Deorum, quos insana Gentilium superstitio venerabatur, non per exclusionem Filii ac Spiritus Sancti. Observat Petavius lib. de Trinit. III. cap. 1. haberi in Græco *τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν*, ubi articulus *τὸν* demonstrat illud *μόνον solum* copulandum esse cum sequentibus *ἀληθινὸν Θεὸν Verum Deum*, non cum præcedenti pronomine *Σὲ Te*. Ait distare plurimum has duas propositiones, *Pater solus est Deus*, & *Pater est ille solus Deus*, quemadmodum discrepant hæ, *Socrates solus est Philosophus*, & *Socrates est solus Philosophus*. In quarum prima significatur Socratem Philosophum esse, & nullum alium præter eum esse Philosophum; in altera Socratis nullam esse scientiam præter Philosophiam. Norunt hæc pueri, qui non ignorant proprietatem vocabulorum, quam dicunt Dialectici *appellationem*.

Huic responsioni lucem addam ego clariorem, quamquam forte non eget. Sensus horum verborum, *Hæc est vita æterna*, &c. est, Vita æterna comparatur per practicam fidem in unum Deum, & in Filii ejus Incarnationem. Metonymia est enim, quemadmodum in versu 25. cap. XI. *Ego sum resurrectio & vita*, & in 12. cap. XI. Epist. ad Rom. *Delictum illorum divitiæ sunt mundi*: id est, Ego resurrectionem, & vitam tribuo, & Gentium multitudo, atque opulentia ex delicto, & incredulitate Judæorum profecta est. Describitur itaque cap. XVII. Joannis modus parandæ æternæ vitæ, qui est ejurata Deorum multitudine, unum Deum confiteri, & Christi doctrinam religionemque sectari. Vide Ignatii Martyris Epistolam ad Magnesianos, ubi de Christo ait, *τοῖς ἐξοκείλασιν εἰς πολυθεΐαν τὸν ἕνα, καὶ μόνον ἀληθινὸν Θεὸν καταγγείλαντα τὸν ἑαυτοῦ πατέρα*: *Qui ad multitudinem impactis Deorum, unum, & solum verum Deum annunciat Patrem suum*. Confer cum Joanne quæ habet Paulus in priori ad Thessalonicenses cap. 1. v. 9. *Ipsi enim de nobis annuntiant, qualem introitum habuerimus ad vos: & quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo, & vero, & expectare Filium ejus de cælis*, &c. ubi vides Deum verum ac viventem appellari per oppositionem, non ad Filium, sed ad simulacra, & idola; quæ nihil sunt aliud, quam aurum & argentum, opera manuum hominum.

Opp. 2. Apostolus in Epist. 1. ad Corinth. cap. VIII. *Nobis*, inquit, *unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum. Et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Habet similia ad Ephesios cap. IV. 5. Distinguitur ergo Deus a Domino, & primum nomen soli Patri tribuitur, alterum Filio.

Resp. 1. Posse contra adversarios verba Apostolica retorqueri; sicut enim Jesus Christus dicitur unus Dominus sine exclusione Patris; ita Pater dicitur unus Deus absque exclusione Filii. Secundo respondendum est Patrem dici solum Deum ad exclusionem inanium Deorum: quod liquet ex verbis immediate præcedentibus: *Nam etsi sunt qui dicantur Dii, sive in cælo, sive in terra (siquidem sunt Dii multi, & Domini multi) nobis tamen unus*, &c. Quo in loco Deum vocari Patrem per oppositionem ad eos, qui *εἰσὶ λεγόμενοι θεοὶ*, nomine tantum, non re, supervacaneum est demonstrare. Ac demum Corinthiis nuper ab idolorum cultu conversis Apostolus altissima Fidei arcana ratus est non statim esse exponenda; unde cap. 3. *Tanquam parvulis* (inquit) *in Christo lac vobis potum dedi, non escam*. Quamquam & præcitata verba obvium habent sensum Christianæ professioni valde consonum, videlicet: Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, primarium rerum universarum principium, & divinitatis fons & origo: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, id est, nulli creaturæ subjectus, sed Sapientia Patris, per quem omnia creata sunt, omniaque instaurata.

Opp. 3. In prima ad Corinthios cap. XII. 4. & seqq. idem Apostolus ait: *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus: Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: Et divisiones operationum sunt, idem autem Deus*. Ibi tres designantur, & unus tantum, id est, Pater, vocatur Deus. Quibus cohærent cum Apostolicum Symbolum, tum Nicænum & Constantinopolitanum, quæ solum Patrem appellant Deum.

Resp. Paulum alloqui homines, qui ad Idolorum simulacra proficiscentes dæmonum vaticinia plurimi faciebant. Ait enim v. 2. *Scitis quoniam cum gentes essetis ad simulacra muta prout ducebamini euntes*, &c. id est, spe discendi futura ad idola agebamini, sive ad Deorum vates, quales erant in templo Pythio, Amphiarai, & Trophonii. Quærere ergo poterant Corinthii duo: primum, cum aliquando contingat, ut futura prædicant tam a Deo afflati, quam a Dæmone, quomodo possimus inter illos discernere. Alterum, cur non omnes prædicendi futura donarentur scientia. Ergo ut priorem solvat dubitationem versu 3. immediate proxime, inquit: *Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu: Et nemo potest dicere, Domine Jesu, nisi in Spiritu Sancto*. Docet his Prophetarum oracula in veteri Testamento fuisse Divino Spiritu afflante, quoniam a Dei cultu homines non abducebant, & nunc pariter verum ab his narrari, qui non dicunt Anathema, id est, non execrantur Jesu Christi nomen, ipsiusque Evangelium. Ita perspicue primum dubium resolvit. Ut vero solvat alterum, versu 5. ait: *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus*, &c. id est, non omnibus omnia dantur; sed tamen singula gratiarum dona ex eodem principio ac Spiritu proficiscuntur, & ad eumdem pertinent Dei cultum; quemadmodum diversi Ministrorum ordines ad unius Domini famulatum, omnesque operationes ad unicam supremam caussam sunt referendæ. Quamobrem dividuntur fidelibus charismatum dona, sed ordinantur omnia ad unius Ecclesiæ utilitatem, & unius Dei religionem promovendam, quomodo diversa corporis membra, tametsi eumdem actum non habeant, ad unius hominis vitam, & commoditatem: quo exemplo narratis variarum gratiarum officiis eodem loco utitur Apostolus. Atque istam esse germanam hujus loci interpretationem constat legenti.

Do tamen, ne quis obganniat, etiam aliorum interpretationem non malam. Dicunt ergo Theologi & Interpretes, Apostolum nomine Spiritus, Domini, ac Dei, vel unum Spiritum Sanctum designare, vel tres personas. Si primum velis, congruit triplex illa appellatio diversis muneribus ejusdem Spiritus; nam charisma proprie respondet Spiritui, ministratio refertur ad Dominum, & operatio ad Dei spectat omnipotentiam. Si autem velis tres ibidem designari personas, dicunt Dei nomen accipiendum esse *ἰδιωτικῶς*, *secundum proprietatem* principii ac fontis; quo sensu Pater speciali quadam ratione *Deus* appellatur. Quæ sunt proculdubio verissima; sed, ut arbitror, præcedens responsio propius accedit ad scopum, & sensum Apostoli.

Ex quibus patet quid ad Symbola Fideique formulas sit respondendum. Cum enim hæc primum rudibus & ab idololatria revocatis proponerentur, taliter institutæ sunt, ut expresse inanium Deorum superstitionem eliminarent, simulque Catholicæ Religionis continerent arcana. Atque hinc est quod ab eo exordiuntur articulo, *Credo in Deum*, &c. quod, ut scribit Cyrillus Alexandr. lib. 2. de Adorat. in Sp. *Fides Catechumenorum prima sit, ab opinione multitudinis Deorum removeri*. Sed sublimiori quodam stylo etiam divinitas Filii in Symbolis insinuatur seq. articulo: *Et in Jesum Christum*, &c. quippe, ut scribit Ambros. in Caput 1. ad Galat. *nec minorem Filium significat cum eum Dominum nostrum vocat, nec Patrem majorem quia eum Deum nostrum appellat; quia non erit verus Deus Pater, nisi & Dominus sit; neque verus Dominus Filius, nisi & Deus sit*. Verum de Filii divinitate suo loco. Consimilia sunt, quæ ex aliis scripturarum divinarum libris opponunt Sociniani, nimirum ea 1. ad Timoth. 25. ex Epist. ad Romanos III. 30. & XV. 28. ex cap. V. Joannis 44. ubi unius Dei mentio fit; sed ubique per oppositionem ad Deos Gentium. Quare necesse non est, ut singula proferamus.

Opponit ulterius Joannes Ludovicus Wolzogenius in lib. qui inscribitur, Præparatio ad utilem lectionem sacrarum literarum cap. XXIX. Pontificii, id est, Romanæ Communionis Theologi, etsi Trinitatis defensores acerrimi, tamen veritatis evidentia coacti agnoscunt eam ex sacris literis probari non posse; sed opus esse recurrere ad Traditiones. Sic enim scribit Dionysius Petavius Jesuita doctissimus in magno Opere suo de Trinitate lib. 1. cap. 1. §. 3. *De tribus Personis divinitatis, earumque una essentia, ante Nicænum Concilium perfecte sciri, & scribi non potuit, quia mysterium istud post certamen cum Arianis demum Catholicis est revelatum, & confirmatum*. Ita scribit quoque Sacroboscus in Defensione Tridentini Concilii pag. 1. cap. 6. Alius Jesuita Petrus Skarga in illa Christi verba, *Baptizate*, &c. ait, quod Apostoli dogma Trinitatis initio reticere soliti erant. Et Bellarminus lib. IV. de Verbo Dei

cap. 6.

cap. 6. §. Jam vero : *Cum e Scriptura*, inquit, *non convincerentur Ariani, eo quod easdem Scripturas aliter exponerent, quam Catholici, damnati fuerunt ex sermonibus non scriptis, pie tamen intellectis*. Idem habet Salmeron Comment. in Joan. xvi. 12. Florimundus in sua Historia de ortu, & progressu hæresum, Hosius, Feuardentius, Gordonus, Gretserus, & alii innumeri. Si ergo tam præclari, & summe docti viri fatentur e Sacris literis non evinci Trinitatem per legitimas, & irrefragabiles consequentias; constat quod in Sacris literis dogma illud nullum verum habet fundamentum.

Resp. nego aliquem ex Pontificiis Scriptoribus asserere Trinitatis mysterium non posse ex Sacris literis evidenter probari. Docent quidem præter Scripturas, etiam per Traditionem Trinitatis dogma ad nos fuisse perductum; sed illud ex Scripturis non erui, nullus Romanensium asseruit. Traditio quidem necessaria est, & ad dignoscendum quænam sit vera Scriptura, cum sit Verbum scriptum ex Patrum documentis recipiendum; & ad sensum ejus intelligendum, ubi perobscura est, & eget Judicis vivi declaratione. Hæc docet Petavius cap. 1. de Trinitate; ubi nescio an sint verba citata e Wolzogenio, quæ forsan me legentem fugerunt. Si ea scripsit alicubi, de verbo *Omousion* Petavius est exponendus, quod certum est Nicænam Synodum consecrasse, & de vocabulis Ousiæ, & Hypostasis, de quibus agit lib. 1. cap. 3. §. 3. At etiam primitus dogma Trinitatis profitebatur Ecclesia, & falsum est Nicænos Patres non pugnasse pro hac fide Scripturis. Audiamr Theodoretus lib. 1. Hist. cap. viii. *Talis fuit Arianorum corrupta sententia. Ibi animadversa fraude, allegarunt Episcopi ex Scriptura resplendescentiam, fontem, flumen, characterem ad substantiam, & hoc, In lumine tuo videbimus lumen, Et hoc, Ego & Pater unum sumus, &c.* Docet postea quod struentibus Arianis impietatem vocibus illis DE NIHILO, & FUIT, alienis a Scriptura, Patres usi sunt verbo *Consubstantialis* ex priscorum Traditione. Nec aliter docent Sacrobolcus, & Salmeron. Quamquam, etsi Patres ex sola Traditione damnassent Arium, esset judicium eorum irrefragabile, cum & Verbum traditum sit ad faciendam fidem aptissimum. Bellarminus autem falso citatur a Wolzogenio; ait enim: *Etsi quædam Scriptura poterant adferre contra Arianos, tamen quia Arius etiam proferebat Scripturas; ex doctrina non scripta, sed tradita per manus Patrum sibi in Ecclesia succedentium eundem condemnaverunt.* Non ait, non posse Arianos convinci Scripturis, minime: sed ait, cum multa sint Scripturæ, quæ videntur facere Christum minorem Patre, satius judicarunt Nicæni Antistites, Arianos his Scripturis abutentes ea Verbo tradito condemnare. Verum tamen est, Bellarminum testem advocare Theodoretum loco citato, ubi docet Patres adversus Arianos certasse quoque Scripturis, & vocabulum Omousion propter Patrum priscorum auctoritatem consecrasse. Petrus Skarga scribit Apostolos statim non aperuisse Neophytis Trinitatis arcanum, sed initio Deum unicum prædicasse, ut fecit Paulus Athenis in Areopago. Ex quibus non sequitur, aut non annunciasse Trinitatem, aut hanc ex Scripturis non demonstrari. Hosius, Feuardentius, Gordonus, Huntlæus in locis citatis a Wolzogenio inquiunt duntaxat, non omnia scitu necessaria ex sola Scriptura probari, neque Apostolicas rejiciendas esse traditiones: quod nos etiam opportuniori loco docebimus. Non tamen negandum est Scriptoribus illis, præsertim Petavio, aliqua verba nimis dura excidisse; sed & Petavium ea Verbo Dei scripto Trinitatem demonstrare constat legenti librum ii. cap. vii. & sequentibus.

CAPUT V.

Traditione Patrum divinarum Personarum numerus comprobatur.

PAUCIS me expediam: nam veteres Patres Trinitatem agnovisse videntur fateri recentiores hæretici; qui ut tantum a se veritatis præsidium amoveant, ajunt impudenter, nimium Platonicorum placitis Scriptores sæculorum priorum fuisse addictos, atque majori ex parte hæresi proximos Arianorum. Quod quanta injuria ac falsitate dictum sit, alter liber monstrabit.

Fatetur ergo plures in Deo esse personas Clemens in Epistola ad Corinthios, quam genuinam esse constat ex Irenæo, Clemente Alexandrino, Origene, Eusebio, & Hieronymo, qui illam citant. Ex qua S. Basilius cap. 29. de Sp. Sancto producit apertissimum illud testimonium: *Vivit Deus, & Dominus Jesus Christus, & Spiritus Sanctus.* Meminit Trinitatis & Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone habito circa annum 140. in quo præter Deum Patrem scribit esse *Filium, virtutem Dei, ac Deum, non ut solis lux vocabulo nominatur, sed numero alterum.* Athenagoras, qui floruit circa annum 166. in Apologia hoc eodem anno, ut Pagius observat, exhibita M. Aurelio, & Lucio Vero, cap. ix. sententia est: *Christianos concipere etiam Filium Dei, nec esse cur quisquam ridiculum putaret Deo esse Filium; cum Pater, & Filius unum sint, sitque Filius in Patre, & Pater in Filio unitate, & potentia Spiritus.* Irenæus lib. v. adversus hæreses cap. 6. ait, *Patrem vere Dominum, & Filium vere Dominum esse.* Floruit autem Irenæus circa annum 180. de quo plura apud Massuetum dissert. 3. ar. 5. Lege & libri iv. caput 7. Dionysius Romanus circa annum 272. martyrio coronatus in celebri contra Sabellianos Epistola disertissime Trinitatem prædicat. Idem præstat Tertullianus, qui ad Fidem Christianam conversus est juxta Pamelium anno 196. Is in libro contra Praxeam tam aperte Trinitatem defendit, ut Joanni Clerico in Hist. Eccl. Sæc. 2. Ann. 186. num. 4. videatur tres divinas admisisse substantias. Nam cap. 11. ait: *Tres autem non statu, sed gradu, non substantia, sed forma, unius autem substantiæ, & unius status, & unius potestatis; quia unus Deus, ex quo & gradus isti, & formæ, & species, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti deputantur.* Sed de Tertulliani fide alibi. Nam modo sat est vidisse in eo Sacrosanctæ Trinitatis Confessionem. De Patribus vero tam Græcis, quam Latinis, qui post iii. floruere sæculum nulla exoritur dubitatio. Vide, si plura peroptas, Basilium Magnum in Exercit. Monast., Cyrillum Hierosolymitanum Catech. xvi. Gregorium Nazianz. Orat. 13. 29. 32. Epiphanium hæresi 56. & 62. Joannem Chrysost. Hom. 11. in Marcum, Theodoretum quæst. 20. in Genes. Quid singulos censeo? *Omnes, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ est Deus, divinorum librorum veterum & novorum Catholici Tractatores hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus unius, ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuent unitatem; ideoque non sint tres Dii, sed unus Deus: quamvis Pater Filium genuerit, & ideo Filius non sit, qui Pater est: Filius a Patre sit genitus, & ideo non sit Pater qui Filius est: Spiritusque Sanctus nec Pater sit, nec Filius, sed tantum Patris & Filii Spiritus, Patri & Filio etiam ipse coæqualis, & ad Trinitatis pertinens unitatem.* S. P. Aug. lib. 1. de Trinit. Cap. iv.

Hujus perpetuæ Traditionis testes habemus locupletissimos Patres omnes Concilii Nicæni celebrati anno 325. Constantinopolitani an. 553. Toletani 1. anno 400. Arelatensis 4. an. 830. Lateranensis an. 1215. Tridentini an. 1545. &c. Romanos quoque Pontifices, ac præsertim Dionysium apud Athanasium in Epist. de Synodo Nicæna, Hormisdam Epist. 76. ad Justinum, Gregorium Magnum in Symb., Agathonem in Epist. ad Constantinum, Heraclium, & Tiberium Augustos, Leonem IX. ad Episcopum Antiochenum, Innoc. III. lib. 4. de Myst. Missæ cap. 11. &c. Imperatores etiam invictissimos atque Augustissimos, Justinianum in Conf. Fidei, Basilium Macedonem in Exhortatione ad Leonem Filium suum, Leonem Philosophum in Epist. ad Regem Omarum, Carolum Magnum ad Toletanum Episcopum Elipandum, &c. Theologos denique, & Catholicos universos.

Neque est quod adversus hanc perpetuam Ecclesiæ traditionem dicas, Gentiles nunquam Catholicis objecisse pluralitatem Deorum, aut absurda, quæ ex hoc Fidei mysterio consequi videntur. Enimvero neque omnes Gentilium libros extare credendum est, neque primos Catholicos fidei capita, cujusmodi est Trinitas, Incarnatio, Eucharistia, irrisoribus Ethnicis revelasse. Quamquam hi Christianos redarguebant, quod Christum tamquam Dei filium haberent; ut liquet ex prima S. Justini Apologia: imo revera Praxeas & Celsus data opera conabantur ostendere, a Catholicis pluralitatem teneri Deorum; quos Tertullianus, & Origenes confutarunt. At lege Jueninum in Comment. de Sacramentis pag. 286.

Quoniam vero plurimi, ut faciant nubem testium ampliorem, supposititia Veterum scripta pro Sanctæ Triados fide commendant, & hæretici homines imperitiam nostram ridere solent; monitos juniores vellem, ut a citandis apocryphis dubiisque sedulo abstineant, nec morem gerant simplicioribus Scholasticis: quorum aliqui probare nituntur Trinitatem ex lib. vi. cap. 11. & lib. viii. cap. 15. Constitutionum Apostolicarum, quæ sub Clementis Romani nomine circumferuntur. At has suppositas censent complures Critici. Tribuunt enim (inquiunt) Apostolis, quæ profecto inferioribus evenerunt temporibus, ordinationes Diaconissarum, permultasque liturgias prorsus ignotas Apostolorum ætati. Scatent quoque pluribus absurdis, & anachronismis, quum doceant mulierum, non virorum barbam esse tondendam, quartas nuptias manifestam esse libidinem, septem Diaconos positos ante Paulum ab ipso benedicendos; cum Paulus ante Stephani mortem, & Diaconorum institutionem, imo ante annum Christianæ Aeræ xxxi. blasphemus fuerit & persecutor. Quare hi libri, plurimorum sententia, vel sunt Clementi abjudicandi, aut certe enormiter ab hæreticis depravati.

Afferunt quoque nonnulli Dionysii Areopagitæ testus apertissimos ex cap. 1. de Divinis Nominibus, & de Mystica Theologica cap. 3. Quos libros esse Areopagitæ multi quidem defendunt, & Sacra Parisiensis Facultas an. 1527. Erasmum negantem censoria virga notavit. Quidquid sit, certe non desunt, qui hac præsertim ætate judicent illos apocryphos. Habent vero & suæ opinionis argumenta, ut quod inscribantur Timotheo, & tamen Ignatii Martyris laudent Epistolam; cum Ignatius scripserit Timotheo jam vita functo. Tum quod Auctor scribat se interfuisse morti Deiparæ assumptæ, ut traditur, anno post Filii ascensionem quintodecimo, & longe ante conversionem Dionysii, qui Christo nomen dedit anno tantum decimo septimo,

quo

quo Paulus Athenas appulit. Addunt citari in his libris Ignatii Epistolam ad Romanos conscriptam post Dionysii Martyrium; nam Ignatius passus est Imperante Trajano anno cxvi. A. D. xx. Decembris, & Dionysius sub Domitiano anno xcvi. ministrorum conspiratione trucidato. His ergo dubiis incertisque fides niti non debet Catholica: quamquam, ut dixi, sunt, qui libros Dionysii genuinos esse defendunt, eumque martyrio coronatum sub Adriano: inter quos Natalis Alexander Dissert. xxii. Sæculi i. & Annatus lib. iv. art. viii., sed negant Launojus, Morinus, Dupinius, aliique quamplurimi.

Citat quoque in Thesauro Jodocus Coccius Epistolam Prochori, sive Historiam S. Joannis, quam fabulosam & apocrypham, & indignam quæ nomen præferat unius ex septem primis Diaconis censent Baronius, Bellarminus, Natalis Alex., Dupin, & quotquot de Ecclesiasticis Scriptoribus accurate pertractarunt. Et quidem liber fabulis nugisque refertus est, præsertim ubi narrat Sanctum Joannem coram Apostolis procidisse, ne proficisceretur in Asiam; & in insula Pathmos non Apocalypsin, sed Evangelium scripsisse. Observarunt præterea docti viri stylum sapere posteriorem ætatem; cum in explicanda Trinitate adhibeat vocabula post exortas Sabellianam, atque Arianam hæresim usurpata. Fabulam quoque putant, quod ii. cap. narratur fideles Joanni statim ac ex dolio ferventis olei exivit illæsus, Templum ante portam Latinam ædificasse, quod neque Apostoli permisisset humilitas, neque superstitiosa Romani Senatus, populique religio.

Accedit Hermæ, seu Pastoris liber scriptus circa annum lxix. in quo expresse traditur divinitas Filii; appellatur namque Deus antiquior omni creatura, & divinum Consilium ad conditionem, & productionem universorum. Extant ibi etiam Spiritus Sancti apertissimæ notæ divinitatis. Nonnulli hunc librum *Scripturæ* nomine cohonestarunt, ut Irenæus lib. iv. cap. 3. Origenes hom. i. in Ps. 37. & pluribus aliis in locis. Athanasius vero lib. de Decretis Nicænæ Synodi ait in Canone Scripturarum Sanctarum desiderari. Rejiciunt tamen Eusebius lib. 3. cap. 25. Rufinus in Symbolo, Prosper cap. 30. contra Collatorem, Gelasius Papa in Decreto de Scripturis Canonicis, Tridentina Synodus, & universalis Ecclesia. Licet tamen non sit in Canone receptus, fatentur omnes esse librum optimæ notæ, & quamlibet demum subierit sortem, stylo simplicissimum, Ecclesiæ perutilem, & sæculorum omnium approbatione celeberrimum. Videantur testimonia a Cotelerio hujus Operis editioni præmissa. Is ergo liber poterit tamquam specimen antiquæ doctrinæ, non tamquam divinus, & Canonicus commendari. Sed quoniam sunt, qui hujus libri Visiones, quæ præcipuam occupant partem, putant pias fraudes a prudentioribus spernendas; & perierunt insuper Græca exemplaria, si excipias fragmenta quædam e Veteribus collecta; nescio quo loco Hermam habituri sint Unitarii.

Hi sunt ergo antiqui Patres, quorum auctoritatem plures pro Fide Trinitatis producunt. Quibus connumerandus venit Sanctus Zeno Episcopus Veronensis. Huic plures attribuuntur Conciones editæ a Guarino an. 1508. & postea Bibliothecæ Patrum insertæ. Non sunt tamen genuinus Zenonis foetus; primo, quoniam is martyrium passus est sub Gallieni imperio, sive, ut aliquibus placet, sub Juliano Apostata, & nihilominus Concione v. perstringit data opera hæresim Arianam longa post tempora exortam; si tamen sub Gallieno occubuit, ut sententia fert probabilior. Deinde in Concione de Continentia enumerat plusquam quadringentos annos, ex quo Paulus suam ad Romanos dedit Epistolam; & consequenter quinto tantum Ecclesiæ sæculo floruit harum Concionum Collector. Denique observatum est a viris doctis Conciones istas ex variis depromptas esse Auctoribus: nam quatuor integræ sunt Basilii, plures Hilarii, nonnullæ desumptæ absque delectu ex Græcis, Latinisque Scriptoribus. Quapropter non sunt beati Zenonis scripta pro certissimo antiquitatis monumento proferenda. Sunt ergo Theologis, dum a Traditione petunt argumenta, Opera supposita & spuria a legitimis secernenda: & ubi lapsi sunt Scholastici, ne horum lectione decipiantur Tirones, jure illos commonefacio. Quamquam etiam apocryphi libri, si tamen antiqui sint, nec interpolati probentur, produci possunt ad demonstrandam Traditionem, quæ vigebat in Ecclesia eo tempore, quo fuerunt conscripti, non ita tamen, ut a Patribus, quorum nomen præseferunt, accipere videantur auctoritatem.

CAPUT VI.

Denegandum non esse Trinitatis Mysterium, quod illud humana ratio capere nequeat: nec dogma Catholicorum seipsum evertere.

JAM nos hæretici ad humanam provocant philosophiam. Opponunt primo credendum non esse quidquid in animo parit dubitationem, nec ullum esse tam sublime mysterium, ut ab ejus scrutatione ac probatione sit abhorrendum. Quod inferunt primo ex Apostolo i. ad Thessalonic. v. 21. ubi monet ut probemus omnia, & quod bonum est retineamus. Ad hæc, inquiunt, modum indagandi veritatem dogmatis alicujus esse solam Scripturam, ad quam velut ad Lydium lapidem religionis exigendæ sunt controversiæ: neque ad Christianam fidem pertinere, quidquid humana ratione non constat in Sacra textu aut expressis literis contineri, aut hinc deduci per legitimam consequentiam. Addunt hanc vocem *Mysterii* inani terriculamento rude & inconditum vulgus absterrere ne persequatur veritatem. De unaquaque re, quæ cadit sub examen, duo quæri, An sit, & Quomodo sit; & res esse innumeras, de quibus sciri potest, & reipsa constat vere existere, licet quomodo sint humanam fugiat scientiam. Has duas quæstiones, perinde ac in aliis rebus, in dogmate occurrere Trinitatis. Mysterium, inquiunt, est quando ignoratur: sed non est ulla ratione prohibendum, ne inquiratur, an sit? Hæc quæstio est solidis & irrefragabilibus argumentis resolvenda, & objectiones justis & idoneis rationibus sunt refellendæ, ut quisque erudiatur in fide; neque Religionis capita simpliciter, & absque probatione debent obtrudi. Si ergo ratione non constat esse Trinitatem, non est credenda.

Resp. non esse quidem cæco modo credendum quidquid nobis proponitur: esse tamen, ubi constat de veritate revelationis, sive in sacris expressæ literis, sive per manus traditæ, rationem fidei subjiciendam: neque temere scrutandas rerum divinarum caussas, quæ mentis nostræ conatum superexcedunt. Quod monet Apostolus in 2. ad Corinth. x. 5. dum hortatur, ut simus *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Salubriter vero idem Apostolus præcipit, ut omnia probantes teneamus quod bonum, & verum est, scilicet, ne credamus cuique spiritui, atque ne iis assentiamur, qui se Prophetas dictitant, docentes falsas doctrinas, ut etiam ait in 1. Epist. cap. 4. Joannes, scribens: *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Demus, quæso, solam Scripturam esse Lydium lapidem, normamque unicam pro controversiis fidei dirimendis, (quod constantissime falsum esse contendimus); quare nos Sociniani philosophicis argumentis aggrediuntur? quare Fidei capita denegant, quod videantur humanam superare rationem? Teneamus hanc regulam; & Scripturis Deum unicum annuntiantibus, & Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum prædicantibus, captivetur infirmæ mentis obsequium. Nam quod verbis literarum Sanctarum inextricabiles nectantur cavillationes, facit ingenioli nostri audacia. Aut Scripturam insinuare manifesto Trinitatem putandum est, aut subobscuris vocabulis. Si manifesto, quid certamus syllogismis? si obscuritate aliqua terminorum, cur mysteria volumus ratione comprehendere? At hoc Trinitatis arcanum clarissime in novo præsertim Testamento revelatum, firmissima confessione conclamamus. Quod si proponeretur obscurius, hic æque ac in aliis, non ad humanæ rationis recurrendum esset judicium, sed ad magistram veritatis Ecclesiam: alias si humane pensitanda sunt omnia, neque erit divina revelatio prima ratio credendi, neque Fides, quæ vincit mundum, Græcorum sublimior philosophia. Interim quomodo hæretici indagandi veritatem modum teneant, videant ipsi. Duo illa quæstionum genera, an sit, & quomodo sit res aliqua, & nos distinguimus: sed quando de prima certi sumus, negamus ratione esse alteram investigandam. Si enim de rebus ante oculos positis sæpenumero nequimus reddere caussam, & in explicanda E. G. motus & extensionis natura tantæ occurrunt difficultates; quantæ insurgant necesse est divina rimantibus? Dicant Unitarii, qui Deum in remotissima, cæli parte putant abscondi, & fatentur omniscium, quomodo de tam longinquo intimas scrutetur cogitationes? Exponant quomodo animal ab animali generetur, & ingens e minutissimo semine crescat arbor? Narrent nobis conceptionis Virginis arcanum, resurrectionis modum, mundi productionem ex nihilo. Si hæc omnia se nescire scribunt Sociniani in altero Tomo Wolzogenii pag. 310. quare ergo ea credunt, si modum ignorant? Credimus, inquiunt, quia certi sumus de priori quæstione, etiam si non capiatur secunda. Et nos credimus Trinitatem, quoniam certi sumus existere, quæ est prima quæstio; tametsi non percipiamus quomodo consistat unitas substantiæ cum pluralitate personæ, quæ est quæstio altera. At inquit hæreticus, non est ergo Trinitas mysterium, nisi eo pacto, quo mysteria sunt res innumerabiles quæ sunt in mundo, quarum novimus existentiam, sed modum nescimus? Etiam, mi Sophista; nam harum rerum existentiam scimus naturaliter vel sensu, vel discursu; sed existere in divinitate tres personas, nequaquam naturaliter notum est; sed supernaturali revelatione. Atque in hoc sita est natura mysterii, quod nec etiam priorem quæstionem, An sit, quisquam sciret, nisi Deus revelasset. Potius, inquis, culpandi erunt defensores Trinitatis, qui non modo docent Deum unum, & Trinum esse, verum etiam modum, quo id fiat, in specie determinant: nimirum Patrem generare & concipere Filium contemplando seipsum, & ab utriusque voluntate æternam manare Spiritus Sancti processionem. Verum neque omnes Theologi id statuunt ac definiunt, quibus & nos consentimus: & si plurimi discrimen illud probant generationis, & processionis, ducuntur argumentis, quæ suppeditare videtur ratio imaginis, & amoris, quam in Deo reperiri non decernunt ipsi audacter, sed a Deo revelante acceperunt.

runt. Quid ergo? credimus absque ratione? Minime, quoniam ratio ipsa suadet, divina esse intellectu nostro sublimiora, & non Fidem rationi, sed rationem Fidei esse accommodandam. Attamen, cum ea, quæ evertunt sese, falsa sint; nec possint consequenter a Deo revelari; videamus oportet quomodo probent Adversarii Trinitatem esse philosophiæ ac rationi contrariam: siquidem rationem omnem naturalem excedere ultro concedimus.

ALTERCATIO SOCINIANI, ET CATHOLICI.

SOCINIANUS. Dogma Trinitatis seipsum evertit, quia ex eo sequitur unum tantum esse Deum, & simul quoque tres Deos esse. Unum tantum Deum esse, ore palam Catholici profitentur, tres autem Deos esse fateri nolunt, sed vis tamen hæc inest verbis eorum, cum dicunt tres esse distinctas Personas, quarum quælibet sit Deus. Nimirum Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus. Ergo tres sunt distincti Dii. Quod facile intelligitur ab unoquoque, qui modo tria numerare non dedidicit. Cum enim Trinitarii, quando volunt probare in Deo esse tres distinctas personas, ita argumentari soleant, Pater est persona divina, Filius est persona divina, Spiritus Sanctus est persona divina; Ergo tres sunt personæ divinæ, quia scilicet tres numerantur; utique pari jure concludere licebit: Pater est Deus summus, Filius est Deus summus; Spiritus Sanctus est summus Deus: Ergo tres sunt Dii summi. Si urgeremus exempla a rebus creatis petita: Petrus est homo, Paulus est homo, Joannes est homo; Ergo tres sunt homines: Vel, Michael est Angelus, Gabriel est Angelus, Raphael est Angelus: Ergo tres sunt Angeli: si, inquam, hæc urgeremus exempla, exclamarent Adversarii, aliter se rem habere in creaturis, aliter in Deo. At nunc cum divinarum personarum exemplo utimur, quid sunt dicturi?

CATHOLICUS. Non consequitur tres esse summos Deos, ex quo singulæ tres Personæ Deus sint, cum unam habeant eamdemque naturam. Quod ut percipias lumine scripturarum sanctarum, Deus spectari potest dupliciter, quantum ad Essentiam, nempe summam perfectissimamque naturam, & quantum ad substantiæ modum, in quo ratio personæ consistit. Ergo dum dicis, *Deus est Pater*, intelligis Deum habere excellentissimam illam substantiam cum modo subsistendi sibi proprio, quem appellamus Paternitatem. Et cum repetis, *Deus est Filius*, dicis Filium habere illam eamdem substantiam cum sua hypostasi, quam vocamus Filiationem. Idem de Spiritu Sancto dicendum est. Sophisma igitur præfatum sic solvitur. Pater est Deus, id est, habet divinam substantiam cum personalitate Patris, Filius est Deus, id est, habet divinam substantiam cum personalitate Filii, Spiritus Sanctus est Deus, id est, habet eamdem divinam substantiam cum personalitate Spiritus Sancti. Ergo triplex est in eadem divina substantia personalitas: quæ illatio & vera est, & legitima. Neque valet paritas de trina personalitate; quandoquidem alterum sophisma pari ratione exponendum est: Pater est persona, id est, divina substantia non accepta indefinite, sed cum modo existendi, qui est *Paternitas*, Filius est persona, id est divina substantia, non accepta indefinite, sed cum modo existendi, qui est *Filiatio*, Spiritus Sanctus est persona, id est divina substantia non accepta indefinite, sed cum modo existendi, qui est *Spiratio passiva*: Ergo sunt tres modi existendi in una eademque substantia. Quæ pariter consequentia vera est & Catholica. Ex quibus sequitur falsum esse eadem ratione numerari Deum in priori syllogismo, & numerari Personam in altero; quoniam Deus numerari non potest ratione naturæ, quæ una est, sed ratione duntaxat modi existendi, qui triplex est. Provenit id ex conditione naturæ, ac personæ: quippe natura, quæ dicitur absolute, dividitur tantummodo propter limitationem ac finitatem, ideoque natura infinita dividi nequit, aut numerari. At persona dividitur & numeratur propter relationem ad aliam, quam necessario connotat. Enimvero numerus & distinctio sive ex limitatione, sive ex ordine ad aliud, necesse est oriatur. Quare natura infinita numerari non potest, etiamsi numerari possint Personæ. Neque urget paritas ex numero Angelorum, vel hominum; quum in his multiplicetur natura ob priorem caussam distinctionis, videlicet propter limitationem. Si enim natura humana, vel Angelica foret infinita, Petrus, Paulus, Joannes non essent tres homines, sed unus homo; & Michael, Gabriel, Raphael non essent tres Angeli, sed unus Angelus.

SOCIN. Quod dogma Trinitatis seipsum perimat, est, quia ex eo sequitur unam personam esse aliam, nempe Patrem esse Filium, & Spiritum Sanctum; & rursus Filium esse Patrem & Spiritum Sanctum; denique Spiritum Sanctum esse Patrem & Filium. Ita enim argumentari licet: Deus ille unus est Pater, Filius est Deus ille unus. Ergo Filius est Pater. Major propositio extat in scriptura. Assumptio est Adversariorum sententiæ consentanea. Conclusionem ergo negare non possunt. Similiter etiam de Spiritu Sancto concludi potest: Unus ille Deus est Pater, Spiritus Sanctus est ille unus Deus; Ergo Spiritus Sanctus est Pater. Item: Unus ille Deus est Filius, Spiritus Sanctus est unus ille Deus. Ergo Spiritus Sanctus est Filius. Atque hæ collectiones aliter solvi nequeunt, nisi dicatur alium Deum esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum Sanctum, adeoque tres distinctos Deos esse.

CATH. Dicimus primo consecutiones illas, si spectentur regulæ syllogismorum, quas Adversarii tanto rigore servare conantur, falsas esse, & collectiones horum argumentorum peccare, ut inquiunt, in forma. Quotiescumque enim præmissæ particulares sunt, ut in adductis syllogismis, argumentatio vitiosa est, & nihil concluditur, veluti si dicas, Petrus est homo, Paulus est homo; Ergo Petrus est Paulus. Secundo respondeo ut supra, Deus ille unus est Pater, si τὸ *Deus* accipiatur pro summa perfectissimaque natura, ut a paternitate contrahitur ad unum modum existendi, concedo; si sumatur quatenus complectitur omnes existentiæ suæ modos, nego. Hoc enim sensu Pater non est ille unus Deus, nisi simul comprehendantur Filius, & Spiritus Sanctus; sed ex adverso argumentari fas est: Deus ille unus est Pater, prout Deus est divina substantia existens in supposito Patris. Filius non est Deus ille unus, prout Deus est divina substantia existens in supposito Patris; Ergo Filius non est Pater. Atque idem de reliquis dicendum est. Igitur ut collectiones prædictæ solvantur, sat est quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus in eadem simplicissima divinitate diversam habeant subsistendi rationem.

SOCIN. Sequitur ex hac de Trinitate sententia, neque Patrem, neque Filium, neque Spiritum Sanctum esse unum illum verum Deum. Sic enim potest concludi: Unus ille verus Deus est Pater: Filius non est Pater, Ergo Filius non est Deus ille unus. Item: Unus ille verus Deus est Filius, Pater non est Filius. Ergo Pater non est ille verus Deus. Priorem conclusionem Trinitarii non admittent: posteriorem nullius Christiani hominis aures ferent.

CATH. Eodem modo distinguo majorem: Unus ille verus Deus est Pater, quatenus Dei nomen importat divinam substantiam, & unum duntaxat modum existendi, concedo: prout Dei nomen cum naturam, tum modum omnem, quo subsistit, complectitur, nego. Et dico probari tantum argumentatione præcedenti, Filium non esse illum summum Deum, prout concipitur divinitas unica hypostasi terminata. Ita enim valet ratiocinatio: Unus ille verus Deus est Pater, in quantum cum Deitate intelligitur relatio ad Filium, sine qua non est Pater: Filius ab ipso Patre distinguitur: Ergo Filius distinguitur a Deitate, quatenus hæc solummodo accipitur, prout refertur ad Filium. At Deitas sumpta duntaxat, prout refertur ad Filium, non est natura, sed persona, quoniam sola persona dicitur relative: Ergo Filius distinguitur a Persona Divina Patris, non a substantia, & natura divinitatis.

SOCIN. Ex dogmate Trinitatis sequitur quamlibet personam esse Trinam in personis. Ita enim argumentabor: Deus ille unus est Trinus in personis. Quælibet persona divina est Deus ille unus. Ergo quælibet persona divina est trina in personis. Hanc conclusionem ipsi Trinitarii falsam esse agnoscunt, necesse igitur est vel majorem, vel minorem propositionem falsam esse.

CATH. Nego sequelam. Et ad probationem dist. majorem, ut supra: Deus ille unus est Trinus in personis, si Deus ille unus accipiatur adæquate, & prout omnem existendi modum complectitur, sive tam secundum id, quod dicit absolute, quam secundum id, quod dicit connotative, concedo. Deus ille unus est Trinus in personis, si sumatur inadæquate, & prout divinitas ad unum subsistendi modum determinata est; seu secundum id, quod dicit absolute, at non secundum omne id quod importat connotative, nego majorem propositionem.

SOCIN. Quæ sunt eadem realiter uni alicui rei, etiam inter se realiter sunt eadem. Atqui tres illæ personæ divinæ realiter inter se distinctæ, realiter sunt idem uni cuipiam rei, nempe essentiæ divinæ. Ergo personæ illæ tres realiter inter se distinctæ, inter se realiter sunt eædem. Conclusio est falsissima, & sibi manifeste contradicit. Itaque oportet præmissarum aliquam falsam esse. At prima præmissarum, seu major propositio in dubium vocari non potest, quia omnibus noto nititur principio: *Quæ sunt eadem uni tertio, inter se sunt eadem*. Hinc ipsi Trinitarii hoc principio alibi utuntur, cum probari solet, attributa divina non distingui realiter inter se, sed esse eadem, quia cum uno tertio, nempe cum divina essentia sunt eadem. Quare necesse est alteram præmissarum, seu minorem propositionem, quæ sententiam Trinitariorum continet, falsam esse.

CATH. Nego majorem; ad probationem dico prædictum axioma (licet applicari non debeat rebus divinis, quemadmodum, nec aliud, *Ex nihilo nihil fit*) nihil posse juvare Socinianos. Primo quia valet quidem in iis, quæ convertuntur ad invicem, at non in iis, quæ important oppositionem vel relationem. Nam rationale & irrationale idem sunt cum animali, quum gradus, quos dicunt Metaphysicos, sola distinguantur ratione, & tamen rationale & irrationale, eo quod sunt differentiæ oppositæ ejusdem generis, realiter inter se distinguuntur. Cum ergo divinæ personæ important vicissim oppositionem, & relationem, quamquam idem sunt cum essentia, non poterunt idem esse inter se. Deinde quotiescumque plura sunt idem secundum essentiam,

sed

sed necessario aliquem connotant terminum, non sequitur: Hi termini idem sunt cum essentia, Ergo idem sunt inter se. Etenim actio & passio sunt idem realiter cum motu, & spectata sola motus essentia sunt idem inter se: sed quoniam actio connotat agentem, & passio passum; si actio & passio non essentialiter accipiantur, sed ratione terminorum quos connotant, debent inter se realem dicere distinctionem. Similiter Paternitas & Filiatio sunt idem cum essentia, & quatenus accipiuntur substantialiter, sunt idem inter se: at cum Paternitas, & Filiatio dicantur ad aliud, & connotent terminum diversum, sumptæ personaliter, connotative & relative, realiter distinguentur, salvo quoque axiomate philosophico, quod tamen non cogimur in divinis admittere. Nec ratio est eadem de attributis, quæ sunt eadem inter se, propterea quod cum sint absoluta, non possunt aliqua opposita relatione distingui. Solent autem respondere Theologi dist. ma. Quæ sunt eadem realiter uni alicui incommunicabili, sunt eadem inter se, conc. quæ sunt eadem uni alicui communicabili, nego. Hæc responsio communis est; sed cum remaneat difficultas, quomodo fieri possit, ut tertium aliquod communicetur pluribus, nec tamen hæc plura communicentur sibi invicem; & querantur Sociniani nos petere ubique principium, etiamsi falsum sit; responsionem primam teneto.

SOCIN. Sequitur ex dogmate Trinitatis, quod in Deo simul una, & tres substantiæ forent. Unam esse Dei unius substantiam extra controversiam est: tres autem simul esse substantias in Deo inde colligitur, quia tres sint distinctæ in eo personæ, idest substantiæ intelligentes.

CATH. Resp. in Deo unicam esse substantiam, quatenus substantiæ nomen significat id, quod per se existit, neque indiget aliquo subjecto vel substentaculo: esse tres substantias, prout nomen substantiæ apud quosdam veteres significat subsistentiam, scilicet rationem existendi incommunicabilem alteri. Verum hoc nomen *Substantia* jam ab omnibus in priori sensu tantum accipitur. Vide cap. ultimum hujus libri.

SOCIN. Videmus in rebus creatis unius substantiæ intelligentis unam tantum esse personam. Monstretur vel unicum exemplum, sive hominis, sive angeli, qui non sit una persona, sed plures. Cum ergo Deus quoque una sit substantia intelligens, necessario sequitur, eum non tres personas, sed unam tantum personam esse. Hic vero objicitur ab adversariis, aliam esse rationem Dei, & rerum creatarum. Cur vero? Quia, inquiunt, res creatæ sunt finitæ, increata autem Dei essentia est infinita. Verum hæc differentia inter finitum & infinitum nullam habet momentum. Tum enim demum momentum aliquid habitura esset, si persona increata non æque infinita foret, atque essentia, seu substantia, in qua subsistere creditur. Nunc cum aliter res se habeat, eadem ratio hic est finitæ, & infinitæ personæ, manetque tam creatam, quam increatam substantiam non posse esse plures personas. Cur enim finita substantia nonnisi unam personam constituere potest? nempe quia persona, aut suppositum totam in se substantiam complectitur, nec potest eadem substantia eodem tempore secundum idem bis esse idem; ac porro nec bis esse suppositum, bis persona. At eadem ratio est etiam in divina substantia. Siquidem persona quælibet divina totam divinam substantiam amplectitur, nec partem aliquam sibi tantum decerpit, aut decerpere potest, nisi persona ac suppositum esse desinat. Quare non magis substantia infinita potest plura in se habere supposita, aut personas, quam finita: quia alioqui pluries quam semel infinita foret, toties nimirum, quot personæ sunt. Quo accedit, quod si ideo divina substantia plures personas contineret, quia infinita est, sequatur etiam infinitas personas esse posse. Nam ob quam caussam tres personæ statuuntur esse in una Dei substantia, ob eamdem possunt etiam quindecim, imo centum, quin & infinitæ personæ statui.

CATH. Resp. unius substantiæ non posse quidem esse nisi unam personam ejusdem rationis ac muneris, posse tamen esse personam unam, & alteram tribuens naturæ diversam subsistendi rationem. Nam multis Theologis placet tres simul personas divinas potuisse assumere eamdem naturam humanam, illamque reddere triplici titulo subsistentem. In quorum sententia non sequitur eamdem substantiam eodem tempore bis esse *idem*, sed tantum multiplici titulo existere, & ad plurium Personarum jura transferri. Quod cum nostratibus tenet universa Schola Thomistica, præeunte Angelico tertia P. Q. III. art. 6. Scotistæ vero, qui opinantur unius naturæ creatæ unicum tantum posse dari suppositum, docent disparem esse rationem de substantia finita, & infinita; quod in illa personalitas sit merum complementum naturæ, in illa non indigentia existentiæ, sed perfectio summæ fœcunditatis. Sed prior sententia, loquendo de personis divinis in ordine ad naturam creatam, est verior. Duæ autem, aut plures subsistentiæ creatæ esse nequeunt in eadem natura, non quod repugnet unam naturam ad plurium jura pertinere; sed quoniam omnes res creatæ discrepant essentia. Quare plures personæ creatæ necessario distinctam arguunt substantiam; neque possunt in uno homine, vel uno angelo diversæ adinveniri supposita, nisi multiplex reperiatur natura. Ergo tres personæ divinæ, quæ non discrepant essentialiter, eamdem poterunt terminare naturam, non quod singulæ non complectantur totam substantiam, sed quoniam sunt substantialiter indistinctæ. Non decerpit quidem una persona partem divinæ naturæ, sed illam terminat sub uno tantum respectu; & cum hi respectus sint plures, plures sunt quoque personæ. Petis, cur non sint infinitæ? In primis quia tres tantum proponit nobis Scriptura. Ulterius quia summum bonum non potest ad intra communicare sese nisi per generationem, & processionem. Etenim non potest esse nisi unus Pater. Unius Patris non potest esse nisi unus Filius consubstantialis; si enim plures sunt Filii, necesse est ut unus non adæquet generationem paternam. En generationis divinæ unicus terminus. Tum Pater & Filius per mutuam dilectionem producunt Spiritum Sanctum, quæ dilectio est una & eadem, & cum sit infinita habet unicum terminum, scilicet ipsum Spiritum. En una duntaxat a Patre, Filioque processio.

Si insurgas: quomodo Filius & Spiritus Sanctus personæ infinitæ sunt, si carent potestate generationis? Quare Spiritus Sanctus & ipse aliam personam non generat? Cur non dantur termini infiniti omnium divinorum attributorum, quemadmodum dantur intellectus, & voluntatis? Si quod excellentius est plures habet operationes intrinsecas, ut constat de homine in comparatione animalium ceterorum, quare Deus non habet infinitas internas operationes, quibus communicatione naturæ constituantur infinitæ personæ?

Resp. infinitam perfectionem generationis esse etiam in Filio, & Spiritu Sancto, quoniam habent eamdem essentiam a generatione indistinctam; non tamen generant, quia id spectat non ad perfectionem substantiæ, sed ad proprietatem personæ: Spiritum Sanctum non producere personam aliquam, eo quod oppositio relationis non permittit, ut habeat rationem principii respectu divinæ personæ, quia ipse procedit ab aliis Personis, quæ in divinis esse possunt; quod clarius exponam agens de numero processionum divinarum: Divina attributa non esse divinarum personarum principia, quia referuntur duntaxat ad creaturas, ut omnipotentia ac providentia; aut ad essentiam, non ad terminum subsistentem, ut simplicitas, æternitas, infinitas: falsum demum esse quod perfectioris substantiæ plures sint operationes, cum in angelis pauciores sint operationes, quam in homine, videlicet, non est in eis neque sensuum exercitamentum, neque imaginatio, quia sola spirituali pollent natura: & Deus, qui simplicissimus est, unam habet operationem, quæ est sua substantia, multiplex sola terminorum connotatione.

SOCIN. Primarium fundamentum Trinitatis est distinctio excogitata inter essentiam, & Personas Deitatis. Verum arenosum est istud & debile fundamentum. Quod ut clarius patescat, expendamus propriam significationem duarum illarum vocum *Essentiæ*, & *Personæ*. Essentia rei alicujus est id, quod res est, sive propria rei natura, ex que constat. In exemplo, id cujus gratia hoc lignum vocatur lignum, est ligni illius essentia. Simili modo essentia Dei altissimi nihil aliud est, quam divinæ ejus naturæ, per quam, & cujus gratia ille Deus est. Persona autem nihil aliud est, quam substantia prima completa intellectu prædita. Si ergo persona est substantia intelligens, tres personæ erunt tres substantiæ, vel essentiæ. Ad hæc, persona non est pars aut membrum rei alius, sed est res ipsa perfecta, completa, & per se subsistens, ideoque habet suam propriam singularem essentiam. Quod enim caret propria & peculiari essentia, id vel nihil est, vel pars tantum, vel accidens aliquod alterius rei, ut exempli gratia, manus, aut pes, aut longitudo hominis. Cum ergo Trinitarii affirment in Deo esse tres distinctas personas, quarum quælibet non partem, sed integram essentiam habet, revera essentiam Dei multiplicent, & trinam faciunt. Rursus ubicunque multiplicantur subjecti, multiplicantur etiam quæcunque de illis dicuntur; nam quot sunt homines, tot sunt corpora, tot animæ, tot substantiæ, & quot sunt angeli tot sunt spiritus, &c. Igitur multiplicatis personis, debet etiam multiplicari essentia. Corruit ergo fulcrum Trinitatis primarium.

Altera basis Trinitatis est, quod commenti sunt Trinitarii in eadem essentia triplicem modum existendi, ineptum supra quam dici potest effugium. Nam I. Si una res pluribus modis uno tempore existeret, non esset una, sed multæ, tot nimirum quot sunt vices, vel modi, quibus existit. II. Commentum hoc tam simile est opinioni Sabellii, quam ovum ovo. Ille enim sensit Deum summum esse unam solummodo personam, quæ se tribus modis revelerit, semel tanquam Patrem, secundo tanquam Filium, tertio tanquam Spiritum Sanctum. III. Deus Altissimus propter infinitatem essentiæ suæ unam habet essentiam, ergo unum existendi modum; cum per unum existendi modum haberi possit quidquid ad summam perfectionem ejus requiritur.

Tertium doctrinæ de Trinitate fundamentum est *περιχώρησιν*, idest, mutua personarum circumincessio, seu immanentia, & unius personæ existentia in altera, & vicissim hujus in illa; quomodo vero homo rationalis, qui non fungum pro corde gerit, se ex isto labyrintho expediet? Primum enim difficile intellectu est, quomodo fiat hæc mirabilis personarum immanentia. Secundo qui fieri potest ut tres personæ permixtæ sint, & habeant eamdem essentiam, neque

inter

inter se confundantur? Tertio si in qualibet Persona est tota Trinitas, erunt tres Trinitates, una in Patre, altera in Filio, tertia in Spiritu Sancto, sicque erunt novem personæ Deitatis: quod si rursus istæ novem personæ sibi mutuo inexistant, tum erunt novies novem, id est, octoginta & una. Quarto si quælibet persona est in tota Trinitate, sequitur Patrem esse in Patre, Filium in Filio, &c. quæ locutio quid significet nemo intelligit. Quinto si verum est Spiritum Sanctum apud Jordanem apparuisse, & secundam personam humanam assumpsisse naturam, cum Pater in cælo remanserit, necessario personæ a se invicem digressæ, ac sejunctæ fuerunt.

Quartum hujus doctrinæ stabilimentum est duplex acceptio nominis *Dei*, essentialiter, & personaliter. At hujus distinctionis nec minimum vestigium est in Scripturis. Dein, verbi gratia, si Filius totam habet divinam essentiam; nulla est ratio, cur nomen Dei, etiam quando Filio tribuitur, non debeat accipi essentialiter. Denique qui nomen Dei audit, statim concipit Creatorem, ac Dominum universorum, & unicum profitetur; creare autem & dominari munus personæ est: & ideo nomen *Deus* significat unam tantum personam, neque alia est mirifica ejusdem nominis distinctio. Fucata ergo verborum specie, & absurditatibus maximis Trinitatis dogma a Catholicis explicatur.

CATH. Nos nequaquam Personam a substantia secernimus, non enim ignoramus traditam personæ definitionem, quod *sit rationalis naturæ individua substantia*. Putamus quoque, licet non idem statuant omnes, personam naturæ nullam addere distinctam modificationem, aut formam: etiam concedimus unamquamque personam divinam esse totam substantiam, non partem, alias duæ vel tres simul personæ majores forent una, neque essent singulæ invicem coæquales. At persona, & natura distinguuntur connotative, quod hæc dicatur ad seipsam, illa referatur ad aliud. Quare non sequitur, sunt tres personæ, ergo sunt tres substantiæ completæ; sed illud duntaxat, sunt tres personæ, ergo sunt tres ejusdem substantiæ supposita, & connotata. Ratio est, quia essentia significat id quod est; & persona id quod est alteri incommunicabile; unde si in una substantia sint plures proprietates incommunicabiles alteri, erunt distinctæ personæ in unitate substantiæ. Frustra quæritur in creaturis hujus mysterii exemplum. Scripturis credendum est. Audis Patrem; nomen est relativum, nomen Personæ. Audis Deum; nomen est absolutum, nomenque substantiæ. Audis Deum Patrem; & substantia significatur & ordo ad alium. Hunc tantum ordinem addit supra naturam Persona: neque ulla implicantia est unam indivisibilem substantiam trinam esse in personis; quia unitas ad absolutam naturam attinet, numerus ad relationem. Ad id, quod sequitur, dico unam tantum personam esse totam substantiam, sed non esse omnes terminos, omniaque connotata ejusdem substantiæ, ut monui in resp. ad septimum. Quod opponitur tertio loco verum est, quando multiplicatis subjectis multiplicari possunt quæ dicuntur de singulis; sed divina natura multiplicari nequit, cum sit infinita & essentialiter una; nec adhiberi debent exempla a subjectis creatis petita.

Ad argumenta, quibus alterum Caput doctrinæ Catholicæ impetitur, respondeo falsum esse quod plures modi existendi multiplicent rem existentem, cum multiplicent solummodo naturæ existentis ordinem, & respectum. Non enim diversus est homo dum sedet, & stat, quamquam modus standi & sedendi diversi sint, diversaque ratione connotent locum. Quare autem distincti modi existendi nequeant esse eodem tempore in eadem essentia creata, diximus in resp. ad VII. Ad secundum constat, toto cælo distare hæresim Sabellianam a doctrina Catholicorum; quippe ex diverso, quo persona sese manifestat, non sequitur personæ distinctio, ut sequitur ex diverso modo terminandi naturam. Ita E. G. potest eadem persona apparere modo in nube, modo in tubo, & idem Spiritus nunc in columbæ specie, nunc ignis; quoniam modus iste appellat aut rem creatam, aut locum, non terminat diversa personali proprietate substantiam. Hanc diversam proprietatem negavit Sabellius, & profitentur Catholici. Ad tertium dico sequi ex infinitate substantiæ unitatem ejusdem, quia cum substantiæ discrepent invicem aut specie, aut separatione naturæ, importat utraque distinctio limitationem, quæ repugnat substantiæ infinitæ, ut demonstravi lib. I. cap. VI. Mom. III. At personæ neutro modo invicem distinguuntur; & consequenter earum distinctio nullam importat imperfectionem. Vide cap. VII. ejusdem libri in Resp. ad 3. Addo personas non habere infinitatem & perfectionem nisi ratione substantiæ; unde dicendum non est, sunt plures personalitates perfectissimæ & infinitæ, sed plures personalitates, quæ sunt unica perfectio infinita.

Quæ contra tertium Trinitatis fundamentum opponebantur, ex dictis facillime solvuntur. τὴν περιχώρησιν circuminsessionem, & immanentiam Divinarum Personarum, in eo sitam dicimus, quod ratione unius naturæ nequeant invicem abscindi & divelli. Itaque ad primum respondemus fieri hanc circuminsessionem per inseparabilem naturæ unitatem, quæ cum ubique sit tota, separationem non potest recipere personarum. Ad 2. dicimus personas non distingui ab essentia, quoniam illi relative non opponuntur; distingui inter se, quia referuntur ad invicem. Ad tertium reponimus unam personam esse intra aliam, quatenus unum sunt substantia ac majestate, non quod proprietas unius personæ, sit proprietas alterius: & ideo non sunt tres Trinitates, quia non sunt tres substantiæ, in quibus tres hypostases uniantur, sed una eademque substantia in qualibet proprietate. Ad 4. dico Patrem esse in Patre & in seipso, in quantum est sua substantia; & Filium esse in Patre in quantum nascendo recipit substantiam Patris: quo sensu utraque propositio est vera, Pater est in seipso, & Filius est in Patre; quia etiamsi *Paternitas* non sit *Filietas*; utraque proprietas personalis eadem res est cum substantia communi. Ad ultimum satis liquet ex lib. II. cap. IV. Prop. 2. Deo convenire immensitatem, neque Patrem in remotissimo cælorum recessu considere.

Inepte adversus duplicem significationem hujus nominis *Dei* nugantur Hæretici. Etenim cum sit ex genere eorum, quæ dicuntur concreta, significat primario naturam, deinde ejus extantiam in aliqua hypostasi, quomodo hæc vox *homo* directe naturam humanam, & de secundario individuum, in quo subsistit. Interdum ergo in Scripturis significat divinam substantiam ut consistentem in aliqua definita hypostasi, ut in hac enunciatione Joan. I. *Deus erat Verbum*: interdum eamdem divinitatem subsistentem in quapiam persona, indefinite & universe, ut Genes. I. *Creavit Deus cælum & terram*. Facile est utrumque dignoscere. Si enim enuncietur aliquid spectans ad munus personæ, debet accipi Dei nomen pro Persona, veluti si dicas, *Deus carnem assumpsit*. Si quodlibet pertinens ad naturam, pro natura; ut in exemplo, *Deus est unus*. Si aliquid demum conveniens personæ ratione naturæ, accipi debet pro natura in qualibet persona consistente: ut dum dixeris, *Deus est infinitus, omnipotens, Creator & Dominus universorum*. Imperite ergo in hisce salebris Sociniani versantur.

SOCIN. Ex doctrina Trinitatis multa consequuntur absurda. Sequitur primo veras esse has duas contradictorias, Deus est genitus, &, Deus non est genitus. Tum eamdem rem communicari, & non communicari, quum Filius habeat communem cum Patre naturam, non paternitatem, quæ cum natura res una est. Item sequitur esse simul tres personas, & unam præcedere aliam, & opera certo ordine distribui inter plures, quorum una est operatio. In has casses incidunt (inquiunt novi Ebionitæ) adoratores Trinitatis.

CATH. Nullum absurdum ex fide Catholica derivatur. Non primum, quia si in his propositionibus, Deus est genitus, &, Deus non est genitus, supponat *Deus* pro diversa persona, nulla est contradictio: si in prima supponat pro filio, in secunda pro omnibus personis indeterminate; non sunt hæ propositiones simul veræ, sed prima vera est, altera falsa. Non sequitur secundum, quoniam Essentia patris communicatur filio, sed non communicatur personaliter, videlicet secundum rationem, quæ constituit personam patris, ut nono libro explicabimus. Non ultimum denique; sunt enim divinæ personæ simul æternitate ac natura, sed tamen una habet originem, & procedit ab altera. Opera autem ad extra sunt quidem tribus personis communia, ut habetur Joan. V. 17. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*: &, *Quæcunque Pater facit, hæc & filius similiter facit*. At in operibus diversæ rationes sunt distinguendæ: quarum aliquæ ad communem pertinent omnipotentiam, aliquæ ad personalem proprietatem. In exemplo sit, quando in Jordane vox Patris intonuit, *Hic est filius meus dilectus, &c.* vocis sonum tota Trinitas creavit, sed verborum significatio ad solum Patrem pertinuit. Dominica pariter incarnatio, in quantum est conceptio & productio hominis, etiam a Patre, & Spiritu Sancto peracta est; nam de Patre dicitur: *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum*: & de tertia persona, *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*. Sed prout Incarnatio est assumptio ac terminatio naturæ humanæ, est solius Verbi, quia terminare naturam non opus est omnipotentiæ, sed munus hypostasis. Ita quoque columbæ species, in qua visibiliter Spiritus Sanctus apparuit, a tota Trinitate est perfecta, sed conditio Doni est soli Spiritui tribuenda. At de postremo hoc argumento plura S. P. Augustinus lib. XI. de Trinitate cap. V.

CAPUT VII.

Superiores responsiones exemplis ac rationibus illustrantur.

PROPOSITA contra Trinitatem argumenta urgentur fere omnia a Wolzogenio Barone Austriaco Sociniano, qui Crelliana sophismata sub nova quadam larva produxit, postquam adversus Crellium doctissimi viri pugnaverant. Dignus autem videbatur, cui singillatim responderetur, quod omnia Majorum suorum arma tractaverit, idque callida dexteritate: ceteri autem Scriptores ineunt ut plurimum cum solo Crellio certamen. His ergo hæreticis concedendum est Trinitatem mysterium esse, quod mentem superat omnium creaturarum. Verum nec desunt in rebus creatis exempla, quibus quodammodo comprobetur.

Tenent primum locum permulta Trinitatis vestigia, quæ in creaturis occurrunt. In his primum sunt generationes, quæ cum sint perfectiones rerum (est enim perfectio gignere sibi simile) non debet Deo repugnare: unde Isaias inquit, *Qui alios parere facio, ipse non pariam? qui ceteris generationem tribuo, sterilis ero?* Compertum quoque est esse in Deo summam felicitatem & beatitudinem: ad quam requiritur societas, & consortium aliorum: Societas autem hominum vel Angelorum ad Dei beatitudinem conferre nequit, cum summum bonum mutuari non debeat a re creata felicitatem. Idem affirmandum est de perfecta amicitia, qualem in Deo esse non videtur in dubitationem revocandum. Sunt pariter innumeræ similitudines, quæ ob oculos nostros versantur, quarum unam affert S. P. Augustin. serm. 38. de Verbis Ap. cap. 7. ex aqua, dicens: *Fons, fluvius, & potio sunt aqua, & tamen nihil horum est alterum*. Aliam serm. 1. cap. 3. a sole, scribens: *In sole tria sunt, & sicut videmus separari non possunt, cursus, splendor, & calor.* Tertiam petit de Fide & Op. cap. 9. ab igne, *in quo sunt simul splendor, motus, & calor*. Profert & quartam lib. XIV. de Trinitate his verbis: *Mens meminit sui, intelligit se, diligit se: hoc si cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei*. In omni creatura vestigium extat Trinitatis, secundum quod unum aliquid est, & secundum quod aliqua specie formatur, & secundum quod quemdam ordinem tenet, ut idem Augustinus explicat lib. VI. de Trin. cap. ultimo. Accedit perfectio numeri Ternarii, cujus invenimus ordinem in rerum naturalium principiis; in partibus temporis, in corporum dimensionibus, in animarum potentiis ac speciebus, in differentiis motuum, in unaquaque re, quæ producta fuit in mensura, numero, ac pondere, & cui inest terna perfectio, unitas, veritas, bonitas. Quare perfectissimam quamque rem hoc numero designamus, ut cum dicimus aliquem ter beatum, ter maximum. Sed de his plura apud Bongum de mysteriis numerorum. Legito & D. Thomam 1. P. q. 45. art. 7. Estium in 1. Dist. 3. §. 2. & XI. & Contensonium lib. 3. dissert. 3. cap. 1. Speculat. 2.

Atque hisce exemplis possumus Trinitatis mysterium utcumque rudibus insinuare. Quibus addam palmaria quædam ex Conflictu Serapionis, & Arnobii, qui extat Tom. VIII. Biblioth. PP. pag. 205. Peto (ut quæ illic pluribus comprehenduntur, paucis exponam) cur Trinitas naturali rationi repugnat? Num quia fieri non potest, ut eadem sit multarum personarum operatio? Nequaquam. Duorum quippe oculorum est unus contuitus, duarum aurium unus auditus, duarum manuum unus tactus, duorum pedum unus gressus, duorum labiorum unus sermo. Si dixeris has operationes non esse perfectas in uno dumtaxat principio; ponantur tres pretiosæ margaritæ obscuro quodam in loco, & singulæ eodem lumine pariter conspicientur. Si ergo multi pretiosi lapides uno fulgore ornatum sui splendoris ostendunt, quomodo nequeunt plures personæ unica fidei luce in una divinitate discerni? At, inquis, tres margaritæ eumdem numero valorem non habent. Ita est: sed possunt industria artificis ita necti, ut unum regis diadema componant: & si arte plures construuntur gemmæ, ut sint regni unius diadema; quare in uno divinæ fœcunditatis thesauro esse nequeunt plures personæ ita naturaliter compactæ, ut singularum unum sit regnum, una potestas, una divinitas? Fieri non potest, dices, ut multorum unum regnum sit, atque indivisum imperium? Etiam; nam tres imperatores aliquando pari potestate regnaverunt. Augustus, Antonius, Lepidus, qui instituerunt Triumviratum, & iterum tres filii Constantini; & rursus Honorius, Arcadius, Gratianus, licet non tanta animorum, quanta decuisset, consensione. Cum ergo temporale imperium talem in se continere valeat concordiam pacis; quanto erit major consensio, & unitas personarum in regno, quod nulla potest animorum discrepantia turbare? Instas non posse divinæ majestati mortale regnum aptari, cum trium Augustorum unus sit genitus tempore ante alium, ac senior ætate juniores præcedat: sed dicam e contra, hoc inter temporale, æternumque regnum interesse discriminis, quod in illo unus est semper altero anterior, quia ipsorum vita tempore præterlabitur, sed æternitas omnis successionis ac mutationis est expers. Affirmas imperceptibile esse, quod una persona originem habeat ab alia, & tamen singulæ sint duratione coæquales. Verum occurro asserens non repugnare quod plura simul sint coæterna, & unum proficiscatur ab alio: quandoquidem ex flatu vox, ex voce efficitur sermo; & uno eodemque momento flatus, vox, & sermo oriuntur. Hæc aliaque permulta in citato Conflictu Serapionis, & Arnobii digna lectu reperies, valde utilia, si cum ingenii moderatione legantur: & longe plura, sed sublimiora, apud Augustinum toto libro IX. de Trinitate.

His addere possem plurima miracula, quæ reddunt Trinitatis mysterium evidenter credibile, demonstrantque non esse humana ratione temere investigandum, aut impugnandum pertinaciter. Quædam vide in Magno Theatro vitæ humanæ Tom. VII. pag. 219., alia in vita Basilii, quam scripsit Amphilochius, nonnulla apud Victorem Vitensem lib. I. de Persecutione Vandalica, & Gregorium lib. III. dialogorum cap. 32., lege & Baronium Tom. VII. ad annum Christi 583. n. 42. & 43. Unum narro tantum maximum ac perpetuum, nobis domesticum, & ad hæreticos convincendos aptissimum. In cista enim fellea B. Claræ Sanctimonialis nostri Ordinis reperti sunt post obitum tres globuli, in trianguli formam dispositi, imagine, colore, & pondere pares: quorum unus tantum pondus habet, quantum duo aut tres: tres item quantum duo, vel unus; ita ut, sive separatim spectentur, sive omnes simul, sive unus cum duobus comparetur, nullum vel minimum sit inter illos discrimen. Qui, ut Ecclesia loquitur, *Sanctissimæ Trinitatis Symbolum referentes* servantur adhuc in pretiosa cruce dispositi una cum passionis Christi mysteriis mirabiliter in corde ejus impressis.

Exemplis ac miraculis accedit argumentum, quo simul demonstratur Trinitatem personarum non officere divinæ simplicitati. Tantum abest ut plures Personæ destruant divinæ substantiæ unitatem, uti opponunt hæretici; quin potius nisi in Deo esset distinctio trium personarum, non foret Deus summe unus, qualem esse ratio naturalis evincit. Etenim supponatur in divinitate una tantum persona. In ea, si aliæ divinæ personæ dari nequeant, operationes intellectus, & voluntatis nullum terminum subsistentem producent; nam si producant, jam habemus Personas. Atqui si intelligendi, & volendi operationes nullum terminum substantialem producant, Deus non est perfecte unus, sed in substantia compositus. Ergo nisi plures dentur personæ, non salvatur in divina substantia naturalis unitas & simplicitas. Probatur minor: Aut divinæ operationes sunt eadem divina substantia, aut sunt prolationes & actiones a divina substantia distinctæ: si hoc asseris, compositum Deum pronuntias, ut recte ait Irenæus lib. 1. cap. 18. Si vero propter unitatem, ac simplicitatem divinam non distinguis operationes a divina substantia: ob eamdem caussam non debes distinguere a divina substantia intelligente, ac volente, terminum intellectionis. Quæ argumentatio non valet de operationibus transeuntibus, cum istæ connotent terminum extrinsecum, & natura sua a divinitate sejunctum. Ex quibus obiter nota, pluritatem personarum divinarum nullam in Deo inferre compositionem, sed summam simplicitatem, ut dixi lib. II. cap. III. Propositione ultima.

CAPUT VIII.

De Verbi divini ante Incarnationem præexistentia.

CETERORUM hæreticorum, qui in Christum Dominum impiissimas eructaverunt blasphemias, tres videntur, ac sunt profecto iniquissimi, Cerinthus, Arius, Socinus. Cerinthus circa annum vulgaris Aeræ 80. illum purum hominem prædicavit adserens ante Mariam non fuisse; quem secuti sunt Ebionitæ sic dicti, vel ab Ebione quodam, vel quod ab Ethnicis, Judæis, & Christianis derelicti, fuerint אביונים, idest pauperes ac miserrimi. Adversus hanc pestem scripsit Ephesi Evangelium Joannes, ut auctor est in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis S. Hieronymus. Arius deinde vertente anno 320., aut paullo ante, ex Schismatico & fautore Meletii factus est ductor hæreticorum, & Filio Dei divinitatem negare ausus est; quem proscripsit sacrosancta Nicæna Synodus, & Patres quarti sæculi confutarunt. Socinus Sabellianorum, ut supra vidimus, fermento corruptus etiam Ebionitarum, & Arianorum errores sectatus est, ita ut habeatur ætate quidem posterior, sed primus impietate ac perfidia. Nam cum Sabellio unam statuit in divinitate personam, cum Ebionitis negavit Christum Deiparæ tempora præcessisse, & cum Arianis adversus Filii divinitatem pugnavit: neque paternam generationem fateri voluit, neque Verbi consubstantialitatem cum Patre. Itaque refutata hæresi Sabelliana, videndum est, an Christus ante temporalem sui conceptionem præextiterit, deinde utrum sit verus Filius Dei, ac postea an sit æterno Patri consubstantialis. Nunc de priori quæstione.

PROPOSITIO: Filius Dei fuit in aliqua substantia, priusquam conciperetur a Virgine.

Id primum evincitur ex Evangelio Joannis cap. 1. quod tale habet initium: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum*. Per Verbi nomen designari Personam probatur. Ac primo, quoniam de hoc Verbo ait Evangelista, *Verbum caro factum est*. Et Verbum incarnatum aliquam personam esse, etiam hæretici profitentur. Deinde, quia Joannes declarat hoc Verbum fuisse Filium Patris, dicens: *Vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti a Patre*. Quod hæc persona fuerit ante assumptam humanitatem, ostenditur. Primo: Hoc Verbum erat in principio: Esse in principio idem est, ac esse ante omnes creaturas: Ergo ante omnes creaturas erat Verbum. Ita Joannes Chrysostomus Hom. 7. in Joannem: *In principio erat: ante omnia intelligibilia, & ante sæcula ipsum intellige*. Et Ambrosius lib. 1. de Fide ad Grat. cap. 5. *Erat apud Deum, erat, erat, erat. Ecce quater, erat. Ubi impius invenit quod non erat?* Bene ex hoc loco Nicæni PP. damnaverunt Arium, qui dicebat, Verbum factum ex non extantibus, & fuisse aliquando, cum nondum esset: ut refert Socrates lib. 1. Historiæ

cap.

cap. VIII. Deinde sic arguo: Per ipsum Verbum omnia facta sunt; Ergo erat antequam omnia fierent. Item: Hoc Verbum caro factum est; extabat ergo, priusquam nasceretur ex Virgine. Rursus argumentari licet: Ex primo Geneseos, *In principio creavit Deus cælum & terram*, sequitur nullam creaturam fuisse productam ante cælum & terram; Igitur ex primo Joannis, *In principio erat Verbum*, infertur nihil fuisse ante Verbum.

Secundo probatur ex eodem Evangelio Joannis cap. VIII. 56. ubi legitur: *Dixit eis Jesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum*. Fuit ergo Dominus Jesus ante Abrahamum. Hæc verba a recentioribus Socinianis ita exponuntur, quod Christus fuerit, antequam fieret Abraham, divina, ut inquit Hugo Grotius, constitutione. Sed pessime impii Evangelica verba contorquent. Tum quod constitutione, & prædestinatione non solum Christus Abrahamum præcesserit, verum etiam quilibet prædestinatorum: tum quod ex visceribus textus infertur evidentissime Abrahamo Jesum præextitisse ætate ac tempore. Dixerunt etenim Judæi: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Hoc perinde est, ac si dixissent: Ut Abraham te videre potuisset, & tu illum, debuisses nasci in eadem Abrahami ætate: At cum nondum quinquagenarius sis, non es natus ætate Abrahami: Igitur neque Abraham te videre potuit, neque tu illum. Judæos hæc objectare de præexistentia temporis, satis liquet. Igitur Christus, qui respondit, *Antequam Abraham fieret, ego sum*; facit se multo antiquiorem Abrahamo: & sensus horum verborum est, Abraham expetivit videre jam peractam Incarnationem, & Spiritu, ac fide me vidit; Et ego qui non sum purus homo, sed Deus sempiternus, antequam Abraham crearetur, jam eram. Observarunt præterea Theologi ac Patres his verbis *antequam Abraham fieret, ego sum*, Verbi æternitatem significari. Primo quod τὸ *fieret* designans creaturam opponatur τῷ *sum*, non, *eram*; aut, *factus sum*, quæ magis priori verbo respondebant; quoniam illud *sum* designare solet æternitatem, ut Psalmo CI. 28. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient:* quod etiam de Christo repetitur in Epist. ad Hebræos cap. I. 12. deinde, quod hæc verba Joannis simillima sint illis Ps. 89. 2. *Priusquam montes fierent, tu es, &c.*, quibus certum est divinam permanentiam, atque æternitatem describi. Quod observatum etiam ab Augustino Tractatu in Joannem tertio & quadragesimo.

Prob. 3. Nullus est, qui Deum Patrem præcessisse quamcunque creaturam inficias eat; idque neget probari ex cap. XLI. Esaiæ v. 4. *Quis hæc operatus est, & fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus primus & novissimus, ego sum*. At similia enunciantur de Christo Domino Apocalypseos 1. 8. *Ego sum ἄλφα, & ω, principium & finis, dicit Dominus, qui est, & qui erat, & qui venturus est*: & cap. ult. 13. *Ego sum ἄλφα, & ω, primus & novissimus, principium & finis*. Ergo & Christus creaturam omnem præcessit. Neque vero possunt textus Apocalypsis accipi tantum de Deo Patre; primo, quia cap. 1. fit sermo de Judice, & Salvatore nostro, de quo versu proximo habetur: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt*. Rursus, quia cap. ultimo advertitur præfata verba esse Domini Jesu, v. 16. *Ego Jesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum radix, & genus David*. Denique cap. XXI. 6. repetit eadem verba Agnus, *qui sedebat in Throno*: quem esse Jesum pro nobis occisum non est dubitandum. Habet similiter Apostolus ad Hebræos XIII. 8. *Jesus Christus heri, & hodie, Ipse, & in sæcula*. Et Michæas v. 2. *Et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis*. Et quidem hæc de parvulo nascituro in Bethlehem, Dominatore Israel. Hujus generis extant in Tabulis utriusque fœderis plurima.

Quarto probatur ex Traditione Patrum Antenicænorum; nam de aliis nulla occurrere potest dubitatio. Illorum quippe Patrum communis sententia fuit in veteri Testamento, quotiescunque Deum apparuisse narratur, Filium Dei sese sub variis speciebus hominibus manifestasse. Ita enim docet Justinus in Dialogo cum Tryphone, nempe fuisse Christum, qui ad Ilicem Mambre apparuit Abrahamo, & in Bethel Jacob, atque Moysi in rubo ardenti. Neque dissentit Irenæus lib. IV. adversus hæreses cap. XI. & XII. Tradit idem Clemens Alexandr. in 1. Pædagogi cap. 7. Tertullianus cap. XIV. & XVI. adversus Praxeam, Origenes in III. ac VI. contra Celsum. Quam fuisse opinionem omnium fere Græcorum constat ex Procœmio Eusebii in Historiam Ecclesiasticam, ut animadvertit Estius in cap. III. Exodi v. 2.

SOPHISMATA DIABOLICA DILUUNTUR.

Argumenta prædicta gravissima, ac præsertim secundum Lælio Socino solutu difficillimum visum est, atque responsionem a Deo ipsi patefactam scribit Faustus in disputatione adversus Erasmum Joannis edita anno 1595. arg. 4. & Schmalzius in Resp. ad Parasophism. p. 5. Lælium ergo, quoniam non potuit Spiritus Domini obcæcare, decepit profecto Diabolus. Cum spiritu nequitiæ in nomine Jesu Christi pugnam itaque aggrediamur.

Opp. 1. Sensus verborum Joannis cap. VIII. *Antequam Abraham fieret, ego sum*, est, priusquam Abraham fiat Pater multarum gentium in futura conversione, jam ego sum Salvator vester ac pater. Non ergo inde evincitur Christum Abrahamo præextitisse. Prob. ant. Græca verba sic habent, Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγὼ εἰμί; quæ si ad verbum latine reddere velis, ita sonabunt: *Antequam Abraham fieri, ego sum*. Atque ita reddidit Arias Montanus. Est enim τὸ γενέσθαι, *fieri*, Aoristus verbi γίνομαι, *fio*. Sed voces Aoristicæ, ut norunt qui linguæ Græcæ aliquam dederunt operam, significationem mutuantur a verbis, quibus junguntur, ita ut si cum præterito tempore jungantur, præteritum, si cum præsente, præsens significare soleant. Ergo in hoc textu, cum τὸ γενέσθαι *fieri*, jungatur τῷ λέγω, *dico*, & τῷ εἰμί, *sum*, præsentis temporis, præsentis significationem habere debet. Minor probatur: Joannis XIII. 19. ubi legit Vulgata; *Amen dico vobis, priusquam fiat*, habetur in Græco, Ἀπ᾽ ἄρτι λέγω πρὶν τὸ γενέσθαι, & XIV. 29. ubi legimus, *Dixi vobis, priusquam fiat*, est in græco εἴρηκα ὑμῖν πρὶν γενέσθαι; ubique Aoristus a verbo præcedenti temporis significationem mutuatur: neque huic regulæ contraria exempla, ait Wolzogenius, adhuc vidimus. Debemus ergo publica via incedere, non ferri per avia, & dum per ostium possumus, nolle ingredi per fenestram.

Resp. nego antecedens. Ad probationem concedo voces aoristicas indeterminati temporis esse; an autem sint præteriti, vel futuri, dicimus inferendum esse ex contextu. Hoc loco & ex Judæorum cum Christo disputatione, & ex propositione πρὶν, *antequam*, constat aoristum γενέσθαι, *fieri*, præteriti significationem habere. Ad probat. I. retorqueo adversos Socinianos ipsorum sophismata: quippe Joannis XVI. 29. aoristus γενέσθαι *fieri* est futuræ significationis, & nihilominus jungitur cum præterito εἴρηκα, *dixi*. II. Nego in orationis complexu nulla verba præterita reperiri, cum sint plura, ut illa, *dixerunt Judæi*, & *Abraham vidisti*, &c. III. Socinus contendit aoristum hic habere significationem futuri temporis, ita ut sensus sit, Antequam Abraham fiat caput omnium credentium (quod post ascensionem meam futurum) ego jam sum Christus, & Servator vester; id enim probare conatur in lib. contra Bellarm. & Wiech. cap. 7. class. V. & tamen verbum λέγω, & εἰμί præsentis temporis sunt: quomodo ergo aoristus a verbis, quibus jungitur, temporis significationem mutuatur? IV. Verbum præsens *dico* infert tantum sermonis præsentiam, non rerum quæ dicuntur: alioqui quæcunque Christus futura enunciavit, fuissent dum adhuc loqueretur, præsentia. Inquit Wolzogenius: Si Christus simpliciter existentiam suam ante Abrahamum significare volebat, cur potius non dixit, *Ego eram, vel fui?* Sed supra dictum est, melius per verbum præsens significari æternitatem, allatumque exemplum illud aptissimum Ps. 89. 2. πρὶν τὰ ὄρη γενηθῆναι, σὺ εἶ, *Antequam fierent montes, tu es*. Cur non ait Psalmista, *Tu eras*, aut *fuisti?* Nimirum id temporis, non æternitatis character fuisset. Quid? Mavult Wolzogenius, *Ego eram?* Ita habet Syrus, auctore Grotio.

Instat Wolzogenius. Genes. XVII. 5. Abraham prius vocabatur Abram, idest, Pater excelsus; quod nomen mutatum est in Abraham, significans Patrem multarum gentium: & hujus nominis significatio tum demum impleta est, cum gentes crediderunt in Christum; ut explicat Apostolus ad Romanos IV. 11. & seqq. Sensus ergo valde egregius, & Servatore nostro dignissimus prædictorum verborum est, Antequam Gentes in filiorum Abrahami censum recipiantur, ego sum illa, quam ab initio colloquii mei dixeram, lux mundi, seu Servator olim a Deo promissus, & nunc missus.

Resp. utique Patrem multarum gentium esse Abraham, & hanc prærogativam adeptum per fidem in conversione Gentilium. Sed non sumitur hoc loco Abraham juxta nominis etymon, idest, ut significat prærogativam paternitatis multarum gentium; sed quatenus significat personam, quæ longa ætate Christi Incarnationem præcesserat. Ratio manifesta est, quoniam ita accipitur, ut diximus, nomen Abrahæ in toto orationis complexu, & Christus Dominus respondit Judæis objicientibus, *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Accedit discrimen esse maximum, si dicamus, Antequam Abram fiat Abraham, & Antequam Abraham fieret. Detur priorem enunciationem reddere sensum, quem Sociniani commenti sunt: at posteriori quis talem vim inesse censebit? Adde summam sagacitatem Joannis, qui ubicunque verba aliam præter literam significationem præferunt, caute solet advertere. Suam interpretationem obviam non esse, fateri debent Sociniani, qui illam credunt Lælio post multas preces divinitus revelatam.

Quoniam vero Faustus Socinus ait, Christum acute detorsisse nomen Abrahæ ab ipso homine, cui fuerat impositum, ad rem quam significat; præter dicta de scopo, & cohærentia hujus loci, adverte in Scripturis, ubi exprimitur Abrahami prærogativa & conditio, non haberi propositionem de secundo adjacente, *Abraham est*, sed de tertio, *Abraham est pater multarum gentium*, ut constat ex cap. XVII. Genes. 5. & ex Epist. ad Rom. IV. v. 18. iisdem scilicet locis, quæ vaferrimus Socinianus objectat. Quamobrem in cap. VIII. Joannis, in quo occurrit propositio de secundo adjecto, *Antequam Abraham fieret*, non prærogativa conditionis exprimitur, sed existentia personæ.

Oppo-

Opp. 2. Wolzogenius contra argumentum ex 1. Joannis. Proposuit sibi Evangelista novæ creationis historiam describere, ob quam fideles novæ creaturæ appellantur 2. ad Corinth. 5. 17. & Christus dicitur principium creationis Dei in Apocalyps. cap. 3. 14. Hinc orditur descriptionem suam iisdem verbis, *In principio*, prout Moses suam orsus est historiam. Et sicut Moses testatur Deum omnia creassa per verbum suum, sive sermonem, & jussum; ita Joannes indicat v. 3. omnia, quæ pertinent ad spiritualem structurem, facta esse per Christum. Præterea sicut in veteri creatione omnia acceperunt vitam, ita ait Joannes versu 4. etiam in Christo vitam fuisse, quæ in novis creaturis parara sit. Et quemadmodum Moyses inquit, tenebras fuisse super abyssum; sic v. 5. meminit Joannes lucis, quæ in tenebris lucet. Ita comparat Evangalista novam creationem spiritualem cum veteri. Ex quibus hæc consequuntur. Dum Moses inchoat historiam suam *In principio creavit Deus cælum & terram*, principium illud ad historiam mundi conditi est referendum, quasi dicat, In principio rerum hujusmodi, seu ante omnes res in mundo factas, creavit Deus cælum, & terram. Ergo cum Joannes dicit: *In principio erat Verbum*, principium istud referri debet ad narrationam creationis spiritualis, & eorum quæ pertinent ad Evangelium, quasi dicat, Ante omnia, quæ ad Evangelium spectant, erat Verbum.

Confirmatur I. quia ut constat ex Marci cap. 1. v. 1. & ex Act. Apost. cap. 1. 21. principium Evangelii inchoatur a prædicatione Joannis Baptistæ. Et Joannes postquam ait per Sermonem totum opus novæ creationis peractum esse, subnectit v. 6., *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes*. II. Quia multa reperiuntur loca Scripturæ, in quibus verba *In principio* simpliciter posita designant, non principium omnium rerum, sed earum tantum, de quibus est sermo, ut Joan. 15. 27. *Et vos testabimini, quoniam a principio mecum estis*. Sic etiam Epistolam suam primam orditur Joannes: *Quod erat a principio, quod vidimus, &c.* III. Quia dato etiam, quod Christus fuerit in principio creationis, non sequitur fuisse æternum; quoniam potuit illum Deus ante mundum creare, quemadmodum & alias res, quales in exemplo sunt Angeli.

Multo minus, inquit Organum diaboli, probatur Christi præexistentia ex versu 14. *Et Verbum caro factum est*. Primo quia legendum est, *Et Sermo fuit caro*, cum sit verbum ἐγένετο, quod verbum denotat *fuit*, ut notum ast omnibus, qui Græcam linguam vel primis degustarunt labris, & habemus exemplum supra v. 6. *Fuit* (Gr. ἐγένετο) *homo missus a Deo*. Deinde si ita transferatur, *Verbum caro factum est*, sequitur Verbum incarnatum desiisse esse, quod fuerat, sicuti cum aqua in Cana Galilææ facta ast vinum, non amplius fuit aqua, & quando uxor Loth facta est statua salis, non amplius mansit femina. Denique Evangelista per illa verba, *Et Sermo fuit caro*, significat solummodo fuisse Christum quantum ad naturam infirmum ac mortalem; quia cum præcedenti versiculo maminisset summi boni, quo cumulat eos, qui eum receperunt; ne quis crederet auctorem felicitatis nostræ diversum esse ab aliis hominibus; aut dubitaret, quomodo homo mortalis ad tantam dignitatem eveheretur, ut fieret Filius Dei, addendum erat, etiam Dominum Jesum fuisse hominem fragilem, ac mortalem.

Resp. Graris & ad libidinem Wolzogenium scopum præfigere Evangelistæ. Is, auctore Hieronymo, scripsit Evangelium rogatus ab Asiæ Episcopis adversus Cerinthum, aliasque tum grassantes hæreses, & maxime Ebionitarum, qui asserebant Christum ante Mariam non fuisse; unde compulsus est divinam ejus edisserere nativitatem. Addit Irenæus lib. II. cap. II. scripsisse adversus Nicolaitas, & Gnosticos, qui Christianæ simplicitati Platonicam miscebant Philosophiam. Contendunt quidam respexissa initio Evangelii ad Philonem Alexandrinum, qui plura de Sermone Dei disputavit, ne Christiani similitudine sermonis fallerentur. Quæ omnia vera simul essa possunt; nam *omnes hæreses brevi noster piscator exclusit*, ait lib. 1. ad Grat. cap. 5. S. Ambrosius. Vide quam bene cum hoc scopo Evangelii verba cohæreant. Gnostici inter Æones nominabant λόγον, *Verbum*, ζωὴν, *vitam*, σωτῆρα, *Salvatorem*, & μονογενῆ, *unigenitum*, quæ nomina extant etiam apud Proclum ad Timæum Platonis. Hinc fabula Valentiniana a nobis explosa lib. 2. cap. 5. Principio itaque Joannes demonstrat τὸν λόγον *Verbum* esse ipsum Deum, dicens: *In principio erat Verbum, &c.* Deinde cum Gnostici assererent, alium essa Deum Creatorem, alium esse Verbum fabricatoris filium, alium, ut inquit Irenæus, de superioribus Christum; ait Joannes, unum esse Deum, qui omnia fecit per Varbum suum, *Omnia*, inquit, *per ipsum facta sunt*. Destruit deinde aliud Gnosticorum figmentum, affirmans non aliam esse emanationem λόγον, *Verbum*, & aliam ζωὴν *Vitam*, dicens in Verbo vitam in principio fuissa: *In ipso vita erat*. Sequitur hanc vitam simul esse lucem spiritualem omnium hominum, neque aliunde expectandam æternam vitam, *Et vita*, inquit, *erat lux hominum, &c.* ne quis putet diversum esse ζωὴν *Vitam*, diversum σωτῆρα, *Salvatorem*. Narrat deinde testimonium Joannis Baptistæ, qui venit ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes in ipsum crederent. Quid autem credendum est? Sane credendum nedum unum esse λόγον, *Verbum*, ζωὴν *Vitam*, σωτῆρα *Salvatorem*, sed etiam ab hoc Varbo indistinctum esse Christum, seu μονογενῆ, *Unigenitum*: quod significat his, quæ sequuntur: *Et Verbum caro factum est, &c.* Vides verborum ordinem, & cohærentiam? Itaque cum talem fuisse scopum Joannis constet Patrum auctoritate, constat verborum complexu, constet ex comparatione errorum Ebionitarum, & Gnosticorum cum Evangelicis verbis; quis credet Wolzogenio fabellas propria imaginatione fingenti?

Sed concedamus quoque scopum Joannis essa historiam nobis novæ creationis describere; quippe revera sumus in Christo nova creatura, novumque figmentum: quid inde adversus Catholicam Fidem fiet consequens? imo ita nobis fas erit argumentari. Demonstrat Joannes auctorem novæ creationis esse Verbum Dei: Ait hoc Verbum non esse diversum a Creatore rerum universarum; Igitur Creator rerum universarum idem est ac auctor novæ creationis. Major propositio ast Socinianorum. Minor autem S. Irenæi lib. III. cap. XI. & probatur. I. De hoc Verbo inquit Joannes; *Omnia per ipsum facta sunt*. Ergo per ipsum factæ sunt nedum novæ creaturæ, sed etiam veteres. Vide Augustinum in 1. de Trinit. cap. 6. II. Ait Evangelista; *Et sine ipso factum est nihil*; argo nulla creatura est, quæ non sit facta per Verbum. III. Addit Joannes; *Mundus per ipsum factus est*; igitur Verbum a quo nova creatura facta est, est idem Verbum per quod factus est mundus. Factus utique, ait Socinus, idest, *refectus*, idiotismo Hebræorum, qui utuntur verbis simplicibus pro compositis. Sed proh futile commentum! Hebræa lingua varbis compositis caret, & ideo varba simplicia habent aliquando apud Hebræos significationem compositorum; at non caret verbis compositis lingua Græca, qua certum est scripsisse Joannem. Adde consonantiam Scripturarum, quæ alibi docent per Verbum, & per Filium Dei creata fuisse omnia, ad Hebræos 1. v. 10. 1. ad Corinth. VIII. v. 6. Proverb. VIII. a v. 22. ad 31. &c.

Ex his facilis est ad Wolzogenii argumentum responsio. Ac primo illud retorquetur in adversarium; nam si Genesis 1. ea verba, *In principio creavit Deus cælum & terram*, significant ante omnes res, quæ creatæ sunt, creata fuisse cælum & terram; Ergo cap. 1. Joannis illa verba, *In principio erat Verbum*, designant, antequam esset Verbum, nihil fuisse. Deinde notandum est discrimen inter τὸ *creavit*, & τὸ *erat*. Si in principio cælum & terra creata sunt, ergo antea non erant. E contra, si Verbum in principio jam erat: ergo in principio creatum non est. Deinde non ait Evangelista simpliciter, *Verbum erat*: sed, *Verbum erat apud Deum, Deus erat Verbum*, idest, erat *æternum*: quod habet expresse Arabicus.

Ad I. Confirmationem concedo Christi prædicationem habuisse initium a Joannis baptismate; sed ea verba *In principio*, non referuntur ad baptismum Joannis, sed ad Verbi axistentiam; non enim scriptum est, *In principio fuit homo missus a Deo*, sed, *In principio erat Verbum*. Imo ita argumentum retorquetur: Evangelii prædicatio non habuit initium nisi a baptismo Joannis: Ea verba, *In principio erat Verbum*, non appellant supra baptismum Joannis: Ergo ea verba, *In principio erat Verbum*, minime appellant supra initium Evangelii. Ad 2. dico, quod significatio hujus vocis *Principii*, etsi indifferens sit, a verbis quibus nectitur, satis liquet. Quare, si 1. Joannis cap. 1. τὸ, *Quod fuit ab initio, & audivimus &c.* significat, ut contendit hæreticus, initium auditæ prædicationis, eo quod sequator verbum, *Audivimus*; in cap. 1. Evangelii designare debet æternam axistentiam apud Patrem, quum sequantur hæc verba, *Et verbum erat apud Deum*. Ad tertiam dico primum, Angelos prima die fuisse conditos, non ante mundum hunc aspectabilem. Deinde si velis ante cælum terremque creatos, (quod tamen est falsum) id parum refert. Qui enim hanc tenent sententiam, exponunt verba Genesis, *In principio creavit cælum, & terram*, de Principio rerum corporearum, quarum narrationem prosequitur Moses: sed in Evangelio Joannis τὸ *In principio*, significat ante res omnes tam corporeas, quam spirituales; eo quod a Verbo facta sint omnia, idest tam visibilia, quam invisibilia, & sine ipso factum sit nihil, οὐδὲ ἕν, idest, ne unum quidem eorum, quæ facta sunt.

Nec quidquam efficiunt sophismata Satanæ contre vers. 14. Nam ad primum respondeo, optimam esse varsionem nostram, *Et Verbum caro factum est*, quum, ἐγένετο, ita reddatur etiam ab Adversariis v. 3. ubi extat Græce, πάντα δι᾽ αὐτοῦ ἐγένετο, *Omnia per ipsum facta sunt*; & v. 10. ὁ κόσμος δι᾽ αὐτοῦ ἐγένετο, *Et mundus per ipsum factus est*. Neque ad rem est exemplum v. 6. ubi ἐγένετο non simpliciter ponitur, ut v. 3. 10. & 14. sed cum participio, ἀπεσταλμένος, *Missus*. Est autem certa regula, quod ἐγένετο quando cum participio jungitur, significat, *fuit*, aut, *erat*, ut observarunt quoque Valla, & Erasmus. Alterum est argumentum procusum in officina Eutychianorum, qui post unionem Verbi divini cum humana natura, hanc fuisse absorptam putabant: quibus respondetur, Verbum factum non esse carnem convarsione humanæ naturæ in divinam, sed

assum-

assumptione humanitatis; ut probat Chrysostomus Hom. 11. in Joannem ex verbis sequentibus, *Et habitavit in nobis*: quæ non mutationem divinitatis significent, sed habitationem, & commorationem: ut dicam in lib. de Incarnatione. Quamquam si vera esset etiam hæresis Eutychiana, ita retorqueretur argumentum adversus Socinianos: Antequam aque fieret vinum, erat aqua: antequam virga fieret coluber, erat virga; antequam mulier fieret statua salis, erat mulier: Igitur antequam Verbum fieret caro, erat Verbum. Ad ultimum, concedo Verbum factum esse carnem mortalem & infirmam; ei nego antequam id fieret, non præextitisse. Carnem autem, non animam, commemoravit Joannes, aut per synecdochen, ut Ps. 62. 2. *Ad te omnis caro veniet*, aut ad commendandam magis dilectionem, & humilitatem Filii Dei; ut probat lib. 83. Quæst. q. 80. S. P. Augustinus.

Opp. 3. contra 4. argumentum. Quod PP. Antenicæni asserant Filium Dei olim Patriarchis apparuisse, nullum est ad probandam hujus præexistentiam argumentum. Ergo &c. Prob. ant. Exodi XIX. 20. habetur descendisse Dominum in Sina, & cap. XX. dedisse legem Mosi, & in Epist. ad Hebræos cap. 2. v. 2. & in Act. Apost. cap. VII. v. 30. habetur legem datam fuisse per Angelos. Item Deus, qui Genes. XVIII. 1. 2. apparuit Abrahamo, ut colligitur ex Epist. ad Hebræos cap. XIII. v. 2. fuit Angelus. Igitur nunquam in veteri Testamento Deus apparuit. Præterea hæc antiquorum PP. opinio non solum nullum habet in Scripturis fundamentum; verum etiam Scripturis e diametro opponitur: quippe ex eadem Epistola ad Hebræos cap. 1. Deus novissime locutus est nobis in Filio. Ergo non per Filium, sed per Angelos loquebatur olim Patribus, ac Prophetis.

Resp. nego ant. ad probat. dico non unam esse Patrum sententiam circa apparitiones Dei in veteri Testamento; nam quidam arbitrati sunt apparuisse Filium Dei visibilem speciem assumendo, & propterea dictum fuisse Angelum, quasi missum e Patre, quemadmodum appellatur ab Esaia cap. IX. 6.: aliqui docent revera apparuisse Angelos, sed in his fuisse ipsum Filium Dei per singularem essistentiam, & præsentiam. Prima est opinio Patrum Antenicænorum; secunda Hieronymi, Augustini, Gregorii Papæ, Fulgentii, aliorum. *Apparuit Angelus*, (inquit S. P. lib. 3. contra Maximinum prope finem) *in Angelo autem Deum fuisse quis dubitavit?* Sive uni, sive alteri sententiæ subscribas, fateri debes olim Filium Dei apparuisse, neque pugnare inter se recentiores, ac veteres Patres.

Certe quod ipsemet Filius Dei apparuerit, valde probabiliter Patres affirmarunt. I. Quia Num. XXI. 5. legitur Hebræos tentasse Dominum, qui illos eduxerat de Ægypto, & eam ob rem misisse Dominum in populum igniros serpentes. Et in 1. ad Corinth. cap. x. 9. habetur, tentasse Christum. Christus ergo erat Angelus, qui eduxit Hebræos de Ægypto, & de quo Deus Pater ait Exodi XXIII. 20. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via.* II. Observarunt eruditi viri in iis Scripturarum locis, in quibus Dominus apparuit, vel allocutus est homines, haberi in Onchelos, in Targum Jonathanis, & Jerosolymitano Dei מימרא, *Verbum*: quod mire confirmat veterum opinionem. Tertio: Cum habeatur ex Proverb. VIII. omnia facta esse per Dei Verbum ac Sapientiam; haud incongrue dicitur etiam per Verbum & Filium Dei mandata, & magnificentiam Patris hominibus innotuisse.

Hanc sententiam si sustinere velis, dicas legem datam per Angelos fuisse, quoniam Filius Dei daturus legem choris Angelicis stipatus apparuit, ut habetur Deut. XXXIII. 2. Ex Angelis, qui apparuerunt Abrahamo primum quidem fuisse Deum, & ceteros veros Angelos, cum ex toto cap. XVIII. Gen. constet Abrahamum cum uno dumtaxat suppliciter egisse, e quo separati sunt alii duo, qui venerunt Sodomam; cum quibus Loth pluraliter loquebatur, & qui ministri erant illius summi Angeli, & Domini, quem Abraham adoravit. Novissime denique Deum locutum nobis in Filio unito substantialiter naturæ humanæ; per quem olim loquebatur multifariam, aut in specie visibili non hypostatice unita, aut in visione, & in ænigmate. Verum propter aliorum Patrum, Magistrorumque auctoritatem nolo interitu hanc definire quæstionem. Ut ut sit, affirmerunt veteres Filium Dei apparuisse Patriarchis: igitur tamquam certissimum supponebant, Filium Dei tunc extitisse.

CAPUT XI.

Dei Patris esse Filium unicum, verum, proprium & naturalem.

SEQUITUR quæstio de æterna Patris generatione, quam Anti-Trinitarii aggrediuntur: de que hanc thesim Catholice pronuntiamus.

PROPOSITIO: Est Deo Patri Filius ab eo genitus, idest, non adoptione, & gratie, sed generatione, ac natura.

Ex veteri Testamento probatur. Nam Ps. 2. 7. legimus: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: Ego hodie genui te*. Ad Davidem hæc referunt R. Kimchi, Saadias, & etiam Grotius. Sed ad Messiam spectare fatentur R. Selomoh Jarchi, Jonathan, & Aben-Ezra; imo mystice ad Christum pertinere primi quoque declarant. Profecto de Christo dictum constat ex Epist. ad Hebræos cap. 1. & ex Act. Apost. cap. IV. 24. & sequentibus. Christus ergo est Filius Dei: & quidem filius ab æterno, & filius generatione. Ait enim Ps. *Hodie genui te*. *Hodie* adverbium est æternitatis, ut in hunc locum observat S. P. Augustinus; quia in æternitate nec præteritum quidquam est, quasi esse desierit, nec futurum quasi nondum sit, sed præsens tantum. *Genuit* absolute prolatum veram significat generationem. Ergo habet æternus Pater filium a se genitum sibique coæternum. In Ps. pariter CIX. 3. habetur. *Ex utero ante luciferum genui te*. Quem psalmum de Christo dictum satis liquet ex cap. XXII. Matth. v. 44. Octavo Proverbiorum habentur similia. v. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*. 24. *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram*. 25. *Ante colles ego parturiebar*. 30. *Cum eo eram cuncta componens, &c.* Perperam hæc de Sapientia, quatenus attributum est, hæretici interpretantur. Quis enim ignorat, possideri, concipi, parturiri connotare Filii personam? Quis neget illum, qui adest summo Deo, qui cuncta componit, qui ludit in orbe terrarum, esse rem aliquam subsistentem? Si Filii generationem vellet quis recensere, posset ne expressius illam describere?

Probatur 2. Ex novo Testamento. Joan. 1. 18. hæc extant, *Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Ubi de hoc filio dicitur v. 15. fuisse ante Joannem. II. Dicitur omnes de plenitudine ejus accipere: dicitur ipsum solum Patrem vidisse, quod de comprehensione constat accipiendum: dicitur tollere peccata mundi: dicitur esse auctorem gratiæ, quemadmodum Moses fuit auctor legis; & e priori versu ad ultimum plurimis divinitatis characteribus insignitur. Et cap. V. v. 17. ait Dominus: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*. Hinc Jesum verissimum esse Dei filium ratione multiplici evinco. I. Quia ut solveret Judæorum objectionem, quod non esset languidus sanandus sabbato: respondet se eadem opera Patris implere, & quæcunque ille facit hæc & filium similiter facere; videlicet & Patrem & Filium post rerum creationem non posse ab opere revera cessare, & licet sabbato nihil fuerit productum, & hominibus ab operibus servilibus sit abstinendum; Patrem tamen ac Filium suum, *usque modo*, continuo scilicet, & incessanter *operari* conservando, benefaciendo, sanando. II. Sequitur Joannes v. 18. *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat Sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*. Habent Græca πατέρα ἴδιον, *Patrem proprium*. Et ob hanc præcipue caussam mortem illi intentarunt; quare si Filius non fuisset verus Deus, videretur Judæorum scelus aliqua ex parte excusandum; eo vel maxime, quod illum adjurante Pontifice, Matth. XXVI. 63. an revera esset Dei filius, se esse confessus est, nec diluit illatam sibi accusationem blasphemiæ. III. Scribit ibidem Joannes, sicut Pater suscitat mortuos, sic & filium vivificare quos vult: tam illum, quam istum habere vitam in semetipso: utrumque esse eodem jure honorificandum ob omnibus. Plura sunt hujus generis in Evangelio Joannis, quæ, ut simus breviores, omittimus.

Neque dissentit Evangelista Matthæus: cujus insignem locum produximus principio capitis III. Addamus præclarissimam Petri confessionem cap. XVI. 16. *Tu es Christus filius Dei vivi*. Hac emphasi non intelligitur duntaxat Jesum esse Christum, esse Messiam, esse filium Dei adoptivum; quippe id antea Petrus audierat ab Andrea, ut constat ex cap. 1. Joannis 41. sed hæc fuit revelatio æterni Patris, non carnis & sanguinis, nimirum mortalis hominis. Quare ob talem veram, eximiamque confessionem meruit Petrus ceteris Apostolis anteponi, & distincto laudis præconio e Domino celebrari.

Prætermittendus non est Apostolus Paulus, qui in Epist. ad Hebræos cap. 1. v. 2. scribit: *Novissime diebus istis locutus est nobis in filio*. Ubi plurimis characteribus æternam designat generationem. Nam I. ait per hunc filium condita esse sæcula: ita appellantur metonymice spiritualia. Ac nota particulam *Per*, non vertendam esse, *propter*, quasi propter Christum Deus mundum condiderit; tum quia græce extat δι' ὧ, & propositio διὰ cum genitivo caussam significat effectricem: tum quia v. 10. de hoc filio dictum asseritur: *Tu in principio, Domine, terram fundasti*. Ergo Filius iste omnium rerum creator est. II. Appelletur splendor, & character paternæ gloriæ; quibus demonstratur esse generationem ejus naturalem, cum sit splendor & imago Patris, & ab eo tamquam lux e sole processerit: unde recte habet Syrus צמחא, *Germen*. III. Dicitur: *portans omnia verbo virtutis suæ*, idest omnia comprehendens, & continens, quibus exprimitur summa Christi potestas, ac plenissima omnipotentia. IV. Ait Apostolus *hunc filium sedere ad dexteram majestatis in excelsis*. Extat græce τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης, & hebraice, כסא כבוד, *Throni majestatis*. At Thronus majestatis ubique eamdem summam Dei gloriam significat, ut in hunc locum ostendit Grotius. V. Affirmat Paulus, hunc Filium esse tanto Angelis sublimiorem, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit: quod est nomen Filii Dei nulli Angelorum concessum; *Cui enim* (inquit v. 5.) *dixit aliquando Angelorum*,

rum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Atqui etiam Angeli dicuntur in sacris literis filii Dei, ut Psalm. lxxxvii., & Job. i. 6. ii. i.: eo quod & ipsi filii sint adoptione: Si ergo Christus singulariter Filius appellatus est; non adoptivus erit, sed proprius, unigenitus, ejusdemque consors naturæ. vi. Vocat Apostolus hunc Dei filium v. 8. Deum, v. 12. immutabilem, v. 14. singulis Angelis, ac ministris longe præstantiorem: nec poterant de vero Deo digniora, ac sublimiora nuntiari.

Tertio probatur ex Patribus Antenicænis: inter quos afferunt primo quidam Eruditi Epistolam Sancti Barnabæ, sed cum dubiam censeat Joannes Baptista Cotelerius, incerti auctoris Menardus, & exaratam post tempora Barnabæ Jacobus Armachanus, non opus est hanc proferre. Citabimus nos Hermam, de quo habes judicium nostrum supra cap. v. Is similitudine ix. ait: *Filius quidem Dei omni creatura antiquior est*. Accedit Ignatius in Epist. ad Magnesianos: *Qui ante sæcula apud Patrem erat, & in fine apparuit*. Justini philosophi ac Martyris in Apologia hæc sunt verba: *Porro filius ejus, qui solus proprie dicitur filius, Verbum simul cum illo ante creaturas existens, & nascens, quoniam per eum primitus cuncta condidit, & ornavit*. Tatianus etiam in Orat. contra Græcos, inquit: *Verbum igitur illud cæleste, Spiritus a Patre genitus, & ratio ex rationali potentia, &c.* Consimilia habet Athenagoras in Legatione pro Christianis: in qua appellat Christum *Primogenitum Patris progeniem, ex ipsa prodeuntem, ut rerum cunctarum idea & energia foret*. Irenæus denique lib. iv. adv. hæreses cap. 7. *Hic enim Filius, qui est Verbum Dei, ab initio præstruebat, non indigente patre Angelis, uti faceret conditionem, & formaret hominem, propter quem & conditio fiebat*.

Ex dictis etiam Theologica efficitur ratio: quippe Generatio definitur origo viventis a vivente in similitudinem naturæ: Verbi processio est hujusmodi: Ergo est generatio. Minor probatur; nam Joannis xvi. 28. ipsemet Christus ait: *Exivi a Patre, & veni in mundum*: Ps. 2. 7. inquit idemmet Peter: *Hodie genui te*: Ad Galat. iv. 4. *Misit Deus filium suum*. Quibus constat Verbi a Patre origo, ac processio. Rursus Joannis i. 4. legitur, *In ipso vita erat*. v. 26. *Dedit filio habere vitam in semetipso*: & Epist. i. cap. i. 2. *Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*. His verbis Filium viventem esse nemo non videt. Et denique ad Hebræos i. 3. appellatur filios *Splendor gloriæ, & figura substantiæ* patris, quemadmodum Sap. vii. 26. *Candor lucis æternæ, speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius*. Iis vero paternæ Gloriæ ostenditur in Filio similitudo. Quare nulla in eo deest germanæ conditio generationis.

ARII, ET SOCINI GREGALIBUS RESPONDETUR.

Opponebant Ariani i. Verbum non Dei filius unigenitus est, sed quasi unigenitus, dicente Joanne cap. i. 14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti, &c.* Non est ergo Unigenitus, proprius, ac naturalis. ii. Cap. x. 36. *Quem Pater sanctificavit* (inquit Salvator noster) *& misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum?* Filius est ergo non natura, sed adoptione per sanctitatem, & gratiam. iii. Appellatur ab Apostolo ad Colossens. i. 15. *Primogenitus omnis creaturæ*, & v. 18., *primogenitus mortuorum*. At primogenitos alios ejusdem conditionis filios connotat. Quare cum omnes alii sint filii adoptivi, etiam Christus in istorum numero comprehenditur. iv. In priori ad Corinthios cap. xv. 28. hæc leguntur: *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus*. Est ergo Christus Filius Dei sola administratione, & principatu Ecclesiæ, quam illi Pater cum plena potestate subjecit, ita tamen, ut absoluto temporalis Ecclesiæ regimine ipsemet Filios commissum sibi resignet imperium.

Resp. ad i. Verbum esse unigenitum Patris proprium ac naturalem, in sinu Dei reconditum, Patremque suum comprehendentem, ut affirmat Joan. cap. i. v. 18. Neque oppositum probat particula *quasi* superioris versus 14. nam græcum ὡς, *quasi*, est ut plurimum ὁριστικὸν, sive ut Hebræi appellant, כף לאמיתות scilicet definitivum, atque, ut scribit hom. ii. in Joannem Chrysostomus, βεβαιώσεως, καὶ ἀναμφισβητήτου διορισμοῦ, *Confirmationis, & indubitatæ determinationis*. Ita Matthæi xiv. 5. legimus: *Quia sicut Prophetam eum habebant*, Gr. ὡς προφήτην, & in Epist. ad Philem., *ut Paulus*, Græce, ὡς Παῦλος. Et est etiam consuerodo sermonis Regem majestate, regelique comitatu incedentem, sic paucis describere, vidimus magnificentiam, ut regis. Videatur citato loco Chrysostomus. Quod opponunt aliqui Lucæ iii. 23. in his verbis, *Erat incipiens quasi annorum triginta*, τὸ *quasi* diminutivum esse, nihil efficit: quippe non extat hoc loco ὡς ὁριστικὸν, *quasi definiens*, sed ὡσεὶ, *quasi indeterminatum*. Accedit participium *Incipiens*, quo innuitur sequentis adverbii, *quasi*, significatio: qui enim trigesimum annum incipit, nondum complevit. Sed neque conveniunt Chronologi de anno quo Christus ad baptismum accessit, & an inceperit, an expleverit annos triginta.

Ad secundum respondet Estius Com. in Joannem non probare Christum hoc argumento se esse filium Dei, sed se non male & inconvenienter fecisse, quod se dixerit filium Dei. Si enim homines, propterea quod ad illos sermo Dei factus fuerit, Scriptura vocet Deos: quanto justius ille, quem Pater sanctificavit, & misit in mundum absque suspicione blasphemiæ vocare se poterit filium Dei? Refellit ergo Judæorum calumniam argumento quod appellant a minori ad majus. Ceterum hinc etiam eruitur Christum esse filium Dei naturalem. i. Quia se præfert omnibus, quos vocat lex Dei filios; ideoque non est ipse, ut alii sunt, filius per adoptionem. ii. Quia nemo dicitur mitti in aliquem locum, nisi antea alibi fuerit; & consequenter, ut ait S. Thomas lect. 6. in cap. x. Joan., *Quem Pater misit in mundum, est filius Dei, qui in æternitate præextitit*. iii. Quoniam, ut argumentatur Augustinus Tract. 48. in Joan., dixerat Christus paulo ante, *Ego, & pater unum sumus*: quod constat accipiendum esse de unitate potestatis, ideoque & substantiæ: his enim probat neminem posse de manu ejus suas rapere oves, sicuti nequeunt rapi de manu Patris. iv. Quod Judæi sustulerunt lapides ut eum lapidarent, videntes se facere filium Dei. Ex qua criminatione colligitur revera Dei filium esse: quandoquidem si non agnovisset verum esse quod objiciebatur, debuisset pro Dei honore crimen objectum refellere, dicendo, *Non sum Deus*, sicuti fecit Joannes dicens, *Non sum ego Christus*. Neque refert, dici Christum sanctificatum a Patre: quandoquidem sanctificavit illum Pater, quando genuit, ait Augustinus. Sanctificavit quoque ipsius humanitatem, quando filium misit in mundum, inquit libro de Trinit. vii. S. Hilarius.

Ad 3. Resp. Christum dici jure ac merito *primogenitum*. Primo quia hæc vox non solum est ordinis (quo sensu non convenit Christo, qui est unigenitus) sed etiam dignitatis, ut Gen. 49. 3. vocatur primogenitus *major in donis, & prior in imperio*. Deinde quia prior est genitus e Patre, quam ulla creatura; ut habetur Prov. viii. 22. Est enim Primogenitus, quasi, *prius genitus*. Præterea quia Primogenitus est princeps fratrum suorum, & Christus in Ecclesia primatum tenet, unde Apocalyps. i. 5. appellatur, *Primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ*. Rursus, quia primogenitus erat hæres paternorum bonorum, e cujus manu reliqui partem capiebant hæreditatis: & Filius est *hæres universorum*, ut ait Apost. ad Hebræos i. 6., & ipse *fecit nos regnum Patri suo*, ut habetur i. Apocal. 6.

Ad 4. respondent quidam, Filium debellatis hostibus, & omnibus in potestatem redactis, subjiciendum esse Patri in Corpore suo mystico, quod est Ecclesia: quorum responsio Athanasii, Theodoreti, Gregorii Theologi, & Ambrosii nititur auctoritati. At alii cum Hieronymo, & Augustino censent Christum subjici Patri juxta dispensationem carnis assumptæ. Et sane de Christo ut homine Apostolus toto illo capite verba facit. Inquit vero subjiciendum in fine sæculorum, non quod subjectus modo non sit: sed, ut scribit S. Pater libro contra Sermonem Arianorum cap. xxxvii., *Ne quis in eo putaret spiritum, & corpus humanum aliqua conversione periturum*. Nec mirum; id enim opinati sunt Sabelliani & Marcionitæ, de quibus agit Ambros. lib. v. de Fide cap. vii. nec non quidam Ariani, quos perstringit loco citato Augustinus.

Opponit 2. Wolzogenius. Caussæ, ob quas Christus Dei sit filius, quatuor potissimum in sacris literis memorantur, quarum nulla est vera ac propria generatio. Prima caussa est, quia absque operatione viri ullius, virtute Spiritus Sancti immediate in utero Virginis conceptus est, nullumque adeo alium patrem præter ipsum Deum habuit. Quam caussam indicavit Angelus, Mariam sic alloquens: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur filius Dei*. Altera caussa est, quia e Patre sanctificatus, & in mundum missus, de qua supra. Tertia, quia eum Deus suscitavit a mortuis, atque ad vitam immortalem denuo quasi genuit. Hanc caussam alleget Paulus in sua Concione, quam habuit Antiochiæ, ubi inter cetera sic fatur: *Annunciamus vobis promissionem, quæ facta est patribus, quod eam Deus impleverit nobis filiis eorum, dum resuscitavit Jesum; sicut etiam in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te*, Act. xiii. 32. 33. Quarta caussa est, quia eum ad dexteram suam collocavit in cælis, donavit illi nomen, quod est super omne nomen, constituit eum Judicem vivorum & mortuorum: ob quam divinam sublimitatem, & similitudinem cum Deo est ille in summo gradu, & perfectissima ratione Filius Dei.

Resp. hæc omnia sempiternam, divinamque generationem non evertere, sed confirmare. Enimvero Lucæ i. 35. prænunciat Angelus: *Quod nascetur ex te, vocabitur filius Dei*; hoc est, *non solum qui e sinu Patris in uterum tuum veniens obumbrabit tibi, sed etiam id quod de tua substantia sociabit sibi, ex hoc jam vocabitur filius Dei, quemadmodum is qui a Patre est ante sæcula genitus, tuus quoque amodo reputabitur Filius*. Ita Bern. hom. i. de laudibus Virginis. In hujus autem interpretationis præsidium adverto primum particulam *Ideo* ex præcedenti sermone consequen-

quentiam inferre: quapropter sensus est, *Quia Spiritus Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, quo simul mira naturæ divinæ, & humanæ declaratur unio, Igitur quod nascetur ex te vocabitur, & erit Filius Dei. Ad hæc observo cum Gregorio Magno lib. XVIII. Moral. Job. 17. *Obumbrationis* vocabulum utramque significare naturam: umbra enim a lumine formatur, & a corpore: & Dominus per divinitatem lumen est, & per humanitatem corpus. Rursus animadverto cum eruditis viris haberi *τὸ Sanctum* neutrius generis, quod argumento est, Filio Virginis sanctitatem inesse essentialem, non, ut ita dicam, adjectivam. Item legi in Æthiopica versione, ubi nostra habet, *Hic erit magnus*, *Hic erat*, distinctis quoque characteribus: ut Tom. V. Polyglottæ Waltonianæ p. 249. Noto etiam supernaturalem Christi conceptionem peractam virtute Spiritus Sancti satis declarari illis verbis, *Spiritus Sanctus superveniet in te*: sequentia ergo innuunt aliquid præstantius, nempe unitionem divinæ, humanæque naturæ. Postremo neminem negaturum puto, quod Christus Dominus potiori jure sit filius Dei, quam Adam, quem tamen ex terræ sinu absque matre Altissimus procreavit; sed de priori caussa jam satis.

Ad tertiam (de altera enim supra) do Wolzogenio illud Psalm. 2. *Ego hodie genui te* etiam de Resurrectione dictum esse. Ita docent quippe nobilissimi Interpretes Origenes, Hilarius, Chrysostomus, Ambrosius. Sed excludi inde generationem æternam, perperam hæreticus jactitat. Locum Psalmi de imperceptibili divinaque generatione exponunt Gregorius Nyssenus, Cyrillus Alexandrinus, Athanasius: de temporali Athanasius ipse, Fulgentius, Euthymius: de resurrectione illi, quos jam memoravi. Neque tamen discrepant inter se. Statuendum primo hic divinam probari generationem: quod præstat eruditissimus Bossuetius ita singulas particulas pensitans; *Dominus*, inquit, *dixit ad me*; non ad alios, sed ad me propria, singulariter; *Filius meus es tu*; tu, inquam, & non alius. Ergo unicus, unigenitus, singularis. Quod nusquam ea emphasi dictum de quopiam. *Ego hodie genui te*: non ergo adscitus, non adoptatus, sed genitus: nec gratia, quod Angeli, quod homines; sed natura filius. Et quidem Apostolus ad Hebræos 1. de propria, ac vera generatione hunc locum accipiendum esse declarat. De temporali Christi conceptione dictum quoque perquamoptime. Nam etiamsi Pater de sua substantia nequaquam humanam Christi naturam genuerit; temporali tamen generatione factum est, ut filius hominis fieret filius Dei naturalis, ob unionem, quam dicimus hypostaticam. Non aliter de resurrectione dicendum est. Ad hanc spectat illud *Hodie genui te*, quoniam Christus resurgens a mortuis se verum filium Dei manifestavit. *Pulchre autem Pater dicit ad filium: Ego hodie genui te, hoc est, quando redemisti populum, quando ad cæli regnum vocasti, quando implesti voluntatem meam, probasti meum te esse filium*: inquit lib. III. de Sacramentis cap. 7. Ambrosius. Præterea Christi resurrectio nihil aliud fuit, quam æternæ ejus generationis progressus: cum enim natus sit filius Dei vivi, & ipse vita sit, necesse fuit, ut iterum ederetur, & quodammodo gigneretur; ait præcitatus Maldensis Episcopus. Ipse Christus Joannis XVII. 5. ita Patrem oravit: *Clarifica me tu, Pater, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te*. Ergo claritas & gloria resurrectionis nihil est aliud, quam revocatio Unigeniti Dei ad vitam, & jus originis suæ. Sive ergo de sempiterna generatione, sive de conceptione temporali, sive de resurrectione ex mortuis egregium Psalmi locum accipiamus, idem omnino concluditur.

Ad quartam caussam satis erit, si dixerimus omnes recensitas, aliasque Christi prærogativas ab æterna generatione, tamquam a primo fonte manare.

Opp. 3. Zwikerus: Antenicæni Patres, præsertim Herma, affirmant Filium Dei esse antiquiorem omni creatura, non generatione, sed prædestinatione. Nam Visione II. similia profert Herma de Ecclesia, dicens: *Omnium prior creata est, ideo anus: & propter illam mundus factus est*. At Ecclesia est prior tantum prædestinatione. Ergo & Filius Dei. Addit Auctor Irenici Irenicorum, Hermam similitudine V. Filium cum Spiritu Sancto confundere, dum ait *Filius Dei Spiritus Sanctus est*.

Respondet Joannes Ernestus Grabe in notis ad Bullum, Hermam putasse animas principio creatas antequam unirentur corporibus, (quem errorem tribuunt etiam Auctori Recognitionum Pseudo-Clementis, & defendit postea Origenes) atque Ecclesiam creatam initio sæculorum ratione animarum. At quare non dicam potius creatam a principio ratione Angelorum, quorum pars ad Ecclesiam triumphantem pertinet? Nullum est igitur argumentum Zwikeri, & nulla erroris Hermæ probatio. Recte quoque Filius vocatur Spiritus, quod nedum est nomen particularis personæ, sed etiam Deo, Angelisque commune. Ita Filium dixerunt Spiritum Tertullianus in I. contra Marcionem, Lactantius lib. IV. de Sapientia cap. 6. Cyprianus de Idolorum vanitate, & alii. Nota sunt carmina Prudentii in Apotheosi:

Spiritus ille Dei, Deus & se corpore Matris
Induit, atque hominem de Virginitate creavit.

CAPUT X.

Joannis Ludovici Wolzogenii adversus divinam generationem sophismata.

HACTENUS argumenta directe contra Scripturas ac Patres pugnantia. Sequuntur ea, quæ syllogizando primum Ariani, deinde Fratres Poloni, & hos inter Wolzogenius, congesserunt. Sunt autem hujusmodi.

I. Si Pater, qui omnium confessione est summus Deus, aliam personam ex essentia sua genuerit, sequeretur alium Deum genuisse: quemadmodum fieri videmus in humana generatione, ut Pater, quando filium ex essentia sua gignit, alium hominem gignat. Itaque per istam generationem ex uno Deo fient duo Dii, sicut in humana generatione ex uno homine fiunt duo homines. Quemadmodum enim in generatione humana Pater & Filius habent numero distinctam essentiam, quia Pater habet essentiam suam a seipso, Filius essentiam suam accepit per generationem a Patre: ita in divina generatione erit statuendum. Ideo hanc sententiam tempore Nicæni Concilii, in quo Arius damnatus est, viguisse inter Patres, ex Symbolo illius Concilii liquet; ubi Christus dicitur esse *Deus de Deo*.

Resp. negando sequelam. Quando enim inter Deum & creaturas comparatio instituitur, debemus omnem imperfectionem istarum ab illo removere; quemadmodum in eu asserentes naturam, operationes, potentiam, aliaque id genus, omnem amovemus conditionem mutationis, accidentis, qualitatis, & ceteras imperfectiones, quæ insunt creaturis. Generatio est origo unius personæ ab alia cum naturæ similitudine. Quod gignens, & genitus sint res subsistentes, & ille huic naturam ac proprietates communicet, perfectio generationis est. At quod Genitor tempore præcedat genitum, quod natura dividatur & abscindatur, quod generatio sit actio accidentalis, fiatque seminis decisione, quod fetus paulatim formetur, habeatque incrementa; id non ad generationis essentiam, sed ad defectum pertinet creaturarum. Itaque dico in hominum generationibus filium esse hominem diversum a patre; quoniam natura corporum non est simplex, sed fluida, & generatio ex materiæ effluxione peragitur: at Deus cum sit impartibilis, gignendo non dividit essentiam, nec influxio in ipso est, ut in hominibus. Atque ita respondent Arianis similia objicientibus Athanasius, Gregorius Nyssenus, Hilarius.

Quod de Patribus Nicæni Concilii addis hæreticus, maxima est ingenuæ ipsorum fidei calumnia. *Dei* nomen aliquando pro Persona, aliquando pro essentia accipitur, ut ait lib. III. cap. 4. & 11. Damascenus, & nos ostendimus cap. VI. ad 8. opp. Appellatur ergo Dei filius Deus de Deo, idest, Persona divina ex persona divina: quomodo dicitur Ecclesiastici ultimo, *Invocavi Dominum patrem Domini mei*, & Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo*: Quapropter hæc propositio, *Deus genuit Deum*, vera est: hæc autem, *Essentia genuit essentiam*, aut, *Deitas Deitatem*, a nullo Catholicorum admittitur. Etenim prior terminum habet *concretum*, altera *abstractum*. Ista autem, *Filius est ex substantia Patris*, vera est, & Catholica, quia substantia jungitur personæ generanti. At si absolute diceres, *Filius est ex essentia, aut divinitate*, falsa esset enunciatio; quoniam essentia communis est, non generans, neque genita.

Dices: Si Deus genuit Deum, vel genuit se Deum, vel alium Deum; non genuit se, quia nulla res potest seipsam gignere; non alium Deum, quia unus est. Ergo Deus Deum non genuit. Resp. dist. majorem: vel genuit se, vel alium Deum; idest genuit aliam personam quæ est Deus; conc. personam habentem aliam divinitatem, nego. Plura de hoc argumento Gregorius Ariminensis Distinct. IV. Q. 1.

Insurges: Deus Pater genuit Deum qui non est Pater: Deus, qui non est Pater, non est verus Deus: Ergo Deus, quem genuit Pater, verus Deus non est. Resp. dist. majorem. Genuit Deum, qui non est Pater, si nomen *Dei* supponat pro divinitate; nego suppositum, quippe, ut diximus, divinitas non gignitur, neque gignit: si supponat pro Persona, concedo majorem, & nego minorem.

Opp. 2. Pater, & Filius eamdem numero essentiam habent. Igitur Filius dum ex Patris essentia est genitus, simul & ex sua essentia genitus erit: Ergo est sui ipsius Filius, & sui ipsius etiam Pater.

Resp. dist. cons. Filius de Patris essentia est genitus, scilicet de Patre, qui est sua essentia, concedo: de essentia quæ a Patris proprietate separata percipitur; nego. Dum profitemur Filium ex Patris essentia esse genitum, non fatemur divinam essentiam absolute acceptam esse principium generationis; ita enim sequeretur præfatum absurdum, quod Filius sit ex essentia sui ipsius, quia habet eamdem cum Patre naturam: sed dicimus Filium esse genitum ex essentia relative sumpta, & quatenus est essentia Patris, una nempe proprietate personali subsistens. Quamquam vero accuratius diceretur, Filium genitum esse a Patre, quam ex essentia, quia hæc nec gignit, nec gignitur; admittimus tamen hunc loquendi modum, propterea quod Pater qui generat est sua essentia, & Filius genitus est ipsamet essen-

essentia Patris. Sed legite Sanctum Patrem Augustinum
xv. de Trinit. cap. 3. & 14.

Opp. 3. Ab omni æternitate Deus summus extitit: Ergo
si Filius Dei proprie generatus fuit, Deus summus non est;
cum generatio proprie dicta sit mutatio de non ente in ens.
Accedit quod omnis Pater semper tempore est prior filio.
Si enim non est necesse, ut id quod generatur, antea non
extiterit; poterit id generari quod jam reipsa existit: ac
porro nihil prohibebit, eum qui hodie reipsa est, nec esse
desinit, cras, aut in dies generari. Quis vero id absurdum
esse non videt, & contra omnem generetionis naturam?

Resp. nego consequentiam; siquidem necesse est, ut sum-
mus Deus sit ab omni æternitate; sed non est necesse, ut
existens in omni æternitate sit innatum. Non enim ad ge-
nerationem in Divinis præexistentia Patris requiritur, sed
sufficit conditio originis: quam Patres adversus Arianos di-
sputantes explicant comparatione caloris prodeuntis ex ignis
nature, aut luminis, quod a sole diffunditur. Non enim fuit
aliquando ignis priusquam gigneret insitum sibi calorem, ne-
que sol processit de non esse principio luminis ad esse: sed
statim ac producta fuerunt, ab illis caloris, luminisque ma-
navit proprietas. Ita Deus Peter, qui fuit ab æternitate,
semper Verbum genuit, ut si extitisset sol ab æterno, sem-
per illuminasset: unde universalis Ecclesia appellat Filium,
Deum de Deo, lumen de lumine. Rationem hanc reddere
possumus; quod generatio non sit in Deo energia, & ope-
ratio adveniens personæ, eamque de potentia trahens ad
actum; neque connotet terminum extrinsecum ac mutabi-
lem: sed est substantialis, & intrinseca, eaque Deus pater
semper est in potentia & in actu. Quæ Wolzogenius in
Arianorum palæstris edoctus optime percepisset, si audito
Eunomio, Cyrillum, Hilarium, aliosque Patres legisset.
Nunc negamus generationem, quæ non est actio ac motus,
esse transitum de non esse ad esse; & dicimus sufficere ad ge-
nerationem æternam, ut Filius accipiat naturam a Patre,
quam potest ab eo recipere, etiamsi sit illi coæternus. Ne-
gamus quoque omnem patrem præexistere filio; quum po-
tius summa patris secunditas, & generatio substantialis nul-
lam inter genitorem, ac genitum differentiam patiatur æ-
tatis; & illi tantum patres filios præcedant, quorum ope-
rario non est natura, nec potentia est essentialiter actus.
Prostremo negamus posse hominem cras generari, qui nunc
existit, quoniam generatio creaturæ perficitur tempore, in
quo præteritum nequit esse futurum. At in æternitate,
ubi non est antea, & post, sed immutabilis permanentia,
semper Verbum gignitur, ac semper est.

Insistes: Quod corrumpitur desinit esse; ergo quod gigni-
tur incipit esse. Resp. cum Estio dist. ix. §. iii. nego
consecutionem; etenim gigni non aliud est, quam accipe-
re esse, etiamsi non esse non præcesserit; corrumpi autem
non est accipere non esse, cum non entis proprie nulla sit
caussa, sed est amittere esse: ideoque si proprie loquamur,
sicut quod corrumpitur amittit esse, ita quod gignitur ac-
cipit esse: id, quod etiam in Filio Dei verum est. Hæc Estius.

Opp. 4. Si Deus ab æterno genuit Filium, nunc autem
non amplius gignit, factus est ex generante non generans:
quæ mutatio cum non ad creaturas spectet, sed intra ipsum
Deum consistat, in Deum non cadit, nec cadere ab Ad-
versariis agnoscitur. Adde quod Filius Dei, vel ex libera
Dei voluntate, vel ex necessitate naturæ fuit a Patre ge-
nitus. Si ex libera voluntate, potuisset etiam non genera-
ri e Patre. Si autem Filius Dei poterat non generari e
Patre, adeoque non existere, non est Deus summus. Quod
si vero Deus filium ex necessitate naturæ genuit, perpe-
tuo gignit; cum natura ejus sit semper prorsus eadem, &
immutabilis.

Resp. ad 1. ut supra, idest de ratione æternitatis esse, ut
nihil in ea prætereat, nihil adveniat. Cum ergo generatio
divina sit æterna, impium est dicere, Pater cessavit age-
nerando; sed ita dicendum est, quemadmodum semper
fuit, & est, ita Filius semper est natus, & semper nasci-
tur: semper fuit genitus, & semper gignitur. Nec sequi-
tur, quod olim objiciebant Ariani, si adhuc Pater generat,
nondum erit Filius perfecte genitus. Est enim semper &
perfecta generatio, & perfectus terminus; quippe, ut di-
ximus, generetio divina non est actio adveniens, sed na-
turalis: neque ullus dixerit splendorem nondum perfectum,
en quod sol non cesset illum producere. Ex loquendi ta-
men consuetudine, etsi semper nasci filium diserte Patres
affirment, *melior est semper natus, quam qui semper nasci-
tur*, ut ait Augustinus in libro 83. Quæst. q. 37., nimi-
rum accepto verbo nascendi in eo sensu, quo filius necdum
perfecte natus intelligitur: vere enim semper natus est,
quia semper Filius.

Huc spectat consimile reticulum Arianorum: vel Pater
genuit Filium existentem, vel non existentem; si genuit
existentem, frustra genitus est: si genuit non existentem,
ergo Filius aliquando non fuit. Liquet enim ex dictis re-
spondendum esse, generationem divinam, cum sit æterna,
tribuere Filio, ut semper sit, & semper recipiat existen-
tiam a Patre: nec proinde destruitur nature generationis,
qoia hæc non consistit in productione rei prius non extan-
tis, quod proprium est creationis, sed in origine viventis
a vivente, quæ stare potest cum sola conditione originis.
Ad quam originem nulla requiritur præexistentia; sed suf-
ficit si quod habet Filius habeat a Patre, tametsi ambo
sint coæterni: quod idoneis exemplis supra explicavi. Ea-
propter dicendum est: Pater genuit Filium existentem, qua-
tenus Pater semper est principium ut existat Filius; & Fi-
lius semper recipit existentiam a Patre. Si hæretici, qui-
buscum pugno, Patrum reciperent testimonia, producerem
modo aptissima ex Basilio lib. 2. contra Eunomium, Hila-
rio lib. xii. de Trinit. Cyrillo in x. Thesauri, & Augu-
stino Epist. 174. Sed pervicaces præstat refutare æternitatis
natura, quam nequeunt summo Deo denegare.

Ad ultimum, de quo gravis olim fuit inter Catholicos,
& Arianos conflictus, dico utrumque dici posse, Filium
genitum necessitate, & Filium genitum voluntate, &
utrumque posse etiam negari. Nam si necessarium accipias
pro eo quod est naturale, & undequaque immutabile, di-
co cum Athanasio Orat. 2. Filium necessario productum,
cum sit ferus substantiæ, non ex deliberatione natus, ut
contendit olim Eunomius. Quod si necessarium accipias
pro eo, quo quispiam indiget; dico cum Augustino in xv.
de Trinit. cap. 20. Filium non esse necessitata genitum,
quia necessitas indigentiæ in Deo non est. Pari ratione si
voluntarium sumas, pro eo quod non est coactum, neque
vim affert inclinationi, Filius natus est voluntarie, ut inquit
in lib. i. contra Arium Marius Victorinus: non enim aut
a seipso, aut e Filio, aut a Spiritu Sancto, aut a creatu-
ris cogi potuit Deus ut gigneret Filium; quum nemo co-
gat seipsum, neque productum cogere possit producentam.
Si vero dixeris voluntarium, quod est liberum & indiffe-
rens, ut accepit Arius in Epistola ad Eusebium Nicome-
diensem, & Alexandrum Episcopum Alexandriæ, nego
cum Fulgentio in libro iii. ad Monimum cap. viii. gi-
gni Filium Dei voluntarie; quia in generatione Unigeniti
nulla in generante præcessit deliberatio: Denique si simul
comprehendas deliberationem & indigentiam, assero cum E-
piphanio Hæresi 69. & Augustino loco citato, Filium neque
voluntate esse genitum neque necessitate, sed natura.

Si quæras an Filius possit dici genitus ex Patris consilio;
Resp. distinguendum esse; nam si consilium accipias aut
pro animi deliberatione, aut prout imperfectam significat
sapientiam, Pater non genuit Filium consilio: si autem
consilium accipias, quatenus opponitur corporali passioni,
sive ut idem est cum divina substantia, quæ est sua vo-
luntas, consiliumque: ex consilio Patris Filium genitum
esse, Synodus Sardicensis definit.

Opp. ultimo Wolzogenius. Si essentia Patris etiam Fi-
lius est, sequitur necessario etiam intellectum Patris esse
intellectum Filii, atque adeo etiam opera, quæ ab intel-
lectu Patris proficiscuntur, a Filii intellectu proficisci, &
promanare. Ergo si Pater per operationem intellectus sui
generet Filium, sequitur Filium etiam seipsum generare.
Imo etiam Spiritus Sanctus generavit Filium, cum habeat
eamdem essentiam, eumdemque intellectum; atque adeo
Filii Pater, & origo suæ originis.

Resp. utique intellectionem, qua Pater producit Filium,
esse eamdem essentiam Patris, hanc vero cum omnibus suis
perfectionibus absolutis esse tribus Personis communem:
nec tamen veram esse consecutionem, quam urget hære-
ticus: quippe intellectio quæ producit Filium, non est
substantia intelligens absolute accepta, quam appellant
Theologi intellectionem *essentialem*; sed est substantia in-
telligens relative accepta, quam vocant intellectionem *no-
tionalem*. At non repugnat unam eamdemque rem esse
communem pluribus si accipiatur absolute, esse pro-
priam unius personæ si accipiatur relative. Quapropter
negamus operetionem, qua Pater generat Filium communem
esse, licet communis sit intellectio essentialis, & Pater o-
mnia communicet Filio, excepta proprietate Personæ. Vide
Responsionem nostram ad 1. Oppos. cap. vi. Quod enim de
essentia diximus, idem de intellectu divino dicendum est. At-
que hic sit finis nostri pro Verbi Generetione certaminis:
in quo desinant aliquando hæretici humano sensu garrire,
memores scriptum esse *Generationem ejus quis enarrabit?* ab
Esaia cap. liii. 8., & e Prudentio,

Cum sit difficilis via, noscere principiorum
Semina: cui debitur mortali enquirere, quidnam
Ultra principium Deus egerit? aut quo pacto
Ediderit Verbum, quod principio caret omni?

C A P U T XI.

Filium Dei esse Patri Consubstantialem.

SEQUITUR Quæstio, cujus gratia aliæ præmissæ sunt,
de Verbi consubstantialitate, quæ licet ex dictis possit re-
solvi, cum nequeat Patri esse Filius naturalis & coæternus,
quin eamdem habeat cum Genitore substantiam; cum ta-
men plura sint scitu necessaria pro Filii hujus divinitate,
& item plura quæ ab hæreticis opponuntur præter hactenus
dicta; specialiter de Verbi natura hoc capite agendum est:
quam eamdem esse cum Patre, sequentibus argumentis de-
monstratur.

Mo-

Momentum I. Ex Nominibus Dei, quæ etiam Filio tribuuntur.

Tetragrammaton Dei nomen יהוה soli Deo vero ac summo tribuitur, ut diximus cap. I. hujus libri: Atqui nomen illud יהוה *Jehova* tribuitur Filio: Ergo Filius est Deus verus ac summus. Prob. minor I. Esaias VI. ait: *Vidi Dominum* (יהוה) *sedentem super solium excelsum & elevatum*. De vero ac summo Deo loqui prophetam constet ex nomine tetragrammato; ex Seraphim, quæ clamaverunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus*: ex verbis ipsius Esaiæ, *Et regem Dominum exercituum vidi oculis meis*. At Esaias vidit gloriam Christi; ut habetur Joannis cap. XII. v. 41. Ergo Christus est יהוה Deus ille verus, ac summus. II. Idem Esaias cap. VIII. 13. ait: *Dominum exercituum* (יהוה) *ipsum sanctificate. Ipse pavor vester, ipse terror vester. Et erit vobis in Sanctificationem; in lapidem autem offensionis*, &c. Dictum de summo Deo quis non videt? Atqui Esaiam hæc prononciasse de Christo constat ex cap. II. Lucæ v. 34. & ex Epist. ad Rom. cap. IX. v. 32. Christus ergo Deus summus est. III. Zacharias cap. XI. 12. scribit *appenderunt mercedem meam triginta argenteos: & dixit Dominus* (יהוה) *ad me: projice*, &c. Quæ de Christo prædicta esse liquet ex cap. XXVII. Matth. v. 9. Plura vide apud Huetium de Demonst. Evang. Prop. VII. Ludovicum Habert. De Deo Trino c. IV. &c. Quæ possent objici soluta sunt supra cap. I.

II. Tribuitur etiam Verbo *Dei* nomen, quod nullibi absolute & sine addito in novo Testamento de creaturis enunciatur, cum tam Latinum vocabulum *Deus*, quam Græcum Θεὸς proprium sit, non appellativum, ut demonstrat lib. III. cap. 6. Irenæus. Exemplum ex multis sit Joan. I. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Nonnulla de hoc textu dicamus. Respondent Sociniani Græce haberi, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, scilicet nomen Θεὸς, *Deus* absque articulo: sine quo non potest summus ille Deus designari. Ita Faustus Socinus contra Bellarm. cap. 6. Classe 4. Hoc miserum perfidiæ fulcrum acceperunt ab Asterio Arii Socio, de quo Orat. III. Athanasius. At validissimis argumentis illud everto. I. Ipse Socinus pag. 407. fatetur regulam istam ad articulos spectantem non esse in Græca lingua perpetuam. Et quidem ὁ Θεὸς cum articulo enunciatur de falsis Gentium Diis 2. ad Corinth. IV. 4. ὁ Θεὸς τοῦ αἰῶνος, *Deus hujus sæculi*: ad Galat. IV. 8. τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς, *iis qui non natura sunt Dii*, & alibi quamsæpissime. E contra Θεὸς absque articulo verum Deum significat Matth. IV. 4. Et eodem cap. I. Joannis v. 6. Ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ Θεοῦ, *Fuit homo missus a Deo*: v. 12. τέκνα Θεοῦ γενέσθαι, *Filios Dei fieri*: v. 13. ἀλλ' ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθησαν, *sed ex Deo nati sunt*: v. 18. Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε, *Deum nemo vidit unquam*, &c. II. Si Θεὸς cum articulo designet unum summum ac verum Deum; Ergo Deus summus & verus erit Christus, quem Thomas ita Joannis XX. 28. allocutus est, *Dominus meus, & Deus meus*: Græce cum Articulo Ὁ κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου; quo in loco Socinus ait pronomen μου impedire, quo minus de vero Deo intelligatur; sed adversus cæcam mentiendi libidinem stant testimonia lucculentissima Scripturarum, quæ eodem adjecto pronomine veram divinitatem compellant, ut Psalmo XXI. *Deus, Deus meus, respice in me*; Psalm. XXX. 15. *Ego autem in te speravi, Domine, dixi, Deus meus es tu*: aliisque locis compluribus. Ac multo minus valet, quod regerunt aliqui, præfata Thomæ verba non ad Christum referri, sed ad Patrem, quasi figuram habeant exclamationis. Etenim ex præmissa Græcorum lectione, liquet Thomæ verbis articulum non signum admirationis præponi, & nominativum esse κύριος, καὶ Θεὸς, non casum vocandi: atque ex contextu patet referenda illa esse ad Christum cum quo Thomas loquebatur: quippe legitur, *Respondit Thomas, & dixit ei*, &c. Quamobrem acerrimus Sociniani dogmatis propugnator Wolzogenius veritate cogente Comment. in Joan. pag. 1028. *Nullo modo*, inquit, *audiendi sunt, qui Thomam hæc verba non ad Christum, sed ad Deum patrem protulisse censent: quasi mirabundus, oculis in cælum sublatis, dixerit: o Deum immortalem, quid video? quid tango?* III. Cur Joannis I. Θεὸς absque articulo sit, hæc est ratio apertissima, quod articulus *subjecto*, non *prædicato* soleat proponi, ut animadvertit hom. 3. in Joan. Chrysostomus. Cui nos hæc addimus exempla Matth. II. 2. σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, *tu es Christus*. Jo. I. 21. ὁ προφήτης εἶ σύ; *Propheta es tu?* Jo. IV. 24. πνεῦμα ὁ Θεὸς, *Spiritus est Deus*; ubi articulus semper *subjecto* præponitur. Neque omittam ingenuum Wolzogenii testimonium, qui pag. 715. scribit: *Initio advertendum est, in Græco ordinem Verborum esse transpositum, & recto ordine ita legi debere, Et sermo erat Deus, ut nimirum Sermo subjectum sit, Deus prædicatum: quod etiam alii, nempe Beza, Piscator, Maldonatus, & e veteribus Hilarius, & Basilius observarunt*. Quibus nos caussam adversus Socinianos vicisse arbitramur.

Neque Verbum appellatum est Deus, quomodo Moses & Prophetæ dicti sunt aliquando. I. Quia id in novo Testamento est, ut diximus, penitus inusitatum, nec ullus absolute Deus nuncupatur: imo neque in veteri Testamento nomen istud reperies substitutum loco nominis יהוה *Jehova*, ubi accipi minime debeat de vero Deo. II. Quia teste Apostolo I. ad Corinth. 8. etsi Gentilibus sint Dei multi, & Domini multi, *Nobis tamen unus Deus est, Pater, & unus Dominus J. C.* ideoque si Verbum Deus est, esse debet ille idem Deus unus, qui est Pater. III. Quia Sociniani fatentur Verbum esse Deum titulo quodam sublimiori ac præstantiori, qui nulli convenit creaturæ: imo contendunt veram illud habere divinitatem; & ne objicietur illis, servire eos duobus Diis, reponunt Dominum Jesum esse Deum & quidem verum, non vero Deum illum Altissimum, qui tantum unus est. Nam, inquiunt, divinitatem & potestatem Filius non ipse sibi sumpsit, sed eam e Deo illo uno Altissimo accepit. De hac Filii vera divinitate disputat Wolzogenius in Joan. cap. VIII. Quæ num stare possit cum veræ divinitatis perceptione, judicet cordatus lector. Itaque si Verbum, horum confessione, Deus est specialissimo quodam titulo: non est profecto Deus, quemadmodum Moses, Judices, & quotquot fuerunt divino numine afflati.

III. Non tantum Deus appellatur Christus, sed in Epist. ad Romanos cap. IX. 5. *Deus super omnia benedictus in sæcula*: Atqui iisdem verbis describitur Deus Altissimus in Epist. ad Ephesios cap. IV. 6. Est ergo Christus Altissimus ille Deus laudibus, gratiisque in sæcula prædicandus. Cui argumento tria reponere solent Sociniani. Primo Socinus ait Deum hoc loco poni cum restrictione *Super omnia*; sed quis mente omnino non destitutus dixerit propositionem ἐπὶ, *Super*, quæ rei et personæ denotat præeminentiam Matth. XXIV. 47. Lucæ I. 33. Act. VIII. 27. & ad Eph. IV. 6., nunc deprimere & coarctare sensum verborum, sequente præsertim nomine res universas comprehendente? Porro si ita res se habeat, neque Pater erit Deus ille Altissimus, de quo citato loco Apostolus: *Qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus*.

Secundo respondet Erasmus esse *Epiphonema*, idest, exclamationem ad Patrem; ita ut verba illa sint a præcedentibus, *Ex quibus est Christus*, interpunctione secanda. Sed contra Erasmum hæc gravissima urgemus. I. Quod in Græco extet articulus, qui si *Epiphonema* foret, perperam esset appositus. II. Quoniam additus etiam participium ὁ ὢν, quod relationem dicit ad præcedentia, neque nota est novæ orationis, sed veteris. III. Quia nullum Erasmus antiquorum, & optimæ notæ Bibliorum proferre potest exemplum: quod cum ipse adverteret, abiit in deteriorem sententiam, de qua mox differam. IV. Quod ipsemet Socinus interpunctionem rejiciat, ut faciunt viri fere omnes, quos Criticos sacros appellant. V. Quia Erasmi regula est Græcum articulum, dum Dei præponitur nomini, determinatam significare Personam.

Tertio censet idem Erasmus, & etiam Grotius, nomen Dei in Paulinam Epistolam irrepsisse. Quod probat Erasmus, quia Cyprianus, Hilarius, & Chrysostomus videntur legisse: *Qui est benedictus in sæcula*, Dei nomine prætermisso. Grotius vero inquit neque in Syriaca reperiri versione, neque consuetæ locutioni Pauli convenire, qui Patri nomen *Dei*, Filio nomen *Domini* solet tribuere. Verum respondeo decipi Erasmum. I. Quia necesse non est, ut ubique a Patribus Scripturarum textus integri proferantur. II. Quia Erasmus, Auctore Petavio lib. II. de Trinit. cap. IX. n. II. mendoso Cypriani Codice deceptus est. III. Quia Erasmum temeritatis damnat & consensus vetustissimorum Codicum, & antiquorum Patrum auctoritas. Germanam namque esse lectionem nostram, constat ex Irenæo lib. III. cap. 18. Tertull. contra Praxeam cap. 13. August. libro I. contra Faustum cap. 3. & 6. & aliis pluribus, quos in hac de Verbi divinitate Quæstione citant L'Herminier, & Petavius, & qui hos præcessit, & Erasmum impugnavit Alphonsus Salmeron. Grotio autem respondeo non solum in Syriaca versione nomen *Dei* reperiri, sed etiam ad Christum referri; ita enim habet Syrus: *Apparuit Meschicho in carne, qui est Deus super omnes: cui sint laudes & benedictiones in sæculum sæculorum, Amen*. Idem habet etiam Arabicus, ut vidimus in Polyglottis. Atque his versionibus mira accedit firmitas Catholicorum sententiæ. Neque Apostolus ubi nomen Domini tribuit Filio, negat esse Deum: quod alibi demonstravimus. Sed & tribuit Christo Dei nomen ad Titum II. 10. & III. 4. 13. &c. Denique etiamsi *Dei* nomen deesset, probaretur inde Filii divinitas, quoniam esse benedictum in sæcula juxta Scripturarum sanctarum phrasim non potest nisi soli Deo convenire.

Momentum II. Ex Attributis summi, & altissimi Dei.

Ille supremus Deus est, cui summi Dei conveniunt Attributa; Filio summi Dei Attributa conveniunt; Ergo Filius summus Deus est. Prob. minor. Summus Deus dicitur Psalmo 76. 14. *Deus Magnus*: quo nomine etiam ab Apost. ad Titum 2. 13. Christus afficitur. Ait enim Apostolus: *Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ Magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi*. Nec valet responsio Arianorum dicentium dividendum comma, ita ut magnus Deus sit a Salvatore nostro diversus; quippe non Pater, sed Filius venturus est ad judicium; & in Græco non præponitur σωτῆρος, *Salvatoris*, articulus, quomodo præponendus esset, si Salvator alius esset a Magno Deo. II. Filio tribuitur Æternitas Mich. V. 2. *Egressus ejus ab initio, & a diebus æternitatis*. Quod extat hebraice מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם *Ante principium*,

pium, ante dies sæculi. Ubi perperam Schlichingius, & Wolzogenius solam antiquam prosapiam Christi autumant designari, cum *Egressus* nativitatem, originemque significet, non familiæ nobilitatem. Nam quod ait Wolzogenius haberi hebraice plurali numero *De egressibus* ad demonstrandam longam seriem majorum; id quidem nihil nos urget, sive dicamus cum Galatino duplicem a Propheta memorari Christi generationem; sive cum linguæ Sanctæ peritis, plurali numero magnitudinem & excellentiam antiquæ nativitatis ostendi. Egressionem vero, & originem, quod idem opponit hæreticus, non repugnare æternitati, superiori capite demonstravimus. III. Convenit Filio etiam Omnipotentia, dicente Apostolo ad Colossens. I. 16. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*. Et ad Hebræos I. *Portans omnia verbo virtutis suæ*. De aliis Attributis vide Tournely Tom. 2. pag. 195. Juenin dissert. V. de Incarnat. Estium dist. 9. §. VIII. &c.

Momentum III. Ex Dei Altissimi Operibus.

Inter opera, quæ Deo conveniunt, neque possunt nisi infinita virtute perfici, connumerantur remissio peccatorum, mortuorum Resurrectio, collatio Spiritus Sancti, & intima secretorum cordium cognitio; quæ a solo Deo propria omnipotentia patrari, & Sacræ literæ docent, & evidens ratio demonstrat. At Filius Dei hæc omnia virtute propria peregit. Primo Matth. IX. 2. ait Paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Atque, ut ostenderet se habere potestatem remittendi peccata, *Surge*, inquit, *tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*. Significari autem hoc loco potestatem divinam, non excellentiæ, quæ etiam Sacerdotibus competit, constat; nam cogitantibus quibusdam Scribis Christum blasphemare, & dicentibus in corde suo, *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* videns Jesus cogitationes eorum dixit: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris, &c.* Fatetur ergo se illum verum Deum esse, qui solus habet potestatem dimittendi peccata: atque, ut animadvertit Chrysostomus, talem se esse tribus miraculis comprobavit; nempe cogitationum Scribarum cognitione, peccatorum remissione, & paralytici curatione. II. Filium Dei propria virtute a mortuis surrexisse liquet tum ex cap. II. Joan. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, quod, ut Evangelista scribit, *Dicebat de templo corporis sui*: cum ex cap. X. 17. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a meipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam*. Quorum verborum vim non tollunt quæ consequuntur: *Hoc mandatum accepi a Patre meo*; ex quo Dei mandato pendebat (inquit Wolzogenius) utraque illa potestas Christi, & ponendi animam, & eamdem resumendi. Quippe præceptum ad opus meriti spectat, non ad gloriam; videlicet ad passionem & mortem, non ad resurrectionem ex mortuis. Præterquam quod non pendet a Dei mandato potestas, sed supponitur. At habebat, inquit hæreticus, Christus potestatem moriendi proprie, improprie vero potestatem resurgendi, quoniam ejus resurrectio tribuitur Patri ad Galat. I. I. ad Ephes. I. 17. Act. XIII. 15. Verum hanc ego ex adverso infero consecutionem: A seipso habet Christus potestatem ponendi animam suam, & potestatem iterum sumendi eam: si prior potestas est propria, igitur & altera. Atqui potestas propria mortuos resuscitandi competit soli Deo; unde Christus dicitur resuscitatus a Patre: Ergo Christus Deus est, & habet eamdem cum Patre potestatem. Præterea: Si potestas resuscitandi mortuos propria est Patris, quia ipsius virtute Christus surrexit: pari jore propria erit hæc potestas in Filio, quia in novissimo die ipsius voce, ac potentia resurgent omnes, qui sunt in monumentis; ut scribit idem Evangelista cap. V. 25. 28. Cetera, quæ addit hæreticus, se non potuisse non ridere, cum legeret apud Maldonatum, quod solius Dei est potestatem habere ponendi animam suam, non moror. Deum namque posse mori ratione humanitatis assumptæ rident tantum impii homines, qui Incarnationis mysterium ignorant: atque ita ponere animam, ut nemo hanc possit tollere vi tormentorum; quomodo ponere habuit potestatem Salvator, qui ibidem ait, *Nemo tollit eam a me*: id quidem probat Personam posse mori, non necessitate naturæ, sed libera voluntate, & ratione formæ servilis, quam induit, non divinitatis quam non potest amittere. Hæc vero quomodo fieri possint, dicam de Verbi Dei Incarnatione. Tertia operatio solius Dei est dare, conferre, ac mittere Spiritum Sanctum: quod competere Filio ostendam inferius. Nunc præstat audire Augustinum XV. de Trinit. cap. 26.: *Quomodo Deus non est, qui dat Spiritum Sanctum? Imo quantus Deus est, qui dat Deum! Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant*. Postremo, ut mittam creationem, & gubernationem rerum universarum, quam convenire Filio docet Joannes cap. I. 3. & Apost. I. ad Hebræos, &c. scrutari corda certus est divinitatis character, ut habetur Jeremiæ XVII. 10. *Ego Dominus scrutans cor, & probans renes*. Quod tribuitur etiam Filio Apocalyps. II. 23.; eique competere constat ex Evangelica historia. Profero exemplum unum ex cap. XXI. Joannis, ubi Petrus v. 17. ait: *Domine, tu omnia nosti: tu scis, quia amo te*. Quo in loco neque Petrus erravit, qui a Christo mercedem accepit; neque Christus ex sola Patris revelatione cordis alieni penetralia cognovit, qui ideo vidit, quia novit omnia.

Momentum IV. Ex perfecta Filii æqualitate cum Patre.

Fieri non potest, ut non sit summus Deus, qui eadem cum Patre indiscriminatim opera perficit, qui est cum illo eadem beatorum æterna vita, ac felicitas, qui unam cum eo habet divinitatis substantiam: Talis est Filius: Ergo Filius summus & altissimus Deus est. Minor probatur quantum ad primam partem. Joannis cap. V. 17. ait ipsemet Christus: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*. Sunt ergo eadem opera Patris, & opera Filii. Quod argumentum ut melius percipias, animadverte primo, quod supra notavimus, Judæos hæc audientes voluisse ipsum Christum interficere: *Quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*. Intelligunt ergo Judæi, quod non intelligunt Ariani, ut inquit Tract. XVII. in Joannem Augustinus. Deinde recole quæ de hoc Testimonio diximus cap. IX. Prob. 2. quoniam non solum veram Filii generationem demonstrant, sed etiam inseparabilem operationem. Rursus observa, Evangelistam non scripsisse, quod Judæi quærebant Jesum interficere, propterea quod ex eorum malevolentia arbitrarentur illum se facere æqualem Deo; sed, *Quia Patrem suum dicebat Deum, & æqualem se illi faciebat*; ideoque ea verba non ex malignantium corde, sed ex Apostolica proficiscuntur auctoritate; quomodo probat Petavius lib. II. cap. VIII. n. XIV.

Prob. 2. pars. Idem Joannes cap. XIV. 9. refert hæc verba Christi: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*. Ergo dummodo videatur Filius, habetur æterna vita, & sempiterna beatitudo, & consequenter Deus est. Pro qua pariter argumentatione notanda sunt aliqua. Ac primum cum Augustino Tract. in Joannem 70. non videri unum viso alio, nisi sint perfecte similia. In exemplo, ex uno homine non cognoscitur alius, si diversam habeant staturam, diversum colorem, diversaque lineamenta. Ea propter si viso Filio videtur Pater, sunt ambo modo perfectissimo similes. At nulla creatura omnimodam habere potest cum Deo similitudinem; ideoque Filius, in quo Pater videtur, creatura nequaquam erit. Præterea, ut scribit Hom. 74. Chrysostomus, si duæ res diversam habeant substantiam, in una non potest alia videri: non enim ex auro argentum, ex equo hominem possumus recte cognoscere; Si ergo qui videt Filium, videt & Patrem, erit una, eademque substantia utriusque. Adde his quæ Joannes scribit I. Epist. cap. V. 12. *Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet*: & cap. XX. *Hic est verus Deus, & vita æterna*. Male Grotius, qui Socinianis in Explicatione Joannis sæpe sæpius cohæret, illud, *Hic est verus Deus*, ad Patrem refert, ut contendit ipse Socinus in Comment. & contra Bellarm. cap. V. classe 3. argum. 12. Quamquam enim græcum pronomen demonstrativum οὗτος, aliquando ad remotiora refertur, (quod accidit perraro), communiter tamen ad proxime præcedentia spectat, ut Joan. I. 2. 7. 30. & cap. V. 6. &c. Atqui proxime præcedit, *Filius*. Ergo ad Filium attinet pronomen istud. Accedit, quod scopus Joannis in illa Epistola est demonstrare Filium esse verbum vitæ, & vitam æternam, ut constat ex cap. I. I. 2. Igitur scopus Apostoli exigit, ut ad Filium spectent postrema verba, οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεὸς, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος. Perperam ergo conantur hæretici hoc evertere testimonium, quod sanctus Athanasius in disput. contra Arium habitu in Nicæno Concilio appellat *Scriptam Demonstrationem*.

Tertia pars probatur ex verbis Christi Joannis cap. X. 30. *Ego, & Pater unum sumus*. Videndum est, num de unitate substantiæ loquatur Filius. De hac reapse loqui hæ argumentationes evincunt. I. Hæc Christi sententia eo tendit, ut probet non posse rapi de manu Patris quidquid non potest rapi de manu filii: Ergo Patris & Filii eadem potestas est, adeoque substantia. Quod est argumentum Hilarii in VII. de Trinit. & Cyrilli lib. VII. & VIII. in Joannem. II. Ex quo nemo possit rapere oves de manu Patris, sequitur quod is *major sit omnibus*, ut habetur ibid. v. 29. Igitur major omnibus erit & Filius, qui addidit, *Et nemo potest rapere de manu Patris mei: Ego, & Pater unum sumus*. Vide Chrysostomum Hom. 61. III. Judæi ad præfata verba sustulerunt lapides, ut lapidarent eum de blasphemia, quia eum homo esset faceret seipsum Deum. At opinionem Judæorum non corrigit, sed confirmat tum argumento a minori ad majus supra producto; cum ex operibus Patris, quibus ostendit Patrem in Filio esse, & Filium in Patre. Fatetur itaque semetipsum verum Deum esse, ac talem sese appellavisse. Præterire nolo præclaram Augustini sententiam Tract. LXXI. in Joannem. *Audi Sabelliane; usque adeo non ipse Pater, ut eum Arianus inæqualem asserat Patri. Audi Ariane: usque adeo Filius æqualis est Patri, ut Sabellianus eumdem esse dicat & Patrem. Tu adde quod tollis,*

tu

tu adimple quem minuis; & nobiscum ambo consistitis. Quia nec tu tollis, nec tu minuis eum, qui & alter est a Patre, ut convincas Sabellium, & æqualis Patri, ut convincas Arianum. Utrisque enim clamat, Ego, & Pater unum sumus. Quod ait, unum, audiant Ariani: quod ait, sumus, audiant Sabelliani: & nec illi æqualem, nec illi alterum negando sint vani.

Reponunt Ariani Patrem & Filium unum esse voluntatis, & operationis consensu, quomodo Christus Joannis XVII. orat Patrem, ut Fideles sint unum dicens: *Roga, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint*: Et infra: *ut sint unum, sicut & nos unum sumus*. Legitur & Act. IV. 32. *Multitudo credentium erat anima una, & cor unum*. Similiter in prima ad Corinth. VI. 17. *Qui adhæret Deo unus Spiritus est*. Item cap. III. ejusdem Epist. 8. *Qui plantat, & qui rigat unum sunt*. His locis, inquiunt, sermo est de voluntatis concordia, non de unitate substantiæ. Ergo idem est affirmandum de v. 30. cap. X. Evangelii Joannis.

Resp. I. Quidquid sit de aliorum locorum significatione, Evangelica verba præter unitionem consensus etiam substantiæ demonstrare unitatem, sive attendas Joannis scopum, qui est commonstrare Patri Filioque unam esse *manum* ac potestatem, ut paolo ante dicebam: sive cum Eugenio Carthaginensi in Fidei Professione ad Hunnericum, advertas non de voluntate sua Christum agere, sed absolute proferre, *Unum sumus*, non, *Unum volumus*: sive cum Augustino in VI. de Trinit. cap. 3., nullibi inveniri in Scripturis dictum simpliciter, *unum sunt* de iis, quorum est diversa natura; quod observat quoque D. Thomas lectione in hunc locum quinta.

Deinde singula expendam. Joannis XVII. 21. 22. non potest unitas designari naturæ. I. Quod particula καθὼς, *sicut*, similitudinis nota est, non vinculum æqualitatis, ut Lucæ VI. 36. & Matth. V. 48. ubi non æqualitas perfectionis & misericordiæ Patris injungitur, sed præcipitur imitatio. Vide Orat. 3. contra Arianos Athanasium. II. Quia non petit Dominus, ut simus unum in natura humana, sed ut simus unum in Patre & Filio, *Ut & ipsi*, inquit, *in nobis unum sint*: quibus aperte significatur unitas caritatis & dilectionis. Vide Augustinum in IV. de Trinit. cap. 9. III. Falsum est nos cum Deo sola voluntatis concordia necti, cum ipsi uniamur etiam quodam vinculo substantiali tum in Incarnatione qua Verbum nostram sibi copulavit naturam, cum in Eucharistiæ Sacramento, in quo ejus corpore pascimur; ut disputant Cyrillus, & Hilarius: quorum sententiam accurate tractat insignis Theologus Cardinalis Gotti Quæst. I. de Trinit. Dub. 2. §. 2. n. XXVIII. IV. Cum Ambrosio lib. IV. de Fide cap. 2. retorquetur Arianorum argumentatio. Nam nisi Christus se a creaturis separaret, non præmitteret, *Ut unum sint, sicut tu Pater in me, & Ego in te*; sed potius dicendum fuisset, *Sicut tu in nobis, & nos in te*: At Filius unit se Patri, & priora verba præmittit: Ergo Filius separat se a creaturis. Quod additur ex Act. IV. 32. & I. ad Corinth. VI. 17. & cap. III. 17. ita resolvitur ab Augustino in III. contra Maxim. cap. 20. *Quando de rebus duabus, aut pluribus dicitur unus est, vel una est, & additur quid unus, vel quid una; & de his, quæ diversa, & de his, quæ sunt unius substantiæ dici potest. Diversa sunt enim substantia spiritus hominis, & spiritus Domini, & tamen dictum est, Qui adhæret Domino, unus Spiritus est: Unius autem substantiæ sunt animæ hominum, & corda hominum, de quibus dictum est, Erat illis anima una, & cor unum. Ubi autem dicitur de duobus, aut pluribus, unum sunt, nec additur quid unum sint, non diversa intelliguntur, sed unius esse substantiæ: sicut dictum est, Qui plantat, & qui rigat unum sunt: Et, Ego & Pater unum sumus.*

Addam ego *Animam*, *spiritum*, & *cor*, frequenter accipi in Scripturis pro motu animæ, & desiderio. Ita *anima* accipitur Genes. XXIII. 8. *Si placet animæ vestræ*, & Joan. X. 24. *Quousque animam nostram tollis?* Ita *spiritus* Num. XIV. 24. *Caleb plenus alio spiritu secutus est me*. Et ad Rom. XI. 8. *Dedit illis Deus spiritum compunctionis*. Ita & *cor* Deut. XXIX. 18. *Cujus cor aversum est a Domino*. Et Matth. VI. 21. *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*. Sunt exempla hujusmodi frequentissima. Quid ergo stupent hæretici, si præfata testimonia de unione voluntatis explicamus, & non item alia, ubi neque anima, neque spiritus, neque cor memorantur? Plura alia argumenta tractant Theologi; sed nos ea fusiori stylo complexi sumus, quæ valeant quempiam convincere, dummodo non sit in errore cæcus, & pertinax.

CAPUT XII.

Solvuntur contrariæ opinionis argutationes.

LATEBRAS Transylvanorum tentavimus: ubi hæretici plurium errorum portentis hæresim perniciosissimam tutantur, Christum & verum Deum, & Unigenitum Patris, & divino honore dignum confitentes, & tamen æternum, & genitum ex substantia Patris, Deumque altissimum denegantes. Horum autem tergiversationes tantæ sunt, ut nullus error pari machinationum numero propugnetur: quas & Crellius in libro de uno Deo Patre, & Socinus contra Volanum, & Wiekum, & Joannes a Wolzogen ex Calvinista novus Samosatenicus, & alii copiosis Voluminibus editis, Satana magistro, invenerunt. Adversus harum machinarum fragorem nos ipsos valido præsidio munivimus. Nunc jungunt se Arianis, eorumque armis nos iterato certamine lacessire non desinunt: atque hæc objiciunt. I. Ipse Filius Joannis XIV. 28. profitetur se Patre inferiorem, dicens: *Pater major me est*. Itaque non est Patri consubstantialis.

Resp. dist. antec. profitetur se inferiorem Patre ratione humanitatis assumptæ, concedo: ratione personæ ac naturæ, cui copulavit humanam, subdistinguo; profitetur se minorem origine, concedo; minorem potestate aut substantia, nego. Quippe si Patre hoc pacto esset minor, quomodo eodem cap. v. 9. dixisset: *Qui videt me, videt & Patrem?* Quomodo verum est, quod scripserat Joan. cap. V. 18. *Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo?* Quomodo cap. XVI. 15. ait ipse Filius: *Omnia quæcunque habet Pater mea sunt?* si omnia Patris, ut arguit I. de Trinit. Victorinus, sunt & substantia, & potestas, & dignitas. Quomodo denique ait Apostolus ad Philipp. II. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, videlicet, rem alienam non usurpavit, dum se Patri suo fecit coæqualem? Itaque in hac Scripturarum sanctarum diversitate, ad diversam Christi naturam est recurrendum, ut ait Augustinus II. de Trinit. cap. I. *Filius est æqualis Patri secundum formam in qua erat, & minor Patre secundum formam servi, quam accepit*. Id priori distinctionis nostræ membro complexi sumus. Nam in altero Patrum Græcorum indicata est responsio, qui dicunt Filium minorem Patre secundum *habitudinem* caussæ, eo quod Pater origo sit Filii, ut loquitur in I. adversus Eunomium Basilius, Orat. V. Gregorius Nazianzenus, & hom. 75. Chrysostomus. In quorum scriptis advertendum est nomen caussæ ac principii indiscriminatim usurpari, quod usitatissimum est Græcis omnibus. Videtur tamen mihi verior sententia Latinorum, qui dicunt Filium se minorem fecisse Patre propter humanitatem; primo quia inquit Christus: *Gauderetis utique quia vado ad Patrem; quia Pater major me est*. At ad Patrem ibat non ratione divinitatis, secundum quam nunquam a Patris gloria recessit, sed ratione duntaxat humanitatis. Deinde quia nullibi scriptum est Patrem esse majorem Spiritu Sancto, aut Spiritum Sanctum minorem Patre, quia Spiritus non sic creaturam assumpsit, sicut a Verbo assumpta est natura hominis; inquit Augustinus in II. de Trinit. cap. 6. Hæc tamen salva Græcorum Patrum dignitate dicta sint.

Obstrepit Faustus Socinus in Animadvers. ad Theses Collegii Posnaniensis pag. 437. Continent hæc affirmantia verba, *Pater major me est*, aperte negationem hanc, *Ego non sum tam magnus, ut Pater*. Atqui simpliciter de Persona quapiam nullo pacto quicquam negari potest, quod ei secundum aliquam naturam conveniat. Ergo nullo pacto negari potest Filium esse tam magnum ut Pater, si Filio id secundum aliquam naturam competeret. Probatur minor. Nemo simpliciter negaverit hominem quantum esse, quia ejus anima revera non sit quanta: satis est enim, si Christus secundum divinitatem tam magnus esset ut Pater, nullo pacto id simpliciter negari potuisset; quamvis revera secundum humanitatem tam magnus non sit.

Resp. nego *suppositum* minoris: non enim de Persona Filii simpliciter negatur, quod sit tam magnus ut Pater; quomodo nec simpliciter affirmatur illum Patre minorem esse: sed cum duplici constet natura, secundum unam æqualem, secundum alteram minorem Patre pronunciamus. Ita nemo simpliciter negat hominem esse quantum, licet quanta non sit ejus anima, quia cum homo constet ex anima & corpore, quantus est ratione corporis, non quantus ratione animæ. Quare concedo consequentiam, & retorqueo argumentum: Ex quo homo sit quantus ratione corporis, non sequitur quin sit spiritualis ratione animæ; & absque ulla contradictione vera est utraque propositio, *homo corporeus est, homo spiritualis est*. Igitur ex quo Christus sit minor patre secundum humanitatem, non infertur quin sit æqualis Patri secundum divinitatem · & vera est enunciatio, *Ego & Pater unum sumus*, vera & altera, *Pater major me est*.

Instat Wolzogenius in libro de *Utili lect. novi Testam.* p. 328. Dici nequit, Christum nec conceptum esse de Spiritu Sancto, nec natum ex Virgine, nec crevisse, nec edisse, nec bibisse, nec flevisse, non mortuum, non resuscitatum, nec alia innumera, quod ei nihil horum competat secundum divinam naturam. Ergo neque dici potest esse æqualem Patri, extitisse ab æterno, creasse mundum, fuisse in cælo antequam nasceretur ex Virgine, & alia hujus generis, quia nihil horum ei competit secundum naturam humanam.

Resp. nego consequentiam. Cum enim Christus sit ex duplici natura compositus, debent de eo affirmari quæcunque utrique naturæ conveniunt, quomodo de homine qui constat ex corpore & anima, affirmatur quod sit corporeus, & quod sit spiritualis. Quare dici nequit Christum

nec

nec conceptum esse, nec mortuum; quia id ei competit secundum naturam humanam; & dici nequit non esse æternum, non esse Deum altissimum, non esse Conditorem sæculorum, quum id illi competat ratione divinitatis.

Dices: Multa alia sunt sacrarum literarum loca, quibus Filii cum Patre ostenditur inæqualitas. I. Petitur ex Jo. v. 19. ubi Christus ait: *Non potest filius a se facere quicquam, nisi videat Patrem facientem*. Et v. 30. *Ego nihil possum a me ipso facere*. Quomodo igitur Filius potest esse summus Deus? II. Id illa loca confirmant, in quibus Christus ostendit se non esse auctorem suæ doctrinæ: ut cum inter alia inquit Jo. VII. 16. 17. *Doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me*. III. Huc spectant ea loca, quibus testatur se missum a Patre Jo. III. 16. ab ipso accepisse mandata Joan. x. 18. ad Patrem fudisse preces Joan. XVII. 1. IV. Accedunt loca, quibus Filius vocat Patrem Deum, ac Dominum suum, ut xx. 17. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*. Et Paulus 1. ad Corinth. 3. 23. ait: *Christus est Dei*. V. Fatetur etiam Salvator se habere aliam voluntatem a Patre, Matth. XXVI. 39. *Non sicut ego volo, sed sicut tu*.

Resp. hæc, quæ olim Ariani, nunc Sociniani opponunt, Divinitati Salvatoris nostri non adversari. Ad I. enim Resp. cum Gregorio Nazianz. lib. IV. Theologiæ, Filium non posse a se facere quicquam, quia una est Patris ac Filii potestas, una, eademque operatio. Quæ responsio constat ex verbis immediate sequentibus: *Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit*; atque etiam ex præcedentibus: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*. Vide & Ambrosium lib. IV. de Fide cap. 3. Possumus textum etiam de Filio, ut homine, exponere.

Arguit Wolzogenius: Si Filius videre debeat Patrem facientem, Pater erit norma & regula Filio: At qui se in operibus suis ad normam & regulam alterius componit, non est Deus summus: Ergo Filius Deus summus non est.

Resp. dist. majorem. Si Filius videre debeat Patrem facientem, ut discipulus artificem, a quo docetur, conc. Si videre illum debeat, ut unigenitus Patrem, a quo per generationem accipit essentiam ac sapientiam; nego. Vide Gregorium Nyssenum lib. contra Eunomium XII., ubi explicat omnem operationem Filii ad formam operationis Paternæ, similitudinem imaginis eamdem motionem habentis cum suo archetypo, dum se contemplatur in speculo.

Quod secundo objicitur, nullius est momenti. Quærit enim Tract. in hunc locum S. P. Aug. Si mea, quomodo non mea? Si non mea, quomodo mea? Brevis responsio: mea, quia sum Dei Verbum, ac Sapientia. Non mea, quia non a me originaliter profecta. Sicut enim Filius Dei esse suum habet a Patre, ita quidquid ejus est, sive vita, sive scientia, sive operatio, similiter est a patre. Propterea etiam appellat doctrinam Patris, ne credatur per humanam industriam comparata. Aut loquitur ex hypothesi, & sensu Judæorum, qui opinabantur ipsum diversum voluntate ac doctrina a Patre, suam facere voluntatem, & doctrinam suam spargere; cum una sit ipsius ac Patris voluntas. Et quidem sæpissime negativæ propositiones in sacris libris non negant simpliciter, sed secundum hypothesim, & cogitationem eorum, ad quos dirigitur sermo: ut Joan. I. 21. Baptista negavit se esse Prophetam, & Eliam, scilicet eo modo, quo intelligebant Judæi, cum esset revera Propheta, & etiam spiritu & virtute esset Elias. Hæc postrema responsio non patitur instantias Socinianorum.

Nam urget Wolzogenius: Si Filius tantum doctrinam suam retulisset ad Patrem, potuisset intelligi eum una cum Patre esse illius auctorem: At negat eam suam esse, & soli Patri eam adscribit. Ergo non est auctor suæ doctrinæ.

Itaque respondeo dist. minorem: Negat secundum hypothesim Judæorum, concedo: negat simpliciter; nego. Aut dico negare se auctorem esse doctrinæ, quatenus illam habet a Patre.

Ad testimonia tertio producta resp. S. P. Augustinus lib. contra Serm. Arianorum cap. VI. *His testimoniis Sanctarum Scripturarum, quid persuadere conantur, nisi propterea Patris & Filii diversas esse naturas, quia obediens Patri ostenditur Filius? Quod tamen de hominibus non utique dicerent: neque enim si homo filius homini Petri sit obediens, ideo amborum diversa natura est*. Fuit ergo Filius missus a Patre, eique obediens spectata natura humana, neque sive missio, sive obedientia probant necessario inæqualitatem personæ.

Instat Wolzogenius: Mandata accepit Christus a Patre, quatenus legatus ipsius fuit: Legatum autem statuunt Christum Trinitarii, in quantum Deus est: Igitur Christus in quantum Deus, Patris mandato subjicitur.

Resp. dist. minorem. Statuimus nos Christum legatum Patris secundum Divinitatem, itaut divinitas sit *forma*, quæ Mediatoris nostri obedientiam ac mortem reddiderit summe dignam; concedo: ita ut Mediator ac Redemptor noster secundum formam Dei fuerit Patri subjectus, mortemque subierit; nego. Præterea mandatum Patris etiam ad Filii pertinet divinitatem, in quantum Dei mandatum idem est, ac Patris Verbum, & *βούλημα*, ut cum Augustino explicat Petavius in VI. de Trinit. cap. IV. n. 5.

Ad quartum dupliciter S. P. respondet, I. in priori libro de Trinit. cap. VII. *Patrem etiam Deum esse unigeniti filii, quoniam factus est homo, & natus ex femina*. II. Tract. in Joan. CXXI. *Non ait, Patrem nostrum: aliter ergo meum, aliter vestrum: natura meum, gratia vestrum; Neque dixit Deum nostrum: ergo & hic aliter meum, aliter vestrum; Deum meum, sub quo & ego homo sum; Deum vestrum, inter quos & ipsum Mediator sum*.

Wolzogenius insurgit: Deum alicujus esse hebraica phrasi significat benefactorem esse alicujus, ut constat ex cap. xx. Lucæ. v. 38. Ergo quod Christus Patrem Deum suum vocat, ex eo validissime probatur non esse Deum summum, sed beneficio Patris fuisse a mortuis suscitatum.

Resp. Trans. ant. quippe Lucas ait Deum non esse mortuorum, hoc tantum sensu, quod omnia illi vivant, faciantque verbum ipsius: & nego consequentiam; Nimirum Deus summus assumpsit naturam humanam, in quam potuerunt Patris beneficia diffundi. Verba Matth. XXVI. 39. probant tantummodo fuisse in Christo duplicem voluntatem, & in humana naturale desiderium propriæ vitæ, quæ tamen perfecte rationi subesset, neque cum deliberata voluntatu pugnaret. At de his in libris de Verbi Incarnatione, adversus Monothelitas.

Opp. 2. Summus Deus habet essentialem bonitatem, plenitudinem potestatis, perfectissimamque scientiam: Hæc non habet Dei Filius. Ergo Dei filius non est ille verus ac summus Deus. Prob. minor; Matth. XIX. 17. dum vocaretur Filius Magister bonus, ait: *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi unus Deus*. Item cap. XX. 23. respondit filiis Zebedæi: *Sedere ad dexteram, & sinistram non est meum dare, &c.* Rursus de extremo judicii die cap. XXIV. 36. inquit: *De die autem illo, & hora, nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus Pater*. Igitur Filius, neque bonitatem divinam, neque summam potestatem, neque plenitudinem habet sapientiæ.

Resp. nego min. quandoquidem Christus se bonum appellat Jo. x. II. 14. sibique collatam omnem potestatem in cælo, & in terra, testatur Matth. XXVIII. 18. In ipso etiam omnes thesauros sapientiæ, & scientiæ esse absconditos ait ad Coloss. II. 3. Apostolus. Quare ad I. vera est responsio Gregorii Nazianz. Orat. 36. & Augustini in III. contra Maxim. Christum juveni sic occurrisse, *Quid me dicis bonum?* quasi diceret: Si me arbitraris purum hominem, cur bonum appellas? Si bonum fateris, oportet ut Deum credas, cum solus Deus sit vere bonus, & omnis boni fons & origo. Quibus non propriam negat bonitatem, sed adolescentis fidem attollit.

Insistit Wolzogenius: longe aliter Christus argumentatur; nempe sic: Solus Deus altissimus est bonus: Ego non sum Deus Altissimus; Ergo ego non sum bonus.

Resp. dist. min. Inquit Christus, Ego non sum Deus altissimus revera & in me ipso, nego. Ait, non sum Deus Altissimus in sensu illorum, qui me tamquam legisperitum, hominemque purum interrogant, concedo. Vide supra responsionem nostram ad v. 16. cap. VII. Joan. & Chrysostomum in hunc locum, qui observat Christum interrogari, quasi unum quempiam legis Magistrum.

Alter locus cap. XX. 23., quamquam cum Aug. in 1. de Trinit. cap. XII. possit exponi, quod regnum dare non sit humanæ potestatis; melius cum eodem S. P. in Ps. CXXVI. ita explicatur. Meum non est dare superbis, qui illud petunt aut terrenum, aut jure consanguinitatis; sed meum est dare humilibus, quibus paratum est a constitutione mundi, ut supra cap. XXV. 34. Quibus verbis filios Zebedæi a studio φιλοπρωτείας ad humilitatem revocavit: *Quid est*, inquit, S. P., *non est meum dare vobis? non est meum dare superbis; hoc enim adhuc erant*. Habemus ex parte consentientem Socinianum, qui pag. 346. ait: *Sensus est, non est meum dare præter eos, quibus paratum est a Patre meo*.

Sed inquit: Eccur Christus non haberet potestatem regnum illis duobus dare, si Deus summus esset? Et cur non dixit potius: Sed quibus a me, vel a Patre meo, & a me paratum est?

Respondeo; Deum summum non habere potestatem dandi regnum superbis, quia illud paravit humilibus. Paratum vero a Patre, quoniam is fons est summi imperii ac potestatis: quam sibi competere diserte Filius testatur Lucæ XXII. 29. Neque dicendo, *a Patre*, excludit seipsum, qui Jo. XVI. 15. ait: *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt*. Imo quod apud Matth. dicitur *paratum a Patre*, Marci x. 40. legitur absque Patris mentione. Meminit quoque Patris, ut ostenderet, etiam Patrem, cui est una cum Filio voluntas, non petitionibus deferre regnum, sed meritis.

Postremæ objectionis ex cap. XXIV. Matth. 36. missis variis responsionibus, quas erudite persequitur Petavius lib. 2. cap. 3. hæc solutio sit. Nescit Filius diem judicii, ut singularis persona est, & Deus homo plenus gratiæ & veritatis, nego. Nescit, ut Caput Ecclesiæ, in quantum non debet diem illum manifestare, ut homines continuo adventum Judicis formident: conc. Qui legislatoris aut judicis officio fungitur, dicit se nescire quidquid nefas est revelare. Nec mentitur tamen, quamvis ut singularis persona noverit, quæ a se ignorari fatetur. Ita judex ait se nescire rei crimen: ita Confessarius pœnitentium peccata. Recte Augustinus in 1. de Trin. c. 12.: *Hoc enim*, inquit, *nescit*,

nescit, quod non ita sciebat, ut tunc discipulis indicaret.

Dicet hæreticus: hoc pacto etiam Pater, qui nobis diem judicii non revelavit, illam diem dicendus est ignorare.

Resp. nego assumptum; nam Pater revelavit Filio; nec ipse officio enunciandi aliquid, aut legatione apud homines fungitur: quod munus est Filii.

Opp. 3. Ille non est Deus altissimus, qui gratia divinitatem obtinuit. At Filius gratia adeptus est divinitatem. Ergo Filius non est Deus altissimus. Minor prob. I. ex Epist. ad Philip. II. 9. *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* II. Ex Epist. ad Hebr. v. 5. *Christus seipsum non glorificavit, ut Pontifex fieret.* III. Ex Jo. v. 22. *Pater omne judicium dedit Filio.* IV. Ex Act. 2. 36. *Dominum eum, & Christum fecit Deus.* V. Ex 1. ad Corinth. 1. 30. *Factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.* VI. Ex Apocalyp. v. 12. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, &c.* Itaque Filius & nomen, & gloriam, & judicium, & sapientiam, & Redemptoris characterem, & divinitatem ipsam munere, & beneficio Dei Patris obtinuit.

Resp. nego minorem. Ad probat. dico Filium hominis factum fuisse Dominum ac Deum, sapientiam, sanctificationem, & redemptionem nostram, quando Verbum caro factum est; ita ut hæc omnia sint & naturalis proprietas, & beneficium. Quippe si humanam naturam spectas ante Incarnationem divini Verbi, quemadmodum gratia est ipsius assumptio, ita est gratia quidquid ad ipsam Incarnationem consequitur. At ex quo Verbum factum est caro, transiit jure naturali ad filium hominis quidquid Verbum erat, divinitas, sapientia, potestas, & rerum omnium dominium. Ita ergo Christus ratione humanitatis factus est Deus, quia humana natura nexu substantiali ad jura divinitatis transivit. Prædestinatus est autem Christus, ut homo, ad tantam nominis exaltationem etiam propter passionis humilitatem, qua gloriam promeruit, ut per crucis mortem & obedientiam singularem acquireret, quod jure hæreditario suum erat. Decretum enim fuerat, ut pateretur, & ita intraret in gloriam suam. Neque enim absque passione glorificatus esset titulo Redemptoris, aut factus esset caput Ecclesiæ, quam acquisivit sanguine suo; licet sine passione absolute potuisset glorificari in sua persona, & jam a primo conceptionis instanti Patris sui frueretur contuitu. Hac ratione Agnus occisus accepit virtutem & divinitatem, quia merito passionis suæ habuit potestatem divitias misericordiæ, & dona Spiritus Sancti hominibus largiendi. Sic in Apocalypsi v. 12. ubi legimus *divinitatem*, habet Græcus, καὶ πλοῦτον, *& divitias*, sensu non malo. Imo suspicatur qui Estii prosequitur Commentaria, pro *divinitatem*, olim scriptum *divitatem*, quomodo legitur apud Gellium lib. IV. cap. 1. *divitare*. Sed quæ vix attigi, erunt studiosis, post assiduam sacrorum Interpretum lectionem, vulgatissima.

Opp. 4. Verbum in ea quoque substantia, in qua ante Incarnationem præextitit, creatura est. Non est ergo Patri consubstantialis. Prob. antecedens. I. Ex Prov. VIII. 22. *Dominus creavit me initio viarum suarum.* II. Ex cap. XII. Matth. 18. *Ecce servus meus electus, quem elegi.* III. Joannis I, 15. *Qui post me venturus est, ante me factus est.* IV. Eadem verba Joannis I. 3. *Omnia per ipsum facta sunt,* demonstrant, Verbum esse instrumentum productum a Patre, ut eo in mundi creatione uteretur. Hæc Ariani.

Resp. nego ant. quod non probant producta Scripturarum sanctarum loca. Primum enim ex cap. VIII. Prov. 22. quod nos ad divinam Verbi naturam fatemur esse referendum, licet Athanasius Orat. 3. contra Arianos accipiat pro humana, ob triplicem caussam frustra nobis objicitur. Nam legendum est: *Dominus possedit me*: non, *Dominus creavit*; cum id habeat latina versio, & fons hebraicus, יהוה קנני, & Græcis facile fuerit substituere κύριος ἔκτισέ με *Dominus creavit me*, pro, κύριος ἐκτήσατό με, *Dominus possedit me*, ut non solum Aquila animadvertit, sed etiam hæresi 69. Epiphanius. At *possidere* generationem, non creationem significat, ut Gen. IV. 1. *Possedi hominem per Deum*. Dein admissa Græcorum lectione, quæ minime antiquis Patribus displicuit, nego verbum κτίζειν, *creare*, solum dici de rebus, quæ producuntur ex nihilo, cum & filii, & Magistratus, & urbes κτίζεσθαι dicantur, & Græcum verbum aliquando gignere, aliquando creare, aliquando constituere, aliquando condere significet, ut demonstrat in lib. contra Adv. legis S. Augustinus. Præterea hoc verbo κτίζειν pro *creare* accepto, non repugnat Dei Sapientiam dici creatam, quatenus quidquid creatum est habet in Dei Verbo rationem sui: quomodo in domo dicimus productam ideam artificis. Quod & explicat S. Pater in VII. de Trinit. cap. 3. & stylo parabolico congruit. Sed ad primum responsum est: pergamus itaque ad reliqua.

Cap. XII. Matth. concedo hæreticis hanc lectionem, *Ecce servus meus*, tametsi tam Græcus, quam Latinus legat, *puer meus*. Siquidem & παῖς pro δοῦλος, & *puer* pro *servus* sumitur aliquando, quomodo utrumque notat hebraicum נער. Sed Isaiæ 42. 1. non habet Hebræus נער *puer*, sed עבדי, *servus meus*. Quare non video, cur quidam Theologi detrectent concedere Christum dici servum, quod neque Græca, neque Latina Biblia id habeant; si utrumque sensum patitur & Latinum *puer*, & Græcum παῖς. Nego tamen Filium dici servum ex conditione personæ, cum dicatur duntaxat propter obedientiam humilitatis. Imo Esajas loquitur ad literam, aut de toto populo Judaico, ut vertunt LXX. aut de seipso, ut aliis placet, & ejus verba sublimius in Christo fuerunt impleta, cujus figuram aliquam ipse gesserat. Quapropter ex quo Matthæus pronuntiat verba Esajæ, non sequitur hunc, & Christum æquali modo esse servum, sed Prophetam conditione, Christum obedientia. Atque cum his cohæret sententia Patrum, qui docent nunquam Christum in rigore, ac proprietate verborum *Servum* dici.

Verborum Joannis cap. I. 15. sensus est, *Factus est ante me*, scilicet, antepositus & prælatus est mihi, quia cum æternus sit, & me præcedat ætate, debet etiam præcedere dignitate. Nam sequitur: *Quia prior me erat*, Græce ὅτι πρῶτός μου ἦν. Alioqui si priora verba significationem habent creationis, sensus erit, *Ante me creatus est, quia ante me creatus est*: sententia nullo digna Scriptore. Memoravi autem lectionem Græcam, quod πρῶτος etiam Dominum & Principem denotet; unde hoc loco prærogativa simul ostenditur temporis, & potestatis.

Versus 3. in caput recidit Arianorum. Ait enim Augustinus tract. in Joan. *Quomodo potest fieri, ut Verbum Dei factum sit, quando Deus per Verbum fecit omnia? Si & Verbum Dei ipsum factum est, per quod aliud Verbum factum est? Si hoc dicis, quia hoc est Verbum Verbi, per quod factum est, illud ipsum ego dico unicum Filium Dei. Si autem non dicis Verbum Verbi, concede non factum, per quod facta sunt omnia.* Vide quæ cap. VIII. diximus ad 2. Opp. Falsum est autem quod ajunt Ariani particulam διά, *per*, significare ubique caussam instrumentalem, cum sæpenumero denotet effectricem & principalem, ut Genes. IV. *Possedi hominem per Deum*, & Prov. VIII. *Per me reges regnant*. Vulgaribus hisce exemplis addo unum singulare, Osee cap. I. 7. *Salvabo eos in Domino Deo suo*: ubi est in Hebræo, ביהוה *Per Jehova*. Dixi singulare exemplum, quo & Filii divinitas ex principali Dei nomine confirmatur, & per affixum *Per* penitus objectio diluitur.

Opp. V. Argumenta Eunomii a ratione petita: quorum I. est, Dei proprietas est esse *ingenitum*; Filius *ingenitus* non est: Ergo Filius non habet Dei proprietates. Alterum, Filius est similis Patri: similitudo est inter plura, quæ sunt diversæ substantiæ, ergo diversæ substantiæ sunt Filius ac Pater. Tertium, Pater est persona divina: Filius non est Pater: Ergo Filius non est divina persona.

Resp. ad 1. dist. majorem: *Ingenitum* scriptum Græce unico N ἀγένητος, quod significat *non factum*, & *non creatum*, est proprietas Dei, conc. scriptum geminato N ἀγέννητος, quod significat *non natum*; *non genitum*, subdist. est proprietas personæ, conc. naturæ, nego. Vide Cyrillum lib. XI. Thes. cap. I. & D. Thomam 1. part. q. XXXIII. art. 4. ad 2. Ad alterum dist. majorem. Filius est similis Patri secundum identitatem substantiæ, conc. secundum qualitatis proprietatem, nego. Lege Basilium Epist. ad Cæsarienses 141. Ad tertium dist. pariter majorem: Pater est persona divina, & nomen Patris significat divinitatis substantiam, nego: significat *habitudinem* & relationem, conc. Ita lib. 3. Theologiæ Nazianzenus. Hæc omnia constant ex dictis cap. X. præcedenti.

Opp. ultimo. Filius est Verbum & sermo Patris: Ergo non est Patri consubstantialis. Prob. conseq. Augustinus lib. VII. de Civit. Dei cap. XIV. & Arnobius lib. IV. pag. 62. demonstrant Mercurium non esse Deum, si est sermo: *Si Mercurius*, inquit S. Pater, *ipse sermo est*; *etiam ipsis* (Ethnicis) *confitentibus Deus non est*. Si ita licet argumentari, cur fas non erit Arianis arguere, Si Verbum sermo est, ergo ipsis Catholicis confitentibus, Deus non est?

Resp. dist. ant. Filius est *sermo* prolatitius contextus syllabis, & foras erumpens, nego. Est *sermo* vivus, subsistens, & intus permanens, concedo. Dei Filius appellatur Verbum, quia mente gignitur, & habet quamdam cum Verbo nostro similitudinem, de qua legendus Augustinus tract. in Jo. XIV. Melius autem dicitur Verbum, & λόγος, quam sermo; quum sit eadem Patris ratio, & intelligentia, ut priori nomine significatur. In Deo autem ratio a substantia nequit separari: unde si Filius est Verbum & ratio Patris, non potest aliam habere naturam. Quod ergo Filius Verbum est, non tollit ejus divinitatem, sed comprobat. Non valet id de exteriori sermone, qui syllabis formatur, & ore profertur, nec subsistit, sed transit; adeoque non est substantiale Verbum, sed qualitas adventitia. Porro Augustinus & Arnobius citatis locis observant Mercurium sermonem esse foris personantem, & ore labiisque prolatum. Audias Augustinum: *Quod si sermo dicitur esse Mercurius, sicut illa, quæ de eo interpretantur, ostendunt, (nam ideo Mercurius dicitur appellatus, quasi medius currens, quod sermo currat inter homines medius: ideo alas ei in capite & pedibus ponunt, volentes significare volucrem ferri per aera sermonem; ideo & mercibus præesse, quia inter vendentes & ementes sermo fit medius: ideo nuntium dictum, quoniam per sermonem omnia cogitata nuntiantur;) si ergo Mercurius ipse*

sermo

sermo est, etiam ipsis confitentibus Deus non est. Scribit Arnobius similia. Quare validissima est horum argumentatio, cum nequeat esse Deus sermo humanus, prolatitius, transiens, per medium currens, ut fingitur esse Mercurius. At dum Arianus cum suo ductore in Thalia argumentatur, *Si Filius est Verbum prolatitium, vocis strepitus, & ipsa Dei jussio, Deus non est*; ex falso antecedenti falsam infert consequentiam, quum Filius Dei non sit tale Verbum, ut demonstrat Oratione 3. Athanasius. Hæc dixi, ut appareret quam inscite Joannes Phereponus in Appendice Augustiniana p. 580. scripserit: *Miror non timuisse Augustinum, ne sibi objiceretur quod passim habet de Verbo; nam similis objectio potuit fieri, responsioque Augustini pariter eludi*. Sed hanc censoriam Phereponi animadversionem Lamindus in libro III. de Ingeniorum moderat. cap. ultimo, aliique viri doctissimi castigarunt.

CAPUT XIII.

An Synodus Nicæna jure definierit Filium esse Patri ΟΜΟΟΥΣΙΟΝ.

ARIANORUM hæresim profligavimus, qui Filium *ex non extantibus* factum esse dicebant, & fuisse aliquando tempus *quando non erat*, neque genitum ex substantia Patris, sed creatum, licet præstantioris, quam aliæ creaturæ sint, conditionis. Horum errore per Synodum Nicænam damnato, fuerunt qui Verbum Patri per omnia simile fatebantur, non tamen *ὁμοούσιον*, scilicet, *consubstantiale*. Hi Semiariani dicti sunt, quod partim cum Ario convenirent, partim ab eo discreparent. Rejiciebant quippe vocabulum ὁμοούσιον, sed Patri *usia*, & substantia Filium assimilari docebant. Non solum hi, verum etiam recentiores quidam heretici vocabulum istud criminantur, alii tamquam natum a Valentinianis, & Gnosticis, ut Sandius; alii vero tamquam ad exprimendam Catholicorum sententiam incommodum, ut in Prolegomenis ad historiam Eccles. Clericus.

Ante quæstionis resolutionem est nominis etymon exponendum. Ὁμοούσιος vox composita est ex ὁμοῦ, *simul*, & οὐσία, *substantia*. Vis adverbii ὁμοῦ, *simul*, est significare ambo eamdem rem esse, ut cum dico, ὁμοειδὴς, *ejusdem speciei*, ὁμώνυμος *ejusdem nominis*; aut rem esse simul, ut cum dico, ὁμῆλιξ, *simul una ætate*, ὁμότροφος *simul nutritus*. Οὐσία autem idem est, ac *natura*, *substantia*, *essentia*, ab ὢν ὄντος, *ens*, participium verbi εἰμὶ, *sum*. Οὐσία, ait Clericus p. 2. Artis Criticæ lib. I. cap. XIV. essentiam, aut substantiam significat non personalitatem, ut sic loquar. Nullum mihi unquam occurrit exemplum, neque ab ullo allatum vidi, in quo οὐσία, ubi de Persona quadam dicitur, eam significet, quatenus in ea spectatur personalitas, seu id quo fit, ut seorsim ab omni alia re, aut persona sit, & prout distinguitur ab ipsa substantia. Semper illius personæ essentiam, aut substantiam, aut naturam significat, quæ proprie est personalitatis subjectum, ut loquuntur Scholastici. Ita Criticus reprehendens Valesium, quod male expresserit opinionem Berylli Bostrorum Episcopi lib. IV. cap. 33. Hist. Eusebii. Hanc Clerici opinionem non improbo, quamquam nonnulli post Hilarium scripserint, vocabulum ὁμοούσιον proscriptum a Synodo Antiochena, quia Paulus Samosatenus per hanc unius essentiæ nuncupationem unicam Personam esse Patrem & Filium prædicabat; ideoque usiam pro persona, non pro natura accipiebat. De qua Hilarii sententia dicam infra in responsione ad 2. Opp.

PROPOSITIO: Vocabulum ὁμοούσιον rite, atque opportune a Sacrosancta Nicæna Synodo adversus hæresim Arianam fuit receptum, symbolo additum, & consecratum.

Marius Victorinus vir Consularis hanc propositionem tribus argumentis probat, quæ scholastice, ac brevissime ita possunt proponi. Sit primum. Duo impie Ariani asserebant, & Filium ex nihilo esse, & aliquando cum Patre non fuisse, quæ duo Arianæ perfidiæ capita a Sacrosancto Patrum Nicænorum Conventu damnanda erant. At per ὁμοούσιον condemnatur utrumque. Ergo vocabulum illud rite, & opportune fuit usurpatum. Prob. minor. Ex dictis ὁμοούσιος aut significat esse ambo eamdem rem, eamdemque substantiam, aut in eadem substantia esse simul; si Filius est ὁμοούσιος priori significatione, non est productus ex non extantibus, sed ex Patris substantia, & refellitur Arius, qui dixit, *Ex nihilo Filius*: Si dicas ὁμοούσιον altero sensu; igitur nunquam Pater fuit in sua essentia absque Filio; & rejicitur Arius, qui dixit, *Fuit aliquando, quando non fuit*. Petitur ergo hac voce τὸ ὁμοούσιον, & confoditur jugulum Arianorum. Alterum Victorini argumentum est: Profitetur Catholica Fides non tantum Filium esse a Patre, sed etiam esse Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; nam esse a Deo competit etiam Creaturis, quæ a Deo factæ sunt: esse autem Deum de Deo significat produci a Patre, & unius esse cum illo substantiæ. At esse Deum de Deo, est esse ὁμοούσιον. Ergo, ut exprimatur Filium non esse a Patre, quomodo sunt creaturæ, sed unam habere cum Patre naturam, percommodum est, aptissimumque vocabulum τὸ ὁμοούσιον. Tertium argumentum Victorini: Fuerunt qui dixerunt Filium similem substantiam, & hoc sensu non Filium ὁμοούσιον, sed ὁμοιούσιον appellaverunt, quomodo loquebantur Semiariani. Contra quos asserendum est, Filium *eamdem* esse cum Patre, & *simul* substantiam; quod per ὁμοούσιον rectissime exprimitur. Hæc igitur vox adversus eos, qui Filium similem substantia dicunt, & negant Consubstantialem, recte atque utiliter pronuntiatur. Hæc summa est disputationis Victorini in libro de τοῦ ὁμοουσίου retinendo. Necesse non est Patrum de hoc vocabulo testimonia producere; quippe omnium una vox est, displicere iis tantum, qui Filium Patri consubstantialem fateri nolunt. Ita Athanasius, Hilarius, Basilius, Augustinus, Fulgentius, & alii apud Petavium lib. IV. de Trinit. & Christianum Lupum in Append. ad Synodum Chalcedonensem.

RESPONDETUR HETERODOXIS.

Opp. 1. Vocabulum ὁμοούσιον in sacris literis non reperitur; ergo haud prudenter ad Fidei dogma adstruendum symbolo insertum fuit.

Resp. 1. Si in Fidei dogmatibus nefas est aliquod nomen usurpare præter ea, quæ in Scripturis leguntur; quare Ariani pronunciabant *Verbum esse ex non extantibus, fuisse aliquando quando non erat, esse quidem a Patre, sed non ex Patris substantia*? Ubinam Arius, Eunomius, Aetius, aut alii hæretici, qui præcesserunt, aut subsecuti sunt Nicænum Concilium, istiusmodi verba legerunt? Quod si his subiit animum ad evertendam fidem nova superstruere vocabula; cur Fidei defensoribus vitio imputatur, quod ad evertendam hæresim voce usi fuerint, qua una & Verbi significetur æternitas, & in eo Patris affirmetur substantia? Deinde quare non refugiebant Ariani voces ἀγέννητον, καὶ ὁμοιούσιον, *innascibilem*, & *similis substantiæ*, quæ in nullo sacrarum Scripturarum libro inveniuntur, & tamen his suum incrustabant errorem? Præterea, ut inquit Orat. 40. Nazianzenus: *Si ita credendum est* (nempe Filium esse Patri Consubstantialem) *cur non ita profitendum*? Secundo respondeo; falsum est in Scripturis ὁμοούσιον illative saltem & æquivalenter non reperiri. Quid est οὐσία? Id quod est. Deus est lumen, est vita, est veritas, est suum esse. At legimus in Evangelio Filium esse lucem, esse vitam, esse veritatem, esse illum, qui est. Legimus ergo esse Deo Patri ὁμοούσιον, atque de lectis licet nobis non lecta componere. Item jubemur petere quotidie τὸν ἄρτον ἐπιούσιον, *Panem supersubstantialem*, qua voce commode etiam Filium designamus, qui est Panis vivus de cælo descendens. Quod si Filius ἐπιούσιος est, & Patris splendor atque Imago, cur non ὁμοούσιος? Lege Augustinianam ad Pascentium Epistolam num. nunc 238. alias 164. in qua S. Pater ait: *Prius interpretandum & exponendum esse quid sit ὁμοούσιον, tum demum in divinis literis requirendum: quia etsi fortasse nomen istud non inveniretur, res tamen ipsa inveniretur. Quid est enim contentiosius, quam ubi de re constat, certare de nomine*? Et subinde allato exemplo hujus vocis *Ingeniti*, inquit, *fieri posse, ut etiam ὁμοούσιον neque scriptum in sacris paginis inveniatur, & tamen dictum in assertione fidei defendatur, sicut Patrem in illis literis nusquam Ingenitum legimus, & tamen dicendum esse defenditur*. Quibus Augustinianis verbis responsa nostra concordant.

Opp. 2. Ante Nicænam Synodum nullus, præsertim ex Patribus *Omousion* pronunciavit.

Resp. 1. Singulas hæreses intulisse Ecclesiæ novas quæstiones, novasque voces, quibus adversus impiorum vafritiem diligentius Catholica veritas custoditur, ut ostendimus in Prolegomenis disputantes pro defensione Scholastices. Deinde respondetur vocabulum ὁμοούσιον perantiquum esse, non a PP. Nicænis inventum. Aristoteles, quem citat Auctor Anonymus editus cum Origenis Philocalia scribit ὁμοούσια δὲ πάντα ἄστρα, omnia astra esse ejusdem naturæ. Irenæus lib. 1. cap. 1. de fabulis Valentinianis narrat Valentinum docuisse Achamoth esse quidem Deo simillimum, ἀλλ' οὐχ ὁμοούσιον τῷ Θεῷ, *sed non Deo consubstantialem*. Auctor qq. ad Orth. inter Opera Justini, ait animas habere sibi ὁμοουσίους τούς τε ἀγγέλους, καὶ τοὺς δαίμονας, *Consubstantiales Angelos, & Dæmones*. Meminit hujus vocabuli, tribuitque Dei Filio Dionysius Alexandrinus, de quo Athanasius in libro de ejus Fide, & extat etiamnum Dionysii epist. ad Paulum Samosatensem tom. II. Bibl. PP. pag. 277. Tribuit Pamphilus Martyr in Apologia pro Origene: tribuit Tertullianus initio libri adversus Praxeam: tribuit Auctor libri qui inscribitur Ποιμάνδρης, sub nomine Trismegisti prope tempora Apostolorum conscriptus. Quid plura? vocabulum perantiquum esse fatetur Eusebius in Epist. ad Cæsarienses suos apud Socratem lib. 1. Hist. Eccl. cap. 8.

Dicit Sandius: Originem habuit τὸ ὁμοούσιον a Gnosticis, ut Æonum suorum fabulam contexerent.

Resp. Errare turpiter Sandium; nam Gnostici Æones suos nequaquam Omoousios credebant, ut constat ex citato loco Irenæi.

Inquit Clericus sect. III. Prolegom. cap. 1. Una eademque numero οὐσία, aut essentia, sibimet ipsa dici non potest ὁμοούσια, sive *Consubstantialis*: nec veteres eo nomine signi-

significarunt quidquam aliud, quam quod est particeps ejusdem speciei substantiæ: quod constat etiam ex supradictis. Igitur cum Divina Essentia nequeat habere rationem speciei, incommode intrusa fuit vox *Omoousios*, ac præter nativam propriamque significationem.

Resp. Non essentiam Filii, sed Personam dici Consubstantialem; essentiæ autem ac Personæ diversam significationem esse testatur Clericus; cujus verba consulto præmisimus. Veteres autem οὐσίας nomine *speciem* intelligebant, & per *Omoousion* quod est particeps ejusdem *speciei* substantiæ, quatenus *Usia* est essentia generaliter considerata & minime definita, quemadmodum Persona est id, quod componitur ex communi essentia, & ex notis quibusdam peculiaribus, sive proprietatibus. Hæc *Usia*, sive dicas, hoc *esse* commune notis particularibus non definitum in creaturis habet rationem *speciei*, & in singulis individuis multiplicatur: in Deo autem est in tribus Personis penitus indistincta. Quare ejusdem speciei divinæ Personæ dici nequeunt, & tamen sunt ὁμοούσιοι, cum sint idem, ac simul *Usia*.

Dices: Quidquid in creatis est ὁμοούσιον in essentia, dividitur ac partitur. Ergo in Deo non est admittendum *Omoousion*, ne in Deo videamur admittere sectionem, partitionemque substantiæ.

Resp. nego consequentiam; non enim hanc naturæ partitionem significat *Omoousion*: neque nomina Deo & creaturis communia rerum, quibus imponuntur, admittunt comparationem. Alioqui male appellaretur Deus, *Pater*, quod in creatis qui generat natura dividatur a Filio, & male *Filius*, quod in hominibus genitus aliam habet substantiam a Patre. Quomodo ergo separamus decisionem, ac partitionem a nomine Patris & Filii, ita sejungendam dicimus a vocabulo τοῦ ὁμοουσίου.

Opp. 3. Antiochena Synodus sexaginta circiter annis ante Nicænam celebrata hanc vocem *Omoousion*, qua Paulus Samosatensis abutebatur, proscripsit. Non ergo probare illam debebant Nicæni Patres.

Resp. dist. ant. Synodus Antiochena proscripsit *Omoousion* corporaliter acceptum, & quatenus in rebus creatis significat, ut nuper dixi, naturam & essentiam *specie* unam, quæ in singulis individuis scinditur ac dividitur, quomodo hanc vocem urgebat Paulus Samosatensis; concedo. Damnavit *Omoousion*, prout nativa ac propria significatione demonstrat plures personas, quibus eadem essentia communis est, absque naturæ partitione, & scissione, quæ partitio & scissio non ex hac voce infertur, sed ex conditione creaturarum; negn. Ita se res habet. Antiqui Patres *Omoousion* diserte confessi sunt, ut dixi in Resp. ad 2., neque Antiochena Synodus poterat hanc vocem in sensu proprio acceptam proscribere, salva Antiquorum auctoritate. At Paulus Samosatensis, quasi eodem modo admitteretur a Catholicis vocabulum *Omoousion* in Deo, sicut asseritur a Philosophis inter individua unius *speciei*; consimili argutatione Fidem Catholicam quatere moliebatur: *Omoousios* ille est, qui spectat ad eamdem *speciem* alterius, inter quos eadem natura dividitur; si ergo Filius esset Persona distincta a Patre, eique *Omoousios*; scinderetur ac divideretur divina essentia. Igitur Filius neque Persona est, neque Patri *Omoousios*. Ad hæc quid Synodus Antiochena? Negat in Deo hoc sensu ὁμοούσιον, idest ut cogitabat Sabellianus, & quomodo *Omoousia* dicuntur plura individua unius *speciei*. Constat responsio ex Athanasio in libro de Synod. Arim. & Seleuc. ubi sic loquitur. *Qui contra Samosatenum sustulerunt hanc vocem*, Consubstantiale, *corporaliter acceperunt, cum igitur Paulus sophisticari vellet, & diceret, si non ex homine Christus Deus factus est, igitur Consubstantialis est Patri, unde necessario sequitur tres esse substantias, unam quidem quæ prior sit, reliquas vero duas ex ea oriundas: ideoque merito vitantes illud sophisma Pauli dixere Christum non esse Consubstantialem. Illi vero qui Arianam hæresim anathemate percusserunt, cum Pauli calliditatem animadvertissent, neque hoc modo in rebus corporeis, præsertim in Deo, consubstantiale accipiendum esse considerassent; merito inducti sunt, ut Filium Consubstantialem dicerent*. Et Basilius Epist. ccc. scribit, Patres Antiochenos vocem hanc ut minus congruam rejecisse, quatenus substantiæ distributionem ac partitionem repræsentat. Quam responsionem pluribus confirmat etiam Juenin P. 2. dissert. 1. Art. 3. exscriptis tamen a Bullo sect. 2. cap. 1. §. 2.

Hæc cum ita sint, errant, ut opinor, nonnulli Scholastici qui respondent ab Antiochena Synodo nomen οὐσίας acceptum pro Persona non pro Essentia, & Paulum Samosatenum confessum fuisse *Omoousion*, ut Pater, & Filius per hanc nuncupationem unica & solitaria Persona prædicaretur. Nituntur auctoritati Hilarii, qui in libro de Synodis n. 86. ait: *Male Omoousion Samosatenus confessus est: sed nunquid melius Ariani negaverunt?* Hæc adversari videntur iis, quæ diximus cum Athanasio. Georgius Bullus putat Hilarium errasse: PP. Benedictini putant errasse Athanasium; quod probant ex Epistola Legatorum Ancyranorum, in qua legitur: *Patres nostri cum Paulus Samosatenus hæreticus pronuntiatus est, etiam Omoousion repudiaverunt, quia per hanc unius essentiæ nuncupationem, solitarium, atque unicum sibi esse Patrem, & Filium prædicabat*. Arbitror neque Hilarium decipi, neque Athanasium. Etenim Sabelliani non intelligebant per *Omoousion* unicam ac solitariam Personam, sed, ut diximus, substantiam, quæ exscinditur ac separatur. Hoc sensu male Paulus Samosatenus confessus est *Omoousion*; ut scribit Hilarius: dicebat enim Sabellius Christum genitum esse ut hominem tantum corporum more per defluxus divisionem, ut constat ex Theodoreto lib. 1. H. E. cap. 1. Ex hac intelligentia ὁμοουσίου inferebat in Deo unicam esse Personam, quippe arguebat: Si Christus non est factus ex homine, & est Consubstantialis Patri, Patris substantia scissionem pateretur: quod cum fieri nequeat, Christus non est Consubstantialis Deo, sed tantum homini, ideoque Deus, cujus substantia non scinditur, & cui non est Filius Consubstantialis, unica & solitaria Persona est. Atque hoc sensu verum est, quod affirmant Legati Ancyrani, Samosatenum per *Omoousii* nuncupationem, prædicasse in Deo unam esse Personam. Ergo neque fallitur Hilarius, ut contendit Bullus; quia revera Paulus Samosatenus male confessus est *Omoousion*, hanc vocem accipiens cum decisione & defluxu. Nec decepti sunt Patres Ancyrani, quoniam reapse ex *Omoousio* arguebat Sabellianus Deum esse solitariam Personam. Neque erravit Athanasius, nam Samosatenus nunquam revera accepit vocem *Omoousion* pro significatione ejusdem Personæ: quamquam id visum plurimis. Vellem valere hanc conciliaturæ rationem; alioquin erravi.

Ceterum Sabellianos nunquam confessos fuisse Christum *Omoousion* Patri, certa mihi argumenta suadent. 1. Nullum exemplum ante Sabellium proferri potest, quo *usiæ* vocabulum pro Persona, non pro Essentia accipiatur; quamvis scribit Estius Dist. 23. §. 3. Aristotelem in Categoriis nomine *Usiæ* intelligere substantiam subsistentem, adeoque essentiam simul & personam, Quod falsum puto; nam Categoriæ Aristotelis sunt suprema genera rerum, & *Usia*, sive substantia enuntiatur de persona, ut ratio quædam communis de inferioribus: & Persona etiam in Aristotelis Philosophia præter rationem communem *Essentiæ* requirit peculiarem notam, sive modum essendi, quem dicimus *Subsistentiam*: cui & hoc titulo competit esse *Usiam*, quod sit modo præstantiori, & per se, ad differentiam accidentium. Quare ipsi Aristoteli cap. de Substantia, individua formis generibusque subjecta dicuntur ἄτομα, sive ἄτομοι οὐσίαι: & alia est *Usia* communis, alia singularis & individua. Itaque cum nullum proferatur exemplum, in quo *Omoousion* Personalitatis significet unitatem, credibile non est Sabellianos hoc sensu confessos esse *Omoousion*; ut hoc nomine a Deo pluralitatem excluderent Personarum. Nam Patres Antiocheni illico respondissent, *Usiam* non Personam, sed essentiam significare. Deinde cum Athanasio consentiunt Basilius, Eusebius Cæsariensis, Theodoretus, & alii, qui scribunt Sabellianos accepisse *Omoousion*, quatenus sectionem importat naturæ: quos omnes erravisse, haud facile credam. Rursus, ut Epistola 300. inquit Basilius: *Vox ista Omoousios Sabellii impietatem corrigit: tollit enim hypostaseos identitatem, perfectamque personarum notionem inducit; non enim idem ipsi Consubstantiale est; sed alterum alteri*. Non ergo probabile est, Samosatenum hac voce adversus hæresim suam disputasse. Denique non *Omoousion* recipit Sabellianorum error, sed ταυτοούσιον, quod priori vocabulo opponitur.

Insistes: Cum possit *Omoousion* sensum pati Sabellianum, & defluxum designare naturæ, magis opportunum erat hoc vocabulum reticere.

Resp. id in Concilio Nicæno fuisse sedula animadversione tractatum. Ob prædictam rationem respuebant *Omoousion* non solum Ariani, sed etiam Constantinus Imperator, ut scribit Socrates lib. 1. cap. 8. & Sozomenus lib. 3. cap. 18. & Basilius citata Epist. ccc. affirmat esse excusandos, qui *Omoousion* nolebant initio recipere. Receptum est tamen jure, ac merito. Primo quia, ut diximus, partitionem naturæ, non significat nativa propriaque vi, neque ullus veterum hoc sensu vocabulum *Omoousion* protulit unquam; tametsi res creatæ, quæ ad eamdem *Speciem* attinent, *Omoousiæ* sint cum sectione substantiæ. Deinde Ariani fatebantur hoc vocabulo reapse significari communionem naturæ, ut postea contestati sunt in sua Antiochena synodo sub Joviano apud Socratem lib. 3. cap. 25. & Sozomenum lib. 6. cap. 4. Præterea Nicæni Patres omnem pravum sensum accurate ab hac voce expunxerunt. Etenim definierunt Filium *Esse ex Patre unigenitum*, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ, *idest, ex substantia Patris*, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρός: appellarunt *Deum de Deo, lumen de lumine. Deum verum de Deo vero*, Θεὸν ἐκ τοῦ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτός, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ τοῦ Θεοῦ ἀληθινοῦ dixerunt *Genitum non factum*, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα; demum addiderunt *Consubstantialem Patri*, ὁμοούσιον τῷ πατρί. His omnem aditum fallaciæ præcluserunt hæreticorum.

Si quæras cur non probarunt potius Nicæni Patres vocabulum, ὁμοιούσιον, quod significat *Substantia similem*?

Dico, & istud posse de Filio affirmari, quia cum nulla creatura possit esse similis Deo, hoc etiam nomine Verbi divinitas propugnatur. Sed quia hoc tamquam propugnaculo utebantur Semiariani, ut excluderent *Omoousion*, & latet in illo hæreticorum perfidia; est aliquo sensu repudiandum. *Me movet*, inquit Hilarius in lib. de Synodis n. 89., *Omœusii nuditas. Multa sæpe fallunt, quia similia sunt.*

Timeo aurum bractea, quia me fallere potest interius, & tamen auro simile est quod videtur. Timeo lactis similitudinem, ne oblatum mihi lac, non lac ovium sit, quia ei simile videatur, & bubulum, &c. Ac de voce ὁμοούσιος satis.

S C H O L I O N.

PErvulgatam & communiorem ad oppositionem tertiam adhibui responsionem. A Synodo autem, vel a Synodis Antiochenis (neque enim unam, sed plures adversus Paulum Samosatensem habitas fuisse Synodos affirmat Eusebius lib. 7. H. Eccl. cap. 28.) proscriptum non fuisse vocabulum *Omoousion*, asserunt, nec spernendis argumentis demonstrare nituntur viri quidam doctissimi. Neque sane id evinci posse videtur vel ex iis, quæ narrat præcitato, & sequenti capite prælaudatus Historicus, vel ex epistola a Patribus Antiochenis scripta ad Dionysium Romanæ urbis Episcopum, & ad Maximum Alexandrinum subjecta capite editionis Valesianæ tricesimo, vel ex disputatione contra Paulum Malchionis presbyteri, seu, ut appellatur a Theodnretu lib. 2. Hæreticarum Fabularum, nisi mendum ibi cubet, ut Valesius existimat, *Malachionis*, cujus dissertationis fragmenta quædam producuntur a Leontio Byzantino lib. 1. adversus Eutychianos & Nestorianos, vel ex monumentis aliis exploratissimæ auctoritatis. Funditus tamen ab Antiochenis vocem illam fuisse repudiatam, scribit lib. 5. de Trinitate cap. 5. num. 3. vir præstantissimus Dionysius Petavius. Profecto ad responsionem illam, quam & nos supra tradidimus, confirmandam faciunt plurimum quæ habentur in libro de Synodis apud Athanasium tom. 1. pag. 759. Illic enim legitur: *Qui Samosatensem deposuere, vocem Consubstantialis corporali accepere modo, cum Paulus argutari vellet, ac dicere, Si Christus non ex homine Deus factus est: ergo consubstantialis est Patri, atque hinc necesse est tres esse substantias, unam priorem, duas vero ex illa procedentes. Neque enim Filius ita se habet respectu Patris, qualiter ille cogitabat.* Verum hoc in loco adnotatum velim, inde non demonstrari invictissime, Antiochenos Patres rejecisse vocabulum illud *Omoousion*; sed tantummodo damnasse Paulum hæresiarcham eo vocabulo abutentem ad asserendam in Deo Patre diversam a Filio, & a Spiritu Sancto naturam. Librum illum, sive Epistolam *de Synodis* laudans, ea usus sum phrasi, *Apud Athanasium*, haud ignorans rejici a recentioribus Criticis inter Opera beatissimi Antistitis Alexandrini spuria, vel saltem dubia. Continetur in editione Parisiensi græco-latina a Patribus Benedictinis adornata, parte 2. tomi primi, & refertur ad annum Christi 359. Incubuerunt huic editioni monachi eruditissimi Bernardus de Montfaucon, & Jacobus Loppinus, proditque in lucem anno 1698. apud Joannem Anisson. Monita clarissimorum Editorum eo loci sunt perlegenda.

C A P U T XIV.

Quod Spiritus Sanctus sit res subsistens, sive Persona.

ATQUE ad hunc modum controversia de Verbi divinitate se habet. Sequitur, ut de Spiritu Sancto agatur: de quo variæ extiterunt hæreses, Sadducæorum, qui & Angelos & Spiritum Sanctum negabant; Cataphrygum, sive Montanistarum, qui, ut plerique sentiunt, asserebant Montanum ipsum esse Paracletum a Christo promissum: Sabellianorum, qui eamdem cum Patre Personam Spiritum Sanctum jactabant; aliorumque multorum. Inter quos numerandi mihi sunt primum Macedoniani, deinde Socini Gregales; qui adhuc nos perturbant, & sese his Polemicis disceptationibus miscent. Macedoniana autem hæresis ex Ariana nata est; quippe de divinitate Spiritus Sancti Anomæi, & Semiariani impiissime statuerunt, creaturam esse affirmantes. A Macedonio tamen Constantinopolitano hæresis dicta est, quod is errorem circa annum 360. spargere nefario ausu tentaverit, damnatus opera Athanasii in Synodo Alexandrina paullo post obitum Constantis, anno 362. Hi vero, id est, Sociniani, Spiritum Sanctum esse putant virtutem, per quam Deus fideles suos sanctificat, eosque supernaturali potestate, ac sapientia exornat, sed nequaquam esse ipsum Deum summum, cujus divinitatem soli Patri censent tribuendam. Ita ne Macedonianis cedant, Spiritum Sanctum a Deo illo uno distinguunt; & ne videantur Sadducæis meliores, negant quoque aliquam esse personam. Utrumque contra Pneumatomachos istos, id est, Spiritus Sancti Impugnatores, debemus discutere.

Principio autem negandum non est, aliquando Spiritus nomine in scripturis dona, & charismata designari, quod sæpe effecta ac munera demonstrentur nomine Personarum. Quis enim negat piam E. G. cordis affectionem significari Psal. L. 12. his verbis: *Spiritum rectum innova in visceribus meis?* aut doctrinam, ubi Joan. Epist. 1. cap. IV. 1. monet ne credamus *omni spiritui?* aut virtutem in verbis Lucæ 1. 17. *Præcedet ante illum in Spiritu, & virtute Eliæ?* aut exstasim, quando ait Joannes Apocalyps. 1. 10. *Fui in spiritu in Dominica die, &c.?* His aliisque pluribus divini Spiritus munera designari nullus negat: nec tamen consequitur Spiritum Sanctum nihil esse præter participationem divinorum donorum, cum effecta, ut diximus, pro suis caussis frequentissime memorentur. Et tamen his fidunt perquammaxime Sociniani: quare sit

PROPOSITIO: Spiritus Sanctus vera est, & subsistens Persona.

Tertio hujus libri cap. hæc Propositio validis probata est argumentis. Quorum summa hæc est. Descendere, mitti, sedere opera sunt Personarum. At de Spiritu Sancto legimus descendisse de cælo, missum fuisse, & sedisse super discipulos. Est ergo Spiritus Sanctus Persona. Item: Confertur baptisma in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Pater & Filius Personæ sunt: Igitur Persona est etiam Spiritus. Rursus: Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: Duo priores, qui perhibent testimonium, sunt res subsistentes. Ergo subsistens erit etiam tertius. Inania hæreticorum subterfugia, citato Capite refutavimus; & quarto, & sexto solvimus argumenta, quæ generaliter divinarum personarum impetunt pluralitatem. Remanent quædam particularia, quibus solam tertiam Trinitatis personam subvertere nefarii hostes conantur. Sunt autem.

ARGUMENTA FAUSTI SOCINI, TOM. 2. P. 438. ET SEQQ.

Nituntur probare Catholici Spiritum Sanctum esse personam quibusdam sacris testimoniis, quæ evincunt oppositum: quod ita potest ostendi. Arguunt ex forma baptismi, & Matth. cap. III. 11. legimus: *Ego quidem baptizo vos aqua, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni. At persona non potest esse id, quo aliquis baptizatur; alias esset Persona aqua, esset Persona & ignis. Quare si baptizantur Spiritu Sancto, Spiritus Sanctus nequit esse persona.* Neque obstat, quod cap. XXVIII. ponatur Spiritus Sanctus cum Patre, & Filio, qui sunt personæ; quum sæpe cum personis res non subsistentes jungantur, ut ad Eph. VI. 10. *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus.* Et 1. ad Thessalon. 1. 2. *Gratia vobis, & pax a Deo Patre nostro, &c.*

Minus probant argumenta deducta ex operibus, quæ communiter notæ sunt personarum. I. Sicut tribuitur Spiritui Sancto loqui Marci XIII. 11. ita loqui dicitur lex ad Rom. III. 19. *Quæcunque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur*, & ad Hebræos XII. *Sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.* Sed lex, & Sanguis personæ non sunt; Ergo nec persona erit Spiritus Sanctus, qui loquitur. II. Lucæ XII. dicitur de Spiritu Sancto: *Docebit vos.* At in 1. ad Corinth. XI. 14. habetur, *Ipsa natura docet vos.* Et 1. Jo. 2. 27. *Unctio ejus docet vos de omnibus.* Quomodo ergo neque natura, neque Dei unctio persona sunt, ita nec Dei Spiritus. III. Lucæ II. 25. scriptum est: *Spiritus Sanctus erat super eum:* Atqui esse super aliquem non de personis, sed de aliis rebus dicitur, ut Jo. 3. 36. *Ira Dei manet super eum:* & ad Galat. VI. 16. *Pax super illos, & misericordia*; Igitur neque hinc efficitur Spiritum Sanctum esse personam. IV. Neque id evincitur, quod Spiritus Sanctus dicatur venire, mitti, procedere, testimonium dare, mundum arguere: quæ munera videntur personæ. Etenim venire dicitur Dei regnum, mandatum, fides, ira, &c. Luc. 17. 20. Rom. 7. 9. Galat. 3. 23. &c. Item mitti dicitur auxilium Psalmo 20. 3. misericordiam & veritatem Psalm. 57. 4. Redemptionem Ps. 110. 9. Iram indignationis Ps. 78. 49. Procedere etiam Marc. 7. 15. de rebus dicitur, quæ non subsistunt. Testimonium vero perhibent etiam opera Joan. X. 25. & aqua, & sanguis 1. Epist. V. 8. Rursus arguere aliquem dicitur malitia apud Jeremiam 2. 19. conscientia Jo. VIII. 9. ad Rom. 2. 15. & lex Jacob 2. 19. Igitur nullum ex his operibus Spiritum Sanctum personam esse demonstrant. V. Neque id probatur ex quo Spiritus Sanctus dicatur Paracletus & Consolator, quandoquidem Ps. 22. 4. habetur: *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Nec quisquam refugiet hunc modum loquendi: Nos divinarum gratiarum nbertate c nsolamur. VI. Neque probatur Spiritum Sanctum esse personam non Dei virtutem, ex quo nonnunquam jungantur simul virtus, & Spiritus Sanctus. Nam ad Romanos XV. 19. scriptum est: *In virtute signorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti.* Si ergo persona non sunt signa, & prodigia, quare persona creditur esse Spiritus Sanctus? Hæc Socinus priori contra Spiritum Sanctum libro, sive explanatione locorum, quæ pro ejus divinitate afferuntur.

Resp. ad I. Quod baptizari Spiritu Sancto significat quidem interius animæ lavacrum, id est, sanctificationem & gratiam, per quam baptismus Christi præstantior est baptismate Joannis, qui erat tantum in aqua, nec conferebat remissionem peccatorum, nisi per pœnitentiam eorum, qui tingebantur baptismo. Neque directe hinc probatur Spiritum Sanctum non esse personam, sed eruitur oppositum: quippe remissio peccatorum, quæ metonymice dicitur Spiritus Sanctus, eo quod res effecta interdum accipitur pro persona efficiente, & e contra, atque, ut ait Joan. III. 6.

Quod

Quod natum est ex Spiritu Spiritus est: remissio, inquam, peccatorum, caritas, regeneratio, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, ut habetur ad Rom. v. 5. Si autem remissio peccatorum est res a Spiritu Sancto effecta, & ab eo consequenter distincta; sequitur præter Spiritum Sanctum, qui est donum Dei, charisma, & salutare ἐνέργημα, dari Spiritum Sanctum, qui est Persona nobis data, renovans corda, & sanctitatem efficiens. Quare concedo non esse rem subsistentem veramque personam gratiam, qua baptizamur, quomodo persona non est aqua, qua abluimur; sed nego personam non esse Spiritum Sanctum, per quem gratia regenerationis diffunditur. Quod spectat ad cap. XXVIII. Matth. dico non ex sola unione verborum effici Personam esse divinum Spiritum, sed ex unione simul, & τὸ In nomine. Baptizari enim in nomine alicujus est aut baptizari invocato ejus nomine, aut sese ei devovere ac mancipari: atque Personarum invocatur nomen, in Personas juramus, Personis nos mancipia devovemus. At de his cap. III.

Ad aliud argumentum: nemo sanæ mentis negat, nonnunquam in Sacris literis res inanimatas cum verbis necti, quæ Personarum significant operationes; sed certi sunt caracteres, quibus Personæ a rebus ceteris secernuntur. Prima regula est enallages pronominis, per quod ubicunque non respondet proximo vocabulo, & conjungitur cum verbo significante operationem Personæ, semper vera Persona demonstratur. Ita Matth. XXIX. 19. legitur: *Docete omnes gentes*, πάντα τὰ ἔθνη, baptizantes eos, αὐτοὺς, &c. ubi neutro masculinum pronomen respondet, quia sermo est de hominibus. Ita ad Rom. IX. 23. *Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ* ἐπὶ σκεύη, sequitur v. 24. pronomen relativum οὓς, *quos*, quia de prædestinatis sermo est. Ad Coloss. pariter II. 19. ubi agitur de Christi Persona ad femininum τὴν κεφαλὴν, *Caput*, sequitur masculinum ἐξ οὗ, *Ex quo*. Possent vero proferri innumera id genus exempla. Altera regula est, quod attendi debent verba antecedentia, & consequentia, unde facile προσωποποιΐα dignoscitur. Quippe nullibi legimus E. G. cælum enarrare quæ audit, tarram audire quæ intelligit, jumenta cognoscere quæ meditantur; quemadmodum hæc legimus de Personis, tametsi per Prosopopœjam dicantur cæli, terra, jumenta loqui, audira, cognoscere. Tertia regula est, quod cum vocabula diversimode accipiantur, E. G. nomen Spiritus pro energia, & pro re subsistente, ubicunque non possunt accipi pro uno, necesse est ut accipiantur pro altero: & consequenter ubi noman Spiritus donum & energiam non significat, debet personam aliquam designare. Quare cum Joan. 7. 39. scriptum sit; *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus*. & 16. 7. *Si non abiero, Paraclitus non veniet*, atque his locis nomen Spiritus, & Paracleti, nequeat significare solam virtutem & energiam, quoniam hæc ante glorificationem, & ascensionem Christi cum Patriarchis, tum ipsis Apostolis collata fuerat; consequens est, ut Spiritus Paraclitus, qui glorificato Christo descendit, non sit sola virtus & energia, sed persona & substantia cujusque supernaturalis virtutis effectrix & dispensatrix. Quarta regula sit, πνεῦμα, Spiritum, quamquam plures patitur significationes, quotiescumque ponitur cum articulo, unam rem certam & singularem significare: articulus enim Græcorum singularitatis nota est, ut constat ex Tractatu Constantini Chiensis ad calcem Schrevelii. Didymus lib. I. de Spiritu Sancto observat ut plurimum in Scripturis non simpliciter πνεῦμα dici, sed τὸ πνεῦμα cum articulo, & e contra ubi de Spiritu creato sermo est, articulum non haberi. Rejicit hanc regulam Sal. Glassius Can. 3. de Pronomine, quia πνεῦμα cum articulo Spiritus Sancti dona significat Eph. IV. 23. I. Thess. V. 19. & I. Joannis IV. I. Et vicissim πνεῦμα sine articula Spiritus Sancti Personam significat Jo. 3. 5. I. ad Corinth. XII. II. Epist. Jud. vers. 19. At observat Didymus, quod sicubi raro sine articulo nominatur Spiritus Sanctus, est tamen cum additamento significante magnificentiam ejus. Quod & servatur locis citatis a Glassio. Etenim Jo. 3. v. 6. sequenti distinguitur inter Spiritum, qui est donum regenerationis, & Spiritum qui est Deus hujus generationis spiritualis auctor; ut diximus supra, & probat idem Glassius Tract. I. Rhet. Sacræ pag. 1428. In I. Ep. ad Corinth. XII. II. non solum articulus invenitur, sed emphasi majori repetitur, τὸ ἓν, & τὸ αὐτό, *Ille unus, ille idem*: & ibi distinguuntur etiam divisa charismata ab una Spiritu, qui ea dividit singulis, prout vult. In v. autem 19. Judæ non Personam Spiritus-Sancti, sed pium desiderium, quod hujus Personæ donum est, rectissime intelligimus, & ex uno inferimus alterum. Quod vero τὸ πνεῦμα cum articulo interdum dona Spiritus Sancti significet, figura est metonymiæ, qua pro rebus effectis ponitur ipsa Persona, ut docet eodem libro Rhet. Glassius ipse. Itaqua regulam Didymi constantar teneto.

Jam vero apparet vanitas argumentorum Socini, quandoquidem de lege, & de sanguine dicitur quod loquantur per figuram Prosopopœjæ; at non dicuntur loqui quæ audiunt, quomodo dicitur Spiritus Sanctus Jo. XVI. 13. qui proinde loqui dicitur proprie, non tropo. Eodem cap. XVI. Jo. in quo Spiritus Sanctus dicitur venire, mitti, docere, arguere, per enallagen pronominis demonstratur esse personam, quemadmodum & cap. XV. 26. ad τὸ πνεῦμα enim neutrius generis additur masculinum pronomen ἐκεῖνος, *Ille*. Haberur & nota singularitatis articulus. Additur ubique cum amphasi pronomen & demonstrativum, & relativum: quare Spiritus Sanctus proprie mittitur, proprie loquitur, proprie perhibet testimonium, proprie est Paracletus & consolator, proprie munera exercet Personæ, neque urgent metaphoræ ad numerum usque sextum prolatæ. Lucæ etiam II. 26. & 27. τὸ πνεῦμα est cum articulo; unda vel de persona accipiendum est, vel metonymice de ejus effectibus, ut dictum est supra: ac phrasis græca ἐπ' αὐτόν, *super ipsum*, exprimit solum virtutem Spiritus Sancti divinam esse, & ex alto: unda cap. præced. v. 35. dicitur *supervenire*. Vulgata nostra legit priori loco: *Spiritus Sanctus erat in eo*. Demum in Epist. ad Rom. XV. 19. si per Spiritum Sanctum velis accipere effecta, & dona charismatum, liceat per me quidem: sed non est eadem ratio de omnibus sacris testimoniis, neque effectus & energia negat propriæ caussæ substantiam.

ARGUMENTA EJUSDEM SOCINI IN LIBRO CONTRA WIEKUM CAP. X.

Rursus opponit Faustus Socinus. I. Caritati tribuuntur actiones, quæ sunt propriæ Personarum: cujus rei plenissimam fidem facere poteit Paulus Epist. ad Corinth. prima cap. XIII. a v. 4. usque ad nonum. Quod si quis dixerit Paulum loqui figurare, & caritatis nomine eum intelligere, qui caritate præditus ait, non video cur idem dici nequeat de Spiritu Sancto, cui interdum operationes Personarum attribuuntur.

Resp. disparem esse de caritate, quæ ast gratiæ donum, & de Spiritu Sancto, rationem. Tropi namque & ex verborum complexu, & ex subjecto possunt cognosci, ut cum dico, montes exultant, plaudunt flumina, prata rident, nemo non videt metaphoram, cum neque montes, neque flumina, neque prata nomina sint Personarum. At Spiritus nomen Personæ est, neque significat solam energiam, sed aliquando rem subsistentem, præsertim ubi characteres reperiuntur Personæ; de quibus supra. Do etiam recte dici, Spiritus loquitur quæ sunt Dei, & alia innumera, de homine habente dona Spiritus Sancti: quomodo legitur, Caritas non æmulatur, non agit perperam, & cetera hujusmodi, de homine prædito caritate. At alia est caritas, quæ diffunditur in cordibus nostris, alia caritas, de qua dicitur I. Joan. 4. 16.: *Deus caritas est*. Et alius Spiritus, qui est charisma & gratia, alius Spiritus, de quo ait ipse Jo. IV. 24. *Spiritus est Deus*. Videant ergo Sociniani dari duplicem caritatem, duplicem Spiritum, accidentalem & substantialem, effectum & caussam, donum & Personam. Præterea Socinus statim post prælatam argutationem pag. 621. Deum Personam esse sic demonstrat: *Deum esse Personam declarat Paulus, cum ait*: I. Corinth. 2. 20., Nobis autem Deus revelavit per Spiritum Sanctum. *Revelare enim est actio. Actiones autem sunt Personarum, seu suppositorum. Neque vero hic ulla prosopopæja, aut metaphora esse potest*. Bene habet. Actio revelandi non tribuitur nisi personæ. Quid vero annuntiare quæ ventura sunt? quid omnia operari? quid velle? quid præcipere? Hæc omnia Spiritui Sancto tribuuntur Jo. XVI. 13. I. ad Corinth. XII. II. Act. XIII. 2. &c. Si persona est qui revelat, quare persona non est qui annunciat futura? Quid inter revelare, & annuntiare futura, quæso, interest? Vide & Apost. in I. ad Timoth. IV. I.

Arguit 2. Spiritus Sanctus est Spiritus Dei; Spiritus alicujus Personæ non est Persona ab ea, cujus est Spiritus, distincta; Ergo Spiritus Sanctus non est Persona distincta a Deo.

Primo hoc argumento probatur Spiritum Sanctum non solum esse Dei virtutem communicatam creaturis, ut contendunt Sociniani, sed præterea esse ipsam Dei substantiam, quemadmodum Spiritus hominis substantialiter in homine est; de quo vide Tertull. adversus Prax. cap. 8. Deinde conceditur totum argumentum, quippe Spiritus Sanctus non est Persona distincta a substantia Dei, sed tamen Persona est. Præterea dist. majorem: Spiritus non est Persona, si nomine Spiritus intelligas partem essentiæ, ut est Anima rationalis, conc. Si intelligas rem subsistentem, ut sunt Angeli, & qui in Trinitate ad Patrem & Filium refertur, nego.

Inquit Socinus: Ex Apostolo I. ad Cor. cap. II. II. *Nemo scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est: ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*. Comparat D. Paulus Spiritum Dei cum Spiritu hominis. Igitur quomodo Spiritus, qui est in homine, non est Persona ab homine distincta, sic Spiritus Dei non est Persona distincta a Deo.

Resp. retorqueo argumentum. Spiritus hominis pertinet ad substantiam hominis: Ergo Spiritus Dei attinet ad essentiam Dei. Cumque in Deo substantia sit impartibilis, Spiritus Dai totam habet plenitudinem divinitatis. Nunc quæro a Socino: Quis est ille Deus, in quo Spiritus est, ut Socinus ait, naturaliter? Certo Pater, qui solus est Deus ille summus, si credimus Socinianis. At Apostolus statim addit, Spiritum esse ex Deo, *Qui ex Deo est*, inquit. Qui

autem est ex Deo, scilicet a Patre, non est Pater. Est ergo Spiritus, qui non est Pater, & tamen plenitudinem habet divinitatis.

Instat. Unam Personam esse in alia naturaliter fieri non potest: Deus, in quo est Spiritus Sanctus, est Persona: Ergo Spiritus, qui est in Deo naturaliter, Persona non est.

Falsa est major, quandoquidem Joannis XIV. 10. 11. legimus Filium esse in Patre, & Patrem in Filio. Quomodo id fiat, dictum est cap. VI. ad 8. Oppos.

Objicit 3. Socinus: Spiritus Dei nomine significatur virtus & efficacia, ut Esaiæ 40. 7. legitur exarescere herbam, & cadere florem, cum Spiritus Domini sufflaverit in eum. Quis autem virtutem & efficaciam dixerit esse personam?

R. non solum virtutem & energiam hac voce Spiritus concedimus significari, sed etiam ventum, vocem, animum, affectum, substantiam, quæ corpori vitam subministrat, & alia, quæ collegit Joannes Clericus P. 2. Art. Crit. Sect. 1. cap. V. Frustra tamen hinc inferes nullibi eo nomine designari personam, præsertim ubi recensitæ personarum notæ reperiuntur. Imo, quod sæpe monui, efficientis personæ res effecta nomen sortitur; & Spiritus Sanctus propterea appellatur, quidquid ipse præstat. Nam & hoc pacto animam pro vita aut voluntate, Mosen & Prophetas pro eorum libris, linguam, labium, guttur pro sermone, gladium pro cæde, & manus pro conatu, & auxilio, consuetudine orationis memoramus.

Arguit 4. Socinus. Spiritus Sanctus appellatur bonus Psal. 14. 2. & per antithesim aliquando etiam Spiritus Dei malus, ut 1. Regum XVIII. 10. & XIX. 9. Sed Spiritus Dei malus est vis & efficacia divina, qua homines in reprobum sensum dantur, aut alia ratione affliguntur. Ergo Spiritus Dei bonus est virtus & efficacia, per quam sanctificantur, & gaudio, bonisque replentur.

Respondeo spiritum malum, quo abreptus Saul cœpit absurda effutire nesciens quid loqueretur, (quæ agitatio prophetarum verbis comparatur, quoniam & prophetæ sermonem intercidunt, & immisso sibi æstro ducuntur) fuisse spiritum nequam ac dæmonem, Hebræorum, Patrum, omniumque interpretum consensione. Quod & ratione constat, siquidem malum non est a Deo nisi permittente; neque efficientia sua tradit Deus quemquam in reprobum sensum, ut effutit hæreticus ad instar Saulis prophetans. Retorqueo itaque argumentum: Spiritus malus non solum est atra bilis, melancholia, & vis exagitans energumenum, sed etiam Diabolus, spiritus nequitiæ, & princeps hujus sæculi, qui hæc operatur. Ergo Spiritus Sanctus nedum dicitur virtus, & efficacia bonorum, sed etiam Spiritus Dei, qui est Persona munerum & gratiarum effectrix. Neque vero aliquem movere debet, quod immundus Spiritus vocatur Spiritus Dei malus: quandoquidem & diabolus Dei servus est ac mancipium, & Deo permittente Saulem invasit, & divinæ justitiæ minister est. Habet Græcus hoc loco: *Καὶ ἔπεσε πνεῦμα παρὰ Θεοῦ πονηρὸν*: *Cecidit Spiritus a Deo malus*. Verbum ἔπεσεν significat immundum Spiritum Deo permittente Saul invasisse: & propositio παρὰ hunc Spiritum Deum non esse demonstrat. Id colligitur etiam ex Chaldæo, qui legit: *Et mansit Spiritus malus ab ante Dominum super Saul*: ושרת רוח בישא
קדם יי על שאול

ARGUMENTA WOLZOGENII EX LIBRO DE TRIBUS IN UNA DEITATE PERSONIS CAP. V. ET XXVIII.

Argumenta Wolzogenii, præter superiora, quæ ipsi & Crellio, & Wolkelio communia sunt, Tom. 2. pag. 303. ita urgentur. I. Spiritus Sanctus Lucæ XI. 20. appellatur digitus Dei, Act. 2. 38. Dei donum, 2. ad Corinth. 1. 22. arrhabo. Ergo Persona dici nequit. Præterea de Spiritu Sancto legimus ad Tit. 3. 6. quod in homines effundatur; 1. ad Corinth. XII. 13. quod in eo homines potionentur; Act. 2. 18. quod aliquam habeat partitionem; ad Rom. VIII. 23. quod dentur Spiritus Sancti primitiæ. Ad Thessal. 1. cap. V. 19. quod possit a nobis extingui. Quæ omnia nequaquam possunt personæ competere. Item Jo. 7. 39. absolute dicitur, quod Spiritus Sanctus non erat.

Solvuntur omnia uno verbo, si respondetur Wolzogenium Spiritus Sancti dona cum ejus Persona confundere. At quoniam hæc divinæ quoque Personæ non repugnant, hæc sit ad singula responsio. Primum digitus Dei summam Dei potestatem significat, ut constat ex cap. VIII. Exodi 19. & diximus lib. 2. cap. 2. Summa autem virtus, sive virtus Dei debet esse idem ac Dei substantia, non enim in Deo virtus ac potestas ab ejus natura distinguitur. Quare si Spiritus Sanctus est digitus Dei, substantia Dei est, & Deus summus. Confer Psalm. VIII. ver. 4. 11. Donum aliud est personale, accidentale aliud: donum accidentale est munus gratuito collatum; personale est ipsa persona, quæ aut seipsam donat, aut dono datur ab altera. Quo sensu & ipse Filius donum est, ut habetur Joannis 3. 16. Ita Levitæ appellantur donum datum Aaron Num. VIII. 19. Ergo Spiritus Sanctus donum est personale, qui est Persona, quam ad nos in nomine Filii misit Pater. Imo donum est titulo quodam specialissimo, quoniam est Patris & Filii mutuus Amor: & quemadmodum amor & donum est, & tanquam donorum, ita Spiritus Sanctus & caritas est, & caritatis largitor. III. Arrhabo, de quo in 2. ad Corinth. 1. 22. fidejussionem significat. Etenim עירבון hebræa vox est ab ערב fidejubere, unde græcum ἀῤῥαβὼν, latinum *arrha*; & proprie portio est rei quæ promittitur, & exprimit aliquid supra *pignus*; ut recte observat Augustinus serm. 13. de verbis Apost. Quare Spiritus Sanctus, qui non solum est pignus, sed etiam Ἀῤῥαβὼν, ad rem ipsam spectat, quæ nobis promittitur. Cum autem nobis promissa sit vita æterna, quæ est visio Dei; Spiritus Sanctus una cum Patre & Filio est vita æterna & ipse Deus. Præterea, si bellum inter se gerentes obsidem dare solent pro pace firmanda, aut filium, aut principem nobilissimum; cur ἀῤῥαβὼν nobis datus a Deo non poterit esse persona? Quod si pertinax sit adhuc Wolzogenius, & omnino velit Arrhabona esse pignus a Persona distinctum, ut Judæ annulus & armilla; etiam hoc animadvertat, scriptum esse *pignus Spiritus*, non *pignus Spiritum*, ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος, non ἀῤῥαβῶνα τὸ πνεῦμα. Inquit Wolzogenius, appellatur Spiritus Sanctus etiam signaculum, & unctio Dei. Ita est. Verum hoc signaculo, unctione illa fit homo Templum Dei, particeps Dei, imago Dei, per gratiam sanctificantem, quæ est participatio Divinæ naturæ. *In hoc cognoscimus*, ait Joannes Epist. 1. IV. 13. *quoniam in eo manemus, & ipse in nobis; quoniam de Spiritu suo dedit nobis*. Et Athanas. in Ep. ad Serap. *Si participatione Spiritus divinæ naturæ participes efficimur; insanus est quicunque Spiritum creatæ conditionis & naturæ, non autem divinæ esse dixerit*. At de Spiritus Sancti divinitata proximo capita.

Textus secundo loco citati de effectibus, donisque Spiritus Sancti explicandi sunt. Dicitur ergo ad Tit. III. 6. effundi in gratiæ muneribus: nam hoc loco Spiritus sine articulo est; ac præterea habemus contextum Act. X. 45. *Gratia Spiritus Sancti effusa est*. Ulterius *effusio* largam communicationem significat, seu copiosam gratiarum exhibitionem. Etiam Christus Psalmo XXI. 15. effusus dicitur, sicut aqua, & tamen liquet eum esse personam. Dividitur vero Spiritus ratione symbolorum: in quorum divisione unitatem servat substantiæ, ut colligitur ex cap. 2. Act. Ap. v. 3. ubi recensetur multitudo linguarum, & unus Spiritus. In cap. VIII. ad Rom. 23. primitiæ Spiritus Sancti dicuntur electi, quomodo & Apocalypsis XIV. 4. nec video quid hinc inferre valeant hæretici, cum & primitiæ dicantur de Christo; quem nullus ambigit esse personam, in 1. ad Corinth. XV. 20. 23. in Epist. ad Thessalon. 1. cap. V. 19. hortamur ne extinguatur Spiritus, posito per metonymiam nomine personæ pro re effecta; idque propriissima comparatione, cum Spiritus in ignis forma descenderit.

In cap. VII. Joan. 39. non omnia exemplaria concordant. Habent aliqua Græca οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον ἐπ' αὐτοῖς. *Nondum erat Spiritus Sanctus super ipsos*. Addunt quædam δεδομένον, *datus*: atque his consentiunt Syriaca. Rectissime ergo Vulgata: *Nondum enim erat Spiritus datus*. Quare frustra colligit hinc Socinianus olim Spiritum Sanctum non extitisse. Etiamsi genuina esset lectio, *Nondum enim erat Spiritus Sanctus*, subintelligeretur datus ex relatione antecedentium: quandoquidem hæc immediate præcedunt, *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Sunt enim *accipere*, & *dare* correlativa. Puto Wolzogenium figuram non ignorasse Grammatices, quam vocant Ellipsim.

Arguit idem Wolzogen. cap. XXVIII. Si Spiritus S. sit Persona, duos habebimus in Trinitate Filios: unum primæ Personæ solius, alterum primæ & secundæ. Item habebimus duos Patres, unum primam personam, quæ duplici nomine pater erit, nempe quia secundam & tertiam Personam generavit; alterum secundam, quæ una cum Patre generarit Spiritum Sanctum. Atqui ex sacris literis accepimus unum tantum esse Patrem, & unum tantum Filium. Ergo vulgaris doctrina quod Spiritus Sanctus Persona sit, contradictionis gladio seipsam conficit.

Resp. nego sequelam majoris. Si enim Spiritus Sanctus est a duobus, ut contra nos arguunt Sociniani, quod verissimum est, & infra probabitur; jam ipsi rationem reddunt cur unus tantum in Deitate sit Pater, itemque unus Filius. Nam Filius est ab uno Patre, & ab eo gignitur immediate. Si ergo Spiritus Sanctus est a Patre, & Filio, sive a Patre per Filium, non erit Filius Filii, quia procedit etiam a Patre; non erit Filius Patris, quia procedit per Filium. Quod verbis Augustini præstat exponere. *Utcumque* (ait S. P. in XV. de Trinit. cap. 27.) *etiam illud intelligitur, quantum a talibus, quales nos sumus, intelligi potest, cur non dicatur natus esse, sed potius procedere Spiritus Sanctus; quoniam si & ipse Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur: quod absurdissimum est. Filius quippe nullus est duorum, nisi patris, & matris. Absit autem, ut inter Deum Patrem, & Deum Filium, aliquid tale suspicemur, &c.* Quamquam vero quid intersit inter generationem Verbi, & processionem Spiritus Sancti difficillimum est definire, & plures afferuntur rationes, quas proponam lib. IX. hæc a Petavio lib. VII. cap. XIII. num. 9. censetur enucleatior, & Wolzogenii argumentum omnino frangit, quemadmodum quæ opponit Crellius lib. 2. sect. 3.

Ultimo

Ultimo arguit Wolzogenius in libro, seu declaratione contrariarum sententiarum de essentia unius Dei summi pag. 38. Quando aliquis Filium generat per aliam Personam, certe hæc Persona magis est geniti Filii Pater, quam altera, quæ hanc ad illum generandum adhibuit. Atqui notum est, non Deum Patrem ipsum, sed Spiritum Sanctum supervenisse in Mariam Virginem, eam obumbrasse, & per obumbrationem istam Filium Dei in ea produxisse. Ergo si Spiritus est Persona a Patre distincta, potius pro Patre Domini nostri Jesu Christi habendus est, quam Deus Pater.

Respondeo, Dominum nostrum Jesum Christum non esse genitum a Patre ratione humanæ naturæ temporaliter assumptæ, secundum quam non est Patri substantia similis, ideoque nec Filius: sed genitum esse ratione Verbi assumentis naturam humanam, nempe quia generatio temporalis terminata est ad Personam, quæ est Filius Dei naturalis. Distinguo itaque minorem. Pater per Spiritum Sanctum supervenientem in Virginem produxit Filium, idest naturam humanam, quam Verbum assumpsit; concedo minorem, & nego *suppositum:* quandoquidem spectata duntaxat natura humana, Christus est Filius genitus a sola Virgine, non genitus a Deo Patre. Pater per Spiritus Sancti obumbrationem genuit Filium, videlicet humanam naturam Spiritu Sancto superveniente formatam assumpsit Persona genita a Deo Patre; concedo: & nego iterum *suppositum;* siquidem hæc persona non est producta per Sancti Spiritus obumbrationem, sed erat in principio apud Deum, & ipsa Deus erat. Quod si petas, quare Spiritus Sanctus, cujus virtute formata est Christi carn, non sit Pater Christi; respondeo id esse, quoniam Christus secundum carnem non est similis Spiritui Sancto. Verum hæc non spectant ad nostram cum Socinianis disceptationem, cujus metam videor mihi attigisse.

CAPUT XV.

Macedoniana hæresis impugnatur.

PLURA sunt, quæ pro Spiritus Sancti divinitate a Theologis afferuntur, & omnia fere collegit Didymus duobus primis libris, quorum lectio erit in hac quæstione perutilis. Nonnulla quoque superius a nobis fuerunt pertractata; nec studiosis nostris ducimus repetenda. Exquisitiora autem illustrantur a Cyrillo in lib. Thesaurorum, ab Athanasio in Epist. ad Serapionem, a Basilio, & Ambrosio in libris, quos de Spiritu Sancto inscripserunt, ab Augustino contra Maximinum, aliosque hæreticos Arianos disputante, a Chrysostomo hom. 89. quæ est de Pentecoste, ab aliis.

Horum Patrum argumenta hæc sunt potissima. Primum petitur ex nominibus, quæ Spiritui Sancto tribuuntur. Etenim appellatur Deus nomine quatuor syllabarum Isaiæ 6. 9. Psalmo 94. 8. 1. ad Corinth. 12. 11. Nam verba Esaiæ ac Davidis de Spiritu Sancto accipienda, liquet ex Act. Apost. cap. 28. 25. & ex Epist. ad Hebræos cap. 3. 7. Vocatur etiam Dominus 2. ad Thessalon. 3. 5. & in 1. 3. 2. Quod etiam dicitur *arrha*, & pars hæreditatis electorum, *digitus* & virtus Altissimi, sunt ipsius divinitatis apertissimi characteres.

Petitur alterum argumentum ex proprietatibus ejus: quarum una est a Deo procedere. Nihil autem potest a Deo procedere diversum a divinitate, alias esset divinæ substantia origo accidentium, & adinstar arborum, quæ flores, aut fructus emittunt. Competit illi animam sanctificare: atque de hac ejus efficientia plura notatu digna scribunt Patres. Primo quod per gratiam sanctificantem dicitur Epist. 1. Joannis cap. 2. 24. Deus in nobis habitare. Quomodo non est ergo Spiritus Sanctus Deus de Deo, si qui habet Spiritum Sanctum, habet in se Deum habitantem? Ad hæc per Spiritum Sanctum, & caritatem per eum diffusam recipit homo lavacrum regenerationis, & renovationis, ut loquitur Paulus ad Tit. 3. 5. Quænam vero creaturarum potest creaturam regenerare, & renovare? Item per hanc gratiam fiunt membra nostra *templum Spiritus Sancti*, ut loquitur Apostolus 1. ad Cor. 3. 16. At templa non eriguntur, nisi aut vero Deo, aut iis, qui pro vero Deo reputantur. Tribuitur quoque Spiritui Sancto, quod suscitaverit Christum a mortuis, & vivificaturus sit corpora nostra, ad Rom. VIII. 11. Quare, cum verus Deus sint Pater & Filius, de quibus ait Jo. v. 21. *Sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat; sic & Filius quos vult vivificat;* necesse est, ut Spiritum Sanctum verum Deum fateamur. Convenit illi quoque alium esse a Christo Consolatorem & Paracletum, & *τὸ alium* comparationem simul, & personalem distinctionem importare arbitror manifestum. Alias non expediebat Apostolis Magistrum adire, si pro Domino Jesu Christo, aut creaturam, aut rem minime subsistentem accepturi fuissent.

Tertium argumentum promitur ex divinis attributis, quæ Spiritui Sancto convenire prædicti PP. luculenter demonstrant. Etenim Spiritum Sanctum scrutari omnia etiam profunda Dei probant ex Epist. Pauli 1. ad Corinth. cap. 2. 10. Esse creatorem universorum ostendunt ex verbis Job. 33. *Spiritus Dei fecit me:* & ex Ps. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Effici ab eo operationes naturæ, & gratiæ ostendunt ex Psal. 103. 30. & ex 1. ad Corinth. 6. 11. Habere immensitatem, terramque replere inferunt ex Sap. 1. 7. & ex Ps. 138. 7. Misisse nobis Redemptorem arguunt ex Es. 48. 16. *Nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus.* Christi Corpus in utero Virginis procreasse demonstrant ex Lucæ 5. 35. Præesse regimini Ecclesiæ ex Act. Apost. 13. 2.

Argumentum quartum profertur ex perfecta Patris, Filii, & Spiritus S. communione: quam comprobant I. Quia tres Personæ simul fuerunt Dux Israelitici populi, Pater, de quo Hierem. 2. 6. *Dominus traduxit nos per desertum:* Filius, de quo Psalm. 79. 10. *Dux itineris fuisti in conspectu ejus:* Sp. S. de quo Esaias 63. 14. *Spiritus Domini ductor ejus fuit.* II. Quia tres pariter locuti sunt in Prophetis; Pater, de quo Zacch. 1. 6. *Verba mea, & legitima mea, quæ mandavi servis meis Prophetis:* Filius, de quo Esaias 52. 6. *Ego ipse qui loquebar, ecce adsum:* Spiritus Sanctus, de quo Act. 1. 16. *Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus, &c.* III. Quia tres una Hierarchiam Ecclesiasticam instituerunt, Pater de quo 1. ad Corint. 12. 28. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, &c.* Filius, de quo ad Ephes. 4. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, &c.* Spiritus Sanctus, de quo Act. 20. 28. *Attendite vobis, & universo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* IV. Quia tres implent ex æquo universum; Pater, de quo Hierem. 23. 24. *Cælum & Terram ego impleo:* Filius, de quo ad Ephes. 4. 10. *Implet omnia;* Spiritus Sanctus, de quo Sap. 1. 7. *Replevit orbem terrarum.* V. Quia tres dicuntur eadem ratione ignoti mundo; Pater, de quo Joan. 17. 25. *Pater juste, mundus te non cognovit:* Filius, de quo cap. 1. 10. *Et mundus eum non cognovit:* Spiritus Sanctus, de quo cap. XIV. 17. *Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum.* VI. Quia tres eadem ratione testimonium perhibent de Christi divinitate, ut Joan. Epist. 1. cap. v. 7. & unico nomine in administratione Baptismatis invocantur, ut habetur Mat. 28. 19. 7. Denique tres eadem potestate singula efficiunt; Pater, de quo 2. ad Corinth. 5. 18. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum:* Filius de quo ad Ephes. 1. 10. *Instaurare omnia in Christo, quæ in Cælis, & quæ in Terra sunt, in ipso:* Sp. S. de quo 1. ad Cor. 12. 11. *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus.* Quum ergo Spiritus Sanctus habeat nomen, proprietates, attributa, quæ summo Deo tantum competunt, perfectissimamque cum Patre & Filio communionem operationum, atque substantiæ; consequens est illum Deum esse ipsi Patri, Filioque consubstantialem.

Neque vero probaverunt tantummodo his momentis Sancti Spiritus divinitatem: sed etiam refutarunt quidquid poterant Macedoniani adversus dicta reponere. Hi principio dixerunt, in sacris literis Spiritus Sancti nomine virtutem & energiam designari, ut regerunt modo Sociniani, contra quos cap. præcedenti pugnavimus. At instant ex adverso Patres, fieri non posse, ut cum Persona divina sit Filius, qui missus est a Patre, & Patrem glorificat, non sit divina Persona etiam Spiritus Sanctus, qui a Filio mittitur, & glorificat Filium; & habet ad illum talem ordinem ac respectum, qualem habet ipse Filius ad Patrem. Addunt, quæ nos pluribus prosecuti sumus de operibus propriis personarum, & de emphasi, atque articulo, quo in Græcanicis Scripturis exprimitur. Affirmant non esse alium nisi Spiritum Sanctum, quem Paulus in 1. ad Thessalon. 3. 12. vocat *Dominum*, qui multiplicat, & abundare facit caritatem nostram invicem, confirmatque corda nostra sine querela in sanctitate ante Deum Patrem, in adventu Domini nostri Jesu Christi. De eodem Spiritu Sancto interpretantur similia verba in altera ad Thessalonic. cap. 3. 5. *Dominus autem dirigat corda vestra in caritate Dei, & patientia Christi.* Quibus esse Dominum Personam aliquam a Deo Patre, & a Christo distinctam, monstrat vel ipsa orationis complexio.

Reponebant ulterius Pneumatomachi (quod & repetunt Novatores) inter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum certis syllabis notari discrimen. Nam de Patre scriptum est in 1. ad Corinth. cap. VIII. 6. *Ex quo omnia*, & de Jesu Christo, *per quem omnia:* quæ propositio *Per*, etiam Spiritui Sancto aptatur ad Tit. 3. 5. ideoque hi duo non videntur esse Deus ille summus. At inquiunt Patres perinde esse si dicamus aut *ex*, aut *per*. Etenim de vero Deo legitur Genes. 4. 1. *Possedi hominem per Deum.* 1. ad Corinth. 1. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Christi.* Atque eodem pacto de Spiritu Sancto effertur aliquando *ex*, ut Joan. III. 6. *Quod natum est ex Spiritu;* quæ verba conferenda sunt cum vers. 13. cap. 1., & aliquando *Per*, ut ad Rom. v. 6. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, &c.* Quamquam particula *Ex* potiori quodam titulo spectat ad Patrem, qui est fons Deitatis totius.

Petebant 3. Heterodoxi qui fieri possit, ut Spiritus Deus Altissimus sit, cum tam hebræum רוח, quam græcum *πνεῦμα*, latinumque vocabulum *Spiritus* quandoque ventum,

tum, aliamve rem creatam significet, ut cap. iv. Amos. Atque respondent Patres Spiritum Sanctum, nunquam simpliciter Spiritum nominari sine additamento Dei, aut Patris, aut *a me*, hoc est ex Deo, vel absque articulo, vel Christi, vel Filii, aut quod non addatur Sanctus, aut Paracletus, aut veritatis, hoc est Filii, qui seipsum nominat veritatem. Dignosci prætereà ex complexu sermonis, de quonam Spiritu agatur; quomodo apud Amosum, ubi memorantur flagella, quibus Deus in Israel prævaricantem animadverrit, Spiritus dictus est ventus urens: unde recte legit Vulgata cit. cap. iv. 9. *Percussi vos in vento urente, & in aurugine*. Atque hæc sunt præcipua pro divinitate Spiritus Sancti argumenta apud Patres supra laudatos: quæ, si ad fontem venerit, hauriet quisque meis hisce rivulis puriora.

Ad priorem classem locorum, in quibus Dei nomen Spiritui Sancto tribuitur, spectat vers. 3. cap. v. Act. *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?* Et infra vers. 4. *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Unde argumentantur Theologi: Ille, cui mentitus est Ananias, Deus est: Ananias mentitus est Spiritui Sancto: Ergo Spiritus Sanctus Deus est. Quem locum postremo reciravimus, ut ab hæreticorum, qui valde eo premuntur, vindicetus argutiis.

Itaque respondet Crellius, in Græco haberi, ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον: *mentiri te, & fallere Spiritum Sanctum*. Sed elusio est puerilis. Nam 1. demonstrat Grotius ψεύδεσθαι, *mentiri*, quod responder Hebræo כזב, modo cum dativo construi, ut Job. 34. 6. Psalmo lxxvii. 36. lxxxviii. 35. modo cum accusativo, ut 2. Regum iv. 16. Atque ita hic 3. commate cum accusativo construitur, sequenti cum dativo. Pari modo εὐλογεῖν, *benedicere*, modo dativum post se habet, modo accusativum. Sed & Græci sic loquuntur, ut Aristophanes, ἐ ψεύσῃ γέ με, *Non me falles*. Hæc Grotius. Glassius vero de Propos. Can. v. demonstrat consimilibus exemplis ex Thucydide, Pindaro, & Hesiodo petitis propositionem *Ad*, vel *In* interdum reticeri: & idem esse mentiri τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, *Spiritum Sanctum*, ac, mentiri εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, *in Spiritum Sanctum*. Paniculam εἰς *in* haberi in quibusdam Mss. testatur Theodorus Beza, & legi in versione Syriaca restatur Lorinus, ac liquet ex Polyglottis. Dabo Socinianis testem locupletem, & omni exceptione majorem, Socinianum ipsum, qui edidit Comment. in Acta Sanctorum Apostolorum, nempe Wolzogenium. Qui p. 30. inquit: *Quædam exemplaria græca habent mentiri te in Spiritum Sanctum.* Ut & Col. 3. 9. dicitur, *Ne mentiamini in alios alii*, idest erga alios. *Quæ propositio etiamsi hic esset suppressa, posset subintelligi. Sed sicut alia quædam verbo construuntur aliquando cum dativo casu, aliquando autem cum accusativo, ut evangelizo tibi, & evangelizo te, benedico tibi, & benedico te, imo etiam benefacere aliquem pro alicui*, Matth. 5. 44. & Marc. 14. 7., *ita etiam græce dicitur non tantum, mentior tibi, sed & mentior te. Cujus constructionis exemplum citatur & ex Aristophane Comico Græco, & ex Græca versione Bibliorum*, Prov. 14. 5. & 4. Regum cap. 4. 16.

Ex his infertur quam falsa sit eorum commentario, qui scribunt Ananiam mentitum Spiritum Sanctum, quod se hypocritam simulaverit fraudando de pretio agri: quam interpretationem dolemus etiam Catholicis nonnullis probari. Quamquam enim ille simulare se gessit, attamen mentiri Spiritum Sanctum est velle, quantum in se est, fallere Spiritum Sanctum, ut constat ex dictis, & Wolzogenius ipse fatetur. Præterquam quod hypocrita dicitur quidem mentiri se Sanctum, non vero Spiritum Sanctum.

Inquiunt Sociniani, Ananiam mentitum Spiritui Sancto, quia mentitus est Apostolis, in quibus Spiritus Sanctus degebat. Ita est. At quoniam mentitus est Apostolis, in quibus Spiritus Sanctus degebat, dicitur sequenti commate mentitum fuisse Deo. Ergo Spiritus Sanctus, qui degebat in Apostolis, Deus est. Si enim, ut consimili utar exemplo, arguero: Membra nostra sunt templum Spiritus Sancti, qui in nobis est. 1. Ad Corinth. 6. 19. Qui fornicatur violat corpus suum, Ibi. v. 18. Ergo qui fornicatur violat templum Spiritus Sancti: At Templum, in quo Spiritus Sanctus habitat, est Templum Dei cap. 3. 16. Igitur qui fornicatur, violat templum Dei. Puto neminem sanæ mentis negaturum hanc consequentiam. Tale est argumentum petitum ex cap. v. Act. In Apostolis degebat Spiritus Sanctus: Ananias mentitus est Apostolis: Igitur mentitus est Spiritui Sancto: At quisquis mentitur Spiritui Sancto, mentitur Deo; Ergo Ananias qui mentitus est Apostolis, mentitus est Deo. Et hanc consequentiam nullus negat. Sed ex priori argumentatione infertur, idem omnino esse Templum Dei, & templum Spiritus Sancti, quod in corporis pollutione violatur: Igitur ex argumentatione sequenti infertur, eumdem esse Spiritum Sanctum, & Deum, cui Ananias in Apostolis mentitus est.

Respondet idem Wolzogenius Comment. in Act. Apost. pag. 31. Simile huic dictum est Exodi xvi. ubi postquam v. 2. scriptum est congregationem Israelitarum murmurasse contra Mosen, & contra Aaronem; deinde versu 8. dicitur: *Non contra nos murmurationes vestra, sed contra Dominum*. Et Num. 20. postquam dictum v. 3. jurgatum esse populum cum Mose, postea v. 13. dicitur ibi tunc jurgatos esse Filios Israel cum Domino. Vide etiam Mat. x. 40. xviii. 5. Marci 9. 37. Luc. 10. 16. 1. Cor. 8. 12. Non recte ergo hinc concluditur Spiritum Sanctum hoc loco expresse vocari Deum: non magis bene, quam si ex superius citatis aliquis concludere: Mosen esse ipsum Deum, & eos qui nomine Christi venientes vel recipiuntur, vel rejiciuntur, esse ipsum Christum.

Verum neque hæc subsistunt. Negativum adverbium pro comparativa particula *potius* sæpe ponitur, quomodo si quis injuria afficiat legatum, dicitur non hunc parvipendere, sed principem; & e contra qui ministro præstat obsequium, regi dicitur obtemperare, non famulo. Hoc sensu Exodi xvi. 8. murmuravit congregatio Filiorum Israel non contra Mosen, sed contra Dominum, quia ille Domini vicem gerebat. Ob eamdem caussam contra Deum jurgati sunt Num. 20. 13. Ita Mat. 10. 40. Qui autem Prophetam, aut pauperem suscipit, suscipit Dominum, quoniam ab ipso mittuntur, & de ejus familia sunt. Et qui peccat in fratres, ut legitur 1. ad Corinth. 8. 12., peccat in Christum, quoniam sunt illi membra corporis, cujus Salvator est caput. Similiter qui spernit doctrinam Apostolicam, illum contemnit, qui Apostolos elegit, docuit, & misit; ut habetur 1. Thessalon. 4. 8. Ibi ratio redditur manifesta. Ait enim Apostolus: *Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum; qui etiam dedit Spiritum suum Sanctum in nobis*, Gr. ἀλλὰ τὸν Θεὸν, τὸν διδόντα τὸ πνεῦμα αὐτοῦ τὸ ἅγιον εἰς ὑμᾶς. Sed inquit hæreticus: At Moses non est Deus: Eccur Spiritus Sanctus Deus est? Nonne similia sunt verba verbis, ac sententiæ sententiis? Immo dissimilia. Exodi xvi. 2. habes: *Murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen & Aaron*. Act. 21. 3. *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?* Ergo murmur adversus Mosen, mendacium adversus Spiritum Domini prolatum est. Consentientem habeo Wolzogenium huc usque. Exodi xvi. 8. legitur: *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum*, idest principaliter murmur vestrum fuit contra Dominum, deinde contra nos servos Domini. Act. v. 4. legitur: *Non es mentitus hominibus, sed Deo*; nempe potius, quam nobis hominibus Dei ministris. Neque arbitror mecum Wolzogenium hactenus dissentire. Jam vide hominis calliditatem. Quinam sunt, de quibus Exodi xvi. 8. lectum est: *Nec contra nos est murmur vestrum?* Sunt, ut vides, Moses, & Aaron, de quibus vers. 2. legeras: *Murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen & Aaron*. Ergo Moyses & Aaron non sunt ipse Dominus, contra quem filii Israel principaliter murmuraverunt, quoniam ipsi sunt, de quibus, vers. 8. legisti: *Nec contra nos est murmur vestrum*. Redeamus ad cap. v. Act. Quinam sunt illi, de quibus v. 4. scriptum est: *Non es mentitus hominibus?* Non est quidem Spiritus Sanctus, de quo v. 3. legimus: *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto*; nam Spiritus Sanctus non est homo, non est Apostolus Petrus. Ergo Spiritus Sanctus est ipse Dominus, ipse Deus, cui Ananias principaliter mentitus est, de quo v. 3. *Mentiri te Spiritui Sancto*. Non enim Spiritus Sanctus excluditur dum dicitur, *Non es mentitus hominibus*, quomodo excluditur Moses & Aaron, dum dicitur, *Nec contra nos est murmur vestrum*. Quoniam Moses & Aaron v. 8. excluduntur, sequitur, neque Mosem neque Aaronem esse Dominum. Quoniam Spiritus Sanctus versu 4. non excluditur, sequitur Spiritum Sanctum esse Deum. Idem valet de aliis locis perperam a Wolzogenio citatis. Cujus calliditas me in hoc septimo libro exornando reddidit molestissimum.

Etiam traditione Patrum Spiritus Sancti confirmatur divinitas. Justinus Apol. 1. *Filium* (inquit) *& Spiritum Sanctum colimus, & adoramus, cum ratione & veritate venerantes*. Athenagoras in Apolog. *Quis non miretur cum audiat, nos qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Deum Spiritum Sanctum, eorum in unitate virtutem, & in ordine distinctionem explicantes, Atheos vocari?* Lucianus, *Deum alte regnantem, magnum, immortalem, cælestem, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria*. Vide & Irenæum lib. 4. cap. 37. Clem. Alex. lib. 1. Pedagogi cap. 6. Tertull. contra Praxeam cap. 2. Cyprianum Epist. 73. Non multus hic ero, quum hanc traditionem confirment Generalia Concilia, Nicænum, & expressius Constantinopolitanum primum in Symbolo, & in Epistola Synodica ad Episcopos Occidentis; neque id negant hæretici Sociniani, contra quos potissimum disputavimus: quorum aliqui Catholicam de individua Trinitate doctrinam appellant Commentum veterum Patrum ex Ethnica Platonis Schola in Religionem Christianam introductum, ut Wolzogenius cap. 6. in Joan. aliqui audacter proferunt, totius Orbis consensum non posse adversum id, quod divinis oraculis aperte est consignatum, ut dogma de unica in Deitate Persona, ut Faustus Socinus contra Wiekum p. 617. aliqui nos ad solas Scripturas provocant, ut Semiariani ceteri. His autem nos aliquantulum satisfecisse confidimus, quomodo, si Deus tantum otii & valetudinis concesserit, iis quamprimum facturi sumus, qui ausi sunt fidem antiquorum Patrum damnare.

mnare. Viguit enim perpetuo in Christi Ecclesia Fides, de qua Victorinus in Hymno Tom. IV. Bibl. PP. pag. 294.

Hinc singulis vera, hinc tribus una substantia est,
Progressa a Patre Filio, & regressa a Spiritu:
Quia tres existunt singuli, & tres in uno singuli.
Hæc est beata Trinitas, hæc beata Unitas.

CAPUT XVI.

Ad reliqua in contrarium argumenta.

EXPEDIAM nunc vulgares contra Spiritus Sancti divinitatem oppositiones. Quarum sit prima. In sacris literis quandoque Pater, & Filius nominantur nulla facta Spiritus Sancti mentione, qui neque alicubi expresse Deus nuncupatur. Non ergo Sp. S. Deus est, neque eamdem habet cum Patre, & Filio communionem naturæ.

Resp. nego conseq. I. Quia interdum simul nominantur Pater, & Spiritus Sanctus, ut Is. 45. *Et nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus*: nonnunquam vero tres personæ simul, ut Matth. XXVIII. *Baptizantes eos, &c.* II. Quoniam revera Spiritus Sanctus appellatur *Deus* Act. v. 4. *Dominus* 1. ad Thes. 3. 12. eique tribuuntur opera, & characteres divinitatis, ut supra probatum est. III. Quia argumentum istud negativum potest in Adversarios retorqueri, quippe nullibi Spiritus Sanctus appellatur creatura, neque in his locis, ubi creaturæ omnes commemorantur, & ad benedicendum Deum invitantur Ps. 102. & 148. nec non in Cantico trium puerorum.

Opp. 2. Ad Rom. 8. 26. scriptum est: *Spiritus postulat pro nobis*. At postulare nom est indigentiæ, quæ nequit Deo convenire. Item Jo. 2. 3. habetur, omnia facta esse per Verbum; quare si Spiritus Sanctus est aliquid, factus est, ideoque res creata. Iterum Joan. VI. 13. habetur: *Non enim loquetur a semetipso*. Impotens est ergo ac dependens. Notandum hic quoque verbum futuri temporis *loquetur*: in Deo namque futurum nefas est cogitare. Rursus *contristari* dicitur ad Ephes. 4. 30., & 1. ad Corinth. 2. 10. *Scrutari* profunda Dei: quæ duo sunt passionis & ignorantiæ argumentum.

Resp. ad 1. Spiritum Sanctum hoc sensu postulare pro nobis, quia postulare facit, ut explicat S. P. August. Ep. 105. Cujus explicationis veritas constat, quia Spiritus Sanctus eodem cap. VIII. 15. appellatur a Paulo Spiritus adoptionis, *in quo clamamus, Abba Pater*. Atque Zacch. XII. 10. *Spiritus gratiæ, & precum*. Nam actiones tribui iis solent, qui agendi conferunt δύναμιν, potestatem, ut ipsi docent Grammatici. Quod nobis insinuans Apostolus, præmiserat: *adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus*. Adde in Græco inveniri ὑπερεντυγχάνει, superexpostulat. Est autem ὑπερεντυγχάνειν Advocatorum, qui dictant suspiria Clientibus. Chrysostomus denique Hom. 14. in Epist. ad Rom. per Spiritum postulantem donum intelligit Orationis. Ad 2. dico Jo. 1. 3. per *Omnia* comprehendi universitatem creaturarum, a quibus ut distinguitur Pater, qui Verbo suo condidit cælum & terram, ita sejungitur Spiritus oris ejus, a quo est qualiscunque virtus eorum. Ad 3. resp. cum Augustino Tract. 99. in Joannem, Spiritum Sanctum non loqui a semetipso, quoniam ab illo a quo procedit est ei essentia, scientia, & audientia; nec movere debet, quod verbum futuri temporis positum est, quin & ponitur ratione termini, & in ordine ad creaturas, quibus Sp. S. mittendus erat, & de re sempiterna enunciatur absque mendacio, fuit, est, erit. Ad 4. dico Spiritui Sancto tribui tristitiam metaphorice, & propter hominum ingratitudinem, qui ejus dona contemnunt; quemadmodum Genes. VI. 6. dicitur Deus *tactus dolore cordis intrinsecus*: & Ps. 77. 40. exacerbatus, & concitatus in iram. Ad 5. Resp. verbum scrutari non semper indaginem & ignorantiam notare, sed sæpenumero certam intimamque notitiam, ut Psalmo VII. 10. Jer. XI. 20. Apoc. 11. 23. dicitur Deum scrutari renes & corda: quo sensu accipiendum hoc verbum in 1. ad Cor. liquet, quod illic τὸ πνεῦμα, Spiritus, scrutari dicitur etiam βάθη τοῦ Θεοῦ, *profunda Dei*; nimirum consilia occulta, & altitudinem sapientiæ Dei, cujus viæ, & recessus sunt creatis mentibus ininvestigabiles.

Opp. 3. In 1. ad Corinth. 14. 32. hæc habentur: *Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt*. Spiritus prophetarum est Spiritus Sanctus, quo inspirante loquebantur Prophetæ. Igitur Spiritus Sanctus hominibus subjectus est.

Resp. dist. majorem. Spiritus Prophetarum humanus, nempe mens Prophetarum, quæ Spiritu Dei afflante agebatur, concedo; Spiritus Prophetarum, scilicet Spiritus Dei, qui Prophetarum mentem illustrabat, nego subjectum esse Prophetis. Loquitur Apostolus de Spiritu Prophetarum humano: quod constat tum quia πνεύματα absque articulo legitur, tum quia pluralis est numeri, cum Spiritus Dei unus sit. Spiritus autem Prophetarum subjecti sunt Prophetis, primo quia unius aut alterius doctrina judicio Ecclesiæ subjecta est. Deinde quia divinitus afflati suæ potestatis sunt, neque ad instar Pythonicorum tanquam dementes agitantur; ut de Sybilla Virgilius:

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur Vates, magnum si pectore posset
Excussisse Deum.

Opp. 4. Spiritus Sanctus mittitur a Filio; ergo est Filio minor. Resp. dist. ant. Mittitur per imperium, ut servus a Domino, nego: per originem, concedo. Vide infra cap. XX.

Opp. ultimo. Spiritus Sanctus non est neque genitus, neque ingenitus; non genitus, quia genitum esse convenit Filio, non ingenitus, quia esse ingenitum proprium est Patris. At qui non est genitus, neque ingenitus, non est Deus. Ergo &c.

Resp. dist. majorem. Spiritus Sanctus non est Ingenitus, quatenus ἀγέννητον significat non factum nec creatum, nego. Non est Ingenitus, prout ἀγέννητον significat Personam, quæ a nulla alia procedit, conc. Vide cap. XII. ad V. Falsa quoque est minor propositio, quia præter Personam Ingenitam, quæ non habet ab alia originem, & personam genitam, quæ est ab una, datur Persona, quæ est a duabus simul, & peculiari quadam ratione appellatur PROCEDENS, ut diximus cap. XIV. ad penultimum Wolzogenii argumentum. Atque hæc de suprema illius divinitate, de quo Nazianzenus in Carm. latine reddito:

Nec rursus deitate carens, ab eaque remotus,
Sed Patri, & Nato unigeno par prorsus honore.

CAPUT XVII.

Num Spiritus Sanctus a Patre, Filioque procedat?

MAGNUM versatur Latinos inter, Græcosque de processione Spiritus Sancti a Filio dissidium, his, non quidem omnibus, sed levioribus tantum & Schismaticis, asserentibus a solo Patre procedere, illis propugnantibus originem habere ab utroque. Atque erroris Græcorum auctor creditur Theodoretus, qui in Confutatione IX. Anathematismi Cyrilli ait, quod dicere Spiritum Sanctum ita proprium Filii, ut ex Filio, aut per Filium extantiam intelligatur habere, id impium est, ac blasphemum: quamquam Theodoretus facile potest excusari, ut postea dicam. Non semel sopitus jam error fuit a Græcis instauratus. Ventilata fuit hæc quæstio Pipino Francorum rege, & definita in Synodo habita in villa Gentiliaco prope Lutetiam anno ɔcclxvII. Tum vehementius exagitata adversus Latinos ab invasore Sedis Constantinopoleos Photio Spadone circa annum 863. quem hominem totius Orientis exitio natum an. 869. Synodus octava damnavit. Decertarunt iterum Græci cum Latinis Urbano II. Pontifice an. 1097. eosque in Concilio Barensi compescuit S. Anselmus Cantuariensis Episcopus; qui & magnum sibi nomen comparavit, & singularem pro Catholica fide navavit operam. Postea sub Innoc. III. ad Ecclesiæ Romanæ communionem in IV. Lateranensi Synodo redierunt Græci, & sedata contentio est. At relapsi quamprimum in antiquum errorem. Concordiam rursus inierunt Imperante Michaele Paleologo, & sedente Gregorio X. an. 1274. & rursus in pristinum schisma, errоremque relapsi. Pugnarunt interim adversus domesticos viri suorum Scriptorum laudibus celebratissimi Joannes Beccus, & Nicephorus Blemmydes, de quibus plura Petavius lib. VII. cap. 1. Tandem anno 1439. in Florentina Generali Concilio controversia finita est, & Græci Patres Catholico dogmati subscripserunt, uno excepto Marco Ephesio, cujus opera plures quidem subornati ad antiquum errorem sunt regressi, sed nulla publica fide fuit deinceps universa Græcorum Ecclesia labefactata. Dixi autem *publica fide*, quoniam licet magna ex parte Orientalis Ecclesia antiquum modo tueatur errorem; sunt tamen Græci complures, qui Orientalibus Patriarchis minime obtemperant, sed cum Romanis rectæ fidei confessione communicant. Hanc utriusque Ecclesiæ communionem meritis beati Nicolai Tolentinatis acceptam refert Eugenius IV. quod etiam exprimitur in Ecclesiastico hymno:

Exorta ab annis schismata
Pelluntur ima ad tartara:
Græci a Latinis dissiti
Junguntur una fœdere.

PROPOSITIO: Spiritus Sanctus a Patre, Filioque procedit.

Triplici argumentorum genere hæc propositio probatur, Scripturis, auctoritate Patrum, ratione. Atque ex Scripturis hæc depromuntur. I. Spiritus Sanctus appellatur Spiritus Filii, ad Galat. IV. 6. *Misit Spiritum filii sui in corda vestra*. Act. 16. *Non permisit Spiritus Jesu*. Joan. XIV. 17. *Spiritus veritatis*, idest ipsius Filii, qui est via, veritas & vita. At appellari nequit Spiritus Filii, nisi hoc titulo, quod a Filio procedat. Ergo Spiritus Sanctus procedit a Filio. Prob. minor. Spiritus Sanctus aut nuncupatur *Spiritus Filii* quod sit Filii Sanctitas extrinsecus ingrediens & adventitia, aut quod sit eidem Filio Consubstantialis, (quomodo audio recentiores Græcos reponere,) aut Filii instrumentum, & virtus, aut denique quia a Filio habet esse. Non enim video quo alio titulo *Spiritus Filii* possit appellari. Sed Spiritus Sanctus non dicitur *Spiritus Filii*, quod sit illi adventitius, ut in iis evenit qui ejus munere sancti-

can-

cantur; neque quod sit Filii instrumentum, & virtus accidentalis: quæ duo Græci fatentur. Rursus non dicitur *Spiritus Filii* eo quod sit Filio Consubstantialis; quippe diceretur etiam ipse Filius Spiritus Sancti propter Consubstantialitatem: quod cogitatu absurdum est. Ergo remanet quod Spiritus Sanctus dicatur *Spiritus Filii* propter relationem originis, & quia ab illo procedit.

Præterea Christus Dominus Joan. xx. 22. insufflavit dicens: *Accipite Spiritum Sanctum*. Cur autem insufflavit, nisi ut ostenderet a se Spiritum Sanctum procedere, quomodo corporeus halitus ab ore alicujus emittitur? Legite Augustinum Tract. 121. in Joan. & lib. 3. contra Maxim. cap. 14.

Tertio probatur; nam Spiritus Sanctus mittitur a Filio; Ergo a Filio procedit. Ant. constat ex cap. xvi. Joannis 7. *Si autem non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos*. Prob. conseq. I. Quia hic est ordo naturæ divinæ, ut qui a nullo est, a nullo mittatur, ut probat in Epist. ad Serap. S. Athan. & lib. 4. de Trinit. cap. 19. S. P. Augustinus. Si ergo Spiritus Sanctus a Filio mittitur, a Filio procedit. II. Quia probatur Filium a Patre procedere, quia de ipso scriptum est, *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*, & *Exivi a Patre, & veni in mundum*; atque, *Evangelizare pauperibus misit me*, &c. III. Quia ille, qui ab alio mittitur, debet ab eo aliquam potestatem recipere, aut saltem mandatum ac præceptum. At Spiritus Sanctus, qui fatentibus adversariis Deus summus est, non accipit a Filio mandatum, quod nota sit subjectionis. Recipit ergo potestatem, quæ a divina substantia nequit esse distincta. Neque aliud respondere possunt Græci, nisi Spiritum Sanctum, qui a Filio mittitur, esse sanctificationis gratiam, non divinam Personam. Quæ responsio & supra impugnata est, & hoc eodem argumento rejicitur: quandoquidem misit Filius Spiritum Sanctum, *qui a Patre procedit*. At Spiritum, *qui a Patre procedit*, personam esse Græci non dubitant.

Rursus Joan. xvi. 14. habetur: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt: Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*. Plura hic occurrunt notanda. Ac primo: Spiritus Sanctus accipit esse a Filio. Quid enim accipere potest divina Persona, cui essentia est quidquid habet? Sed recipere *esse* idem est ac procedere. Procedit ergo Spiritus Sanctus a Filio. Deinde: propterea dixit Christus Dominus, *De meo accipiet, & annuntiabit vobis, quia omnia, quæ habet Pater, sunt ipsius Filii*. Quare si Pater habet de sua essentia, ut Spiritus Sancti principium sit; similiter hoc habet Filius. Rursus divina Persona si habeat ab altera quidquid annuntiat, habet ab eadem extantiam: unde enim est in divinis *audientia*, inde est & essentia: Spiritus Sanctus accipit a Filio, ut futura annuntiet: Ergo a Filio recipit etiam ut sit. Demum λαμβάνειν hic non potest alium habere sensum, quam audire quæ loqui debeat, & quasi μανθάνειν *discere*, ut Prov. 1. 3. & Deut. xxxii. 2. Habet ergo Spiritus Sanctus a Filio Sapientiam. In Deo autem sapientia & essentia idem sunt. Igitur, &c.

Nil efficit Græcorum responsio, qui asserunt Spiritum Sanctum accipere essentiam, divinitatem, ac sapientiam a solo Patre, non a Filio; & ea verba ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, *De meo accipiet*, reddenda esse, *De Patre meo*. Nam disserte ipse Dominus sententiam suam explicat dicens: *Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi*, &c. Si ergo Spiritus Sanctus procedit a Patre, & quidquid habet Pater habet & Filius, sola excepta Paternitate, quæ propter relativam oppositionem ipsi Filio nequit communicari; necesse est, ut Spiritus Sanctus procedat etiam a Filio: alias frustra Christus ea verba protulisset. Sed vide Literas Unionis Eugenii IV. Atque hæc Latinorum Responsio variis perantiquis sacrorum Bibliorum versionibus roboratur, ut Persica, quæ legit: *A me accipiet*: Arabica, quæ habet: *Nam accipiet de eo, quod meum est*: Æthiopica: *Totum, quod habet, meum est*; Syriaca: *Quippe qui de me accipiet*. Ut Tom. v. Polygl. Waltonianæ p. 488. & seq.

Secundo probatur istud Ecclesiæ Latinæ dogma clarissimorum Græcorum auctoritate. Inter hos Epiphanius in Ancorato diserte scribit: Χριστὸς ἐκ τοῦ πατρὸς πιστεύεται θεὸς ἐκ θεοῦ, καὶ τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ χριστοῦ, ἢ παρ' ἀμφοτέρων, *Christus ex Patre creditur, Deus de Deo, & Spiritus ex Christo, aut ex ambobus*. Et Hæresi 74. τὸ γὰρ ἅγιον πνεῦμα παρ' ἀμφοτέρων, πνεῦμα ἐκ πνεύματος. *Sanctus autem Spiritus ex ambobus, Spiritus ex Spiritu*. S. Cyrillus in Joelem cap. 2. Καὶ ἐκ θεοῦ κατὰ φύσιν ὁ υἱὸς (γεγέννηται γὰρ ἐκ θεοῦ, καὶ πατρὸς) ἴδιον αὐτοῦ τε, καὶ ἐν αὐτῷ, καὶ ἐξ αὐτοῦ τὸ πνεῦμά ἐστι. *Et ex Deo quidem secundum naturam Filius (genitus est enim ex Deo, & ex Patre). Proprius autem ipsius, & in ipso, & ex ipso Spiritus est*. Et lib. 14. Thesauri: Ὅτι ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα, & statim, πρόεισι δὲ ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ. *Quoniam ex essentia Patris, Filiique Spiritus. Qui procedit ex Patre & Filio*. S. Basilius in 3. contra Eunomium ait: παρ' αὐτοῦ εἶναι ἔχον, καὶ παρ' αὐτοῦ λαμβάνον, καὶ ἀναγγέλλον ἡμῖν, καὶ ὅλως ἐκείνης τῆς αἰτίας ἐξημμένον. *Ab ipso habens esse, & ab ipso accipiens, & annuntians nobis, & omnino ex illa caussa pendens*. Plura vide apud Leonem Allatium in defensione Synodi Ephesinæ, Joannem Beccum, Manuelem Calecam, Petavium, &c.

Græcorum responsio est: Epiphanium intelligendum esse de donis, non de persona Spiritus Sancti: Cyrillum affirmare Spiritum Sanctum proprium Filii ratione Consubstantialitatis: Textum ex Basilio productum ex mendoso, & falsato codice esse depromptum. Id Marcus Ephesius in Florentino Concilio conatus est demonstrare tum ex aliorum codicum lectione, tum ex scopo Basilii, qui scribens adversus Eunomium, nunquam Spiritum Sanctum appellat in Trinitate ordine tertium, & natura secundum a Filio, nisi ex sententia Eunomii. Addit Andronicus Camaterus, neque Basilium, neque Athanasium in suis contra Sabellium & Arium libris alium fontem & originem divinarum personarum agnoscere, præterquam Deum Patrem.

Hæc omnia commentitia sunt, neque caussam juvant Græcorum. Quippe Epiphanius Patris, Filiique nomine personas designat, & his duobus Spiritum Sanctum, nempe tertiam adnectit. Oportet ergo, uti Pater & Filius personæ sunt, ita & Spiritum Sanctum personam intelligamus. Deinde explicat ibidem Spiritus Sancti originem ac relationem, quæ proculdubio notæ sunt personarum. Ac præterea non recte dicitur, Spiritus Sancti dona esse ab ambobus, cum sint etiam ab ipso Spiritu, & quidem peculiari quadam attributione. Cyrilli autem verba non patiuntur Græcorum commentationem, tum quia asserit manifeste a Filio Sanctum esse Spiritum; tum etiam quia nullibi Filium, aut Patrem affirmavit proprium esse Spiritus Sancti: postremo quia consubstantialitas præstat, ut divinarum personarum sit una substantia, non ut una persona sit propria alterius, sive ex altera, quomodo scribit Cyrillus. Basilii testimonium genuinum esse adversus Marcum Ephesium ostendit in Florentina Synodo Joannes inclyti Prædicatorum Ordinis Theologus ex vetustissimo Ms. exarato longe ante exortam de Spiritu Sancto procedente a Filio quæstionem, & Romam a Cardinale Nicolao Cusano Constantinopoli asportatum: ex quo Græcos, non Latinos Basiliana scripta corrupisse deprehenditur. Et quidem D. Basilium facere Spiritum Sanctum ordine a Filio secundum, liquet ex Epistola ejus trecentesima ad Canonicas, de qua consule clarissimum Petavium tom. 2. lib. vii. cap. 3. num. xvi. Contra Camaterum denique clamant clarissima Græcorum PP. testimonia; quibus etiam hæ responsiones, & dogma ipsum firmatur. Nam Athanas. Orat. de Incarnat. appellat Filium *Fontem S. Spiritus*, τὸν υἱὸν τὴν πηγὴν τοῦ ἁγίου ποιούμενος. Idem Basilius tradit in 2. contra Eunomium, vocans Filium πηγὴν ζῶν, *Fontem vivificum*. Atque beatissimus Joan. Chrysostomus hom. in mysterium Baptism. ait: Σωτὴρ δεικνύων αὐτὸν πηγὴν ζωῆς, καὶ ὕδωρ ζῶν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Salvator ostendit seipsum fontem vitæ, aquam vero vivam Spiritum Sanctum*. Pater tamen potiori jure dicitur πηγὴ, *Fons*, quoniam fons aquam ex seipso scaturire facit, non aliunde.

Tertio probatur ex Patribus Latinis, quos Œcumenicæ Synodi a Græcis receptæ consecrarunt, & qui ea floruerunt ætate, qua Occidentales a Græcis tanquam veri Catholici habebantur: unde non est, cur Refractarii horum Sanctorum auctoritatem debeant excutere. Ambrosius ergo in lib. 1. de Sp. Sancto cap. x. *Spiritus quoque Sanctus*, inquit, *cum procedit a Patre, & Filio, non separatur a Patre, non separatur a Filio*. S. P. Augustinus Tract. 99. in Joannem: *Cur ergo non credamus*, ait, *quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus?* Et Leo magnus, cujus doctrinam generalis quarta Synodus appellavit στῦλον ὀρθοδοξίας, *Columnam fidei Orthodoxæ*, Ep. 93. scribit: *Alium esse qui genuit, alium qui genitus est, alium qui ab utroque procedit*. Cum Græci hanc esse fidem Latinorum Patrum ultro profiteantur, necnon statutum hoc dogma a Synodo Lateranensi iv. Lugdunensi ii. & Florentina pro hac præsertim caussa convocata, necesse non est, ut hæc longiori oratione complectamur.

Postremo Theologicis rationibus roboratur Assertum. Harum prima sit. Quæcunque habet Pater, sola excepta ratione Ingeniti, habet & Filius. Hoc siquidem ait ipsemet Christus in Evangelio, & contestantur PP. Græci, Damascenus vii. Cap. Operis Theologici, Nazianzenus Orat. in Pentecost. & communiter alii. In tantum vero ratio Ingeniti, sive paternitas non communicatur Filio; quia cum eo opponitur relative, ut dicam lib. ix. Si ergo quidquid habet Pater, πλὴν τῆς ἀγεννησίας, habet & Filius, profecto etiam ipse hoc habet, ut Spiritus Sancti principium sit. Accedit altera. Salvatur in Filio proprietas Unigeniti, quoniam immediate & proxime est ab uno, nimirum a Patre, ut docet Greg. Nyssenus in lib. ad Ablavium, & in Epist. tertia, & quadragesima S. Basilius. Igitur si Spiritus Sanctus procederet immediate & proxime a solo Patre, haberet & ipse rationem geniti, neque ullum esset inter divinam generationem, processionemque discrimen. Tertia est ratio, (quamquam de hac non omnes Latini consentiunt), quod sublata processione, seu oppositione originis, Spiritus Sanctus non distingueretur a Filio; cum in divinis omnia sint unum, ubi non intervenit mutua relatio; at de hac iterum est disputandum. Denique; prima & immediata operatio Patris est generatio, per quam consti-

constituitur Pater, & hujus operationis terminus est Filius. *Spirare* autem non est operatio prima, sed ratione nostra ipsam generationem consequitur; est tamen essentialis, quemadmodum est generatio, & connotat terminum substantialem, nempe Spiritum Sanctum. Sed necesse est Filium consortem esse cujusque operationis essentialis, quæ non est prima seu generatio; Ergo necesse est, ut Filius sit consors cum Patre hujus operationis, quæ est productio Spiritus Sancti. Minor probatur, quandoquidem habet Filius cum essentia, quidquid essentiale est, ut ex dictis, & per se satis est manifestum.

CAPUT XVIII.

Continet Græcorum contra Latinos Argumentationes.

GRÆCI autem opponunt. I. Dogma Latinorum in Scripturis minime continetur, imo expresse habetur Joann. XVI. Spiritum Sanctum a Patre procedere, nulla facta Filii mentione. Ergo rejiciendum omnino est.

Resp. dist. ant. in Scripturis non continetur *explicite*, concedo: *implicite*, nego. Etenim eodem cap. XVI. Spiritus Sanctus appellatur Spiritus veritatis, dicitur mitti a Filio, ipsum glorificare, de illo accipere, habere ab eo, ut annuntiet quæ ventura sunt, omnia demum, quæ habet Pater, habere & Filium: quæ omnia, ut supra diximus, *Processionis* invictum sunt argumentum. Ideo autem Filius inquit Spiritum Sanctum procedere a Patre, ut ostendat Patrem esse aliarum Personarum fontem atque originem, quemadmodum de se ait, non loqui a semetipso, opera, quæ patravit, fuisse Patris, doctrinam suam, non suam, sed ejusdem Patris habendam esse, & cetera hujusmodi: quæ Filio nequaquam denegant quidquid Patri adscribunt; sed parem eamdemque demonstrant essentiam, potestatem, operationemque utriusque. Accedit non esse solam Scripturam ad dirimendas fidei controversias sufficientem, sed standum quoque Sanctorum Patrum traditioni, quam in hoc dogmate universalem & omnino exploratam haberi testatus est in Florentina Synodo Josephus Patriarcha Constantinopolitanus.

Opp. 2. Adversatur dogma de Processione Spiritus Sancti a Filio clarissimorum Græcorum Patrum traditioni. Nam Dionysius lib. de Divinis Nominibus cap. 2. ait *Solum Patrem esse Divinitatis fontem consubstantialem*. Athanasius quoque in Quæst. de Nat. Dei scribit, *Solum Patrem caussam esse duorum*. Nazianzenus Orat. 24. ad Episcopos, inquit: *Quidquid habet Pater, idem Filii esse, excepta caussa*. Rursus in Passione Sancti Andreæ conscripta a Presbyteris Achajæ, legitur Spiritum Sanctum *a Patre procedere, ac permanere in Filio*. Quid plures memoro? S. Maximus in Epistola ad Marinum ait, *Patres non concedere Filium esse caussam, idest, principium Spiritus Sancti*. Ex quibus arguitur: Si Spiritus Sanctus a Filio procederet, Filius foret Spiritus Sancti fons, caussa, ac principium: At negant Patres Filium fontem esse, caussam, ac principium Spiritus Sancti; Igitur Spiritus Sanctus nequaquam a Filio procedit.

Accedit quod si Patrum aliqui accurate de Spiritu Sancto tractarunt, hunc non a Filio, sed per Filium esse dixerunt. Quod caute pronuntiat in I. adversus Eunomium Gregorius Nyssenus, Athanasius in Redargutione Eusebii & Meletii, Cyrillus contra Palladium, & Patriarcha Tharasius in Epist. ad Orientis Episcopos. Hi omnes docent, Sanctum Spiritum ex Patre per Filium profluere. Est autem discrepantia inter particulam διὰ, *per*, & ἐξ, *ex*, quod hæc efficientem caussam significat, non illa. Cum ergo doceot Spiritum Sanctum extantiam habere *per* Filium, non *ex* Filio, negant aperte hunc illius esse principium.

Resp. nego antec. ad prob. dico primum, Patrem appellari caussam, fontem, ac principium speciali quadam ratione, quod prima sit in Trinitate persona, nec originem habeat ex alia; id vero non efficit, quin etiam Filius Spiritum Sanctum producat, & quemadmodum est Deus de Deo, & lumen de lumine, sit pariter caussa de caussa, fons de fonte, principium de principio: aut, quomodo propter paternæ substantiæ communionem est idem Deus cum Patre, ita propter unitatem operationum, ac virtutis *spirandi*, sit cum illo idem fons, idemque principium. Non enim desunt Patres, qui Filium fontem, & caussam Spiritus sancti fatentur, ut Basilius, Athanasius, & Joannes Chrysostomus, de quibus supra. Adde Epiphanium Hæresi 96. & Cyrillum Alexandr. in Expositione Symboli Nicæni, qui diserte scribunt Spiritum Sanctum a Filio *profluere*; quem Filium etiam vocant *Fontem ex fonte*.

Falsum est etiam complures Patres negare Spiritum Sanctum habere extantiam *ex* Filio, quamquam nonnulli uti maluerunt particula διὰ, *per*, ut significarent Filium non esse principium absque principio, & fontem, cui non sit ab altero scaturigo. Ceterum ex Filio Spiritum Sanctum dixerunt Greg. Nyssenus hom. 3. super Pater noster, scribens: *Ex Filio procedit, quia proprius ejus est, quemadmodum & Patris*; Cyrillus in Epist. ad Nestorium, dicens: *Spiritus veritatis nominatur, & Christus est veritas, & ex eo profluit*. Et Epiphanius in Ancorato: *Ex quo procedit, & a quo accipit*. Maximus quoque in Epist. ad Marinum Cypri presbyterum docet *Etiam ex Filio Spiritum Sanctum procedere, & inter se consentire Patrum auctoritates*. Sed de his vide dissertationem Gennadii Scholarii sect. V.

Quod vero particula *Per* producentem caussam significet, constat. Etenim Gen. 4. legitur; *Possedi hominem per Deum*: Joan. I. *Omnia per ipsum facta sunt*. Et ad Colossens. I. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*. Audi præcitatum Gennadium sect. 2.: *Nonne per verbum* PER *caussam possumus intelligere, ubi dicit Sanctus Joannes Evangelista, Omnia per ipsum facta sunt? quis negaverit unquam hic dictionem* PER *esse caussam, & per eam Filium creaturarum caussam intelligi?* Quod vero idem denotet dictio *Per*, &, *Ex*, Basilius & Chrysostomus in Expositione Gen. sentiunt, ubi dicit Adam: *Possedi hominem per Deum*, ac si diceret, *Ex Deo*: unde alter in tractatu ad Amphilochium ita explanat, & dicit: *Jam vero secundum promiscuam significationem dictio* PER *transit sæpenumero in dictionem* Ex, *quia altera alterius significationem sibi vendicat, ut, Possedi hominem* PER *Deum, æque ac si diceret*, EX DEO. Alter vero 53. in Matt. homilia dicit: *Nam Scriptura solet*, PER QUEM *dicere*, EX Quo: *velut cum dicit: Possedi hominem per Deum, &c.* Sanctus quoque Cyrillus indiscriminatim has voces usurpat, nam in Epist. ad Theodosium scribit, *Christum natum esse* PER *Sanctam Deiparam Virginem*, & in Epist. ad Nestorium, *Natum*, inquit, Ex *muliere*, & rursus, PER *mulierem*, promiscue his propositionibus usus. Addit Gennadius citato loco, designari unum principium creaturarum omnium, per has propositiones *Ex*, *Per*, *In*, ad Galat. IV. 6. & per dictionem *Ex* significari Patrem, ut primum ac principalem: per dictionem *Per*, Filium, ut opificem; & per *In*, Spiritum Sanctum tamquam caussam rerum perfectivam: aliquando vero *Per* non dici de Patre, & *Ex* de Filio, ne Patri principalem caussam tollamus. Hæc ille.

Opp. 2. S. Joannes Damascenus lib. I. de Fide Orthodoxa cap. XI. ait: *Spiritum Sanctum & ex Patre esse statuimus, & Patris Spiritum appellamus. At vero eum non esse ex Filio dicimus: sed Filii Spiritum nominamus.*

Quidam respondent Damascenum Græcorum imbutum errore, atque in hac controversia ejus dimittendam esse auctoritatem. Nec tamen id in ipsius injuriam cedere, cum hæc quæstio octavo sæculo, quo floruit Damascenus, nondum ab Ecclesia fuerit definita. Hanc de præclarissimo viro suspicionem ortam puto ex Historia Synodi Aquisgranensis, quæ anno 809. celebrata est contra Joannem Monachum negantem Spiritum Sanctum a Filio procedere: quem Pithoeus, aliique perpauci Damascenum fuisse suspicantur. Sed cum Joannes, cujus caussa Aquisgranum Synodus coacta est, fuerit Hierosolymitanus; non debet absque gravissima, certissimaque ratione Damascenus notari. Itaque respondeo viguisse Damasceni ætate adhuc hæresim Macedonii, & Eunomii, qui docuerant Spiritum Sanctum esse ex Filio, tamquam ex primaria, & unica caussa *Creatrice*, ut facilius suaderent esse creaturam, non Patri, Filioque consubstantialem. Caute ergo adversus perniciosissimam hæresim pronunciat, Spiritum Sanctum esse Spiritum Filii, quomodo nominatur Spiritus Patris: sed non dici ex Filio, ne imperiti creaturam esse, & a solo Filio, tamquam a caussa principe productum opinarentur. Consulto autem ait S. Pater, Spiritum Sanctum *non dici ex Filio*, non vero, Spiritum Sanctum non *Esse ex Filio*. Aliud quippe est aliquid *Non dici*, aliud *Non esse*: quod apposito explicatur exemplo. Certe beata Virgo Maria Christipara est, ut appellatur etiam ab Ephesina Synodo: sed quoniam impius Nestorius hoc utebatur vocabulo, ut duas in Christo insinuaret personas, & verbum illud everteret, quo exprimitur beatissimam Virginem Deum peperisse; idem Damascenus cap. septimo ac septuagesimo scribit: *Christiparam Virginem Sanctam non dicimus*. Ita propter hæreticos, qui ex solo Filio Spiritum esse dicebant, ait Damascenus, *Spiritum ex Filio non dici*.

Resp. 2. cum Bessarione Orat. pro Un. Damascenum accepisse propositionem *Ex*, quatenus significat principium absque principio: quo sensu quidem Spiritus Sanctus *Ex* solo Patre dicendus est. Hanc responsionem amplectuntur fere omnes Theologi, & ex verbis, quæ cap. XI. laudato subnectuntur, possumus eam confirmare. Loquit enim Damascenus: *Quemadmodum videlicet ex sole est radius, & splendor, (ipse enim & radii & splendoris fons est,) per radium autem splendor nobis communicatur; atque ipse est, qui nos collustrat, & a nobis percipitur.* In quibus comparat Damascenus Patrem soli, Filium radio, Spiritum Sanctum splendori. At splendor est a sole, & radio: Ergo Spiritus Sanctus est a Patre, & a Filio. Vide cap. præced. prope finem.

Opp. 4. Theodoretus Spiritum Sanctum a Filio procedere, non solum aperte negat, sed etiam oppositam opinionem Cyrilli impiam ac blasphemam appellat. *Blasphemat*, inquit in Epist. ad Monasteria, *blasphemat & in Spiritum Sanctum, dum non ex Patre solo ipsum asserit procedere, sed ex Filio habere existentiam*. Habet similia in Confutatione IX. Anathematismi, ut hujus Capitis principio dictum est. Reponi solet, Theodoretum plus æquo partibus Nestorii contra Cyrillum fuisse patrocinatum; sed instant Adversarii in Ephesina Synodo lectum fuisse ac diligenter exa-

minatum Symbolum Nestorianum oblatum a Carisio Presbytero, & Œconomo Philadelphiensi, qui accusarunt de communione cum Nestorio Antonium & Jacobum Presbyteros, quod hæreticis conversis Symbolum istud tradiderint. Lectæ quoque fuerunt Confutationes Anathematismorum S. Cyrilli per Theodoretum conscriptæ. Utrobique vero Spiritum Sanctum a Filio non procedere continebatur. At neque Synodus Ephesina, neque ipse Cyrillus hac in parte Theodoreti scripta, aut Nestorianum Symbolum damnaverunt. Non ergo rejici debet dogma de Spiritus Sancti a solo Patre processione, traditum ac propugnatum a Theodoreto.

Responsio communis est, Theodoretum ab aliorum sententia in hoc puncto recessisse, ejusque auctoritatem nihil valere, præsertim cum ipsius scripta adversus Cyrillum quinta Synodus cap. XIII. & sexta cap. IX. proscripserint. Quod autem de recitato Symbolo Nestoriano, lectisque Confutationibus Anathematismorum Cyrilli additum est, solvitur a Theologis multipliciter. Et primo affirmant Theodoretum impiam blasphemamque dixisse eorum sententiam, qui arbitrantur Spiritum Sanctum *ex Filio*, aut *per Filium* existentiam habere: cum tamen Spiritum Sanctum per Filium procedere, & tradant communiter Patres, & canant solemniter Græcorum Ecclesiæ in Canone Theophanis in Pentecosten ode sexta, & ipsi Schismatici palam profiteantur. Deinde negant Ephesinam Synodum silentio hanc quæstionem prætermisisse. Approbavit enim Epistolam S. Cyrilli ad Nestorium, & alteram ad Orientales, quibus dogma de Processione Spiritus Sancti continetur; & consequenter etiam dogma istud Synodus universalis recepit. Præterea Nestorius asserebat Spiritum Sanctum a Filio extantiam non habere, ut eumdem Spiritum Sanctum, quem verum Deum profitebatur, a Christo faceret alienum. Cum ergo Synodus damnavit Nestorium, definivit simul Spiritum Sanctum non esse alienum a Filio, ab eoque procedere. Quod si hanc quæstionem ad caussam Nestorianam dixeris non pertinere, addent Theologi & istud; nempe Synodum Ephesinam, & Cyrillum ideo de processione Spiritus Sancti a solo Patre Theodoreti non reprobasse sententiam, quod de ea tunc principaliter non ageretur.

Hæc cum a doctissimis viris passim audiantur, non debent a nobis censoria virga notari. Probabilius tamen asserimus, nunquam Theodoretum negasse Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere. Primo quia neque a Cyrillo, neque ab ullo antiquo Scriptore legimus illum in hac parte reprehendi, quomodo factum novimus, cum videbatur adhærere Nestorianis: quibus ut dixit anathema, faustis acclamationibus a Chalcedonensis Concilii Patribus Catholicus & Orthodoxus Ecclesiæ Pastor fuit appellatus. Secundo quia ipse Theodoretus in Epist. ad Joannem Antiochenum protestatur se cum Cyrillo circa Spiritus Sancti personam concordem semper habuisse sententiam, & rectitudinem fidei, quæ tenet extantiam non habere *ex Filio & per Filium*, etiam in literis Cyrilli inspexisse: omnem vero inter se discrepantiam ortam ex falsa intelligentia verborum. Si ergo Cyrillus Spiritum Sanctum a Filio procedere apertissime docet, consentit cum eo Theodoretus, & is nomine extantiæ a Filio, non processionem, sed creationem accepit. Tertio quia cum Patres omnes disertissime tradiderint Spiritum Sanctum per Filium procedere; non est credibile Theodoretum id refutasse tamquam impium ac blasphemum. Quarto quia in Confutatione Anathematismorum Cyrilli totus est, ut execretur hæresim Apollinaris & Eunomii, & vicissim Cyrillus in suis responsionibus curat a se hujus hæresis depellere suspicionem: adeoque Theodoretus dixit hæreticum ac blasphemum asserere Spiritum Sanctum habere extantiam *per Filium*, quia prolatum id opinabatur a Cyrillo in sensu Eunomii, qui impie affirmaverat Spiritum Sanctum in genere rerum comprehendi, quæ a Filio creatæ sunt. Postremo quia in Exposit. Epist. ad Romanos cap. VIII. n. II. sic Theodoretus loquitur: *Sanctum Spiritum & Dei appellavit, & Christi; non quod, ut volunt heretici execrandi, ex Deo per Filium creatus sit, sed quia est ejusdem cum Patre, & Filio substantiæ: & ex Patre quidem procedit juxta Evangelicam doctrinam; ejus autem gratia iis qui digni sunt per Christum suppeditatur.*

Itaque ad argumentum resp. dist. ant. Negat Theodoretus Spiritum Sanctum habere extantiam ex Filio & per Filium, in sensu Eunomii, qui ea loquendi ratione Spiritum Sanctum creaturam esse affirmabat, negans esse Patri & Filio consubstantialem, concedo: in sensu Catholico, quo exprimitur origo Spiritus Sancti a Filio, salva unitate substantiæ, nego: *Spiritum Sanctum*, inquit Theod. in Epist. ad Joan. Antioch., *non ex Filio, aut per Filium existentiam habentem dicimus; sed ex Patre procedentem: proprium vero Filii, uti* CONSUBSTANTIALEM. Hinc Synodus Ephesina, & Cyrillus, qui optime Theodoreti verba, ac sensa perceperant, id non reprobamnt: & Cyrillus Anathematismos suos a nota hæreseos Eunomianæ sedulo vindicavit.

Opp. 5. Si Spiritus Sanctus a Patre, Filioque procederet, duo essent Spiritus Sancti principia; id autem absurdum est, quippe res una perit ab uno principio produci. Item Pater de se est principium sufficiens Spiritus Sancti: cur ergo aliud Spiritus Sancti principium statuitur? Rursus aut *Spirare* proprietas est personalis, aut essentialis: si essentialis, etiam ipsi Spiritui debet convenire: si personalis, necesse est, ut uni tantum personæ dicatur competere; nam proprietates personales nequeunt ad invicem communicari, alias Filio etiam ratio Ingeniti, ac paternitas convenirent, quod repugnat.

Resp. ad I. Patrem & Filium non duo esse Spiritus Sancti principia, sed unum: quomodo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus unum sunt principium rerum creatarum. Quippe principia non multiplicantur ratione personæ, aut suppositi; sed operationis & formæ: quapropter cum Pater, & Filius habeant camdem virtutem *Spirandi*, unum principium Spiritus Sancti dicuntur; quemadmodum tres simul personæ, quibus est eadem omnipotentia, & virtus creatrix, sunt unum principium creaturarum. Ad 2. nego *Suppositum*; siquidem virtus *Spirandi*, quæ est in Patre, est eadem omnino cum virtute spirandi, quæ est in Filio; unde dum Spiritus Sanctus est ab ambobus, est ab una dumtaxat virtute *Spirandi*, & ab uno principio. Præterea, quomodo non valet hæc argumentatio: Pater est sufficiens principium creationis, ergo neque Filius, neque Spiritus Sanctus principium creationis sunt; sed ratiocinandum est, Pater est Creator, ergo Creator est Filius, Creator Spiritus Sanctus, quia Filius & Spiritus Sanctus camdem habent omnipotentiam cum Patre: Ita non tenet ista; Pater sufficiens est Spiritus Sancti principium: Ergo Filius non est principium Spiritus Sancti, sed id potius consequitur, Spiritus Sanctus procedit a Patre, Ergo procedit etiam a Filio, cui omnia, quæ habet Pater, communia sunt, sola excepta paternitate. Ad ultimum sunt qui respondent, *Spirationem* esse proprietatem personalem; & falsum esse, quod personalis proprietas nequeat duabus convenire personis. Sed quoniam proprietates Personales proprie sunt, quæ singulæ singulis personis conveniunt, nimirum *Paternitas, Filiatio, & Processio*; dico quod *Spirare* non est proprietas personalis, neque essentialis, sed *Notionalis*. Sunt autem *notiones*, quibus divinarum Personarum distinctio nobis innotescit, non solum proprietates illæ tres, quas nunc memoravi, sed etiam *Innascibilitas*, & *Spiratio*: easque etiam Græci tenentur admittere. Nam & Patrem ingenitum profitentur, & Paternitatem dicere ad solum Filium originis relationem, ignorare non possunt. Ergo præter Paternitatem, quæ est proprietas personalis primæ Personæ, fateri debent aliam, quam nos cum Augustino in v. de Trinit. cap. 6. ampliori quadam significatione dicimus *Notionalem*. Atque hanc Pater Filio communicare debet, cum Filiationi relative non opponatur, neque sit illa proprietas, quæ constituit primam Personam in esse Patris.

CAPUT XIX.

Haud recte Latinos de corrupto Symbolo a Græcis redargui.

CONSTANTINOPOLITANI Concilii Patres, quibus Macedonii, & Eunomii hæresim cura ac studium fuit penitus extirpare, Spiritum Sanctum non esse creaturam definierunt; sed nondum exorta de Processione Spiritus Sancti a Filio quæstione, cum hæretici assererent illum ex solo Filio extantiam habere, addiderunt Symbolo hæc verba: *Qui a Patre procedit*; quibus execranda hæresis directe confoditur. Suborto postmodum Græcorum schismate addita est & particula *Filioque*: quam contra Ephesinæ Synodi statuta insertam Græci queruntur. Hanc eorum expostulationem repellendam suscipimus, quare sit

PROPOSITIO: Immerito Græci schismatis sui violatum Symbolum caussam prætexunt.

Florentina Synodus hanc propositionem adversus Fœdifragos, quorum caput olim fuerat Photius, tunc vero agmen ducebat Marcus Ephesius, in fidei definitione his verbis firmavit: *Definimus insuper explicationem verborum illorum*, FILIOQUE, *veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam*. Quod probatur. Ea est auctoritas, vigilantia, & consuetudo Ecclesiæ, ut novis erroribus emergentibus, si id sibi videbitur expedire, Catholicæ fidei professionem opponat, qua veritas Christianæ Religionis, accessione alicujus particulæ, non quidem contrariæ, & oppositæ, aut temere additæ, & a communi sensu abhorrentis, sed Scripturarum oraculis, ac Patrum traditionibus consonæ, a gliscente errore inviolata servetur. At appositio particulæ *Filioque* dogmati perfidiæ, quod negat Spiritum Sanctum procedere a Filio adversatur, & sacris literis, Sanctorumque doctrinæ concordat, ut præcedenti capite demonstravi. Istam ergo particulam symbolo inserere, jure, opportune, ac prudenter Ecclesia potuit, debuitque. Prob. major. I. Ratione; nam creditam sibi Fidem Catholica Ecclesia servare debet, tueri, & contra portas inferi communire: atque ut depositum servet, ne a Christi ovili humilis plebs abducatur, eam docere ac formare contra doctrinas varias & peregrinas. II. Probatur exemplis: nam Arianorum serpente hæresi Concilium Nicænum addidit symbolo Apostolorum vocem ὁμοούσιον, *Consubstantialem*. Exorta hæresi Macedoniana Constantinopolitani Patres inseruerunt Symbolo articulum de divi-

nitat

nitate Spiritus Sancti: *Et in Spiritum Sanctum dominum, & vivificantem, &c.* Atque adversus Eutychianam hæresim Synodus Chalcedonensis hæc Symbolo adjecit: *Consubstantialem Patri secundum divinitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem.* Quod ergo aliquando Ecclesiæ licitum fuit, cur non item liciat novo grassante errore? Quare violatum non est Nicænum symbolum a Patribus Concilii Constantinopolitani & Chalcedonensis, & a Latinis corruptum censetur symbolum Constantinopolitanum? Et cur additio particulæ *ὁμοούσιον* est antiquæ Fidei expositio, non altera, ac nova professio; accessio autem particulæ *Filioque* est alteram Fidem cudere, & professionem veterem violare?

Probatur 2. Contra præcipuum subterfugium Græcorum. Nullo Ecclesiæ decreto vetitum est ad Fidei professionem verbum aliquod adjungere. Immerito ergo insimulantur Latini de corrupto symbolo per additamentum particulæ *Filioque*. Ant. prob. Si id esset aliquo decreto vetitum, maxime Tertiæ, sive Ephesinæ Synodi, cujus parte 1. sess. 6. hæc definitio extat: *Alteram Fidem nemini liceat proferre, aut conscribere, aut componere, præter definitam a Sanctis Patribus, qui in Nicæna cum Spiritu Sancto congregati fuerunt.* Hac vero generalis Synodi definitione prohibetur Fides, aut Symbolum contrarium Nicæno, non autem ejus additamentum aut expositio: quod sequentibus momentis demonstratur. Primo: Exhibuit Charisius Ephesinis Patribus symbolum suum, quod non erat neque Nicænum, neque Constantinopolitanum, pium tamen & orthodoxum; ac deinde protulit symbolum Nestorianum, seu formulam Fidei Anastasii, & Photii discipulorum Nestorii: quibus lectis Sancta Synodus præfatam edidit definitionem, & damnavit Nestorianum symbolum contrarium Nicæno, non autem symbolum Charisii Nicæno consonum. Dum ergo vetat Synodus alteram Fidem proferri, aut conscribi, damnat solummodo symbolum Nicænæ Fidei contrarium; alias etiam symbolum Charisii improbasset. Præterea ex præmissa Synodi definitione, si quælibet vetita esset verborum additio facta symbolo, vetita esset additio facta symbolo Nicæno, quod solum commemorat; adeoque non liceret proferre & canere symbolum Constantinopolitanum, cui accessit articulus de divinitate Spiritus Sancti. Sed symbolum Constantinopolitanum ipsi Græci canunt ac proferunt, affirmantes istud in illo contineri virtute, & lecto uno intelligi alterum. Ergo non prohibuit Synodus Ephesina quamcunque verborum additionem, sed tantum *Fidei formulam alteram*, nempe Nicænæ Fidei contrariam. Tertio ut docent Legisperiti, lex ex fine Legislatoris explicanda est. Igitur cum initio Actionis legatur convenisse Patres Ephesinos, ut approbarent quæ cum Nicæno symbolo concordarent, & proscriberent quæ ipsi viderentur opposita; infertur statuta lege nihil prohiberi, præterquam Professionem Fidei symbolo Nicæno contrariam. Postremo Flavianus in Pseudo-Ephesina Synodo, cui tyrannice interfuit Eutyches, contra hujus hæresim addidit symbolo expositionem, scilicet, *Consubstantialem Patri secundum divinitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem.* Eutyches vero mutavit symbolum Nicænum, in quo duarum in Christo naturarum nulla fit mentio, clamavitque Flavianum contra decreta tertiæ Synodi Fidei formulam corrupisse. At Eusebius Dorylæi Episcopus instavit pro Flaviano, Eutychetem mentiri, & nullum esse Canonem, qui novam Fidei expositionem novis hæresibus emergentibus prohiberet. Tum Dioscorus pro Eutychete tulit sententiam, & Flavianus & Eusebius Episcopatu privati sunt. Hæc Pseudo-synodi acta cum legerentur Act. 1. Concilii Chalcedonensis dixerunt omnes Patres, *Ἀνάθεμα τῷ Διοσκόρῳ ὅτι κακῶς ἔκρινε, Anathema Dioscoro, quia male judicavit.* At si Ephesina Synodus decrevisset ne quid symbolo adderetur, recte Dioscorus dixisset sententiam contra Flavianum, cum in laudato Ephesino decreto definitum sit, ut qui *Fidem alteram* componunt, si Episcopi, aut Clerici sint, a Clericatu & Episcopatu arceantur. Ergo Ephesini Patres prohibuere duntaxat, ne *altera*, & veteri repugnans cudatur formula Fidei, non autem ne hæretico insurgente dogmate, cum ulla verborum accessione edi possit.

Ultimo probatur assertum. Si particula *Filioque* immerito esset symbolo inserta, id maxime, quod dogma de Processione Spiritus Sancti a Filio falsum esset, aut quia in aliis symboli verbis jam *virtualiter* continebatur. At neutro ex capite probatur hanc particulam temere superadditam. Etenim & Spiritus Sanctus procedit a Filio; & fas est ea inserere, quæ virtute in aliis sacris monumentis præcontinentur, quomodo plura addita sunt ad symbolum Apostolicum; & ad libros veteris Testamenti accesserunt libri Testamenti novi, ad unum Evangelii textum tres alii, ad hos vero Apostolicæ epistolæ; tametsi Fides Nicæna *virtualiter* præcontinebatur in symbolo Apostolorum, novum testamentum in veteri, postrema Evangelia in priori, & Apostolica documenta in parabolis, monitisque Evangelicis.

REFELLUNTUR OBJECTIONES.

At Græci opponunt 1. definitionem Synodi Ephesinæ, de qua supra in secundo Argumento. Deinde objiciunt decretum Concilii Chalcedonensis, quod recitato symbolo Nicæno, & Constantinopolitano, inquit: *Expositionem alteram nullus faciat. Sufficiunt, quæ exposita sunt. Alteram expositionem non licet fieri.* Sed respondetur Synodum Chalcedonensem sanxisse ne quis auctoritate privata novum symbolum conderet: quomodo Nestoriani, aliique hæretici facere consueverant, præsertim ubi nulla adesset necessitas, sicut tunc non erat in caussa Eutychetis: cujus error aperte a Synodo Nicæna damnatur, a qua Filius & Patri consubstantialis dicitur, & verus homo, ideoque duplici natura consistens. Neque ipsi Patres hac de caussa novum symbolum, ut Judices postulabant, edere voluerunt, quod nulla compelleret necessitas. Ceterum ipsi Patres affirmarunt symbolum cum aliqua additione rectæ Fidei consona non esse *alteram Fidem*, cum in Allocut. ad Imperat. contestati sunt expositionem Leonis Papæ non esse *alteram Fidem*, ut quidam obloquebantur, neque sanctissimum Romanum Pontificem Conciliorum Canones violasse. Vide sess. XI. Florent. Concilii, & argumentum penultimum Juliani S. R. Eccl. Cardinalis.

Tertio opponunt Cyrillum, qui in Epist. ad Joannem Antiochenum ait nemini licitum esse *Unam voculam Nicæni symboli immutare, aut unam etiam syllabam præterire.* Et ad Acacium Melitenensem de Ephesina Synodo scribens inquit hanc necessario providisse, ne aliam Fidei expositionem in Ecclesias quis auderet inferre præter eam, quæ jam extabat. Sed constat responsio ex dictis, Cyrillum hæc proferre adversus Nestorianos, quorum audaciam refrænans damnavit Ephesina Synodus symbolum Anastasii & Photii discipulorum Nestorii, opportune definiens ne quisquam pro lubitu Fidei professiones conscriberet & vulgaret, & eas proscribens, quæ Nicænæ quomodolibet opponebantur. Addit Christianus Lupus, Ecclesiam Romanam, ut docet S. Leo Ep. 55. ea sola confirmare, propter quæ Synodus congregatur, & de quibus a Romano Episcopo habet suffragium & mandatum. Quare cum Synodus Ephesina, de qua loquitur beatus Cyrillus, propter hæresim Nestorianam fuerit adunata, & decretum de non immutando symbolo ediderit contra Nestorianam professionem exhibitam a Charisio, hoc decretum ab Ecclesia receptum est propter quæ Synodus fuit congregata, videlicet propter audaciam Nestorianorum. Atque contra eosdem, qui Fidem contrariam Nicænæ profitebantur, & alteram ediderant professionem, scribit Cyrillus Alexandrinus: qui citata ad Joan. Antiochenum Epistola commendat summopere ejusdem Joannis, aliorumque Orientalium Episcoporum professionem, qui in symbolo se nihil additturos constantissime asseruerant; & tamen post hanc solemnem protestationem, non symbolum Nicænum, ut jacet, sed ampliorem Fidei Confessionem scripserunt. Quamobrem ubi Cyrillus ait licitum non esse *vel unam voculam* Nicænæ Fidei addere aut detrahere, loquitur de additione aut detractione, quæ symbolo sit contraria, non quæ Fidem orthodoxam exponat.

Quarto opponunt additionem hujus particulæ *Deipara* factam non esse symbolo a PP. Concilii Ephesini, quamvis apta esset contra hæresim Nestorianam. Neque hanc particulam addiderunt Patres Concilii Chalcedonensis, etiamsi Act. v. nonnulli exclamarent: *Addetur ad symbolum, S. Mariam esse Deiparam*; quippe noverant Patres prohiberi qualecunque additamentum, licet ad symboli fieret expositionem. At parum hæc urgent. Siquidem Beata Virgo Maria & Christipara est, & Deipara; peperit enim Christum Deum. Sed quoniam impius Nestorius Dei matrem esse negabat, eamque subdole appellabat *Christotocon*, & ex adverso Eutyches *Deiparam* nominabat, ut doceret peperisse Christum quantum ad divinam naturam; in symbolo neque *Deipara* nominata est, neque *Christipara*: non *Deipara* propter hæresim Eutychetis; non *Christipara* propter hæresim Nestorianam. Nec ad Fidei confessionem videbatur hæc particula necessaria; quandoquidem Christum esse Deum expresse continebatur in illo articulo, *Et in unum Dominum, &c.* & Virginem hanc Deum peperisse, satis explicabatur in altero, *Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est.* Si tamen Ephesini Patres hanc particulam addere voluissent, quomodo Nicæni inseruerunt *ὁμοούσιον*, nemo poterat id impedire.

Ulterius objectant Agathonis Papæ Epist. lectam ac probatam Act. IV. Synodi Sextæ, & alteram Vigilii ad Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum, necnon Septimæ Synodi definitionem; quæ omnia prohibent, ne quid symbolo addatur, vel minuatur. At hæc eodem modo explicanda sunt, scilicet de additione Fidei contraria, ob quam sive dogma de duplici in Christo voluntate propugnatum ab Agathone, sive fides de futura corporum resurrectione asserta a Vigilio posset quoquo modo elevari. Etenim Agatho symbolum & ipse conscripsit, in quo plura extant præter Nicænum, ut constat ex Septima Florentini Concilii sessione: adeoque additionem quamcumque vetare ipse non poterat. Articulus vero de futura resurrectione,

quem Vigilius jubet, ne ullatenus immutetur, jam in symbolo Constantinopolitano Act. v. Chalcedonensis probato erat sufficienter expressus. Est ergo additio, ut jamdudum Theologi tradiderunt, triplicis generis: una quando additur contrarium, & est crimen hæreseos; altera quando additur diversum ac disparatum, & temeritatis nota est: tertia quando additur consonum, & hujusmodi additio est expositio veritatis. Hanc vero, uti id videbitur expedire, potest ubique Ecclesia universalis apponere.

Objiciunt ultimo. Leonem III. noluisse hujus particulæ *Filioque* additionem anno 809. ulla ratione probare, quamvis id postularent Legati Synodi Aquisgranensis. Imo ut se antiquitatis custodem ostenderet, jussit duobus scutis argenteis Symbolum Græcis, Latinisque literis inscribi absque tali additamento, & in Confessione S. Petri pro cautela Orthodoxæ Fidei locari. Idem jussit fieri in Confessione S. Pauli in scuto argenti purissimi, ut refert Photius in Epist. ad Patriarcham Aquilejensem, & colligitur ex Anast. Biblioth. Rom. edit. pag. 305. Etsi Anastasius Symbolum absque particula *Filioque* scriptum fuisse non tradit, neque ad Ecclesiæ valvas locata scuta ante omnium conspectum, quomodo scribit Photius; rei tamen gestæ historiam veram esse fatemur. At Leo jure merito se antiquitatis tenacissimum præbuit, restititque Legatis Aquisgranensibus, ne quilibet privata auctoritate, & absque Romani Pontificis, & universalis Ecclesiæ consensu, addere symbolo vel minimam dictionem præsumeret. Tamen, ut inquit Cl. Pagius, & constat ex Collatione Legationis Aquisgranensium apud Baronium an. 809. & Sirmundum tom. 2. Conc. Galliæ, Leo III. non prohibuit absolute ut symbolum cum tali additamento non caneretur, quod fecisset utique, si illicitum esset, & contra Ecclesiasticos Canones; sed rogavit tantummodo, ut consuetudo illam vocem cantandi in Regia capella intermitteretur, ratus fore, ut morem Palatii universa sequeretur Francia. Jam vero tale additamentum factum non est privata auctoritate, aut solo approbante Provinciali Concilio, sed definiente Generali Synodo Florentina, & annuente Pontifice.

APPENDIX.

Quærunt Historici, quo tempore additio particulæ *Filioque* primum facta sit. Manuel Calecas, & Genebrardus hujus additionis auctorem faciunt Damasum. S. Antoninus, & Sisinnius Patriarcha Constantinopolitanus illam tribuunt Nicolao I. & contigisse putant circa annum 858. Julianus Cardinalis, & Andreas Colossensis tenent hanc particulam insertam a Synodo Septima Generali anno 787. Horum sententiam amplectitur Baronius. I. quia Julianus Cardinalis sess. v. Conc. Flor. exhibuit vetustissimum Codicem exaratum ante exortam de Processione Spiritus Sancti inter Latinos & Græcos controversiam, quam proinde suspicari non possumus fuisse corruptum. II. Quia reperitur hæc particula etiam in versione ejus Concilii Anastasii Bibliothecarii ad Joannem VIII. conscripta, & in antiquissimo Græco textu. III. Quia constat ex libro dicto *Capitulare adversus Nicænam Synodum* misso a Carolo Magno per Engilbertum, Tharasium ab Adversario fuisse reprehensum, quod non dixerit *A Patre, Filioque*, secundum Nicæni symboli fidem. Attamen propter ea, quæ narrata sunt de Leone III. gravis oritur suspicio, num a Juliano Cardinali optimæ notæ Codex productus fuerit. Quin & negant aliqui mentionem hujus particulæ fieri apud Anastasium Bibliothecarium, uti revera nec nos invenimus. Vereor, ne pro Symbolo 2. Nicænæ Synodi Scriptores præfati memorare voluerint sermonem S. Athanasii de Passione Imaginis J. Ch. in Syriæ Civitate Beryto, qui habetur Act. IV. ejusdem Synodi, & in quo extant hæc verba: *Unus Spiritus Sanctus ab utroque procedens, per quem veraciter nos credimus esse salvandos*. Verum & hæc verba tam in Græco Conciliorum Codice, quam in Græca Operum Athanasii editione desiderantur, & videntur mihi a Latino Interprete superaddita. Nisi mavis abrasa a Græcis, quomodo in Epistola Synodali Agathonis factum esse de consimili textu credidit Severinus Binius.

Inter hæc incerta penitus, & nondum satis explorata, id unum compertum est, particulam *Filioque* apud Hispanos obtinuisse vertente sæculo sexto. Reperitur enim in Toletano III. Concilio celebrato an. 589. in IV. an. 633. atque deinceps in aliis. In Galliis autem, & in Germania receptam arbitramur post Synodum Aquisgrani, de qua supra. Sed quo præcise tempore Romana & universalis Ecclesia hanc additionem probaverit, potius doceri volumus, quam temere definire.

CAPUT XX.

Quo sensu Filius & Spiritus Sanctus dicantur Missi.

MISSIONEM divinarum Personarum duo importare concordissime docent Theologi, Idest, unius Personæ æternam ab altera processionem, & temporalem aliquem effectum, qui præsertim ad ordinem gratiæ pertineat. Non enim in Deo locum habet *missio*, quæ dicitur per imperium, qualis ea est qua Dominus mittit famulum; nec etiam ea quæ appellatur per consilium, qua Consiliarii & administri Regem dicuntur mittere ad bellum: nisi mandatum, consiliumque accipiatur pro ipsa persona mittente, quæ sua voluntas est, &, si de Verbo loquamur, titulo quodam peculiari ratio & βούλημα Patris; aut, nisi consilium præceptumve appellet supra Personam, ut inferiori natura circumdatam, uti est Filius, qui pro humani generis reparatione carnem assumpsit. Verum enimvero dare mandata alicui superioris est: consilium autem alterius sequi, aut spectare, rerum exitum timentis, vel ignorantis. Hujus ergo generis *Missionem* a Deo removendam esse concordi sensu arbitramur: at de ea, quam principio descripsimus, paulisper est disceptandum.

PROPOSITIO I. Pater neque a Filio, neque a Spiritu Sancto mittitur.

Breviter probatur S. P. Augustini auctoritate & ratione. Ait S. P. lib. contra serm. Arian. cap. 4. *Solus Pater non legitur missus, quoniam solus non habet auctorem, a quo genitus sit, vel a quo procedat. Non enim splendor, aut fervor ignem; sed ignis mittit sive splendorem, sive fervorem.* Quibus verbis etiam Theologica ratio monstratur: quippe Persona, quæ mittitur, dicit processionem & originem *a mittente:* Pater non habet originem, nec procedit ab alia persona: Ergo Pater a nulla alia persona mittitur.

PROPOSITIO II. Filius potest dici Missus, ratione humanæ naturæ, ad homines redimendos.

Et hæc propositio breviter demonstratur. Ad Galat. IV. 4. legitur: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*. Et Joan. X. 36. *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum*. His verbis declaratur Patrem misisse Filium suum factum ex muliere. Quod autem etiam a Spiritu Sancto Filius missus fuerit, ipse Christus id affirmat Lucæ IV. 18. exponens de seipso verba Isaiæ 61. *Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me*. Accedit & ratio. Etenim Filius a Patre genitus est, ab eoque una cum aliis personis est Incarnatio efficienter peracta: Ergo in Filio adinvenitur origo æterna a Deo Patre, & efficientia temporalis; in quibus, ut diximus, sita est vera ratio *Missionis*.

Quantum vero ad Spiritum Sanctum pertinet, levis oritur difficultas, quomodo ab eo Filius dicatur *Missus*, cum Filius a Spiritu non procedat. At licet non procedat quantum ad Personam divinamque naturam, tamen etiam a Spiritu ejus humanitas perfecta est, cum sit Christus Jesus totius Trinitatis operatione plasmatus; adeoque in eo quod spectat ad naturam humanam, Filius etiam a Spiritu Sancto accepit ut esset. Fortasse dicturus es: hoc modo etiam Filius, & Spiritus Sanctus *Mittuntur* a seipsis. Recte quidem loqueris, & cum Augustino, qui lib. II. de Trinit. cap. 5. *Pater invisibilis*, inquit, *una cum Filio secum invisibili eumdem Filium visibilem faciendo, misisse eum dictus est*: quæ subinde etiam de Spiritu Sancto magnus Augustinus declarat, a quo pariter creaturæ species facta est, quando veluti Columba descendit.

PROPOSITIO III. Spiritus Sanctus mittitur a Patre & Filio.

Et hæc probatur breviter & summatim. Primo ex Scripturis: Joan. XIV. 26. habetur: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*; & XVI. 7. *Si autem abiero, mittam eum ad vos*. Deinde ratione: Spiritus enim Sanctus procedit a Patre, & Filio: ideoque habemus originem & processionem, quæ primo ad *Missionem* requiritur. Est præterea effectus productus in tempore, qui aut Spiritus Sancti ejusque præsentiæ signum & vestigium est singulare; ut species Columbæ, & dispertitæ super Apostolos linguæ: aut Spiritui Sancto titulo particulari tribuitur, ut animarum sanctificatio, & caritas, quæ in cordibus nostris eo operante diffunditur.

Consequitur autem ex dictis primo *Missionem* duabus tantum convenire personis; Filio, qui a Patre & Spiritu Sancto ad reparandum humanum genus missus dicitur: ita tamen, ut a Spiritu Sancto missus sit, quatenus Mittens idem est, ac producens effectum, vel prout *large* accipitur missio pro temporali efficientia, sive plasmatione Dominici Corporis & productione humanitatis; non vero pro sempiterna divinarum personarum origine. Pro qua vicissim si *Missionem* acceperis, etiam æterna Filii a Patre Nativitas, & Processio Spiritus Sancti ab utroque, *Missio* appellari potest; neque desunt exempla Græcorum Patrum, qui processionem illam æternam identidem dixerunt ἔκπεμψιν, idest, *Emissionem*. Quare *Missio* proprie sumpta, ut originem effectumque significat, est Filii qui mittitur a Patre, & Spiritus Sancti qui mittitur a Patre & Filio. Sequitur præterea *Missionem* posse dici simul & æternam, & in tempore: æternam, ut Scholæ utar vocabulo, secundum *habitudinem* ad principium; atque in tempore secundum *habitudinem* ad effectum. Insuper liquet ex dictis, *Missionem* aliam esse visibilem, aliam invisibilem: quod ex qualitate effectuum potest quisque dignoscere. Etenim quando E. G. Christus in Bethlehem natus est, aut Spiritus Sanctus corporali specie descendit, facta est visibilis *Missio*: quando autem caritas

caritas

ritas in cordibus nostris diffunditur, *Missio* peragitur invisibilis. Una autem cum caritate, & sanctificationis gratia etiam Spiritus Sancti Personam dari & mitti, liquido confirmavi cap. XIV. in Confutatione argumentorum ex libro Wolzogenii de Tribus in una Deitate Personis.

Adversus prædicta hæc obstare videntur. Infertur ex *Missione* unius personæ ab alia in Trinitate inæqualitas: neque enim hæreticorum disputationi satis occurritur, si *Missionem* explicemus de sola personarum origine, & de externa illarum efficientia. Quod enim conjunctum est in aliquo corpore ab alia ejusdem corporis parte mitti non potest, nisi forte scindatur ac divellatur; ideoque si Spiritus Sanctus mittitur a Patre & Filio, necesse est, ut separetur ab utriusque divinitate. Insuper Christus Dominus Joann. XX. 21. ita discipulos allocutus est: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos:* Ergo quemadmodum discipuli minores sunt Christo, quia ab ipso missi, ita & Filius minor erit Patre, quia a Patre se fuisse missum testatur.

Resp. nego *Missionem* indicium esse inæqualitatis, aut separationis Personarum, etiamsi *Missio* Filii in mundum, cum habeat externam efficientiam, quæ est assumptio naturæ humanæ, inferat in eo præter divinam substantiam, qua est Patri *Omoousios*, etiam naturam alteram, secundum quam ei subjicitur; ut diximus capite XII. *Missio* ergo importat tantummodo externam alicujus effectus productionem, æternamque unius Personæ originem ab alia, quæ illam mittit. Neque oppositum probat exemplum corporum, tametsi non videatur prorsus inusitatum dicere mitti ab homine manum aut pedem. Verum id, quod in aliquo corpore est conjunctum, icciro non mittitur, quoniam corpora localiter moventur, & si una pars amoveatur ab alia, non erunt amplius in eodem corpore copulatæ. In divina autem *Missione* Persona, quæ mittitur, neque simili ratione movetur, neque loco, aut natura sejungitur a mittente. In cap. Joannis XX. habet Græcus codex καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ πατήρ: *Sicut misit me Pater.* Et particulam καθὼς non esse semper notam æqualitatis ostendimus cap. XI. Eorum ergo verborum sensus est: *Ea vos caritate diligo, cum inter scandala persecutorum mitto, qua me caritate Pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit*; ut inquit Homilia sexta ac vicesima in Evangelia Sanctus Gregorius.

Potest rursus sic objici: Si Filius dicitur missus etiam a Spiritu Sancto, ut inquit Propheta: *Et nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus*: & nos affirmavimus 2. proposit. infirmum erit argumentum, quo adversus Græcos cap. XVII. conati sumus probare Spiritum Sanctum procedere etiam a Filio, quoniam ab ipso mittitur. Instabunt enim Græci: Filius missus est a Spiritu sancto, nec tamen Filius a Spiritu Sancto procedit: Ergo Spiritus Sanctus mitti potest a Filio, licet a Filio nequaquam Spiritus ipse procedat. Quod si respondeamus Filium fuisse missum a Spiritu Sancto, in quantum in Christi Incarnatione inseparabilis operatio Trinitatis agnoscitur, uti loquitur in Fidei professione XI. Synodus Toletana: poterunt & Græci respondere, Spiritum Sanctum missum fuisse a Filio, quatenus externa illa species, qua Spiritus Sanctus apparuit, a tota simul Trinitate producta est.

Resp. Firmissimum esse validissimumque argumentum prædictum, quo utuntur Patres eodem cap. XVII. citati, & Theologi omnes, qui de Processione Spiritus Sancti pertractant adversus Græcos; nec posse illud hoc leviori momento perfringi. Fatemur enim Personam mitti etiam ab alia, a qua non procedit, imo & a semetipsa, si *Missio* accipiatur *large*, atque pro externa duntaxat efficientia, ut docent Augustinus 2. de Trinit. cap. 5. & lib. 15. cap. 19. necnon Magister sententiarum Dist. 15. & S. Thomas q. 43. art. 8. At si *Missio* sumatur *rigorose*, proprieque, utrumque simul requirit æternam processionem, & æternum effectum. Hæc duo in *Missione* Spiritus Sancti a Filio memorata cap. XVI. Joannis manifestissime comprehenduntur. Et de externa efficientia, vel ea sit visibilis species linguarum, vel invisibilis affluentia donorum, conspirant nobiscum Adversarii. Æternam vero processionem Personæ ibidem significari constat, quoniam præter externum effectum etiam vera & realis Spiritus Sancti Persona a Filio mittitur. Id cap. 14. ex pronominis enallage, ex præpositione Articuli, aliisque certis regulis adversus Faustum Socinum demonstravi, eodemque cap. XVII. nonnulla addidi. Quapropter neganda est consequentia hujus postremæ argumentationis: nam Filius missus est a Spiritu Sancto *Missione* illa *large* sumpta, quæ ad solam Incarnationis operam refertur, non ad Filii personam; & e contra Spiritus Sanctus mittitur a Filio *Missione* proprie accepta, quæ respicit cum externam efficientiam inseparabilis Trinitatis, tum etiam subsistentem personam procedentem a Filio.

Si nunc exquiras, quomodo species Columbæ dicatur *Missio* Spiritus Sancti, quando tres personæ illam inseparabiliter effecerunt; respondet Magnus Augustinus in lib. IV. de Trinit. cap. 21. *Quemadmodum cum memoriam meam & intellectum & voluntatem nomino, singula quidem nomina ad res singulas referuntur, sed tamen ab omnibus tribus singula facta sunt; nullum enim horum trium nominum est, quod non & memoria, & intellectus, & voluntas mea simul operata sunt. Ita Trinitas simul operata est & vocem Patris, & carnem Filii, & Columbam Spiritus Sancti, cum ad singulas personas hæc singula referantur.* Potuit ergo Columbæ species esse signum Spiritus Sancti, licet totius Trinitatis esset effectus; quemadmodum vox, quæ intonuit in Christi baptismate, referri ad Patrem, & Incarnatio spectare tantummodo ad Filium, etiamsi exterior Trinitatis operatio sit penitus inseparabilis. Atque hæc de *Missione*, ne disputatio ultra quam satis sit, protrahatur.

CAPUT XXI.

De Græcis Latinisque vocabulis, quorum disputantibus de Trinitate frequens est usus.

AD extremum libri hujus Polemici perventum est, dummodo voces quædam crebro repetitæ, Patrumque usu probatæ explicentur: in quibus rectum ordinem tenebimus, si quæ communes sunt pluribus, priorem locum obtineant, postea vero sequantur, quæ uni tribuuntur personæ. Communes ergo sunt,

I. Οὐσία *Usia*: idem significat ac τὸ ὄν, *Quod est*, vel τὸ τί ἦν εἶναι, quod respondetur sciscitanti quid sit res. Sit exemplum: interrogas quid sit homo, & respondemus substantiam esse corpore animoque præditam: est ergo hominis οὐσία esse substantiam corpoream simul & rationalem. Sabelliani, qui pluralitatem personarum negabant, οὐσίαν putabant idem esse ac personam, Deumque Trinum appellabant μονοούσιον, idest, unius *Usiæ*, ac Patris Filium ταυτοούσιον, idest ipsiusmet *Usiæ*. Quamobrem etsi revera Deus est μονοούσιος, ἢ λόγῳ ταυτοούσιος, erant hæc nomina in ore Sabellianorum blasphemiæ. Plura de hoc nomine cap. 13. Post exortam Arianam hæresim, quæ ex adverso negabat in Deo Trino unitatem naturæ, & fatebatur pluralitatem personarum, dixerunt nonnulli Filium esse γεννητὴν οὐσίαν, genitam usiam, hoc vocabulum usurpantes pro persona, quæ habet cum aliis eamdem essentiam. Respondet ergo Græcum nomen *Usia* Latino *Essentia*, quam indiscriminatim *Essentiam*, *naturam*, & *substantiam* dicimus: ideoque recepta post Nicænam Synodum consuetudine, ut docet S. P. Augustinus lib. V. de Trin. cap. 9. non audemus dicere neque tres *Usias*, neque tres *Essentias*, neque tres *Substantias*.

II. Natum hinc vocabulum Ὁμοούσιος, *Consubstantialis*, nec non ὁμοιούσιος, *Substantia similis*: quæ non unum sensum patiuntur. Nam olim Platonici dicebant esse *Omoousios* Deos, stellas, homines, & quæcunque ejusdem speciei sunt, sed eamdem naturam inter se individua proprietate scindunt ac dividunt. Quo sensu Filium aut Spiritum Sanctum esse Patri *Omoousios* negabant inculpate ante Nicænam Synodum nonnulli Patres. Caussa tamen ventilata, & apposita cautione, quod ὁμοούσιον propria ac nativa significatione demonstrat id quod est *Consubstantiale* alteri, nec ullatenus significat partitionem substantiæ: nequit hoc vocabulum rejici, nisi a pestilentissimis Arianis. Callide hi substituerant ὁμοιούσιον, quod similitudo versetur etiam inter plura, quorum non est una essentia: quia tamen Patri non potest similis esse persona non habens eamdem divinitatem, (nulla enim creatura potest esse perfecte similis Deo,) etiam ὁμοιούσιον aliqui Catholici probaverunt.

III. Ut fecit imbecillitas intellectionis humanæ plures in eadem re distinctiones, ita in *Essentia* aliud esse cogitat quod est, aliud principium quo est, aliud modum quo est: primum dicitur a Græcis οὐσία, secundum φύσις, tertium ὕπαρξις, respondentque Latinorum *essentia*, *natura*, *existentia*. Atque de Essentia dictum nuper. Φύσις vero, hoc est *natura*, dicitur a φύω, *gigno*, *pario*, *nascor*; unde spectata sola nominis etymologia φύσις significare potest etiam personam, quemadmodum & οὐσία. Dicitur propterea a Nazianzeno apud Petavium lib. IV. cap. 2. Filius φύσει γεννήτορος ἴσον, *Natura æqualis Genitori*. Ὕπαρξις primaria notio *Existentiam* designat; derivatur autem ab ὑπάρχω, quod est *sum*, aut *existo*. Aliquando tamen peculiarem existendi modum, seu proprietatem denotat personarum.

IV. Sequitur ὑπόστασις ab ὑπὸ, *sub*, & ἵστημι, *sto*. Est ergo *hypostasis* ὑφιστάμενον νοερόν, *res per se subsistens & intelligens*: designatque proprie personam, nec recte enunciatur de rebus destitutis mente & ratione: etiamsi conveniat illis ad differentiam accidentium substantiæ vocabulum. Hypostasim Latini dicunt *Subsistentiam*. Est autem diligenter notandum veteres usurpasse nomen *Hypostaseos* ad significandam substantiam sua existentia præditam, non abstractam subsistentiam: quam significationem probat etiam allata etymologia. Neque id soli antiqui Philosophi tradiderunt, ut demonstrant Curcellæus & Clericus, quorum vix ullam rationem arbitror esse habendam; sed Irenæus, Dionysius Romanus, Patres Sardicenses, aliique apud Petavium lib. IV. cap. 1. qui *Hypostasim* nulla alia ratione ab essentia distinguunt, nisi prout etiam subsistendi modum comprehendit. Cum ergo substantia una in

tribus

tribus personis sit, nil mirum si complures antiqui unam in Patre & Filio dixerunt *Hypostasim*, & Latini Patres, inter quos etiam Hieronymus, & Augustinus, aliquando tres *Hypostases* dicere detrectarunt. At si *Hypostasim* pro relativa subsistentia & persona, quæ per eam constituitur, accipiamus, æquum est tres *Hypostases* nominare. Et quoniam hac significatione *Hypostasim* usurparunt Constantinopolitanum primum, & Œcumenicum secundum Concilium, Chalcedonense, & quintum, & sextum, & Patres, ac Theologi propemodum infiniti; recedendum est ab antiquiori consuetudine, & unius *Usiæ*, trium vero *Hypostaseon* confessio tenenda est. Ex quibus constat controversias omnes circa *Hypostaseos* unitatem, aut pluralitatem, esse a vocis ambiguitate derivatas. Inter Criticos, qui contendunt *Hypostasim* antiquioribus idem fuisse ac *Usiam*, & alios qui sustinent semper significasse personam, nos medium iter ingredimur. Addit revera *Hypostasis* ad *Usiam* subsistentiam; sed subsistentiæ, ut explicabimus lib. ix. cap. 6. duo distinguenda sunt munera, id est, reddere rem perfecte subsistentem, & illam ita definire, ut sit alteri incommunicabilis. Itaque si contendas cum Bullo, Clerico, & pluribus etiam Catholicis semper *Hypostasim* significare apud veteres Essentiam præditam subsistentia; dicam id falsum esse accepta subsistentia prout reddit naturam incommunicabilem, constituitque personam: & ratio est apertissima, quoniam antiqui Patres confitebantur tres esse personas unius *Hypostasis*: ergo nomen *Hypostasis* non intelligebant proprietatem personalem, & peculiare munus subsistentiæ. Quod si velis e contra *Hypostasim* apud veteres idem fuisse cum Essentia & *Usia*, ut scribit Hieronymus Epist. 57. ad Damasum; dicam id falsum esse de *Usia*, prout excludit omnimode subsistentiam, ac primum munus illius, quod est naturam complere & reddere subsistentem: quod vel ipsum nomen *Hypostasis* non obscure demonstrat. E contra verum erit quod scribit Hieronymus, quia revera antiqui nomine *Hypostasis* designabant *Usiam*: & verum simul erit quod recentiores Critici contendunt: quia revera *Hypostasis* significat apud omnes *Usiam*, non utcunque, sed subsistentem. Brevi dicam: Qui unam *Hypostasim* affirmaverunt, *Usiam*, & subsistentiam absolutam hoc nomine designarunt: qui tres *Hypostases*; Usiam & subsistentias tres relativas. Hæc autem ego, ad componendas eruditorum virorum circa significationem *Hypostaseos* graves, dissentaneasque conjecturas.

V. *Persona* vocabulum non substantiam, sed qualitatem solam demonstrare apud Latinos Scriptores, quidam falso dixerunt: quos refellere possumus multorum auctoritate. Sed unus sufficiat Cicero, apud quem stat incorrupta Latini sermonis integritas. Is Ep. 48. *Cæsar*, inquit, *nunquam nisi honorificentissime Pompejum appellat, at in ejus persona multa fecit asperius*: aliaque sunt exempla in Thesauro Nizolii. Originem tamen nominis haud male Boetius repetit ab histrionibus, quos Græci vocant πρόσωπα, quod vultum obtegant. Est enim πρόσωπον *facies*, & pars vultus proxima oculis, quomodo docent nos Græci. Personam vero esse *Rationalis naturæ individuam substantiam*, Philosophi tradunt; in qua definitione *Individua substantia* dicitur, quæ constat communi essentia, & certa proprietate, quæ non potest alteri convenire. Hanc autem proprietatem sola mente nostra distinctam ab essentia dicimus in prima Trinitatis persona *Paternitatem*, in altera *Filiationem*, in tertia denique esse *Spiratum*. Quæ omnia aut in superioribus fuerunt explicata, aut, si quid remanet dilucidandum, perspicuum erit in eo, qui ad proximum librum consequetur. Atque ita communibus vocabulis expositis, propria singularum personarum, quæ Græci appellant τὰς τῶν τριῶν ὑποστάσεων, jam persequor.

VI. Itaque personalis primæ Personæ proprietas est *esse Patrem*, & peculiare nomen ipsius, nomen *Patris*: quod, dum idem est ac procreator & sator, aut alter filiorum, convenit ceteris quoque personis, & nomen πατὴρ est a πάω, *pasco*, curamque gero natorum; sed ut significat *Parentem* ac generatorem, & derivatur a *Pariundo*, respondetque Græco γενέτης, *A quo partus nascitur*, singulare est Patris, a quo æternus Filius gignitur, & substantialiter nascitur. Appellatur apud Patres *Ingenitus*, *Principium*, *Caussa*, *Auctor*, & *Fons* totius Trinitatis.

VII. *Ingeniti* vocabulum, græce ἀγένητος non geminata media consona ν significat *non productum*; est enim a γίγνομαι, *fio*; unde est unaquæque persona ἀγένητα, id est, *Non facta*. Ea litera autem duplicata, est a γεννάω, *gigno*, ideoque significat *non genitum*: ut dixi cap. xvi. ad ultim. Addidi ibidem Spiritum Sanctum esse ἀγένητον, non ἀγέννητον, nec male. Si dicas, cur non est ἀγέννητος, *Ingenitus*, si non est genitus? Quoniam scilicet Spiritus Sanctus licet non sit generatione, habet tamen principium: & nomen *Ingeniti* & personam significat, quæ non est genita, & quæ non est procedens a Genitore; quemadmodum nomen *Geniti* eam designat, quæ generata est, & procedit a Patre. Itaque Spiritus Sanctus, qui potest appellari ἀγέννητος in quantum non est *Genitus*, sed non in quantum a Genitore non procedit, cum ab eo procedat reapse, *Ingeniti* nomen non habet: quod utroque titulo remanet Patri, & quia ipse nequit esse genitus, & quia non potest ab alio Patre procedere.

VIII. Ob eamdem caussam appellatur *Principium*, *Auctor*, *Fons*, *Caussa*, Græce ἀρχὴ, πηγὴ, αἰτία; nam αὐθέντην Græci in divinis perraro, vel nunquam dicunt, quod hoc nomine is designetur, qui ceteros jure ac dignitate antecedit. Ut illi a nomine *Auctoris*, ita Latini a nomine *Caussæ* abstinent, cui inesse putant vim significandi non qualecunque principium, sed illud a quo producitur effectus natura alius. Atque hinc est, quod Patrem appellant principium Filii, & Deum caussam creaturarum. Quam *Caussæ* significationem non habet Græca vox αἰτία; adeoque Patrem *Caussam* Filii vocant Græci sæpissime. Si vero Latini quidam *Caussam* interdum dixerunt, ut Augustinus lib. 83. Quæst. 16. Græcorum morem secuti sunt; quomodo & Græci Latinorum, si aliquando negant Patrem esse *Caussam* Filii; sed sunt hæc exempla rarissima. *Auctoris* autem nomen Cicero ad Att. 118. accepit pro duce ac principe, alibi pro architecto, aut præfecto: & Livius lib. 4. dec. 4. & idem Cicero, pro tutore, & actore, idque non semel. Hoc ergo sensu Patrem *Auctorem* Filii non dicimus; ut docet lib. 3. contra Max. cap. 14. S. Augustinus, & S. Thomas in 1. sent. dist. 29. q. 1. art. 1. Sed *Auctor* idem quoque est Latinis, ac *Principium*, & *Genitor*, ut ibidem Augustinus, & Hilarius in 9. de Trinitate observarunt: atque hac significatione Patrem *Auctorem* Filii credimus & profitemur. Igitur hæc omnia, *Principium*, *Fons*, *Caussa*, *Auctor*, & si quæ sunt his similia, dicuntur de Patre, quatenus est Filii, & Spiritus Sancti origo prima, quæ a nulla alia persona procedit.

IX. Secunda autem Persona passim vocatur *Filius*, *Verbum*, *Imago Patris*, *Splendor*, *Character*, *Sapientia*; Græce υἱὸς, λόγος, εἰκὼν τοῦ πατρὸς, ἀπαύγασμα, χαρακτὴρ, σοφία: quorum tria magis propria videntur, & reliqua appellativa. Et *Filius* quidem ex Græco φύω, id est, *Gigno*, vel *Nascor*, υἱὸς, aut κυὸς a κυέω, vel κύω, hoc est, *Gesto in utero*, demonstrat personam genitam, natam, & e sinu genitoris prodeuntem. *Verbum* autem, vel λόγος, hunc Filium non gigni externa productione fetus, & decisione, neque nasci avulsum ab utero, quomodo mortalium filii: sed in sinu Patris commorari; uti mentis nostræ verbum a mente, quæ illud concipit, non divellitur. Quare vocatur a Joanne cap. 1. λόγος πρὸς τὸν Θεὸν, *Verbum apud Deum*; & infra v. 18. μονογενὴς υἱὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris*. Noto haberi hic in Græco cum præpositione εἰς, *In*, accusativum κόλπον, *Sinum*: quod monstrat Filium esse Patri maxime intimum. Dicitur etiam λόγος, quasi *Ratio*, & *definitio*, quoniam non solum comparatur ad Patrem, ut genitus ad generantem; sed etiam ad omnia, quæ facta sunt, ut *Ratio* & *idea* opificis ad effecta. Etiam *Verbum Patris* Filius appellatus est, quod Sermo nunciat occultas mentis cogitationes, & invisibilis Pater per Verbum nobis manifestatus sit: unde ait citato loco Joannes: *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Imago non tantum appellatur, quod referatur ad Patrem, & sit ei similis in natura; id enim convenit etiam Spiritui Sancto; sed quia refertur ad Patrem solum, eumque repræsentat proprissimo Filii charactere, cujus primaria notio est esse Patris imaginem, ab eoque procedere in similitudinem naturæ.

X. Alia autem nomina appellativa esse liquet; nam *Sapientia* primario significat perfectionem absolutam, ut veritas, magnitudo, potentia, & cetera ejusmodi, quæ singulis personis conveniunt. Esse *characterem* & signaculum Patris & Filii proprium est Spiritus Sancti, ut diximus cap. xiv. *Splendor* quoque trium Personarum gloriam, majestatemque significat. Erunt tamen & hæc propria Filio, si relative sumantur, E. G. si dixeris, *Sapientia* genita a Patre, *Splendor* Paternæ gloriæ, *Character* paternæ hypostaseos: at absolute prolata, nec sapientia, nec character, nec splendor demonstrant generationem, aut relationem ad Patrem, & consequenter non videntur nomina adeo Filii propria, uti sunt *Verbum*, λόγος, & *Imago*.

XI. Filio una cum Patre convenit esse Spiritus Sancti principium: unde *Spirationem* diximus esse proprietatem, quam appellant Theologi *Notionalem*. Sunt autem *Notiones* quædam nomina, quæ singulares divinarum personarum exprimunt characteres, quibus ab invicem distinguuntur. Cum ergo tertia Persona sit ab aliis diversa, debet e duabus procedere, quod non incongrue, ut mox dicam, appellatur *Spirari*. Ergo *Notiones* quinque erunt, *Innascibilitas*, *Paternitas*, *Filiatio*, *Spiratio activa*, & *Spiratio passiva*. Placet enim probata usu vocabula retinere. Quantum spectat ad *Paternitatem*, *Filiationem*, ac *Spirationem passivam*, quæ sunt trium personarum constitutiva, neminem puto ideam horum nominum non percipere. De *Spiratione* vero *activa* dictum satis cap. xvii. & xviii. & de ratione *Ingeniti* præcedenti numero vii. Gignere, nasci, procedere, & cetera istiusmodi non dicuntur *Notiones*, quoniam non exprimunt existentis personæ characterem, sed originem potius ac productionem. Cetera nomina ab his sola voce, literisque diversa sunt; & singula sunt hoc eodem loco explanata. Tantummodo est advertendum non designari his nominibus rem aliquam ab ea distinctam, quam significant vocabula essentialia & communia, de qui-

bus

hus supra. De distinctionibus vero Scholasticorum non est hujus libri differere.

XII. Tertia Persona appellatur *Spiritus Sanctus*, *Donum*, *Caritas*, *Consolator*, græce τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, δωρεὰ, ἀγάπη, παράκλητος: quorum tria primo commemorata significant Personam procedentem a Patre ac Filio: postremum illam, quam nobis impertitur Spiritus, suavitatem, donorumque affluentiam. *Spiritus* enim a *Spiro* dicitur, quoniam ut halitus ex corde & ore spiratur, sic tertia persona a Patre Filioque procedit: atque Græcum πνεῦμα similiter est a πνέω, *Flo*, *spiro*. Additur ἅγιον, *Sanctus*, ne credatur illum esse ad instar venti, aut flatus, sed *Spiritum* viventem, & vivificantem: & ne comparetur spiritui hominis peccatis obnoxio, vel Angelis non essentialiter sanctis, sed gratia. De *Dono* dictum satis cap. XIV. Huc etiam spectant vocabula *Amor*, *Caritas*, *Osculum*, & similia, quæ omnia notæ sunt duorum se diligentium.

XIII. *Paraclitus* nomen Græcum est a παρακαλέω, *Rogo*, *hortor*, *consolor*, *advoco*. Designantur hoc nomine gratiarum charismata, præsertim mentis illustrationes, pia cordis desideria, gratia orationis, aliaque munera, quæ nos ad sanctitatis initium, atque incrementum alliciunt, vel trahunt. Tum sanctitas ipsa, quæ est quædam Spiritus Sancti in cordibus hominum habitatio. Denique hujus Sanctitatis ornamenta, quæ dicuntur fructus Spiritus Sancti, idest, gaudium, pax, & cetera, de quibus Apostolus ad Galatas v. 22. Quamquam vero etiam Filius *Paraclitus* est, & Consolator, ut Sacræ literæ contestantur; gaudet hoc nomine præsertim Spiritus Sanctus, propterea quod munere caritatis ipsi præcipue attributo ubertates donorum conferuntur, atque augentur. Ea re quidquid in hoc libro, cujus finem jam attigi, aut ad fidem Trinitatis firmandam, aut ad promovendam pietatem ac religionem, (quod vereor ne minimum sit) potest piorum Lectorum mentem accendere, etiam atque etiam obtestor, ne homini præ ceteris ignoranti ac flagitioso, qualem me esse cognosco, referatur acceptum; sed summo ac sempiterno Spiritui, qui ubi vult spirat, non acceptator personarum, sed largitor donorum.



DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER OCTAVUS,

In quo aliquorum Patrum, præsertim Antenicænorum contexitur Apologia.



PRO Fide Trinitatis adversus veteres, ac recentiores hæreticos hactenus pugnatum est. Nunc Patrum aliquorum, qui ante Ariana tempora, aut his percurrentibus in Christiana Religione floruerunt, auctoritatem studebimus vindicare. Compluribus enim, nedum exteri, præsertim vero Apostolicarum Traditionum impugnatores, verum etiam nonnulli Romanæ communionis Scriptores celeberrimi Arianorum teterrimam maculam affricarunt. Sunt hi præcipue Ignatius, & Justinus Martyres præclarissimi, Athenagoras Atheniensis Philosopus, qui Servilio Pudente, & L. Fufidio Coss., idest, anno Aeræ vulg. clxvi., M. Aurelio Imperatori notissimam obtulit Apologiam; Irenæus item S. Polycarpi Auditor, Clemens, & Dionysius Alexandrini, &, quem hydram omnium hæreseon quidam nominarunt, Origenes Adamantius. Athanasium quoque, etsi nefarii dogmatis insectatorem acerrimum atque invictissimum, pestilentissimus Socinianorum Wolzogenius diversam a Catholicis tenuisse sententiam confidentissime pronuntiavit. Sed & Basilium in crimen violati circa Spiritus Sancti divinitatem dogmatis quidam adducere, quamquam inani prorsus conatu, tentaverunt. De his ergo Græcorum Patrum antiquissimis prima inquisitio est habenda: deinde fides Occidentalium aliquorum, impiatum linguarum flabellis ventilata, asserenda est; Tertulliani nimirum, Cypriani, Lactantii, & Arnobii. De Eusebio Cæsariensi, de Liberio, & de Osio erit postrema hujus disputationis pars: hi enim damnato jam Ario ipsius blasphemiis patrocinati dicuntur. Atque isti octavæ disceptationis, quam *Apologiam Antenicænorum* inscripsimus, fines erunt.

CAPUT I.

Ignatius Martyr suis in Epistolis Verbi divinitatem asseruit.

EPISTOLAS beati Ignatii Antiochenæ Ecclesiæ post Evodium Episcopi, qui Imperante Trajano ad bestias damnatus est, oppugnarunt tria illa Novaturientium Capita Claudius Salmasius, Joannes Dallæus, & David Blondellus ægre ferentes in his Episcoporum regimen in Ecclesia constitui; eorumque argumenta recudit Casimirus Oudinus in sua de Ecclesiasticis Scriptoribus Historia. Defendunt illas Epistolas e contra non solum veteres Scriptores, verum etiam Jacobus Usserius, Hammondus, Jo. Vossius, Cotelerius, Cave, Clericus, & luculentissime Jo. Pearsonius, & Georgius Bullus, præter Dupinum, Alexandrum, Annatum, aliosque communiter. Quoniam quæstio gravissima est, atque pendet ex ea judicium de Ignatii circa Verbi divinitatem sententia, breviter resolvenda videtur; nam quisquis ampliorem velit dissertationem, poterit commodius Ignatianas Vindicias legere in altero Tomo Patrum Apostol. Cotelerii. Sunt autem Epist. de quarum germanitate pugnatur, numero septem: *Ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphenos, ad Smirnæos, & ad Polycarpum.* Aliæ enim, quæ olim tribuebantur Ignatio, sunt unanimi Recentiorum consensione suppositæ ac pseudepigraphæ: & licet Epistolas Ignatii ad Mariam Virginem, & Joannem probaverint Dionysius Carthusianus, Petrus de Natalibus, Marcus Michael Presbyter Corronensis, & absque ulla hæsitatione Canisius Tom. 2. de Corrupt. V. D. lib. v. cap. 1. perperam tamen adscriptas Ignatio suspicatur Baronius Tom. 1. An. 48. Possevinus in Apparatu, Christoph. de Castro in Hist. Deip. cap. 23. & Auctor Indicis librorum expurgandorum Romæ editi an. 1607. Quare cum nullus veterum harum Epistolarum meminerit ante D. Bernardi tempora, nullumque extet illarum autographiæ vel minimum argumentum; paucis, credulisque nuper commemoratis nolumus assentiri. Ad priores itaque septem Epistolas coarctanda est disceptatio.

PROPOSITIO I. Ignatii septem Epistolæ ab Usserio ex vetustissimis Codicibus Anglicanis, dein ab If. Vossio ex Florentino restitutæ, atque cum plurimis Latinis Interpretationibus concordes purum sunt ac genuinum Sancti Martyris opus.

Subscribit huic propositioni quisquis præjudiciis non laborat: eamque contractis hisce momentis possumus confirmare. Ac primo: Constat ex H. Eccl. Eusebii lib. III. cap. 37. ubi recensitas septem Epistolas memorat, Sanctum Martyrem Polycarpum earumdem in sua ad Philippenses meminisse. Deinde plura ex Ignatianis Epistolis testimonia Irenæum protulisse, colligitur ex eadem Historia Eusebii v. cap. 8. Nec juvat Dallæum hæc modo inter Irenæi scripta nequaquam extare, cum multa Martyris opera interierint. Quod etiam addit Calvinista Eusebium errare, eadem facilitate refutatur, qua profertur. Quibus enim indiciis tam crassum Eusebii commentum revincemus? Ex antiquiorum, inquit, silentio. At multa genuina scripta ab omnibus recipiuntur, quorum nullus ante Eusebium catalogum collegit. Is vero non ex penu suo, sed ex præcedentium Scriptorum scriniis memorias eruit antiquitatis. Tertio Theophilus VI. Antiochenorum Episcopus Commentaria edidit in Matthæum, quæ se legisse affirmat Hieronymus, atque ex his Commentariis mutuatus est, quod ipsemet habet ad cap. 1. Matth. v. 18. *Martyr Ignatius etiam quartam addidit causam cur a desponsata conceptus sit, ut partus, inquiens, ejus celaretur diabolo.* Quod Ignatius tradidit in sua ad Ephes. Epistola. Atque idem Hieronymus in Catalogo Ecclesiasticorum Scriptorum septem Ignatianas Epistolas eodem ordine censet, quo supra fuerunt a me numeratæ. Neque sine stomacho audire possumus, qui reponunt Hieronymum lectione Eusebii fuisse deceptum; quum ex prolata sententia, quam in libris Eusebii non invenimus, liqueat Hieronymum summæ eruditionis hominem Ignatii scripta aliunde quoque, & præsertim ex memorato Theophilo cognovisse. Rursus Origenes Homilia VI. in Lucam nonnulla affert ex Epistola Ignatii ad Ephesios, & in Prologo Commen. in Cantica ex Epist. ad Romanos: neque tam apertum argomentum excutere possunt adversarii, nisi pervicaciter negando hæc esse germana Origenis opera contra Hieronymi testimonium, qui ea latinitate donavit, universorumque Criticorum consensum. Nam quod respondent nonnulli Origenem verba Ignatii commendavisse, non scripta; id quidem ejus electione evidentissime refutatur; quippe ait ille: *Unde eleganter in cujusdam Martyris Epistola reperi, Ignatium dico Episcopum Antiochiæ, &c.* Denique Ignatii Epistolas, earumque doctrinam laudat S. Athanasius de Synod. Arim. & Seleuciæ; Theodoretus ad Monachos Constantinopolit. & ad Florentinum Patririum, aliique posteriorum ætatum innumeri. Alia argumenta vide apud Natal. Alex. dissert. XXIII. sæculi I. vel potius adeas copiosissimum fontem, ex quo ille bibit, doctissimum scilicet Pearsonium.

Probatur deinde assertum demonstrando vanissimas esse conjecturas, quibus paratragœdiant Dallæus, & Oudinus, mali corvi, ut quemdam ipse compellat, malum ovum. Etenim si spuriæ forent Ignatianæ Epistolæ, maxime, ut isti argutantur, vel propter distinctionem inter Episcopos ac Presbyteros, quæ ex his comprobatur, vel propter stylum, quem Ignatio nuperi Calvinistæ putant indignum, vel ob res quas narrant, ac tradita in eis dogmata. At sunt hæc omnia levissima. Non ergo præfatæ Epistolæ sunt Divo Ignatio abjudicandæ. Minorem sic probo. Quantum ad discrimen attinet unius Episcopi a cœtu presbyterorum, illud in Ecclesiastica Hierarchia perantiquum, & jure divino statutum didicimus, quicquid obganniant Presbyteriani. Stylum autem Ignatianarum Epistolarum redolere simplicitatem Apostolicam demonstrat Clericus accuratissimus, ut ab Adversariis habetur, Criticus in Hist. Eccl. ad An. CXVI. num. 12. Nec est, cur opponant duriores quasdam metaphoras, & frequentiam epithetorum, cum hæc fuerint Syrorum singularia. Præterea, ut unicuique sua facies est, & sua vox, ita homines singuli propriam habent consuetudinem orationis, neque sunt omnes Magistrorum imitatores. Quare etsi Ignatii stylus habere quid tumidum videatur, parum ex hoc confici poterit adversus Ignatii opera genuina. Circa autem doctrinam, narrationemque Epistolarum istarum nullum ibi offenditur non Apostolicum dogma: egregiæ occurrunt ad omnium virtutum genera admonitiones: specimina ubique caritatis, qua flagrabat, in ea præsertim, quam Smyrnæ, ubi diu commoratus est, scripsit ad Romanos, & in qua nescio qua fronte arden-

tissi-

tissimum quoque damnare audeant desiderium Martyrii. Quod si erroris omnino immunis non esset, quippe nullus hominum communi mortalium infirmitati ast eximendus: quid hæc, obsecro, contra scriptorum ajus antiquitatem? Demum quod Dallæus objicit de antiquorum silentio, & quatuor capitibus, vel quinque magno verborum apparatu amplificara nititur, & negativum est, & falsum ex præmissis deprehenditur. Frivolis itaque conjecturis Ignatianas Epistolas quatere conantur Presbyteriani.

SATISFIT RELIQUIS OPPUGNATIONIBUS.

Etsi plurima sunt Adversariorum argumenta, & solus Dallæus sexaginta sex urget, plura tamen militant adversus Epistolas Ignatii interpolatas, laciniisque ante Usserianam editionem refertas; alia vero ex dictis obviam habent solutionem. Diluenda remanent quæ sequuntur. Primo: Martyr Ignatius hæresim Valentini nondum suo tempore exortam non poterat confutare. At larvatus auctor in Epistola ad Magnesianos in Valentinianam Æonum fabulam superiori libro II. descriptam, etiam in Codice Mediceo ait: Λόγος ἀΐδιος οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, *Verbum æternum non a silentio progrediens*. Item in Epistola ad Trallianos meminit Cleobuli, & Basilidis, qui post tempora Ignatii eruperunt. Ad Ephesios quoque commemorat Onesimum Episcopum tamquam adhuc superstitem, qui tamen sub Domitiano Martyr occubuit. Spuriæ sunt ergo & adulterinæ præfatæ Epistolæ atiam Usserianæ, ut dicuntur, seu Vossianæ.

Resp. nego minorem; non enim ad Valentini dogma refertur locus illa citatus ex Epistola ad Magnesianos, de quo viri doctissimi digladiantur; sed Verbum dicitur ab Ignatio non silentio progrediens, idest, sempiternum: quo sensu appellatur ab Augustino serm. 369. *Verbum quod dicturus Pater non silebat*; & in altero de Nativit. Domini: *Verbum, quod labia nullius aperuit cœptum, clausitque finitum*. In quibus arbitror minime S. Patrem de Gnosticorum cogitasse commento. Revera nunquam Valentinus affirmavit Logon natum ex Sige: sed constat ex Irenæo, natum ex Non, & Aletheia; ex Epiphanio autem, ex Antropo, & Ecclesia. Et quidem Æonum genealogiam ex Irenæo dedimus differentes da summi Numinis æternitate: inserta antem in Panario Epiphanii hæc est:

Bythus —— *Sige*
Pater
|
Pater —— *Sige*
|
Veritas
|
Pater —— *Veritas*
|
Homo —— *Ecclesia*
Sermo.

Hoc tamen fragmentorm non essa Valentini sentiunt eruditi. Quidquid sit; nullibi invenimus Verbum proxime genitum a Bytho & Sige. Dogma denique Valentinianum ex antiquiorum hæreticorum lacunis derivasse, & antiquas doctrinas in suum characterem Valentinum transtulisse tradunt & Irenæus lib. I. cap. 5. & Epiphanius in XXXI. hæresi. Quapropter potuit etiam esse notum Ignatio. Cleobuli vero & Basilidis nomina non reperies in castigatis Armachani, aut Vossii editionibus: sed in laciniosis dumtaxat; quamquam falsum est Ignatium horum hæreticorum non habuissa notitiam; cum Basilides contemporaneus fuerit Cerintho, qui nefariam doctrinam spargere cœpit circa annum, ut arbitror, lxxx. Cleobulus autem, seu Cleobius fuit Simonis Magi discipulus. Quod dictum est de Onesimo facilis est solutionis; nam præter Onesimum Pauli discipulum sub Domitiano trucidatum, fuit alter ejusdem nominis, qui post Gajum Epheso præfuit, imperante Trajano.

Præterea objiciunt: In Stichometria Nicephori, quomodo & in Indice, quem Historiæ suæ præfixit Anastasius Bibliothecarius, cum Ignatii, tum Polycarpi scripta tamquam apocrypha rejiciuntur.

Retorqueri potest hoc argumentum; nam & a Nicephoro, & ab Anastasio Dionysiana habentur progenuinis Operibus Areopagitæ: at Dionysius in lib. de divinis nominibus ex Epistolis Ignatii disputans da Amore insignem locum exscribit. Sed respondemus neque Stichometriam esse Nicephori, neque ibidem Ignatii Epistolas, sed supposititia hujus scripta notari; neque alio sensu dici apocrypha, nisi quatenus cum libris Canonicis, quorum Catalogus illic contexitur, non sunt pari honore recipienda.

Opp. insuper Pseudo-Ignatium secum pugnantia conscribere, primo cum de Martyribus loquitur tamquam adhuc viventibus, quos paullo ante scripserat ad locum gloriæ debitum pervenisse. II. Dum ad Romanos scribens milites *Leopardus* appellat, vocabulo nempe ante Constantinum, ut Bochartus & Gesneros advertunt, insitato. III. Dum asserit in Epistola ad Ephesios se in carne Christum vidisse, quod, etiamsi traditum a Hieronymo, aliisque, impossibile censent emunctæ naris Chronologi. Addunt mirificas Epistolarum inscriptiones, quas *Belle stribiliginosas* dixit Oudinus.

Resp. hæc omnia futilia esse: & primum quidem; nam Martyres appellat Ignatius Apostolos, Philippenses, & itineris sui socios, quorum aliqui ad Martyrii coronam pervenerant, aliqui erant superstites. Nec alterum argumentum melioris notæ est; cum *Leopardorum*, (genus militum) meminerit in vita Antonini Getæ Spartianus, & Scriptor Martyrii SS. Perpetuæ, & Felicitatis apud Holstenium, centum scilicet annis ante Constantini Imperium: nisi mavis nomine λεοπαρδάλων, significari animal ferocissimum ex pardo & leæna genitum, ut apud Athanasium in Vita Antonii; eoque vocabulo tropice tantum milites designari. Ad tertium vero; habent Græca verba: Ἐγὼ γὰρ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ οἶδα, καὶ πιστεύω ὄντα, *Ego enim etiam post resurrectionem in carne & scio, & credo* (Christum) *esse*. Οἶδα enim est *Scio*, non *vidi*; & ita vertit Rufinus H. Eccl. lib. III. cap. 36. Male ergo hæc verba ab aliquibus versa sunt, nisi aliquo falsato Codice usi fuerunt. Inscriptionibus denique amplioribus utitur etiam Apostolus ad Romanos, ad Galatas, ad Titum.

Ultimo oppones: In singulis Epistolis Ignatius dicitur *Theophorus*, quod cognomen ex fabula ortum est, qua fingitur Ignatius puerulus ille, quem Christus Matth. 18. sublatum in ulnis statuit in medio.

Resp. Etiamsi fabula credatur, quæ legitur in vetere Græcorum Menæo, in Anthologio ad diem XX. Decemb. & apud Anastasium Bibliothecarium in Scholiis ad VIII. Synodum Act. I., quod non opus est definire; potuit Ignatius vocari *Theophorus*, quod Christus in illo habitaret, quomodo ait Apostolus I. ad Corinth. 6. *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro*.

PROPOSITIO II. In Epistolis Ignatii Verbi divinitas apertissime traditur.

Testimonio apud Theologos notissimo ex Epist. ad Ephes. *Unus medicus est carnalis & spiritualis, factus & non factus, in carne Deus, in morte vita vera, &c.* alterum addo ex Epist. ad Magnesianos: *Non enim aliquid coæternum Patri, quod non est naturaliter ex ipso: ne etiam istud creaturis inesse dicamus, quod inest divinæ soli naturæ. Quamobrem, etsi Filius principium habet Patrem suum; tamen quatenus ex principio est, concurrentem cum ipso habens existentiam, non erit ei dissimilis substantia. Nam quia est ex principio, ideo consubstantialis principio, Porro quod est Patri consubstantiale, id adventitium non est in tempore, ne & Pater ipse talis reperiatur*. Non poterat evidentius & Verbi divinitas contra Arianos, & æternitas contra Socinianos affirmari.

Christophorus Sandius in Nucleo Hist. Eccl. lib. I. ut Ignatium Arianis accenseat octo profert argumenta, aranea omnia, & ex dictis præcedenti libro soluta. Sunt hæc, quod Christus in Epistolis etiam Ignatianis dicatur Patri subjectus, missus a Patre, Patris minister, & cetera hujusmodi Scripturis congruentia, & a nobis superius explicata. Restat hoc unum: Ignatius comparat Patrem Episcopo, Filium autem Presbytero; quo exemplo utebantur quoque Ariani, ut constat ax Dialogo I. Athanasii, seu potius Theodoreti, de Trinitate Orthodoxa. At exemplum in hoc sensu verum est, quod Filius habet divinitatis substantiam a Patra, quomodo Presbyter ab Episcopo Sacerdotii recipit characterem. Neque mirum est hæreticos abuti Sanctorum exemplis, dum atiam divinarum Scripturarum sensa detorquent.

At dices: In Epist. ad Smyrnæos inquit Ignatius, Christum essa Filium Dei *secundum voluntatem, & potentiam Dei*.

Resp. dist. propositionem: Christus ast Filius Dei *secundum voluntatem, & potentiam Patris*, quatenus voluntas & potentia sunt principium creaturarum; nego: prout Filius *voluntarie*, & non coacte genitus est, ac procedit a Patre non invito, atque infirmo, sed omnipotente & volenre, conc. Quomodo antam Filius dici possit *voluntate* genitus, dictum est supra cap. 10. libri præcedentis.

CAPUT II.

Justini Fides contra Sandium, & Simonem Episcopium defenditur.

NON moror Polycarpum, quem in suspicionem Arianismi adducit Auctor Irenici. Nugæ sunt enim, quæ contra sanctissimum Martyrem afferuntur, scilicet, quod Patrem antonomastice *Deum* appellaverit, Filium vero *sempiternum Sacerdotem*. Nam & Pater *Deus* dicitur titulo quodam speciali, quoniam fons ast, & origo divinitatis; & Filius *Sacerdos* est ratione humanitatis, & *sempiternus* propter divinam naturam. Egregiam antem Polycarpi fidem contestatur ejus ad Philippenses Epistola, & oratio, quam morti proximus protulit; de qua lib. H. E. IV. 5. Eusebius. Utrobique enim Patri, Filioque æqua-

lem gloriam attribuit. Sed & Epistolarum Ignatii assiduam commendavit lectionem; & discipulum habuit Irenæum, qui ex Apostolici viri antilogia vigentes ætate sua hæreses refutavit, ut ipsemet affirmat in Epistola ad Florinum. Quare & Ignatius Filii divinitatem docuit Polycarpum, & iste Irenæum.

Agendum est ergo de Justino Martyre præclarissimo, quem Cl. Petavius scribit in 1. de Trin. cap. 3. num. 2. putasse Filium *inferioris cujusdam conditionis, etiam antequam homo fieret*; novi autem Ariani in suas partes fidenter trahunt: & Episcopius lib. Theologicarum Institut. IV. ipsius auctoritate probare nititur, ei, qui supremam Filii divinitatem præfracte negaret, dicendum non esse *anathema*. Petavius tamen in Præf. ejusdem Operis cap. III. fatetur in scriptis Justini reperiri divinitatis Christi non levitet impressa vestigia; ideoque hac præfatione posterius edita priorem sententiam temperavit. Sunt vero germana Justini Scripta, unde caussa dijudicanda est, duplex pro Christianis Apologia; quarum secunda, ut animadvertit Valesius, & fatentur omnes ferme eruditi, revera est prima: Dialogus habitus cum Tryphone, & nonnulla alia, quæ perierunt. Nam Orationem ad Græcos Paræneticam quamplures in dubium revocant, quod in ea Justinus non ex paganis, sed ex fidelibus se affirmet esse progenitum; atque scripta reliqua, quæ sub ejus nomine circumferuntur, supposita unanimiter censentur a Criticis.

PROPOSITIO: S. Justinus liquido divinitatem æterni Verbi & affirmavit, & credidit.

Et quidem; in Apologia, quæ prima dicitur, Justinus tribuit disertissime Filio æternitatem: *Porro Filius ejus*, inquit, *qui solus proprie dicitur filius, Verbum simul cum illo ante creaturas existens & nascens, quoniam primitus per eum cuncta condidit, & ornavit.* Quæ verba jugulant hæresim nefariam Arii. Si enim Verbum æternum est, universamque creaturam præcedit, non est profecto creatum. In dialogo autem cum Tryphone docet genitum esse a Patre ante creaturas omnes non per naturæ abscissionem, quomodo generatio humana contingit, sed ejusdem participatione naturæ, allata comparatione ignis, ex quo nullatenus imminuto alter accenditur. *Primitus*, inquit, *ante creaturas omnes Deum genuisse ex se Virtutem quamdam rationalem . . . . . non per resectionem, tanquam dispertita esset Patris essentia, prout alia omnia divisa & secta, &c.* In Apologia quoque, ut dicunt, secunda probat nos plurium Deorum expertes, quoniam non dæmones, ut cultores simulacrorum, sed unum Deum Patrem, & Filium, ac Spiritum Sanctum adoramus. *Fatemur*, ait, *nos talium Deorum esse expertes, & atheos; sed non verissime illius Dei Patris, videlicet justitiæ, & castitatis, & virtutum aliarum, & ab omnis vitii mixtione, & labe alieni, expertes; verum hunc ipsum, & qui ab eo venit, (atque nos ista, & aliorum famulantium, assimulatorumque bonorum angelorum exercitum docuit) Filium, & Spiritum Sanctum colimus, & adoramus.*

Hoc testimonio utitur Bellarminus ad probandum licitam esse adorationem Angelorum; eumque reprehendunt Scultetus, Bullus, & Clericus; quod validissimum contra Arianos argumentum penitus tollat; quippe si ex Christi adoratione ejus comprobatur divinitas, sequeretur etiam Angelos Deos esse. At inepta prorsus consecutio; de Filio enim inquit Justinus coli & adorari cum Patre, & Spiritu Sancto, & tamen nos esse *plurium divinitatum expertes*; quod non esset consequens, si Filius Deus esset ordinis inferioris a Patre. Contra Angeli dicuntur hoc loco *famuli*; ideoque adorantur quidem, sed non cum Patre, Filio, & Spiritu Sancto, id est *dulia* cultu, non *latria*, qui est nota divinitatis. Quod pro defensione Bellarmini dictum sit. Credo tamen Justinum de Angelorum cultu minime istic fuisse locutum, contra quam sentit Bellarminus; & sensum obvium esse, nos unum Deum colere, cujus revelatione ac doctrina idololatriam, ac malorum angelorum superstitiosum cultum, & bonorum officia & magisterium didicimus. Quamquam enim Angeli religiose colantur; Justinus disputat de unius Dei, ac trium divinarum Personarum adoratione: neque opus erat hic cultus angelici meminisse; neque Filio, ac Spiritui Sancto famulantes prætulisset Angelos. Verum hæc obiter dicta sint.

Nunc ita ratiocinari præstat. Catholicorum sententia est, Verbum non esse productum, creatumque, sed æternum, & ante quaslibet creaturas a Patre nascens: genitum non paternæ abscissione substantiæ, sed ejusdem communicatione naturæ; eodem latriæ cultu esse cum Patre, ac Spiritu Sancto adorandum. Martyr Justinus hæc omnia liquatissime profitetur. Veram ergo tenet Catholicorum de Verbi divinitate sententiam.

Opp. 1. Ex Petavio: Justinus in Dialogo cum Tryphone non semel appellat Filium Patre inferiorem, & Dei administrum, in secundo loco habendum, ac Potestatem post Parentem. Docet quoque Filium Mosi, ac Prophetis apparuisse, cum Deus invisibilis sit, hominumque subterfugiat intuitum. Vide Tom. II. de Theolog. Dogmat. cap. 3.

Resp. a Justino Filium dici inferiorem Patre, etiam priusquam naturam humanam assumeret, quoniam ab illo genitus est; inferiorem scilicet nomine, & ordine, ac propter rationem *Geniti*. Ita enim loquuntur cum Justino Alexander Præsul Alexandriæ, qui primus in Arium insurrexit, PP. Sardicenses in Epist. Synodica, Athanasius libro contra Arianos 2. aliique plurimi apud Petavium ipsum lib. II. cap. 2. num. 2. & 3. Filius autem solus dicitur a Justino in Lege veteri apparuisse, non quod is naturam invisibilem, & incircumscriptam non habeat, qualis in Patre est, sed quia ad ipsum pertinebat legis dispensatio, hominumque redemptio: quare ipse, & nunquam Pater, visibilem formam induit, in qua se redderet aspectabilem. Enimvero illum, qui olim apparuit, Deum verum fuisse in eodem Dialogo Justinus demonstrat ex Scripturis; quas expendimus præcedenti libro cap. VIII. ad 3.

Opp. 2. Cum Sandio: Justinus in Quæst. & RR. ad Græcos docet genitum, & conditum non differre: & in Eversione dogmatum Arist. ait, *fuisse aliquando cum non fuerit id, quod genitum est*. Est illud Arianæ perfidiæ repetitum proloquium. Adde comparationes ex igne, & humano verbo deductas, quibus Filii declarat generationem, Arianorum explicandæ blasphemiæ percommodas.

Resp. Spreta conscientia id objicere Sandium: quandoquidem Justino uterque liber supponitur, etiam auctore ipsomet Sandio. Nam primum, cum data opera Manichæorum impugnet hæresim, & Manetis mentionem faciat plusquam sæculo posterioris, jure Sylburgius, Possevinus, N. Alexander, & Rivetus quoque cum aliis Criticis spurium habent. Alter vero, qui inscribitur, *Aristotelicorum quorumdam dogmatum eversio*, nequit esse, quem Justinum scripsisse testatur Photius in Bibliotheca; nam hic primum duntaxat & secundum librum Physices oppugnabat; & ille multo prolixior usque ad VIII. Physicorum persequitur. Quamobrem falluntur, qui hujus animadversionibus tam hostiliter in Aristotelis Philosophiam debacchantur. Sed gratis utroque recepto, de mundo accipienda sunt loca, quæ objiciuntur; nam Græci proprietate sermonis promiscue dicunt mundus γεννητὸς, καὶ ποιητὸς, *genitus, & factus*. Præfatis denique exemplis ostenditur Verbi generationem spiritualem esse, neque illa substantiam imminui paternam: quod iisdem symbolis præstitit etiam Athanasius in lib. de Decretis Nic. pag. 410. & S. P. Aug. Tract. XIV. in Joan.

Opponea ultimo cum Episcopio. Inquit Justinus in Dialogo cum Tryphone probari ex Scripturis Jesum Nazaræum esse Christum Dei, idque certa fide tenendum esse, tametsi non constaret hunc esse Deum conditorem universitatis. Non ergo credidit Justinus divinitatem Verbi adeo certam esse, ut sit articulus Fidei, qualis est Redemptoris adventus.

Resp. Justinum in hoc Dialogo pluribus argumentis Verbi præexistentiam, ac divinitatem probare, deinde ejusdem Verbi Incarnationem. Quoniam vero Trypho, qui hanc negabat dicens nondum advenisse Messiam, respondit esse prorsus incredibile quod nascatur in tempore Verbum æternum, & ante sæcula genitum; Justinus recte instat, frustra a Judæis denegari hac de caussa adventum Messiæ; quia ipsi non credunt futurum esse ipsum Deum, sed putum hominem. Quapropter in hac Hebræorum hypothesi, etiamsi falsa esset, nec satis demonstraretur Verbi divinitas; constaret tamen ex impletis Prophetarum oraculis jam Christum venisse. Itaque dist. ant. Et Justinus arguit in falsa Tryphonis hypothesi, conc. Absolute negat Verbum ante Incarnationem extitisse, nego. Imo id luculentissime probat, & asserit se non assentiri quibusdam illius ætatis hæreticis, genere quidem Christianis, dogmate autem Judæis: *Sunt enim*, inquit, *nonnulli ex genere nostro (Ebionitæ) confitentes ipsum esse Christum, sed hominem ex hominibus genitum esse affirmant, quibus ego minime assentior.*

Zuikerus reponit Justinum Platonicæ Philosophiæ rudimentis fuisse deceptum, nec prorsus ab eo Gentilismi obliteratam esse memoriam. Verum cum in citato Dialogo Justinus Platonicis, Ethnicisque omnibus præferat Prophetas & Christi amicos, suamque, priusquam divinis imbueretur, scientiam fateatur fuisse stultitiam, necnon in suis Apologiis plurium Deorum cultum invictissimis argumentis insectetur; non immerito Georgius Bullus Anglicanus circa finem libri de necessitate credendi in Verbi divinitatem, Zuikeri caussas *ab infelici ingenio* asserit *excogitatas*.

CAPUT III.

De Athenagora Philosophi præstantissimi ad M. A. Antoninum, & L. A. Commodum pro Christianis Apologia.

CELEBERRIMAM Athenagoræ Apologiam, quam cum Pagio in Præfat. hujus Libri scriptam diximus anno 166. Labbeus vero editam censet inter annum 165. & 170. & Baronius tantummodo 179. in qua acerrimi vir ingenii trium flagitiorum de Religione Christiana dispellit rumorem, Atheismi, cœnæ Thyestææ, & Œdipodei, id est, de abdicato Deorum cultu, de carnis humanæ esu, & de promiscuo incestus concubitu; Apologiam, inquam, illam Epiphanius,

phanius, Methodius, & in Codice CCXXIV. Photius commemorant; neque sanæ mentis est homo, qui censeat adulterinam. Hanc ergo, cum vir quidam eruditus a Sabelliano dogmate haud multum existimet abhorrere, neque asserere Verbum Patri coæternum, ejusdemque substantiæ; operæ pretium est, ut ab immanium hæresum suspicione abstergamus.

PROPOSITIO: Nec Arianis favit, nec Sabellianis Athenagoras.

Qui enim Filii substantiam non productam e nihilo, sed a substantia Patris progressam contendit, & utriusque hypostasim credidit esse distinctam, non Arianis, non Sabellianis, sed Catholicis dicendus est consentire. Athenagoras tradidit progressum Filii e Patris substantia, & utriusque distinctam hypostasim. Ergo Athenagoras nec Sabellianis consentit, nec Arianis. Probatur prima pars. I. Athenagoras docet Patrem & Filium esse unum, Filium esse mentem & Verbum Patris, mentem Verbumque ipsum Deum. *Filius Dei*, inquit, *& Verbum Patris in idea & efficacia: ab ipso enim, & per ipsum facta sunt omnia, cum Pater & Filius unum sint, ita ut Filius sit in Patre, & Pater in Filio per unionem, & potentiam Spiritus, siquidem mens & Verbum Dei Filius Dei est. Primigenia hic est Patris progenies, quæ non ut facta, a principio enim Deus, qui est mens æterna, ipse in seipso logon, hoc est Verbum & rationem habet, cum rationalis ipse æternum sit, sed ut rerum cunctarum idem & perfectio foret, progressa est*. Ubi asserit Verbum genitum a Patre ab æterno, quia ab æterno Pater ratione præditus est: esse essentia a Patre indistinctum, quoniam Deus Pater essentialiter est mens æterna habens in se rationem ac Verbum: esse demum creaturarum omnium caussam effectricem. Demonstrat quoque arctissimam divinarum personarum conjunctionem, qua una in alia exstitit *κατ' ἐμπεριχώρησιν*, *per incircumsessionem*. II. Deinde Athenagoras a se Atheismi calumniam pellit, quod Christiani unum Deum in Trinitate consistentem agnoscant, ait enim: *Quis igitur non miretur, cum audiat, nos qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum Sanctum, eorum in unitate virtutem, & in ordine distinctionem explicantes Atheos vocari?* Altera pars sequitur ex dictis: quandoquidem Athenagoras tradit Filium esse genitum & progressum a Patre, & ordine ac relatione unum ab alio distingui; ideoque Filio tribuit propriam ac peculiarem hypostasim. Hanc vero negant Sabelliani, a quorum consequenter errore toto cœlo distat eloquentissimus Apologista.

Objicies cum Petavio: Docuit Athenagoras prius fuisse substantiam Filii in Deo Patre, quam per generationem propriam haberet hypostasim. Ergo neque æternum Filium crediderit, neque saltem aliquando, a Patris personalitate distinctum. Rursus affirmat Filium fuisse ab æterno Patris rationem ac mentem. At Patris ratio nullo pacto ab ipso distinguitur. Non ergo credidit Athenagoras Verbum, æternamque Personam diversam a Patre.

Resp. dist. ant. Fuit substantia Filii in Deo Patre priusquam peculiarem haberet hypostasim, ratione originis, & ordinis, conc. prioritate temporis, ac dependentiæ nego. Etiam Alexander Episcopus Alexandriæ, fatente ipso Ario in Epist. ad Eusebium Nicomediensem, docet essentiam Filii semper fuisse apud Patrem, etiam antequam per generationem acciperet propriam hypostasim. Ergo ne Ario, & Sabellio consentit? Imo e diametro pugnat cum Arianis, qui dicebant Verbum esse creatum & productum ex nihilo. At minime, inquiunt Patres, creatum est, minime e nihilo factum; cum genitum sit, atque ex ipsa substantia Patris; qui, cum sit Genitor, ordine tantum & relatione Filium præcedit; sed non caussalitate, non tempore; *quoniam* (verba sunt Athenagoræ) *ab æterno Pater est rationalis*, ergo ab æterno *λόγον*, & Verbum habet: ab æterno a Patre progressa est idea & perfectio cunctarum rerum; ergo hæc idea, hęc ratio, hoc Verbum, hæc primigenia Patris potentia a Patre hypostasi, & ordine erat distincta. At, inquis, Pater est sua ratio, sua mens, sua idea. Non moror istiusmodi sophismata præcedenti libro satis contrita. Est Deus Pater sua met ratio ac sapientia, acceptis his vocabulis *substantialiter*, concedo; *notionaliter*, nego.

Dices: Ait Athenagoras Verbum esse in efficacia, & prodiisse cum mundus ex nihilo eductus est.

Resp. id verum esse absque præjudicio sempiternæ generationis, quoniam per Verbum res omnes effectæ sunt, & in earum productione apparuit Dei sapientia ac potentia; sed tamen Filius Patris mens, Verbum, & ratio est; & a principio Deus, qui est mens æterna, in se ipso Verbum, & rationem habebat.

CAPUT IV.

De Irenæo Lugdunensium Episcopo.

SCRIPSIT Irenæus Asianus genere, & in Episcopatu Lugdunensi Pothini successor quinque adversus hæreses libros; in quibus Arianismi semina putant Sociniani se certo deprehendere. Sed Irenæi vindicias doctissimi viri

prosecuti sunt, inter quos Bullus in Defens. Fid. Nic. sect. 2. cap. 5. §. 8. Nicolaus Le Nourry in App. ad Biblioth. VV. PP. diss. VI. cap. 6. & Renatus Massuet diss. 3. art. 5. in editione a seipso exornata; in qua Irenæi doctrinam, ob egregiam nostrorum dogmatum defensionem, fraudulenter corruptam immerito Ernestus Grabius conqueritur. Nam Massuetus ad vetustissimos Codices MSS. undique summa diligentia petitos scripta Irenæi castigavit. Sed editione hac missa, negare nequaquam possunt Sociniani traditam ab Irenæo æternam Verbi existentiam lib. II. cap. XXX. n. 9. his verbis: *Semper autem coexistens Filius Patri*; & lib. IV. cap. XX. n. 3. *Filius semper cum Patre erat*; & cap. XIII. n. 4. in explicatione illius textus, quem obtorto collo pervertunt, *Antequam Abraham fieret, Ego sum*. Utrum vero cum Verbi præexistentia Irenæus etiam illius divinitatem, & quidem summam ac supremam agnoverit, inquirendum est modo.

PROPOSITIO: S. Martyr Irenæus Verbi propugnat divinitatem.

Argumenta hujus Propositionis sunt. I. Quomodo Irenæus veram, propriamque fatetur in Christo naturam humanam, ita profitetur divinam: At nemo dixerit per Irenæum Christum non esse verum hominem: Nullus ergo debet opinari, per Irenæum Christum non esse verum Deum. Constat maj. ex lib. III. cap. 21. ubi ait: *Est autem ipse proprie Deus, & Dominus*. Atque lib. IV. cap. 14. *Ab omnibus accipiens testimonium quoniam vere homo, & quoniam vere Deus est*. II. Docet Irenæus hominem peccando legem veri ac summi Dei transgredi: Docet insuper illum, in quem peccant homines, esse Christum: Igitur docet Christum esse verum ac summum Deum. *Ille, in quem peccavimus, donavit remissionem*: ait lib. V. cap. 4. demonstrans J. Christi divinitatem ex historia Paralytici, cui dixit Dominus, *Remittuntur tibi peccata*. III. Juxta doctrinam Irenæi Filius apparuit Moysi, Filius dedit legis dispositionem, Filius Patres convocavit, & Filius est, quem sacræ literæ appellant Deum, Dominumque: sed, auctore Irenæo, nemo alius apparuit Mosi, nemo alius legem dedit, elegitque Patriarchas, nisi Deus supremus & unus, præter quem non est alius Deus: Ergo juxta Irenæum Filius est Deus ille unus, verus, ac summus. *Cum declaratum sit*, inquit lib. III. cap. XV. n. 3., *quoniam neminem alium Deum vocaverunt, nisi solum verum Deum Patrem, & Verbum ejus, qui in omnibus principatum habet: manifeste est ostensum Factorem cœli & terræ, qui locutus sit cum Mose, & legis dispositionem ei dederit, qui convocaverit Patres, Dominum Deum confiteri eos, & alterum neminem nosse*. Quod argumentum invictissimum mihi videtur, si præsertim attendatur evertere Irenæum exitiosissimum dogma hæreticorum, qui a summo Deo *Demiurgon*, idest, rerum adspectabilium Conditorem commoiscebantur esse diversum. Vide cap. 6. ejusdem libri, & eruditas Massuetii animadversiones citato loco n. 54.

Op. Irenæus plura affirmat, quæ cum Verbi divinitate pugnare videntur. Ac primo lib. III. cap. 8. Patrem solum Deum ait appellari. Deinde ait Verbo suo præcepisse ut mundum conderet: quod est summo Deo Filium, veluti famulum subjicere. Præterea lib. II. cap. 27. n. 6. & lib. IV. cap. 17. Christo diei judicii ignorantiam attribuit, propter quam minorem esse Patre declarat. His ergo prodit Irenæus suam haud ingenuam fuisse fidem.

Resp. falsum esse ant. Siquidem in lib. III. cap. 8. eos, ut diximus, perstringit, qui mundi Creatorem alium esse a Deo summo autumabant: ibidem ait, Patrem cum Verbo suo juste Deum appellari; & paullo ante docuerat neminem alium esse Deum, nisi qui Mosi apparuit, & legis dedit dispensationem, & qui Deus in sacris literis nominatur. Ergo dum Patrem solum Deum esse pronunciat, non Filium excludit, sed *Demiurgon*, quem Gnostici Mundi Conditorem esse credebant, aliaque profana numina Gentilitatis. Quare eodem modo explicandus est Irenæus, quo exponitur Apostolica sententia Joan. I. cap. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum*: de qua supra. Est enim Irenæus sui ipsius disertus Interpres eodem libro cap. XV. n. 3. Præceptum autem, ac mandatum creandi mundum, quod Pater dedit Filio idem est, ac ipsum Verbum & Filius Patris, qui natus, & genitus est paterna virtus ac potentia: non enim Pater loqui potest, aut præcipere, nisi per Verbum substantialiter a se indistinctum; alias præciperet & loqueretur adinstar creaturarum, ut subtili disputatione demonstrat S. P. Aug. in Primo de Trinitate cap. 12. Hinc etiam Patres, qui post Nicænam Synodum floruerunt, interdum scripsere Filium Dei Patris obtemperare præcepto; nam gignere Filium, qui divinæ communicatione naturæ est Verbum & jussio Patris, *præcipere* dicitur more nostro. Usurpant hanc loquendi rationem Basilius lib. de Sp. Sancto cap. 16. Athan. contra Gentes, Cyrillus lib. 29. Thesaurorum, aliique. A quorum sententia non recedere Irenæum tum ex dictis constat, tum ex ejus scopo. Scribit enim citato loco adversus Gnosticos, qui mundum hunc adspectabilem conditum ab inferioribus Angelis blasphemabant. Ea erit ergo Irenæi mens, Opificem mundi non fuisse Creaturam aliquam, sed Verbum illud, qui generatione sua Patris *Vox* est, ac *præceptum*.

De ignoratione diei ultimæ dixi lib. VII. cap. XII. ad 2. nec est, cur fiam in tam prolixa de Trinit. disputatione etiam rerum repetitione molestior. Quantum ad præsens attinet, Bullus respondet Irenæum de Christo ut homine fuisse locutum: & arridet plurimum hæc responsio ceteris Protestantibus. Videtur tamen periculosa nisi caute explicetur, cum in Christo fuerit omnis plenitudo scientiæ, in eoque, etiam, ut homine, inhabitaverint divinæ sapientiæ thesauri. Videtur ergo Patri Massuet, ea loquendi ratione castigari ab Irenæo impudentiam Gnosticorum, qui omnium mysteriorum altitudinem se investigare jactabant: ideoque ad illorum frangendam audaciam docere neque Filium diem judicii novisse, nisi quatenus habet a Patre cum participatione substantiæ plenitudinem sapientiæ; & neminem sibi debere tantam arrogare scientiam, quantam sibi inanis gloriæ captatores audacissime tribuebant. Quæ responsio & vera est, & scopo Irenæi valde conformis; neque video cur displiceat Clerico in Historia priorum sæculorum ad annum C. LXXX. num. XIX. Possumus tamen & Bulli, & Massuetii responsionem sic una temperare, ut dicamus Christum ignorasse diem extremam, ut hominem; non quod humanitas Christi arcanorum cognitione fuerit destituta; sed quoniam horum cognitio non proficiscatur ex nativa vi humanitatis, qua Filius minor est Patre, sed ex divinitatis natura, quæ in Patre & Filio una est. Hæc autem responsio & salvat in Christo, ut homine, plenitudinem sapientiæ, & diversas veterum sententias conciliat, & ab Irenæi scopo non videtur esse aliena.

CAPUT V.

Contra Joannem Clericum, aliosque Impostores S. Clemens Alexandrinus ab Arianismi nota purgatur.

QUERITUR Clericus gravem a Caven illatam sibi injuriam, violatamque æquitatem, quod in dissertatione de Eusebii Cæsariensis Arianismo, eum censura ista inurat, inexploratum esse, utrum cum nostri temporis Arianis, vel Photinianis faciat ipse Clericus. Querelam vero sive justam, sive injustam in Epistola prima Critica repellens, primo pag. 3. carpit Pontificios Scriptores, a quibus nihil æqui soleant impetrare, quicunque ab eorum recesserunt communione. Deinde, ut Caveum elegantiam quidem sermonis, at non candidam veritatis expositionem servasse liquido, ut credit, ostendat; a Clemente Alexandrino orationem orditur, quem Caveus ab Arianismo nititur excusare. In hac autem parte certe judicium Clerici in Pontificios Scriptores iniquissimum est; nam etiamsi aut Clemens, aut Eusebius a partibus stetissent Arianorum, quod de illo saltem falsum esse arbitramur, non posset sola horum auctoritas Apostolicam traditionem evertere: neque hæc de Clementis, & Eusebii Arianismo controversia talis est, qua Ecclesiæ Romanæ dogmata quoquomodo perstringantur. Etenim Guilelmus Caveus Pontificius Scriptor non est: & ex adverso in Clemente Arianismum olfacere doctissimum Petavium, vidit Clericus ipse n. III. ejusdem Epistolæ. Alii insuper Pontificii Clementem aliqua incaute, & contra fidem historiæ fatentur scripsisse, atque in tanta omnigenæ eruditionis copia aliquando, quod etiam accuratissimis contingit, errasse; ut de annis prædicationis Christi, de incontinentia angelorum, nævisque istiusmodi, quibus nequit fides labefactari. Non video itaque, cur Clericus querelas ingeminet, Pontificios avide amplecti, non quid verum & æquum sit, sed quidquid ad eorum auctoritatem amplificandam existimant posse conducere, idque scribit in Epistola, in qua agit caussam Clementis, qui etiam inter Protestantes patronos plurimos habet. Ego quidem divina gratia Pontificius & Orthodoxus tali non mihi videor ingenio; neque invidia in hæreticos, sed imperitia, ingeniique parvitate quam frequenter erravero. At de Clerici in Pontificios Scriptores querimonia jam satis: nunc de Clementis Arianismo.

PROPOSITIO: Injuste Clemens Alexandrinus insimulatur ut Arianus.

Scripta Clementis, quæ etiamnum extant, sunt Adhortatio ad Gentes, tres libri Pædagogi, & Stromatum octo, de quibus, inquit Bellarm. de Script. Eccl., nulla est dubitatio; quamquam de Octavo non id firmissime pronunciaverim. Ex his eligam ad Thesis probationem perpauca. I. In Adhortat. ad Gentes de Verbo ait: *Quod revera est Deus manifestissimus, fons vivificus, & pacificus, qui per universam terræ faciem diffunditur, per quem effecta sunt omnia, &c.* II. In I. Pædagogi cap. 2. declarat idcirco Filium Dei esse *Pædagogum*, idest, veritatis magistrum, ac puerorum, qui sumus nos ipsi, Doctorem & Institutorem, quod *in eum duntaxat nullum omnino cadere potest peccatum, ac est animo impatibilis, nullique affinis reprehensioni*. Atqui illico addit, unius supremi Dei esse *nullo modo peccare penitus*; cum sit id optimum, nullique rei creatæ possit attribui. Ergo Clemens credidit *Pædagogum* nostrum impeccabilem & impatibilem Deum summum esse. III. Stromateon VII. probat Christum esse Dominum universorum, primo quoniam is omnium curam gerere debet, in quem neque imbecillitas, neque invidentia cadere possit. Tum quia ipse sine principio genitus est, adeoque impatibilis. Tertio, quod ignorare nequeat quomodo gerenda est cura universorum, eo quod Ignoratio Deum non tangat, & ipse sit potestas ac sapientia Patris, Verbumque ipsius maxime principale. Quarto quia Verbum illud est unum principium, a quo creata cuncta dependent, summum bonum per se amabile, quod ad sui contemplationem quemque allicit, adducitque. Hæc vero e longiori Clementis oratione in epitomen a me redacta non poterant de summa Filii divinitate proferri magnificentius. Postremo addam argumentum, licet negativum, non omnino spernendum; nunquam Arium ipsius Alexandrinæ urbis germen veneficum, neque alium quempiam Arianorum e scriptis Clementis verbum vel minimum protulisse; quod non solum constat ex Rufino in Apologia Origenis, sed etiam ex Patribus singulis, qui in refellendis hæreticorum illorum argumentis versati sunt.

Objicit Clericus citata Epist. judicium Photii parum Clementi honorificum, quo Cod. CIX. Biblioth. notans errores librorum, qui Hypotyposes inscribebantur, secundo loco istum censet: *Filium etiam ad creaturæ sortem deprimit*.

Verum demonstrandum est Clerico libros Hypotyposeon esse genuinos, neque fuisse falsatos: quod nos evincimus ex ipsomet Photio. Etenim eodem Cod. inquit: *Alia id genus sexcenta blasphema voce nugatur, sive ipse, sive quis alius ejus personam indutus*. Deinde Cod. CX. de libris Pædagogi, ait: *Stolidis illis, ac blasphemis opinionibus omnino vacat*. Et Cod. CXI. in libro VIII. Stromateon, sive Clementis sit, sive ex aliis libris collectus, *multa*, inquit, *quæ ibi* (in libris Hypotyposeon) *dicta fuerunt, oppugnat*. Quare judice Photio fabulosi sermones, in quos Hypotyposeon Auctor dilabitur, non sunt fortasse Clementis, & si illic in nonnullis haud recte dicere videtur incertus Scriptor, Clemens in genuinis operibus stolidis opinionibus vacat, & Hypotyposeon blasphemias condemnat. Addendum quod in Apologia pro Origene innuit Rufinus, fuisse Clementis plura ab Arianis interpolata.

At inquit Clericus: Sententiam traditam in libris Hypotyposeon, & quam postea defendit Arius, redolent etiam nonnulla loca, quæ in Stromatum opere leguntur. Sic libro V. Sapientiam, quæ omnia permeat, ait esse *primum a Deo creatam*. Libro vero VII. sic describit Filii substantiam: *Filii natura, quæ est soli omnipotenti propinquissima*. Illa autem propinquitas naturæ diversitatem saltem numericam indicare videtur. Fere eadem Petavius lib. II. de Trinit. cap. IV. num. I.

Resp. ad I. Nisi Arianorum fraude *πρωτότοκος primogenitus*, in *πρωτόκτιστον, primo conditum*, fuit commutatum, Clemens unum usurpat pro altero, quod non est apud veteres inusitatum, licet revera Græci sermonis proprietate *creare* magis consignificet quod *conditum* est, quam *genitum*, & quod ex producentis oritur substantia. Vel de Sapientia accipiendus est, quatenus a principio in rerum creatione ad hominum captum descendit; quo sensu dici *primogenitam* creaturarum notat in Orat. 3. contra Arianos Athanasius. Hinc Clemens Sapientiam appellat *quæ omnia permeat*, egregiam nempe creaturarum connexionem, & productionem. Neque aliter sentire potuit qui eodem libro demonstrat unum esse principium omnium, ingenitum, & improductum, *de quo illa vera profluxit oratio, nempe, Audi Israel: Dominus Deus tuus unus est*. Ac subinde illud unicum universitatis principium affirmat esse Patrem simul & Filium. Hunc vero nominat *ingenitum*, & infra, *genitum absque principio*, quatenus non est ab alio principio creatus, ut rectissime animadvertit Hervetus. Ac priorem nodum ita solvimus. Secundus facile expedietur, si dicamus, naturam Filii propinquissimam esse Patri, quoniam in utroque est eadem, & una. Priusquam enim Alexandriæ tamquam dæmonium meridianum Arius nasceretur, Patres innocenter quædam & minus caute locuti sunt, quæ non possint perversorum hominum declinare calumniam; ut docet in 2. adversus Rufinum Apologia S. Hieronymus. Porro hunc esse Clementis sensum ex eodem loco probatur. Mox enim honorifice de Filio scribit: *Dei Filius non divisus, non dissectus, non migrans e loco in locum, sed ubique semper existens, nec ullo modo circumscriptus, totus oculus, omnia videns, omnia audiens, omnia sciens, potestates potestate perscrutans, &c.* Vidit hæc eruditus Petavius, & ait putasse Clementem Filium diversæ a Patre naturæ, sed excellentis & supremo Deo proximæ. At nonne appellat istic Filium immensum, infinitum, omnipotentem, ac Dominum universorum? An non sunt hi supremi Numinis characteres? Sed nutat Petavius hoc loco: & nonnulla deinceps affert ex Clemente summæ Christi divinitatis apertissima testimonia, uti quod habetur in primo Pædagogi cap. 9. *Universorum Deum unum esse, solum, bonum, justum, opificem, Filium in Patre?*

Sunt qui argumento respondent cum Juenin Tom. 3. p. 54. vocem *naturam* ibi a Clemente sumi pro Persona; idque mirum non esse, cum vox græca *φύσις* eo in sensu nonnunquam ab aliis sumpta sit. Quod non improbo; tametsi non habetur hoc loco *οὐσίας* vocabulum, sed *φύσεως*, & utrumque perraro accipiatur apud veteres pro *hypostasi*.

CA-

CAPUT VI.

Origenem Adamantium a nota Arianismi vix posse excusari.

LIBER hic Apologeticus non debet in defensionem Origenis contra conscientiam excurrere; neque tenemur ab homine, cujus scripta sanctissimi Antistites, & Alexandrina, necnon quinta generalis Synodus rejecerunt, nævos omnes abstergere, atque lavare, ut inquiunt, Æthiopem. Habet ille alios Apologistas, Eusebium Pamphili, Joannem Picum Mirandulanum, Sixtum Senensem, Jacobum Merlinum, Genebrardum, Petrum Halloixium, & non infimi subsellii Theologos, qui ætate nostra de Trinitate scripserunt: quorum auctoritate ac doctrina poterit quisque in partes Origenis decertare. Me vero amor veritatis in oppositas facilius trahit; etsi compertum habeo strenuissimos esse, qui pro Origene pugnant. Non sunt tamen sive numero, sive eruditione cum Adversariis, quos sequimur, comparandi; quorum solo nomine recitato, magnum accedit nobis veritatis præsidium. Sunt hi Theophilus Alexandrinus, Anastasius Papa, Hieronymus, Epiphanius, Augustinus, Justinianus Imperator, & præter Theologorum maximam multitudinem, viri de Ecclesiastica Historia, & Patrum dogmatibus optime meriti Petavius libro I. de Trinit. cap. IV. Daniel Huetius in Origenianis lib. 2. Norisius in dissert. de V. Syn. cap. 2. Natalis Alexander dissert. XVI. §. 2. sæculi tertii, &c.

PROPOSITIO: Origenes a labe Arianismi nequit omnino purgari.

Ac primo: Cum a libris Origenis plura absurda prorsus & impia fuerint resecta, quomodo a se factum fatetur in Præfat. Periarchon Rufinus ipse Assecla Origenis pertinacissimus; æquum est ex antiquorum potius testimonio, quam ex monimentis assutis ferre de ejus opinione judicium. At antiquiores Patres Origenem pessime de Trinitate sensisse affirmant. Id ergo erit de sententia Origenis existimandum. Minor probatur ex Hieronymo, qui in Epist. ad Avitum loquens de Nicænis PP. ait: *Origenem fontem Arii percusserunt*. Ex Epiphanio, qui ad Joan. Jerosolymit. scribit: *Arii patrem Origenem, & aliarum hæreseon radicem & parentem laudare non debemus*. Ex Aug. in lib. de Hæresib. cap. 43. vet. edit. ubi testatur ab Origene creaturas constitui Filium & Spiritum Sanctum, & præterea illum asserere *quod Filius Dei sanctis hominibus comparatus veritas sit; Patri collatus mendacium: & quantum distant Apostoli Christo, tantum Filius Patri*. Ex pissimo, doctissimoque Imperatore Justiniano, cujus in Epist. ad Mennam hæc sunt verba: *Ante omnia in ipsam sanctam & consubstantialem Trinitatem blasphemias ausus est dicere, Patrem majorem esse Filio, Filium Spiritu Sancto, Spiritum Sanctum aliis spiritibus. Porro hoc ad impietatem suam addidit, ut diceret non posse Filium Patrem videre, nec Spiritum Sanctum Filium: ipsum Filium, & Spiritum Sanctum creaturas esse, &c.* De qua Justiniani sententia lege quæ adversus Halloixium profert cit. loco Norisius.

Defensores Origenis respondent I. alios Patres ipsum tanquam Orthodoxum commendare. II. Hieronymum & Epiphanium libris Origenianis malevolorum arte corruptis fuisse deceptos. III. Origenem Apostolica doctrina a Clemente Alexandrino, & Ammonio imbutum fuisse, eamdemque esse caussam discipuli ac magistrorum. IV. Produci testimonia Origenis contra Arianos a D. Athanasio in libro de Decret. Nicænæ synodi. V. Ex ejus libris, non ex Patrum testimoniis hominem pingendum esse.

Sed hæc omnia minime Origenianam caussam reddere possunt meliorem. Nam prima responsio impugnatur ab Augustino in eodem loco his verbis: *Defensores ejus dicunt, Origenem Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unius, ejusdemque substantiæ docuisse; sed qui ejus plura legerunt, contradicunt*. Præterea nemo unquam in Origenis lectione versatus fuit, ut Hieronymus, qui & plura latine reddidit ex græcis Origenianis, & de ipsius mente cum Rufino gravissimum iniit certamen, ac tantam hac in re servavit æquitatem, ut Ecclesia approbet libros Origenis, quos Hieronymus approbat, rejiciatque quotquot ille rejicit. Ad hæc, Rufinus ipse fatetur a se quædam absurda de Trinitate a libris Periarchon resecta: quare impuri sunt & cœnosi Origeniani fontes, ipsorum Apologistarum confessione. Neque altera responsio melior est. Etenim Origenem dum adhuc viveret, damnavit hæresis Demetrius Alexandrinus Antistes, & in ejus damnationem consensit urbs Roma. Damnatum ab antiquis Patribus, & ab Heracla expulsum testatur Theophilus, imo integra synodus Alexandrina; ideoque in eo blasphema dogmata apparuerunt, nondum assutis laciniis. Adulteratos quoque non fuisse libros Origenis, demonstrat Hieronymus lib. 2. Apolog. contra Rufinum cap. 4. & 5. Constat insuper libros Periarchon temere a Rufino interpolatos Catholicis dogmatibus substitutis, & e contra translatos a Hieronymo, qui magno literariæ Reipublicæ detrimento perierunt, fuisse officinam errorum. Quapropter interpolatio librorum Origenis ab asseclis ejus, non ab adversariis peracta est, & potius emendata ejus scripta censenda sunt, quam conspurcata. Hujus generis est responsio tertia; nam & hæreticorum complures audierunt Patres inculpatæ doctrinæ; & Origenes adolescentulus evectus ad Cathedras fervidissimo indulgens ingenio Majorum momentis Platonicorum prætulit rudimenta. Ad IV. vero, missa Huetii animadversione parum Athanasio honorifica, dico Origenem affirmasse Filium quidem esse ex substantia Patris genitum, ut observat Epiphanius, gradus tamen in Trinitate excogitasse, docendo Filium esse veluti effluvium divinitatis, coexistens Patri ab æterno, ab eoque tamquam splendor a sole promanans: ita ut Pater sit lumen incomprehensibile, Filius vero splendor perpetuus, sed qui sub oculos cadat; illum Deum substantia, hunc vero participatione dumtaxat: quam fuisse sententiam Platonis demonstrat in lib. 4. contra Julianum Cyrillus; teneri autem ab Origene affirmat in Epist. ad Avitum Hieronymus, ac manifeste, ni fallor, probat in Origenianis idem Huetius. Hæc quamquam falsa sunt, probant ex principiis Arianorum Verbum esse Patri consubstantiale, licet id non consequatur ex principiis Origenis. Eccur? Negabant Ariani Verbi consubstantialitatem, propterea quod fuerit ex non extantibus, non e Patris substantia, sed ex nihilo procreatum. Quare Athanasius jure ac merito etiam Origenis auctoritate contra Arianos decertat: quippe fatetur Origenes Filium esse genitum, esse splendorem paternæ gloriæ, esse Patri coæternum: quamquam de hac postrema Filii dignitate hac subdola parenthesi loquitur: *Equidem audacter hoc etiam adjecerim*. Corruunt ergo ex Origene præcipua Arianorum machinamenta. Ceterum Verbum, uti genitum & coæternum, ita unum cum Patre substantia Origenem existimasse, neque verum est; neque ex verbis, quæ profert Athanasius, potest inferri.

Itaque contra postremam Responsionem Origenis perfidiam etiam ex ejus scriptis demonstro. Tom. 2. in Joannem scribit, unum esse verum Deum, & hunc in sacris literis intelligendum, quotiescunque ὁ Θεὸς cum articulo ponitur; eum autem legitur sine articulo, significari Dei Filium, & ceteros, qui sunt Dii tantum participatione. Item docet eos, qui Dei Filium adorant, medium tenere locum inter illos, qui Deum universorum habent, & alios, qui colunt solem, & lunam, omneque cæli ornamentum: unde manifestissime sequitur, non esse Filium Deum, ac Dominum universorum; quemadmodum Dii gentium non sunt cum Filio Dei æquiparandi. Hæc, aliaque plurima apud Natalem Alexandrum, & Huetium.

Respondent Defensores Origenis, inter quos Tournely de Trinit. pag. 225. velle Origenem hoc unum, quod præfixo articulo designetur Patrem esse Personam distinctam a Filio, & fontem ac principium totius divinitatis; idque legenti Origenis textum patescere. Præmonuerat supra pag. 222. de Origenis mente ex libris contra Celsum, qui indubitati sunt, & malevolorum corruptelæ minus obnoxii, ferendum esse judicium. In his, quos ingenio per ætatem magis subacto limavit, illustria pro Fide Trinitatis inveniri testimonia. Hæc ex Bullo sect. 2. cap. IX.

At neque hæc absolvunt Origenem. Enimvero citato loco in Joan. diserte ait Θεὸς sine articulo designare multos Deos, qui tales sunt participatione, in eaque differentia etiam Verbum comprehendi. *Sed quoniam*, inquit, *verisimile est futurum ut multi offendantur, quia diximus unum esse verum Deum, nempe Patrem; & præter Deum verum, multos factos Deos participatione Dei, verentes gloriam ejus, qui omnem creaturam præcessit, æquari reliquis obtinentibus appellationem Dei sine articulo. Præter datam differentiam, per quam Deum Logon diximus reliquis omnibus Diis ministrum esse Deitatis, etiam hæc differentia est apponenda*. Hic proculdubio ait Verbum dici Deum sine articulo, non solum quod originem habeat a Patre, verum etiam quod sit Deus participatione, non Deus verus; neque æquare possit gloriam ejus, qui omnem antecellit creaturam, & sit Deus tantum appellatione, in hoc ceteris præstantior, quod reliquis Diis minister sit Deitatis. Pejor est altera differentia: sequitur enim: *Ea ratio, quæ in singulis rationis capacibus inest, eamdem comparationem habet ad illam rationem, quæ in principio apud Deum est, & Deus est Logos: quam habet Deus Logos, idest, ratio sine articulo ad Deum cum articulo. Ut enim Pater αὐτόθεος, hoc est, per se Deus, & verus Deus, se habet ad imaginem, & ad imagines imaginis: sic hunc in modum se habet ipse Logos, hoc est, ipsa ratio ad eam quæ in singulis est rationem*. Quem locum quidam benigne explicant de origine Filii a Patre, non adtendentes primigeniam imaginem, idest, Filium a vero Deo tantum juxta Adamantium distare, quantum distant a Filio Imagines, videlicet, creaturæ a Patre per Filium productæ.

Postremo etiam ex libris contra Celsum, quos nullam violationem subiisse posset negari, affirmante doctissimo Huetio Origenianarum Quæst. pag. 233. corruptos esse libros, quotquot ex Origenianis ad nos fortuna transmisit: ex libris, inquam, contra Celsum comprobatur propositio. Nam lib. VIII. hæc habet: *Religiose colimus Patrem veritatem, & veritatem Filium, duos quidem substantia, unum vero concordia, consensu, & voluntatis identitate*. Neque enim Græcum nomen *hypostasis* sumitur hoc loco pro Persona; siquidem post assertam distinctionem per-

personalem commemorasset unitionem substantiæ, non voluntatis concordiam: qua eludunt Ariani Christi verba: *Ego, & Pater unum sumus*. Præterquamquod priscis temporibus *hypostasis* pro *usia* usurpabatur, ut constat ex Epist. Hieronymi 57. ad Damasum. Videtur tantum addere *usia* subsistentiam; ita ut diversæ *hypostases* sint diversæ *usiæ* ultimæ, & individuæ, sed multiplicata hypostasi etiam multiplicetur natura. Dixi priscis temporibus, & præcipue apud Origenem, qui personas appellare solet *ἰδιότητας*. Nunc hypostasim solam subsistentiam, ac personæ rationem designare nullus ignorat.

Multa sunt, quæ ex his contra Celsum libris pro Origene profert Georgius Bullus. Hujusmodi sunt, quod lib. III. Verbum Deum, ac Dei Filium, sapientiam, veritatemque compellat. In IV. Christum immortalem, incorruptibilem, & passionis expertem, quantum ad substantiam divinitatis, fatetur. Affirmat in V. omnem creaturam transcendere, & præexcellentem habere divinitatem. Ait in VI. Primogenitum, qui factus non est, neminem nosse, quomodo Pater, qui eum genuit; neque Patrem quisquam, sicut animatum ejus Verbum, veritas, & sapientia. In VIII. definit Filium non esse separandum a Patre, neque in Deo esse tantummodo trinæ appellationis vocabulum.

Speciosa sunt ista, sed tamen in ore Origenis valde suspecta. Nam si cum Platone gradus in divinitate constituit, ut inquit Justinianus, & ex Patris substantia, non ex nihilo genitum, sed tamen creatum Verbum Dei pronuntiavit, ut docet hæresi 64. Epiphanius; contegunt hæc nimirum verborum cortice perfidiæ medullam, non prædicant incontaminatam de Trinitate doctrinam. Dixerit ergo Origenes Dei filium, Verbum, ac sapientiam, quia genitus a Patre, & invisibilis ejus imago; impatibilem quoque & immortalem, cum sensilis non sit, nec materiæ commixtione partibilis: non factum, non creatum, quatenus non est eductus a nihilo. Dixerit notum soli Patri, unumque cum eo unitione substantiæ; quoniam ceteras Dei imagines supergreditur: potuit nihilominus credere Filium inferiorem gradu altissimæ divinitati, atque ad eamdem spectare tanquam individuum ad speciem. Hæc namque sunt Origenianis principiis cohærentia. Quædam alia afferunt Apologistæ, sed ex libris, quos Rufinus flagitiose detruncavit, aut ex laciniis, quas temere affixit. Atque hæc est sententia nostra de viro alioquin clarissimo; cujus doctrinam non semel Romana Ecclesia damnavit; Animam vero cum Ario torqueri in inferis legitur in Prato Spirituali apud Bellarminum de Script. Ecclesiasticis: quod num verum sit, ille novit qui habet claves abyssi.

C A P U T VII.

Perperam Arianos in suæ hæresis patrocinium advocasse Epistolam Dionysii Alexandrini.

SUPPAREM Origeni Dionysium Ariana dogmata præformasse, & Anomæorum impietati semina præbuisse scribit Magnus Basilius in Epistola prima, & quadragesima; & lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 4. Gennadius. At celebrem virum defendunt Athanasius in peculiari libro, quem edidit de sententia Dionysii, libro x. Facundus Herm., & recentiorum Theologorum quamplurimi. Neque controversia difficilis est, si rerum gestarum ordinem teneamus: quod, ut facilius percipiatur, dabo operam, ut ex ipso Athanasio, cujus libri contexam epilogum, Dionysianam historiam intelligamus.

Cum itaque in Pentapoli superioris Lybiæ quidam Episcoporum sententias Sabellii fuissent amplexi; Dionysius re cognita, ut eos a pravis opinionibus revocaret primum legatos misit: deinde nihil de stultitia remittentibus, coactus est ad illorum retundendam improbitatem Epistolam scribere; in qua Evangelicis testimoniis humanitatem Christi comprobavit, ut Filium Dei abnegantes, & Patri ipsius imputantes humana, non Patrem, sed Filium pro nobis hominem factum esse doceret, eosque, demonstrata distinctione personarum, paullatim ad credendam Filii divinitatem perduceret. In hoc vero Dionysius & nihil simile habet cum Ario, & exemplum secutus est Petri, Pauli, Stephani; qui in Apostolorum Actis antequam enunciarent Christi divinitatem, eumdem esse hominem ac Reparatorem semini Abrahæ promissum collatis Prophetarum textibus prædicarunt.

Accepta Dionysii Epistola Pentapolitani illum apud Romanum ejusdem nominis Pontificem detulerunt, ejus scripta non integre, neque bona conscientia, sed pro libidine, juxta obtrectatorum consuetudinem, recitantes. Tria autem fuerunt præcipua accusationis Capita. Primum quod Christum non semper fuisse in laudata scripsisset Epistola, & Patrem aliquando sine Filio nominasset. Quam priorem accusationem repellit in Apologia, quæ sola ad Arianos damnandos sufficiens est, affirmans se de Christo ut homine fuisse locutum, ut divinarum personarum ex Incarnationis mysterio ostenderet distinctionem; prout susceptum adversus Sabellianos institutum postulabat. Videndum ergo erat qua occasione, & ad quos homines dedisset Epistolam; & observandum etiam agricolas pro subjecti soli ratione curare arbores, nec minime culpandos esse si unam inserant, istam amputent, evellant alteram. Ceterum nomina Patris & Filii inseparabilia profitetur, & Verbum semper Genitori suo coextitisse. Accusationis pars alia fuit, non scripsisse Dionysium quod Filius genitus sit e Patris substantia: quam impietatem supplodit, obtestans se hæc de sola natura humana enunciasse, & firmissime credere Filium Patri Consubstantialem. Ad eamdem rem ait, allata a se exempla agricolæ & vitis, fabricatoris & navis: quorum primum etiam Evangelii testimonio Christi designat humanitatem. Addebant Pentapolitani & tertium crimen, appellavisse Dionysium Verbum a Patre conditum; quod profligat & eacutit affirmans se voces illas adhibuisse, ut ostenderet non Patrem esse, sed Filium, qui creatum, conditum, & factum corpus induerit; ac proinde Filium, ut hominem, factum, conditum, creatumque censeri. Uno verbo, Dionysius Personarum distinctionem contra Sabellianos propugnat, radicis & plantæ, fontis ac fluvii additis comparationibus; ut intelligerent Adversarii non esse unicam in divinitate Personam.

Ex hac historica narratione, quam ex memorato libro Athanasii, & inserta ipsius Dionysii Apologia iisdem fere verbis exscripsi, tria apertissime consequuntur. Primum, tertio Ecclesiæ sæculo ubique terrarum dogma de Verbi divinitate obtinuisse; in Romana Ecclesia, ubi Dionysius Papa acceptis Pentapolitanorum literis adversus Alexandrinum coegit Synodum, jussitque ut illatis accusationibus responderet, quemadmodum is fecit memorata exquisitissima Apologia: in Lybia, ubi Ecclesiæ Antistites dogma de Verbi creatione execrati, apud summum Ecclesiarum omnium Præsulem, Alexandrinum Episcopum accusaverunt: & apud Ægyptios, ubi Dionysius illatam sibi calumniam repulit, & de Verbi consubstantialitate tam illustria reddidit testimonia. Sequitur secundo Dionysii sententiam non ex priori Epistola ad Ammonium, & Euphranorem pensitandam esse, sed ex quatuor præfatæ Apologiæ libris; ex illa autem Sabellianam hæresim profligari, ex his Arianam. Infertur ultimo Basilium fidem Dionysii vellicare, propterea quod solam ejus adversus Sabellianos Epistolam legerit, Romæ accusatum noverit, & sparsos rumores audierit: quod haud obscure citato loco his verbis significat: *Impietatis Anomæorum, quantum scimus, primus iste humano generi semina præbuit: caussam vero hujus rei non puto improbitatem animi fuisse, sed quod Sabellio vehementius obluctari cuperet*. Potius ergo credendum Athanasio, qui scripta omnia Dionysii pervolvit, atque de ipsius mente librum edidit peculiarem: nec audiendus Gennadius Basilianæ Epistolæ lectione deceptus.

Ne autem in Historia Ecclesiastica peregrinos nonnihil commoveat Chronicon Eusebii, in quo ponitur obitus Dionysii Alexandrini anno ante electionem Dionysii Romani; unde illius Apologia censeri posset adulterina: notandum est, eumdem Eusebium istius Apologiæ meminisse lib. VII. H. E. cap. 26., Chronicum vero ita corrigendum esse, ut Dionysius renuntiatus sit Papa die 20. Julii anno Æræ vulg. 259. quo capto Valeriano a Sapore Persarum Rege solus regnare cœpit Gallienus, obierit autem regnante jam Aureliano die 26. Decembris an. 271. Dionysius vero Alex. vita functus sit XII. anno Gallieni, idest Æræ Vulgaris 266. Quæ constant ex anno passionis Xysti coronari martyrio, Coss. Tusco, & Basso, idest, anno quo occubuit Cyprianus, 258. & ex Epist. Synodica secundi Concilii Antiocheni ad Dionysium, de qua Eusebius in VII. H. E. cap. 30. Quod enim Dionysius successerit Xysto post XI. menses, diesque 17., & præfata Synodus coacta fuerit sub Aureliano circa annum 270. luce meridiana a Cl. Schelestrate Dissert. 2. Antiq. Eccl. redditur manifestius.

C A P U T VIII.

Exploditur Socinianorum de sententia Athanasii insignis hallucinatio, & de Symbolo nomine ejusdem inscripto variæ recitantur opiniones.

NEQUE Athanasio, qui Nicænæ Synodo anno 325. interfuit, pugnavitque contra Arianos glorioso certamine Fidei caussa atrocissimas persecutionum procellas imperterrito animo perpessus, Hæreticorum malevolentia pepercit. Docuisse illum, Patrem Filiumque unum esse sola voluntatis concordia, & dogmata pugnantia cum Symbolo, quod appellant Athanasianum, contendit Wolzogenius tom. 2. pag. 307. opponens Dialogum I. de Trinit. ex Interpretatione, ut advertimus, Theodori Bezæ. At hostes permiscet Socinianus, victosque victoribus. *Nos quidem*, ait Athanasius Orat. I. contra Arianos n. 9., *ex divinis Scripturis libere, & confidenter de pia rectaque fide loquimur, quam tanquam lucernam super candelabrum collocantes, dicimus: Filius verus natura, & genuinus est Patris, ejusque substantiæ proprius, sapientia unigenita, Verbum verum ac unicum ipse est Dei, non res creata vel facta, sed proprius substantiæ Patris fetus. Quocirca Deus est verus, veroque Deo consubstantialis existit*. Quam piam, rectamque fidem beatissimus Athanasius ubique confirmat.

Fallitur ergo Wolzogenius, & non quidem uno, sed duplici

plici errore, utroque autem palmari. Error primus est, quod non adverterit in præcitato Dialogo post voluntatis, & concordiæ unitionem, etiam statui identitatem substantiæ, & omnem aliam in Deo negari distinctionem præter eam, quæ ex opposita relatione oritur. Nam petenti paullo post Anomoeo, *Nulla est igitur differentia Patris, & Filii, & Spiritus Sancti?* respondet Orthodoxus. *Nulla sane neque in natura, neque in voluntate, sed in eo demum aliqua, quod gignere & gigni, emittere & procedere, sive emitti, inter se differunt.* Ex quibus constat etiam in hoc Dialogo Catholicam contineri sententiam, ac Wolzogenium maxima oscitantia, aut execrabili peccare malitia. Alter error est, & supinus, quod tribuit Athanasio Dialogos de Trinitate, quos illi abjudicant Eruditi. Joannes Garnerius in supplementum adscribit Theodoreto, Franciscus Combefisius, Rivetus, Dupinius tribuunt Maximo fortissimo Monothelitarum debellatori. Petuntur prioris sententiæ argumenta a tempore & scopo Auctoris, quem ex Dialogo tertio liquet scripsisse post Secundam Synodum, & agere singillatim adversus hæreses etiam Athanasio posteriores. Quæ Garnerii conjecturæ probant Dialogos non esse Athanasii, sed eas facile evertent qui Dialogos adscribunt Maximo. Citant hi perantiquos Codices Romæ, Venetiarum, Ducangii, necnon Gregorium Protosyncellum, Acyndinum, Demetrium, aliosque Græcos, qui eos laudant sub nomine Maximi; styli quoque & phraseos observant similitudinem. His ego potius assentior, quam Garnerio: sed quidquid sit de vetu Dialogorum Scriptore; *inter doctos omnes convenit non esse Athanasii*: ait tom. 2. Bibl. pag. 73. Dupinius. Atque his alter Wolzogenii error excutitur.

Quantum spectat ad Symbolum dictum Athanasii, me non fugit a recentioribus Criticis ex genuinis ejus operibus expungi, quorum validas argumentationes reperies apud Vossium dissert. 2. de tribus symbolis, Henricum Heideggerum tom. 2. Selectarum disputat. dissert. XVIII. Casimirum Oudinum de Script. Eccles. tom. I. pag. 346. Dupinium in notis ad scripta Athan. tom. 2. Biblioth. pag. 101. & ex Scholasticis apud Juenin tom. VI. Instit. diss. IV. cap. 2. art. 3. §. 4. In horum sententiam fateor me propendere, non ita tamen, ut certissimam esse definiam, & opposita non videatur mihi probabilis. Proferam pro utraque rationes, & ostendam quid certi exhibeant, quid dubii, & deinceps, salvo eruditorum virorum judicio, mentem meam patefaciam.

Septem argumenta, quæ cum subjectis responsionibus producam, inveniuntur apud recentiores Criticos, negantes esse opus Athanasianum: Primum est: Nullus ante annum millesimum Symbolum istud sub Athanasii nomine laudavit. Primi, apud quos Athanasiani Symboli fiat mentio, sunt Ἀποκρισιάριοι, hoc est, Legati a Gregorio IX. Constantinopolim missi anno CIↃCCXXXIII. ad Græcos Latinis conciliandos. Tribuit & Athanasio in Apologetico ad Reges Francorum Hugonem & Robertum Abbo Floriacensis. Is omne præsidium est Cæsari Baronio ad annum CIↃI. At sunt hi pro vetusto Scriptore testes parum idonei. Huic tamen argumento respondere possumus, non solum Abbonem, qui vixit a millesimo anno, sed Hincmarum, Radulphum, Aymonem, Hugonem, aliosque, qui circa decimum sæculum vivebant, hoc symbolum tanquam Athanasii laudasse. Plurium autem Scriptorum consensus quasi exploratam manifestat traditionem. Hanc viguisse etiam apud Græcos inde colligitur, quod Schismatici non ausi sunt negare esse opus Athanasianum, sed tum Apocrisariis, cum ceteris adversus eos disputantibus, ut constat ex prima disputatione Gennadii Scholarii, maluerunt respondere Athanasium ab aliorum sententia recedere; &, quod summæ impudentiæ est, cum Symbolum edidit fuisse ebrium. Probabile quoque est meminisse hujus symboli Nazianzenum; & depromptas inde sententias contineri in Concilio Augustodunensi anno 670. & in IV. Toletano celebrato anno 633. Multa denique Patrum Opera tamquam genuina fuerunt recepta, quæ plurium annorum curriculo latuerunt.

Argumentum secundum est, quod Symbolum istud inter vetustos Codices, sub nomine saltem Athanasii, minime reperiatur: quare inter dubia incertaque reponitur ab Abrahamo Sculteto in Medulla PP. parte II. cap. XL. Sed resp. Petrum Felcmannum Coronæum in Variantibus Athanasii lectionibus testari se tandem incidisse in Codicem Bibliothecæ Palatinæ, ubi Athanasii diceretur. Et quoniam Vossius ait, quod una hirundo non facit ver, addimus antiquissimum Ms. Bibliothecæ Vaticanæ, & pervetustum Germanensem Lutetiæ Parisiorum.

Tertium argumentum petitur a fabula, qua narrant Athanasium conscripsisse symbolum in puteo Trevirensi, ubi diu latuit, ut Arianorum subduceretur insidiis. Quod falsum est, & natum ex Historia Rufini, qui lib. I. cap. XVIII. ait Athanasium per sexennium in sicca latuisse cisterna: verum id in Ægypto, non Treviris compertum est contigisse. Respondetur tamen plura haberi tamquam germana Opera alicujus Scriptoris, etiamsi ignoretur locus, & tempus, quo fuerunt elaborata: & verosimilius videri symbolum ab Athanasio conscriptum, quando apud Julium Papam ab Eusebiana factione iniquissimis petebatur calumniis, anno nempe 339., ut docet Manuel Calecas lib. 2. contra Græcos, & Baronius ad annum 340. Ait Vossius, Athanasium non fuisse accusatum de doctrina, sed tantum quod ipsius reditus magnum Alexandrinis civibus causasset moerorem, cædesque complures; & quod a Synodo damnatus, nec ab ea restitutus sedem contra Canones recepisset. Addit Athanasium in Epistola ad Antiochenses asserere non esse proferendas Fidei formulas præter Nicænam, quomodo & decrevit Synodus, quæ Sardis convenit. Gaspar Juenin inquit, Joviano Confessionem fidei petenti, non aliam misisse Athanasium præter Nicænam. At ex priori Vossii responsione potius infertur Athanasio fuisse consilium, hujus symboli exhibitione demonstrare se in Synodo Tyria præter fas, jusque damnatum. In Epistola autem ad Antiochenses, & in Sardicensi Synodo indicatur ne altera condatur fides contra illos, qui adversus Nicænum symbolum, quasi quædam ei deessent, obloquebantur: neque ullibi vetitum invenio Catholico viro propriam adversus obtrectatores exponere professionem. Jovianum præter Nicænam Fidem, ob exorientem Macedonii hæresim, quædam alia postulasse Vossius ipse non negat; & decipitur Juenin. Et quidem ad refellendam hæresim eorum, qui deitatem Spiritus S. negabant, videbatur etiam Niceno symbolo aliquid superaddendum, uti factum in Synodo Constantinopolitana post annos duodeviginti. Hinc jugulatam ab Athanasio hæresim Macedonii ante commemoratam Synodum, auctor est Nazianzenus.

Quartum argumentum est, Auctorem Symboli Athanasiani fuisse Latinum, cum Græca exemplaria varient, & Latina omnia consentiant: id enim indicio est, ex Latino in Græcum, non ex Græco in Latinum fuisse translatum. Verum concedendum est primo scriptum latina lingua, quam Athanasius aut didicerat Alexandriæ, aut assecutus est profugus; nisi mavis opera Latini Interpretis usum dictando Fidem Pontifici Romano exhibendam.

Sequitur quintum argumentum, videlicet, quod Latini hoc telo pugnassent adversus Græcos circa controversiam de processione Spiritus Sancti; cum tamen annis prope quingentis, quando de ea disceptatum est, certum sit neminem Athanasii symbolum produxisse. At responderi potest non omnia Antiquorum argumenta ad nos pervenisse, & hujusmodi ratiocinium ejusdem generis esse, ac illud, quo negant aliqui germanum esse illustrem Joannis textum; de quo superiori lib. VII. cap. 3. contra Erasmum ac Simonium disputavi. Certum est hujus symboli auctoritate urgeri Græcos a Manuele Caleca lib. II. contra Græcos ipsos, cap. XX. a Gennadio Scholario cap. 1. sect. 1. & ab Apocrisiariis, quorum superius memini.

Sextum argumentum est, quod videatur Anastasii Sinaitæ, tributumque Athanasio propter vocabulorum vicinitatem: sed in hoc refutando non est necesse vagari: divinare enim vellent Scriptores illi, quorum alii Symbolum adscribunt Anastasio, quidam Eusebio Vercellensi, nonnulli Vigilio Thapsitano, & premuntur singuli iisdem argumentationibus, quas petunt ex Antiquorum silentio.

Postremum, ac præcipuum argumentum est in symbolo Athanasii refutari apertissime hæresim Eutychetis & Nestorii his verbis: *Unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate Personæ. Nam sicut anima rationalis, & caro unus est homo: ita Deus & homo unus est Christus.* Post exortam itaque Eutychianam & Nestorianam hæresim, quas Athanasius multis annis præcessit, symbolum fuit exaratum. Respondet Franciscus Macedo in Theologia Positiva Sch. IV. Coroll. Spiritum Sanctum Ecclesiam suam adversus futuras hæreses munivisse; & recensitos errores, & impietatem Nestorii profligari in expositione Fidei, quæ habetur tom. I. Operum Athan. p. 240. & citatur in Concilio Hispalensi: damnari quoque Eutychetem in Epistola ad Epictetum; hujus vero erroris semina jam olim quosdam projecisse, auctore Euthymio 2. p. Panopliæ. Et quidem Eutychetis & Nestorii in symbolo, de quo agitur, non memorantur Personæ: traditur tantum Fides Catholica, quæ semper eadem perseverat.

Productis, solutisque argumentis contra Symbolum Athanasii, videndum est quibus vulgaris opinio, quæ prius invaluerat, fulciri possit. I. Probatur ex communi sensu Scriptorum qui sæculo decimo floruerunt; & aliorum, quorum difficile esset inire numerum. Plures laudavimus supra, alios profert Vossius diss. 2. de tribus symb. cap. I. Addo hostes alios Romanæ Ecclesiæ Valentinum Gentilem, & Socinianos complures, qui ignominiæ causæ audacter appellant symbolum *Satanasii*; Græcos ipsos Refractarios, quorum de Athanasio calumniam me pudet repetere: Confessionem Witembergensem Lutheranorum, & Conventum Hugonistarum; de quo, loco citato Franciscus Macedo. Sed respondetur juniores esse istos omnes, & magna ex parte callidos Ecclesiæ hostes: recentiores Græcos ut plurimum illiteratos; nonnullos autem id pugnaciter negare, ut Meletius Alexandrinus apud Vos. cit. loco cap. XX. jam inter omnes convenire quod falso nomen præferat Athanasii, ut inquit Dupinius tom. 2. pag. 71.

Secundo probatur ex pervetustis Codicibus, quos laudavi supra in responsione ad 2. Sed respondent hos aut nomen

men Athanasii non præferre, aut non videri ab antiqua manu conscriptos, aut non esse cum iis comparandos, in quibus symbolum non reperitur, sive numerum, sive antiquitatem spectemus. His adde Vigilium Thapsitanum, cui symbolum adscripsit Quenellius, plura sub nomine Athanasii Opera supposuisse.

Rursus probatur auctoritate Ecclesiæ, a qua in Officio Dominicæ, & in Festo Trinitatis legitur ad Primam, & habetur genuinum, atque Athanasianum. Legendi sunt, qui de Divinis Off. scripserunt, Guillelmus Mimatensis lib. IV. cap. XXX. & Joannes Beleth cap. XL. Neque a sola Latinorum Ecclesia, tribuitur Athanasio a Constantinopolitana, a Serviana, a Bulgarica, a Russica, a Moscovitica; ut scribit ad Calvinum Ep. I. Joannes Sarmata. Verum qui modestiores sunt, respondent appellari Athanasianum, quoniam ex aureis Athanasii disputationibus a Latino Theologo mutuatum est, collectis contra subortas hæreses, quæ sparsæ erant, sententiis. Etenim ex Athanasio posteriores quoque hæreticos refelli, docere debent quicunque illi symbolum tribuunt, ut diluant argumentum postremum adversus illorum sententiam paullo supra productum.

Quarto probatur ex Augustino, qui in Psalmum CXX. super illud: *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem: De hoc sole*, inquit, *Pater Athanasius Alexandrinus Episcopus ita pulchre locutus est: Filius Dei a Patre solo est non factus, nec creatus, sed genitus*. Quo argumento utitur Bellarminus lib. II. de Christo cap. XXV. Et Possevinus in Apparatu sacro, voce *Athanasius*. Et quoniam si Augustinum inspiciamus, non adinveniemus nominatim exprimi Athanasium, & videbimus Possevinum, Bellarminum, Vasquesium, alios, bona fide deceptos: gloriatur Macedo se hujus loci diligenter quæsivisse authenticitatem, ac tandem profecisse consilio: extare nempe in vetusta Augustiniana editione ante Basileensem, non quidem in Commentariis in Psalmos, sed in Epistolam I. Joannis, ubi S. Pater præfatum versum Psalmi producit. Respondebunt tamen nullibi apud Augustinum legi verba illa, & etiam codici, quem vidit Macedo, a sciolo Amanuensi fuisse consuta, vel inserta ex marginis adnotatione: quod satis liquet ex optimorum MSS. collatione, ex parenthesi textum hunc intercipiente, ex Macedi hæsitatione, qui demum ait: *Videbatur additus veteri editioni*.

Probatur quinto ex Gregorio Nazianzeno. Is in Oratione de laudibus Athanasii, loquens de symbolo, quod misit Joviano una cum Epistola nomine suo, & illustriorum Episcoporum Ægypti, Thebaidos, & Lybiæ scripta, ait: *Nam cum ceteri omnes, qui doctrinam nostram profitebantur, trifariam divisi essent; ac multi circa Filium, plures circa Spiritum Sanctum ægram fidem haberent: pauci autem utrimque sani, & incolumes essent; primus ille, & solus, aut cum admodum paucis, veritatem palam, apertisque verbis promulgare non dubitavit, unam trium personarum divinitatem & essentiam scripto confessus: & quod multis illis Patribus circa Filium prius concessum fuerat, idem ipse postea in asserenda Spiritus Sancti divinitate superno afflatu consecutus. Atque Imperatori donum vere regium, & magnificum offert*. Hæc sane verba intelligi non debent de Symbolo Nicæno, sed de alio expressius damnante hæresim postea dictam Macedonianam, & Spiritus Sancti divinitatem apertissime contestante: quod constat ex verbis Nazianzeni. Neque intelligi possunt de Epistola Athanasii, cui Nicænam Fidem inseruit; nam & videtur Nazianzenus appellare Confessionem, non Epistolam: & hæc brevis quidem, & clusi Symboli stragulum, non erat forte dicenda *δῶρον βασιλικὸν ὄντως, καὶ μεγαλοπρεπὲς, donum vere regium, & magnificum*. Igitur de Symbolo dicto Athanasiano intelligendus est Nazianzenus, ut demonstrant Manuel Caleca supra laudatus, & Joannes Baptista Desbois in Addit. ad Bellarm. de Christo lib. 2. cap. 25. Respondent nihilominus Adversarii Nazianzenum ad utrumque respicere, & ad Symbolum Nycænum, & ad Epistolam Athanasianam: siquidem Athanasium misisse Confessionem Nicænam, testantur Theodoretus Hist. Eccl. lib. IV. cap. 3. & Nicephorus lib. X. cap. 42. Porro negantes verbum *ὁμοούσιον* solo Nicæno Symbolo refelluntur; & qui in Spiritum Sanctum loquuntur blasphemiam, citata Epistola refutantur.

Ex his infertur quæstionem de Symbolo Athanasii esse de genere illarum, quæ possunt in utramque partem defendi. Videntur tamen prioris sententiæ momenta validiora: atque illam probabiliorem opinor. Ut unusquisque teneat quod magis approbat, ego tela, clypeumque suppeditavi.

CAPUT IX.

Basilium cognomento Magnum nunquam dogma Catholicum violasse.

FILII Divinitatem Basilius Cappadox Episcopus Cæsareæ tam sæcularium, quam sacrarum litterarum celebritate, disciplinæ studio, rectaque vivendi ratione vere Magnus in libris contra Eunomium, in Epistolis contra Eustachium, in Consolatoria ad Ecclesiam Antiochensem, & in omnibus ferme gravissimis Operibus magnificavit. Haud recte sentire de Spiritu Sancto aliquibus visus est; idque cum in Conventu Episcoporum habito Cæsareæ an. 370. in Festo S. Eupsychii de Patris ac Filii divinitate fuse disseruit, & nihil fere de Spiritu Sancto locutus est. De ipsius ergo fide breviter inquirendum.

PROPOSITIO: Basilius veritatem Catholicam nunquam prodidit, ejusque calumniatoribus nulla fides est adhibenda.

Ex scriptis Basilii, ex rebus ab eo gestis, & Gregorii Nazianzeni præclarissimo testimonio probatur hæc propositio. Primi generis argumenta petuntur ex Hom. 27. contra Sabel. ubi ait: *Neque Trinitas manet Trinitas detracto Spiritu: & si unum aliquid ex creaturis adjungatur, universa creatura simul introducetur, & Patri, Filioque annumerabitur*. Et in Epistola 60. docet Nicænam Synodum non definisse doctrinam de Spiritu Sancto, propterea quod nondum apparuerant bellum contra eumdem Spiritum Sanctum gerentes. Tum subdit: *Nihil prorsus in divina, ac beata Trinitate creatum adinvenitur*. Speciatim Spiritus Sancti divinitatem adstruit in Tractatu ad Amphilochium, qui liber totus in hoc argumento versatur: idemque præstat in tertio contra Eunomium. Librum de Spiritu Sancto rejiciunt Protestantes, nec mirum, cum 27. Capite probet Catholicorum doctrinam firmissimo Traditionum præsidio. Frustra tamen, nulloque proventu rejiciunt librum hunc Refractarii; nam Erasmus, quem sequuntur, dimidium Operis recipit, postremam partem nequaquam; quod, ait ille, videatur phrasis alium referre genium, & interdum ad tragicum cothurnum intumescat oratio, & rursus ad vulgarem sermonem subsideat. Et Robertus Cocus genuinum fatetur usque ad cap. XV. At Erasmus idem Orationis vitium in laudatissimis Scriptoribus Hieronymo, Athanasio, & Chrysostomo deprehendi, eodem loco indignatur. Male ergo damnat ob stylum alicubi varium partem Operis Basiliani. Contra laudant Basilii Opus Nazianzenus, Hieronymus, Suidas, Theodoretus, Joannes Damascenus. Quid singulos memorem? Etiam Isaacum Casaubonum Exercitatione XVI. in Baronium, & Guillelmum Caveum, aliosque Heterodoxos proferre possumus, erumpente undique veritate. De Traditionibus autem alibi. Scriptis Basilii addenda sunt egregia ejus pro Catholica Fide facinora, atque illud in primis; quod cum Eustathius Sebastenus junctus Eudoxianis cœpit Spiritus Sancti impugnare divinitatem, Basilius sese ab antiqua hominis amicitia sejunxit, eumque permultis Epistolis confutavit. Denique Nazianzenus Orat. XX. *Nam*, inquit, *quod alioquin melius, quam quivis alii, Basilius Spiritum Sanctum Deum agnosceret, cum ex eo perspicue constat, quod & hoc sæpe de loco superiore, quoad per tempus licebat, prædicavit, & privatim apud eos, a quibus interrogabatur haud cunctanter confessus est: tum vero in suis ad me sermonibus apertius id demonstravit, non simpliciter hoc affirmans, sed, quod ipsi ante perraro acciderat, sibi rem omnium maxime horrendam imprecatus, nempe ut ab ipso Spiritu excideret, nisi cum Patre & Filio ut consubstantialem, & honore parem veneraretur*. Pia ergo Basilii fides scriptis, exemplis, ac testibus comprobatur.

Oppones: In binis Basilii ad Apollinarem Epistolis multi occurrunt circa Trinitatem errores: Athanasius Episcopus Ancyranus adversus Basilii impietatem expostulavit: Eumdem Religiosi viri damnarunt, quod in Festo Eupsychii de Trinitate differens subdole divinitatem Spiritus Sancti reticuerit, & fluvio, qui per alveum distenditur, illum comparaverit: non Deum, sed Dei Spiritum in Hom. 17. appellat: neque pari honore Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum glorificat, usus sæpenumero hac formula; *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*.

Resp. Nunquam Divum Basilium de rebus ad Fidem pertinentibus cum Apollinari habuisse Epistolarum commercium; & binas scatentes erroribus citatas ab Athanasio Episcopo Ancyræ, sub ejus nomine fuisse suppositas: quod ipse Basilius contestatur Epist. 59. his verbis: *Ut calumniam illam, quæ adversus nos invaluit, depellamus, conspicuum facimus omnibus, nihil nobis cum illis esse commercii, qui ad eum modum loquuntur*. De Oratione habita in Festivitate Eupsychii, scribit Epist. 26. Gregorius Theologus Basilium prudentem servasse Œconomiam. *Ingens*, ait, *circa eum bellum est, cupientibus nimirum hæreticis nudam, & apertam vocem ex ipsiusmet Basilii ore accipere, ut ipse quidem ex Ecclesia expellatur, qui solus pene veritatis igniculus restat, & vitalis facultas, vicinis omnibus captis, ac subjugatis. Præstat itaque Œconomiam quamdam ad veritatem adhibitam fuisse, nobis videlicet tempori, quasi nebulæ cuidam nonnihil cedentibus, quam ut illa ob prædicationis perspicuitatem opprimeretur. Non enim ex ea re nihil damni facimus, si ex aliis quoque dictionibus, quibus id certo colligatur, Spiritum Sanctum Deum agnoscamus*. Verum est quod nonnulli hanc Œconomiam ignaviam esse judicaverunt, quod teneamur veritatem palam profiteri: sed aliud est non respondere quærentibus, aliud insidias evitare silentio. Certe Basilius audita calumnia Epist. 33. ad Theologum ipsam temporum catastrophen caussatur: nempe alibi, ut ostendimus, hanc adhibuit circumspectionem. At, inquiunt, Spiritum Sanctum non appellat *Deum*, sed *Dei Spiritum*. Id quidem non semper; nam Hom. 141. ait: *Confitendum*

est

est Deum esse Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum. Quare ubi vocat Spiritum Dei, usurpat Dei nomen, more veterum, *notionaliter*. & habet præclarum imitationis exemplum, idest, Paulum; qui, ut plurimum Dei nomine intelligit Patrem, ut animadvertit Chrysostomus Hom. v. de Incomprehensibili. Demum cap. 25. de Sp. Sancto, demonstrat in glorificationis hymno particulam *In* eamdem vim habere, ac particulam *Cum*: & perinde esse si dicamus: *Gloria Patri per Filium unicum in Spiritu Sancto*, Et: *Gloria Patri, & Filio cum Spiritu Sancto*. Proximo cap. 26. illarum particularum diversitate eloquenter divinarum Personarum exponit originem: & cap. 27. etiam alteram formam approbat ex Apostolica Traditione: ob quam, ut præmonui, liber ille ad Amphilochium minus placet Protestantibus.

CAPUT X.

Agitur de Fide quorumdam Occidentalium, scilicet Tertulliani, Cypriani, Lactantii, & Arnobii.

NOVI Ebionitæ nobis Occidentales quoque Patres objiciunt, præsertim Septimium Tertullianum Afrum genere, patria Carthaginensem, nobilitate conspicuum, & prope finem secundi sæculi literatum splendore clarissimum. Illum etiam Clericus in Hist. Eccl. ad an. 186. contendit docuisse contra Praxeam tres esse divinas substantias; & ambiguum esse in hoc Opere sensum, plures affirmaverunt. Scripsit tamen Tertullianus adversus Praxeam jam Montanista, ut liquet ex libri initio, in quo illius sectæ parentem non semel commendat sub magno nomine Paracleti. At hunc quoque librum ab errore Ariano immunem facile mihi persuadeo ob collationem locorum, Auctorumque perillustrium, cujusmodi sunt Bellarminus, Alexander, Tournely, aliique plurimi, testimonium.

Id modo demonstraturus duo notanda præmitto. Primum est, Praxeam agnovisse unicum Deum mundi conditorem, & improbasse Patris, Filii, & Spiritus Sancti distinctionem, ex qua putabat consequi tres Deos esse, sive tres substantias suis distinctas proprietatibus: idque fatetur ipse Clericus num. III. pag. 390. Ad oppugnandum itaque Praxeam, quid incumbebat Tertulliano, nisi data opera in una divinitatis Natura demonstrare tres Personas esse distinctas, & earum pluralitatem non evertere unitatem substantiæ. Enimvero nisi id efficit Tertullianus, necesse est aut consentiat Adversario, aut illius argutationi succumbat. Advertendum præterea est, quod cum generatio Verbi sit quædam quasi sermonis prolatio, antiqui Patres nonnulli duplicem Filii generationem ante conditas creaturas distinguunt, quod dixerim ego æternam generationem, ejusque progressum. Prima generatio est, cum Pater Verbum genuit intelligendo seipsum; quam generationem constat sempiternam esse, cum Deus semper fuerit Pater, ac rationalis. Altera generatio, seu potius externa Verbi prolatio fuit, quando Verbo virtutis suæ mundum condidit. *Hæc est* (inquit Tertullianus cap. 7. contra Praxeam) *nativitas perfecta Sermonis, dum ex Deo procedit, conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiæ. Dehinc generatus ad effectum, cum pareret cælum*. Hæc tamen analogia potius, quam proprietate sermonis dicta sunt: sed, ut ut videantur, mente ne decidant.

PROPOSITIO: Sententia est probabilior, Tertullianum Verbi non improbasse divinitatem.

Et quidem Ariana perfidia est negare aut æternitatem Verbi, aut propriam ex Patre generationem, aut unam in utroque substantiam; quæ omnia quisquis profitetur ac propugnat, Catholice sentit de Trinitate. Atqui Tertullianus talem asseruit in Verbo æternitatem, generationem, substantiam. Ergo de Trinitate sensit Catholice, & prædamnavit Arianam perfidiam. Probatur minoris propositionis pars prima. Cap. 5. contra Praxeam inquit Tertullianus: *Ante omnia enim Deus erat solus, ipse sibi & mundus, & locus, & omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter ipsum. Ceterum ne tum quidem solus: habebat enim secum, quam habebat in semetipso, Rationem suam scilicet. Rationalis enim Deus, & ratio in ipso prius, & ita ab ipso omnia*. Et cap. 8. *Sermo ergo & in Patre semper, sicut dicit, Ego in Patre; & apud Deum semper, sicut scriptum est, Et Sermo erat apud Deum; Et nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre, quia, Ego & Pater unum sumus*. Secunda pars constat tum ex cap. 21. Apologetici, ubi ait: *Hunc ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex unitate substantiæ*: tum ex verbis superius allatis ex cap. 7. contra Praxeam: *Hæc est nativitas, &c.* Tertia autem pars probatur ex illis verbis cap. XV. *Ita connexus Patris in Filio, & Filii in Paracleto, tres efficit cohærentes, alterum ex altero: qui tres unum sint, non unus: quomodo dictum est, Ego, & Pater unum sumus, ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem*. Etiam in libro de Pudicit. cap. 21. *Trinitatem unius divinitatis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum* profitetur. Eosdem cap. 2. adversus Praxeam declarat esse *Unius substantiæ, & unius status, & unius potestatis*. Igitur Tertullianus, quod erat demonstrandum, Filii æternitatem, generationem, divinamque naturam propugnat.

OPPOSITIONUM REFUTATIO.

Arguit Clericus in Hist. E. ad an. 186. Docet Tertullianus contra Praxeam ac Sophiam ac Verbum in Dei quidem sensu ab omni æternitate paratum, sed accepisse substantiam, ac genitum duntaxat quando Deus universum condere instituit: tum profusum e corde Patris, veluti frutex a radice, fluvius a fonte, radius a sole; ideoque parem habere cum Patre, non eamdem substantiam, & hanc in plures gradus secari. Superat ergo sententia Tertulliani absurditate Arianam. Probat id Clericus quatuor argumentis. I. Tertullianus post fidei confessionem, quam Praxeæ opponit, cap. II. ait: *Tres autem non statu, sed gradu, nec substantia, sed forma, &c.* Quæ ad Praxeam nihil facerent, nisi Tertullianus plures substantias intelligat: libenter enim ille relationes, aut modos in Essentia numero una admittebat. II. cap. 6. inquit: *Ut primum Deus voluit ea, quæ cum Sophia ratione, & sermone disposuerat intra se, in substantias & species edere: ipsum primum protulit Sermonem habentem in se individuas rationem, & Sophiam, ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata atque disposita, imo & facta jam quantum in Dei sensu*. III. Sermonem generatum ad effectum, paulo post inquit, *habere substantiæ proprietatem, ut res, & persona quædam videri possit*. Existimabat ergo Tertullianus Sermonem esse accidens, priusquam Deus eum conderet initium viarum suarum, atque faceret sibi parem, & primogenitum. IV. Cap. 13. explanat Verbi *prolationem* exemplo fruticis e radice prodeuntis, fluvii manantis a fonte, radii a face: *quæ species*, inquit, *sunt probolæ earum substantiarum, ex quibus prodeunt*. Agnoscit ergo Tertullianus unam substantiam divinam *specie*, sed numero non unam, quod & totus liber ostendit. Habet consimilia Petavius lib. 1. cap. 5.

Clerici scopus, ut significat ibidem num. IX., est lectorem præmonere, ne Patribus, qui post sæculum Apostolicum floruerunt, nimium credat: Traditionem evertere, & in sola Scripturarum revelatione regulam Fidei statuere: quod magno verborum apparatu molitur in IV. Epistola Critica, quæ est *de usu Patrum*. Id tamen non potest consequi ex paucorum errore: neque enim unus vel alter poterit universalem Traditionem labefactare. Peccare etiam videtur Petavius, qui fere de omnibus PP. Antenicænis sinistre judicat, augetque Hæreticorum audaciam tanti viri auctoritate pugnantium. Sed vir eruditus non advertit consequentiæ malitiam: & in Proœmio magni de Trinitate Operis docet alios, si Tertullianum ac Tatianum excipias, etsi in consectariis quibusdam nonnihil deflectunt a regula, dogmatis, tamen tenere substantiam. Sed respondetur argumentationibus utriusque. Atque ad primam dico gradus, quos Tertullianus in Deo adstruit, esse relationum ac personarum, idest, unius ab alia originem: primo quia ibidem sequitur: *Tres autem non statu, sed gradu, nec substantia, sed forma, nec potestate, sed specie: unius autem substantiæ, &c.* Deinde, quia contra Hermogenem cap. VII. ait: *Divinitas autem gradus non habet, utpote unica*. Præterea, quoniam nomine gradus, formæ, ac speciei non potest Tertullianus designare nisi ordinem Personarum; cum naturam, sive substantiam, unicam dicat semel, iterumque. Neque verum est Praxeam agnovisse in Deitate pluralitatem relationum, saltem ad Terminum substantialem, ut in priori adnotatione dictum est: alias tenuisset Catholicorum sententiam: sed adstruit relationem ad summum fictitiam, non Personarum subsistentium; qualem proinde *graduum* distinctione Tertullianus designat. Ad 2. dico prolationem Verbi in molitione creaturarum, quam Tertullianus analogice vocat generationem, non excludere sempiternam productionem Sermonis: quod & supra animadverti, & ex eodem loco infertur, qui objicitur. Si enim creaturæ factæ sunt per idem Verbum, ac Sermonem, a quo ab æterno fuerant dispositæ; profecto ab æterno extabat hoc Verbum, hic Sermo: & quod genitus sit *ad effectum*, idest, prolatus ad operis molitionem, non excludit Nativitatem perfectam *sermonis ad cogitatum*, scilicet, in sinu Patris. Ad 3. dico Deum non loqui more hominum prolatitio sermone; sed quando dixit E. G. *Fiat lux*, idem Verbum prolatum est, quod erat genitum ex Patris substantia; hæc autem locutio non connotat terminum intrinsecum ac sempiternum, sed extrinsecum, ac temporarium, idest, creaturam. In hac Sermo dicitur *factus primogenitus*, non quod tunc habuerit subsistentiam, non antea: sed quoniam in productione universi Sermonis virtus est patefacta: quod Tertulliano dicitur gigni; quomodo etiam resurrectio Christi dicitur generatio, idest, quædam æternæ generationis progressio; ut explicavi lib. VII. cap. 9. Ac Tertullianus hoc etiam loco generationem illam sempiternam commemorat, dicens: *Filius factus est primogenitus, ut ante omnia genitus, &c.* Observat insuper de eadem Sophia dici: *Ante Luciferum genui te*, propter originem a Patre; atque *Hodie genui te*, ob prolationem sermonis temporariam: quæ statutam roborant præmonitionem. Ad 4. ne molestum sit plura dicere; illiusmodi exemplis ostenditur Sermonem non esse ex nihilo conditum, sed progenitum e patris substantia. Innuit autem Tertullianus maximum inter allatas comparationes, & Dei Sermonem,

nem, discrimen ; dum illas appellat *substantiarum probolas*, sive emissiones : Filium vero alium a Patre, *Personæ, non substantiæ nomine* ; & infra, *Ubique teneo unam substantiam in pluribus cohærentem* ; ubi naturæ unitionem, non paritatem, ut jactat Clericus, asserit Tertullianus, ac repetit. Illi vero satis, ut arbitror, responsum est.

Rursus objicies : Tertullianus in 2. contra Marcionem Patrem invisibilem facit, at non Filium, quem ab initio conversatum ait, congressumque cum Patriarchis. Item in 3. cap. contra Hermogenem, Patrem ac Judicem non semper Deum fuisse pronunciat verbis hisce absurdissimis : *Quia & Pater Deus est, & Judex Deus est : non tamen ideo Pater, & Judex semper, quia Deus semper ; Nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec Judex ante delictum. Fuit autem tempus, cum & delictum, & Filius non fuit, quod Judicem, & qui Patrem Dominum faceret, &c.* Rursus cap. 9. contra Praxeam Patri totam substantiam divinitatis attribuit, Filio autem portionem quamdam, ac propterea Patrem majorem esse Filio declarat.

Resp. ad 1. Filium per Tertullianum olim apparuisse, non Patrem, quoniam ad illum spectabat legis dispensatio ut Œconomia : ut diximus cap. 2. ad 1. de Justino ; quod non obscure innuit ibidem Tertullianus, docens solum Filium ab initio conversatum, quia hunc Pater *proferendo Filium fecit, & exinde omni dispositioni suæ, voluntatique præfecit*. Ad 2. Ratiocinatur argute ex principiis Hermogenis, qui probabat æternitatem materiæ, ex quo Deus ab æterno fuerit Dominus, & asserebat illam digestam a Filio, quem æternum esse negabat. Sic ergo doctrinam, hominisque acumen retundit. Si ab æterno Deus erat Pater per Filium gignendum in tempore ; potuit etiam ab æterno esse Dominus *per ea, quæ sibi servitura fecisset*. Quod si pugnaciter contendas Tertullianum in proprio sensu locutum : dico Deum non semper habuisse Filium adoptivum, aut naturalem humana carne circumdatum ; quippe consilium Tertulliani est demonstrare in Deo relationem Patris, Domini, Judicis, utpote extrinsecam non connotare terminum ab æterno existentem, ut fallaciam depellat Hermogenis. Atque hic ego Petavium appello ad librum contra Praxeam cap. VIII. in quo tam diserte sempiterna Filii coexistentia enunciatur. Scio quosdam Theologos respondere, Deum non semper fuisse Patrem manifestum, in se tamen fuisse ab æterno ; idque affirmare Tertullianum, ut solvat Hermogenis argumenta. At non video quomodo ea responsione refellatur Hermogenes, qui talia de materiæ æternitate somniabat, nempe ab initio fuisse occultam, digestam tamen ac formatam in tempore. Postremo argumento illud habeto responsum : portionem appellat Tertullianus *derivationem*, id est, originem : qua Filium minorem Patre illi quoque dixerunt, qui Arium debellarunt. Dicet aliquis, me pugnantia scribere, qui Tertullianum lib. 2. cap. 2. feci Anthropomorphitam : non enim potest intelligi rerum corporearum generatio absque defluxu, & divisione substantiæ. Verum & alterius generis Tertullianus corpus excogitavit, quod si non repugnat divinitatis naturæ, nec divinæ repugnabit generationi : & nego ad veram corporis ideam illum mentem vertisse ; ac præterea non absolute ibidem disserui, sed opinanter. Denique Tertullianum non semper sibi constare docet Petavius, qui num. III. quamdam in eo observat præclaram de Trinitate sententiam ; & tamen vult impietate Arium superasse.

De Cypriano non opus est specialem insumere disputationem, cum Christi divinitatem disertissime ostendat in 2. libro Testimoniorum contra Judæos : neque in contrarium opponantur, nisi quæ plenissime hucusque diluimus, E. G. quod aliquando Filium fateatur minorem Patre, eique subjectum. Lactantius autem, & Arnobius fidem Catholicam profitentur : ille quidem lib. 2. Div. Institut. cap. 8. & lib. 4. cap. 29. Iste in ornatissimo opere adversus Gentes. In his, si aliqua offenderis duriora, ex dictis poterunt emolliri : neque debemus accuratissimam exquirere Theologiam ab iis, qui Rhetoricæ præcipuam operam impenderunt. De istis igitur, ut Capiti finem faciamus, hæc tantum.

CAPUT XI.

Eusebii Pamphili fidem adhuc in ambiguo pendere.

NULLUS est, qui Eusebium Cæsariensem cognomento Pamphilum Agapii in Episcopatu successorem summæ eruditionis virum non admiretur : quam ei gloriam solus Scaliger in Animadversionibus Eusebianis perperam conatus eripere. Tale non est de illius circa Verbi Consubstantialitatem Orthodoxia commune judicium, plerisque Eusebium damnantibus, absolventibus aliis. Stant pro Eusebio Molinæus, Zanchius, Caveus, Valesius, Petitidier ; oppugnant Baronius, Petavius, Alexander, Clericus : quos e magno Scriptorum numero satis est memorasse ; nam hi de Eusebio plura, ceteri perpauca scripsere. Horum lectis lucubrationibus gravior, quam antea, visa est controversia : unde statui argumenta utriusque partis proponere, suaque vicissim responsa. Ac principio duo sunt mihi notanda : primum quidem falli Protestantes, qui asserunt Pontificios inter fautores Arianismi accensere Eusebium, ad elevandam de Baptismate Constantini Historiam, quasi in gratiam Arianorum mentitus sit tinctum Nicomediæ. Nam Augustissimum Imperatorem Romæ baptizatum negant eruditi viri, qui Eusebium connumerant Arianis, ut Natalis Alexander, Antonius, & Franciscus Pagi, aliique : Et e contra quidam præter Pontificios Eusebii Arianismum propugnant, ut Epist. 2. Critica Joannes Clericus. Ea ergo de Baptismate Constantini quæstio, de qua nolumus hic disceptare, non est caussa, ut a nostris sinistre de fide Eusebii judicetur : quamquam supposito ejus Arianismo ex libris ejusdem & veterum testimonio, inferant aliqui potuisse ad sectæ commendationem mentiri.

Præterea notandum est Eusebium lib. 1. contra Marcellum Ancyranum cap. 2. & lib. 3. cap. 7. & in Hist. Eccl. lib. 1. cap. 2. fateri Filium ante omnia fuisse, & non e nihilo eductum, & creatum in tempore, sed ab æterno ex substantia Patris generatum : quod asserit quoque in Epist. de Decr. Nic. Syn. Sanctus Athanasius. Rejicit ergo Eusebius præcipuos errores Arii, neque Arianus dicendus est, sed ad summum Semiarianus. Nec tamen iniquissime dicitur a Hieronymo Arianorum signifer, ut inquiunt Valesius in Præfat. Hist. Eusebii, & Du-Pin in nova Bibliotheca : cum Arianorum nomine ii omnes comprehendantur, qui Filio denegant divinitatem, etsi unus sit in dogmate iniquior altero ; imo Eusebium Ario impense favisse, eique maxima consuetudine conjunctum, nemo possit negare : & idcirco carpendus non erat tanta styli acrimonia beatus Hieronymus. Jam quæstionem propositam persequamur.

ADVERSUS EUSEBIUM.

Qui partes Accusatorum obtinent, his argumentis Eusebium damnant Arianismi. Proferunt 1. Eusebii scripta, unde senas Arianismi teterrimas notas apparere contendunt. Est prima distinctio divinitatis in plures gradus ; nam lib. VII. Præp. Evangelicæ cap. 5. appellat Filium *secundam substantiam a primo principio conditam* : & non semel *principium alterum a primo*. Secunda nota Arianismi est, quod ait Filium post Patrem existere lib. IV. Demonstrat. Evangelicæ cap. 3. tametsi eo loco splendorem soli coexistentem esse pronunciet : ideoque magis Filium a Patre divellit, quam lucem a sole. Nota Arianismi tertia est, quod Verbum vocat artificem, Patris opificium, secundum Dominum, basim, & fundamentum creaturarum, quæ futuræ erant ; id vero lib. IV. citati Operis, & lib. 1. de Ecclesiastica Theologia ; ac præterea γεννητὸν καὶ γενητόν, idest, *genitum, & creatum*, more Arianorum, confundit. IV. In primo contra Marcellum cap. 7. in hoc divinam Monarchiam, & unitatem constituit, quod solus Pater sit caput ac principium, Filius autem non Deus, sed Dei unigenitus, ita ut sint *duæ usiæ*, ac *duæ potestates*. Quinta perversi dogmatis nota est, quod in eodem libro Filium declarat Mediatorem inter Deum & Angelos inspecta quoque natura, quam ante Incarnationem habuit a Patre. Et sexta Arianæ labis macula in eo sita est, quod cap. 19. Patrem & Filium unum esse definit *tropica voluntatum unitione*. Quæ omnia, etiamsi in antiquioribus Patribus possunt benigne exponi, impia sunt in ore Eusebii, qui Nicæno Concilio interfuit, eique dolo subscripsit. Hæc est synopsis argumentorum Petavii lib. 2. de Trinit. cap. XI. & aliorum, qui exinde scripserunt, illumque expilarunt.

Stat præterea pro hac sententia septima synodus Œcumenica, quæ Act. V. recitato Eusebii loco contra usum sacrarum Imaginum, declaravit rationes Eusebii nec flocci faciendas esse, cum fuerit homo *traditus in reprobum sensum, & ejusdem cum Ario opinionis*. Deinde Act. 6. clamarunt PP. quod Eusebius in synodo Nicæna *labiis veritatem honoravit, animus vero longe ab ea aberat, ut ostendunt Scripta ejus, & Epistolæ omnes : & mansit ut Æthiops minime mutata cute sua*. Nec solvitur argumentum, si cum Valesio reponas, actum in II. Nicæna synodo non de Fide Eusebii, sed de Imaginum cultu, ideoque cum Iconomachi testimonium protulissent ex Eusebii ad Constantiam Epistola, eoque maxime niterentur, PP. ad elevandam hujus auctoritatem exclamarunt Eusebium fuisse Arianum ; verum obiter tantum, non data opera, aut cognita caussa. Non valet, inquam, hæc reponere : nam Patres satis Arianismum Eusebii exploraverant, qui ejus Scripta Ariano fermento infecta statim opposuerunt, hoc est, Epistolam ad Euphrationem, & alteram ad Alexandrum Episcopum Alexandriæ Ariana peste scatentes, necnon communem fidelium opinionem. His Clericus Caveum condigna auctoritate revincit, ac simul Valesius refutatur.

Tertio vafritiem Eusebii detegit sua ad Cæsarienses Epistola ; in qua profitetur se recepisse voces ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, *ex substantia Patris*, & ὁμοούσιον τῷ πατρί, *Consubstantialis Patri* : quatenus significant Filium ex Patre quidem esse, sed non Patris portionem : quod nullus Arianorum negasset. Addit se pariter admisisse voces γεννηθέντα, καὶ οὐ ποιηθέντα, *Genitum, non factum* : quoniam *Factum adjectivum est ceterarum creaturarum, quæ per Filium facta sunt*. Ait probasse se voces alias, *Non erat antequam genitus esset*, quia *omnes fatentur Filium Dei fuisse, priusquam secundum carnem gigneretur*. Affirmat fuisse in Patre potentia, priusquam actu fuisset genitus. Concludit denique se

idem

idem credere, & docere quidquid præteritis temporibus crediderat, & docuerat. Veterator est ergo, vafertimus, & vere Æthiops, cui detrahi neqoit fuligo: & frustra ex descriptione Nicæna illum conati sunt aliqui dealbare.

Accedit argumentum quartum, ex veterum contra Eusebium testimonio. Nam Athanasius in lib. de Decr. Nic. Syn. tradit, illum prius temere errasse, & frustra pugnasse adversus veritatem, & tamquam canem ad vomitum rediisse. Hieronymus eum appellat hæreticum hominem, apertissimum impietatis Arianæ propugnatorem, Arianorum signiferum, tam in lib. 1. Apolog. cap. 2. quam in Epist. ad Pammachium 65. Epiphanius H. 68. eumdem inter Fautores Arianorum connumerat. In ejus scriptis Arianici dogmatis germina deprehendunt Theodor. lib. 1. Hist. Photius Cod. 19. aliique permulti. Eos vide in Præf. Valesii.

Denique redarguunt Eusebium ipsius ingenium, & ratio agendi. Etenim in Concilio Nicæno propositæ Fidei formulæ initio subscribere recusavit, licet postridie annuerit veritus piissimi Imperatoris minas, & ærumnas exilii. Absoluta autem Synodo Arianorum partibus maxime studuit. Præfuit horum conventiculis Antiocheno, & Tyrio, ac Magnum Athanasium continuo vexavit. Episcopos Arianæ factionis in libris contra Marcellum eximia laudatione prosequitur: & pestilentissimæ cadaver hæreseos, quæ tantas orbis plagas infecit, in Ecclesiastica historia curavit alto sepelire silentio. Quinque sunt ergo contra Eusebium capita accusationis, ab ejus scriptis, a Synodali sententia, a simulata subscriptione, ab Adversariorum dignitate, atque a Personæ adjunctis.

IN EUSEBII DEFENSIONEM.

Quoniam proxima est accusandi ac defendendi ratio, alia quinque pro Eusebio, eodemque ordine argumenta producam. Sit primum ex ejus scriptis. In his adinvenio seu divinitatis Filii characteres. Nam 1. Eusebius, quamvis frequenter solum Patrem appellat Deum, quia solus caret principio, & est totius fons Deitatis, nihilominus lib. 1. de Eccl. Theolog. cap. 20. ait de Filio: *Deus est, ac Dominus similiter atque Pater, & Dominus ac Deus, quomodo per Scripturas universas annunciatur*. Atque exponens illud *Deus erat Verbum*, declarat non θεῖον appellari, sed θεόν, *quia habet divinæ dignitatis excellentissimam naturam*. Dei ergo nomen Filio non denegat. II. Libro 1. & 2. contra Marcellum tribuit Filio omnipotentiam, infinitatem, & gloriam miraculorum. Fatetur itaque illi convenire attributa, quæ sunt propria summi Dei. III. In VII. Demonstr. Evang. cap. 2. recitato de Christo insigni loco Micheæ, *Et egressio ejus a diebus æternitatis*, hæc habet: *Quod ab æterno existat, cui est accommodandum nisi soli Deo?* Igitur in Christo etiam coæternam Patri divinitatem agnovit. IV. De Eccl. Theolog. 2. cap. 4. Eusebius Filium docet revera esse αὐτόθεον. Huic vocabulo apud veteres duplex ineſt significatio ob geminam vim hujus pronominis αὐτό in compositis; aut enim significat quod a nullo principio originem habet, & hoc sensu Filius non est αὐτόθεος; *Deus a seipso*; aut significat quod non est tale participatione, sed suamet substantia, & ita Filium esse αὐτόθεον fides tenet, eoque nomine Athanasius in fine Protreptici egregie Arianos refellit. Vide Petavium præcipuum Eusebii hostem, lib. VI. de Trinit. cap. XI. hæc docentem, & acute probantem. At Eusebius non credidit Filium esse αὐτόθεον priori sensu, neque enim Sabellianus erat, aut filium a Patre generatum negabat. Ergo Filium putavit αὐτόθεον in altero sensu, nimirum ipsissimum Deum, non participatione, sed substantia. *Sufficit*, inquit Valesius de voce illa αὐτόθεος, *ad repellendas omnes calumnias eorum, qui Eusebium nostrum Arianæ dogmatis labe aspersum crediderunt*. V. Filium esse Unigenitum Dei filium naturalem, non adoptatum, ex substantia, non ex Patris potentia genitum, disertissime scribit Eusebius lib. 1. contra Marc. lib. V. Demonst. Evang. cap. 4. & alibi quamsæpissime. VI. In generatione Patris Verbum eamdem recipere Deitatis naturam non poterat Eusebius fateri expressius, quam in 1. de Eccl. Theologia hisce verbis: *Quod natum est ex carne caro est: & quod natum est ex Spiritu Spiritus est. Deus autem Spiritus. Consequens igitur est, ut intelligamus quod natum est ex Deo Deum esse; &c.* Jam vero si Filio dat Eusebius Dei nomen, Dei attributa, Dei æternitatem, Dei θειότητα, Dei naturalem imaginem, Dei veram propriamque substantiam: quomodo Arianica labe contabuit?

Producam modo alterum ab insigni auctoritate argumentum. Cum Occidentales, uno fere excepto Hieronymo, de Eusebio honorificentissime locuti sint, Romani pontifices Eusebium tamquam Orthodoxum agnoverunt: ex alio autem capite horum judicium Patribus secundæ Nicænæ Synodi videtur præferendum. Hujus argumenti priorem partem demonstro ex libro Gelasii de duabus naturis, ubi Eusebius inter Catholicos Scriptores refertur; atque ex testimonio Pelagii, qui illum nominat inter Historicos honoratissimum. Vide Præfationem Valesii. Partem alteram probo, quia in Epistolis recitatis in VII. Synodo asseritur quidem Patrem esse Filio priorem, secundam caussam, aliaque id genus nonnulla. At hæc omnia, si cum iis æquiparentur, quæ nuper recitata sunt, debent exponi de prioritate originis, & de relativo ordine Personarum. Cum tamen in se dubia sint, & aliunde nota esset familiaris Eusebii cum Arianis consuetudo, atque ob Orientalium scissuras Cæsariensis tamquam Arianus audierit; recte PP. Nicæni noluerunt scripta Eusebiana probare: eo vel maxime quod Iconomachi simul, & Ariani, tanti viri freti auctoritate pertinacius fovebant errorem. Alioqnin, si hæc pro Eusebio non valent, quomodo viri probi, atque eruditi Honorium ab errore Monothelitarum immunem esse fatentur, quem lecta ad Sergium Epistola Synodus VI. damnavit? Si hæc ob falsum rumorem, & Honorii cum Monothelitis consuetudinem, aut Œconomiæ caussa, aut sinistro judicio in Romanum Pontificem nulla hæresi maculatum sententiam dixit: quare non potuit idem evenire Patribus Synodi VII. circa Cæsariensem Episcopum? Honorii Orthodoxia in IV. horum librorum parte erit vindicanda.

Urgebo tertio loco argumentum ex Actis Synodi Nicænæ: Si enim hujus fidei revera Eusebius subscripsit, quomodo inter hæreticos connumeratur? Quoniam, inquiunt, politico spiritu id fecit, non Catholica ductus pietate; & diu subscribere detrectavit. Atqui ea ipsa Eusebii renitentia ingenua ejus fides apparet; multi enim & piissimi, & doctissimi initio respuerant *Omoousion*, propterea quod Sabelliani inde inferebant divinæ naturæ scissionem. Hinc Eusebius in Epist. ad Cæsarienses: *Non concessimus*, inquit, *sine inquisitione, quod Filius sit ex substantia Patris, & Patri Consubstantialis*. Hæc se probasse ait, statim ac alii PP. confessi sunt, ita Filium esse *Omoousion*, ut non sit pars essentiæ paternæ. Nolebat ergo *Omoousion* admittere; non quod consentiret Arianis, sed quod Sabellianis adversaretur, nec aliud objecit circa præfatam dictionem. Quatenus ergo apposita est in perniciem Arii, probavit eam Eusebius; & pristina repugnantia potuit esse zelus veritatis. Nimis scrupulose in hac Epistola notantur ea verba λοιπῶν κτισμάτων *ceterarum creaturarum*, quasi Eusebius in rerum creatarum serie etiam Filium comprehendat: nam paulo post addit *nullam esse Filio Dei similitudinem cum factis creaturis, & Patri, qui eum genuit, per omnia esse similem*: ubi absque pronomine habetur τοῖς γενητοῖς κτίσμασι, *cum factis creaturis*; neque istic legitur *similem factum*, ut alii vertere, sed ἀφομοιοῦσθαι dumtaxat, scilicet, *assimilari*. Addunt Adversarii, affirmasse Eusebium se probasse Filium non esse ex non existentibus, quod præextiterit Incarnationi. At numquid negat æternam Filii existentiam? Imo in Confessione Fidei suæ in eadem Epistola, ait: *Et in unum Dominum Jesum Christum Dei Verbum, Deum ex Deo, lumen e lumine, vitam e vita, primogenitum omnis creaturæ, ante omnia sæcula ex Deo Patre genitum, per quem etiam cuncta facta sunt*. Regerunt dixisse, quod Filius antequam gigneretur fuit in Patris *potentia*, & hæc Verba Socratem prætermisisse, ne caussam Eusebii aperte proderet. At e contra, cum non sint apud Socratem, videntur addita cujusdam Ariani malitia. Præterea, & si duriora hæc videantur, exponi possunt de sola originis prioritate; cum aliis in locis doceatur manifeste Filium semper fuisse, utpote genitum e substantia Patris, non e potentia: ita in 2. de Eccl. Theol. & in 1. contra Marcellum. Quod postremo objiciunt ex laudata Epist. asserere Eusebium se in priori perseverare sententia, referendum est ad Confessionem Fidei suæ; ait enim: *Convenire visa sunt, quæ in fide præexposita nos ipsi confessi sumus*. Atque in Fide Eusebii desiderabatur tantummodo vox *Omoousion*; quam nulla malitia, ut dictum est, respuebat. Ex quibus constat non simulato animo, sed ingenue Eusebium Fidem probasse Nicænam.

Veniamus ad veterum testimonia: Eusebium fuisse Arianum negat Socrates in Hist. Eccl. lib. 1. cap. VIII. Et lib. II. cap. 21. manifeste redarguere furorem Arianorum, & ab his defectionem ipsius insimulari, scribit ipse Theodoretus lib. 1. cap. XI. Gelasius Cyzicenus in lib. II. de Synodo Nicæna cap. 1. *Nemo existimet*, inqnit, *ex iis, quæ de illo circumferuntur, virum hunc in Arii impietatem unquam concessisse*. Infinitus ero, si omnia proferre voluero. Quod Græcorum plures Eusebium Arianis adnumerent, fecit præfata Arianorum insimulatio; & maxime illorum contubernium, & lata a Tyriensi Synodo in Athanasium sententia. Propter hæc duo venit in suspicionem erroris. At non contigit fere idem Liberio, quem cap. sequenti a nota Arianismi vindicabimus? Hominem impense Arianis patrocinatum, nemo mirabitur, qui horum noverit calliditatem, & quanta Athanasio crimina supposuerunt. Hujus autem argumenti hæc est consecutio: damnant Eusebium permulti, defendunt & plurimi; potuerunt illi decipi falsis rumoribus, rerumque gestarum specie. His ergo, non illis subscribendum est; præsertim cum in æquali testimoniorum discrepantia sint favorabilia oppositis præferenda.

Postremo Eusebii probitatem, fidemque Orthodoxam probat cultus, quo multi eum tamquam Sanctum venerati sunt. Locum habet die XXI. Junii in Martyrologio Usuardi & Adonis, in Breviario Ms. Lemovici, apud vetustum Auctorem Pass. S. Valeriani, in Canone Paschali Victorii: cohonestatur titulo Sancti in antiquo Ms. Hist. suæ penes Ecclesiam Parisiensem: Beatus, Doctor, & Ecclesiasticæ Historiæ dictator illustris dicitur in veteri Ms. Reginæ Sueciæ

apud Cl. Schelstrate Tom. 2. Antiq. pag. 563. Hæc nequeunt intelligi cum Baronio de Eusebio Samosateno, neque cum Pagio de S. Eusebio Episcopo Cæsareæ in Cappadocia Magni Basilii decessore. Etenim Eusebius ille non erat Palæstinus, & Cæsariensis; iste non erat Ecclesiasticæ Historiæ dictator. Cum hac duplici evidentissima nota distinguitur Eusebius in Martyrologio Usuardi, in Ms. Parisiensi, & in codice Sveco. Quomodo ergo Pagius putat Eusebii nomine non posse intelligi Samosatensem, cum is non fuerit Cæsariensis; ita errare potest Pagius ipse, quoniam Eusebius Cappadox non fuit Historiographus: & immerito antiquis his monumentis fides detrahitur. Accedit Eusebium fuisse integerrimum, pacis amantissimum, & non constare ipsum molitum fuisse D. Athanasii perniciem, aut esse novarum Fidei formularum Auctorem. Potuit ergo cum Arianis versari, ut Ecclesiæ scissuras componeret; ut contendit Du-Pin. Tom. 2. pag. 18. Quinque ergo capita accusationis Eusebii poterunt quinque aliis refelli.

Si quis hanc ultimam persuasionem forsitan induit, illum commonefacio alios nonnullos inculpatæ fidei Patres appellavisse Filium secundam *αιτιαν*, caussam, ut Basilius de Sp. S. cap. 16. & in 1. contra Eunomium; quod PP. Græci plerumque caussam ac principium eadem significatione usurpaverint. Dixerunt alii Filium *ministrum Patris*, ut Irenæus lib. v. cap. 17. plerique etiam *γεννητὸν καὶ γενητὸν* *factum, & natum* confundunt; quorum usum aliquando promiscuum fuisse docet lib. v. cap. 1. Petavius: tametsi modo accurate sint distinguenda. His ergo animadversionibus poterit quisque sese contra Accusatores Eusebii munire. Quod si his mavult adhærere; noret ex adverso, etiam Semiarianos rationem geniti, naturalem Patris imaginem, substantiam quoque divinam Filio concedere, at non eamdem numero cum Patris essentia: atque hanc postremam non satis erui e scriptis Eusebianis. Advertat ultro, doctissimum, versutissimumque hominem potuisse quandoque fateri Filium *Autotheon*, & non factum, quatenus non est productus per aliud Verbum ministrum Patris, uti sunt reliquæ creaturæ. Circa Eusebii sanctitatem rectissime poterit respondere, non esse relatum inter Sanctos a Romano Pontifice, neque talem haberi ab Ecclesia universa; privatos autem cujuscumque literaturæ interdum falli. Pios demum Martyrologii Auctores Adonem, & Usuardum reperto S. Eusebii nomine, non advertisse alios esse Eusebios sanctitate conspicuos præter Cæsariensem multiplici librorum editione clarissimum; atque ita Divo Eusebio additum Cæsariensis agnomen: ut ex Fortunio infert vir eximius Antonius Pagi ad annum 340. n. 22. Hoc modo utriusque sententiæ patronis aliquantulum satisfecerimus.

CAPUT XII.

Liberium Papam non subscripsisse Arianorum blasphemiæ.

INTER Fidei formulas a fautoribus Arii post damnatam eorum hæresim vulgatas, tres Sirmienses commemorandæ mihi sunt; prior contra Photinum edita anno 351. altera ab Hosio, & Potamio conscripta anno 357. postrema autem 359. opera Basilii Ancyrani. Definitum est in prima, Verbum esse Deum de Deo; & dictum anathema iis, qui Filium ex non extantibus, aut ex altera hypostasi profitebantur: suppressum duntaxat vocabulum *Omoousion*, fidei tessera tunc Orthodoxæ. Hæc fidei formula in se quidem Catholica est, ac talis habetur ab Hilario in lib. de Synodis, rejicitur tamen ob latentem Arianorum fraudem ab Athanasio. Alteram memoratus Hilarius jure merito appellat *blasphemiam*; quippe & *Usiæ*, & *Omoousion* prohibet fieri mentionem; atque Filium subjectum, & Patre minorem dignitate, honore, ac majestate, nefaria impietate declarat. Decernitur in tertia Filium esse Deum de Deo, & similem Patri; at exploditur *substantiæ* nomen, tanquam ignotum, incaute a Patribus positum, & cujus nullum sit in sacris libris vestigium. Ergo, cum Liberius apud Berœam exul dolo Semiarianorum circumventus, fractus animi, corporisque procellis, nec omnino liber affectu, ex præfatis formulis unam probaverit, quod est ex Ecclesiasticis monumentis, ejusque Epistolis satis compertum: oritur quæstio, num veritatem, pro qua invicte certaverat, pessumdederit; an vero Arianicæ pestis evaserit contagionem. Nam si fidem secundam amplexus est, actum de Liberio: si tertiam; licet possit quoquomodo defendi Orthodoxus, magnum emergit incommodum, id est, Romanum Pontificem aliquando decretum Nicænum, eoque consecratum *Omoousion*, conculcasse: quod vereor, ne sit perjucundum Pontificiæ Auctoritatis Impugnatoribus: quam si fas esset in dubium revocare, non essem ego de lapsu Liberii solicitus: sed cum illam firmissimam Ecclesiæ Petram intimo, veroque sensu profitear; operæ pretium est in patrocinium veritatis nervos omnes intendere.

Itaque triplex sententia occurrit examinanda. Prima est H. Valesii in Notis ad iv. lib. Sozomeni cap. 15. in quam manibus pedibusque it Pagius ad an. 357. num. xi. qui docent Liberium probasse tertiam formulam editam, ut putant, anno 358. quo Liberius restitutus est. Quod probant hoc argumento: Ut constat ex fragmentis Hilarii n. vi. subscripsit Liberius Fidei Ecthesi, quam idem Hilarius appellat *perfidiam*, & quam conscripserunt Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus, &c. At formula, quam hic Hilarius appellat *Perfidiam apud Sirmium descriptam*, non est prima Sirmiensis, hanc enim Hilarius in lib. de Syn. affirmat esse Catholicam; neque est Sirmiensis secunda, quippe hanc, auctore eodem Hilario, conscripserunt Hosius ac Potamius, qui non recensentur in eorum catalogo, qui receptam a Liberio formulam probaverunt. Oportet ergo, ut Liberius subscripserit tertiæ eodem anno editæ, in quo revocatus est ab exilio.

Altera sententia est Blondelli in lib. de Primatu Papæ, cui ex parte accedit Petavius in Observat. ad Epiphanium, & probabiliorem putant Novatores omnes, Liberium scilicet subscripsisse secundæ Sirmiensi; quæ sententia huic nixa est argumento. Formula, quam Hilarius *Perfidiam* appellat, revera est secunda, & expresse hæretica, cui in lib. de Synodis præfigitur titulus: *Exemplum blasphemiæ apud Sirmium per Hosium, & Potamium conscriptæ*. At Liberius adhuc in exilio degens subscripsit huic Formulæ, ut ipsemet scribit in Epist. ad Orient. his verbis: *Sane petendam esse crediderim Sanctitatem vestram, quia jam pervidetis in omnibus me vobis consentaneum esse, dignemini communi consilio ac studio laborare, quatenus de exilio jam dimittar, & ad sedem, quæ mihi divinitus credita est, revertar*. Constat ex his Liberium subscripsisse formulæ ab Orientalibus ipsi per Demophilum exhibitæ, adhuc exulem. Hanc vero formulam esse illam, quam Hilarius appellat *Blasphemiam*, apparet ex parenthesi in Fragmentis, ubi recitata Liberii Epistola, inquit idem Hilarius (*Hæc est perfidia Ariana, hoc ego notavi, non Apostata. Liberius sequentia.*) Quid potest adversus Liberium afferri manifestius? Sed Petavius, ut dixi, ex parte tantum hanc opinionem amplectitur, & immerito ejus sententia ab Honorato Tournely eadem dicitur cum opinatione Blondelli: quandoquidem Cl. Petavius contendit a Demophilo non integram, sed mutilatam Ecthesim illam Liberio exhibitam, & ab eo receptam in ea tantum parte, quæ *Omoousion* supprimit, non in altera, quæ Filium subjicit Patri: unde ex mente Petavii nullum infertur Romano Pontifici præjudicium, & idem prorsus est, ac si probasset duntaxat primam fidem Sirmii, hoc solo titulo Arianicam. Utrum vero recte sentiat Petavius, dicam in hujus asserti refutatione.

Tertia, eaque communior sententia, pro qua pugnant Romanenses omnes, necnon Gallorum doctissimi Nat. Alex. Dissert. xxxii. sæculi iv. laudatus Tournely, Juenin, aliique permulti in Theologicis de Trinitate disputationibus, nec unquam satis celebrandi Benedictini PP. in notis ad Fragm. vi. Hilarii, docet Liberium primæ formulæ contra Photinum editæ subscripsisse. Pro qua sententia animadverte, non esse quæstionem de Ecthesi, quam probavit Sirmium reversus; hæc enim fuit libellus, in quo Basilius, Eustathius, & Eleusius complexi sunt decreta contra Paulum Samosatensem & Photinum Sirmiensem, & Fidem, quæ Antiochenæ Ecclesiæ fuerat exposita, in qua supprimebatur *Omoousion*, eo quod nonnulli hujus vocis prætextu clanculum hæresim Sabellianam confirmare conabantur; ut colligitur ex Sozomeno lib. iv. cap. xv. Quare dum ibidem Sozomenus ait, quod Imperator coegit Liberium confiteri patri filium non esse *Omoousion*, liquet esse intelligendum, de Confessione, in qua *Omoousion* suppressum erat, non de illa, in qua damnabatur; alias non Fidei Antiochenæ, & Sirmiensi contra Samosatenses vulgatæ, sed alteri e diametro oppositæ tribuisset assensum. Aut certe eo sensu *Omoousion* proscripsit, quo abutebantur Photiniani a Synodo Antiochena damnati. Præterquam quod neque Imperator, neque memorati Episcopi, qui secundam Sirmiensem execrabantur, poterant, ut infra apparebit, illam Liberio proponere. Atque his delibatis sit.

PROPOSITIO I. Liberius subscripsit uni ex tribus Sirmiensibus formulis, quæ interpretative saltem appellari debet Ariana.

Ingenui Scriptoris est non contradicere veritati. Ipse Liberius in Epist. ad Orient. data, ut videmus, Berœæ fatetur se lubenti animo suscepisse fidem, quæ Sirmii tractata fuerat, & exposita; & quam appellat Catholicam, & Hilarius tetro notavit commate. Colligitur hoc idem ex altera Liberii Epistola ad Ursacium, Valentem, & Germinium, ex tertia quoque ad Vincentium Episcopum Capuæ. Præter apertissimum testimonium Hilarii, Hieronymus cap. 97. de Viris illustribus ait: *Fortunatianus in hoc habetur detestabilis, quod Liberium Romanæ urbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem primus solicitavit ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit*. Tradunt consimilia Athan. in Epist. ad Solitarios, Auxilius lib. 1. de Ord. Petrus Damianus Epist. 15. cap. 16. Platina in ejus vita: imo Marcellinus in Chronicis ex albo summorum Pontificum illum expungit. Hæc tamen ad damnandum Liberium non sunt satis; quando enim non probetur Liberium suscepisse secundam fidem Sirmiensem; consequens erit audiisse tanquam Arianum, hæreticum, & apostatam *interpretative*, non, ut in scholis loquimur, *formaliter*; hoc est, probasse Ecthesin, quæ supprimit, non quæ condemnat expresse in Ariano sensu *Omoousion*.

PRO-

PROPOSITIO II. Liberius non subscripsit tertiæ formulæ Sirmiensi, ut opinantur Valesius, & Pagius.

Hi putant tertiam Sirmii fidem editam anno 358., quo restitutus fuit Liberius; sed hoc invictissimo argumento revincuntur. Patet ex Epist. Liberii ad Orient., & ex fragmentis Hilarii probasse Liberium fidem, *quæ Sirmii tractata, exposita, & suscepta est*, idque Berœæ, priusquam ab exilio revocaretur, quod contigit omnium consensu, ante exactum annum 358. Atqui tertia Sirmiensis Synodus coacta est duntaxat anno 359. die Maji secunda & vigesima, quæ enim celebrata dicitur an. 358. circa Pascha fuit Ancyrana Semiarianorum, uti liquet ex Epist. Synodica apud Epiphanium Hær. 3. §. 2. quare vereor, ne doctissimus Valesius utriusque tempora inverterit. Non est ergo tertia fides Sirmii, quam Liberius anno suæ restitutionis suscepit. Minorem probo; nam Tertiæ Sirmiensi formulæ hæc inscета est epigraphe: *Exposita est Catholica fides in præsentia Domini nostri religiosissimi, & victoris Imperatoris Constantii æterni Augusti, sub Consulatu Flav. Eusebii, & Hypatii clarissimorum virorum apud Sirmium, undecimo Calendas Junias.* Consulatum vero Eusebii & Hypatii incidere in annum vulgaris Aer. 359. constat ex emendatissimis Fastis. Accedit conscriptam esse tertiam Sirmiensem, ut deferretur ad Synodos Arimini, & Seleuciæ, quæ indictæ sunt postquam ad comprimendam Anomœorum perfidiam Basilius Ancyræ Sirmium ad Imperatorem contendit prædicto anno 359. quemadmodum illi in Ancyrana superiori anno coacta fuerat demandatum. Atque his convellitur eorum opinio, qui *Perfidiam* a Liberio subscriptam arbitrantur esse tertiam Ecthesim Sirmii.

PROPOSITIO III. Liberius non probavit secundam formulam Sirmiensem *formaliter* hæreticam, neque absolute, ut putat Blondellus, neque in una tantum parte, quomodo visum Petavio.

Nisi præjudicatis opinionibus veritas superatur, hanc thesim validissimæ argumentationes demonstrant. Primo: secunda regula fidei edita Sirmii, quoniam damnabat Filii cum Patre similitudinem, statim ab Homœusianis explosa fuit, sublatum quodcunque ejus exemplar, aut edicto Constantii vetitum. Legendus Socrates lib. 2. Hist. cap. xxx. ubi postquam ait priorem formulam græca lingua fuisse a M. Arethusio dictatam, secundam vero Romano sermone ab Occidentalibus Episcopis Valente, Ursacio, & Germinio, & illam discordare a priori, Filiumque Patri subjicere, addit: *Sciendum autem quod Episcopi Sirmii congregati pœnitentia ducti sunt propter Romanam fidei expositionem. Multa namque post expositionem videbatur ipsis habere contraria. Quapropter satagebant, ut eam ab illis, qui descripserant reciperent. Quoniam vero multi eam occultabant, Imperator eam edictis inquiri jussit, supplicium minatus, si quis eam occultasse deprehenderetur.* Nemo ergo tam insanæ mentis erit: ut existimet Constantium, & Homœusianos Episcopos induxisse Liberium ad subscriptionem Ectheseos ab ipsis quoque damnatæ.

Rursus secunda fidei Expositio a solis Occidentalibus, ut nuper dictum est, fuit latino sermone conscripta, nec verbis, nec compositione, nec dogmate cum priori concordat, hæc enim definit, illa reprobat Filii cum Patre similitudinem. Sed Liberius in Epistola ad Orientales se recepisse testatur, non Romanam Ecthesim, sed illam tantum, quam Orientales ipsi in Synodo Sirmiensi plurium Episcoporum approbatione vulgaverant. *Fidem vestram & Catholicam*, inquit, *quæ Sirmii a pluribus fratribus, & Coepiscopis nostris tractata, exposita, & suscepta est, &c.* Igitur formula, cui Liberius subscripsit, non est illa quam Ursacius, Valens, Germinius, Hosius, ac Potamius approbaverunt, Ariana certe, & hæretica. sed prior scripta ab Arethusio, dicta Orientalium, & hoc solo titulo impia, quod non habeat appositum *Omoousion*.

Ulterius S. Hilarius in Fragmentis memorata Fide, cui subscripsit Liberius, inquit: *Perfidiam autem apud Sirmium descriptam, quam dicit Liberius Catholicam, a Demophilo sibi expositam, hi sunt qui conscripserunt, Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Silvanus, Ursacius, Valens, Evagrius, Hyrenius, Exuperantius, Terentianus, Bassus, Gaudentius, Macedonius, Marthus, Acticus, Julius, Surinus, Simplicius, & Junior.* Atqui major horum Episcoporum pars non subscripsit secundæ formulæ Sirmiensi. Igitur secunda Sirmiensis formula ea non est, quam Liberius, ac memorati Episcopi probaverunt. Minor facillime suadetur. I. quia horum Episcoporum plures sunt Orientales; at secundam Sirmiensem Occidentales ediderunt, ut scribunt Socrates cit. loco, & Sozom. lib. iv. cap. xii. qui etiam addit, Antiochenam Arianorum Synodum Valenti, Ursacio, & Germinio gratias egisse, & ipsis causam deputasse, quod Occidentales recte sentirent. II. quia in prædicto Episcoporum Syllabo non est Hosius, non Potamius, non Herminius; qui secundæ Sirmiensis Ectheseos, ut hoc loco Sozomenus, & in lib. de Synodis affirmat Hilarius, fuerunt præcipui Auctores. III. quia secundæ Sirmiensi assentiri non poterat Theodorus, qui ante biennium decesserat, nec Eudoxius, & Cecropius, qui anno cclvii. Sirmio aberant. Huic argumento fatetur Petavius, & Du-Pin nil aliud reponi posse nisi nomina illorum Episcoporum addita ab Auctore, qui Hilarii excerpta confecit. At aliter sentiunt Monachi S. Mauri inspectores accuratissimi antiquorum MSS. Et quidem si quæras illius additamenti artificem, prorsus ignorant: si quæras, cur quispiam potuerit hæc nomina fingere, & inserere Hilariano Fragmento, caussam reddere nequeunt: si appellentur ad Codices vetustissimos, necesse est obmutescant. Quamobrem *Perfidiam* obsignatam a Liberio non compellat Hilarius Blasphemiam Hosii, & Potamii, sed primam Ecthesim Sirmiensem; atque argumentum Blondelli hac ratione dissolvitur. Concidit pariter sententia Petavii: nam Fides horum Episcoporum suffragio signata non est ea, ut jam constat, quam exhibuit Demophilus; neque is Arianorum partium princeps blasphemiam Hosii, in præjudicium Ariani dogmatis nuntiasset. Quid? si in Epist. ad Orientales ipse Liberius testatur non partem, sed integram Ecthesim suscepisse, eisque penitus esse in ea fide consentaneum? *Hanc*, ait, *lubenti animo suscepi, in nullo contradicens.* Itaque Liberius alicui Sirmiensi fidei plene subscripsit: non secundæ; ergo primæ. Minimus restat scrupulus, quomodo Demophilus, & quidam alii partium Arianorum potuerint subscribere formulam *Omœusianam*, & Filium Patri similem confiteri. Factum id *Omœusianorum* præpotentia; qui, ut ait Socrates lib. ii. cap. 24. & Sozomenus lib. iv. cap. 15. maxima apud Imperatorem gratia & auctoritate valebant, eumque permoverunt, ut Ursacium quoque, & Valentem vi compelleret.

Accedit, quod Liberius, ut Sirmium pervenit, subscripsit, opera Basilii, Eustathii, & Elensii Fidem Sirmiensem contra Photinum, qua non potuit damnari *Omoousion*, nisi in pravo sensu Sabelliano, & quatenus significare videtur abscissionem substantiæ. Et vicissim in ea confessione excommunicati sunt Aetiani, qui per omnia Filium Patri similem non pronunciabant, eo quod falso, ut inquit Sozomenus, Eudoxius, aliique Anomœi spargebant Liberium reprobasse *Omoousion*, & filium Patri affirmavisse dissimilem. Atqui nec falso id Anomœi promulgassent, nec Liberius in eos dixisset anathema; si paulo ante Berœæ signasset secundam Ecthesin Sirmiensem, quæ redolet purum putum Anomœismum. Ergo Liberius secundam illam Sirmiensem Blasphemiam nequaquam probaverat.

Tandem subscriptio secundæ Sirmiensis formulæ non revocasset ab exilio Liberium, tum quia novum sibi apud Constantium, & *Omœusianos* odium conciliasset, nam omnes Anomœorum perfidiam, fidemque illam summopere execrabantur; tum etiam, quia Imperator non exigebat a Pontifice Arianam protestationem, sed tantum, ut damnaret Athanasium, ut colligitur ex Theodoreto lib. ii. cap. 16. Si ergo subscriptio secundæ formulæ Sirmii Constantio futura erat ingrata; si *Omœusianis*, quorum major erat apud Imperatorem auctoritas, maxime opponebatur. si demum non poterat Liberio libertatem promereri: profecto non video, cur illam Pontifex approbasset, ut revocaretur ab exilio, quod illius gratia piissimæ Matronæ Romanæ, & Occidentales quidam Episcopi flagitaverant. Vide Theodoretum laudato, ac proximo capite.

Hæc quum ita sint, non est in solutione argumentorum diutius immorandum. Quod enim objiciunt ex Hilarii fragmentis obsignasse Liberium Sirmiensem *perfidiam*; non esse accipiendum de *Blasphemia* per Hosium & Potamium conscripta, id in tertio argumento hujus propositionis fuit demonstratum. Illud vero, quod scribit Sozomenus libro iv. cap. 15. coactum a Constantio Liberium ad confitendum Patri Filium non esse *Omoousion*; manifestum est in præmissa expositione tertiæ sententiæ, & in penultimo argumento, dictum a Sozomeno de prima formula Sirmiensi contra Photinum, & de Antiochena contra Paulum Samosatensem: quarum prima *Omoousion* palam non efferebat, altera reprobabat in sensu Sabelliano, prout sola lectione Sozomeni liquido apparet. Quod ajunt, receptam Fidem expositam paulo ante, non anno 351. remoto nimis a lapsu Liberii; & illud priori argumentatione revincitur. Sed & quod reponunt, probatam Ecthesim, qua sperabatur Pontificis restitutio, postrema ratione refellitur. Nec, quod præsertim reprehenditur, suppressio scilicet *Omoousii*, quod palam erat enunciandum, magni ponderis est; si advertas quod in ultima sententia recitavi e Sozomeno, idest, tempore Liberianæ subscriptionis, quosdam prætextu *Omoousii* Photinianam hæresim suscitasse. Denique neque illud movet, Liberium subscripsisse damnationi Athanasii; quoniam, etsi ob fidem Catholicam vexabatur, Ariani tamen ficta quædam, horrendaque ejus crimina prætexebant, quibus credulus Pontifex fidem præbuit.

Liquet ex his, quo sensu, & Hilarius, & Hieronymus, & alii minus honorifice de Liberio fuerint locuti. Primo enim suscepit is primam fidem Sirmii, in qua Semiarianorum fraus latitabat, & in Athanasium quoque sententiam dixit, unde visus est hæreticorum partes fovere: quod est proprietate sermonis mei esse hæreticum *interpretative*, veram tamen fidem profiteri. Deinde, cum Liberius reprobasset, & compressisset repullulantem Photini hæresim, eoque prætextu Eudoxius, ceterique Anomœi spargerent improbo mendacio proscripsisse *Omoousion*: falsus rumor facile potuit ad aures hominum pervenire, undique

spiran-

spirante flatu pestifero Arianorum. Quare nil mirum si Hilarius ter in Liberium pronunciavit *anathema*; si tamen illa indignantis animi nota vere ex Hilarii pectore erupit: sunt enim complures, qui e margine in teatum irrepsisse contendunt.

Arduam hanc quæstionem non magni momenti Dupinius appellat. Ceterum, si quis recolat quanta pro fide Catholica Liberius Papa præstiterit, Apostolicas ad Constantium pro Divo Athanasio Epistolas, damnationem Pseudoconcilii Arelatensis, plenissima libertatis, cum ad Eusebium Eunuchum, tum in faciem Imperatoris proloquia, invictam animi fortitudinem, miserrimi exilii calamitatem, Romanæ Urbis, & amantissimæ Christi plebis pro ejus restitutione voces, ac gemitus: si quis, inquam, ista perpendat, lubenti animo me verbosum, molestumque hominem patietur.

C A P U T XIII.

De miserando lapsu, & pœnitentia Hosii Episcopi Cordubensis.

HOSIUS ob ætatem, & confessionem, laborumque tolerantiam omni honore ac reverentia dignissimus, Nicænę Synodi consors, atque insidiis Arianorum exilio damnatus, studio eorum, qui anno 357. Sirmium convenerant ab Imperatore Constantio revocatus est, ut vel persuasus, vel coactus hæresi consentiret. Cogitabant enim, si hunc tam eximium, & omnium celeberrimum consentientem haberent, fore illum fide dignum, maximumque dogmatis sui testimonium. Sirmium ergo venit necessitate coactus, & invitus, centenarius ætate, septingentarum leucarum itinere fessus, industria eorum, qui tantam venerabilis Antistitis senectam male exercitam habuerunt. Hæc ex lib. II. Socratis cap. 31. & Theod. IV. cap. 6. Videtur tamen Socrates priorem, & secundam Sirmiensem Synodum confundere, cum ex inscripto Consulum nomine constet tres esse distinguendas, & Hosium interfuisse Synodo secundæ Arianorum Episcoporum, quorum erant principes Ursacius & Valens. Quæritur modo, an formulæ hujusce Synodi subscripserit, quam ex dictis liquet fuisse blasphemam & Arianicam, &, an post lapsum resipuerit, vel in hæretica impietate decesserit.

PROPOSITIO I. Cessit tandem Hosius Arianis, illorumque impietati consensit.

In libro enim de Syn. Hilarius commemorat *Blasphemiam per Hosium & Potaminum conscriptam*; de qua supra. Socrates lib. II. cap. 31. *Quoniam vero consentire renuebat, plagas, & tormenta seni inferebant: unde & necessitate coactus, datis tum expositionibus & consensit, & subscripsit.* Ac Theodoretus in IV. H. E. libro cap. 6. *Hosius*, inquit, *initio quidem illis consentire detrectabat, compulsus tamen, & verbera, ut fama est, cum esset senex, perpessus, tandem consensit, & subscripsit.* Athanasius quoque celeberrimi senis cultor singularis, & gratus in sua ad Constant. Apologia ait: *Quamvis ob illatas ipsi multas plagas, immodicas & structas in cognatos ejus insidias cesserit ipsis ad horam, utpote senex, & corpore imbecillis.* Quod habet Latinus interpres legitur in Athanasio εἶξεν αὐτοῖς πρὸς ὥραν, *non repugnavit ad horam*. Ceteros complures affert Baronius ad annum 357. ubi num. XVIII. præclare asserit, Hosii lapsum præteritorum omnium casum superasse. Certis itaque testimoniis humana imbecillitas continuo nobis pensitanda in Hosii defectione proponitur.

Eminentissimus Aguirre Dissert. 2. in alterum Tom. Conc. Hisp. aperte narratum casum non denegat, dubium tamen multiplici capite probat: idque ob præclara Hosii merita summopere videtur in Scriptore clarissimo laudandum. Singula tamen, quæ producit brevissime expendam. Ait, quod senis oculi caligaverant, & mentis deliquium subierat: quod contigisse homini tanta ætate gravato probabile est quidem, sed mentis compotem indicant verborum, plagarumque ad tempus tolerantia; unde videtur imbecillitate corporis, non deliquio mentis peccasse. Addit Athanasium in Epist. ad Solitarios meminisse duntaxat Hosii cum Ursacio, & Valente communionis: at istorum voluntati *ad horam* non repugnasse fatetur idem Athanasius in sua Apologia. Observat Hilarium, qui procul a Sirmio aberat, decipi potuisse rumore famæ: & revera deceptum ego arbitror in eo, quod blasphemiam Sirmiensem ait ab Hosio conscriptam: si enim restitit aliquandiu Ursacio, & Valenti, & probra ac tormenta sustinuit, jam Ariani impiam Confessionem paraverant, quam magno Hosii nomine circumferrent. In subscriptione tamen innocentiam Hosii contra Scriptorum omnium auctoritatem perdifficile est demonstrare, & Hilarium plenissime convincere falsitatis. Contendit formulam, qualem narrat Hilarius, debuisse displicere Semiarianis; ideoque ab eo referri adulteratam. Verum reapse displicuit, & post expositionem Constantius minis, decretisque illam repressit, Auctore Socrate lib. 2. cap. XXX. ideoque conjectura hæc evanescit. Ait denique Aguirre Hosium comparatione Liberii leve crimen patrasse: quod opus habet distinctione; nam in damnationem Athanasii Hosius nunquam consensit, & Liberius eidem subscripsit; qua in re miramur Hosii constantiam, & Liberii simplicitatem excusamus. In subscriptionem autem Ecthesebs, cum Hosius secundæ Sirmiensi Synodo adfuerit, quando *Blasphemia* edita est Ariana, ac Liberios accesserit Semiarianorum postulationibus jam formula illa damnata & verita, dolemus de lapsu Hosii, & lætamur de recta fide Liberii.

PROPOSITIO II. Non obiit Hosius in impietate Arianica.

Athanasius in Epist. ad Solitarios Hosii pœnitentiam his verbis contestatur: *Moriturus enim quasi in testamento suo eorum vim protestatus est, & Arianam heresim condemnavit, vetuitque a quoquam probari, aut recipi.* Et in Apologia, de qua supra, ait Hosium Arianis consensisse tantummodo πρὸς ὥραν, *ad horam*, nempe, dum Sirmiensi Conventiculo invitus interfuit. Legendus S. P. Aug. lib. I. in Epistolam Parmeniani, ubi negat quod Donatistæ vulgaverant, Hosium ab Hispanis damnatum, & a Gallis fuisse absolutum, aut saltem ait credibilius esse, *Hispanos falsis criminationibus circumventos, contra innocentem protulisse sententiam, & postea pacifice in humilitate Christiana ad sententiam Collegarum accessisse.* Addimus posse quidem justissimum Deum deserere semel peccantem; sed cum superexaltet misericordia judicium, miserationibus ejus, quarum non est numerus, videtur magis consentaneum, si dicatur homini, qui fuerat Athleta veritatis, neque malitia, sed infirmitate, neque corde, sed ore peccaverat, pœnitendi victricem gratiam fuisse largitum. Quamquam hæc inscrutabili Dei beneplacito parata est, & ob præcedentia demerita facti sunt plures vasa in interitum, rerumque humanarum singolare ludibrium.

Oppones: Isidorus de Viris illustr. cap. 14. narrat Hosium digno Apostatæ exitu fuisse elisum, & ore distorto divinitus e sede dejectum, cum vellet deponere Gregorium Illiberitanum, qui noluit cum Hosio, tanquam perditissimo hæretico communicare. Consentiunt celebriores rerum Hispanicarum Scriptores, Auctor Anonymus, qui XIV. Vitas Isidori libro præposuit, Joannes Vasæus in Chron. ad annum 355. Joan. Mariana lib. IV. cap. 17. aliique permulti.

Resp. Natalis Alexander, librum de Viris Illustr. censendum esse suppositum, cum illius non meminerit Idelphonsus, qui recenset Opera omnia Isidori. Hæc tamen responsio falsa est, cum liber Isidori de Viris Illustribus in aliorum syllabo censeatur a S. Braulione Cæsaraugustano Episcopo, cujus Prænotatio extat Tom. 2. Hispan. Illustratæ, & hujus libri antiquissimum Ms. servetur cum Isidori nomine Cantabrigiæ in Bibliotheca Benedictina, & Oxonii in Mertonensi. Quare Isidoro jure adscribitur a nostro Philippo Bergomate in Supplemento ad an. 615. a Sigeberto in Catalogo cap. 55. a Vossio lib. 2. de Hist. Lat. cap. 25., ab aliis quamplurimis. Hæc tamen Hosii teterrimum exitum nequeunt, ut Vulpiani verbo utar, certiorare. Nam, ut recte scribit ipsemet Alexander, Isidorus tabulam hausit e Luciferianorum gurgite deturpatam. Luciferiani enim duo, Faustinus & Marcellinus, qui noluerunt recipere lapsos in persecutione Constantii, & ab Ecclesia sese nefario schismate alienarunt, in Libello ad Imperatorem Valentinianum adversus Sanctos Episcopos veritatem fabellis tragicis macularunt. Ibi primum Hosii cum Gregorio Boetico dissidium, & illius mors atrocissima conficta sunt, pluraque in Athanasium & Hilarium inverecunde adinventa. Illinc exscripsit Isidorus tragœdiam deplorabilem, inseruitque Historiæ virorum illustrium: aut certe assuit Theodiscus illius in sede Hispalensi successor. Quamobrem æquum est, ut major fides præstetur Athanasio Scriptori Synchrono, atque integerrimo, quam Isidoro ab Hosii ætate valde remoto, & qui scripsit post corruptam a Luciferianis historiam. Id vero ceteris Hispaniarum Scriptoribus potuit facilius contingere, inter quos multi sunt apud citatum Aguirre in Hosium benigniores. Si quis præclara ipsius merita velit cognoscere, legat Epistolam Athanasii ad solitariam vitam agentes.

C A R U T XIV.

Absolvitur liber Apologeticus nonnullis adnotationibus in Eucharisticum Hymnum Te Deum laudamus.

PRIUSQUAM de tabula manum tollam, triplex ratio suadet, ut de hymnogratiarum Ambrosio, & Augustino inscripto pertractem; non ita tamen, ut pariam prolixitate fastidium. Ratio prima est, quod Ecclesia perantiquæ traditionis verax & inviolabilis Magistra a pluribus sæculis prædictum hymnum recepit: in quo Deum unum, æternum Patrem, verum & unicum Filium, & Paraclitum Spiritum laudamus, & confitemur. Fidem itaque Catholicam Trinitatis, Scripturis ac Patrum traditione ad nos derivatam Ecclesia Christi frequentissima hujus hymni recitatione confirmat. Illum ergo in dissertatione, qua fidem istam vindicare studui, importunum nequaquam videtur commemorare.

Deinde movet me, quod eruditi viri quamplurimi prædictum hymnum SS. Ambrosio & Augustino prorsus abjudicant, quorum non leves sunt conjecturæ. Primo enim ignotum esse Auctorem colligunt ex antiquioribus Mss. in quibus neque Ambrosio, neque Augustino tribuitur. In Vaticano Psalterio inscribitur *hymnus S. Sisebuti*. In Breviario Aniciano *Hymnus S. Abundii*: inscribitur in altero Psalterio Galli-

Gallico, Sancto Nicetio, & apud Edmundum Martene, Hilario Pictaviensi. Tanta Auctorum diversitas, ait Pagius ad annum 388. satis ostendit latere adhuc hujus Cantici Auctorem. Ad hæc nemo invenitur, ut verbis utar PP. Bened. Tom. 2. Oper. S. Amb. p. 1217., hac nostra ætate tam plane rudis, qui fabulam esse inficietur, eumdem hymnum post baptizatum ab Ambrosio magnum Augustinum fuisse ab utroque alternis vicibus decantatum. Præterea invaluit hæc opinio ex Chronico S. Datii Mediolanensis, quod suppositum opus esse arbitrantur Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorii, Gavantus in Rubricis, Mabillonius To. 1. Analectorum, & qui accurate Ambrosianæ Bibliothecæ Codices lustravit, Ludovicus Muratori. Rursus ab uno Ambrosio fuisse conscriptum nonnulli probare conantur, ex quo in forma Dialogi non sit editus. Demum animadvertit Lorinus in Ps. 27. versiculum Cantici, *Salvum fac populum tuum, Domine, & benedic hæreditati tuæ*, aliter legi tam in Psalterio Ambrosiano, quam apud Sanctum Patrem Augustinum: unde oritur suspicio, neque ab uno, neque ab altero fuisse compositum. Ita rationes non videntur deesse, quibus vetus opinio rejiciatur.

Attamen, omni partium studio deposito, arbitror debiliores esse conjecturas istiusmodi, & hymnum revera edidisse Ambrosium, & Augustinum, ut Bartholomæus Urbinas in Præfat. ad Milleloq. Jacobus de Valentia de hoc Cantico, Lancillotus, aliique nostrates, ut ex Congregatione Discalceatorum Eustachius a S. Ubaldo, necnon citato loco Lorinus, Radulphus Tungrensis Prop. 13. de Can. observat. & innumeri cujusque Ordinis Scriptores tradiderunt. Quod hac ratione ductus ostendo. Recedendum non est a vetusta & communi traditione, nisi hanc valida argumenta revincant. At quidquid eruditi viri producunt, ut antiquam de Cantico isto traditionem refellant, perleve est, nec ad eam labefactandam est satis. Itaque a communi, & pervetusta traditione, qua hymnus Ambrosio & Augustino tribuitur, nullatenus est recedendum. Communem esse hanc traditionem liquet ex Breviario Romano, Ambrosiano, & Monastico; esse perantiquam fatentur doctissimi viri Antonius Pagius ad annum 388. n. 21. & Mabillonius in dissert. de Azymo & Ferm. cap. vi. & probatur ex libro Ms. Psalmorum, quem Carolus Magnus misit ad Hadrianum Papam proculdubio ipso Carolo Magno vetustiorem, & pretio antiquitatis existimandum, aut saltem ex antiquiori exaratum, alias non esset donum vere magnificum & regium. In hoc ergo vetustissimo Ms. cujus Autographum asservatur in Cæsarea Bibliotheca extat Canticum istud cum epigraphe: *Hymnus, quem S. Ambrosius & S. Augustinus invicem condiderunt*. Præfert hunc titulum etiam in libris Alcuini, qui clarissimus Bedæ & Egberti discipulus fuit, & ejusdem Caroli nobilis præceptor. Appellant quoque Mediolanenses viam, quæ a laterali janua Ecclesiæ S. Ambrosii ducit ad alteram, in qua fertur Augustinum fuisse baptizatum, *la via del Tedeom*, cujus nomenclaturæ originem nullam aliam possumus adinvenire; & est tempus, quo primum invaluit, immemorabile.

Quantum vero infirmæ sint superiores conjecturæ, quis non facile intelligit? Sisebutus fuit Monachus Cassinensis, floruitque, ut constat ex hujus Ordinis Menologio ad xv. diem Martii, anno 1082. At S. Benedictus in Regula scripta circa annum DVI. præcipit, ut *Post quartum responsorium incipiat Abbas Hymnum, Te Deum laudamus*. Hæc in regula Benedicti cap. xi. Quando ergo magnus ille Monachorum Pater instituit venerandissimum Ordinem, notum erat præfatum Canticum, imo & Ecclesiæ usu probatum: non enim Benedictus hymnum novum, & insitatum Officio Dominicæ addidisset; atque viri docti multo ante cantatum fuisse tradunt in Natalitiis Pontificum. Eapropter nullus Monachus Cassinensis, ut fatentur PP. Maurini in Præf. ad Hilarium, Auctor est hujus Cantici. Sed neque Hilarius Pictaviensis, aut Abundius, aut Nicetius, pro quibus vix stat unius Ms., nec perantiqui, testimonium: nec quanta in uno volumine veteres Amanuenses diversorum scripta confuderint, neminem fugit. Ita fieri potuit ut inter aliorum opera hymnus iste locum habuerit, aut forsitan fini fuerit appositus ad gratiarum actionem. Prior ergo Recentium Criticorum conjectura non videtur esse firmissima. Id vero, quod asserunt Benedictini in notis ad Hymnos Ambrosii fabulam esse vulgarem opinionem, Canticum *Te Deum* ab Ambrosio & Augustino alternis vocibus decantatum fuisse, me nihil commovet: sæpe enim veritas falsis circumstantiis vestitur; nec refert si Canticum ex tempore Ambrosius & Augustinus alterne cecinerint, aut ab utroque editum & conscriptum Clerici Mediolanenses: unde in iis, quæ ad compositionis modum attinent, sum ego piscis, hoc est, innatans, & mutum animal.

Nonnihil movet, quod scribunt in Præf. ad Hilarium, vulgarem opinionem *solo niti Pseudo-Datii Chronico lib. 1. cap. 10.* At aliter Joannes Mabillon, nomen ipsis, & universæ literariæ reipublicæ splendidissimum. Is citata dissert. de Azymo tria ad rem nostram percommoda docet: primum, non in solo Chronico Datii, sed etiam in pervetusto Psalterio Caroli Magni, de quo supra, Canticum istud referre nomen SS. Ambrosii, & Augustini; atque hæc statim addit: *Quod ut parum certum sit, hinc tamen apparet persuasionem de auctoribus istius Cantici non esse admodum novam & recentem, sed aut ipsius Datii tempore, aut paulo post receptam*. Quare Mabillonius, licet parum certam opinionem nostram concedere videatur, negat niti solo Chronico Datii, & ex ea posse ipsum Chronicon reddi suspectum. Deinde observat idem Chronicon sub nomine Datii citari tum apud Paulum Diaconum lib. xvi. historiæ Miscellæ, tum apud Anastasium in vita Silverii: unde infert, *fatendum est, aut Datium ejus esse auctorem, aut aliquem alium Paulo Diacono, idest octavo sæculo superiorem*. Deinde ait, quod etiamsi Chronicon illud esset ævi recentioris, non tamen continuo respuendum est, quidquid in illo continetur, cum Auctor, quisquis tandem ille sit, potuerit id ex veteribus monumentis accipere. Quæ dicuntur quidem a Mabillonio de Azymo, sed possunt etiam Cantico Eucharistico accommodari. Itaque vulgaris opinio neque nititur solo Chronico Datii, neque illud manifeste est suppositum, neque, ut tale sit, respuendum est quidquid in eo continetur. Atque his tertio argumento satisfactum iri confidimus.

Chronicum autem Datii ex duplici capite habetur apocryphum, primo quia producitur usque ad annum Christi 1057. deinde, quia apud Ladalphum eadem, iisdemque verbis narrantur. Sed his satis est respondere, Datiano Chronico aliqua accessisse additamenta, quod in Scriptoris hujus generis ut plurimum solet contingere. In exemplo est Chronicon Eusebii, quod ille produxit ad annum vulgaris Aeræ 326. & Hieronymos ad annum 389. Libri enim Annalium ac Temporum in dies crescunt; & in unum corpus quandoque coaptantur. Cumque juniores Chronologi exscribant, aut in epitomen redigant historias antiquiorum, nil mirum si in Ladulpho occurrant permulta, quæ sub nomine Datii alibi inveniuntur.

Leviora sunt, quæ ulterius objiciebantur, scilicet, apparere ex MS. annis quadringentis antiquiore, & ex eo, quod in Cantico forma dialogi non servetur, editum a solo Ambrosio. Revera enim Ambrosianum possumus appellare, si ex parte Sanctissimum Antistitem habet Auctorem, ab eoque dicitur inchoatum. Neque more Dialogi texendum erat, cum non sit mutuum Ambrosii & Augustini colloquium, sed utriusque oratio Eucharistica: etenim Διαλογίζομαι est colloqui, & adinvicem disceptare. Deprehendimus denique non raro, inquit Lorinus, longe aliter Ambrosium & Augustinum legere textum Psalmorum, quam sit in Ambrosiano Psalterio, & consequenter nihil obstare potest quod in Cantico legatur *hæreditati tuæ*, & in Psalmo *hæreditatem tuam*, minima, ut apparet, discrepantia. Receptæ itaque traditioni de Auctoribus hymni Eucharistici non videtur propter istiusmodi conjecturas esse contradicendum.

Habes duplicem caussam, propter quam de hymno *Te Deum* in fine libri de Trinitate Apologetici breviter pertractavi. Forte dices, me principio hujus Capitis caussas tres indicavisse. Ita est. Tertiam habeto: ut libro finem faciat Canticum Ecclesiasticum, quod inscribitur *De fide Christi*, & *Pro gratiarum actione*.

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER NONUS,

Qui resolvit quadam dubia Scholastica, & modum tradit loquendi de Trinitate.



AD finem Librorum, quos de Uno, Trinoque Deo susceperam exornandos, mihi tandem properanti occurrunt prolixæ, ac perdifficiles veterum Scholasticorum Disputationes, in quibus ne diu versemur, prohibet cum ratio instituti, tum rerum aliarum dignitas atque amplitudo: ne autem illas penitus prætereamus, non sinit Majorum nostrorum assiduus labor, & perantiqua literarii certaminis institutio. In hoc ergo Libro de Scholarum circa Trinitatem placitis talem placet tenere methodum, quæ proponat brevique resolvat Scholasticas disceptationes; ut debellatis jam longo certamine Hæreticis, Criticisque devictis, eos etiam, qui aut domestica, aut ludicra bella inferunt, exerceamus, ac tranquilliori posthac animo a Divinitatis arcano ad spiritales, corporeasque creaturas nostra convertatur oratio. Neque vero timemus quin differentibus nobis adsit lectorum conjuncta cum singulari comitate tolerantia; dum nisi ratiocinationibus peracutos & excultos eloquio, breviloquentes saltem futuros nos esse pacifcimur.

C A P U T I.

Non posse intellectum creatum naturali facultata certam Trinitatis comparare sibi notitiam.

TRINITATIS mysterium laudabili ausu, miroque ingenio invenisse Platonem scripsit quinto sæculo Claudianus Mamertus; & plura illius arcani vestigia in libris Mercurii Trismegisti, & in Oraculis Sibyllarum deprehenduntur. Ingenii acumine altissima quæque mysteria contingi ajebat sæculo duodecimo Abaelardus: divinarumque personarum pluralitatem evinci arbitrabatur circa finem sæculi XIII. Raymundus Lullus demonstratione petita ab æqualibus, quam vocant æquiparantiæ. Hi, aliique viam huic quæstioni aperuerunt: pro qua superfluum videtur repetere multiplex esse genus demonstrationis, per caussam, ex effectibus, a simili, & ex aliis locis dialecticorum. Tantummodo prænotandum est, duo simul controverti, num ratio naturalis possit sese in hujus mysterii cognitionem assurgere, aut saltem revelatione supposita illud positiva argumentatione reddere manifestum.

PROPOSITIO: Nullus acie naturalis ingenii valet Trinitatis mysterium percipere, nec fide imbutus illud humanis argumentis evincere.

Ostenditur Scripturis, PP. auctoritate, & ratione. Quod solius gratiæ donum est, nemo sola natura duce consequitur: Notitia Trinitatis solius gratiæ donum est; Ergo nemo hanc notitiam sola natura duce consequitur. Minor probatur ex verbis Matth. XI. 27. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et cap. XVI. 17. *Beatus es, Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* II. Hormisdas Papa in Epist. ad Justin. *Secretum*, inquit, *Trinitatis nec ulla visibilium, nec invisibilium creaturarum potuit investigare natura.* Ambrosius lib. de Fide cap. 10. *Impossibile est, generationis Verbi divini scire secretum: mens deficit: vox silet.* Et S. P. Aug. lib. XV. de Trin. cap. XVI. *Quænam tandem vis intelligendi, quæ vivacitas rationis, quæ acies cogitationis ostendent, quomodo sit Trinitas?* III. Omnis naturalis cognitio duplicem habere potest sui caussam, vel prænotionem creaturarum, vel ideam anticipatam & ingenitam: Ex neutro principio hauriri potest Trinitatis notitia: Ergo nullatenus hæc poterit esse naturalis. Prob. min. Non sufficit prænotio rerum creatarum, quoniam hæ trahunt in Dei cognitionem, tanquam effectus a prima caussa producti; & virtus illarum creatrix, quæ est toti Trinitati communis, ad unitatem spectat divinitatis, nec proficiscitur ex proprietate personæ: ita ut, si in una tantum hypostasi Dei natura subsisteret, adhuc ratio haberetur Creatoris, & creaturæ. Nec satis est insita idea Dei, quia hæc exhibet rationem summi Boni, independentis, infiniti, per se existentis; quæ pariter solam infert unitatem divinitatis. Sive ergo prænotio creaturarum, sive anticipatio idearum nequit perceptionem parere Trinitatis. Hæc vero probant positionem nostram facta quoque revelatione: quæ naturalem vim aut mentis, aut idearum non immutat, efficitque tantummodo, ut assentiamur veritati non apparenti propter revelantis auctoritatem. Præformati autem fide facile demonstramus in Deo Trinitatem non repugnare, ejusque imagines ubique conspicimus, prout liquet ex cap. 6. & 7. libri VII.

ADVERSUS HANC POSITIONEM OBJECTIONES QUÆDAM.

Opp. 1. Apost. ad Rom. 1. 20. inquit: *Invisibilia enim ejus a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Et Sap. XIII. 1. *A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterat horum Creator videri.* Utuntur hoc duplici testimonio Theologi, ut evincant ex rebus aspectabilibus unius summi Numinis existentiam. At S. P. Augustinus lib. XV. de Trinit. cap. 2. affert utrumque testimonium, *ne fidelium quispiam frustra, & inaniter existimet, se quæsisse in creatura indicia summæ Trinitatis.* Igitur quomodo Dei existentia, ita & Trinitas ex rerum adspectabilium contemplatione dignoscitur. Et quidem S. Pater præcedentibus libris comprobaverat Dei Trinitatem exemplis creaturarum, quæ lib. VII. additis pluribus aliis fuerunt producta; & quæ videntur hanc assertionem evertere.

Resp. Utique deprehendi accedente lumine fidei in rebus conditis Triados vestigia, sed, quoniam quidquid creatum est, cum sola omnipotentia necessario connectitur, Deum omnipotentem aperte demonstrant, non Deum Trinum. Nam quæ videntur Trinitatem referre, non eam exhibent æquiparantia naturalis similitudinis, sed cogitam mentis divinitus illustratæ. Quod Augustinus eodem libro cap. 20. de Imagine sita in mente hominis cogitante & volente, ita monet: *Verumtamen caveat, ne hanc imaginem ita ei comparet, ut omnina existimet similem; sed potius in qualicumque ista similitudine magnam quoque dissimilitudinem cernat.* Affert præterea multiplex inter has imagines Deumque discrimen: unum cap. VIII. ejusdem libri, quod hæc tria, id est, mens, notitia, & amor, *ita sunt in homine, ut non ipsa sint homo;* cum e contra divinitatis natura ita sit in Personis, ut unaquæque sit Deus: alterum cap. 23. *quod ista Imago, quod est homo, habens illa tria una persona est;* & in Deo tres distinctæ personæ sunt una eademque divinitas: tertium cap. 22. quod homo adeptus intelligendo notitiam, aut caritatem amando, non est hæc, *sed hæc habet;* & Verbum Patris, & amborum Amor sunt eadem Patris substantia. Hisce regulis comparationes omnes cap. 7. lib. VII. pensitabis. Dum enim subit naturalis cogitatio, aut Deum esse intelligentem, aut naturam esse boni se diffundere, aut amicitiam versari inter plures, aut perfectionem esse viventium gignere filium: occurret simul prudens animadversio, solam fidem nobis proponere posse dari verbum ejusdem cum intelligente naturæ, communicari bonum alteri substantia indistincto, dari in consortio amicitiæ indivisibilem Deitatem; reperiri genitum substantialiter a generante indivulsum: quæ, priusquam accedat donum descendens a Patre luminum, nec firmiter credi possunt, nec salubriter inveniri, nec veraciter cogitari.

Opp. 2. Antiqui Philosophi naturali lumine divinarum personarum pluralitatem assecuti sunt. Mercurius Trismegistus fertur hæc protulisse; *Monas genuit Monadem, & in se suum reflexit ardorem.* Commendant Aristoteles, & Pythagoras ternarium numerum tanquam symbolum divinitatis. In Platonis Timæo hoc exponi mysterium, notat in 2. de Præparat. Evangelica Eusebius. In Platonicorum libris multiplicibus rationibus suaderi æternam Verbi apud Patrem existentiam testatur S. P. Augustinus lib. VII. Confess. cap. 9. Meminit Patris & Filii etiam Zoroastres in Magicis. Plura de Christi divinitate, eaque illustria proferuntur in Oraculis Sibyllinis. Potest ergo nativa rationalis creaturæ facultas ad hanc notitiam pertingere.

Resp. nego ant. Qui enim sub Mercurii nomine circumferuntur libri, suppositi sunt, neque ætatem præcedunt Apostolorum, ut dudum eruditi viri observarunt, Petavius lib. 1. de Trin. cap. 2. Du-Pin in sua Bibl. Tom. 1. pag. 35. omnesque naris emunctæ Critici. In his enim passim occurrunt Evangelii Joannis verba, & Græca explanantur vocabula, cum Mercurius floruerit, quisquis tandem ille sit, antequam vel ipsum Græcorum nomen audiretur. Sed dato

genui-

genuina esse Opera Trismegisti, dicitur in his Monas genuisse Monadem, idest, unus unum, de productione mundi, qui unus est, & conditus ab uno Deo, usurpato verbo *genuit*, pro creavit, more usitato Græcorum. Ternarium numerum Pythagoras, & Aristot. commendant, eumque gentes summa in Sacrificiis religione adhibuerunt, quod ceteris præstantior sit, habeatque principii, medii, ac finis rationem, ob triplicem unitatem. Imo Pythagoras Quaternarium præferebat, in quo solitus erat jurare; & in octavo summam esse perfectionis symbola Sacrorum librorum demonstrant. Plura de his Bongus, qui tamen demonstraturus Ternarii excellentissimam naturam ex quo Christus tertia die resurrexit, & Paulus tertia oratione confortatus est, videtur pueriliter ludere, cum plurima sint etiam Ternarii numeri valde infausta, ut percussio Benadab, confossio Absalom, ac trium dierum, regnante Davide, pestilentia. Neque de se numeri bonum, aut malum portendunt, etsi ratione rerum, quæ numerantur, noceant aliquando, vel prosint.

Platonici potuerunt ex Hebræis nonnulla audire mysteria, sive fuerint ante expeditionem Alexandri aliqui Sacri libri in græcum translati, ut docent viri de Ecclesiastica historia benemeriti Huetius, & Alexander; sive Gentiles Philosophi cum Judæis fuerint conversati: quod de Aristotele scribit Clearchus apud Josephum Flavium in 1. contra Apionem, & Eus. in IX. de Præp. Evangelica cap. 5. & 6. idque de Platone credendum est, quem constat discendi cupiditate majorem orbis partem peragrasse. In libris tamen Platonicis plures distinguuntur gradus divinitatis, Tagaton, sive caussam, Demiurgum, & ideam universorum, aliosque Deorum ordines, ut lares & dæmones, uti observant Proclus in Comment. ad Timæum, Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis, & S. P. August. lib. XIII. de Civ. Dei cap. 16. Quamobrem Verbum Dei cognovit quidem Plato, ut ait idem Aug. in VII. Confess. sed inferiorem Tagato divinitate: & ipse, ut arbitror, semina projecit Arianismi. Sunt hujus generis quisquiliæ, quas proferunt e Zoroastre, aut suppostitiæ, aut Arianicæ, & fortassis utrunque.

Eadem fere est ratio de Sibyllinis Oraculis, quæ spuria censent non solum Blondellus, Markius, Oudinus, Vossius, Clericus, sed etiam Possevinus, & alii complures, qui Auctorem in tempore Hadriani, aut Commodi, & citius etiam ruminant; & quamvis carmina Sibyllarum a XV. viris Romæ asservata omnes fateantur, quæ tamen nunc extant notis innumeris apparent post ætatem Apostolorum consarcinata. Nil ergo mirum, si Filium Dei Christum prædicant. Quod si cum Hugone Grotio contendas versus Sibyllarum esse a Judæis editos Græco idiomate, etsi falsa est hæc opinio, sequitur Religionis arcana fideles tantummodo prodidisse. Si demum servari adhuc vaticinia Sibyllarum existimas; his mysteria prænoscere divinitus concessum est. Ait enim in 1. adversus Jovinianum beatus Hieronymus: *Sibyllarum insigne virginitas, & virginitatis præmium divinatio*.

Opp. ultimo: Quod non demonstratur impossibile, demonstratur possibile: Mysterium Trinitatis non demonstratur impossibile: Ergo demonstratur possibile. Resp. dist. ma. Si demonstrari possit, habeatque in humana mente notionem aliquam & ideam, conc. si nulla ejus prænotio, aut idea succurrat menti, nego. Porro, revelatione seclusa, nulla occurrit individuæ Trinitatis perceptio, ideoque nullo nisu potest naturalis ratio illius possibilitatem evincere.

CAPUT II.

Quinam sit divinarum Processionum numerus, & quale principium.

HOC *Processionis* vocabulum, quod specialiter aptatur Spiritui Sancto, ampliori significatione etiam Filii generationem complectitur; unde *Processio* nihil est aliud, quam origo unius divinæ Personæ ab alia. Hanc immanentem esse, substantialem, ac necessariam, fides docet, ut naturalem illam & incommutabilem nativitatem & spirationem secernat quisque a libera & contingenti productione creaturarum. Et *processiones* in Deo esse admittendas, satis superque lib. VII. demonstravimus; ibique refutavimus argumenta, quibus Heterodoxi conantur evincere, aut unius substantiæ unam esse personam, aut unius processionem ab alia naturam evertere divinitatis. Hæc cap. 6. & 10. fuerunt exagitata. Non videtur ergo in hac quæstione immorandum: neque recudenda sunt, quæ obstare videntur ob rationem principii, *entis* a se, & essentiæ *irrecepta*; cum in Filio & Spiritu Sancto non temporis diversitatem, non dependentiæ rationem, non esse productum a caussa, sed solam discrepantiam originis profiteamur.

Ex eodem libro septimo constat duas tantum in divinis admittendas esse *Processiones*, hoc est, Generationem Filii a Patre, & Spiritus Sancti originem ab utroque. Cur vero Filius generare non debeat, nec in Deo admitti debeant plures his intrinsecæ emanationes, neque dentur divinorum attributorum termini intrinseci substantiales; cur etiam Spiritus Sanctus neque spiret, neque generet, diximus in resp. ad argumenta Wolzogenii citato cap. 7. & 10.

Remanet ergo videndum quodnam sit harum *Processionum* principium, an natura, an hypostasis, an utrumque. Nomine autem principii intelligimus id, in quo sita est ratio potentiæ generandi, aut spirandi. Aureolus dist. VII. q. 1. art. 2. nullam hujusmodi activam potentiam agnoscit præter connexionem & non repugnantiam terminorum, qualis est potentia, qua Deus potest esse Deus, homo homo, brutum brutum. Doctores alii putant distinguendum esse inter principium *quod*, & principium *quo*; & illud quidem esse Personam subsistentem, non est qui vertat in dubium. At de principio *quo* dissentiunt ab invicem. Statuit Durandus principium *quo* in sola natura, quatenus est fecunda etiam præconcepta ad intellectionem, ac volitionem: quam sententiam appellat Ludovicus Bancel errorem in fide. Quidam cum Dionysio Carthusiano, ac D. Bonaventura reponunt hoc principium in sola relatione, sive personali proprietate. Thomistæ, quibus subscribunt Juenin, Tournely, Habert, Boucat, Florez, præter turbam veterum, recentiumque, constituunt illud in intellectu & voluntate, quatenus connotant relativum, scilicet, rationem constitutivam Personæ. Nonnihil ab his discrepant Scoti asseclæ, qui cum animadvertant intelligendi & volendi actus esse tribus personis communes, actus alios *formaliter* diversos invenerunt, in quibus Verbi generationem, & spirationem arbitrantur consistere, quorum unum *dictionem* appellant, alterum *spirationem*. Conveniunt autem utriusque partis Theologi, quod præter principium *quod*, idest personam, aliud principium *quo*, qualecumque demum sit, contentiose propugnant aliqua ratione a natura distinctum, quam etiam principium *quo* remotum esse non diffitentur. Nos, qui distinctionem omnem intrinsecam a simplicissima natura Dei eliminavimus, priusquam nostram proferamus opinionem, prænotamus, probare nos enunciationes hujusmodi: *Essentia est virtus generativa Dei*, quæ sunt verba Cyrilli in 1. Thesaurorum cap. 7., &, *Divina natura est generativum principium, quo Pater filium generat*: ut sess. 18. Florentini Conc. ait Joannes Theologus; necnon, *Verbum gignitur intellectu, vel dictione Patris*, pluresque consimiles. Quis enim hæc esse apud PP. usitatissima ignorat? quis hæc non pronunciat? Sed cum propositiones illæ duplicem sensum admittant, *complexum* nempe, atque *incomplexum*, utrumque dicimus esse exponendum. In exemplo sit: hæc enunciatio, *Filius genitus est e Patris substantia*, aut, *Filius est Verbum ac Sapientia Patris*, hunc sensum habet, quem placet cum nostro Ariminensi appellare *complexum*, Filius est genitus a Patre, qui est sua substantia, suamet sapientia; & sensum hunc admittimus, & traditum novimus ab Augustino, qui frequentissime docet Patrem esse quidquid est, substantiam, vitam, intellectum, &c. ut pluribus demonstratum est lib. II. cap. 3. Sed habet præfata enunciatio alium sensum *complexum*, & formam quamdam Patri generanti superaddit, idest, Filius gignitur e substantia, quæ est aliquid a Persona Patris distinctum; sive procedit per intellectum, qui est potentia hypostasi superaddita: & sensum istum respuendum esse censemus, tamquam divinæ oppositum simplicitati. Hæc autem, licet citati cap. 3. libri II. sint consectaria, variis nunc assertionibus explicabuntur.

PROPOSITIO I. Datur in Deo verum aliquod, ac proprium generationis, & spirationis principium.

Adversus Aureolum sic breviter probatur. I. Pater non constituitur in ratione Patris hoc solo, quod Filius non repugnet, sed quod illum revera generet; Ergo præter non repugnantiam terminorum, aliquod generationis principium admittendum est. Prob. ant. PP. testimonio, ac ratione. Etenim S. P. August. in V. de Trinit. cap. 14. *Pater*, inquit, *ad Filium principium est, quia genuit eum*. Igitur Filius est a Patre per veram generationem, non per solam non repugnantiam. Tum, generatio est actus principii Filium producentis: In Deo est generatio: Ergo actus principii Filium producentis in Deo est: & quomodo vera negari generatio non potest, ita nec proprium generationis principium. II. Non repugnantia probat in Deo aliquid esse *illative* tantum & argumentatione logica, non per originem, ac naturali generatione: Atqui Filius est a Patre non *illative* tantum, sed substantiali generatione & origine: Ergo non est principium Filii sola non repugnantia. III. Quælibet potentia, quæ refertur ad terminum a se productum, est vera potentia: Principium generationis Verbi refertur ad terminum productum: Ergo principium generationis Verbi est vera potentia.

Opp. 1. In Patre non est potentia, ut se faciat Patrem: Ergo in Patre non est vera potentia, qua generet Filium. Resp. dist. ant. Non est in Patre potentia ut se faciat Patrem & generet, ea potentia quæ est ad actum, concedo: ea potentia, quæ est ad terminum, nego. Potentia ad actum est, qua potest quispiam sibi dare perfectionem aliquam, ut homo potens intelligere valet prodire in actum, & dare sibi eam, qua carebat, formam intellectionis: quæ potentia, uti supponit rem mutabilem, ita Deo videtur indigna. At potentia ad terminum tantummodo est illa, quæ nullo superveniente actu ex parte principii dat tre-

termino aut existentiam, aut perfectionem, qualis est potentia mundum procreandi, & in Patre sempiternum Filium gignendi: quæ quidem, si est potentia ad terminum extrinsecum, & creatum, infert in eo finitatem ac dependentiam, ut in mundo: si ad terminum intrinsecum & procedentem, solam relationis originem, ut in Filio.

Opp. 2. Potentia productiva Filii est perfectio *simpliciter*: Ergo si in Patre sit vera potentia Filii productiva, erit in Patre perfectio *simpliciter simplex*, quæ non invenitur in Filio.

Resp. dist. ant. Potentia productiva Filii est perfectio *simpliciter*, & *incomplexe* significabilis, idest, penitus indistincta a perfectione substantiæ Patris, conc. Est perfectio *simpliciter*, & significabilis *complexe*, scilicet, forma aliqua superaddita Patris substantiæ; nego ant. & quod inde consequitur. Nam cum Filius habeat eamdem cum Patre divinitatem, habet etiam omnem perfectionem illius, & licet Pater non sit, est tamen eadem bonitas, quæ est Pater.

PROPOSITIO II. Principium divinarum processionum non est sola hypostasis, aut relatio.

Enimvero, ut Anselmus ait in cap. 54. Monologii, *Non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater, & Filius, sed ex eo in quo unum sunt*. Videlicet, principium generationis debet etiam complecti naturam, quæ in ambobus est una, cum Filius ratione generationis procedat ut Deus: Ergo relatio aut personalitas, si naturam sejunxeris, non est completum generationis principium.

Opponet: Relativa proprietas est Patri principium essendi *personaliter*: Ergo est etiam principium *personaliter* operandi. Resp. dist. ant. Relative proprietas est principium essendi *incomplexe* significabile, quod est ipsamet natura cum termini connotatione, conc. Significabile *complexe*, & naturæ adventitium, nego.

PROPOSITIO III. Sola natura non est principium processionum divinarum.

Liquet; nam quidquid tribus personis commune est, illarum nequit esse principium: Natura personis communis est; Ergo natura nequit illarum esse principium. Hinc juremerito IV. Lateranense Concilium celebratum anno 1275. definivit contra Abbatem Joachim, quod *Essentia non est generans, neque genita, neque procedens: sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, Spiritus Sanctus qui procedit*.

PROPOSITIO IV. Non est in Deo admittendum aliquod principium *quo* a principio *quod* sensu *complexo* distinctum.

Demonstratur propositio argumentis quibusdam communibus, postea particularibus contra aliorum opiniones. Sunt autem communia, & quæ simul Durandi, Thomistarum, & Scoti opinionem impugnant, hæc tria. I. Si forma aliqua aut substantialis, aut accidentalis divinitus separata consistat, & simplex sit, nec per aliam perficiatur, est sola principium & *quod* producit, & *quo* producitur: concreta vero ideo forma, & principio *quo* operantur, quoniam simplicia non sunt, & adveniente potentia & facultate complentur. At Deus Pater, cum maiori simplicitate ac perfectione præditus sit, quam forma quæque creata, est ipsa sua potentia, ipse suus actus, neque ulla adventitia qualitate perficitur. Frustra igitur in Patre duplex principium admittitur. II. Principium *quo* aut est Patri intrinsecum, aut extrinsecum: non extrinsecum, cum nullum tale in Deo locum habeat: non intrinsecum, cum nulla forma, *entitas* nulla sit a Paternitate distincta. Igitur nullum est hujusmodi principium *quo*. III. Nisi Pater per se primo, absque principio alio gigneret filium, non esset ipse absque omni principio, quod enim operatur per aliquid aliud, recipit *aliqualiter* esse, ut anima a mente, qua percipit, fit rationalis, ignis a qualitate, qua agit, fit calidus: idque præsertim in Adversariorum systemate, qui distinguunt potentias ab anima, atque proprietates a forma. Ergo si in Patre principium *quo* in sensu *complexo* constituatur, recipiet Pater entitatem aliquam; nec erit, ut firmissime creditur, principium sine principio.

Breviter nunc aliorum placita expedio. Principium *quo* non est, ut opinabatur Durandus, natura sine intellectione, & voluntate: non est intellectus & voluntas, ut docent Thomistæ, neque ut placet Scotistis, *dictio* & *spiratio*: Ergo nullum. Probat. ant. contra Durandum: Filius est Verbum Patris, Dei ratio, idea rerum universarum, & Theologi ac Patres comparatione verbi mentis nostræ æternam exponunt generationem: Igitur Filius procedit ex mente, & intellectu Patris, aut, a Patre, qui est sua mens, sua potentia, sua cogitatio.

Probatur contra Thomistas. Quodcunque principium generationis debet a Genito distingui: Neque intellectus, neque natura distinguuntur a Genito: Ergo neque intellectus, neque natura esse possunt generationis principium. Atque hæc ratio confirmatur allata definitione Lateranensis Concilii. Respondent tamen primum, non esse distinguendum a termino principium *quo*, sed duntaxat principium *quod*: deinde, naturam, intellectum, voluntatem esse quidem principium, sed quatenus *modificantur* relatione, & personali proprietate. Verum adversus priorem responsionem arguit Gregorius Ariminensis. I. Nequit excogitari principium, qualecunque illud sit, nisi sit principium alterius: quodlibet enim principium alterius, non sui principium sit, est necesse: Ergo si principium *quo* est principium, alterius non sui debet esse principium, & consequenter & istud a principiato distinguitur. Præterea S. Thomas q. 41. art. 5. demonstraturus potentiam generandi non esse relationem, sed essentiam, *Illud*, inquit, *proprie dicitur potentia in quocumque agente, quo agens agit*: Ergo fatetur principium, quodcunque illud sit, referri ad alterum: & argumentum, quo utitur, videlicet, *Omne producens producit sibi simile, sed Filius Dei similatur Patri in natura, igitur natura divina est in Patre potentia generandi*; argumentum, inquam, istud posset hoc modo inverti: Natura divina non producit sibi simile: potentia generandi est actio producens simile: ergo natura divina non est potentia generandi. Me non fugit, nobilissimos Thomistas reponere, confundi a me inani verborum involucro principium, potentiam, generationem. At me satis munitum arbitror, si repetam in simplicissima divinitate idem esse generationem ac potentiam, potentiam & principium, principium & personam, personam & substantiam: & principium generationis esse Patrem, qui est ipsa sua natura, ipsa sua potentia, ipsa sua generatio, non quidem absolute, sed comparate ad terminum subsistentem, hoc est, ad Filium.

In altera autem responsione paullulum sistendum est. Nam hoc D. Thomæ assertum, *Natura & intellectus sunt principium generationis, quatenus in obliquo significant relationem*, aliquo sensu verum est, aliquo falsum. In sensu *incomplexo*, quo significatur principium generationis esse Patrem, qui est sua natura, sua mens, sua voluntas, enuntiatur rectissime; quippe neque nos excludimus naturam, & intellectum a ratione principii, si dicimus principium generationis esse Patrem, qui est sua mens & substantia. At in sensu *complexo* superius exposito non potest assertum illud admitti; cum & nulla detur potentia superaddita hypostasi, & omne principium sit alterius, non sui, & distingui debeat a principiato.

Adversus Scotistas præter ea, quæ hactenus dicta sunt, militat, quod in Deo *nihil aliud est apud se dicere, & apud se cogitare*, ut ait lib. 3. ad Monimum Fulgentius, & frustra Subtilis Doctor actus *notionales* multiplicat. Quod si velis appellare *dictionem* actum intellectionis paternæ prout refertur ad Verbum, liceat per me quidem: sed erit revera principium Filii sapiens Pater, cui idem est esse quod sapere; & terminus generationis Verbum, & sapientia Patris, cui idem est esse sapientiam & prolem, cum in Deo sit vere una simplex essentia, quomodo explicat lib. VII. de Trinitate cap. 1. Augustinus.

AD QUÆDAM IN CONTRARIUM OBJECTA.

Opp. 1. Si principium generationis esset quidquid est Pater, foret generationis principium divina quoque natura. At hæc nec est generans, nec genita, ut definivit Lateranense Concilium. Ergo principium divinæ generationis nequit esse quidquid est Pater.

Resp. dist. min. Divina natura non est generans, nec genita, si accipiatur *incomplexe*, idest, pro Persona, quæ est suamet natura, & prout relative dicitur; nego. Si accipiatur *complexe*, quatenus superadditur personæ, & prout dicitur absolute, conc. minorem, & nego *suppositum*, quoniam natura ista communis non est aliquo modo intrinsece distincta a personis, sed est, ut ait Concilium Lateranense, *Pater qui generat, Filius qui gignitur, Spiritus Sanctus qui procedit*. Itaque animadverte, Abbatem Joachim non veram, & propriam unionem admisisse inter naturam & personam, sed collectivam tantum, & similitudinariam, unde quaternitatem adstruebat in Deo, videlicet tres personas, & illam communem essentiam, quasi quartam. Existimabat ergo Essentiam, seu naturam tribus personis communem esse principium generationis in Patre, & terminum generationis in Filio, idest esse generantem & genitam, in sensu *complexo*, & quasi esset in Deo quaternitas, scilicet hæc natura distincta a personis. Quæ doctrina blasphema est, & hæretica, & confoditur a memorata Synodo hac definitione: *In Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas, quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina, quæ sola est universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest. Et illa res non est generans, neque genita, nec procedens; sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, Spiritus Sanctus qui procedit, ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura*. Neque aliam caussam definitionis istiusmodi affert sacra Lateranensis Synodus, nisi, *quod una quadam summa res est, incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres simul personæ, ac singulatim quælibet earumdem*. Quisquis ergo præjudicia Scholæ velit abjicere, fatebitur nullam sententiam magis cohærere præfatæ definitioni, quam nostram. Etenim hæc docet essentiam communem non esse generantem, nec genitam, nec procedentem: docet nullam dari veluti quartam rem, aut formam, quæ sit divinarum processionum sive terminus, sive principium: docet generare Patrem, gigni Filium, procedere Spiritum Sanctum, qui sunt eadem essentia: docet hanc

ineffa-

ineffabilem & incomprehensibilem Trinitatem talem esse non propter intrinsecam aliquam distinctionem aut *formalem*, aut *virtualem*, sed ex eo quod in Deo quædam summa res est, videlicet essentia, præter quod aliud principium inveniri non potest; sive ex quo Deus sit summa res, quæ est Pater generans, Filius genitus, Spiritus Sanctus procedens, nullam in illis ac inter illos dari distinctionem, præter Personalem ac relativam; nec rationem *formalem* principii quoquo modo distincti a personis superinducit. Docet denique naturæ & essentiæ vocabula, quæ absolute dicuntur, non significare principium & personam, quæ nomina sunt relativa, tametsi persona, principium, & natura sint una res summa, simplex, incomprehensibilis.

Opp. 2. Divina essentia absque intellectu & voluntate fecunda est; non ergo hæc attributa *processionum* divinarum debent constituere principium. Ant. prob. tum exemplo naturæ humanæ, quæ fecunda est seipsa, cum ratione intellectionis, quæ non est suapte natura ullius termini productiva.

Resp. nego ant. & quod a Durando in hac argutatione supponitur; non enim natura Dei, quæ est res summa atque simplicissima, aliud est a voluntate & intellectu, nisi figmento humanæ cogitationis. Ad probationem vero dicendum, in natura humana aliud esse potentiam generandi, aliud facultatem intelligendi ob eamdem rationem, videlicet, quia non est res quædam summe simplex, in qua & natura & intellectio sint idem. Creata pariter intellectio nequit esse substantialis termini productiva, propterea quod non est eadem natura, ut in Deo, sed accidentalis perfectio substantiæ rationali adventitia.

Opp. 3. Si Filius vi suæ processionis est Verbum, & Spiritus Sanctus est amor, quomodo Scripturæ, Patres, & universi Theologi profitentur, oportet ut Filius per intellectum procedat, Spiritus Sanctus per voluntatem, neque voluntas sit per se principium generationis, nec intellectus spirationis. Ergo cum florentissima Thomistarum Schola hæc duo principia *virtualiter* a natura distincta debent propugnari. Probatur ant. primo quia in hac tantum sententia assignatur ratio, cur in Deo sint duæ *processiones* tantummodo, generatio, & spiratio. Cum enim spiritualis substantiæ duæ dentur operationes *ad intra*, hoc est intelligere, & velle, & una opus sit intellectus, altera voluntatis, ex illa verbum, ex ista autem sit amor: quid ad percipiendum Trinitatis arcanum, atque ad explicandum *processionum* divinarum discrimen aptius & commodius proferri potest, quam duplex illud principium *quo*, virorum doctissimorum suffragio probatum? Præterea, si utraque *processio* intellectum & voluntatem pari ratione complectitur; quare *notionalia* Filii nomina sunt Verbum, ratio, sapientia, aliaque hujusmodi quæ ad intellectum comparantur, Spiritus vero appellatur amor, & caritas comparate ad voluntatem, & non vicissim, Filius Amor, Spiritus Verbum communi appellatione dicuntur?

Resp. nego ant. si *τὶ per* reddat sensum *complexum* supra explicatum: intellectus enim & voluntas eadem summa res est cum natura, & qualibet persona; nec ille est principium Filii, nisi sensu *incomplexo*, prout principium Filii est Pater, qui est suamet intellectio, nec voluntas est principium Spiritus Sancti, nisi hoc sensu, quod Pater & Filius, qui sunt unum Spiritus Sancti principium, sunt summa illa res, quæ est sua voluntas. Ad probationem principio fatendum est, non posse imbecillitatem ingenii mei apertissimam caussam reddere, cur in divinis duæ sint *processiones*, & una sit generatio, altera non, nec satis percipere quomodo sola *virtualis* distinctio realem Verbi, & Spiritus Sancti explicare valeat distinctionem, & quod fides mysterium appellat incomprehensibile, firmissima tamen confessione tenendum, aut tanta facilitate exponatur, aut in Thomistica distinctione, quam negat magna pars Theologorum, sit tanta confidentia locandum. Deinde, cum his non acquiescant homines nimium ingenii viribus indulgentes, dico intellectionem esse opus unius mentis cogitantis; caritatem, ut inquit Homil. 17. Gregorius, *versari inter duos*. Quare sine Thomisticæ distinctionis adminiculo distinguo hanc Propositionem: Dantur duæ operationes *ad intra*, intelligere & velle, unde procedunt Verbum, & Amor, si intelligere & velle accipiantur *complexe*, ita ut sint principium *quo* hypostasibus superadditum, nego; sunt enim divinæ personæ suum intelligere, & suum velle: si accipiantur *incomplexe*, ita ut intelligere sit generatio Patris, qui est sua mens, & velle spiratio Patris & Filii, qui sunt suamet voluntas, concedo. Petenti vero cur Filius, qui est a Patre, non sit Amor, si Pater est sua voluntas, pro modulo infirmitatis meæ respondeo: Non est amor, quia minus quam inter duos caritas esse non potest; ideoque Amor debet procedere a voluntate quæ sit voluntas duorum, hoc est, a Patre & Filio qui sunt una voluntas. Atque petenti quare Spiritus Sanctus non est Verbum, si procedit a Patre & Filio, qui sunt eadem intellectio, pariter respondeo: Non est Verbum, quoniam istud unius intelligentis est opus, & consequenter Verbum ab uno intelligente procedit, videlicet ab uno Patre, qui est sua intellectio. Ita ergo sine ulla virtuali distinctione consistit Trinitas ineffabilis.

Opp. ultimo: Pater & Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, non ratione personæ, sive hypostaseos, sed propter eamdem virtutem spirandi, ut diximus lib. VII. cap. XVIII. ad 5. Ergo necessario ponendum est unum principium, *quo* ambo spirant a personis distinctum.

Resp. nego consequentiam; nam Pater & Filius sunt eadem substantia, eademque virtus spirandi, & licet distinguantur hypostasi, nulla ratione distinguuntur intrinsece aut virtute, aut natura, unde petitur ratio principii: quod ibidem exemplo creationis explanatum est. Neque enim valet hæc argutatio: Personæ quæ spirant distinguuntur, principium spirandi est unum, ergo principium spirandi aliud est a personis: alias valeret hæc quoque blasphema consecutio: Personæ distinguuntur realiter, principium spirandi unum est, ergo principium spirandi distinguitur a personis, quæ spirant, realiter. At hoc genus argumentorum ea ratione dissolvitur, quod personæ spirantes dicuntur adinvicem *connotative* & opposite, non propterea quod sunt spirantes, sed quia una est generans, & alia genita: & inter personas quæ spirant, & principium spirandi nulla intervenit oppositio. Oportet ergo, ut quemadmodum Pater & Filius sunt una natura, ita sint unum principium spirandi: & in hac enunciatione, Pater & Filius spirant per voluntatem, sensus teneatur *incomplexus*: quod satis monui.

CAPUT III.

Solam processionem *Verbi esse generationem, sed hujus rei caussam apertissimam non proferri.*

ET *processionem* quidem Verbi generationem esse ostendit caput IX. libri septimi. Spiritum Sanctum vero non esse Filium Catholica fides docet, quam demonstrat Joan. cap. I. v. 18. affirmans Filium Dei *unigenitum* esse: Augustinus in V. de Trinitate cap. VI. scribens, *Spiritum Sanctum non esse filium, nec genitum*: Ecclesia demum universa, quæ in symbolo dicto Athanasii confitetur Spiritum Sanctum esse a Patre, & Filio, *non factum, nec creatum, nec genitum, sed procedentem*. Quare autem sola *processio* Verbi generatio sit, Theologi pluribus conantur exponere. Sunt qui Filium genitum esse docent, quod procedat ab uno; nullus quippe Filius duos Patres habere potest: quam rationem ex Augustino, utpote planiorem, protuli lib. VII. cap. XIV. in respons. ad penult. argumentum. Recurrunt Thomistæ ad suum principium *quo*, affirmantes Verbum esse genitum, quia procedit per intellectum, cujus operatio est productiva imaginis, & pro hac sententia multa afferuntur a Petavio lib. VIII. de Trinit. testimonia PP. qui Filium appellant genuinum mentis fetum, explanantque divinam generationem exemplo verbi humana intellectione producti. Aliqui cum Augustino in V. de Trinit. hanc reddunt caussam, Spiritum Sanctum non esse filium, quod exierit a Patre non quomodo natus, sed quomodo datus. Docet Richardus Filium esse genitum, quoniam est secundum naturam, quam accipit a Patre fecundam, idest cum virtute spirandi tertiam Personam, quæ cum nullius principium sit, non procedit a Patre in similitudinem naturæ. Vasquesius ait Verbum esse genitum, quoniam Verbum per intellectum procedens perfecte Patrem repræsentat, adeoque est ejusdem imago; quam sententiam videtur etiam probare S. P. Augustinus Tract. 48. in Joannem dicens: *Quia Verbum, ideo Filius*. Suarez hoc discrimen assignat, quod intellectio est divinæ naturæ differentia specifica, & consequenter Verbum ex intellectione procedens habet originem a Patre in similitudinem naturæ. Nonnulli cum Anselmo cap. 55. Monologii arbitrantur Spiritum Sanctum non esse genitum, propterea quod procedit a duobus, & dicitur donum: donum vero potest esse simile, vel dissimile; quæ differentia parum differt ab ea, quam affert August. lib. V. de Trinit. cap. 14. Gregorius de Arimino probat spirationem, & generationem distingui *formaliter* seipsis, sed non posse caussam in hac mortalitatis caligine investigari: atque hoc postremum ex recentioribus existimat altitudini hujus mysterii magis congruum etiam Tournely, quamvis principium *quo* explicet cum Thomistis. Demum Franciscus Henno, aliique Scotistæ tradunt Spiritum Sanctum non procedere per modum naturæ, quod voluntas non sit agens naturale, sed voluntarium ac liberum libertate essentiali, etiam respectu *processionis* Spiritus Sancti. Aperiemus autem mentem nostram sequentibus positionibus.

PROPOSITIO I. Cur solus Filius sit genitus, reddi a nobis evidens ratio non potest.

Id Patres, ut cavillationes redarguerent hæreticorum, ac nos commonerent coercendam esse in Fidei mysteriis humanæ mentis audaciam, luculentissime tradiderunt: *Quomodo genitus est?* ait Orat. I. de Filio Nazianzenus, *Dei generatio honoretur silentio*. Clamat Ambrosius libro VI. in Lucam, *Non licet discutere quomodo natus sit*. Basilius, *Modus processionis inexplicabilis est*, inquit lib. de Spiritu Sancto cap. 18. *Ecce respondeo sive capias, sive non capias. De Patre est Filius · de Patre est Spiritus Sanctus; sed ille genitus, iste procedens. Quid autem inter nasci, & procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens explicare quis potest?* Ac subinde: *Distinguere inter illam generationem, & hanc processionem nescio, non valeo,*

non sufficio: hæc magnus Augustinus in III. contra Maximinum cap. quartodecimo.

Accedit Patrum auctoritati Theologica ratio. Non debet exigi Catholica fides ad infirma, dubia, & minus valida momenta. At qualecunque discrimen proferas inter generationem, processionemque divinam, non liquidum est, sed incertum, dispar, & parum anucleatum. Non ergo huc fides detrahi debet Catholica, ut quis manifestam aliquam discrepantiam afferre præsumat. Minorem probo: ac primo, quoniam magnæ notæ Theologi præfatas omnes opinationes rejiciunt: alii unam amplectuntur, quam ceteri improbant: & qualemcumque præteras, singularis erit, non communis & certa.

Singillatim nunc easdem opiniones expendo. Prima, quæ docet Spiritum Sanctum non esse genitum, quod non procedat ab uno, hanc patitur difficultatem; quod si productum eodem prorsus modo sit a duobus, non evidens assignatur ratio cur ejus productio discrepet a productione alterius, qui est dumtaxat ab uno; quippe eodem penitus modo producitur ignis, si ab uno igne generetur, quam si a duobus, non enim productionem immutat plurium caussarum concursus: & ideo nequeunt duo homines eumdem gignere filium, quoniam neque eamdem naturam habent, neque eamdem numero actionem. Recte tamen hanc discriminis rationem attuli contra Wolzogenium, quoniam de primenti generationem divinam comparatione generationis humanæ, humanis quoque exemplis respondendum videbatur: at subinde monui, definire quid intersit inter generationem Verbi, & processionem Spiritus Sancti negocium esse perdifficile, ut simul altitudinem mysterii, & arrogantiam ostenderem hæreticorum. Neque firmior videtur Thomistarum opinio. quamquam enim voluntas, ut abstrahit ab humana & divina, nil producat nisi pondus, & inclinationem, non video quomodo hæc logica præcisio demonstret non esse assimilativam voluntatam Dei infinitam, & quæ idem est realiter cum intellectu & natura. Alioquin si ad hanc præcisionem deveniendum est, nec Verbum procedens per intellectum erit Filius, quandoquidem intellectus, ut abstrahit a creato, & increato, non realem imaginem producit, sed tantum inteotionalem. Quo argumento pugnant contra Thomistas quamplurimi, & meo quidem judicio non male. Mihi tamen aliunde ea sententia improbatur, quia scilicet fundatur in duplici illa principiorum ratione, quam arbitror commentum esse Scholasticum. Opinio tertia nec ipsa videtur evidens, quippe si Filius nequaquam generat; non recipit naturam secundam ea fecunditate quam habet Pater, quæ est ad generandum. Porro Vasquesius recte affirmat Filium esse Verbum, genitum, ac Patri similem: sed quare Spiritus Sanctus, qui est similis, non sit imago, & quomodo consistat vera similitudo absque imagine, contemptor ille aliarum opinionum minime probat; & a Suaresio viro domestico singularis doctrinæ, ac modestiæ viro ejus doctrina rejicitur. Nec tamen Suaresius ipse nobis satisfacit, qoin claudicat utroque pede; & dum statuit naturæ divinæ differentiam specificam in intellectione, & dum constitutivum metaphysicum ac logicum cum physico realique confundit. Verbum esse natum, & Spiritum Sanctum esse donum, quæ altera sententia est, nullus dubitat; sed illud controvertitur, quare tertia persona sit data, non nata: unde qui eo confugiant, nubi nubem obducunt. Scotistis ideo assentiri non possumus; quod *dictionem* ab intellectione distinguant, & *formalitatibus* suis nimis credant. In Henno tandem nec illud placet, quod voluntas sit agens liberum libertate essentiali etiam respectu *processionis* Spiritus Sancti. Si enim liberum appellas quidquid non agit coacte, etiam Filius procedit per voluntatem: si liberum putas, quod agit indifferenter, neque Spiritus Sanctus voluntarie procedit; si Patrum sensa probentur, quæ cap. IX. libri VII. in quarta oppositione sunt explicata. Neque admitto, voluntatem esse *agentem*, cum sit proprietas absoluta, & a Spiritu Sancto indistincta: omne vero agens ad aliud, cujus principium est, referatur.

Ex his vero ita propositio demonstratur. Nequit manifesta ratio proferri de re, quam Patres vocant inexplicabilem, & Scholastici conantur exponere variis, infertisque principiis: Ita divinæ *processiones* se habent: Ergo nequit divinarum *processionum*, & discriminis earumdem evidens ratio proferri.

PROPOSITIO II. Laudandi tamen sunt Scholastici, qui divinas *processiones* tanta doctrinarum veritate conati sunt illustrare, & singulorum sententia aliquo sensu vera est.

Ne quis ex dictis inferat temere in Scholis quæstionem hanc ventilari, aut existimet nefas esse pro humano captu res investigare divinas, erat hæc thesis subjicienda: quam probo primum, quia Scholastici laudabilem Patrum consuetudinem sequuntur, qui tametsi curiosos terrent, ne divinitatis arcana indagare præsumant, ad illa tamen illustranda plures afferunt comparationes, omniaque fere prædictarum doctrinarum pondera ipsi præbuerunt. Præterea cum hæretici nos sophismatibus, physicisque argumentationibus frequentissime provocent, oportet, ut, quotiescunque nolunt scripturis, ac traditioni acquiescere, eorum fallaciæ probabilioribus conjecturis refellantur. Ad hæc delectat nos, & ad Dei majestatem contemplandam haud mediocriter trahit creatas illius imagines, licet longe dispares, intueri: & rationem fidei captivando ad lucem inaccessibilem propius accedere.

Quod vero inter humani ingenii conatus, qui falsitati subesse possunt, Auctores illi Scholastici veritatem laudabiliter illustraverint, mihi quidem satis est exploratum. Enimvero nihil est in sacris literis manifestius, quam Filium a Patre, & Spiritum Sanctum ab utroque procedere: nec experimento veritas aliqua magis patefit, quam unius Filii unum verum Patrem haberi: quæ prioris sententiæ sunt fundamenta. Quis insuper negare audebit Filium Dei esse Verbum, aut Verbum esse imaginem intelligentis semetipsum, aut Amorem versari inter duo, & proficisci a voluntate? At hæc est doctrinæ Thomisticæ basis. Filium quoque generationem exhaurire paternam, nec aliam personam ab ipso gigni Catholica fides docet; & huic principio nititur Victorinus. Donum esse symbolum duorum se diligentium, & nexum quemdam, & nutrimentum Amoris, quod assumunt alii, communi sensu percipitur. Filium esse sapientiam & intellectionem Patris, unde proficiscitur Caritas, nemo negabit Vasquesio, vel Suaresio. Concedendum est etiam Scotistis, generationem esse per modum naturæ, & Filium produci a Patre *dictione*, quæ duo vel sola idea generationis & Verbi satis evincit. Ergo Theologi omnes, quos appellant e Schola, quantum ad veritatis substantiam attinet, præclare de hac quæstione disseruerunt.

A pluribus itaque in hoc tantum dissentio, quod rejiciendum puto cum omni intrinseca distinctione famosum illud principium *quo* a personali proprietate distinctum: quod arbitror necti ab his aliquod mentis figmentum cum veritate firmissima: quod mihi datum non est ex verbo mentis nostræ Verbi Dei nativitatem percipere. Ceterum omnes honore maximo prosequor; neque enim me fugit, nemini fuisse concessum solem pingere sine umbris.

CAPUT IV.

Quæritur an Spiritus Sanctus esset alia a Filio persona, si ab eo non procederet.

NON est prorsus inutilis hæc quæstio, uti quidam opinantur: conducit enim ad magis percipiendam rationem, cur divinæ personæ realiter inter se distinguantur. Et quidem distingui ob *processionem* unius ab altera, docent unanimiter viri Theologi: sed quid foret ablata originis relatione, id inter Scholasticos controvertitur. Propugnant autem affirmativam sententiam Scotistæ, propterea quod, inquiunt, Filiatio, non spiratio activa Filium constituit, adeo, ut seipsa, si per impossibile a ratione spirandi foret divulsa, secundam personam a Patre, & Spiritu Sancto distingueret. Sed opposita sententia communior est futurum in ea hypothesi, ut utraque in unam personam coalesceret.

Videtur nonnullis, atque etiam Gregorio Ariminensi, non esse hanc hypothesim admittendam, quippe si Spiritus Sanctus a Filio non procederet, nullatenus esset. Quid autem habere potest inutiliorem logomachiam, quam inquirere, num distingueretur ab alia res, quæ modo est, si forte evaderet nihilum? Probant vero Spiritum Sanctum in prædicta hypothesi non futurum, primo quod sit natura sua donum Filii, ut docet in V. de Trin. Augustinus, nexus ejusdem Filii cum Patre, amborum amor & caritas. At si a Filio non procederet, neque donum ejus esset, neque Amor, & idcirco non esset. Addunt, quod si tollatur caussa necessaria & per se, debet tolli etiam effectus: cumque spiratio Filii sit per se principium Spiritus Sancti, nisi hoc detur principium, nec Spiritus Sanctus consisteret. Exemplum quoque afferunt creaturarum, quæ non essent, si ab una tantum persona producerentur, quoniam operationes Trinitatis *ad extra* sunt necessario inseparabiles, eo quod quælibet persona eamdem habeat omnipotentiam: nam constat, uti virtutem creandi, ita spirandi vim Filium a Patre recipere. Hæc autem, ut acuta sint, videntur quæstionem declinare, non solvere, quia Spiritus Sanctus non est tantum donum Filii, nec ab eo tantum procedit, ideoque si non esset a Filio, non esset utique donum & amor duorum, sed esset tamen, reponent Scotistæ, Spiritus Patris, & haberet suum per se principium solum Patrem; quemadmodum si per impossibile a solo Patre produceretur creatura aliqua, non esset quidem opus Trinitatis, produceretur tamen, & esset. Itaque ne videamur difficultatem eludere, admittatur hypothesis, licet sit impossibilis.

Ante quæstionis resolutionem præmittendum est, assumptum Scotistarum, videlicet, Filiatio distinguitur seipsa a spiratione passiva, in nostra sententia verum esse: etenim non datur in Filio, cum sit simplicissima & summa res, proprietas aliqua intrinseca a Filiatione distincta. Sed propter eamdem rationem spiratio est eadem persona Filii, quia in Filio nequit esse proprietas aliqua, quæ non sit Filiatio. Quæ est enim hæc spiratio a Filiatione diversa? Si extrinsecus advenit, Filius inhærentibus qualitatibus subjicitur: si intrinseca est, non est simplex persona Filii, quæ præter Filiationem habet aliam sibi intrinsecam proprietatem. Erit ergo eadem Filii proprietas Filiatio & spiratio: Filiatio quatenus

tenus

tenus connotat primam personam generantem: Spiratio autem si comparetur ad tertiam. Atque hæc ex nostris principiis, & ex præcedenti capite II. apertissime consequuntur. Hac itaque cautione assumptum illud Scotisticum & ego approbo.

PROPOSITIO: Si Spiritus Sanctus a Filio non procederet, essent una, eademque persona.

Demonstratur I. Notum est Theologicum axioma: *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio*. Traditum est illud ab Augustino Tract. XXXIX. in Joann. his verbis: *Hoc solum numerum insinuant, quod ad invicem sunt*: a Concilio Toletano XI. iisdem omnino verbis: a Florentino sess. XVIII. sequentibus: *Est vero secundum Doctores tam Græcos, quam Latinos sola relatio, quæ multiplicat personas in divinis productionibus, quæ vocatur originis*; & etiam ab Anselmo, quem pro se maxime Adversarii producunt, de processione Spiritus Sancti cap. II. ubi expresse docet solam oppositionis relationem facere personarum discrimen. *Relationis oppositio*, inquit, *quæ ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est, prohibet Patrem & Filium & Spiritum Sanctum de invicem dici, & propria singulorum aliis attribui*. Et statim: *Sic ergo hujus unitatis, & hujus relationis consequentia se contemperant, ut nec unitas amittat aliquando suam consequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppositio, nec relatio perdat quod suum est, nisi ubi obsistit unitas inseparabilis*. Quæ sunt tam aperta, ut merito Cl. Petavius lib. VII. de Trinit. cap. IX. num. VII. rem miram appellet, a Theologo, qui attente Anselmi legisset verba, affirmari hoc potuisse, beatum Anselmum aliunde repetere divinarum personarum discrimen, quam a relatione oppositionis. Ex dictis vero ita argumentari fas est. Si Spiritus Sanctus non procedat a Filio, non est inter utrumque oppositionis relatio. Si non est inter utrumque oppositionis relatio, nulla est inter eos personalis distinctio: Ergo, &c.

Respondere solent Scotistæ cum Mastrio, utique divinas personas distingui per relationem, sed in hypothesi satis esset relatio *disparata*. Addit Cardinalis Branchatius, Concilia & Patres loqui de facto, quoniam de facto Spiritus Sanctus originem habet a Filio. At debiliora videntur hæc subterfugia. Primo quoniam non qualemcunque relationem Concilia & Patres commemorant, sed relationem oppositionis, sive originis, & hac sola doceni in Deo numerum insinuari. Deinde quia relationes *disparatæ*, si a *processione* segregentur, non sunt ad invicem. Rursus quia *disparatæ* relationes nunc in eadem persona consistunt, in Patre in quo est *paternitas* & *spiratio*, & in Filio in quo est *spiratio* & *filiatio*. Ut ergo sunt modo duæ relationes *disparatæ* in eodem principio, propterea quod non opponuntur ad invicem: ita in hypothesi starent simul in uno termino: eademque persona esset genita & spirata, quomodo persona eadem est spirans & generans. Quæ profecto valent quacumque hypothesi tacta. Adde Florentinum Concilium perstringere Græcos, qui negabant procedere Spiritum Sanctum a Filio: at inepte probaret dari hanc *processionem* ex distinctione personarum; si haberi posset absque processione distinctio.

Præterea demonstratur thesis ratione: Realis distinctio oritur vel a limitatione, vel ab origine unius ab alio: In Deo non potest exoriri a limitatione: Ergo a *processione* unius ab alio tantummodo. Quid vero ad hæc Adversarii? Desumitur, inquiunt, distinctio etiam ab incompossibilitate terminorum: At personæ infinitæ nihil est incompossibile, nisi quod illi opponitur relative. Omnia Pater dedit Filio, excepta *paternitate*: dedit naturam, omnipotentiam, æternitatem, sapientiam; omnia, inquam. Hæc omnia in una persona sunt, & idem sunt, & unum sunt, quia non referuntur ad invicem. Incompossibile, & non oppositum relative invenio quidem in creatura finita, sed non in Deo.

AD OBJECTA SCOTISTARUM RESPONSIO.

Opp. I. Si Spiritus Sanctus a Filio non procederet, adhuc is natus esset, ille datus: Sed hæc est sufficiens ratio distinctionis unius ab alio; ait enim Anselmus de Spiritu Sancto cap. IV. *Si per aliud non essent plures Filius & Spiritus Sanctus, per hoc solum essent diversi, scilicet, quia alter nascendo, alter existit procedendo*. Et S. P. Augustinus lib. V. de Trinit. cap. XIV. docet Spiritum Sanctum non esse Filium, quia *exiit non quomodo natus, sed quomodo datus*. Esset itaque discrimen inter Spiritum Sanctum, & Filium, etiamsi non procederet unus ab alio.

Resp. trans. ma. & dist. minorem: Hæc est sufficiens ratio distinctionis Spiritus Sancti a Filio, si datus sit, ac procedat a Filio & a Patre, concedo: si datus & procedens esset a Patre tantum, nego. Beatus Anselmus docet quidem Filium, & Spiritum Sanctum fore diversos per hoc tantum, quod ille existeret nascendo, iste autem procedendo: at nasci & procedere inter se non differrent, si procederet a solo Patre: atque hoc respondet etiam S. Thomas q. 36. art. 2. Quæ & vera esse, & quare illa verborum phrasi dicta sint ab Anselmo, etsi ex dictis possit comprehendi, magis iterum explicabo. Anselmi verba, quæ nobis objiciuntur, sunt in cap. 2. & repetuntur in quarto. In 2. hæc præmittuntur: *Ipsa diversitate nativitatis & processionis referuntur ad invicem, ut diversi & alii ab invicem: & quando substantia habet esse de substantia fiunt ibi relationes insociabiles*: id explicat Anselmus exemplo hominis hominem generantis. Tum duos illos modo recenset. Addit paullo post: *Relationis oppositio ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est*. Est ergo nativitatis, & processionis diversitas ea tantum, qua Filius & Spiritus Sanctus referuntur ad invicem, & ex qua relationis nascitur oppositio. Itaque nisi sit hæc relatio, non erit nativitatis, & processionis diversitas. Cur vero ea phrasi utatur cap. 4. *Si per aliud non essent plures, &c.* evidens ratio succurrit. Agit enim contra Græcos, qui negant Spiritum Sanctum a Filio procedere, & Filium nasci, Spiritum Sanctum procedere confitentur. Illos ex hac eadem confessione revincit, & ita Latinorum dogma propugnat. Sunt, inquit, Filius & Spiritus Sanctus, ut fatemini, plures, quoniam unus est a Patre nascendo, & alter procedendo: Sed non esset hæc diversitas nativitatis & *processionis*, nisi Spiritus Sanctus esset a Filio: Ergo Spiritus Sanctus a Filio est, si unus nascitur, & alter procedit. Audias eodem cap. 4. Anselmi illationem: *Omnimoda igitur, & inexpugnabili necessitate concluditur, quia si vera sunt, quæ supra dixi nos pariter cum Græcis credere, aut Filius est de Spiritu Sancto, aut Spiritus Sanctus de Filio*. Nihil ergo manifestius, quam Anselmum diversitatem illam nativitatis, & *processionis* a sola relationis oppositione repetere, atque ex illa diversitate, quam & Latini & Græci fatentur, tamquam ex communi principio Græcorum dogma refellere. Quæ cum ita sint, nemo tam aperte rejicit opinionem Scoti, quam Anselmus. Quid vero Augustinus? In V. de Trinit. cap. 14. Ex quo Filius sit natus, & Spiritus Sanctus datus, infert Filium esse cum Patre unum Spiritus Sancti principium: quomodo ergo Filius tantum natus erit, si Spiritus ab eo non procedat? Addit *quod natum est ad solum Patrem refert*: cur itaque Spiritus non erit Filius, si referatur ad solum Patrem? Sed de priori argumento nimis multa.

Opp. 2. Si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, Filius haberet proprium constitutivum, idest, *Filiationem*: Ergo duæ personæ essent distinctæ realiter. Probatur consequentia tum quia idem est constitutivum, & distinctivum; tum etiam quia *Filiatio* distinguitur etiam in nostra sententia a *spiratione* per semetipsam.

Resp. dist. ant. In hypothesi Filius haberet proprium constitutivum relative oppositum Patri, concedo: relative oppositum Spiritui Sancto, nego ant. & dist. cons. Ergo essent duæ personæ distinctæ, Filius & Pater, conc. Filius & Spiritus Sanctus, nego. Neque persistas dicendo, sola *Filiatio* est constitutivum Filii. Nam loqueris ne de *Filiatione*, ut est in mente tua, an de ea, quæ est in Deo? Si de *Filiatione*, ut est in mente tua, ea quidem non est *spiratio*: Sed nullam hinc inferre poteris diversitatem, nisi perceptionum tuarum. Quod si loqueris de *Filiatione*, ut est in Deo, nego quod hæc Filium constituat, sed si castigate velis disserere, Filius, cum summa res sit, est quidquid est, sua & natura, & *Filiatio*, & *Spiratio*, atque omnia, sola excepta *personalitate*, quæ ad ipsum refertur. Igitur *Filiatio* a spiratione distincta neque est in Filio, neque Filium constituit, neque cum simplicissima Filii natura potest misceri. *Filiatio* ergo, quæ constituit Filium Dei non est sola *Filiatio*, sed *filiatio* Dei: *filiatio*, inquam, quæ est quidquid est, & illud tantum non est, quod cum ea opponitur relative. Et hæc *filiatio* distinguitur a Spiritu Sancto seipsa, non quod foret distincta etiamsi non esset spiratio; sed quia, cum sit quædam res summa, nequit distingui per formam aliquam superadditam sive extrinsecam, sive intrinsecam.

Opp. 3. Si Spiritus Sanctus non procederet a Patre, distingueretur a Patre. Ergo etiamsi non procederet a Filio, distingueretur a Filio. Resp. nego antec. Ait enim in lib. de Process. Sp. Sancti cap. 5. S. Anselmus: *Non potest intelligi Spiritus Sanctus a Patre alius, si de illo non habet esse: sicut Filius per hoc est alius a Patre, per quod est filius ejus, quod non est aliud, nisi quod de ipso existit nascendo*. Quæ mirifice superiorem doctrinam non modo confirmant, sed etiam persuadent.

Si vero ita argumentaris: Si Spiritus Sanctus procederet a solo Filio, distingueretur a Patre: Ergo si procederet a solo Patre, distingueretur a Filio: tunc adeo converteris, ut vix impressam orbitam tenere videaris. Num percipere vales, aquam decurrere a fluvio, non a fonte? florem a ramis, & non a radicum fibris emitti? Spiritus ergo procedens a Filio, exiret remote saltem a Patre. Veruntamen dialecticorum more nego consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quia Filius non potest esse principium Patris, & consequenter tenet ratiocinium istud. A Filio nequit procedere Pater; ergo non est Pater qui procedit a Filio. Ex alia parte esset in hypothesi solus Pater principium Filii & Spiritus Sancti, & per consequens, non recte concluderetur: A Patre nequit procedere Filius; igitur non est Filius, qui procedit a Patre. Sed non videtur etiam atque etiam hoc premendum esse argumentum.

Opp. ultimo: *Spiratio* activa & *paternitas* sunt productiones duæ, ambæ in suo genere perfectissimæ: debent ergo

ergo duplicem habere terminum distinctum reipsa. Nec respondendum est duas illas productiones realiter non distingui, cum unum principium alios, aliosque terminos habere possit.

Resp. dist. an. Sunt productiones duæ cogitatione nostra, conc. sunt duæ reapse, nego: & argumentum retorqueo; hæ duæ productiones *Paternitas* & *spiratio*, cum non opponantur relative sunt una res indistincta; ergo bi duo termini Verbum & Amor essent reapse unus, si non opponerentur relative. Neque hoc argumentamur, quia ab uno principio plures termini prodire nequeant; sed quoniam in summa ac simplicissima re sunt insociabiles plures termini, nisi relatio oppositionis intersit.

CAPUT V.

Agitur de relationum divinarum existentia, numero, ac perfectione.

REDEUNDUM est aliquantulum ad primum aditum, & vestibulum Philosophiæ. Didicimus illic relationem esse ordinem unius ad alterum, ut Patris ad Filium, similis ad simile: & hujus ordinis aliquando poni fundamentum in sola natura rerum, quæ dicuntur ad invicem; aliquando in accidente quantitate, vel qualitate. In ipso limine logices illud insuper edocti sumus, nomina quædam esse concreta, & significare rem aliquam cum forma, a qua denominationem aliquam adipiscitur: quædam vero abstracta potius hanc formam, quam illius substratum significantia. Ex his ea, quæ sunt quæsita, facillime poterunt enodari.

PROPOSITIO I. Si relationes accipiantur *concrete*, idest, pro relativis quæ dicuntur ad invicem, sunt in Deo realiter; si pro forma aliqua, per quam constituuntur relativa, non sunt res aliqua *complexe* significabilis, sunt tamen res extra animam significabilis *incomplexe*, modo explicato II. Capite præcedenti.

Tres habet partes theorema: & probatur pars prima. Nullo intellectu cogitante est Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, & Pater generat Filium, Filius gignitur a Patre, Spiritus Sanctus procedit a Patre & Filio: Ergo si divinæ relationes accipiantur concrete, videlicet pro personis, quæ ad invicem referuntur, sunt in Deo nullo humano cogitante intellectu. Præterea, ut dictum supra, divinæ personæ realiter distinguuntur, & distinguuntur seipsis, quatenus referuntur ad invicem: Igitur si relatio accipiatur pro personis, quæ ad invicem referuntur, realiter est in Deo, & extra mentem, & animam cogitantium. Rursus datur reapse in Deo, non dissentientibus Aureolo, & Ochamo, divinitas & substantia, quæ enunciatur per nomen istud absolutum *Deus*; Ergo datur realiter in Deo relatio, E. G. *Paternitatis*, quæ exprimitur per nomen hoc relativum *Pater*: quippe utrumque nomen significat rem, quæ proculdubio vera est, & qualis per hæc nomina significatur.

Probatur pars altera. S. P. Augustinus in VII. de Trinit. cap. I. n. 2. explanans relationem Patris ad Filium, docet Patrem esse aliquid ad seipsum; non enim potest relative dici ad aliquid, quod non est ad se, quomodo si non esset homo, idest aliqua substantia, non esset qui relative Dominus diceretur: hanc autem relationem non esse comparandam illi, qua color refertur ad Coloratum, cum color sit corporis, & quod corpus dicitur, dicatur ad se: at Pater, in quo idem est esse, quod sapere, referatur substantia sua. Si ergo relatio esset forma quædam *complexe* significabilis, Pater non diceretur ad Filium substantia sua, sed per aliquid substantiæ suæ superadditum: At hoc dici nequit: Ergo relatio Patris ad Filium non est aliqua forma *complexe* significabilis. Rursus nulla omnino res sive relatio, sive proprietas adest Deo, quæ non sit Deus, ut contra Gilbertum Porretanum definivit Concilium Remense, & Lateranense IV. adversus Abbatem Joachim. Est hæc forma relationis ficta & commentitia.

Pars tertia sic probatur. Relatio est quædam res extra animam *incomplexe* significabilis, si id, quo una Persona refertur ad aliam, sit cum ipsa una res summa, impartibilis, & quæ est quidquid est: Id, quo una divina Persona refertur ad aliam, est cum eadem Persona una res summa, simplex, indistincta, & quæ est quidquid est: Ergo relatio, qua divinæ personæ referuntur ad invicem, est quædam res extra animam *incomplexe* significabilis. Non militant adversus hanc propositionem aliorum contorta & aculeata sophismata.

PROPOSITIO II. Si relationes accipiantur concrete & pro relativis sunt in Deo tantum tres; si vero pro respectu & ordine, possunt admitti quatuor, sed tertia est solum cum duabus præcedentibus significabilis *incomplexe*.

Evidens est quantum ad singulas partes hæc propositio. Quantum ad primam; quoniam tres sunt in Deo personæ, quæ referuntur ad invicem: Igitur si relatio pro ipsis personis accipiatur, triplex in Deo est. Quantum ad alteram partem; quia est in Patre ordo generantis ad genitum: in Filio ordo geniti ad generantem; in Patre & Filio ordo spirantis ad Spiritum: in Spiritu Sancto ordo spirari ad spirans: utor singulari numero, quod Pater, & Filius unum sint Spiritus Sancti principium. Quantum ad partem tertiam; quia relatio spirantis non opponitur relative neque cum relatione generantis, neque cum relatione geniti; & consequenter a neutra distinguitur, nec est cum his simul significabilis *complexe*, quomodo nulla relatio *complexe* significabilis est cum natura; ut constat ex præcedenti propositione. Ex quibus constat relationes oppositas, quibus constituuntur personæ, tres tantum esse, non quatuor. Atque distincta hoc pacto propositione comprimuntur Scholasticorum conflictus.

PROPOSITIO III. Quomodocunque accipiantur in Deo relationes, sunt infinita quædam perfectio, *incomplexe* tamen cum divina essentia significabilis.

Vel enim accipis relationem pro relativis, ut sunt, vel ut referuntur ad invicem: si ut sunt, est summa perfectio esse Deum; si ut referuntur ad invicem, est pariter perfectio summa esse Patrem, esse Filium, esse Spiritum Sanctum: At divinæ relationes nihil omnino sunt, quam Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, prout dicuntur ad invicem. Ergo divinæ relationes, quomodolibet accipiantur, sunt summa quædam & infinita perfectio. Quod vero non sint perfectio aliqua *complexe* cum essentia significabilis; sequitur ex dictis: Nam si *complexe* significabilis esset, perfectio relationis alia esset a perfectione substantiæ, nec Trinitas foret res una summa & incomprehensibilis, nec inter divinas personas salvaretur æqualitas. Quoniam vero est in Deo una tantum perfectio, uti una substantia, una essentia, una res summa: propterea dixi divinas relationes esse perfectionem, non, ut alii complures Theologi, perfectiones.

Consequitur ex dictis I. unam rem summam in Deo esse essentiam & personam, ut demonstravimus cum Augustino lib. II. cap. 3. Prop. 2. ad 2. opp.: hæc autem nomina, substantia E. G., & Pater, exprimere eamdem rem incommutabilem, sed illud hanc designare quatenus absolute subsistit; hoc vero, prout dicitur relative: & nullo vocabulo perfecte demonstrari ineffabilem Dei naturam, quemadmodum commentus est nefarius hæreticus Eunomius refutatus eodem libro capite primo. Sequitur secundo, esse inter divinas personas perfectissimam æqualitatem, etiamsi in qualibet non habeatur eadem relatio; quoniam hæc est quidem perfectio, sed eadem penitus cum natura: unde nulla caret perfectione relationis persona aliqua, cum nulla sit persona, quæ non sit essentia eadem inseparabilis, ut diximus lib. VII. cap. 6. ad 7. Tertio sequitur posse facile conciliari veterum dicta, quorum aliqui docent Personas constitui se ipsis, alii autem tradunt constitui proprietatibus personalibus. Nam constituuntur seipsis, quatenus non efficiuntur personæ per aliquam formam intrinsecus inhærentem, aut advenientem extrinsecus, quæ summæ Dei opponitur simplicitati: & constituuntur quoque proprietatibus personalibus significabilibus *incomplexe*, idest relationibus, quæ nullatenus, nisi cogitatione nostra, & respectu connotatorum ab illa summa re distinguuntur, quæ est Pater generans, Filius genitus, & Spiritus Sanctus procedens. Tandem sequitur, uti inter principia divinarum *processionum*, ita inter terminos nullum interesse discrimen: sed omnem terminum distingui realiter a suo principio propter relationem oppositionis, & in unoquoque principio ac termino servari perfectissimæ naturæ unitatem. Quamobrem tradita a nobis doctrina inter frequentes pelagi scopulos poterit, quasi levis cymba, secundissime cursum tenere: in altum tamen duci, neque navigio datum est, quantumvis ornato velis, malis, antennis, gubernatore, remigibus.

CAPUT VI.

Quot sint in Uno, Trinoque Deo subsistentiæ.

FUIT quondam de significatione subsistentiæ & hypostaseos controversia, ut dixi cap. ultimo libri VII. nunc nulla est; atque his vocabulis non Dei naturam, sed proprietatem personalem concordibus animis declaramus. Est autem subsistentia proprius existendi modus, quo redditur persona plenarie individua, ut eam describunt accurati Philosophi: neque addit aliquid naturæ, præsertim infinite perfectæ, præterquam ordinem relationis, quomodo declaravi lib. VII. cap. 6. ad 8. Et quidem si hæc personalis proprietas foret realiter a natura distincta, sequeretur veram esse opinationem Abbatis Florensis, quam supra cap. 2. a Lateranensi Synodo damnatam esse affirmavimus, videlicet reperiri in Deo *quaternitatem*, idest tres personas, & distinctam a singulis naturam communem, quasi quartam. Hoc præterea blasphemum hæreticumque fieret consequens, nullam ex Tribus personis fore Deum verum ac summum; quoniam essent singulæ personæ a natura divinitatis distinctæ, aut saltem, quod simplicissimam naturam evertit, esset unaquæque persona ex duabus rebus congesta. Sed neque intercedere naturam inter ac subsistentiam distinctionem aliam intrinsecam minorem reali, adversus Scotum libri secundi capite tertio probatum est. Petenti vero, qui fieri possit ut multiplicentur personæ in eadem natura, & hæc communis sit, non autem personales proprietates, cum citato loco, tum lib. VII. cap. 6. ad ultimam Oppos. reddita est responsio, eamdem summam rem communem

esse

esse, ut dicitur ad se: individuam, peculiarem, & distinctam, ut refertur ad terminum oppositum relative, absque ulla intrinseca distinctione.

Quæsitum ergo hoc capite propositum sola explicatione nominis subsistentiæ dissolvitur, & non est, ni fallor, Theologorum dissensio, nisi de voce. Cum enim duo quasi munera præstet subsistentia, unum reddere naturam per se & complete existentem, aliud vero illam in aliquo existendi modo individuam: & hoc postremum subsistentiam jam omnes appellent; qui subsistentiam absolutam propugnant præter tres relativas, primum subsistentiæ munus & nominis grammaticalem sensum spectare videntur; & qui tres subsistentias relativas tantum asserunt, hi subsistentiæ munus alterum, & significationem nominis Theologicam contemplantur. Quæ, ut melius percipiantur, sit

PROPOSITIO I. Accepto *subsistentiæ* vocabulo pro modo peculiari existendi, quo constituitur persona plenarie individua, tres sunt in Deo subsistentiæ.

Hæc propositio probatur I. auctoritate Conciliorum; inter quæ Nicænum I. Constantinopolitanum I. & Lateranense II. definiunt, fide tenendam esse *Trinitatem in tribus subsistentiis*. II. testimoniis PP. ait enim Cyrillus de Trinit. lib. 3. *Deitatis natura in tribus subsistentiis propria subsistit*. Et Athanasius Serm. de Deipara: *Unum Deum in tribus subsistentiis prædicamus*. III. Probatur ratione: Sunt in Deo tres personæ: ergo tres subsistentiæ; nam quælibet persona ut incommunicabilis sit, habere debet peculiarem modum existendi, quem placuit Fidei Conditoribus dicere *subsistentiam*.

PROPOSITIO II. Accepto termino *subsistentia*, ut significat rationem existendi per se, & in sensu grammaticali, una tantum est in Deo subsistentia.

Probatur. Una est in Deo substantia, quæ existit per se: Ergo una est in Deo subsistentia, quatenus denotat modum existendi per se, idest, independenter a quocunque subjecto, & ad differentiam accidentium. Hinc Augustinus in VII. de Trinit. cap. IV. *Omnis res*, inquit, *ad seipsam subsistit; quanto magis Deus!* Hanc tantum propositionem demonstrant Argumenta Scotistarum, qui subsistentiam absolutam defendunt: in quorum argumentorum solutione cunctandum esse non probo; nam & vera sunt, & hac nostra propositionum distinctione possunt ab eo, cui opponerentur, elidi. Utrumque subsistentiæ munus complexus est Agatho Papa definiens dari *trium subsistentiarum unam subsistentiam*. Vide Act. 4. Synodi Sextæ. Uno verbo: In Deo quidquid servat unitatem pertinet ad substantiam: & quidquid numerum insinuat, ad oppositam relationem. Una ergo *subsistentia* dicitur ad se, quomodo una divinitatis natura: & tres pariter *subsistentiæ* dicuntur ad aliud, quemadmodum tres Personæ. Quoniam vero Theologicus sensus grammaticali præferendus est, & Theologi *subsistentiæ* nomen adhibent ad significandam personalem proprietatem: melius sentire censemus Theologos, qui de hoc quæsito interrogati respondent dari in Deo tres tantum relativas *subsistentias*.

CAPUT ULTIMUM.

Præscriptiones quædam ad scite differendum de Trinitate, vitandumque fallaciloquentiam.

RELIQUUM est, ut nonnullos Canones legesque tradamus, quibus de Trinitatis mysterio Candidati nostri haud inquinate loquantur. Ac principio caveant, ne vocabula postremo capite libri septimi exposita præter communem significationem usurpent: jam enim unanimiter confitendum est, & tres in unitate divinitatis dari *hypostases*, & *substantiam* inseparabilem, & retinendum esse *Omoousion*, & nomina alia, quæ Patrum traditio atque usus probat Ecclesiæ.

II. Dum nomina *Unitatis* & *Trinitatis* proferuntur, primum semper pro divina Essentia accipiendum est, alterum pro personis. Cum vero nulla inter essentiam & personas interveniat distinctio intrinseca, neque istæ sint modi, aut formæ aliquæ superadditæ; dum confitemur Unitatem in Trinitate, aut Trinitatem in Unitate: propositio *In* sensum reddere debet *incomplexum*: sensum enim *complexum* proscripsit anno 675. XI. Toletana Synodus his verbis: *Nec recte dici potest, ut in Deo sit Trinitas, sed unus Deus Trinitas*. At Symbolum Athanasianum in sensu *incomplexo* recte ait: *Unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda sit*. Ita ergo sententia nostra, de qua præcedenti cap. 2., hujusmodi definitiones egregie conciliat.

III. Qui distinctionem *formalem* propugnant, negant recte dici, *Paternitas* aut *Filiatio* est *Spiratio activa*, quomodo, inquit celebris quidam Scotista, non valet, *Intellectus vult, Voluntas intelligit*: sed nos non adeo erimus scrupulosi, qui legimus in Augustino XIII. de Civit. Dei cap. 13. *Scientia sua est, & vult incommutabiliter: & voluntas tua scit, & vult incommutabiliter*. Nihilominus, si hæc nomina ad sua *connotata* comparentur, cum *Paternitas* ad Filium, *Filiatio* ad Patrem, *Spiratio* ad Spiritum Sanctum dicantur relative, aliquod discrimen his subesse fatebimur, sed sola ratione *Connotatorum*; idque de intellectu, & voluntate dictum est cap. III. lib. 2. Prop. 2. ad I. objectionem.

IV. Cum nullum dari possit nomen voce ac syllabis finitum, quod plenarie indicet incomprehensibilem Dei naturam: vocabulum autem *Essentiæ* exprimat divinitatis substantiam, non relationem, abstinendum est ab hac enunciatione, *Essentia generat*, *Essentia gignitur*, *Essentia procedit*: hic enim latet hæresis, ac blasphemia. Ceterum si accipiatur *Essentia*, quatenus est una summa res cum personis, & prout relative dicitur, vera est præfata enunciatio, & apud veteres recepta, qui Filium *οὐσίαν γεννητὴν*, *substantiam genitam*, appellaverunt. Quam antiquiorem consuetudinem non esse servandam ideo arbitramur; quia, ut diximus, *Essentiæ* nomen significat divinitatem spectatam in se, non peculiari proprietate devinctam.

V. Et hoc idem, quod nos loquimur, dum *Essentiam* dicimus personali proprietate affectam, & modo existendi terminatam, aliaque id genus plura, provenit ab inopia sermonis nostri; cum una res simplicissima sint Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus Sanctus, qui procedit: neque ab essentia proprietas personalis intrinsece distinguatur.

VI. In isto quoque pronomine, *Alius*, cautionem tenere debemus, ut nunquam dicamus unam personam esse *aliud* ab altera, sed *aliam* dumtaxat: quippe in neutro genere pronomina significare solent rem, non personam, ut docent regulæ Grammaticorum. Hinc Augustinus Tractatu in Joannem sexto, ac tricesimo, *Alius est*, inquit, *recte dicis: aliud non recte. Alius enim est Filius, quia non est ipse qui Pater, & alius Pater quia non est ipse qui Filius: non tamen aliud, sed hoc ipsum est & Pater & Filius*. Ob eamdem rationem æquum est, ut dicamus: non *ipse* est Pater qui Filius, sed *ipsum*: non, *hic*, sed *hoc*: non, *unus*, sed *unum*.

VII. Adjectiva nomina *Æternus*, *omnipotens*, *immensus*, *&c.* cum significent, qui habet æternitatem, omnipotentiam, immensitatem, &c. possunt enunciari utroque numero, singulari, & plurali. Etenim qui habet omnipotentiam est Deus: adeoque si adversus Arianos aut Macedonianos loquimur, qui negant in tribus Personis unam divinitatis Essentiam, postulat Catholica fides, ut dicamus, *Æternus est Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus: non tamen tres æterni, sed unus æternus, &c.* idest unus Deus habens æternitatem. Verum si personarum pluralitatem adversus Samosatenses designare velimus, utimur plurali numero, & tres personas confitemur *coæternas & coæquales*: & habetur utraque enunciatio in Symbolo Athanasiano. Neque enim in priori versu *Æternus* est nomen substantivum, in hoc postremo adjectivum, ut plures Theologi docent, reclamantibus etiam Grammaticis: sed utrobique adjectivum est, & adjective sumitur; adjectivum nominis *Deus* priori loco, ubi confoditur hæresis Ariana: & adjectivum nominis *Personæ*, , ubi pluraliter enunciatur ad refellendam simul hæresim Sabellianam.

VIII. Quod modo *adjectivorum* nominum meminerimus, cum multi sint ætate nostra Grammatici, qui ab antiquiorum præceptis desciscunt; & istud explicandum est quo sensu de Deo pronuncientur hæc nomina *adjectiva*. Si enim *adjectiva* placet appellare quæ significant aut rem, aut qualitatem alteri applicatam & adjectam, ut in homine *miles*, *pater*, *sapiens*, quæ dicuntur *adjectiva*, propterea quod potest esse homo, quin sit aut *miles*, aut *pater*, aut *sapiens*, aut ex his nihil: nullum nomen, quocunque modo inflectatur, dum Deo tribuitur, erit *adjectivum*, quia est substantialiter bonus, æternus, sapiens, &c. At si *adjectiva* usitato more accipiantur, quatenus aut significant aliquid substantiæ adjectum, aut substantiam ipsam prout connotat quædam effecta, & flectuntur propria grammaticali declinatione; his duobus postremis modis de summo Deo placet *adjectiva* enunciare.

IX. Vitare præterea debemus voces nonnullas, quæ personarum pluralitatem videntur excludere, ut *unicus*, *singularis*, *solitarius*; & nonnullas pariter, quæ earum in substantia disjunctionem possunt innuere, ut *insociabiles*, *discrepantes*, *separata*; quorum aliquæ si Sanctorum exemplo a nobis positæ sint, erunt hoc temperamento accipiendæ, ut solam realem distinctionem personarum in unitate summæ divinitatis affirmate asseveremus. Attamen si certa verborum cautione liquet nomen Dei supponere pro substantia, fas erit appellare Deum *unicum*, quia non sunt plures Dei; quemadmodum profitemur *unicum* Dei Filium, quia non sunt plures Filii; unde disputantibus contra Atheos de naturæ divinæ unitate fas erit promiscue Deum *unum* & *unicum* affirmare.

X. Sed & summa Dei simplicitas postulat, ut potius *unum* Deum dicamus, quam *unicum*; & *unitatem* magis quam *unionem*; quæ nomina, si aliquando ad varietatem orationis a nobis permixta sunt, debet prudens lector sensum tenere, qui omnem excludat compositionem; in qua a summo Deo removenda fuimus multis aliis rigidiores, fidei, non humanis inventis perpusillum ingeniolum captivantes.

XI. Quan-

XI. Quando Dei nomen *essentialiter* accipiendum sit, quando autem *personaliter*, explicavimus lib. VII. cap. VI. neque temporis jacturam faciemus eadem repetendo. Juxta regulas ibidem traditas in hac propositione *Deus est conditor mundi*, Dei nomen sumitur *essentialiter*, quia creare convenit tribus personis ratione naturæ & communis omnipotentiæ: In hac vero *Deus generat Verbum* ponitur nomen Dei *personaliter*, quoniam generare pertinet ad personam, convenitque Deo ratione peculiaris proprietatis.

XII. Inter *Trinum*, & *Triplex* perpoliti in scribendo Latini non videntur distinguere: nam Cicero ad Atticum modo *trinas litteras* scripsit, modo *triplices*: & in Tusculanis *triplicem* animam ait finxisse Platonem, idest, *tres animas*: nec desunt exempla consimilia bene multa, quibus probetur significari utroque nomine quæ sint numero tria. Hinc Petavius lib. VIII. de Trinit. cap. IX. docet de Deo *Triplicis* vocabulum nihilosecius assumi potuisse, quam *Trini*; nunc autem illud teneri, non illud propter sermonis consuetudinem. Etsi vero *Trinum* & *triplex* usurpatur quandoque sine discrimine; intercedit tamen hæc differentia, quod omne *triplex* est *trinum*, at non omne *trinum* est *triplex*; sicut omne *simplex* est *unum*, non autem omne *unum* est *simplex*. Etenim *Trinum* significat solum numerum trium, *Triplex* vero multiplicatam in tribus rationem; uti *unum* demonstrat solam amotionem multitudinis, & *simplex* spoliationem cujusque compositionis. Ergo, cum in Divinitate sint tres numero hypostases, dicitur juremerito *Deus trinus*: & e contra, cum inter Divinitatem & Personas nulla sit compositio, nefas est dicere *Deus Triplex*. Quare S. P. Augustinus in VI. de Trinit. cap. I. *Nec quoniam Trinitas est*, inquit, *ideo triplex putandus est: alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater & Filius*. Et S. Thomas q. 31. art. 1. ad 3. *Trinitas absolute dicitur; significat enim numerum ternarium personarum. Sed triplicitas significat proportionem inequalitatis. Est enim species proportionis inequalis, sicut patet per Boetium in Arithmetica lib. 1. cap. 24.* Dicit Petavius hæc non magni esse momenti: nam personæ tres plures sunt quam una, quod ad numerum attinet, etsi non plus aliquid sint, si perfectionem spectes. Sed ex adverso repono, pluralitatem numeri satis superque innui per numerale nomen *Trinum*: per *Triplex* autem significari etiam rem, cui numerus tribuitur, esse *triplicatam*, adeo ut tres personæ videantur plus aliquid esse & in numero, & in perfectione, quam una tantum, si Deus dicatur *triplex*: & consequenter non solum loquendi norma, sed explorata etiam ratione Deum *Trinum* dici, non *Triplicem*.

XIII. Alia est significatio nominis, quam exhibet nudum etymon, & alia, quam præfert idea mentis per nomen expressa: Homo enim E. G. significat secundum etymologiam figmentum *ex humo*, sed juxta mentis perceptionem, Animal ratione præditum. Porro idem est Latinis *Triplex*, quod Græcis *τριπλὸς*, aut *τριπλάσιος*, quæ græca vocabula sunt a *τρεῖς*, *tres*, & *πέλω*, *sum*. Quotiescunque ergo apud nonnullos antiquiores Græcos inveneris de Deo *Triplicis* vocabulum assumi, dicendum erit ab his magis nominis etymologiam, quam ideam fuisse spectatam.

XIV. *Trinitatis* quidem vocabulum usurpatum II. Ecclesiæ sæculo a Theophilo Antiocheno libro II. ad Autolycum, quamquam nudas personarum relationes, aut substantiam sua prolatione non indicat, Catholice retinendum est, cum significet numerum personarum, quæ relationibus constituuntur: unde perperam adversus hoc *Trinitatis* nomen cavillatores quidam hæretici debacchantur.

XV. Neque abjiciendam credimus perantiquam locutionem *Trina Deitas*, de qua olim Hincmarus adversus Gothescalcum nimis excanduit, vetuitque ne ulterius in hymno Martyrum cantaretur, Te *Trina Deitas*, *unaque poscimus*. Hanc enim locutionem probat Nanzianzenus in Poemate de Vita sua, ubi quærit *πῶς ἡ μονὰς τριάζεται*, *quomodo Unitas sit Trina*: S. P. Augustinus lib. 12. Confess. cap. 7. sic Deum alloquens: *Et aliud præter te non erat unde faceres ea, Deus una Trinitas, & Trina Unitas*: Anselmus cap. Monologii 78. *Expedit ut credat omnis homo in quandam ineffabilem Trinam Unitatem, & unam Trinitatem*: Ecclesia demum universa in hymno Corporis Christi, *Te Trina Deitas unaque poscimus, &c.* Qui Hincmarum defendere student, ajunt ea locutione *Trina Deitas* proferri Tritheitarum execrandam blasphemiam: præponendam esse Gothescalchi & Ratramni malitiæ sinceritatem Hincmari: falsatum ab illis Augustini librum de quinque hostium generibus, in quo maxime locutio ista probatur; Hincmari emendationem in hymno Martyrum ab universali Ecclesia fuisse hucusque retentam. At respondendum est Deitatem non dici *Trinam* ratione substantiæ, sed ratione personarum, quæ sunt simul una Deitas, ita ut si propter naturæ communionem recte dicitur *Una Trinitas*, propter pluralitatem personarum recte quoque dicatur *Trina Deitas*. Hincmarum autem se parum sincera fide gessisse ex eo constat, quod cum Augustinus *Trinam Deitatem* fateatur in lib. de Duabus Animabus, in XII. Confess. cap. 7. Sermone 52. de Verbis Domini, & hanc loquendi formam recognoscat confirmetque in 1. Retract. n. VIII. ipse Hincmarus subdole ait, id imperite a S. Patre scriptum, cum adhuc presbyter esset, & retractatum; & ex quo temere verba sua Athanasiano Symbolo inseruerit, insertaque pro fide Catholica venditaverit. Nam in diplomate suo pag. 464. ad locum illum Symboli *neque substantiam separantes*, addidit, *quasi Trina sit*. Sed num malitia, num ignorantia peccaverit Hincmarus, nostra non interest. Liber vero contra quinque hostium genera constat non esse Augustini, nec ejus meminisse Possidium, aut eumdem Augustinum in libris Retractationum; sed etiamsi genuinus esset, non discrepat hoc loco a sensu Augustiniano, ut constat ex dictis. Ecclesia denique utramque locutionem jure retinet, &, *Summa Deitas*, in hymno Martyrum, &, *Trina Deitas*, in Officio Corporis Christi, ut nos doceat naturam Catholicæ fidei adversari. Sed qui plura de hoc argumento desiderat, legat Vindicias veterum Codicum Petri Coustant Monachi S. Mauri, cujus summæ eruditioni ac diligentiæ debet literaria respublica castigatissimam, nitidissimamque Operum Augustini editionem Parisiensem.

XVI. Perinde ac *Trina Deitas*, recte profertur a Mario Victorino *Virtus Trina*, ab Anselmo *Trina Unitas*, ab Ecclesia in Consecratione Episcopi *Trina Majestas*; in quibus, aliisque consimilibus declaratur nomine numerali Trinitas Personarum, & substantivo Unitas inseparabilis divinitatis, idest, significatur una virtus, una substantia, una majestas, una res summa, quæ est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

XVII. Quælibet nomina substantiva absoluta enunciantur de unaquaque Persona, & de omnibus simul singulari tantum numero, & ea invicem etiam prædicantur; V. G. *Pater est sua æternitas, sua immensitas, sua omnipotentia*; aut, *æternitas est omnipotentia, &c.* Verum nefas est dicere *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres æternitates, tres omnipotentiæ*; quoniam his vocabulis exprimitur aliqua perfectio spectans ad unitatem substantiæ. Quod si occurrat aliquod exemplum, in quo E. G. affirmetur Patrem non esse æternitatem, hanc non esse omnipotentiam, &c., hujusmodi exponendum erit de ordine connotatorum, ut diximus præcedenti Canone III.

XVIII. At relativa, quæ invicem opponuntur, pati nequeunt mutuam enunciationem ob distinctionem, quæ inter eadem versatur; ideoque supinus est error hæc pronunciare; *Pater est Filius*, aut, *Paternitas est Filiatio*.

XIX. Ex alia autem parte, quia inter relativa & essentialia nulla est intrinseca differentia, hæ propositiones, *Essentia est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Essentia est Paternitas*, pluresque consimiles, enunciabiles sunt, verissimæ & Orthodoxæ.

XX. In his, ceterisque omnibus servandæ sunt Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ definitiones, dedecet enim proferre quæ Magistra veritatis non comprobat, sive ea reticere quæ laudat. Ad hujus itaque Matris sinum humilis, & supplex confugio, & Theologicas defero lucubrationes, retractaturus si quæ protuli minus caute; & pro ejus fide ac doctrina, lingua, calamo, sanguine pugnaturus. Votorum autem meorum, hic unus, & sane præstantissimus finis est, videlicet, *Deus Trinus*: cui sit

Laus, & perennis gloria
Et nunc, & in perpetuum.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER DECIMUS,

In quo de ANGELORUM *natura, dotibus, meritis, officiisque pertractatur.*



EST inter humanarum, divinarumque rerum scientiam illud fere discrimen, quod inter corporeos, ac spiritales animi motus versatur. Ut enim ad linguæ exercendum officium articulari primo syllabas, deinde dictiones, posthac constantem sensu periodum, ac tandem elaboratam circumfinere orationem naturæ artisque magisterio, videmus; ita sæcularibus literis, humanisque facultatibus imbuendi a vocabulis ad argumenta plectenda, a punctis lineisque ad corporum dimensionem, ab atomis atque elementis ad universi molem spectandam non sine magna Præceptorum industria deducimur. At quemadmodum interior mentis vigor, soluto præsertim corporis nexu, nequit retardari locorum intercapedine, temporisque decursu, quin pervadat sublimiora & cælestia; sic operam navantes Theologicis studiis ingenii acumen libere in arcana divinitatis intendunt, nullis præpediti obviis occursibus creaturarum. Jure itaque ac merito ad Physiologiam accedentibus proponuntur nominum & idearum rudimenta, lineæ & anguli transeuntibus ad Geometriam, atque ad Medicam artem musculi ac fibræ: Theologis autem principio exponitur summa, recondita, & incomprehensibilis Veritas. Hujus modo aliqua illustratione percepta, haud operosum nobis erit inquirere de rebus a Deo productis; inter quas eminent spiritus mortalis concretionis expertes, quos ANGELOS nominamus. Quare de his erunt proximæ libri decimi Disquisitiones: in quibus ne ab incommutabili, quam paullulum attigimus, Veritate deflectant rationis nostræ conatus, mirabimur effectricem Dei omnipotentiam, beneficia gratiarum, ordinem providentiæ, atque justitiæ æquitatem; omniaque referemus ad gloriam ejusdem Dei, qui cum esset in se beatissimus, dignatus est Angelos, & homines condere, ut ipse nobis benefaceret, nos ipso una cum Angelicis Spiritibus frueremur.

CAPUT I.

An existant Angeli, idque manifesta possit demonstrari ratione?

SPIRITALEM substantiam, quæ erit hujus libri unum ac singulare argumentum, proprio vocabulo significante naturam nondum appellare didicimus. Nam Angeli nomen, sive latinum, sive græcum, officii est, non naturæ, derivatum ab ἀγγέλλω, *nuncio*, aut ἄγα, *a*, &, κέλλω, *mando*; quod interdum Angeli nobis ad enuntianda mandata Dei, vel mysteria mittuntur. Atque hinc est, quod etiam divini verbi præcones, & ipsemet Unigenitus Dei, quandoque Angelorum nomine significantur. Neque Hebræis propria Angelorum nomina sunt vel communia spectentur, ut אֱלֹהִים *Elohim*, מַלְאָכִים *Malachim* חַשְׁמַל *Chasmal*, sive particularia, ut *Cherubim*, כְּרוּבִים, *Seraphim* שְׂרָפִים. Quippe אֱלֹהִים, *Elohim*, idest *Dii*, appellantur ob potentiam eximiam; eodemque nomine in sacris Bibliis principes, ac judices sæpenumero designantur. Nomen vero מַלְאָךְ, *Nuncius*, derivatum a מְלָאכָה, *opere*, omnibus tribuitur, qui mittentis exequuntur mandata. חַשְׁמַל, *Chasmal*, legitur perraro, & electrum, ignemque significat, quibus ob motus celeritatem, atque splendorem Angeli comparantur. Ita *Seraphim* dicti sunt ab שָׂרַף, quod est *incendere*, atque *comburere*, quo nomine appellatur etiam Serpens ignitus capite primo ac vicesimo Numerorum. *Cherubim* denique incertæ significationis nomen est, quam alii repetunt ab כְּרַב exprimente *figuram*, alii a Chaldaico כְּרַבְיָא *sicut puer*, quoniam juvenili specie apparuerint, alii demum כְּרוּב *Cherub* nihil aliud significare contendunt, quam volucrem. Quare Angeli dicuntur *Cherubim*, vel quod figurati sint in propitiatorio & in Arca, vel quod ad instar pulcherrimorum adolescentium se conspiciendos exhibeant, vel quod ob celeritatem, sublimemque elevationem fingantur *alati*.

Sed licet incompertum sit vocabulum aut latinum, aut græcum, aut hebraicum, quo Angelorum demonstretur natura; horum nomine pronuntiato occurrit menti nostræ spiritalis quædam substantia, per se complete subsistens, vi intelligendi ac volendi pollens, præstantior homine, ac summo Numine inferior: Quæ, an sit alicubi, hoc priori capite inquirimus, nedum adversus quosdam philosophos, qui nihil præter corpora carnalibus oculis obvia dari putarunt; verum & contra Sadducæos, qui dicunt *non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum*; ut legimus Act. XXIII. 8. Erant autem Sadducæi celebris quædam inter Judæos Secta, quæ circa Machabæorum tempora habuit originem, acceptique, ut creditur, nomen a צדוק *Tsaddok* discipulo cujusdam Antigoni Sochæi, ut scribit Maimonides in Capitibus Patrum. Horum dogmata recenset Josephus lib. II. de Bello judaico cap. 12. & lib. XIII. Antiq. cap. 9. Hi ergo, cum Divinas Scripturas admitterent, Angelos tamen esse negabant, exponentes quæ in sacris libris de Angelis prædicantur aut de spectris a Deo excitatis, aut de potentia, quam Deus prosilire faciens, aut retrahens, uti Sol radios, ad homines interdum emitteret.

PROPOSITIO I. Dantur Angeli, & Sadducæi sacris literis, omniumque plane hominum sensu refutantur.

Enimvero cap. XIX. Genes. legimus venisse duos Angelos Sodomam, eduxisse inde Lot cum uxore & filiabus ipsius, universamque regionem igne vastasse. Cap. XVI. 7. Angelus Domini apparuit Agar ancillæ Sarai, eique persuasit, ut reverteretur ad Dominam suam, & humiliaretur sub manu illius. Cap. XXIV. 7. ait Abraham seniori familiæ suæ: *Mittet Dominus Angelum suum coram te*. Sanctorum Angelorum millia cum Deo apparuisse de Sinai habetur Deuteronomii tertio ac tricesimo. Atque ut ex novo testamento proferam aliqua, Matthæi XVIII. 10. habetur: *Angeli eorum semper vident faciem Patris*. Lucæ I. 26. *Missus est Angelus Gabriel a Deo*. Petri cap. I. 12. *In quem desiderant Angeli prospicere*. Et Epist. II. cap. II. 4. *Deus Angelis peccantibus non pepercit*. Quæ, aliaque plurima intelligi nequeunt de sola potentia Dei, aut de spectris, quemadmodum Sadducæi commenti sunt; cum manifestum sit Scripturam divinam Angelis tribuere multitudinem, ac servitutis officia, quæ summo Deo non conveniunt, nec non propria personarum munera, cujusmodi sunt Deo ministrare, ipsius enuntiare mandata, & in assumptis corporibus, sive alia incomperta nobis ratione, sese hominibus comites exhibere.

Atque Sadducæorum inscitiam omnium fere hominum consensio redarguit. Nam Plato Philosophorum disertissimus haud semel in Timæo meminit Angelorum, quos promiscue dæmones, Deosque compellat. Hostanem Magorum antiquissimum de Angelis præclare fuisse locutum, scribit in libro de Idolorum vanitate Tertullianus. De Socratis dæmone pertractant veterum Scriptorum quamplures. Thaletem Milesium dividere superiores substantias in Deum ac dæmones, in Oratione pro Christianis auctor est Athenagoras. Hieroclis Commentaria ad aurea Pythagoræ Carmina laudat tertio Theologicorum dogm. Tomo Petavius. Sententias Aristotelis memorat lib. 2. Rab. Maimonides. Ac ne singulos persequar, antiquiores etiam hæretici Simon, Menander, Saturninus, Cerinthus, Carpocrates, aliique Angelos esse agnoverunt: imo & his tantum cum superstitiosa Gentilitate detulerunt honorem, ut eos crederent cælestia numina, rerumque omnium, quæ sub aspectu cadunt, opifices.

Consentiunt PP. omnes: & hos inter magnus Augustinus in Ps. 102. *Angelos*, inquit, *novimus ex fide: & multis apparuisse scriptum legimus & tenemus; nec inde dubitare fas nobis est*. Concilium denique Lateranense sub Innoc. III. capite *Firmiter* creaturam spiritualem & Angelicam ab universorum Conditore productam apertissime definivit. Dabo cap. sequenti Concilii verba. Nunc dicta hanc nobis argumentationem suppeditant: Extremæ dementiæ est negare quod divina oracula docent, quod tradunt Patres, quod probat communis hominum sensus: Dari Angelos divinorum oraculorum testatur auctoritas, comprobat traditio Patrum, confirmatque Scriptorum omnium consensio: Ergo negare quod dentur Angeli, summa & extrema dementia est.

Opponunt Sadducæi. I. Creationem Angelorum reticeri in libro Geneseos, in quo genera omnium creaturarum narrantur. Præterea inquiunt hoc nomen *Angelus* non ad significandam rem subsistentem, sed officium duntaxat fuisse institutum: ideoque minime inde probari, quod extent

reapse spirituales substantiæ corporis expertes. Tandem constare ex cap. vi. Gen. v. 2. *Videntes Angeli Dei filias hominum, &c.* Angelorum nomen etiam hominibus convenire.

Resp. Consilium Mosis fuisse rerum corporearum productionem ac seriem narrare; unde expresse Angelos initio noluit commemorare, præsertim cum populo redeunti ex Ægypto, & valde ad idolorum cultum proclivi periculosum esset tam nobiles creaturas proponere. Insinuanda quippe erat principio unius Conditoris divinitas, ut paullatim rudis Judæorum gens altarum rerum formaretur notitia. Ergo posteaquam Creatorem universorum prædicavit, etiam Angelos in historica narratione tamquam Dei nuntios, ac ministros descripsit, ac talibus distinctos characteribus, quibus eorum a summo Deo appareret diversitas ac dependentia. Comprehendit autem illos in primordio Geneseos, ut Augustinus docet, nomine lucis; quo recte spiritalis natura concreti, corporis nulla circumfusa caligine declaratur. Per quæ satisfit priori argumento. Nam ad secundum fateor nomen Angeli ex se non significare naturam illam subsistentem ac spiritalem, sed esse nomen officii: at officia, quæ tribuuntur Angelis, a rebus subsistentibus exercentur; & nomina istiusmodi officiorum illos, qui eadem implent, consignificant, ut quando de hominibus dicitur, *Rex*, *miles*, *orator*. Ad hæc non est in nominibus attendenda sola grammaticalis etymologia, sed institutio eorum, qui nomina imposuerunt: alioqui fas erit dicere vas fictile esse *Adam*, quod sit e terra compactus, aut atramentarium, quo scribo, esse *Caia*, quoniam a me possidetur. Sunt omnia fere vocabula secundum etymon pluribus communia; & tamen ad certam rem significandam bene sapienterque applicantur, præsertim cui ratio illa communis convenit jure quodam particulari, ut Angelis divina mortalibus enunciare. Atque hæc de secundo argumento: cui haud recte quidam respondent nomen Angelorum apud Hebræos naturam significare; quod falsum esse constat ex dictis, maxime si sermo sit de natura rationali a Deo, & homine diversa. Quod ultimo opponebatur, nihil prorsus evincit: siquidem nomen Angelorum tribui etiam hominibus nullus negat: tametsi laudato capite 2. Genesis neque in Hebræorum, neque in Vulgatæ lectionis Codice Angelorum nomen occurrat. Sed de hoc Genesis loco cap. proximo, & ubi disputabitur de primo Angelorum peccato.

PROPOSITIO II. Hæc Angelorum existentia nequit certa naturali demonstratione probari.

Angelorum existentia non potest demonstrari, ut loquuntur Scholastici, *a priori*, argumento nempe per caussam; quandoquidem Angeli nullam necessariam caussam habent, sed liberam, idest divinam voluntatem, quæ pro suo lubitu creaturas omnes produxit. Neque enim ullus sanæ mentis potest ex hac propositione, *Datur Deus*, istam legitime inferre, *Ergo datur Angelus*: sicut ex necessaria existentia caussæ effectus contingens nequit deduci. Ob eamdem rationem evinci nequit quod extent Angeli ex idea aliqua sive Dei sit, sive creatarum rerum; quoniam nec Deus necessario percipitur tamquam conditor creaturarum, sed tamquam principium, quod pro sua libertate eas producit, aut in nihilum redigit: nec res creata actualis existentiæ certam excitat perceptionem. Similiter demonstratione *a posteriori*, idest per effectum nequit Angelorum existentia invictissime comprobari. Quidquid enim corporearum substantiarum nativam vim supergreditur, & Angelis attribuitur, in aliam caussam referri potest, sive illa Deus sit, sive anima rationalis a corpore separata, sive natura & facultas quædam præstantior, quam singulis rebus hujus universi rector potens est impertiri. Hinc talis elicitur ratiocinatio: Nihil nobis naturaliter innotescit nisi per caussam, aut per effectum, aut per inditas rerum ideas: Existentia Angelorum neque per caussam, neque per effectum, neque per ideam aliquam deprehendi potest: Ergo existentia Angelorum nequaquam nobis naturaliter innotescit.

Opp. 1. Socrates, Plato, aliique Philosophi de Angelis haud obscure pertractant, eosque appellant *Motrices Intelligentias*. Sed hi lumine fidei destituti non Sanctorum traditione, non sacris literis Hebraico tantum populo manifestis, spiritales substantias nullo corpore circumscriptas comprehendere valuerunt. Illas ergo dari perceperunt ratione sua, atque naturali mentis acumine.

Resp. 1. Falsam esse minorem; nam Gentiles plura a Judæis acceperunt, inter quos cupiditate discendi aliquamdiu versati sunt. Præterquamquod nonnulli hebraicam linguam callere poterant, & sacros libros furtim perlegere: quos etiam ante expeditionem Alexandri græce redditos viri plurimi tenent, ut diximus libro præcedenti cap. 1. Respondetur præterea probabilia Gentiles Philosophos habuisse argumenta, quibus dari Spiritus omni re corporea, & ipso homine perfectiores quodammodo suadetur, V. G. perpetuus cælorum motus, Simulacrorum oracula, ostenta magorum, de quibus agemus infra.

Opp. 2. Naturaliter constat moveri cælos, qui non aguntur propria forma; carent enim quacunque anima; Ergo moventur ab *Intelligentia*, quæ est Angelus.

Resp. Posse falsam esse illationem; nam motus cælorum, qui ab Angelis efficitur, principium habuit a Deo rerum omnium caussa: & consequenter Mundi Artifex, qui ab initio motum cælo induxit, potest illum absque ulla *Intelligentia* perpetuo servare: præsertim quod experimento compertum est, motum impressum corporibus ab agente vi prioris impulsus perdurare, donec alia corpora obsistant.

Opp. 3. Deus condidit hoc universum perfectum; quippe a summo Bono nulla res proficisci potest, quæ non sit valde bona: Igitur debuit in Mundo creaturam producere intellectualem, & incorpoream quæ mundi hujus præcipuum est ornamentum.

Resp. Duplicem in rebus creatis inveniri perfectionem: *relativam*, quæ est ordo ad primam ac supremam caussam, ejusque directionem ac nutum, & *absolutam*, quæ est ipsarum creaturarum naturalis conditio. Et priorem quidem perfectionem necessario Deus mundo tribuit, quoniam omnia quæcunque fecit, ad Auctoris sui bonitatem, tamquam ad finem ultimum referri debent, præscriptamque sibi motus & operationis legem tenere. At perfectionem absolutam, prout ei collibet, rebus singulis elargitur, creatque pro suo beneplacito aut corpus, aut animam, aut spiritum, quorum natura hoc unum postulat, ut produci possint; non ut producantur reipsa. Quapropter dist. antecedens. Deus condidit mundum perfectum, & naturalis ratio demonstrat mundo communicatam esse perfectionem *ordinis*, concedo: perfectionem quamcunque *absolutam*, nego.

Opp. ultimo. Plura quandoque ab hominibus perpetrantur, quæ naturalem ipsorum superexcedunt virtutem, cujusmodi sunt exercitatio peregrini idiomatis, corporum elevatio, prodigiosi eventus, divinationes, aliaque bene multa: quorum omnia referri nequeunt in Deum, ea maxime, quæ ad malum ac perniciem protendunt, ut præstigia, maleficiorum collyria, & præsagia geomantica, in quibus operam fidemque irreligiosi homines deperdere non verentur. Hæc, ut cujusque sensui obvium est, in malam, incorporeamque substantiam reducenda sunt.

Resp. Nihil superstitiosos, energumenos, malosque, ut vocant, genios agere, quæ si bona sint, se sola præstare non possit suprema Caussa; quæ interdum interpretationem sermonum, sapientiam, raptus, ac gratiam curationum piis largitur hominibus mirabilia nullo Angelorum interventu operantibus. Maleficia autem ignotam habere possent caussam, ut animam humanam separatam a corpore: aut quod in præstigiis mirum est, fieri potest auctore Deo: quod malum, perversa hominum voluntate, & *corruptione*, ut inquiunt, *naturæ*. Verum tamen est, Deum perraro in his, qui sanctitate non pollent, operari mirabilia, quæ stante hac providentia invictum sunt Christianæ fidei argumentum, neque suapte natura ordinari possunt in malum: sed hæc summi Dei veracitatem justitiamque demonstrant; non existentiam spirituum, quam religione quidem didicimus, & probabili animadversione, sed non solius humanæ rationis perspicuo lumine, atque evidentia.

CAPUT II.

Angelos non esse ex spiritu & corpore simul conflatos.

PLATONICI, quorum philosophiam plerique veterum Patrum sectati sunt, Angelos æthereis & elementaribus corporibus, longe, quam nostra sint, subtilioribus præditos esse tradiderunt, ut ex Apulejo demonstrat S. P. Augustinus lib. viii. de Civ. Dei cap. 16. Pro qua sententia laudari solent Origenes, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Methodius Martyr, Cassianus, Gennadius; necnon idem Augustinus, qui tamen, ut ostendam, ob Antiquiorum auctoritatem dubium sese demonstrat nihil definiens. Et Vellosillus quidem Lucensis Episcopus Advert. in vii. Tom. Hieronymi Q. 2. censet veteres illos Patres Angelos asseruisse corporeos, quoniam comparate ad Deum, qui neque loco circumscribitur, neque terminis clauditur, creaturæ omnes, quantumlibet spirituales, corporeæ dicuntur; cum certis applicentur corporibus, quibus aut vitam tribuunt, ut anima, aut præsunt, ut Angeli. Sed hæc explicatio profecto ad omnes veteres nequit extendi; propterea quod plurimi nedum corpora Angelorum commemorant, sed etiam definiunt esse aut elementaria, aut aerea, aut iis similia, in quibus resurgent animæ beatorum. Ceterum quidquid Antiqui nomine rerum corporalium significare maluerint: jam communiter corpus illud esse fatemur, quod partibus, atque triplici extensione constat, vel saltem istiusmodi exigit extensionem. Juxta hanc Corporis perceptionem quæstio est resolvenda.

PROPOSITIO: Angeli nulla extensione corporea suapte natura præditi sunt.

Id insinuant primo loco Scripturæ, quæ Angelos appellant Spiritus, ac Virtutes, ut Psalm. 103. *Qui facit Angelos suos Spiritus*; & 102. *Benedicite Domino omnes virtutes ejus*. Ad Hebræos 1. 14. *Omnes sunt administratorii spiritus*. In quibus advertendum est nomen *Spiritus* in sacris literis significare incorpoream substantiam, præsertim ubi absolute de rebus subsistentibus enunciatur, ut Joannis iv. 24. *Spiritus est Deus*: quamquam illius nominis plures significationes occurrant, ut diximus lib. vii. cap. 14. Ergo cum de Angelis bonis aperte loquatur Apostolus in Epist. ad Hebræos, quemadmodum de malis Matth. xii. 43.

Cum

Cum immundus spiritus exierit ab homine, & 45. *Vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se*; oportet in his locis per *Spiritum* intelligamus incorpoream substantiam. Nam quæ corporalis est, licet spiritum habeat sive inhabitantem, ut est in hominibus dæmon, aut bonus Angelus, sive informantem, qualis est anima; non *Spiritus* appelletur, sed habens spiritum. Quippe dicitur quidem *Spiritus hominis*, non autem *Spiritus homo*. Atque valent hæc de *Virtutum ac potestatum* appellatione, quæ bonis Angelis tribuitur citato Psalmo 102. 21. *Benedicite Domino omnes virtutes ejus, ministri ejus, &c.* malis autem in Epist. ad Ephes. VI. 12. *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem: sed adversus principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*. Quod enim corporeum est, non *virtus ac potestas* absolute dicendum erit, sed *virtute*, aut *potestate* donatum: nec proprietas sermonis hanc patitur phrasim, *potestas aut virtus homo*, sed, *hominis*. Quæ modo dicta sunt, ita syllogistice proponuntur: Substantiæ corpore ac spiritu compacta non *spiritus*, non *virtus*, non *potestas* vocatur, sed habens *spiritum*, *potestatem*, *virtutemque*: Angeli appellantur simpliciter *Spiritus*, *Virtutes*, ac *Potestates*; Ergo Angeli non sunt corpore ac spiritu coagmentati.

Accedunt verba Concilii Lateranensis IV. cap. 1. *Creator omnium, qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem, ex spiritu & corpore constitutam*. Quo in loco aperte a spirituali creatura sejungitur corporea & mundana, & inter utramque collocatur homo, qui naturæ particeps est utriusque: ideoque si nomine creaturæ mundanæ intelliguntur res corporeæ carentes quocunque spiritu; necesse est, ut per creaturas spirituales designentur substantiæ nobiliores expertes cujusque corporis.

Produci præterea possunt Patrum cum Græcorum, tum Latinorum testimonia, quorum proferam perpauca. Itaque Gregorius Nyssenus Orat. 4. in Dominicam, *Omnis*, inquit, *rationalis natura dividitur in incorpoream & corpoream. Incorporea est Angelica, altera nos sumus homines*. Oratione pariter XXXIV. & lib. contra Eunomium XII. Angelorum substantiam appellat νοερὰν, καὶ ἀσώματον, *rationalem incorporeamque*. Ita dæmonem vocat hæresi 26. Epiphanius. Et Joannes Chrysostomus lib. 1. ad Stagirium, *Fecit Angelos, Archangelos, & reliquas incorporeorum substantias*. Etiam Origenem in hanc tandem venisse sententiam probat ex lib. VI. contra Celsum Du-Hamel tom. 2. p. 497. Mitto Titum Bostrensem, Didymum, Eusebium, Theodoretum, Maximum, alios. Ut ad Latinos convertar, Magnus Gregorius lib. IV. Moralium cap. 9. ait: *Angelus namque solummodo spiritus, homo vero spiritus est & caro*. Et Leo Papa Epist. ad Thuribium cap. 6. scribit, *veram fidem omnium creaturarum sive spiritualium, sive corporearum bonam confiteri substantiam*. Citari solet Hieronymus, qui in Epist. ad Avitum damnet Origenem asserentem dæmones in pœnam peccati aereis corporibus fuisse vestitos; sed verba Hieronymi non videntur invictissima, cum ipse Angelis corpora videatur tribuere Comment. in Job cap. 25., & ex quo dæmones circumscripti non sint in pœnam peccati corporibus ex crassiori aere constatis, minime consequatur non habere corpora potiora, atque ætherea. Ab his ergo, & consimilibus testimoniis consulto abstinemus.

Confero me tandem ad Theologicas rationes, quarum prima est, Deum quantum ad genera rerum mundum condidisse perfectum: cumque in eo produxerit res corporales, & hominem compositum corpore, & spiritu, videtur etiam condidisse substantias omnino incorporeas ac spirituales. Deinde Angelus non potest habere corpus inanime, nam esse deterior anima, & gratiæ ac meriti, imo intellectionis penitus incapax. Quod si habeat animam conjunctam corpori, erit saltem natura sua dissolubilis ac mortalis. Postremo qui affirmant Angelos esse corporeos, debent in eorum gratiam plura miracula adstruere. Nam quantumvis angelica corpora fingantur tenuissima ac minima, vix perceptibile est quomodo integra legio dæmoniorum, idest spiritus nequam 6000. esse possit in uno corpore obsessi, ut fuisse narrat Lucas cap. VIII. 30. Arduum quoque est, Angelos corporibus suis celerrime aeris secare partes, quotiescunque in terras mittuntur, idque fieri absque ullo strepitu ac sonitu. Sed hæc probabilia sunt tantum; non enim Patres, qui arbitrati sunt Angelos proprio corpore circumscribi, rudes philosophi, ignarique fuerunt, quin hæc tam vulgaria ac manifesta adverterint.

ARGUMENTA IN CONTRARIUM REFUTANTUR.

Opp. 1. Angeli non semel mulieres compresserunt, filiosque ex his procrearunt. Liquet id primum ex Scripturis; nam Genes. VI. 2. juxta Græcorum Translationem legimus; *Videntes Angeli Dei filias hominum quod essent pulchræ, &c.* Deinde probatur ex profanis historicis, qui tradunt Merlinum Britannum vatem fuisse filium Dæmonis natum e virginis stupro. Platonem quoque ex *phantasmate* progenitum scripsere nonnulli. Item tradunt Hunnos originem ducere a Gothorum feminis in Asiatica solitudine e Faunis Satyrisque illato stupro gravidatis. Etiam Antichristum a dæmone generandum plures sentiunt. Jaciunt insuper spiritus malefici nonnunquam semina, quibus animalia oboriuntur: quæ omnia efficere non possent, si essent penitus incorporei. Demum homines ab Angelis procreati ceteros corporum structura, ingenioque antecellunt, unde ex concubitu Angelorum cum filiabus hominum generatos fuisse Gigantes Scriptura testatur. Hi ergo non videntur humano semine concreati.

Resp. Neque in Hebraico textu, neque in vulgata lectione Genes. VI. 2. legi *Angelos Dei*, sed בְּנֵי־הָאֱלֹהִים, *Filios Dei*. *Elohim* autem appellantur etiam Principes, Patriarchæ, Judices, & ceteri homines, singulari præsertim charactere decorati. Vide Exodi VII. 1. hoc nomine אלהים vocari Mosen, XXII. 8. 9. Judices, Psalm. LXXXI. 1. 6. Magistratus ac Principes. Itaque filii Dei, qui acceperunt sibi in uxores filias hominum, sunt filii Patriarcharum, penes quos summa erat auctoritas, & qui doctrina atque exemplis ceteris præesse debebant: & filiæ hominum sunt adolescentulæ ex familiis Cainitarum, aut quævis ex vulgo puellæ: quod tam impar conjugium, ex quo ortum habuit neglectus parentum, polygamia, & temeritas divortiorum, ad Principum disciplinam merito Scriptura proponit. Eximit vero omnem scrupulum Chaldaica lectio, quæ habet בְּנֵי רַבְרְבַיָּא, *Filii Magnatum*. Neque quicquam officit Græcus textus, in quo haud semel filii principum Angeli appellantur; ut Deuteron. XXXII. 8., ubi legimus: *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel*, habent Græci, *juxta numerum Angelorum*. Legerunt enim LXX. tribus omissis literis pro ישראל *Israel* אל, *Dei*: & alii deinde interpretes existimantes Filios Dei esse Angelos, hoc nomen substituerunt: quod proinde accipiendum est pro Filiis Israel, ut Græcus textus cum Latino, Hebræoque consentiat. Sed de loco Geneseos satis: nunc reliqua diluamus. Si vera sunt, quæ ex historiis profanis objiciuntur, quæ mihi quidem persuasum est esse commentitia; dicendum est dæmones assumptis terreuis corporibus, & excito aliunde τὸ σπέρμα homines procreasse. Nam etiam illi, qui Angelos putant esse corporeos, fatentur angelicum corpus non esse ad generationem idoneum, neque angelos aut dæmones distingui sexu: unde Matth. XXII. 30. habetur: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei*. Quod spectat ad Gigantes, respondetur cum S. P. Augustino lib. XV. de Civit. Dei cap. 23. posse parentes communis staturæ gignere gigantes ipsos: nam paucis annis ante excidium Romanum peractum a Gothis Romæ nata fuit femina gigantea ex Patre & Matre exigui tenuisque corporis, quod mirum non est, cum parvam materiam per augmentationem concrescere pluribus modis contingat. Verum quid in his valeant dæmones, dicam alibi.

Opp. 2. In VII. generali Synodo Act. 5. definitum est Angelos pingendos esse, quoniam corporei sunt: recitato enim Dialogo Joannis Thessalonicensis, ait Patriarcha Tarasius, *Ostendit Pater etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumscripti sunt, & hominum specie multis apparuerunt*. Cui universa Synodus respondit, *Etiam Domine*.

Resp. Quidquid sit de Joannis Thessalon. sententia, Tarasium id solum ex ejus Epistola arripuisse, quod fas est Angelos pingere, quandoquidem circumscribi possunt, & in humana specie non semel apparuerunt. Num vero Angeli circumscripti sint proprio, an assumpto aliquo corpore, ad scopum Concilii definire minime pertinebat. Imo Tarasius, aliique Patres aperte demonstrant se Angelos incorporeos fateri, & Joannis sententiam probare in ea tantum parte, quæ spectat ad pingendas Angelorum imagines. Affirmarunt enim citatis verbis Angelos circumscribi, & apparere in humana specie, non autem in propria: & in Professione fidei, *Veneramur*, inquiunt, *imagines Sanctorum, & incorporeorum Angelorum, qui tamquam homines figura humana justis apparuerunt*. Itaque distinguo & explico verba Concilii, *Oportet Angelos pingi quoniam circumscripti sunt* corpore proprio ac naturali, nego: corpore extraneo, assumptoque, concedo.

Si persistas: Joannes Thessalonicensis docuit proculdubio Angelos esse corporeos, atque propter hanc causam posse depingi: Concilium probavit hanc illationem: Ergo probavit quoque Angelos corporeos esse.

Resp. dist. ma. Joannes Thessalonicensis docuit Angelos esse corporeos, & humana specie multis apparuisse, ideoque pingendos esse, concedo: docuit duntaxat Angelos esse corporeos, nego. Ut Concilium probaret hanc illationem, *Angeli pingi possunt*, sufficit veram esse aut unam, aut alteram partem hypotheticæ propositionis, nempe quod aut Angeli circumscripti sint, aut in humana specie apparuerint. Hæc postrema vera est, & prior etiam, quatenus Angeli assumptis corporibus circumscribuntur. Optima est ergo ea consecutio, *Pingendi sunt Angeli*, quam Synodus approbavit. Sed Angelos constare proprio corpore, & in proprii corporis specie apparuisse, quod scribit

in suo Dialogo Joannes; id quidem nec Synodus Septima probavit, nec ad propositam quæstionem de pingendis Sanctorum Angelorum iconibus pertinebat.

Opp. 2. Justinus in Dialogo cum Tryphone, Clemens Alexandrinus lib. VIII. Strom. Tertullianus de cultu feminarum, Cyrillus Alexandrinus lib. in Joan. IX. Cassianus Collat. VII. cap. 13. & Hilarius cap. 5. in Matthæum, Angelis aliquod corpus attribuunt. His consentit Augustinus lib. II. de Trinit. cap. 7. in Psal. 85. Epist. 115. ad Nebridium, lib. XXI. de Civ. Dei cap. 10. & in 1. quoque Retract. cap. 26. Non sunt ergo Angeli cujusque corporis prorsus expertes.

Resp. Justinum, Clementem, & Cyrillum, etsi a pluribus benigna interpretatione explicantur vel de corporibus assumptis, vel de corpore accepto pro finita substantia, vere Platonem secutos illius de Angelorum corpore tenuisse sententiam; sed oppositam tradi ab aliis Patribus, & hanc definitioni Lateranensis Concilii magis conformari. Hilarius, & Cassianus videntur incorpoream naturam illam appellare, quæ summe incommutabilis est, & ubique existit ratione suæ immensitatis, & vicissim *corpus* substantiam, quæ non est suus actus, atque, ut loquuntur Theologi, aliquam habet *potentialitatem*: Quo sensu etiam rationalis anima corpus est, ut scribit Epist. XXVIII. Augustinus; ubi tamen animam non esse corpoream, si corpus accipiatur pro re extensa, diserte tradit. At Tertullianus nedum Angelos, sed etiam Deum credidit esse corpus, & habere quædam membra *generis sui*, ut diximus II. libro. Quod si putas nomen corporis Tertullianum pro substantia accepisse; de Angelis tamen nemo hanc interpretationem admiserit, quos ille *carnem* habere aliquam scripsit in libro de Carne Christi cap. 6. Augustinus vero, ut scribit Norisius, cap. IV. Vindiciarum §. 1. dubium se de Angelorum corpore fuisse significat. Etenim posteaquam in XXI. de Civ. Dei scripserat, *Sunt etiam quædam dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est*, paucis interjectis, ait: *Si autem quisquam nulla habere corpora dæmones asseverat, non est de hac re operosa inquisitione laborandum, aut contentiosa disputatione certandum*. Explanatque ibidem quomodo spiritus dæmones cruciari possint corporeo igne, etiamsi nulla eis insint corpora, comparatione rationalis animæ, quæ cum sit spiritualis, membris corporalibus colligatur. Hæc Norisius satis, ut arbitror, ad repellendum Annatum. Sed Augustini dubitationem comprobat ulterius insigne testimonium Epistolæ XCV. 8. *Sive habeant Angeli corpora, sive quisquam possit ostendere, quemadmodum corpora non habentes gerere illa omnia potuerint*, &c. Quamquam vero in affirmantem sententiam pluribus in locis inclinat, ibique non solum opinionem aliorum, ut ait Magister Sententiarum in II. dist. 8., sed propriam videatur exponere; nihilosecius Enar. in Ps. 103. ait Angelos esse *natura spiritus*, & in 1. Retract. c. XI. Angelorum Sanctorum nomine omnem sanctam creaturam spiritalem intelligi in secreto & occulto ministerio constitutam. Negat ibidem Angelos habere animam, atque hoc nomen eis convenire, retractans quod alibi vocabulum istud Angelis attribuerit, quo secundum divinam Scripturam humanamque rationem intelligitur spiritalis quædam forma materiam vivificans corporalem. Quamobrem videtur Augustinus priorem de Angelorum corpore sententiam tandem deposuisse; nam si carent anima, seu forma aliqua spirituali, oportet ut sint vel corpora in solidum, vel spiritus undequaque. At Augustinum credidisse Angelos esse corpora sine spiritu, nemo sanæ mentis poterit opinari. Erunt ergo Angeli juxta Augustinum spirituales omnino: ac primo S. Pater Platonicorum tenuerit opinationem, postea revocaverit in dubium, ac tandem eam quoque abjecerit. Quod nisi probare velis: fateberis tamen summam Augustini cum ingenio prudentiam, qui de tam perplexa quæstione in alterutram partem disputaverit. Ex quibus liquet responsio ad argumentum, scilicet non unam esse Antiquorum hac in re mentem, multos autem ambigue, multos opinative duntaxat fuisse loquutos: quibus præferendi sunt, qui certam tenuere sententiam, posteriorum consensu, & communi nunc probatam suffragio.

Opp. ultimo. Cruciantur dæmones igne corporeo, fugantur sensibili sonitu, fumigationibus, carminibus, ut constat de felle piscis, de cithara Davidis, & de carmine Magico φύγετε κακοδαίμονες, &c. de quo in Convivio Poetico Erasmus. Alliciuntur quoque mali spiritus cibis, nidore, suffimentis, &c.

Resp. Torqueri utique dæmones corporeo igne, sed non per corporalem *qualitatem*, ac nativam vim ignis: id vero qua ratione fiat, differendum est infra. Fugantur autem rebus sensibilibus, uti felle piscis assato, & sono citharæ, sed vel divina virtute, vel quoniam istiusmodi res immutant corporalem dispositionem, ratione cujus dæmones vexant homines. Carmen magicum Plinianum redolet superstitionem; de qua in disquisitione Magica huic libro inserenda. Alliciuntur denique dæmones per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, carminum, rituum, non ut *animalia cibis*, sed ut *spiritus signis*; in quantum hæc eis exhibentur in signum divini honoris, quem cupide affectant, ut docet lib. XXI. de Civit. Dei cap. VI. Augustinus.

PROSTHESIS.

Quæstio de Corpore Angelorum ad hunc modum se habet: eaque sententia, quam defendimus, vera est; & ob allatam definitionem Concilii Lateranensis IV. eamdem oppugnare videtur præceps & inconsiderata temeritas. Attamen, etsi appareat illius Concilii Patres creaturam Angelicam appellare spiritualem, & secernere a corporali; nostrum judicium est, minime spectare ad fidem, imo neque irrefragabili ratione demonstrari, hanc spiritualem creaturam cujusvis tenuissimi corporis expertem esse. Nam ad petitum e Scriptura argumentum respondet Sanctus Pater Augustinus Epist. 95. *Facilius videri potest Angelos esse spiritus dictos, ut homines animas, sicut scriptum est, cum Jacob in Ægyptum tot Animas descendisse, neque enim corpora non habebant*. Id est figura, quam vocant Rhetores *partis Synecdochen*. Nec proinde animarum nomen Angelis est tribuendum; ne quis putet eorum spiritum adesse & abesse, quomodo mortalibus accidit animabus. Lateranense Concilium definit creaturas omnes tam visibiles, quam invisibiles, tam corporeas, quam spirituales a Deo fuisse productas, adversus Albigenses, qui Deum non esse omnium creaturarum auctorem, & quosdam a principio malo conditas cum Manichæis delirabant. Sed num invisibilia & spiritualia corpore tenuissimo sint circumscripta, & corporalia ea dicantur, quæ crassiori materia concreta sunt, minime Concilii Patres definisse tradunt docti complures, inter quos S. Thomas de Malo Q. de dæmonibus art. 1. Sixtus Senensis lib. v. Bibl. S. Annot. VIII. & Estius in II. Sentent. dist. VIII. §. IV. Patrum non unam fuisse sententiam liquet ex dictis: unde Bernardus, cujus modestiam se amplecti testatur citato loco Sixtus Senensis, Sermone v. in Cantica inquit; *Videntur Patres de hujusmodi diversa sensisse, & nescire me fateor*. Sanctorum ergo traditio non præbet hac in parte momentum prorsus irrefragabile. Denique nulla ex præmissis ratiocinationibus plane nos cogit. Nam præcedenti capite dictum est Deum rebus singulis perfectionem, quam voluit, fuisse impertitum; ejusque voluntatis non esse a nobis caussam quærendam. Quod *etsi dæmones aeria sunt animalia, morte non dissolventur, quia prævalet in eis elementum, quod ad faciendum, quam ad patiendum est aptius*, inquit S. Pater lib. III. de Gen. ad lit. cap. X. idest prævalet ignis sidereus, non aqua, vel terra. Legio etiam, de qua Lucas cap. VIII. non tantum dæmoniorum numerum, sed multitudinem quamdam indefinite significat; siquidem legitur: *At ille dixit, Legio; quia intraverant dæmonia multa in eum*. Quamquam id, quod scribunt Calmet in Diction. Bibl. aliique Interpretes, omnem legionem 6000. comprehendere, falsum est; nam prima Legio militum sub Romulo trium millium peditum fuit, & trecentorum equitum, qui numerus sæpe variatus, major, aut minor esse consuevit, ut erudite Dempsterus in IX. Antiq. Roman. cap. IV. Ac de Angelorum σωματίῳ satis quidem diximus; nunc de immortalitate disseramus.

CAPUT III.

Quo sensu Angeli mortales, & immortales dicantur.

OCCURRUNT frequentissime apud PP. discrepantes verbo tenus sententiæ, aliis Angelos mortales esse affirmantibus, aliis vero immortales; quas duabus thesibus ad concordiam revocantes simul πρόβλημα de incorruptibili Angelorum natura extricabimus.

PROP. I. Appellari possunt Angeli mortales multimodis.

Dicitur enim *mortale* quicquid alicui subest mutationi; unde Augustinus in II. de Trinit. cap. 9. ait: *Ipsa mutabilitas non inconvenienter mortalis dicitur, secundum quam & anima dicitur mori*. Et in III. contra Maxim. cap. 12. *Omnis mutatio est quædam mors*. Prosper etiam Epigram. III.

Sed quodcunque potest sese amplius, & minus esse
Quodam fine ipsi, quod fuerat, moritur.

Etenim quod mutationi obnoxium est, desinit quodammodo esse. Ad hunc ergo modum immortales Angeli non sunt, quoniam de loco in locum, de operatione in operationem, & de accepta justitia in culpam, præcisa ipsorum beatitudinis plenitudine, transire possunt. Præterea dicitur *mortale*, quod virtute divina potest in nihilum redigi: quo sensu idem S. P. Epist. 56. inquit: *Non ob aliud res deficere possunt, nisi quod ex nihilo factæ sunt*. Et Damascenus lib. 2. de Fide: *Immortalis est Angelus non natura, sed gratia: nam quidquid initium habuit, & desinere suapte natura potest*. Quo in loco perspicuum est, *gratiam* appellari solam voluntatem Creatoris potentis omnia reducere in nihilum, si ei lubeat. Hanc mortalitatem, quam dicunt Scholastici *ab extrinseco*, habet in se qualibet creatura: & male Juenin Dissert. 1. de Angelis cap. 2. hanc conclusionem ponit: *Angeli sunt immortales ab extrinseco*. Nam quod ait illos esse ab intrinseco immortales, quorum corruptio semper impeditur ab extrinseca caussa, falsum est; quippe aliud est esse immortale, aliud esse non moriturum, quemadmodum aliud est non esse moriturum, aliud esse mortale. Illi ergo, quorum mors a Deo impeditur, utique non

mo-

moriuntur, ab extrinseco tamen mortales sunt, quod vidit etiam Plato, docens, ut scribit in Theologicis Proclus, minores Deos *μήτε ἀθανάτους εἶναι, μήτε τεύξεσθαι θανάτου μοίρας*, *nec mortales esse, nec tamen morituros*. Ulterius dicitur *mortale*, quod ab alio immortalitatem accepit, non ex necessitate originis, (hoc enim sensu etiam Filius Dei appellaretur mortalis, quod impium est), sed loco doni ac beneficii, sive, ut supra diximus, voluntate Creatoris; ideoque non male Auctor Responsorum ad Orthodoxos, ait: *Solus Deus immortalitatem dicitur habere, eo quod non ex alterius voluntate eam habet, sicut ceteri omnes immortales, ἀλλ' ἐκ τῆς οἰκείας οὐσίας, sed ex suapte essentia*. Horum omnium hæc sit epitome: *Mortale* est quodammodo quidquid alicui subjicitur mutationi, ex nihilo productum est, & Dei voluntate non deficit: Angeli aliqua ex parte immutantur, sunt ex nihilo, atque a Dei voluntate habent ne deficiant. Ergo Angeli sunt quodammodo *Mortales*.

PROPOSITIO II. Quatenus immortalitas idem est ac permanentia substantiæ, quæ nullam habet intrinsecam potentiam inclinantem se ad non esse, Angeli dicendi sunt ex natura sua immortales.

Hæc thesis auctoritate ac ratione probatur. Scriptor enim librorum de divinis Nominibus lib. II. cap. 4. *Intellectuales substantiæ*, inquit, *indeficientem & immorabilem vitam habent*. Athan. de Consid. cap. 6. & Hilarius in Psal. 118. Angelos vocant *immortales*, & *in æternum manentes*. Et Maximus Martyr in Epistolam II. ad Corinth. ait; *Quæ videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna*. Patrum itaque auctoritate liquet Angelos esse immortales. Quod tribus a ratione argumentis confirmatur; ac primum sit: Omne, quod suapte natura corrumpitur, dissolubile est: quod est dissolubile partes habet: quod habet partes, extensum est, & corporeum: At Angeli corporis expertes sunt: Ergo neque partes habere, neque dissolvi, neque interire naturaliter possunt. Alterum promitur ex comparatione formæ per se subsistentis: hæc enim neque corruptibilis est *per accidens*, idest per dissolutionem alterius, quoniam forma *per se* subsistens non generatur: neque est corruptibilis *per se*, quia separari nequit ab existentia, quæ illi *per se* competit. Hæc autem manifestum est convenire etiam substantiæ Angelicæ, quæ nec gignitur, neque ex materia conflatur. Tertium vero argumentum est hujusmodi: Nequit Angelus deficere ad instar rerum corporearum per *corruptionem*, & consequenter si moriatur, desinet esse per *annihilationem* sui: At in nihilum nulla res redigi potest naturaliter, sed tantum per hoc quod caussa extrinseca suam subtrahat conservationem, quemadmodum ex nihilo nulla res producitur, nisi per Creatoris omnipotentiam. Quare *annihilatio* nunquam naturalis esse potest, sed opus divinum, ac solius Dei; neque importat aliquod intrinsecum principium *corruptionis*, quale est in rebus in se contrarietatem habentibus, aut saltem potentiam materiæ, sed solam a prima caussa dependentiam, ut docet Quæst. I. art. 5. Doctor Angelicus.

OBJECTIONES REFELLUNTUR.

Argues I. In priori ad Timoth. cap. VI. 16. legitur: *Deus solus habet immortalitatem*. Resp. veram esse Apostolicam sententiam, quatenus Deus incommutabilis est, a nullo productus, atque immortalis essentia sua, non voluntate alterius; prout thesi prima fuit explicatum. Atque hoc sensu ponitur identidem vox *μόνος solus*, ut ad Romanos XVI. 27. *Μόνῳ σοφῷ Θεῷ, soli Sapienti Deo*. Igitur, ut *solus Sapiens*, ita dicitur *μόνος ἔχων ἀθανασίαν, Solus habens immortalitatem*, quoniam est sua sapientia, sua immortalitas, & quidquid habet, habet incommorabiliter, & a se. *Nisi fallor*, inquit Hieronymus Comment. in hunc locum, *quomodo solus habere dicitur immortalitatem, cum & Angelos, & multas rationabiles fecerit creaturas, quibus dederit immortalitatem; ita & solus dicitur verax, non quod & ceteri & immortales, & veritatis non sint amatores; sed quod ille solus naturaliter sit, & immortalis & verus: ceteri vero immortalitatem & veritatem ex largitionis illius dono consequantur: Et aliud sit verum esse per semet, aliud in potestate donantis esse quod habeas*.

Argues 2. Hieronymus hoc loco affirmat Angelos immortalitatem habere *Dono largitionis*, Damascenus lib. 2. de Fide cap. 3. Sophronius Act. XI. Synodi Sextæ, & Cyrillus lib. Thesaurorum vicesimo, docent Angelos immortales esse, *non natura, sed gratia*.

Resp. nomine *gratia* intelligi a PP. donum creationis, & conservationis, non supernaturale auxilium, quod per subministrationem Spiritus Sancti pertinet ad concupiscentias, tentationesque vincendas; ut observant Patres Africani in Epistola inter Augustinianas CLXXVII. alias XCV. Quod vero hanc gratiam creationis & conservationis Patres intelligant, satis liquet; nam Hieronymus ait immortalitatem Angelorum esse donum largitionis, quoniam illam non habent *per semet*: Et Damascenus apud Petavium lib. I. de Angelis cap. V. n. 3. immortalitatem Angelorum explicat esse donum gratiæ exemplo rotæ, quæ circumagitur, & identidem a movente accipit impressionem; Cyrillus quoque affert exemplum consimile ignis, qui ab agente movetur. Et recte; Sapiens enim cap. XI. 26. ita Deum alloquitur: *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?*

Argues 3. Angeli sunt ex nihilo: Ergo in nihilum tendunt. Resp. dist. consequens: In nihilum tendunt, idest, nisi eos conservet manus Omnipotentis, necesse est ut redigantur in nihilum, concedo: idest, habent intrinsecum mortalitatis principium, quod est qualitatum pugna, aut partium compositio, nego consequentiam. Quod Angeli ex nihilo producti a prima caussa dependeant, & jugi conservatione sint quodammodo instaurandi, probat illos mortales esse *ab extrinseco*, & immortales voluntate Creatoris. At nullum inde consequitur in eis physicæ corruptionis principium, quod est contrarietas, aut *potentia* materiæ. Dixi autem *physica*; nam ex quo spiritualis substantia sit ex nihilo, oritur in ea potentia peccandi, quæ est quædam species mortalitatis: cujus variatio cogitationum, affectuumque mutabilitas intrinsecum principium est; quomodo pugna corporearum qualitatum principium est corruptionis. Atque hinc est, quod ubi datur unius cogitationis, sive delectationis necessitas, quemadmodum contingit in patria, tollitur largitionis dono etiam hæc species mortalitatis, sive potentia peccandi.

CAPUT IV.

Quænam differentia sit inter Angelos statuenda.

CONSILIUM mihi erat in hac quæstione magnam sequi Augustini modestiam, qui de Angelorum discriminibus in lib. contra Priscillian. cap. X. ait: *Quo me contemnas, quem magnum putas esse Doctorem, quænam ista sint, & quid inter se differant, nescio*. Verum Scholastici quæstionem hanc nolunt prætermitti, & ad eam ventilandam me compellunt. Id vero ut faciam moderatione, quam scientiam opportunitatis appellat Cicero, & quæ in rebus obscurioribus maxime tenenda est; prætermitto diversas Theologorum sententias, quorum plerique putant Angelos differre invicem *specie*, plerique numero, plerique vero cum numero, tum *specie*. Quid sit autem differre *specie*, neminem puto latere: nam quemadmodum *speciei* nomine essentiam rerum naturamque intelligimus; ita differentiam *specificam* eam, quæ essentiæ importat discrepantiam, consuevimus nominare. Hanc dari inter Angelos minime affirmo, quos inter, probabiliori sententia, sola accidentalis discrepantia statuitur: idque exponam, hæsitans tamen, & plerumque mihi ipsi diffidens.

PROPOSITIO I. Non repugnat plures Angelos in eadem specie multiplicari.

Videtur hæc Conclusio Patrum auctoritati, & Theologicæ ratiocinationi consentanea. Nam I. S. P. Augustinus lib. III. de Lib. arb. cap. 12. docet, quod *etiamsi peccassent omnes Angeli, nullam inopiam facerent ad regendum imperium suum Auctori Angelorum; non enim bonitas ejus, quasi aliquo tædio, & omnipotentia deficeret difficultate ad creandos alios, quos in iisdem sedibus collocaret, quas peccando alii deseruissent*. Quare ergo non poterit Deus similiter condere Angelos ejusdem essentialis perfectionis cum iis, qui fuerunt producti? Numquid divina providentia largiri potest aliis Angelis eamdem gratiam, eamdemque gloriam, & divina omnipotentia nequit illis eamdem naturam, essentiamque impertiri? Deinde Patres diffidenter, dubitanterque de Angelorum differentia loquuti sunt, quæ dubitatio nulla accedente Ecclesiæ definitione facit, ne præsens controversia ad fidem pertineat. Et quidem Augustini verba ex libro contra Priscillianistas ad Orosium supra produximus; quibus similia repetit capite quinquagesimo octavo Enchiridii. Damascenus quoque lib. II. cap. 2. *Sive æquales sint Angeli secundum speciem*, (inquit) *sive differentes, nescimus*. Illud vero, de quo Patres tam vehementer dubitant, non debet credi impossibile: non enim adeo insignite rudes censendi sunt, ut aperte pugnantia in dubium revocaverint. Igitur existimaverunt saltem virtute divina fieri posse, ut plures Angeli eamdem speciei naturam nanciscerentur.

In hujus thesis confirmationem obviam fit humana ratio. Nam substantia Angelorum est reipsa finita ac limitata: Alias ergo *specie* consimiles omnino substantias compatitur. Quippe ideo Essentia Dei omnem aliam, quæ sit ejusdem *speciei*, excludit, quoniam infinita est, incommutabilis ac perfectissima. Igitur si Angelorum essentia illimitata non est, neque undequaque perfecta, plures in eadem *specie* poterit comprehendere. Atque argumentatio ista duabus aliis corroboratur. Primo enim per Thomistas substantia Angelorum ratione limitationis suæ de facto in plures *species* dividitur. Ergo nihil impedit, quin unaquæque Angelica *species* propter finem, ac mensuram, qua concluditur, in plura individua sit distributa. Præterea animæ rationales, quoniam terminationem ac modum habent, in eadem *specie* multiplicantur. Itaque multiplicari quoque poterunt Angeli, cum terminum ac finem sorte, & conditione creaturarum habere debeant.

De Anima rationali respondent Thomistæ multiplicabilem esse numero ratione subjecti, sive ordinis ad corpus quum

quum impossibile sit haberi differentiam numericam sine materia. At nos hæc refellimus I. Quia potest Deus rationalem animam condere, quæ nullum habeat ordinem ad corpus: nam si facit animas separatas sine corpore existere; potest etiam animas producere, quæ non sint natura sua formæ corporum, & tamen eamdem habeant spiritalem substantiam, eademque polleant virtute. II. Ordo ille, quem animæ dicunt ad corpus, non efficit, sed supponit ipsarum animarum *individuationem*: quum prius sit aliquam rem esse in se, quam dici ad aliud, saltem aut natura, aut ratione. III. Rationalis anima, & quælibet forma in materia, seu corpore recepta, multiplicabilis est, eo quod subjectum dat ei particulare ac distinctum existendi modum: Sed etiam agens confert rei creatæ esse aliquod particulare & distinctum; Quælibet ergo creatura erit numero multiplicabilis. IV. Non video, quomodo materia res corporales individuas constituat, nisi quod certis figuræ, extentionis, aut loci adjunctis illas afficit, ac determinat. Plura ergo individua in una *specie* Angelica erunt, si natura Angeli sint circumscripti, variisque characteribus, ac proprietatibus adornati.

PROPOSITIO II. Videtur probabilior, ac Patribus magis consentanea sententia eorum, qui affirmant Angelos omnes esse unius *speciei*, neque inter illos aliquam discrepantiam intercedere, nisi accidentalem, qualis est inter stellam, & stellam, aut animam, & animam, differentiam videlicet ordinis, muneris, ac dignitatis.

Sequitur hæc propositio ex præcedenti, & probatur ex Patribus. Maximus Martyr cap. 5. de Hierarch. Eccl. ait: *Angeli omnes, ut appellationis unius, sic & naturæ omnino sunt ejusdem*; ac subinde: *In Angelis alius est princeps, alius subjectus, & tamen natura Angeli sunt omnes: & in dignitate quidem est differentia, in natura vero communio. Nam & stella a stella differt in gloria, natura vero stellarum omnium est una.* Gregorius Nyssenus sub finem lib. VI. docet intelligibiles substantias enumeratas a Paulo ejusdem esse naturæ, quemadmodum sunt invicem plures animæ: *Quamobrem*, inquit, *qui ausit naturarum differentias in numeratis a Paulo nominibus indicari, seipsum seducit.* Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan. *Angelus ab altero Angelo nulla re differt, secundum id quod sunt Angeli: nempe cum omnes sint ejusdem speciei, in unam naturam colliguntur.* Et in Dialogo 1. de Trinit. *Annon similis est natura Angelus Angelo, & homo cuivis alteri homini?* Habent similia Paschasius lib. 2. de Spiritu Sancto, Gelasius in lib. adversus hæresim Pelagianam, aliique complures. Patres ergo in eam sententiam propendent, quæ affirmat Angelos discrepare ab invicem tantummodo accidentaliter, sive gradu, ordine, ac dignitate.

Ex his SS. PP. testimoniis etiam Theologica ratio deducitur. Etenim diversitas dignitatis aut muneris non est essentialis & *specifica*, sed accidentalis tantum, & qualis inter individua ejusdem naturæ intercedit: Angeli, ut Patres tradunt, non differunt nisi dignitate, vel ordine: Ergo diversi sunt tantum accidentaliter, non *specifice*. Præterea, ut scite animadvertit in hac eadem quæstione Petavius, in rebus, quæ a sensibus remotæ sunt, magis auctoritate duci ac moveri debemus, quam ratione, quæ nulla satis firma potest suppetere. Demum Tom. XXV. Bibl. PP. pag. 331. dicitur damnata a Stephano Parisiensi de consilio Magistrorum Theologiæ anno 1277. hæc propositio numero sexta decima: *Quia intelligentiæ non habent materiam, Deus non potest plures ejusdem speciei facere.* Quæ damnatio, qualiscumque sit, saltem evincit, non esse solam materiam physicam principium *individuationis*: qua tutela, præsidioque tegitur imbecillis plurimorum opinio.

OBJECTA REFELLUNTUR.

Primo objiciunt: Quæ differunt forma, differunt *specie*, forma enim est ipsa essentia, sive, ut loquuntur Scholastici, *constitutivum rei*; sed Angeli differunt sola forma, quoniam materiei sunt expertes: ergo Angeli differunt *specie*.

Resp. dist. majorem propositionem. Quæ differunt forma &c., videlicet per rationes *formales*, seu per ea, quæ scholæ appellare solent *prædicata essentialia*, concedo: quæ differunt forma, idest, aliqua existendi limitatione ac mensura, nego. Ergo duplici modo una forma discrepare potest ab alia. Primo per essentiale sui constitutivum, ut forma hominis differt a forma equi; & hæc differentia essentialis est, atque *specifica*: secundo per modum ac finem existentiæ suæ, quomodo anima unius hominis differens est ab anima alterius: & differentia ejusmodi non *specifica* est, sed *numerica*. Talis est Angeli ab Angelo discrepantia.

Apponunt alteram objectionem: Forma, quæ recepta non est, existit indivisibiliter: substantia Angelorum est forma, quæ recepta non est: Igitur substantia Angelorum indivisibiliter existit.

Resp. dist. majorem: Si hujusmodi forma, ut non recepta, ita sit infinita, quemadmodum est Deus, aut indeterminata, quales sunt *species* Dialecticorum, & universalia Porphyrii; concedo: Si forma in nullo recepta corpore sit ab agente in aliquo existentiæ modo coarctata, uti est substantia quælibet physica a Deo producta, nego. *Formæ abstractæ*, E. G. albedo, rationalitas, plura individua non habent, quoniam non sunt aliquæ formæ physice existentes ac limitatæ: sed ratio quædam intelligibilis, aut idea rerum, aut mentis perceptio, cujus ope de omni albedine, de omni rationali substantia judicium fertur. At forma quæcunque physica, licet a corpore divulsa sit, non est omne esse physicum, nisi forte sit infinita; & per consequens in plura individua scindi potest, ac dividi.

Tertiam adhuc rationem addunt: Conveniens aptumque fuit plurium rerum spiritualium *species* condi, quemadmodum consentanea ac decens fuit productio plurium rerum corporearum.

Resp. dari quidem plures spirituales substantias, quæ *specie* differunt: datur enim Deus, idest substantia intelligens, & simpliciter infinita: datur Angelus, sive substantia intelligens & completa; & datur anima rationalis, quæ est substantia intelligens, & forma corporis. In Angelis autem plures *species* minime convenire videntur, quandoquidem cur nam fuerunt creati? Ad laudem Conditoris sui, ad præsidium orbis terrarum, ad ministeria obeunda: quæ omnia solam postulant differentiam ordinis, ac dignitatis. E contra plures rerum corporearum *species* homini, cujus gratia conditæ sunt, necessariæ esse videbantur. Sed in his, quæ a Dei pendent arbitrio, id consentaneum, & decorum est existimandum, quod ei placuit, non quod in animo versatur humano. Denique si rerum spiritualium, & corporearum idonea sit comparatio; erit in Angelis non solum differentia essentialis, verum etiam *numerica*, quum utraque inter corporales naturas intersit.

CAPUT V.

De Angelorum numero ac multitudine.

PRINCIPIO tamquam certum tenendum est Angelos esse in aliquo magno numero, quamquam Rab. Moyses tot esse credidit, quot sunt cœlestia corpora, quæ ab ipsis moventur. Verum refellitur hæc sententia ex Danielis VII. 10. & Apocalyp. V. 11. ubi legitur: *Et erat numerus eorum millia millium*, idest, maxima, & propedum infinita multitudo, ut affirmant Cyrillus Orat. XI. Dionys. de Cælesti Hierarch. cap. XIV. & Hom. 2. de Incomprehensibili Jo. Chrysostomus. Neque contrarium evincit, quod Raphael Angelus ait Tobiæ XII. 15. *Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui adstant ante Deum*: unde consequi videtur Angelos non esse nisi numero septem. Nam septem sunt veluti Principes ceterorum, & sublimiori gradu throno proximi divinitatis, cum ii dicantur thronis regum adstare, qui intimæ sunt admissionis. Quare primores Angelos septem commemorat etiam Joannes in Apocalypsi cit. cap. V. n. 6. *Qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram*: at ne quis credat hoc parvo numero spiritales substantias finiri, additur infra num. 11. *Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu Throni.* Cum itaque magna sit multitudo Angelorum; inquirendum est, an eorum numerus hominum universorum summam excedat. Atque non tantum homines, sed etiam singulas res corporeas ab Angelorum multitudine superari docet q. L. art. 3. beatus Thomas: *Quia*, inquit, *quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in majori excessu sunt creata a Deo.* Verum hæc ratio admodum lubrica est, & incerta; tum quia rerum creatarum numerus a sola Dei voluntate dependet; tum etiam, quia hoc posito fundamento propagandi forent homines supra numerum lapidum, & arenarum. Aptius ergo inter Angelos, hominesque instituemus comparationem.

PROPOSITIO: Videtur numerum Angelorum non esse hominum multitudine ampliorem: sed incerta res est, neque debet temere definiri.

Habet theorema partes duas: quarum prima ostenditur ex cap. XX. Lucæ v. 36. ubi de Filiis resurrectionis, idest prædestinatis ad gloriam, legitur: *Æquales enim angelis sunt.* Quæ verba de immortalitatis quidem dono, & cælesti beatitudine accipienda sunt, sed etiam parem Angelorum Sanctorum, beatorumque hominum numerum insinuare videntur. Nam S. P. Augustinus capite Enchiridii XXIX. ita hunc locum interpretatur: *Hoc enim promissum est resurgentibus Sanctis, quando erunt æquales Angelis Dei. Ita superna Jerusalem mater nostra, civitas Dei nulla civium suorum numerositate fraudabitur, aut uberiore etiam copia fortasse regnabit.* Tradit consimilia lib. XXII. de Civit. Dei cap. 1. scribens: *Tantum populum per gratiam suam colligit, ut inde suppleat & instauret partem, quæ lapsa est, Angelorum.* Futurum autem in gloria æqualem numerum hominum Angelorumque tradunt alii Patres, præsertim Gregorius Hom. XXXIV. in Evangelia: nec repugnat ratio, cum prædestinatio post Adæ lapsum sit Dei beneplacitum eligens homines ad instaurandum numerum supernorum civium, unde Angeli apostatæ ceciderunt; quod etiam Anselmus docet in lib. Cur Deus homo cap. 18. & Isidorus de summo bono cap. 52. Quot vero Angeli lapsi sint, incertum quidem est, sed tamen minores fuisse stantibus videtur sequi ex versu 4. capitis XII. Apocalypseos: *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum.* Hæc enim

ver-

verba licet de eximiis viris proferantur, qui in extrema persecutione ad ambitum terrenæ gloriæ inhiabunt, alludunt tamen, ut cum Victorino docent Interpreter, ad superborum Angelorum ruinatu: qui non arithmetice, sed proportione quadam pars stellarum tertia appellantur. Ergo si Angeli comparentur cum hominibus, qui ob Adam ad finem usque mundi futuri sunt, erunt numero pauciores: Nam homines prædestinati aut æquant, aut excedunt numerum Angelorum Sanctorum, aut saltem neque tertia, neque magna pars omnium plane hominum dici possunt: & homines reprobi, qui supergrediuntur multitudinem electorum, superare debent multitudinem dæmonum, quoniam hi pauciores sunt Angelis sanctis, sunt tamen tertia, sive magna pars Angelorum.

Huic argumento respondet Vasquesius, etiam si certum sit sedes Angelorum supplendas esse ex hominibus, incertum tamen esse, an tot homines in eas sint adsciscendi, quot Angeli ceciderunt. At hæc responsio refellitur, quoniam nisi tot saltem homines salvi fierent, superna Hierusalem civium suorum numero defraudaretur: quare nisi homines salvandi sint plures, æquabunt proculdubio Angelos perditionis. Reponit Cornelius a Lapide in cap. XII. Apocalypsis, tertiam partem dici pro magno numero. Ita est; sed magnus numerus, qui sit plusquam dimidia totius summæ pars, nequit per auxesin appellari pars tertia; alioqui non accretionis figura erit, sed diminutionis: unde fateor tertiam stellarum partem designare numerum indefinitæ multitudinis; sed nego hanc indefinitam multitudinem, quæ dicitur pars tertia, ceterarum stellarum, idest beatorum Angelorum numerum superare. Estius denique ait Angelos in Scripturis numerari quadam *emphasi*, quæ nullibi tribuitur hominibus, ut quando apud LXX. censentur Danielis VII. 10. Angelorum *μυριαι μυριαδες*, *decies millies centena millium*. Verum fallitur, nam Genes. XXIII. 17. soli filii Abraham æquiparantur arenæ, quæ est in littore maris; & homines prædestinati cap. VII. Apoc. 9. dicuntur *turba magna, quam dinumerare nemo potest*. Pauci autem homines appellantur aliquando, propterea quod non omnes simul vivunt, sed procreantur quotidie permulti, permultique in pulverem suum revertuntur. Hactenus probabiles conjecturæ.

Altera enim pars propositionis, videlicet, quod non possit de hac re certum proferri judicium, probatur ex Dionysio, sive Auctore librorum de Divin. Nom. & Cæl. Hierarch. cap. 14. & Dionysio Carthusiano Comment. in hunc locum, Ænea quoque Gazæo in Theophrasto, & Thoma Aquinate citata quæst. L. qui omnes defendunt exercitum supernarum mentium excedere omnium rerum corporearum multitudinem. Quamquam S. Thomas explicatur a Cajetano de numero *specierum*, non individuorum materialium; quem numerum forte singuli homines superabunt. At quidquid dixeris, neque certa ratione probari potest, neque apertissime refutari.

CAPUT VI.

Quo tempore, & loco a Deo Angeli producti sint?

SPIRITALEM, corporeamque creaturam a Deo conditam liquet ex definitione Lateranensis Concilii allata secundo capite, & ex idea ac notione creaturarum, quæ demonstrat nullam rem, præter summam divinamque substantiam, existere a semetipsa. Tantummodo de loco, ac tempore creationis Angelorum potest in ambiguo Theologica disputatio versari. Græcorum enim plures Angelos ante aspectabilem mundum conditos pronuntiarunt; & Augustinus aliquando ac Rupertus productos in superiore parte aeris tradiderunt: at communior videtur opinio in cælo Empyreo, & una cum rebus visibilibus fuisse productos. Hæc duo proximæ inquisitioni segetem ac materiam suppeditabunt.

PROPOSITIO I. Est probabilior sententia eorum, qui existimant Angelos una cum rebus corporeis fuisse creatos.

Sacris literis, testimonio Patrum, & ratione probatur. Genes. 7. legitur: *In principio creavit Deus Cælum, & terram:* quod ita communiter accipitur, ut nihil antea Deum creavisse intelligatur, ut docet Augustinus XI. de Civit. Dei cap. 6. & Exodi XX. 11. *Sex diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt*, idest quæcunque cæli, aut terræ ambitu continentur. Angeli ergo, qui & creaturæ sunt, & aliqua hujusce molis parte clauduntur, creati ante cælum & terram nequaquam fuerunt.

Ex Patribus autem, cum non omnes idem sentiant, hos proferam. Augustinus, qui tamen aliquando perplexe loquitur, Angelos lucem prima die a Deo conditam appellat lib. V. de Gen. ad lit. cap. 19. & in lib. imperfecto de Genes. cap. V. n. 20 exponens verba Geneseos, *Fiat lux*, ait: *Alia est lux de Deo nata, & alia lux quam fecit Deus: nata de Deo lux est ipsa Dei Sapientia; facta vero lux, est quælibet mutabilis sive corporea, sive incorporea.* Et lib. XI. de Civ. Dei cap. 33. *In principio creavit Deus cælum & terram: quibus nominibus universalis est significata creatura, vel spiritalis & corporalis, quod est credibilius; vel magnæ duæ mundi partes, quibus omnia, quæ creata sunt, continentur.* Epiphanius quoque hæresi 65. *Illud* (inquit) *evidenter divinus sermo declarat, neque post sydera productos Angelos, neque ante cælum terramque constitutos.* Nonnullos alios laudabimus paullo infra.

Suffragatur & ratio. Vel enim Angeli creati sunt multis ante mundum sæculis, ut Græci plures affirmant, vel exiguo intervallo: Si creati fuerunt pluribus antea sæculis, aut initio peccaverunt, aut in accepta justitia aliquandiu perseverarunt. Porro non illico peccaverunt, quippe post peccatum rudentibus inferni detractos esse, sive in caliginosum aerem, sive subtus terram, certa argumenta, & invicta testimonia declarant. At neque aer tum erat, nec terra, quo possent relegari. Perseveraverunt igitur perdiu, & ceciderunt postea mundo jam condito. Verum si hoc esset, in gratia confirmati fuissent simul cum Angelis sanctis, qui stantes per liberum arbitrium majorem divinorum beneficiorum amplitudinem acceperunt. Quod si factos dixeris paullo ante corpoream creaturam, ruet tunc præsidium vetustæ auctoritatis, & qualecunque argumentum Græcorum. Nam hi infinita propemodum spatia ponunt inter creationem Angelorum, & mundi, ut illi fierent Creatoris munificentiæ participes, divinasque laudes longe ante tempora sæcularia præcinerent. Ergo nugatorie, tenuiterque putatur conditionem Spirituum aut maximo, aut brevi intervallo productionem rerum visibilium antevertisse.

PROPOSITIO II. Ad fidem superior sententia nequaquam spectat.

Contrariam opinionem proscriptam anno 1215. a Synodo Lateranensi cap. 1. censent Vellosillus in Advert. ad IX. Tomum Hieronymi Quæst. 33., & nonnulli post Ferrariensem Scholastici: quos erudite refellit Gabriel Vasquez Disput. CCXXIV. & Juenin dissert. 1. de Angelis q. 3. Et juremerito: nam primo S. Thomas, qui post Lateranense Concilium floruit quæst. LXI. art. 3. ait: *Non est igitur probabile, ut Deus, cujus perfecta sunt opera, ut dicitur Deut. XXXII. creaturam angelicam seorsum ante alias creaturas creaverit; quamvis contrarium non sit reputandum erroneum, præcipue propter sententiam Gregorii Nazianzeni, cujus tanta est in Doctrina Christiana auctoritas, ut nullus unquam ejus dictis calumniam inferre præsumpserit, sicut nec Athanasii documentis, ut Hieronymus dicit.* Hoc vero Thomæ judicium probant Genebrardus Parisiensis Theologus, Estius, Petavius, aliique celebriores, quorum plerique accurate Concilii verba librarunt. Deinde si quæstio hæc esset Lateranensi decreto definita, id esset, quoniam ab eo damnantur errores Origenis, & eorum, qui autumarunt spirituales substantias primum productas a Deo, ut spirituali duntaxat fruerentur dignitate, ab his vero conditas res corporeas, illasque post culpam in aerea corpora, tamquam in carcerem fuisse detrusas. At Nazianzeni, Cassiani, aliorumque sententia de Angelorum ante mundum adspectabilem productione nihil cum perversis Origenianis erroribus habet commune. Quamobrem, dummodo quis profiteatur solum Deum universæ creaturæ auctorem esse, nullamque ab Angelo, vel dæmone procreatam, neque dogma aliud in Origenistis, Manetisque gregalibus fulguritum ab Orco revocet; non est, cur ob assertam præexistentiam Angelorum Lateranensis Concilii damnationi subjiciatur. Præterea duo tantum sunt in ea Concilii definitione, quæ hominem Theologum possent aliquantulum commovere: unum, quod affirmetur, utramque creaturam, spiritualem, & mundanam fuisse conditam *initio temporis*; alterum, quod pronuncietur utramque productam esse *simul*. Verum *τὸ initio temporis* facere nequit certum de fide argumentum, cum positum sit ad demonstrandum Angelos non esse æternos, neque semper extitisse, sed productos ex non extantibus, atque durationis suæ habuisse principium. Neque cogimur *tempus* accipere sensu Arabum philosophorum, & pro sola mensura motus rerum corporearum, cum alii, etiam e sectis Philosophicis, tempus describant, quod sit subcisiva quædam duratio rerum, quæ habuerunt initium, nec perpetuo extiterunt. Particula vero *simul* significare potest, Deum utramque creaturam *pariter* condidisse, quomodo viri docti, qui nolunt amplecti Augustini de simultanea rerum creatione doctrinam, explicant illud Ecclesiastici cap. XVIII. *Qui vivit in æternum creavit omnia simul*. Quam utique interpretationem patitur definitio Lateranensis, & hæresis ibi damnata eorum, qui Deum singularum creaturarum negabant esse Conditorem. Græcorum ergo sententia post Lateranensem Synodum ab hæreseos nota tecta, sartaque perseverat. Postremo Synodorum Sanctarum Patres in definitionibus pertinentibus ad fidem, duas exploratissimas regulas tenere solent, Traditionem, divinamque Scripturam. At ex Traditione Angelos ante mundum minime fuisse, nemo potest evincere. Contrarium namque sentiunt Gregorius Nazianz. Orat. XXXVIII. & XL. Damascenus lib. II. cap. 3. Auctor de divinis Nominibus cap. 5. Maximus, Nicetas, & alii plurimi, quorum testimonia profert lib. I. de Angelis cap. XV. Petavius. Neque soli Græci hæc tradiderunt; verum etiam ex Latinis Ambros. lib. 1. Hexam. Isidorus Hispalensis lib. 1. de Summo Bono cap. 12. Hieronymus in cap. 1. ad Titum, & Beda Tom. VIII. q. IX. Itaque traditio non est hac in re penitus

tus

tus manifesta. Textus autem Scripturarum probabilem quidem, ut diximus, sententiam faciunt: at non prorsus irrefragabilem. Nam verba Genes. *In principio creavit Deus cælum & terram*, non incongrue, accipi possunt de principio durationis rerum corporalium, quarum narrationem Moses instituit, ita ut sensus sit, nullam corporalem creaturam ante cælum terramque extitisse. Idem esse potest sensus verborum Exodi: *Sex diebus*, *&c.* quæ exponi possunt de rebus sensibilibus, quæ sunt quidem omnes sex dierum spatio productæ, & sunt ob molem propriæ quantitatis in loco extenso, & corporeo. Adducunt aliqui verba Apostoli ad Heb. I. 14. *Omnes sunt administratorii Spiritus*. Verum neque hæc ad præsentem controversiam dirimendam sunt satis: quippe non est necesse, ut Angeli semper ministerium erga res corporeas exerceant, aut si exerceant continuo, non sequitur eos non fuisse antequam exercerent: id enim spectat ad officium illis mandatum a Deo, non ad ipsorum productionem, sive substantiam. A primo ad ultimum liquet non esse dogma fidei, quod Angeli una cum rebus aspectabilibus creati sint; quamvis id a nobis probabilius esse judicetur.

PROPOSITIO III. Neque ad fidem spectat, imo nullatenus certa est vulgaris opinio, Angelos fuisse in Empyreo creatos.

Sunt enim quæ pro vulgata hac opinione afferuntur minus firma. Reducuntur ea vel ad auctoritatem, vel ad rationem; sed neutra consistunt. Auctoritas enim petitur ex locis Scripturarum, quæ plane diversam pariuntur interpretationem. Habetur primus Isaiæ XIV. 12. *Quomodo cecidisti de cælo lucifer, qui mane oriebaris?* quæ verba sunt literaliter accipienda de Rege Babyloniæ, qui movit castra adversus populum Judæorum, ut constat ex aliorum verborum complexu, & ex præcedenti versu 4. *Sume parabolam istam contra regem Babylonis*. Alludunt tamen, ut exponit super Ezechiel. Gregorius, ad casum diaboli; sed is dicitur cecidisse de cælo Luc. X. 18. quemadmodum *de cælo* cadit fulgur, idest de superna aeris regione. Alter locus est, quem modo laudavi, *Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem*: quem locum, præter allatam explicationem, exponunt Euthymius & Theophylactus, non de primo lapsu Angelorum, sed de honore ac potestate dæmonis ante Salvatoris adventum, quando ille homines seducebat, & majori superstitione ab idololatris colebatur. Alii vero, & forte melius, referunt ea verba ad proxime præcedentia, *Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis*: quæ discipulis referentibus, ille respondit non esse sibi nova, quæ narrabantur: nam cum illi dæmonia ejicerent, ipsemet Christus videbat *satanam sicut fulgur de cælo cadentem*. Ultimus locus est Apocalypseos XII. 7. *Factum est prælium magnum in cælo*. At non consequitur, prælium factum est in cælo: igitur in cælo Angeli fuerant producti: potuerunt enim eo conscendere, ut videtur colligi ex citato cap. Esaiæ XIV. ver. 13. *Qui dicebat in corde tuo, in cælum conscendam*: quamquam & hæc de cælo Sanctæ Trinitatis commode exponi possunt cum D. Thoma, q. LXI. art. IV. ad 3. si referantur ad dæmonem: aut de Civitate Jerusalem, si literaliter accipiantur de rege Babel. Sunt præterea, qui verba Apocalypsis interpretantur non de primo Michaelis cum dracone certamine, sed de altero sub mundi finem futuro, sive de oppugnatione Ecclesiæ, & persecutione Sanctorum, quos hostis humani generis continuo circuit ut devoret. His ergo Scripturarum momentis, quibus plures nituntur, Angelos in Empyreo conditos non evincitur.

Neque id clare demonstrat ratio Thomistica, quod Angeli creari debebant in supremo cælo, quia præsident *toti naturæ corporeæ*: non enim singuli Angeli iisdem corporibus præsunt, sed alii cælestibus, alii sublunaribus, alii speciali ratione hominibus; neque omnes eadem virtute pollent, sed unus alteri præstat. Igitur ex Angelorum ministerio, aut virtute, nequit probari unum esse locum creationis ipsorum, eumque in supremo omnium corpore: quin si argumentum aliquid efficiat, consequetur omnes fere Angelos diversam in sui creatione nactos fuisse stationem; quod nemo unus concedet.

Arbitrantur itaque nonnulli, atque inter hos S. P. Augustinus lib. III. de Gen. ad lit. cap. X. & Rupertus in Genes. c. XI. Angelos creatos in superiore parte aeris; quod de Angelis, qui peccaverunt, putat S. Thomas cit. loco ad 3. esse valde probabile: atque ad auctoritatem Augustini respondet, vel de suprema parte aeris eum loqui, quatenus idem est, ac Empyreum, vel de Angelis illis tantum, qui ceciderunt. Sed neutrum certum solidumque videtur. Quippe nequit Augustinus per superiorem ætheris partem intelligere Empyreum ob propinquitatem; quoniam licet illa sit proxima inferiori cælo, distat tamen ab Olympo Beatorum quamplurimum; neque propter *diaphaneitatem*, ut inquiunt; nam minor non est pellucentis coloris convenientia inter aerem, & aquam, quam sit inter aerem & cælum; nec tamen proprie dicitur Angelos in aqua ad instar piscium creatos. E contra ipsum aerem ob locorum vicinitas cælum appellamus, ut dum dicimus *imbres cæli*, *volucres cæli*, *rorem cæli*: ideoque & Angelos cæli appellare possumus Spiritus in aeris sublimitate productos. Neque valet ratio altera, quod Angeli, qui peccarunt, in aere creati sint, quod fuerint ordinis inferioris, & alios majori virtute præditos in cælo Empyreo. Nam primo fuit fortasse diabolus aliorum Angelorum princeps, non ordinis infimi. Deinde si ordinis virtutisque diversitas diversum creationis locum expostulat: non unus, aut duo, sed novem saltem assignandi erunt separati loci, ubi creati sint Angeli: quod puto dixisse neminem; tametsi fuerunt qui dæmones, & angelos sanctos separatim productos affirmaverunt. Erit ergo Augustini sententia communi illa ac vulgari longe probabilior, aut saltem non poterit manifestę falsitatis revinci.

QUÆDAM ADVERSUS PRIOREM PROPOSITIONEM ARGUMENTA ELIDUNTUR.

Prima contra assertam Angelorum una cum aspectabili mundo creationem occurrit objectio Cassiani Collat. VIII. cap. 7. ubi ait: *Nec enim existimare debemus Deum creationis & opificii sui principia ab hujus mundi constitutione primitus inchoasse, quasi in illis anterioribus & innumeris sæculis ab omni providentia & dispositione divina fuerit otiosus, ac tamquam non habens, in quos bonitatis suæ exerceret beneficia, solitarius, atque ab omni munificentia alienus fuisse credatur, quod de illa immensa, ac sine principio, & incomprehensibili majestate humile est, incongruumque sentire*. Quod comprobari ait ex versu 7. cap. XXXVIII. Job, *Quando facta sunt simul sidera, laudaverunt me voce magna omnes Angeli mei*. Si enim Angeli laudabant Creatorem in molitione corporalis mundi, necesse est, ut ante mundi primordia producerentur. Videtur his subscribere, inquit Vasquez, Magnus Gregorius, qui Libro Moralium XXVIII. cap. VII. inquit: *Quia enim prima in tempore condita natura rationabilium Spirituum creditur, non immerito matutina astra Angeli vocantur*.

Resp. Quod si Cassiani argumentum valeret, consequeretur Angelos esse æternos; unde illiusmodi argumentationes videntur ex Gentilium philosophia depromptæ, non ex Catholicorum penu Theologorum. Similia autem objicientibus Ethnicis pro asserenda mundi æternitate, in eo libro, qui proxime ad istum consequetur, respondebimus frustra volatilem sensum vagari quærendo sæcula ac tempora ante mundi creationem, quando tempus non erat, cum sit illud sola creatarum rerum mensura. Interim ad hujusmodi nugarum solutionem sufficit animadvertere, ante creatas res solam præcessisse æternitatem, in qua fingi nequit subcisiva duratio, qua dicatur Omnipotens de quiete ad operationem transire. Allata verba Jobi in Vulgata, & in Hebræorum Codice leguntur, *Cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei*: sed admissa quoque versione LXX. dicendum est Angelos, qui in sapientia & intellectu conditi sunt, potuisse in priori suæ creationis momento Deum laudare. Deinde creati dicuntur a nobis prima die, & astra producta sunt die quarta; unde non mirum si quando sidera facta sunt, Deum laudibus prosequebantur, & astrorum creationi adstiterunt, præsertim in sententia eorum, qui sex dies Genesis naturales esse defendunt. At Gregorius citato cap. VII. docet expresse naturam Angelicam conditam in tempore: ideoque primo creatam affirmat, quoniam producta est mane primæ diei, ut melius, quam Vasquesius faciat, observat Alardus Gazæus Comment. in eamdem Collationem Cassiani.

Deinde objiciunt quædam alia testimonia sacrorum librorum, ut Job XL. 10. *Ecce Behemoth, quem feci tecum*. Et v. 14. *Ipse est principium viarum Domini*: quæ de dæmone a pluribus accipiuntur. Et Apost. ad Tit. I. 2. vitam æternam promissam scribit *ante tempora sæcularia*: Fuerunt ergo ante sæculum, mundanaque tempora rationales creaturæ, quibus Deus sempiternam promitteret beatitudinem. Verum hæc nullius momenti sunt, בהמות *Behemoth* enim, scilicet *fera ferarum*, apud Jobum significat Elephantem, qui quantumvis ferus, mansuescit, nec rapto vivit, sed hominibus inserviens pascitur herba. Hortatur enim ibi Deus hominem ad mansuetudinem ferarum exemplo; & præsertim commemorat *Behemoth*, seu Elephantem, qui cum habeat durissimum dorso tergum, & cartilagines tamquam laminas, proboscidem tamen versat, perfoditur, oneratur, & circa eum ludunt bestiæ agri. Quæ omnia illic narrantur de *Behemoth*, sive fera, quæ dicitur *principium viarum Domini*, idest maxima inter terrestria animalia: nam quæ in suo genere præcipua sunt, appellantur Hebræis ראשית, *initia*, & *capita*. Affertur deinde exemplum *Leviathan*, piscium scilicet maximi, qui ad instar mitiorum trahitur unco: ut nempe homo exemplo terrestrium maritimarumque ferarum humilietur sub potenti manu Dei. Quod si mavis hæc ad diabolum referre, non ero in disputando pertinax: sed dicam hunc esse ראש *caput* viarum Domini, quoniam spectat ad lucem primæ diei mane creatam. Nam quod ait Apostolus ad Titum, vitam æternam repromissam fuisse *ante tempora sæcularia*, idem est ac fuisse ab æterno prædestinatam ac præparatam, ut exponunt Chrysostomus, Anselmus, & lib. XII. de Civ. Dei cap. XVI. Augustinus. Aut *ante tempora sæcularia*, idem est, ac ante plurima tempora, & ante Abraham, de quo Judæi magnopere gloriabantur: ait enim idem Apostolus ad Timoth. II. cap. I. 9. etiam gratiam *ante tempora sæcularia* datam nobis in Christo; & habetur utrobique: πρὸ χρόνων αἰωνίων. Fuimus

ergo

ergo nos etiam creati ante mundum, si valeat istiusmodi argumentatio.

Tertio opponunt Græcorum PP. auctoritatem, qui non solum docent oppositum, verum & congruam tradunt, optimamque rationem; nimirum Deum non fecisse Angelos propter hominem, quemadmodum cœlum, & terram, sed ratione bonitatis suæ, ideoque non opus erat ut differret Angelorum productionem ad tempora hujusce machinæ. Addunt verba Damasceni lib. II. cap. 3. *Decebat primum intelligibilem substantiam creari, tum sensibilem, ac demum ex utraque compositum hominem*. Mitto Basilium, Nazianzenum, Origenem, aliosque, de quibus in 2. Propositione.

Resp. in hac quæstione, quæ adiaphora est, nec spectat ad fidem, non exigi communem Patrum consensionem. Tamen non omnes Græcos adversarios habemus; cum præter Epiphanium diserte sententiam nostram confirment Theodorus Mopsuestenus lib. I. in Genes. Theodoretus Quæst. III. Basilius Seleuciensis Orat. I. aliique apud Cl. Dionysium Petavium. Neque urgent admodum allatæ rationes: ad primam enim patet responsio, si dicamus omnes creaturas in Dei gloriam primario fuisse productas, creatosque etiam Angelos in gratiam Universi, quod voluit Deus omnium creaturarum generibus exornare. Ad alteram ex Damasceno optima est responsio D. Thomæ, quod Angeli non constituunt per se unum universum, sed tam ipsi, quam creatura corporea in constitutione unius universi conveniunt; non est autem congruum, ut producatur pars absque toto. Si autem dicas unam creaturam corpoream productam esse ante aliam, etiamsi ad idem universum pertineat; respondet idem S. Thomas, singulas creaturas corporeas convenire in materia, qua producta creatæ fuerunt quodammodo omnes corporeæ substantiæ: quod minime valet de Angelis, qui in materia simul cum rebus corporalibus non conveniunt. Sed nos qui sententiam de creatione simultanea arbitramur valde probabilem, quod nec D. Thomas diffitetur, possumus etiam negare assumptum.

Ultimum argumentum frequens est apud antiquiores Scholasticos, atque ita se habet. Angeli non fuerunt creati simul cum tempore, neque post tempus: Ergo ante tempus. Ant. prob. nam substantia Angelica impartibilis ust, tempus vero in partes dividitur, & consequenter substantia Angelica tota simul producta fuit, non item tempus. At impossibile est substantiam impartibilem, & divisibile tempus eadem mensura durationis existere, & tempus in primo indivisibili instanti produci. Itaque non potuit Angelica substantia produci simul cum tempore. Sed facilis est responsio; negatur enim ant. & ad prob. distinguitur minor: substantia indivisibilis, & partibile tempus nequeunt simul existere eadem mensura durationis adæquata, & communi, ita ut simul incipiant esse, simul perficiantur, & simul desinant; concedo: mensura inadæquata, ita ut in eodem instanti incipiant esse, & spiritualis substantia existat tota, tempus vero aliqua sui parte: falsa est minor, & consequentia; quæ si valeret, sequeretur etiam rationalem animam, imo & formam omnem substantialem, priusquam tempus fieret, creatam esse.

CAPUT VII.

De gratia, quam in prima sui conditione Angeli receperunt.

CUM duplex sit gratia, *actualis*, quæ datur ad supernaturaliter operandum, & *habitualis*, quæ ulterius confertur ad ornatum, & sanctificationem animæ, cui inhærens tribuit ut divinæ naturæ participatione fruatur: de utraque gratia nunc inquiritur. Fuit enim veterum Scholasticorum opinio, quantum ad *habitualem* gratiam spectat, tam Angelum, quam primum hominem, hanc in sui creatione non accepisse, quam opinionem probant Ægidius noster, Alex. Alensis, Bonaventura, aliique permulti, quos sequitur etiam P. Gavardi quæst. VIII. de Angelis art. 2., & hanc sententiam posse absque temeritatis nota defendi scribit Estius, & nos infra, necnon lib. XII. adversus quosdam Recentiores demonstrabimus. Specialem enim de Adam ingerit difficultatem Tridentina Synodus sess. 5. Canone I. De gratia autem *actuali*, sive adjutorio, ut Augustinus ait, *sine quo*, arbitror eos decipi, qui putant fuisse sententiam Ægidii Angelos creatos sine ulla gratia & dono supernaturali, & cum quadam tantum naturali innocentia. Diximus quippe lib. IV. cap. VIII. præclarissimum Doctorem de gratia gratum faciente verba facere, neque ullatenus a naturali innocentia & originali justitia beneficiorum Dei, quæ ad recte sancteque operandum sunt necessaria, largitatem rejicere. Atque id etiam liquet ex dist. XXIX. art. 2. dub. 3. laterali, ubi ait: *Oportet nos ponere hominem sic esse conditum, quod posset omnia pericula vitare. Non ergo fuit conditus in puris naturalibus. Habuit ergo aliquod donum gratuitum superadditum naturæ, &c.* Quapropter Ægidius, qui originalem justitiam gratiam esse fatetur, negatque puram esse naturam, nequit ab ea actualis gratiæ munera segregare. Sed plura de his Fridericus Gavardi: nos numero diximus, propositumque persequimur.

PROPOSITIO I. Angelus in prima sui conditione habuit actualem gratiam, quam Sanctus Pater appellat adjutorium sine quo.

Ita S. Pater de Corrept. & Gratia cap. XI. ubi ait: *Si autem hoc adjutorium vel Angelo vel homini, quum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent.* Et de Civit. Dei lib. XI. cap. XI. inquit: *Simul ut facti sunt, lux facti sunt, non tamen ita tantum creati, ut quoquomodo essent, & quoquomodo viverent, sed etiam illuminati, ut sapienter beateque viverent.* Rursus cap. 9. proximi libri XII. posteaquam Angelos in bona voluntate conditos esse docuerat; ait: *Voluntatem quamlibet bonam inopem fuisse in solo desiderio remansuram: nisi ille qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex seipso faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem.* Ex quibus hæc ratiocinatio promitur: Adjutorium naturæ superadditum, quo Angeli poterant, si voluissent, in accepta perseverare justitia; quo creati sunt *lux*, nedum ut illuminati fierent in se, sed etiam adhærerent luci incommutabili, ac viverent sapienter beateque; quo demum fieri poterant *meliores*, & vividius ad sanctam delectationem, caritatemque excitari; tale, inquam, adjutorium est supernaturalis quædam gratia saltem actualis: Angeli in prima conditione hujusmodi adjutorium, illuminationem, & voluntatem bonam acceperunt: Ergo Angelis in prima sui conditione gratia saltem actualis collata fuit. Qualis autem hæc gratia extiterit, & per eam Deus, dominusque rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura esse præscivit, sic ordinavit Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet quid posset liberum arbitrium illorum, deinde quid gratiæ suæ beneficium, in libro de divina scientia, satis ut arbitror, explicavi. Ex his autem infertur Angelos viribus naturæ nequaquam potuisse se ad primam gratiam *actualem* disponere; potuisse tamen vi hujus gratiæ illuminantis, ac præmoventis, se disponere ad gratiam *habitualem*, nisi eam in priori instanti recepissent, quemadmodum per hanc gratiam Angeli sancti pervenerunt ad plenitudinem beatitudinis, & ad vitam æternam, quæ non potest absque divino adjutorio comparari.

PROPOSITIO II. Probabilior est sententia Theologorum asserentium Angelos in sui conditione fuisse etiam gratia sanctificante exornatos; non est tamen, ut quidam autumant, plane certa, & absque ullo fidei detrimento negari potest.

Prob. I. pars. Ac primo quoniam Augustinus de gratia collata Adam, cujus una cum Angelis habenda ratio est, disserens cap. XI. de Corrept. & Gratia videtur præter adjutorium *sine quo*, etiam statuere bonam voluntatem & gratiam, in qua potuisset pro lubitu permanere. Ait enim: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum. Dederat & adjutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet.* At gratia, in qua potest quis manere si velit, est gratia sanctificans, quam a caritate Augustiniana schola non distinguit: Ergo cum in caritate actuali nemo teneatur perseverare, & cum actus quandoque inculpate omittantur, neque ab his desistere culpa sit; gratia, in qua creatura innocens non permanendo misera facta est, perdiditque originalem justitiam, est *habitus* casti amoris, sive gratia sanctificans. Deinde S. P. XII. de Civit. Dei cap. 9. de bona voluntate ait: *Et istam quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, idest, cum amore casto, quo illi adhærent, creavit, simul in eis condens naturam, & largiens gratiam? Unde sine bona voluntate, hoc est Dei amore, nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est.* Addit e vestigio, quod Angeli, qui in eadem bona voluntate persiterunt, *pervenerunt ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent.* Hanc vero plenitudinem beatitudinis citato cap. XI. de Corrept. & Gratia, *hujus mansionis debitam mercedem* appellat. At gratia, qua pervenitur ad plenissimam beatitudinem, non est gratia duntaxat *actualis*, sed etiam justitia & sanctitas, cui jure proprio gloria tamquam corona rependitur. Si ergo Angeli sancti nunquam fuerunt sine bona voluntate, & caritate, cujus perseverantia plenam gloriæ felicitatem promeruerant; nunquam extiterunt sine *habitu* caritatis, & justitiæ rectitudine. Præterea gratia, quam habent sancti homines, in quorum cordibus diffunditur caritas Dei *per inhabitantem Spiritum Sanctum*, non sola naturalis rectitudo est, sed gratia gratum faciens. Atqui bona voluntas, qua Angeli Sancti Deo adhærent, & a qua malus Angelus sponte defecit, dicitur ibidem ab Augustino, *Caritas Dei diffusa in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis:* Itaque hæc bona voluntas, castus amor, & caritas non rectitudo naturalis dicenda est, sed vera propriaque gratia sanctificans; recteque Vives comment. in hunc locum de Augustino ait: *Aperte fatetur Angelos omnes creatos esse in gratia gratum faciente, quod idem ait libro de Correptione, & Gratia.*

Consentiunt Augustino alii PP., imo & sacræ literæ. Basilius enim in Ps. XXXII. scribit: *Angelos namque ut essent Verbum omnium opifex condidit: sanctificationem vero simul impendit ipsis Spiritus Sanctus.* Et Damascenus lib. II.

de fide cap. 3. *Per Verbum omnes Angeli creati sunt, ac per Spiritus Sancti sanctificationem omnis perfectionis numeros acceperunt.* Hieronymus quoque supes Osee: *Dæmones*, ait, *in magna pinguedine Spiritus Sancti creatos esse.* Sed & Ezechiel cap. XXVIII. 52. de Dæmone sub figura Regis Assyriorom inquit: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore.* Et v. 15. *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Ut enim scribit Beatus Gregorius lib. XXII. Moral. cap. 18. *Quid doni non habuit, si signaculum Dei similitudinis fuit?*

Videtur etiam hæc sententia rationi conformis. Etenim sensibili, corporeæque creaturæ statim a principio inditæ sunt, ut Philosophi loquuntur, *seminales rationes* naturalium omnium effectuum; scilicet initio tribuit eis Craator formam, agendique virtutem comparate ad ea, ad quæ universalis providentiæ ordine referebantur. At Angeli creati fuerunt propter beatitudinem, cujus quasi semen est gratia sanctificans. Hac itaque gratia Angeli a principio conditionis suæ fuerunt ornati. Sed de hoc argumento vide S. Thomam q. 62. art. III. His ergo momentis in hanc sententiam lubentissime trahor.

Ceterum spectare ad fidem, & irrefragabilem omnino esse (quod erat propositionis pars altera) id vero constanter inficior. Et primum confidentis Hierophantæ videtur hæreseos notam affricare Theologorum clarissimis, Magistro, Scoto, Richardo, Bonaventuræ, Ægidio, Argentinæ, aliisque plurimis, qui Angelos ac primum hominem in gratia sanctificante conditos negant, in qua tamen constitutos eos credunt ante lapsum, quod de primo saltem homine est salubriter, ac certissime confitendum. Ulterius laudanda est moderatio Estii scribentis: *Nihil esse in hac quæstione temeritatis, & periculi:* Postremo si originalem justitiam in hoc constituas, quod sit rectitudo rationis, absque ullo pugnantis affectus motu, mentisque ægritudine & evagatione, & præter naturæ perfectionem Angelis ac primo homini datam fatearis gratiam *actualem*, & donum amoris casti, quomodo Ægidianos nostros sentire arbitror; erit profecto modus aliquis interpretandi Augustinum, solvendique præmissa argumenta.

Respondebunt enim S. Patrem tribuere omnibus Angelis bonam voluntatem, & actum amoris casti, sed esse hunc a gratia *actuali*, & nullatenus prærequirere *habitualem*, quam promereri sibi debuerant in ea bona voluntate perseverantes; nam Augustinus citato lib. XII. de Civ. Dei cap. 9. omnes quidem Angelos tam bonos, quam malos conditos definit in bona voluntate, & actu sanctæ dilectionis, qui est gratia *actualis*, sed caritatem diffusam per inhabitationem Spiritus Sancti, quæ proculdubio gratia *habitualis* est, ut Ægidius docet in 2. dist. 29. q. 1. art. 3. ad Sanctos Angelos, non ad eos, qui a bona voluntate sponte defecerunt, Augustinus pertinere declarat. Hic itaque castus amor gloriam promeruit, quoniam in eo Sancti Angeli perseverantes *habituali* caritate sunt exornati, qua ad plenitudinem beatitudinis pervenerunt. Hæc gratia *actualis* semen fuit vitæ æternæ, quatenus illius virtute incommutabili bono adhæserunt. Hæc *signaculum similitudinis*, Paradisi deliciæ, decor ac principatus, ob rationis rectitudinem, magnam absque ulla molestia tranquillitatem, divinæque illuminationem sapientiæ. Hæc demum justitia & sanctitas, ut Patres docent, non perfecta, quam Spiritus Dei inhabitans impertitur, sed inchoata quæ sita est in perfectione gratiæ *actualis*. Hæc Ægidiani nostri; quæ cum valde sint probabilia, firmissime teneo Angelos cum aliqua gratia, non in puris naturalibus fuisse conditos; num vero præter adjutorium *sine quo*, & gratiam sufficientem *actualem*, etiam *habitualem* receperint, probabilius quidem existimo, sed dubium adhuc, nec ad fidem pertinere pronuncio.

SCHOLION.

„ QUod affirmavimus Prop. 2. Angelis in sui crea-
„ tione collatum fuisse adjutorium gratiæ, quod S. P.
„ Augustinus appellat adjutorium *Sine quo non*, puto ex-
„ tra omnem controversiam positum esse. An vero Ange-
„ li, qui perseveraverunt, suffulti fuerint ampliori adjuto-
„ rio, sive gratia prædeterminante, & efficaci, quæstio
„ gravissima est, quæ nos, & Augustinenses, qui postre-
„ ma floruerunt ætate, a Thomistis, & ab iis, qui Ægi-
„ diani dicuntur, discriminat & divellit. Quibus hi ratio-
„ nibus innitantur, dictum est alibi. Ad hujus sententiæ
„ præsidium accedit quoque superius productum S. P. Au-
„ gustini testimonium, qui libro 12. de Civit. Dei cap. 9.
„ ait, *Voluntatem quamlibet bonam*, scilicet, adjutorio quo-
„ que gratiæ sufficientis suffultam, sive auxilio *sine quo*
„ *non* corroboratam, *inopem fuisse in solo desiderio reman-*
„ *suram, nisi ille, qui bonam naturam ex nihilo sui capa-*
„ *cem fecerat, ex ipso faceret implendo meliorem, prius fa-*
„ *ciens excitando avidiorem.* Enimvero excitationem illam,
„ qua sanctorum Angelorum voluntas *avidior* facta est,
„ quam fuit in prima sui conditione, in qua Deus in eis
„ creans naturam, & largiens gratiam contulit adjuto-
„ rium, sine quo perseverare non poterant, fuit proculdubio
„ Gratia ipso adjutorio *sine quo* robusta magis, atque ex-
„ cellentior. Vide infra additam notationem lib. 12. cap. 8.

CONTRARIA ARGUMENTATIO DILUITUR.

AT Angelos in puris naturalibus absque ulla gratia productos videtur evinci ex Scripturis, ex Patribus, & ex ratione. Nam Job IV. 18. ubi legit Vulgata: *Et in Angelis suis reperit pravitatem:* habet Hebræus: *Et in Angelis suis non posuit lucem:* Non ergo Angeli primitus supernæ gratiæ illuminationem receperunt. Item Augustinus 2. de Genes. ad lit. cap. 1. scribit Angelicam naturam primo *informiter* creatam, postmodum vero *formatam* esse, & *lucemque* appellatam. Et Gregorius lib. 32. Moral. cap. 18. Angelum malum creatum utique affirmat cum capacitate caritatis, *qua repleri posset, si voluisset*; non autem cum caritatis ornamento & signaculo. Etiam Joannes Papa cap. *Visis literis*. Tit. XVI. q. 2. ait: *Dolet enim satis diabolus, & erubescit caritatem, quam in cælis nequivit habere, homines constantes ex lutea natura, tenere in terris.* Quibus si addatur numerus veterum Scholasticorum docentium Angelos conditos sine gratia, nescio quodnam firmius monimentum possit accedere: hoc enim divina Scriptura, Patribus, ac Theologorum probatione suffultum est. Neque destituitur præsidio rationis. Gratia enim est medium inter naturam & gloriam: quemadmodum ergo Angeli non habuerunt in prima conditione cum natura gloriam, ita nec receperunt cum natura gratiam. Ita creatos Angelos in puris naturalibus vis auctoritatis rationisque suadet.

Resp. Ex neutro capite sententiam nostram labefactari. Præferenda quippe est in cap. IV. Jobi Vulgatæ lectio, maxime quod in Hebræorum Codice occurrit vocabulum תהלה *Tuhalah*, quod *lucem* pariter ac *stultitiam* significat, quamvis admissa ea lectione *In Angelis suis non posuit lucem*, possumus sic textum exponere: *Et Angelis non revelavit abscondita consilii sui*; nam & Chaldæus vertit: *Prophetis non credet arcana.* At Augustinus de prioritate naturæ ac rationis intelligendus est, cum eodem Opere lib. IV. cap. XXXII. doceat absque ullo temporis intervallo cælum ac lucem, naturam & gratiam habuisse principium, fuisse tamen hæc in cognitione Angelorum aliquo ordine, & unum alterum præcessisse, ut proxime cap. IX. explanabitur. Nam in XI. de Civ. Dei cap. XI. ait: *Simul ut facti sunt, lux facti sunt:* & seq. libro cap. IX. *Eos*, inquit, *cum bona voluntate creavit, simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam.* Aut dicendum creatos Angelos *informes* per Augustinum, non quidem comparate ad gratiam, sed relate ad plenitudinem beatitudinis, ad quam adhærendo Creatori suo pervenerunt, ut docet de Corrept. & Grat. cap. X. Hac ratione exponendus est S. Gregorius, qui dubio procul loquitur de Caritate consummata aut de justitia permanente: cujus nexu noluerunt Angeli mali adhærere cum Sanctis incommutabili bono sponte gratiam, quam acceperant, deserentes. Comparat propterea Gregorius eodem loco Angelos in prima conditione pretioso lapidi *habenti foramina præparata, quæ possint repleri auro:* repleri autem auro est perfici in caritate: aut si mavis Scholasticorum veterum tenere sententiam, sanctificante gratia exornari. In cap. *Visis literis* constat ex verborum antithesi idem esse *habere* ac *tenere*; ideoque non habuit diabolus in cælo caritatem & gratiam, quoniam non haberet, sua voluntate deseruit. Legitur præterea in nonnullis Codicibus *habere nequit* præsentis temporis: unde sensus esse potest, diabolum de recuperanda justitia desperantem Sanctorum hominum invidia ac malevolentia tabescere. Atque ita allatis auctoritatibus respondetur. Postrema enim ratio est nimis levis & fracta; quoniam gloria finis est, & confertur ut merces, ideoque naturam, & operationem meritumque consequitur. Contra gratia principium est recte agendi, eamque simul cum natura largitus est Deus, quia creaturam rationalem condidit ut recte ageret.

CAPUT VIII.

Quatenus juxta Augustini doctrinam Angeli etiam cum Beatitudine facti sunt.

SED oritur quæstio altera, an in prima conditione Angeli una cum gratia beatitudinem sint consecuti, dicente Augustino de Corrept. & Grat. cap. x. etiam diabolum, & angelos ejus fuisse beatos antequam caderent. Hoc Theologi de beatitudine naturali solent exponere. Est autem beatitudo naturalis, ut eam D. Thomas definit Q. 62. art. 1., *Ultima perfectio, quam rationalis creatura virtute sua naturæ assequi potest.* At beatitudo supernaturalis est *omnium bonorum aggregatio, quibus per dona naturæ superaddita rationalis creatura perficitur, ac plenissima expletur felicitate.* In beatitudine vero tres potissimum dotes sunt distinguendæ. Prima est, quod beati sunt recti per gratiam: altera quod absque ulla molestia præsentis boni delectatione fruuntur: tertia denique, quod immutabili bono tanta scientiæ, & caritatis plenitudine adhærent, ut certissime

me sciant se amplius non esse casuros. De priori S. P. lib. XI. de Civ. Dei cap. 12. *Quis enim primos illos homines in Paradiso negare audeat beatos fuisse ante peccatum, quamvis de sua beatitudine quam diuturna, vel utrum æterna esset, incertos? Esset autem æterna nisi peccassent, cum hodie non imprudenter beatos vocemus, quos videmus juste ac pie cum spe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere sine crimine vastante conscientiam.* De præsentis boni delectatione ait ibidem: *Quantum pertinet ad delectationem præsentis boni beatior erat primus homo in Paradiso, quam qualibet justus in hac infirmitate mortali.* Et lib. XIV. cap. 26. *Nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum: gaudium verum perpetuabatur in Deo, in quem flagrabat caritas ex corde puro, & conscientia bona & fide non ficta.* Denique de beatitudinis plenitudine lib. de Correpr. & Grat. cap. X. inquit: *Erat adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tamquam præmium ipsius permansionis acciperent, idest, ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia caritatis Dei cadere ulterius omnino non possent, & hoc de se certissime nossent.* Liquet hanc postremam dotem reddere beatitudinem completam, atque perfectam.

PROPOSITIO I. S. P. Augustinus nunquam asserit Angelos conditos esse beatos beatitudine supernaturali, quæ plenitudinem felicitatis nuper expositam complecteretur.

Legenti citato loco Augustinum liquatissima traditur veritas; ait enim illico: *Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant: sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine sine ullo vitio fruebantur.* Et lib. XI. de Civ. Dei cap. 13. *Cuivis jam non difficulter occurrit utroque conjuncte effici beatitudinem, quam recto proposito intellectualis natura desiderat; hoc est, ut & bono incommutabili, quod Deus est, sine ulla molestia perfruatur, & in eo se in æternum esse mansuram nec ulla dubitatione cunctetur, nec ullo errore fallatur. Hanc habere Angelos lucis pia fide credimus: hanc nec antequam caderent habuisse Angelos peccatores, qui sua pravitate illa luce privati sunt, consequenti ratione colligimus: habuisse tamen aliquam etsi non præsciam beatitudinem, si vitam egerunt ante peccatum, profecto credendi sunt.* Demum præcedenti cap. XI. veram perfectamque beatam vitam nonnisi æternam esse declarat, ac talem non fuisse beatitudinem angelorum malorum, quia quandoque desitura erat, sive id scirent, sive nescientes aliud putarent: scientes enim timor, nescientes error beatos esse non sinit. Itaque ex Augustino hæc depromitur argumentatio: Vera perfectaque beatitudo requirit, ut creatura rationalis cadere ulterius non possit, & hoc certissime sciat: Angeli non sunt creati cum tali luce & abundantia caritatis, ut cadere non possent, idque certissime scirent: Ergo Angeli in vera plenissimaque beatitudine creati non sunt.

Forte dices, Augustiniana sententia est omnia unico momento fuisse producta, & sex dies in Genesi enumeratos esse unum temporis instans, quod in sex dies partitur secundum diversam cognitionem Angelorum, in qua est vespere & mane, vespere ob cognitionem creaturæ in seipsa, mane ob cognitionem creaturarum in Verbo: sed cognitio matutina & in Verbo est cognitio, quæ habetur in beatitudine consummata: Ergo in illo instanti productionis universi Angeli consummatam beatitudinem habuerunt.

Resp. dilucide Augustinum lib. IV. de Gen. ad lit. cap. XXXII. & XI. de Civit. Dei cap. VII. doctrinam suam explicare, quæ minime quatitur istiusmodi oppositione. Compendio dicam, nam proximo capite audiemus Augustinum ipsum paullo accuratius. Unicum quidem instans est temporis, quo per Augustinum Deus cuncta simul creavit, neque huic instanti ex parte rerum creatarum dierum intervalla respondent. In mente autem Angelorum sunt quodam ordine cognitionis, qua sex dies Geneseos invicem distinguuntur. Principio creavit Deus naturam Angelicam *lucem*, hoc est, sapientia exornatam, & illuminatione, qua universam creaturam tamquam infra se positam in seipsa respiceret, & hæc cognitio est *vespertina*, quoniam versatur circa objectum, quod reddit illam mutabilem, non circa Dei Verbum, in quo sunt rerum omnium quæ temporaliter fiunt *sempiternæ rationes*. Jam habes *vesperam*. Deinde Angeli creaturam, quam in se factam intuentur, referunt ad laudem creatoris, in eoque delectantur: & ita illucescit & habetur cognitio *matutina*, qua Deo adhærent. En post vesperam *mane*. Ex cognitione itaque creaturarum & ex relatione earumdem in Deum concordissima unitate resultat dies ex *vespere & mane* conflatus; qui in tantum dierum numerum crescit, in quanta objecta Angelorum cognitio dirigitur. *Cognitio creaturæ in seipsa* (inquit S. P. lib. XI. de Civ. Dei cap. VII.) *decoloratior est, ut ita dicam, quam cum in Dei sapientia cognoscitur velut in arte, qua facta est. Ideo vespera congruentius, quam nox dici potest, quæ tamen, ut dixi, cum ad laudandum & amandum refertur creatorem, recurrit in mane. Et hoc cum facit in cognitione sui ipsius, dies unus est. Cum in cognitione firmamenti, quod inter aquas inferiores & superiores cælum appellatum est, fit dies secundus. Cum in cognitione terræ & maris, omniumque gignentium, quæ radicibus continuata sunt terræ, dies tertius: cum in cognitione luminarium majoris & minoris, omniumque siderum, dies quartus: cum in cognitione omnium ex aquis animalium natatilium atque volatilium, dies quintus: cum in cognitione omnium animalium terrenorum, atque ipsius hominis, dies sextus.* Hæc Augustinus. Ergo in cognitione angelorum malorum, qui in veritate non steterunt, neque ad Dei laudem & amorem conversi sunt, locum *matutina* cognitio non habet. In sanctis vero Angelis, qui sunt Auctore suo delectati, continuo factus est *mane*, & cognitio quæ elucescit in Deo ob rectum ordinem caritatis, cui tamquam merces reddita est plenitudo scientiæ, quam diximus spectare ad beatitudinem consummatam. Hæc vero non ad sex dies spectat, sed ad septimum, cui nulla advenit *Vespera*, qui etiam appellatur Sabbatum, idest, *requies*, quoniam, ut scribit cap. seq. Augustinus, *significat requiem eorum, qui requiescunt in Deo*. Itaque nego minorem: nam cognitio *Matutina*, cum sit contemplatio creaturarum relata in Deum, præcedit ordine causalitatis plenitudinem beatitudinis, qua Angeli in Deo creaturas ipsas absque peccandi periculo perceperunt.

Levioris est momenti, quod Deus creaturam corpoream in principio suæ conditionis constituit perfectam, ideoque & Angelis conferenda erat perfectio, quæ est plenissima beatitudo. Enim vero hæc beatitudo merces est perseverantiæ ac meriti, & consequenter debent ei natura atque operatio antevertere. Neque corporeis rebus statim cum perfectione naturæ ea perfectio collata est, quæ per illam operationem producitur: ut recte Augustinus lib. I. de Gen. ad lit. cap. 24. & S. Thomas q. 62. art. I. ad 2.

PROP. II. Augustinus dum ait Angelos conditos esse beatos, non loquitur de sola beatitudine naturali, sed potius de beatitudine supernaturali prout duas priores dotes comprehendit, gratiam scilicet, & sanctam delectationem, sive de beatitudine supernaturali inchoata.

Evidens & perspicuum hoc est. Primum namque S. P. de Correpr. & Grat. cap. X. de Angelis, quorum princeps est diabolus, ait miserrimos effectos esse, quoniam *Refugientes bonitatem, qua beati fuerant, non potuerunt ejus effugere judicium*. Hanc vero bonitatem, a qua defecerunt, justitiam originalem esse, sive hæc sit gratia sanctificans, sive rectitudo rationis cum bona voluntate castique amoris actu, nemo non videt. Bonitas ergo, *qua beati fuerant*, non erat beatitudo tantum naturalis, sed supernaturalis inchoata. Docet præterea S. P. eo loco, quod quemadmodum Angeli mali hanc bonitatem, in qua eorum sita erat beatitudo, refugientes effecti sunt miseri, ita Sancti Angeli in ea perseverantes meruerunt *beatitudinis plenitudinem, qua sunt beati, ut cadere non possint ulterius*: nullam vero perfectionem naturalem, & permansionem in ea meritum esse plenissimæ beatitudinis, est quidem ipso meridie lucidius. Deinde beatitudo innocentis creaturæ erat vita, qua fruebatur Deo, ex quo bono erat bona, non solum naturali cognitione, & amore, verum etiam caritate, qua flagrabat ex corde puro, ex fide non ficta, & cum spe futuræ commutationis, uti S. P. affirmat XIV. de Civ. Dei cap. 26. & XI. de Gen. ad lit. cap. 18. Quæ sane præter naturam rectam ac sine vitio creatam supernaturalia complectuntur beneficia, quæ Deus in Angelum hominemque liberali munificentia profudit *simul in eis condens naturam & largiens gratiam*. Nunc vero ad Scholasticam methodum me revoco. Beatitudo, quæ gratiarum dona complectitur, est beatitudo supernaturalis inchoata: Beatitudo, in qua rationalis creatura condita est, gratiarum dona complectebatur: Erat ergo beatitudo supernaturalis inchoata.

De hac beatitudine constat accipiendum esse quod Augustinus in lib. XI. de Civ. Dei cap. IX. ait Angelos participes lucis æternæ nunquam fuisse peregrinatos; & quod etiam Basilius in Psal. 44. & Greg. hom. 7. & Auctor de Eccl. Dogmat., qui tamen videtur quidam Semipelagianus, affirmant, Sanctos Angelos in accepta beatitudine perseverasse: idest, quatenus lucem & caritatem, quam initio receperunt, merito permansionis servarunt. Juvat hac ratione etiam excusare Ludov. Vivem, qui Comment. in præf. caput IX. scribit, *Angelos Sanctos semper fuisse in patria, ac semper faciem Patris vidisse*. In proximum enim caput XII. inhærens Augustino ait, *Angelos fuisse quodammodo beatos*, nondum tamen de ruina, aut de confirmatione sua certos: unde falsum est quod scribunt eruditi Thomistæ Gonet disp. XII. de Angelis §. 2. & Cardinalis Gotti Q. VII. dub. I., Vivem revera sensisse Angelos Sanctos fuisse creatos in beata visione, quam illi accipiunt pro visione *facie ad faciem*, sive plenitudine beatitudinis, quam profecto vides doctum virum Angelis non statim concedere. Nec recte præfati Thomistæ Augustini verba explicant de sola beatitudine naturali, quæ consistit, inquiunt, in altissima contemplatione Dei, ut Auctoris naturæ. Angelis enim non solam sine vitio naturam, sed etiam gratiam largitus est Deus, sive supernam illuminationem, & caritatem, qua possent adhærere Deo, sibique gloriam plenissimam promereri. De qua dumtaxat beatitudine rectam sine vitio naturam, & gratiarum dona complectente, arbitror Augustinum instituisse sermonem.

PROP. III. Cum explicata supernaturali beatitudine Angeli in prima conditione receperunt etiam beatitudinem naturalem, ut adversus Vasquesium Scotistæ ac Thomistæ propugnant.

Breviter argumento D. Thomæ probatur: Naturalis beatitudo est ultima perfectio, quam creatura rationalis natura sua potest consequi: Atqui Angelus creatus est cum omni naturali perfectione, quam suapte natura consequi poterat: Ergo Angelus in naturali beatitudine creatus est. Prob. min. siquidem hæc naturalis perfectio est perfectissima contemplatio Dei ut Auctoris naturæ, & rectitudo naturalis dilectionis. Atqui Angeli ab initio illam contemplationem & dilectionis rectitudinem habuerunt. Igitur, &c. Respondent quidam ex nostris rectum amoris ordinem in Angelis fuisse ex gratia: quod utique verum est, diligendo enim Deum, eique caritate adhærendo gloriam, & intuitivam visionem Dei adepti sunt. At præcisa gratia, licet non sit in amore creaturæ rationalis rectitudo illa specialis, qua Angeli ad plenitudinem gloriæ permansionis merito pervenerunt, non erat tamen inclinatio perversa; quoniam Deus condidit sine vitio naturam: quapropter rectus ille ordo per gratiam non ad naturalem beatitudinem pertinebat, sed ad beatitudinem supernaturalem; de qua præcedenti propositione.

AD QUÆDAM EX ADVERSO PUGNANTIA.

Verumtamen pro Sententia Vasquesii objicies I. Angeli in primo instanti certi non erant se unquam futuros esse miserrimos: at hæc incertitudo pœna est, animumque excruciat quammaxime, neque potest cum beatitudine conciliari.

Resp. 1. Angelos, etiamsi de futura ac perenni ipsorum felicitate fuerint incerti, habuisse tamen delectationem præsentis boni absque ulla animi pressura, propterea quod in suo erat arbitrio acceptam beatitudinem sibi perenniter stabilire. Deinde quoniam hæc facultas perseverandi in accepta beatitudine pertinebat ad gratiam, & ipsa beatitudo non solam naturam sine vitio, sed etiam bonam voluntatem & gratiam secum ferebat, respondetur cum Salmanticensibus, certitudinem, inamissibilitatem, & exclusionem cujusque timoris spectare quidem ad beatitudinem supernaturalem consummatam, quæ fuit merces perseverantiæ Angelorum Sanctorum, & quæ sola est status bonorum omnium aggregatione perfectus; minime vero plenissimam illam scientiam & securitatem necessariam esse ad beatitudinem naturalem, quæ est perfectio naturalis creaturæ ratione præditæ. Perennitas enim, & certissima incommutabilis boni possessio summum beneficium gratiæ est, non defectibilis creaturæ proprietas. Neque dicas, si naturalis beatitudo nihil sit ultra quam ultima perfectio naturæ, diabolus erit adhuc beatus. Etenim in eo extant quidem ac perseverant naturalia, intellectus nempe & voluntas; sed his mala illius voluntate accessit vitium, & inclinatio ad malum, nec non ob deperditam dignitatem excrucians desperatio, horrendissimumque supplicium.

Objic. 2. Si Angeli conditi fuissent cum beatitudine naturali, non potuissent mereri; beatitudo enim est terminus & ultima creaturæ intellectualis perfectio; creatura autem in termino constituta mereri omnino non potest.

Resp. Nego naturalem beatitudinem esse terminum *simpliciter* creaturæ rationalis, in quo tollitur indifferentia & libertas ad meritum, vel demeritum: sed est terminus, ut inquiunt, *secundum quid*; eo quod præter debitam sibi perfectionem potest rationalis creatura aliam nancisci, quæ ad gratiam gloriamque pertineat, & in qua si nequeat ulterius perfici, vera ac propria ratio termini sita est.

Ultimo argues: Posse propriis meritis consequi beatitudinem major est creaturæ intellectualis perfectio, quam beatitudinem habere gratis collatam, & dono creationis concessam: Ergo ex quo Deus perfectas condiderit rationales creaturas, non debuit eis beatitudinem conferre aliquam, sed solam facultatem, qua per vires proprias sibi illam possent comparare.

Resp. Falsam esse majorem: nam etsi posse consequi beatitudinem supernaturalem haud minima sit creaturarum intellectualium perfectio, liberum scilicet arbitrium supernæ gratiæ adjutorio suffultum; major tamen perfectio est habere naturalem beatitudinem ex vi creationis, atque sine meritis comparandam. Id enim magis convenit cum beatitudine Dei, quæ cum sit perfectissima, nullo tamen merito acquiritur; sed divinæ naturæ conjunctissima est, ac penitus indivulsa.

CAPUT IX.

Explicatur quomodo juxta Augustinianam Theologiam Angelica peragatur cognitio.

ACTURUS, posteaquam de Angelorum natura & creatione disserui, de duabus proprietatibus singillatim, quibus pollet intellectualis substantia, idest de vi intelligendi ac volendi; cum nihil frequentius audiatur in Theologicis concertationibus, quam Angelos objecta percipere per *species* creatas inditas sibi ab Auctore naturæ; id vero etiam Augustini præceptis communi fere sententia judicetur esse concordissima veritate conjunctum; danda opera est, ut Sancti Patris defæcatam purissimamque doctrinam e suo fonte, non ex inquinatis rivulis hauriamus.

Principio itaque indubitatum est Angelos non cognoscere per *species* acceptas a rebus, sed per inditas, connaturales, & innatas: quod etiam docet S. Thomas q. lv. art. 2. & q. lviii. art. 7. Tradit id Augustinus lib. ii. de Gen. ad lit. cap. 8. ubi ait: *Quemadmodum ratio, qua creatura conditur, prior est in verbo Dei, quam ipsa creatura quæ conditur: sic & ejusdem rationis cognitio prius fit in creatura intellectuali, quæ peccato tenebrata non est, ac deinde ipsa conditio creaturæ. Neque enim sicut nos ad percipiendam sapientiam proficiebant Angeli, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicerent, qui ex quo creati sunt, ipsa Verbi æternitate sancta & pia contemplatione perfruuntur, &c.* Cujus rei caussam affert lib. iv. cap. 32. *quia mens Angelica, posteaquam eo ordine creata est, ut præcederet cetera, prius ea vidit in Verbo Dei facienda, quam facta sunt.* Quidquid enim cognoscitur debet præcedere cognitionem; ideoque creaturæ quæ cognoscuntur ab Angelis, antequam viderentur in seipsis, præcedebant quodammodo in arte, qua factæ sunt, idest in Verbo, in quo sunt omnium quæ temporaliter fiunt, æternæ rationes. Hujus autem Verbi participationem habuerunt statim, ac facti sunt, Angeli, quatenus creati fuerunt cum participatione incommutabilis lucis, in qua rationes illæ rerum universarum continentur: quomodo S. Pater docet eodem lib. 4. cap. 24.

Hæc participatio *lucis*, sive illuminatio Angelorum est medium, in quo singula objecta percipiunt, ita ut *species* ingenitæ & innatæ, quas diximus, non sint accidentia quædam creata, sed ipsamet lux incommutabilis & divina, in qua invariabiles rerum omnium rationes effulgent. Equidem hanc solam lucem certissimam cognitionem parere, eaque creatas mentes de omni vero firmissime judicare, pluribus demonstrat S. Pater, ut vidimus libro primo; in quo ostendimus notitiam rerum, quam scientiam appellant, certam scilicet, evidentem, & quæ aliter nequit se habere, ex medio creato, quod contingens est ac mutabile; nullatenus comparari, nisi prout creaturarum præsentia ad immutabilem lucem convertimur. Atque hanc participationem sempiternæ lucis Angelos habuisse a principio ita Augustinus declarat lib. xi. de Civ. Dei cap. ix. *Profecto facti sunt participes lucis æternæ, quæ est ipsa incommutabilis sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, quam dicimus Unigenitum Dei filium.* Quare ipsa lux divina affulgens menti Angelorum est medium cognitionis Angelicæ: ideoque non cognoscunt per *speciem* aliquam creatam, nisi forte *speciem* creatam dixeris affectionem, & *qualitatem* productam in mente Angeli participatione ac fulgore hujus lucis.

Nec tamen hæc lux immutabilis reddit statim Angelos beatos visione Dei per essentiam. Triplici enim ratione divinum lumen rationalibus creaturis affulget; primo ut principium cognitionis naturalis, & tamquam lex secernendi verum a falso in his, quæ ad naturæ ordinem pertinent; ut dum irradiatur mens idea creaturæ, æqualitatis, similitudinis, &c. & hæc irradiatio est criterium veritatis, de quo alibi disputavimus, sive *lumen rationis*. Deinde affulget, ut principium cognitionis supernaturalis exhibens menti ea, quæ excedunt naturæ ordinem, sub aliqua tamen caligine, & in plurium objectorum permixtione; ut quando illustratur mens revelatione mysteriorum Trinitatis, vel Incarnationis: atque hæc illustratio est sancta illuminatio, sive *lumen gratiæ*. Tandem affulget aliquando lux illa divina convertens plenitudine luminis mentem in semetipsam, ac tanta claritate sese manifestat, ut non possit inde cogitatio divelli; & hæc manifestatio est caritas patriæ, seu *lumen gloriæ*. Quapropter Angeli videntes in incommutabili sapientia statim, ac facti sunt rerum creatarum *rationes*, non proinde fruebantur visione, quam vocant beatificam; quia incommutabilis lucis participes facti sunt primo & secundo modo, non tertio. Atque hinc est, quod male quidam inferunt fore omnes homines beatos, si vera esset sententia nostra quod non habeatur vera scientia nisi per legem æternam, & lucem incommutabilem.

Ergo hac ratione juxta Augustinum cognitio Angelorum peragitur. Facti enim in prima sui conditione participes lucis, *quæ est ipsa incommutabilis Sapientia Dei*, ab illo se productos esse noverunt, & Conditoris sui, in quo universæ creaturæ rationes consistunt, proculdubio perceperunt existentiam & proprietates, quæ lumine rationis, aut gratiæ elucescunt. Utraque enim luce collustrati sunt; *lumen quippe verum quod illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem, hoc illuminavit omnem angelicum mundum, ut esset lux, non in semetipso, sed in Deo*; idest participatione lucis, a qua si avertitur, Angelus fit immundus. Lege lib. xi. de Civ. Dei cap. ix. & in iv. de Gen. ad lit. cap. 24. Augustinum. Ibi vero S. P. dilucide explicat, quo modo Angeli hac eadem luce, tamquam infra respicientes propriam naturam, ac deinceps creaturas omnes corporeas ordine quodam cognitionis agnoverint.

Sed quoniam lux illa rationes exhibet rerum, non particularia quæque repræsentat; ut Angelus cognoscat res singulares, existentes, sive *prædicata*, uti loquimur βαρβαρικῶς, *accidentalia* existentiæ, loci, aliorumque adjunctorum, necessum est, ut lux illa universalis in homine Angeloque ab

ab objecto determinetur; ita ut nisi hanc determinationem intellectus creatus mutuetur a rebus, nequeat singularia percipere per ideam illam ingenitam sola *prædicata essentialia* exhibentem. Determinatur autem ipsarum rerum creatarum præsentia. Quod & ab Augustino traditum animadverti, & propria mihi ratio suadet. Etenim S. Pater lib. v. de Genes. ad lit. cap. xix. ait creaturam Angelis apparere *quando efficitur, atque propalatur*. Et cap. 32. libri præcedentis docuerat cognitionem *vespertinam* sive creaturarum in seipsis in Angelo factam esse per earum productionem, & postquam Dei Verbum dixerat, *Fiat. Ac sic prius*, inquit, *in ejus fiebant cognitione, cum Deus dicebat ut fierent, quam in sua propria natura: quæ itidem facta in eis ipsis etiam cognovit, minori utique notitia, quam vespera dicta est*. Et ratio est, quia existentia, locus, & prædicata quæque accidentalia non relucent in idea rerum, quæ est *ratio* intelligibilis, & quædam quasi mensura communis judicandi de qualibet veritate. Quare etiamsi Deus creaturas in seipsis absque ullo medio percipiat, ejus tamen cognitio non *vesperascit*, quoniam non coarctatur rerum præsentia, neque ideo videt creaturas quia factæ sunt; quum eadem ratione perciperet illas, priusquam fierent, in sua æternitate, in qua nihil præteritum est, aut futurum. Alius modus, cur Angeli creaturas in particulari videant, assignari non potest: siquidem nequit res corporea spiritualem substantiam afficere in ipsam agendo radiis, affluviis, corpusculis, & sensibili qualitate: aut si forte alius modus assignatur, is quidem extra Augustinianam Pneumaticam conformatur.

Atque ex his nedum habes quomodo in Angelis intellectio perficiatur, sed etiam quid sit illorum cognitio *matutina*, ac *vespertina*; de qua plura hominum figmenta & legimus, & audivimus. Igitur cognitio *vespertina* Angelorum est cognitio rerum existentium in propria natura, cujus *prædicata accidentalia* percipiuntur per ideam ingenitam determinatam ad singularia per illorum præsentiam, nondum huic cognitioni addito ordine relationis in Deum: cognitio vero *matutina* est, quando scientia Angelorum non remanens in creatura refertur in laudem & caritatem Dei, in cujus luce incommutabili sunt æternæ rerum faciendarum *rationes*: hoc enim ordine mens Angelorum ad veritatem, & ipsam Dei sapientiam convertitur, & eorum cognitio *illucescit*, & recurrit *in mane*. Quod cum Angeli sancti de cognitione creaturarum in laudem Creatoris assurgentes impleverint, dicuntur in veritate stetisse; ac merito permansionis accepta plenitudine sapientiæ, ob quam lumini rationis & gratiæ additum est lumen gloriæ, consummatam consecuti fuerunt beatitudinem. Sed hæc ab ipso Augustino citatis locis poterunt evidentius cognosci: nos enim hæc summatim attigimus, quæ sorbere animo, & bibere ex ipso fonte non pigeat.

CAPUT X.

Angelos non intueri occultas aliorum cogitationes.

NON levis nunc occurrit dubitatio, quam nescio num possit quis enodate explicare, Eccur Angelis cogitationes & cordium secreta non pateant, si determinata hæc existant, neque ordinem naturalem excedant. Quæstio admodum perplexa est, animumque omnium pulsare debet, sive legem dirigendæ cognitionis angelicæ flamas cum Augustino in *participatione lucis incommutabilis*, sive in creata aliqua *specie*, ut placet Scholasticis. Sed nos, ut decet se gerere in rebus dubiis, quæ magis ad veritatem accedunt eligentes, minus probabilia aut brevi recitabimus, aut suis auctoribus relinquemus.

PROPOSITIO: Angelis non innotescunt secreta cordium, variæque, cur ea ignorent, a Theologis probabiles caussæ afferuntur.

Videtur prima pars nihil habere dubitationis, & prope ad fidem accedit. Probatur autem adversus Hervæum, Durandum, & Antonium Le-Grand Scripturarum Patrumque præsidio. In III. enim Regum VIII. 39. legitur: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum*. Hierem. XVII. 9. 10. *Pravum est cor omnium, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes*. Et Apost. ad Hebræos IV. 12. Verbo Dei tamquam singularem characterem tribuit, quod sit *pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis*. Quibus responderi nequit peculiare esse solius Dei omnes hominum cogitationes scrutari, Angelorum vero præsentes tantummodo: primo quia de omnibus indiscriminatim Scriptura loquitur. Deinde quoniam in tertio Regum loquitur Salomon de intentione eorum, qui Deum orant, ideoque de cogitatione præsenti, quam tamen solum Deum noscere ait: & Apostolus duo attributa ex æquo Deo tribuit, pertingere ad divisionem animæ ac spiritus, idest mentem a pravo rerum terrestrium removere appetitu, & cælestium desiderio superna caritate inflammare; atque cogitationes, intentionesque cordis discernere: at non pertingit ad divisionem animæ ac spiritus in aliqua cordis affectione præsenti quidem animumque trahente ulla vis naturalis humana aut angelica: Ergo neque ad aliquam cordis intentionem discernendam pervenit creata virtus & mens Angelorum.

Accedunt Patres, quorum testimonia nequeunt ulla ratione contorqueri. Chrysostomus hom. 4. in Mat. ad ea verba, *Hæc autem eo cogitante, Angelus in somnis apparuit Joseph*, inquit: *Hoc signum fuit certissimum illum a Deo missum fuisse Angelum: quippe solius Dei est arcana cordium nosse*. Loqui vero Chrysostomum de cogitatione præsenti, idest de ea, quæ menti Sanctissimi Joseph obversabatur, nemo unus negabit. Et quæ Nathanael Joan. I. 47. habebat in corde, dum ei Christus ait, *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est*: quæ etiam egerat cum Philippo cum esset sub ficu, jam determinata erant & actu posita: Et tamen Cyrillus Alexandrinus libro I. in Jo. ait Nathanaelem respondisse, *Tu es filius Dei*, quoniam *noverat solum Deum scrutatorem esse cordium, nec ulli alteri hominis mentem patere*. Neque diversa est Latinorum traditio. Nam Ambrosius in cap. v. Lucæ de Christo scribit: *Dominus occultorum cognitione Deum se esse demonstrat*. Hieronymus in 9. Matth. super illa verba, *Dominus videns cogitationes eorum*, inquit: *Ostendit se Deum, qui possit cordis occulta cognoscere*. Augustinus denique serm. 234. de Tempore hæc de Sancto Jobo habet: *Colebat Deum, faciebat eleemosynas; & quo corde fiebat, nemo sciebat, nec ipse diabolus, sed Deus noverat*. Atque in Psalmum 41. exponens ea verba, *Abyssus abyssum invocat, Loqui*, ait, *homines possunt, videri possunt per operationem membrorum, audiri in sermone: sed cujus cogitatio penetratur? cujus cor inspicitur? Quid intus gerat, quid intus possit, quid intus agat, quid intus disponat, quid intus velit, quid intus nolit, quis comprehendet? puto non absurde intelligi abyssum hominem*. In his animadverte præcludi aditum Durando reponenti sermonem non fieri de cogitationibus actu positis, cum e contra nonnisi de præsentibus Patres speciatim pertractent; præsens quippe erat occulta murmuratio Pharisæorum, de qua Lucas cap. v. præsens cogitatio Scribarum, de qua Matth. cap. IX. præsens intentio Jobi, dum eleemosynam largiretur. Omnes autem cogitationes non actu animo hærentes esse soli Deo manifestas non opus est demonstrare.

Valida hinc eruitur ratiocinatio: Pharisæorum Scribarumque cogitationes præsentes erant, & Christus eas videndo se verum Deum esse commonstravit: Cogitationes ergo, quamquam præsentes sunt, intueri est solius divinæ mentis scrutantis renes & corda. Atque hinc est, quod hoc argumento pro Christi divinitate contra pervicaces Arianos a PP. pugnatum est, præsertim a Fulgentio in libro ad Trasimundum secundo.

Digitum nunc intendo ad placita Theologorum varias hujus dogmatis rationes proferentium. Scotus in II. dist. 9. q. I. contendit cogitationes liberas esse objectum habens cum mente Angelorum proportionem, neque illorum vim intellectricem excedere; sed ideo non posse cognosci, quod Deus suum subtrahat concursum: idque explicant aliqui comparatione ignis Babylonici, quo tres pueri non fuerunt combusti. Quæ opinio obstruit os memorati Cartesiani Le-Grand, qui cap. 3. Dæmonologiæ probat Angelos posse percipere hominum cogitationes, quia inter mentis perceptionem, & determinationem voluntatis proportionem necessum est reperiri: quod Subtilis Doctor toto capite annuit. At id ego a Scoto peterem, Eccur Deus hac in re deneget concursum suum, quem non solet in naturalibus operibus nisi perraro subtrahere: & num interveniat mirabile portentum quotiescunque Angeli cognitionem illam non capiunt, sicut miraculum fuit sine combustione consistentia ignis in fornace Babelis.

S. Thomas affirmat ideo Angelos aliorum cogitationes nequaquam percipere, dummodo sint liberæ, *quia voluntas rationalis creaturæ soli Deo subjacet, & ipse solus in eam operari potest, qui est ejus principale objectum ut ultimus finis*. Ita docet q. 57. art. 4. Hanc D. Thomæ rationem PP. Salmanticenses satis enodate explicant, dicentes Deum in constitutione universi ita singulas aptasse caussas, ut universales moverent alias ad effectus, qui spectant ad universi ordinem & armoniam: ideoque Angeli, qui respectu hominum superiores caussæ sunt, ea naturali virtute possunt cognoscere, quæ attinent ad illum ordinem; minime vero secreta cordium, quæ non pertinent ad ordinem universi, sed ad alium sublimiorem, idest Deum ultimum rationalis creaturæ finem. Hæc vero non videntur prorsus spernenda: enim & corporeis creaturis constitutus sit terminus quidam actionis, extra quem vagari non possunt, & qui ea tantum complectitur, quæ ad illas pertinent singillatim; nec a suprema caussa moventur, nisi in propositum sibi finem. Inquiro tamen, cur saltem non percipiantur cogitationes illæ, quæ ad Deum ultimum finem non diriguntur, sed in alium, & quandoque adversum, contrariumque propendent: & quare ad ordinem universi pertineant tam creaturæ necessariæ, quam liberæ, non autem ea, quæ ab istarum voluntate dependent, & naturæ ordinem non excedunt.

Noster Ariminensis in 2. dist. IX. q. I. affirmat ideo Angelos aliorum cogitationes non intueri, quoniam licet intelligibiles sint, deest modus quo ad eorum mentem perveniant.

veniant. Quemadmodum enim, ut sensibile percipiatur, non sufficit quod sit sensibile, sed ulterius opus est, ut ejus imago, & idolum ad sensitivam potentiam proxime accedat: ita, ut cognoscatur intelligibile, non sufficit quod tale sit suapte natura, sed etiam requiritur, ut intellectivæ facultati proxime inhæreat. Nec sufficit objecti ac potentiæ propinquitas; nam etiamsi duæ animæ rationales a Deo in eodem corpore crearentur, una tamen non cognosceret secretam cogitationem alterius, propterea quod secreta cogitatio unius alteri non inhæreret. At Gregorius hæc fortassis persuadebit Peripateticis, quorum philosophiam egregie illustravit, non iis, qui perceptionem putant nihil aliud esse, quam rem, cujus ideam habemus, menti exhibitam intueri præsentem, neque aliud ad puram cognitionem requiri, præter præsentiam objecti, ideam ingenitam, animique advertentiam; sensationi autem hoc ulterius accidere, quod res materiales, ut præsentes menti reddantur, debeant exteriora organa afficere. Imo & Peripatetici aliqui interrogabunt, quare sensibile suæ potentiæ debite proximum *vicaria specie* illam vellicet, excitetque; neque idem præstet cum facultate intellectrice objectum intelligibile.

Ego itaque si de re occultissima philosophari fas est, dico Angelum posse naturaliter cognoscere alios Angelos cogitare, non vero quid cogitent. Quod possint cognoscere alios Angelos cogitare mihi reveta probatur, ex quo ad perceptionem tantum requiratur acies mentis, idea rerum, & objecti præsentia, quæ omnia hic habentur: atque hac in parte probo sententiam Scoti, & Antonii Le-Grand: quod autem aperte non cognoscant quid cogitent, id erit, quoniam præsentia objecti determinat ideam innatam ad percipiendum duntaxat rei existentiam, non modificationem, quæ cum existentia necessariam non habet connexionem, cujusmodi sunt liberi animorum affectus. Nam sicut in congenita rerum creatarum ratione videri nequit actualis existentia, ad quam illæ sunt prorsus indifferentes; ita ex præsentia cogitationis percipi non valet objectum, in quod ea fertur libere & contingenter. Ad quam sententiam proxime accedit Romanus Ægidius, qui ait Angelos aliorum cogitationes videre quidem, sed non quantum *ad compositionem terminorum*: quod Thomas de Argentina explicare nititur exemplo vocis. Etenim, inquit, si vox aliqua sit indifferens ad plura significanda, dum aliquis eam profert audio illum loquentem, quid autem loquatur ignoro: ita cum possit per eamdem *speciem* cogitare rem bonam agere vel non agere, aut malam fugere vel non fugere, Angelus, quem conversio mentis meæ in illam *speciem* non latet, videt me cogitare rem bonam vel malam, sed minime intelligit an rem cogitatam voluntas rejiciat, vel approbet. Potest cum his conciliari Henricus Gandavensis, qui ait ideam & apprehensionem habere universale & singulare objectum, & consequenter Angeli, licet videant conceptum alterius prout versatur circa universale objectum, illum ignorant quatenus ad singulare dirigitur. Verum qui rem acu attigerint, operosum arduumque est definire.

Hoc unum tamquam certissimum tenendum est, perpaucos esse humanæ voluntatis affectus, qui per motum spirituum, notasque non prodantur externas; cum & nos hominis iram, mœrorem, gaudium, aliasque animi concitationes interdum agnoscamus ex vultu. Multo magis hæc omnia Angeli ex corpore, oculis, & fronte pernoscent: sunt enim longe perspicaciores Socrate, quem aliqui, ut in libro de Fato narrat Cicero, notaverunt *Physiognomon*. At de cogitatis, quæ exterius non produntur, fieri novimus bene longas satisque litigiosas disputationes.

SATISFIT OPPOSITIONIBUS.

Opp. 1. Gregorius in Moralibus lib. 3. cap. 154. ait quod in beatitudine resurgentium *unus homo erit perspicabilis alteri, sicut ipse sibi*: Ergo unus Angelus percipere potest omnia quæ sunt in altero, quemadmodum videt quæ sunt in se.

Resp. Duplex in homine inveniri impedimentum, ne aliorum introspiciat cogitationes, corpus nempe, ac voluntas ipsorum. Itaque Gregorius docet posse in resurrectione unum perspicere cogitatum alterius, si ei manifestetur, neque impedimento esse opacitatem corporis, quod erit perspicuum, lucidum, & splendore gloriæ exornatum. Cumque in ea felicitatis patria cives omnes sint perpetuo caritatis vinculo conjuncti, amici vero invicem secreta pandant, atque, ut in proverbio versatur, *os loqui soleat ex abundantia cordis*; procul erit in patria utrumque impedimentum. At hæc non valent de cogitatis, quæ aut libere occultantur, aut, utrum noscantur, ad perfectam societatem non attinet. Quæ responsio, tametsi ajunt ea verba in Moralibus Gregorii non reperiri, retinenda est ob alias consimiles Patrum sententias, præsertim quod & legitur Gregorii textus articulo IV. quæst. 70. S. Thomæ.

Opp. 2. Basilius libro de vera Virginitate puellas hortatur ut Angelorum præsentiam revereantur, cum percipiant cœlestes Spiritus quidquid virgo cogitat, animoque contrectat. Resp. Basilium sancte, pieque locutum, tum consuetudine hortatoriæ orationis, in qua interdum limitandæ occurrunt sententiæ; cum etiam quod signis corporeisque impressionibus foras affectus erumpant, maximeque voluptatis, ad quos carnalis sequitur titillatio.

Opp. 3. Diabolus introit in cor hominis: scrutatur ergo secretas cogitationes ibi latentes. Prob. ant. ex verbis Jo. cap. XIII. 27. *Post buccellam introivit in eum Satanas*: &, *Cum diabolus jam misisset in cor ejus*. Et in Act. Ap. cap. 5. v. 3. legitur: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum?* Ingreditur ergo dæmon humani corporis penetralia.

Resp. *Missio ista spiritalis suggestio est, neque fit per aurem, sed per cogitationem, ac per hoc non corporaliter, sed spiritaliter. Sed quomodo fiat, ut diabolicæ suggestiones immittantur, & humanis cogitationibus misceantur, ut eas tamquam suas deputet homo, unde scit homo?* Ita S. P. August. Tract. LV. in Joannem. Loca ergo prædicta de suggestionibus malorum Angelorum sunt exponenda, non de perceptione alienarum cogitationum. Has vero suggestiones quomodo fiant laboriosum est definire, ut ait S. Pater; sed fieri dicuntur tamen affectione sensuum, motuque spirituum animalium: quare perfici nequeunt *nullo mediante nostri, suive corporis instrumento*, ut inquit serm. in Cant. V. S. Bernardus.

Opp. 4. Homines præditi sagacitate ac prudentia aliorum cogitata introspiciunt: Poterunt ergo eadem Angeli jure potiori conspicere. Resp. dist. antec. aliorum cogitata scrutantur quæ exterioribus indiciis, vultu, oculis, smutentibusque se produnt, conc. quæ nullum exhibent externum signum, nego. Priori modo, & perspicaciori etiam intuitu Angelos secreta cordium aspicere, nemo homo ibit inficias. Asserit id luculenti testimonio lib. de divinat. Dæmonum S. P. Augustinus. Neque quicquam efficit, quod in II. Retract. libro cap. 30., eadem repetens, scribat: *Rem dixi occultissimam audaciore asseverantia, quam debui*. Nam S. Pater non dubitat quin Angeli cognoscant cordium secreta, quando signa aliqua exprimunt; sed dubitat an ea percipiant sensibili, an spirituali virtute. Dubitavit enim aliquando, an dæmones subtilia quædam corpora habeant, quæ sensiles recipere valeant impressiones. Propterea ait: *Utrum signa quædam dentur ex corpore cogitantium illis sensibilia, nos autem latentia, an alia vi, & ea spirituali ista cognoscant, aut difficillime potest ab hominibus, aut omnino non potest inveniri*. Rem ergo incompertam dicit, num Angeli cogitationes istiusmodi sensu corporeo percipiant, sed has ad illorum pervenire notitiam, dum certis notis produntur, affirmat rem esse nonnullis experimentis comprobatam.

At, inquis, hæc non cohærere cum iis, quæ diximus cap. II. Augustinum in libris Retractationum priorem de Angelorum corpore deposuisse sententiam: quomodo ergo rursus de illorum sensatione anceps est? Primo memini me hæc non asseveranter protulisse. Deinde adhuc est locus dubitationis, an Angeli corporea sensatione sentire possint adinstar hominum, etiamsi corpora habeant non unita illis substantialiter, sed tantum assumpta. Nam si Peripateticos consuleris, affirmabunt in humano corpore animam objecta sentire, quoniam est illius corporis forma, eique naturaliter alligata est: ideoque carere sensu Angelos in iis corporibus, quæ pro lubitu movent, pervadunt, ac deferunt. At non deerunt, qui asserant, non esse quidem Angelos assumptis corporibus colligatos, propriasque horum formas; posse tamen motiones aliorum corporum vera sensatione percipere, quam haud vulgares philosophi sitam contendunt in sola mente, cui nervorum propagines, dum vel inflantur spiritibus animalibus, vel externorum corporum agitantur occursu, exhibent sensibilium rerum concitationem ac motum. Quare laudanda est Augustini summa cum eruditione modestia, dum ea quæ scripserat de sensione dæmoniorum dicta a se fatetur cum audaciore asseverantia, quasi dæmones aeria corpora habeant, idque sit exploratum: cum probabilius sit naturalia corpora non habere: atque utrum in assumptis exercere valeant officia sensuum, abstrusior sit disputatio.

Opp. ultimo: Angelus percipit ea, quæ sunt in hominis phantasia: quid prohibet ergo, ne conspiciat etiam, quæ menti obversantur?

Respond. Phantasiam non esse sejunctam a motione nervorum, qui per corpus undique distenduntur: liquet enim ejus vi impressiones quasdam in utero prægnantium mulierum ad fetus membra dilabi, itaut per gravidæ matris arterias in illa maculæ, notæque variæ inferantur. Ergo ex hujusmodi agitatione tendinum, notarumque impressione dignoscitur quid in phantasia, sive imaginatione versetur, tamquam ex sculpta figura percipitur forma & incisio sigilli. Quod si dixeris majorem esse proportionem inter intellectum angeli & cogitationes animi, quam inter eumdem intellectum & imaginationis effecta; dico non proportionem obstare quin Angeli aliorum cogitata conspiciant, sed manifestationem liberam cogitantis, quæ an fiat directione aliqua, an occultis quibusdam signis, capite proximo differetur. Excellentior autem facultas, quæ spiritualia cognoscit, potest multo magis percipere res corporeas, quippe virtus inferiorum majori perfectione in superioribus continetur.

CA-

CAPUT XI.

Quomodo unus Angelus alteri cogitata sua manifestet, atque spiritus inter se colloquantur.

HOC mihi præstare necesse est, ut videamus quomodo Angeli loquantur invicem, & mentis cogitationes, quæ ceteris sunt ignotæ unus uni patefaciat: quod assequi sine summa difficultate non possumus. Irridet quidem nos Beza Comment. in Epist. ad Galat. quod de Angelorum *lingua* instituamus disputationem: sed facile est homini hæretico Scholasticos urgere convicio. Nemo siquidem nostrum tribuit Angelis linguam in ore sitam, septam dentibus, pressique soni effectricem; sed spiritalem sermonem, de quo Paulus in 1. ad Corinth. XIII. ait: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum:* hoc est, *Quamvis ita loquar, ut Angeli inter se colloquuntur, & quomodo inter se differunt, & Deum laudant*; inquiunt Chrysostomus ac Theodoretus. Videndum ergo quid sit hæc Angelorum *lingua*, & quo pacto spiritalia exprimat verba, dum Angelus Angelum alium alloquitur.

PROPOSITIO I. Datur quædam inter Angelos locutio, nec aliud est quam directio cogitationis unius Angeli ad alterum.

Ad præcitatum Apostoli textum accedit alter Isaiæ VI. 3. *Et clamabant alter ad alterum*. Necnon Judæ in sua Canon. v. 9. *Cum Michael Archangelus altercaretur cum diabolo &c.* Postulat quoque aliquam inter cives cælestes collocutionem perfecta eorum societas. Illam vero nihil esse præter spiritualem unius cogitati ad alium directionem, & ratio, & auctoritas comprobant. Ratio, quoniam nequit esse inter Angelos sermo ex ore labiisque formatus, sed alterius generis nostro ἀνάλογος, & quo nos interdum loquimur corde. Auctoritas, quoniam Augustinus, cui Patres alii subscribunt, in XV. de Trinit. cap. 10. inquit: *Foris enim cum per corpus hæc fiunt, aliud est locutio, aliud visio: Intus autem cum cogitamus, utrumque unum est. Auditio, & visio duo quædam sunt inter se distantia in sensibus corporis; in animo autem non est aliud videre, & audire: ac per hoc rum locutio foris non videatur, sed potius audiatur, locutiones tamen interiores videntur.* Ex quibus non solum apparet veritas propositionis, verum etiam constat Angelos loqui cum Domino, quando se se, vel creaturas alias contemplantes in Dei admirationem, & laudem consurgunt; Deum vero elloqui Angelos, quotiescunque intime voluntatem suam illis aperit; ut in II. Moralium cap. 5. docet Gregorius. Nobis autem, idest animabus corpori junctis, nihil dubitationis est, quin verba faciant in meatus auditorios vibratum aerem mittentes, quo concutiuntur membranulæ, sive id efficiant corporalibus instrumentis, sive imitando naturam, sublatis corporibus, aerem impellentes ac verberantes. Liquet etiam ad locutionem Angelorum non satis esse quod cogitent, sed ulterius requiri, ut cogitatio unius Angeli dirigatur ad alterum; alias quidquid Angelus cogitet, loqueretur, nec posset alteri suas occultare cogitationes: quod fuit præcedenti capite refutatum.

PROPOSITIO II. Quomodo peragatur hæc Angelorum locutio, seu directio cogitatorum occultum est, & reconditum; videtur autem perfici spiritualibus signis, sed quænam ista sint, ignoratur.

Me non latet S. Tho. q. 107. art. 5. confugere ad actum voluntatis Angelicæ, cujus determinatione conceptus mentis fiunt manifesti. Quod verissime dictum puto: sed in hoc tantum mens peritus non quiescit. Primo enim, si cogitationes manifestæ fierent per solam voluntatis determinationem: foret quælibet libera voluntatis determinatio per seipsam nota; atque ita nullus Angelus posset alteri secreta cordis abscondere. Directio præterea voluntatis sufficit quidem, ut Angeli cogitationes suas proponere & declarare decernant; sed quo pacto id exequantur, nondum planum fit: & vera est Divi Thomæ sententia, sed nodum plane non solvit. Agit de illa Estius lib. 2. dist. 7. §. 13. aliique D. Thomæ Interpretes, qui ajunt, ut loquitur aliquis ad semetipsum quando mens vertit se ad actualem considerationem rei intelligibilis, (nam conceptus mentis vocatur verbum internum,) ita alloquitur alterum, quotiescunque mentis perceptio per actum voluntatis in alterum dirigitur atque ordinatur. Verum quod animus, dummodo velit, in suis cogitationibus versetur, facile intelligo: sed quomodo voluntate sua, eaque sola, intima sibi cogitata alteri imprimat, id vero nec usu, nec ratione cognosco.

Hujus generis sunt placita ceterorum. Nam quod ait Durandus, colloqui Angelos impressa in æthere voce, verum fortasse erit dum in assumptis corporibus locutionem quasi humanam exercent. Locutionem autem spiritalem ab omnibus Angelis audiri, autumat Scholasticus ille, veluti cum homo hominem alta voce compellat, aut præco exclamat in foro: Angelos enim aliorum mentem credidit introspicere, ut supra diximus. Olet hoc scitum Durandi, ut putida opinio Bezæ, negatque Angelicam collocutionem. Si enim allocutio est actio spiritualis substantiæ manifestantis cogitationes suas, quemadmodum locutio exterior est prolatio verborum conceptus intimos exprimentium: sequitur Angelos loquentes manifestare secreta cordium suorum; quamobrem si nullum inter spiritus secretum lateret, frustra illorum statueretur locutio.

Non videtur melioris notæ Ochami, aliorumque Nominalium opinio, dicentium Angelum loquentem suam in aliis cogitationem imprimere, efficienterque producere: quod temperat aliquantulum Scotus asserens non propriam revera perceptionem in mentem aliorum intrudere, sed intellectionem ejusdem objecti, quod ipse cogitat, versatque in animo. At non habet Angelus vim aliquam producendi in alia creatura spirituali per solam cogitationem suam illam eamdem *speciem*, seu *speciei* excitationem, qua ipse afficitur; cum in horum Theologorum sententia ab intellectu creato non producatur nisi *species expressa*, seu verbum mentis: & *species* aliæ, quæ cognitionem pariunt, sint vel a prima causa, vel ab intelligibilibus objectis. Deinde adhuc quærendum est, quomodo istiusmodi perceptiones ac *species* de una mente proficiscantur in alteram: constat enim ex dictis non sufficere solam mentis cogitationem, neque determinationem voluntatis; quæ duo seipsis aliorum menti cognita esse non possunt. Sed plura adversus Ochamum & Scotum in II. dist. IX. q. 2. Gregorius noster Ariminensis.

Quare his omnibus prætermissis eligimus sententiam eorum, qui ajunt Angelos loqui ad invicem per nutus quosdam nobis incompertos, sive signa aliqua spiritalia, quibus intimant sibi vicissim reconditas animi perceptiones: ut docent memoratus Ariminensis, Ægidius Romanus, Argentinas, Clictovæus, Canus, & alii plures, itant etiam Vasquesius de hac judicium istud protulerit: *Hæc sententia ceteris probabilior, neque ab eadem recedit S. Thomas in 2. dist. 11. quæst. 2. art. 3. ubi ait locutionem Angelorum fieri intellectualibus signis.* Atque probari potest verbis Anselmi, qui in cap. XIII. Epist. 1. ad Corint. inquit: *Linguæ, quibus Angeli loquuntur aliis, intelliguntur aliqui nutus, per quos intimant sibi vicissim quod voluerunt.* Deinde demonstratur ratione: Quotiescunque enim aliquid est in se immediate imperceptibile, nequit manifestari nisi per signa, sensibilia quidem, si manifestetur creaturis corporeis, spiritalia autem, si manifestetur spiritibus: Perceptiones mentium, intimique Angelorum affectus immediate ab aliis Angelis non videntur: Ergo per alique signa spiritalia, quæ sane nobis occulta sunt, patefieri debebunt. Ad hæc: objectum triplici tantum modo ab intellectu cognoscitur, vel immediate in seipso, vel per ideam aut speciem, vel per signa quædam instrumentalia: cogitatio unius Angeli non potest manifestari alteri neque per semetipsam immediate, neque per solam speciem ideamque, ut liquet ex dictis: debet ergo manifestari per signa aliqua, nutusque spirituales.

Opp. 1. Hæc signa, quibus Angeli loquuntur ad invicem, aut naturalia sunt, aut ad placitum: non potest dici quod naturalia sint, alias non libere, sed necessario colloquerentur; neque affirmari potest, quod sint ad placitum, quoniam deberent Angeli aliorum linguam addiscere, vel saltem inter se convenire circa hujusmodi signorum institutionem & usum. Nulla itaque sunt signa hæc spiritualia. Resp. naturalia quidem esse: at non inde consequitur Angelos necessario, semperque invicem loqui; quoniam signa naturalia libera possunt pro lubitu poni, & non poni, eo ferme pacto quo nos emittimus clamores, suspiria, risus, nutusque corporeos. Neque dum loquitur Angelus singuli illum audirent, nisi forte hæc signa exprimeret dum ceteri mentem in illum intenderent, quomodo homine hominem manuum aut capitis nutu alloquente, sermonem quisquis alio vertit oculos non intelligit.

Insistes denuo: Si Angeli per signa manifestant sibi invicem cogitata; poterunt etiam nobiscum per eadem loqui, quod certo minime fieri experimur. Resp. dubitari non posse, quin Angeli aliquando nobis bonas vel malas ingerant cogitationes: quod licet ut plurimum fiat corporali impressione, ex qua excitatur phantasia; non ausim definire, quod interdum menti nostræ non illabantur, signisque spiritualibus plura subjiciant, atque commemorent. Quoniam tamen hæc signa ignota sunt nobis, donec ab Angelis civili societate disjungimur; si Angelus in interiori corde aut pia hortatione, aut suggestione sagaci istud agit, illapsum potius dicemus, quam locutionem. Hæc autem locutio, per quam ab Angelis veritas manifestatur, dum mentem corroborat, panditque ea, quæ naturaliter innotescere nequeunt, appellatur etiam illuminatio. Ex quibus sequitur inferiorem quoque Angelum posse alloqui superiorem, sed non illuminari istum ab illo, quia is non pollet minori vi intelligentiæ. E contra illuminat superior Angelus inferiorem, & quilibet angelus hominem, dum fluenta scientiæ, quam habet perspicaciorem, veluti sol radios, effundit. Veruntamen si Deus inferiori Angelo aliquid singulariter revelaret, idque lateret Spiritus superiores, E. G. Gabrieli Electionem Mariæ in Deiparam; posset Angelus inferior etiam superiorem V. G. Michaelem illuminare: quamquam naturali ordine spectato probabilius sit Supremos Angelos quidquid e Deo percipiunt subjectis impertiri, ut quæst. 106. art. 4. docet S. Thomas.

CAPUT XII.

Quænam sit in Angelis futurorum eventuum naturalis cognitio: ubi de Idolorum Oraculis, & Dæmonum divinatione.

FUTURORUM plura sunt genera. Quædam ex necessaria caussa proveniunt, & cum ea rata & constanti lege nectuntur, ut cælestium orbium conversiones, vicissitudines temporum, itinera siderum, & solis, aut lunæ eclipses. Quædam caussas habent quidem naturales, sed multas & varias, quarum nexus, & concursio producit effectum contingentem; ut sunt pluviæ, tempestates, venti, morbi, & quotquot fortuita dicuntur. Aliqua ex libero pendent arbitrio, ut bona, vel mala opera hominum. Aliqua demum cum liberam, tum naturalem caussam habent, ut bella, privati mores, consuetudines, aliaque hujusmodi, quæ licet a voluntate dependeant, magnum tamen a cæli temperie, a qualitate locorum, a corporum constitutione habere videntur impulsum.

Quantum ad futura, quæ necessitate quadam a suis caussis proveniunt, cognoscuntur quidem ab angelis per certam scientiam, supposito quod illæ caussæ ab alia superiori minime impediantur. Verum absolute loquendo, non possunt firmissime ab Angelis præcognosci, quia suprema caussa aliquando statam naturæ legem immutat, sistit cælestium corporum motum, & influxum avertit. Etenim vivente Josue solem spatio unius diei constitisse legimus libro historiarum ejus cap. x. 13. quod ne interpretemus cum Maimonide & Grotio quasi dictum phrasi poetica, prohibet Eccli. 46. v. 5. & Is. 28. v. 21. Ad Esaiæ preces reductam umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus, narrat cap. 20. v. 11. quartus Regum: & consimile prodigium patratum meritis Christianæ Sanctimonialis Ordinis nostri quamplures tradunt historici. Eclipsim etiam solis neque in pleniluniis contingere, neque trium horarum durare intervallo, astrorum docet scientia; sed aliter moriente Christo evenisse testatur Evangelistarum consensus. Ceterum, nisi aliter suprema caussa disponat, hujusmodi futura Angelis ignota nequaquam esse fatemur: ideoque ad alia coarctanda est disputatio.

PROPOSITIO: Futura contingentia & libera ab Angelis naturali scientia certo prævideri, aut prænuntiari non possunt.

Assertum primo ex sacris literis probatur. Esaias cap. xli. 23. ita disceptat Dominus cum idolatris: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos.* Et cap. xix. 12. *Ubi nunc sunt sapientes tui? annuntient tibi, & indicent quid cogitaverit Dominus exercituum super Ægyptum.* Nemo itaque præter Deum potest infallibiliter futura prænoscere. Idem tradunt Patres. Tertullianus in Apolog. cap. xx. inquit: *Idoneum testimonium divinitatis est veritas divinationis.* Et Cyrillus lib. 4. in Joannem: *Nulli alii, quam uni ac soli naturali Deo futura nosse convenit.* Una autem est vox ceterorum.

Insuper probatur ratione. Futura enim, quæ subita, & in fortuna posita populariter dicuntur, non sunt in suis caussis certa ac determinata, alias non forent contingentia, sed necessaria: in suis ergo caussis nequeunt præcognosci. In seipsis vero non potest illa intueri intellectus creatus, qualiscunque ille sit; cum solus Deus ratione æternitatis, in qua omnia simul complectuntur, habeat objective præterita, & futura quæque præsentia: & hæc præterea videat in seipso, tanquam in caussa, cui nihil fortuitum advenit, vel contingens. Rursus cum istiusmodi futura ex concursione caussarum non ordinaria, sed insolita variaque oriantur; iccirco nequeunt cognosci, quia omnem creaturam latet, quomodo ex divina prædefinitione invicem diversæ caussæ concurrent: ac præterea incertum est, num istarum caussarum connexio solvenda sit alterius caussæ liberæ oppositione. Videmus quippe non raro Sanctorum precibus & improborum resipiscentia averti bella, pestilentiam, aliasque calamitates, quæ jamjam impendebant. Ea ergo, quæ revera contingentia sunt, (nam plura etiam necessaria videri possunt casu contingere ignorantibus aptitudinem caussarum) percipiant quidem Angeli probabili conjectura, at non perspicua firmissimaque notitia.

Futura autem, quæ aut libera sunt, aut cum libertate connexa, nullam definitam caussam habere, neque fato, & impellente necessitate evenire, unusquisque fatetur. Probat apertissimam hanc veritatem lib. iv. Hexameron cap. 4. S. Ambrosius, quoniam alias frustra leges essent propositæ, frustra pœna decerneretur iniquis, frustra securitas deferretur innoxiis, frustra agricolæ vomerem infigerent arvis, & manum curvæ falci admoverent. Versatur in ore omnium aliud argumentum: nam sæpe eodem loco, eodemque puncto temporis & horoscopo plures gignuntur, qui tamen moribus, vita, fortunisque sunt omnino dissimiles: & e contra plures eumdem exitum habent, etsi fuerunt sub diverso horoscopo procreati. Præclara sunt, & satis obvia tum profanarum historiarum exempla Procli, & Euristhenis Lacedæmoniorum Regum, qui eodem semine, eodemque fati momento impares omnino moribus, vita, exituque fuerunt; tum literarum Sanctarum, Jacobi & Esau, de quibus præclare Augustinus in v. de Civ. Dei cap. 4. *Tanta in eorum vita fuerunt, moribusque diversa, tanta in actibus disparilitas, tanta in parentum amore dissimilitudo, ut etiam inimicos eos inter se faceret ipsa distantia.* Astra itaque nonnihil in mores, ingeniumque nostrum conferre dicenda sunt; sed non semper ea sequitur liberi arbitrii propensio: unde Socrates cuidam cupiditates, & vitia ipsius divinanti fertur respondisse: *Hæc omnia a me prudentia ac virtutum auctoritate superata sunt, & quidquid vitii ex prava concretione corpus habuerat, animi bene sibi conscii divinitas temperavit.*

Opp. 1. Cognoscere futura contingentia non supergreditur rationalis animæ facultatem. Docent enim Gregorius in lib. iv. Moral. cap. 26. necnon Augustinus in xii. de Genes. ad lit. cap. 13. animæ, secundum quod a sensibus corporeis abstrahitur, competere, ut futura prævideat. In cujus rei confirmationem refert Gregorius quemdam legis peritum morti proximum, etsi haberet sepulturæ locum in Templo Transtiberino, prænuntiasse fore se post obitum apud S. Xystum sepulturæ mandandum. Ergo hæc futura facilius cognita habebunt Angeli a corporibus segregati.

Resp. Nego antec. quippe animæ, quæ abstrahitur a sensibus, & a corporeis vinculis jam divellitur, vis quædam inest percipiendi cælestium corporum impressionem, quam sensibus immersa dignoscere non valebat, & ex qua conjecturali experimento futura prænunciare solet, ut nos ex nube pluviam, & navis gubernator ex vento procellam. Neque aliud affirmant Patres. Ille ergo, de quo Gregorius, potuit ex aeris affectione conjicere pluvias imminere, ob quas cadaver tumulo apud Transtiberinos inferendum illuc minime deferretur; sed funeris curatores illud apud Divum Xystum injecta humo reconderent.

Opp. 2. In cælis omnia futura descripta sunt: Ea ergo Angeli ibidem conspiciunt. Prob. ant. ex Origene, qui in illud Genes. *Fiant luminaria, & sint in signa, &c.* ait in cælis descripta esse futura quælibet etiam contingentia, & fortuita: ut affirmant Sixtus Sen. lib. v. Biblioth. Annot. 15. & Eusebius in vi. de Præparat. Evang. cap. 9. Idem habetur in libro, qui inscribitur *Narratio Joseph*, magnæ apud antiquos auctoritatis.

Resp. Luminaria cæli esse tantum signa illorum eventuum, qui necessarii sunt, atque ex caussarum determinatione præfixa constantique proveniunt: falsam vero esse interpretationem Origenis, & nullius ponderis ac momenti librum prædictum, quem Athanasius in Synopsi rejicit tanquam apocryphum. Melius Aratus:

Idem illas hyemis venientis jussit, & æstas
Signa dare, & quando terras sit tempus arandi.

Opp. 3. Angeli tam boni, quam mali futura cujusque generis identidem prænunciarunt.

Respondet S. Joan. Damasc. lib. ii. de Fide Orthodoxa cap. 3. *Futura quidem, tametsi nec Dei Angeli, nec dæmones noriut, utrique tamen prædicunt, sed dispari modo. Angeli enim futuros eventus non aliter prædicunt, quam Deo ipsis quæ futura sunt detegente, quo fit, ut ea omnia eveniant, quæ ab ipsis prædicuntur. Dæmones autem ipsi quoque prædicunt, interdum videlicet, quia ea quæ procul geruntur, cernunt: interdum sola conjectura ducti; ex quo etiam efficitur, ut plerumque mentiantur.* Hæc Damascenus. Sed quum plura possint proferri ex idolorum oraculis, & dæmonum divinationibus, nonnullas subjicio præceptiones.

NOTATIONES QUÆDAM PERUTILES.

I. Ut Dæmones æmulatores divinitatis facilius homines ad idololatriam & superstitionem inducerent, cum optime noscerent solum Deum habere rerum futurarum plenam certissimamque scientiam, rati sunt callide in sui cultum ignaras cupidasque gentes adactum iri, si eis quoquomodo se futura præsentire auspiciis, oraculis & vaticinationibus suaderent. *Isti igitur impuri spiritus dæmones sub statuis, & imaginibus consecratis delitescunt, & afflatu suo auctoritatem quasi præsentis numinis consequuntur, dum inspirant vatibus, dum fanis immorantur, dum nonnunquam extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt plura falsitatibus involuta*, inquit Minucius Felix in Octavio: & S. P. Augustinus de Divinat. dæm. cap. 7. interdum etiam templorum suorum mala prædicere affirmat, *ut cultoribus suis suam quasi divinitatem commendent.* Igitur vel hæc sola malorum spirituum vafrities demonstrat notitiam futurorum veram esse notam divinitatis.

II. Cum idolorum Sacerdotes magnam auspiciis & oraculis gloriam & utilitatem captarent, credimus plura ab illis conficta esse: idque asserimus non sine plurimis, gravissimisque momentis. Non enim oracula ac divinationes coram & in propatulo habebantur, sed in antris, cryptisque templorum, nocturno quandoque tempore, adstantibus æditius, supplicibusque nidore victimarum, cursu in gyrum repetito, vestium mutatione, & horrore loci propemodum insanientibus. Et quidem plura oracula gentilitatis falsa esse scribit Origenes in vii. contra Celsum, Eusebius lib. iv. de Demonstratione Evangel. & alii, quos vide in

differt.

differt. de Oraculis Antonii Van-Dale. Neque soli Christiani hoc tradiderunt, verum etiam Jamblicus de Mysteriis Ægyptiorum lib. 1. cap. 11. Cicero in 2. de Divinat., & Demosthenes, qui Pythiam ait φιλιππίζειν, idest corruptam a Philippo res ad ejus nutum prædicere. Plura de his apud Cælium Rhodiginum lib. 11. Lect. Antiq. & Vossium lib. 1. de Idololat. cap. 6. Denique etiam ipsi idololatræ vaticinationes Deorum in contemptu habuerunt, ut Alexander pugnaturus adversus Persas, Hector apud Homer. in Iliade, Annibal in Plutarcho, aliique permulti. Valde itaque videtur probabile, idolorum oracula fuisse Augurum, & Sacerdotum inventa.

III. Si quæ tamen e mutis simulacris fuerunt afflante dæmone reddita, constat ex iis quoque, Angelos naturalis intelligentiæ acumine futura certissima non prænoscere. Scribit enim citato loco Tullius multa oraculorum illorum esse flexiloqua, *ut interpres egeat interprete, & sors ipsa referenda sit ad sortes*. In exemplo erit ambiguum illud Apollinis:

Perdet Crœsus Halyn transgressus maxima regna.

Ex quo colligi nequit, an perdenda fuerint regna Cyri & Persarum, an ipsius Crœsi potius, & Lydiorum. Item aliud ab eodem Apolline responsum Pyrrho:

Ajo te Æacida Romanos vincere posse:

In quo nemo non deregit amphiboliam. In his ergo dæmonum illusio atque inscientia deprehenditur.

IV. Alia interdum reddita sunt inapta magis ac frigida, ut cum Medi in Græciam irrumperent, Athenienses interrogarunt quid tanto impendente malo foret agendum, respondit que idolum, *ut mœnibus ligneis se munirent*. Id vero responsum quo valeret, cum intelligeret nemo, Themistocles, ut refert Cornelius Nepos, persuasit consilium esse Apollinis, ut in naves se, suaque conferrent; eum enim significari murum ligneum. Quare bene, ac sapienter de hoc oraculo scripsit in libro de Divinatione Maximus Tyrius; *Si illis temporibus Athenienses de his rebus non Deum consuluissent, sed virum prudentem, qui posset recte expendere vires, quæ ipsis aderant, & apparatum belli in ipsos venientem, & periculum imminens, & salutem semet ostentantem, an vir aliquis talis pejus ipsis consilium dedisset, quam dedit oraculum? Imo, ut ego arbitror, non opus ei fuisset verborum involucro, & voce muri ambigua, sed sic locutus esset: Hos lapides, hæc ædificia, Athenienses, concedite barbaris. Vos autem cum omni familia, cum liberis, cum libertate & legibus ite in mare. Excipient vos trieres, quæ & vos servare possunt portando, & vincere hostes pugnando. Cur ergo homines oracula adeunt, neglectis consiliis sui similium?*

V. Nonnunquam dæmones divinare videntur, & occulta nobis revelant, neque tamen futura prospiciunt. Contingit id, ut Augustinus docet lib. de Divinat. Dæmonum ex tribus caussis, aerii corporis sensu, celeritate motus, & rerum experientia. Ac de prima caussa dictum est c. x. opp. 4. *Celeritate*, inquit ibi tertio cap. S. Pater, *Angeli cursum ferarum, & volatum avium incomparabiliter vincunt*. Nihil ergo mirum si statim nunciant, quæ in regionibus exteris, & longinquis eveniunt. Hoc pacto, ut scribit Cedrenus, dæmones captas Syracusas pastoribus indicarunt, & Crœso responsum dederunt de carne testudinis, ut refert lib. 11. cap. 12. Rhodiginus.

VI. Experientia autem multa quidem noverunt, quæ proinde absque ullo prorsus miraculo prænunciant, ut rustici pluvias, dum ranæ, ut inquit Cicero ad Atticum, ῥητορεύουσιν.

VII. Accipiunt aliquando potestatem immittendi morbos, vitiandi, morbidumque reddendi aerem, & perversis amatoribus terrenorum commodorum malefacta suadendi: atque ita infirmitates, pestilentias, & bella prædicunt: eo ferme pacto, quo medicus in corporis humani temperie bonas, seu malas prævidet valetudines. Prænunciant ex adverso harum calamitatum finem, si velint a nocendo desistere. Sed etiam hæc, quæ in suis dispositionibus prævident, non semel ex improviso ac repente mutantur, quia *desuper aliquid jubetur, quod eorum consilia cuncta perturbet*. Hoc pacto fallitur etiam Medicus arte sua, falluntur agricolæ, falluntur nautæ: quorum exempla apposita Augustinus refert quinto & sexto capite ejusdem libri. Atque hoc est discrimen inter prædictiones divinas, ac dæmonum; quod Deus in sui dispositione non fallitur, neque potest ab exteriori caussa impediri: dæmon vero, nisi potestatem accipiat, nihil aggreditur, & quæ disponit, Dei nutu invertuntur sæpenumero, & immutantur.

VIII. Denique nonnulla prædicunt, etiam in sui perniciem, non cognitione propria, sed auditis Prophetarum vaticiniis, quæ nunc manifestant, ne ignari victique putentur; nunc alture reticent, ne incipiant ab hominibus deseri atque contemni. Hoc pacto non ignorantes verba Domini apud Sophoniam cap. 11. 11. *Attenuabit omnes Deos terræ*, eversionem templorum suorum aliquando prænunciarunt, ut cap. VII. citati libri docet S. Pater: ideoque *Δαιμόνιοι*, idest *Divinantes*, magno cum dedecore facti sunt *ex eloquiis prophetarum, vel ex oraculis Angelorum*. Has omnes præceptiones tradit capite vicesimo secundo Apologetici Tertullianus his verbis: *Dispositiones Dei nunc Prophetis concionantibus excerpunt, & nunc lectionibus resonantibus carpunt. Ita & hinc sumentes quasdam temporum sortes furantur divinationem. In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent in eventus, sciunt Crœsi, sciunt Pyrrhi. Habent de incolatu aeris, & de vicinia siderum, & de commercio nubium cælestes sapere paraturas, ut & pluvias, quas jam sentiunt, repromittant. Lædunt primo, dehinc remedia præcipiunt ad miraculum nova, sive contraria, postque desinunt lædere, & curasse creduntur*. His ergo præceptis divinationes, & oracula dæmonum refutato.

CAPUT XIII.

De altera Angelorum proprietate, idest flexibili voluntatis arbitrio.

POLLENT spirituales substantiæ non solum percipiendi & intelligendi facultate, sed etiam amandi & volendi: & hanc *voluntatem* communiter appellamus. Fertur hæc amore in bonum; atque, ut dictum est cap. ultimo lib. 4. in bonum in communi, & in perfectum ac summum cognitum omnimoda claritate in seipso, trahitur necessitate, neque aliam habet libertatem nisi *lubentiæ*, eo quod tale bonum ei proponatur absque indifferentia judicii. Sed circa objectum particulare, sive creatum sit & aliqua ex parte imperfectum, sive summum etiam & incommutabile cognitum *abstractive*, non perspicuitate plenissima, habet cum mutabilitate judicii veram propriamque libertatem indifferentiæ. Hanc sub omni gratia quantumvis vivida & efficaci in viatoribus hominibus permanere, adversus Jansenianos Catholica definit Ecclesia. In Angelis sanctis, puisque animabus Deum videntibus facie ad faciem, quemadmodum judicii flexibilitas, ita arbitrii indifferentia minime reperitur. Licet tamen Beati in amore Dei, quam lumine gloriæ conspiciunt, nullam habeant indifferentiam, in ceteris omnibus liberrimi sunt; non tamen mereri possunt, saltem essentiale præmium, quia jam ad terminum pervenerunt: ut docet Magister Sentent. lib. IV. dist. 5. S. Thomas ibidem q. 2. art. 1. Bellarminus lib. V. de Grat. & lib. arbitrio cap. 14. aliique Theologi. Ea in beatis necessitas amandi Deum est essentialis & physica, quia Deum videntes omni claritate, non habent judicium indifferens, quod requiritur ad essentiam libertatis indifferentiæ. Res in dæmonibus paulisper diversa est: Hi peccant ex necessitate duntaxat morali, cui absoluta reluctari possent, si vellent; sed propter obstinationem nunquam usuri sunt liberæ potestatis arbitrio: quare vere peccant, sed pœnam essentialem mereri non possunt, cum sint in termino, atque est in ais ad cumulum pœna maligna ipsa voluntas.

Habet autem hæc dæmonum obstinatio duplicem caussam. Prima est quod non possunt habere auxilium gratiæ; nam ut legitur in libro de Fide ad Petrum: *De Angelis Deus hoc disposuit & implevit, ut si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, nunquam eam divino munere repararet*: altera caussa est acerbissima pœna gehennæ, & consideratio felicitatis amissæ, unde oritur tristitia, desperatio, & insanabilis animi ægritudo sine ulla rerum meliorum expectatione. Quamobrem turpissime aberrant Calviniani & Jansenistæ, tum eamdem sine indifferentia libertatem statuentes in patria sub lumine gloriæ, & in via sub gratia Reparatoris: tum etiam affirmantes necessitatem male agendi in damnatis ejusdem generis esse cum necessitate amandi Deum in beatis; cum evidentissime constet in illis moralem esse, ortamque a malignæ voluntatis obstinatione; in his vero physicam & essentialem, quæ provenit ex visione intuitiva summi boni, ad cujus amorem quisquis videt ipsam Dei essentiam naturaliter determinatus est, ut docet S. Thomas P. 1. q. 60. art. 5. ad quintum.

Solvuntur ex his quæstiones omnes, quæ circa amorem & voluntatem Angelorum possunt institui. Ac principio manifestum est primum actum amoris, non indeliberatum illum, & a Deo, Qui in Angelis simul naturam condidit, & largitus est gratiam, inspiratum, sed ab eorum voluntate elicitum, sive eum, quo merito permanentiæ, fultique adjutorio *sine quo* adhæserunt Creatori, fuisse actum amoris liberi, vera libertate, quæ in omni statu tam sanæ, quam infirmæ naturæ ad meritum prærequiritur; propterea quod non habuerunt Angeli statim ac facti sunt plenitudinem beatitudinis, visionem Dei intuitivam, & certissimam illam scientiam, per quam indifferentia ac libertas *a naturali necessitate* penitus tollitur. Liquet præterea, quod Angeli postquam majori accepta per Spiritum Sanctum abundantia caritatis assecuti sunt plenissimam illam perfectissimamque scientiam, actum amoris non quidem liberum, non indifferentem, non meritorium erga summum bonum elicere valuerunt, sed necessarium, & immunem duntaxat *a coactione*, qui a ratione meriti omnino disjungitur. Amorem vero, quo Deum super omnia caste, & cum merito dilexerunt, non fuisse plane naturalem, sed ex gratia, cum ex nuper dictis consequitur, tum ex propositione 1. cap. VII. Num vere sive Angelus, sive homo nullius concupiscentiæ raptus inflexione possit absque gratia Deum super omnia diligere amore nulla depravata

cupiditate permixto, litigiosa disputatio est sequentibus libris tractanda. De actu autem malæ voluntatis, quo angeli mali ab illuminationa initio accepta ut sapienter beateque viverent, aversi sunt, neque excellentiam sapientis, beatæque vitæ obtinuerunt, ambigendum non est, quin efficienter prodierit a solo libero arbitrio, quo Deum deserentes justum judicium experti sunt, ut docet Augustinus de Corrept. & Grat. cap. x. & nos commonstravimus I. & II. Propositione cap. VIII.

Posse quoque Angelum transgredi naturalem legem, positis his principiis, res ipsa loquitur. Etenim, cum nulla creatura indeclinabiliter tendat in aliquod particulare bonum, sed tantum naturaliter determinata sit ad bonum in communi, & ad summum bonum clare visum, quod sane totam rapit, trahitque ad se voluntatem; intellectus Angelorum nunquam fallitur circa veritates universales sibi naturaliter plane notas, sed circa hoc vel illud verum habet veram plenamque indifferentiam judicii; ideoque falli potest judicio saltem practico, & in peccatum delabi. Quapropter cum intellectus Angelorum sit tantummodo *in actu*, ut inquiunt, ad vesitates universales, & *in potentia* ad hoc vel illud verum determinatum, est revera *discursivus*; quamquam ut inferat unam veritatem ex alia non eget temporis intervallo, neque experitur impeditionem & moram, cui subjicitur homo ob animi in corpore receptaculum. Igitur quidquid aliqui afferunt ad probandum non posse Angelos ex inadvertentia & errore circa naturæ legem delinquere, quoniam rerum naturalium clarissima in luce versantur, neque aliqua ratiocinatione proficiunt, est omnino falsum, mentitum, plenumque erroris. Verissimum tamen est hujusmodi inadvertentiam seu ignorationem, non esse invitam, & eam, qua, dum torquet perversa cupiditas, non possumus a libidinosis operibus temperare, nisi gratia Christi vulnera nostra sanante; hæc enim ignorantia non est natura institutæ rationalis creaturæ, sed pœna damnatæ; ut de homine docet Augustinus lib. III. de lib. arb. cap. 18. & in 1. Retract. cap. 9. Fuit ergo ante peccatum in Angelis ignoratio & inadvertentia hoc tantum sensu, quod cum possent facile animadvertere solum Deum esse summum bonum, quo substantia rationalis frui debet & delectari, convertentes se ad contemplandam propriæ naturæ excellentiam, hac delectati sunt, nequaquam eam referentes ad laudem & amorem Creatoris: ut liquet ex Prop. I. VIII. & cap. IX. hujus libri.

Demum colligitur ex dictis tam bonorum, quam malorum Angelorum voluntatem immutabilem esse, non propterea quod ab eo quod semel elegerint digredi non valeant; sed quia Angeli sancti videntes Deum in se, sunt ad amorem Dei essentialiter determinati, & carent indifferentia judicii: dæmones vero propter obstinationem & pervicaciam ita malo adhærent, ut nunquam sint pravæ & flagitiosæ voluntati reluctaturi. Id quidem negat universa Schola Thomistica, dicente Angelico Præceptore q. 64. art. 2. *Liberum hominis arbitrium flexibile esse ad oppositum & ante electionem & post: liberum vero arbitrium Angeli esse flexibile ad oppositum ante electionem, sed non post*. At hanc opinionem refutant Theologi alii, Gregorius Ariminensis in 2. Sent. q. 3. dist. 6. art. 2. Petavius lib. I. de Angelis cap. XI. Du-Hamel dissert. I. cap. 4. conc. 3. L'Herminier Tom. 2. pag. 489. Juenin Dissert. I. cap. 2. Concl. 3. Habert de Creat. cap. VIII. quæst. 4. aliique omnes, qui in verba Magistri non jurant.

Ob magnam adversariorum auctoritatem, lubeat iterum veritatem sententiæ nostræ introspicere. In primis cur Angeli sancti peccare non possint, ideo est, quia videntes essentiam Dei in ejus amorem naturaliter, & ex necessitate feruntur, neque possunt ab hoc amore divelli: in ceteris autem rebus, in quibus indifferenti judicio locus est, peccate non possunt, quoniam quæ Deo placent, & ipsi invictissime volunt, eo quod non possint Deum odio habere: quamquam in his perfectissima præditi sunt libertate. Probat hanc rationem ipse S. Thomas I. p. q. 62. art. 8. *Angeli beati peccare non possunt*, (inquit ille): *& ratio est, quia eorum beatitudo in hoc consistit, quod per essentiam Deum vident. Essentia autem Dei est ipsa essentia bonitatis. Unde hoc modo se habet angelus videns Deum ad ipsum, sicut se habet quicunque non videns Deum ad communem rationem boni. Impossibile est autem, quicquam velit vel operetur, nisi adtendens ad bonum, vel quod velit divertere a bono in quantum hujusmodi. Angelus igitur beatus non potest velle vel agere, nisi adtendens ad Deum: sic autem volens vel agens non potest peccara*. Itaque etiam per Divum Thomam inflexibilis est voluntas Angelorum sanctorum ad malum, quoniam videntes Essentiam Dei sunt in ipsius amorem naturaliter determinati, quemadmodum ad rationem boni in communi: quare etiam post electionem est Angelorum voluntas flexibilis & mutabilis, respectu bonorum illorum, quæ cum non sint undequaque perfecta, naturaliter ac necessario in se voluntatem totam non rapiunt.

Ad hæc: PP. docent voluntatem Angelorum immutabilem esse non natura, sed gratia. S. P. Aug. de Corrupt. & Gr. cap. x. scribit fuisse præmium permansionis Angelorum, *ut magnam per Spiritum Sanctum data abundantia caritatis Dei, cadere ulterius omnino non possent, & hoc de se certissime nossent*: quod & repetit lib. XI. de Civ. Dei cap. 9. & XXII. cap. 1. Fulg. de Fide ad Petrum cap. 23. *Hoc ipsum* (inquit) *quod ab illo statu beatitudinis, in quo sunt, mutari in deterius nullatenus possunt, non est eis naturaliter insitum, sed postquam creati sunt gratiæ divinæ largitate collatum*. Nazianzenus etiam 38. Orat. ait Angelos esse ad malum immobiles; *Utpote Deum circumstantes, ac primario Dei fulgore collucentes*. Et Damascenus lib. 2. cap. 3. definit Angelum *naturam ratione & intelligentia præditam, ac proposito & sententia mutabilem*. Qui & apertissimam caussam profert, quam etiam tradit Gregorius lib. V. Moralium cap. 28., videlicet, quod omne creatum etiam mutabile est, atque vicissitudini subjicitur.

In cujus rei confirmationem clamat insuper rerum experientia: nam Sancti Angeli in rebus, quarum nondum circumstantias omnes, & Dei voluntatem aperte noverunt, propositum sæpe mutant, & etiam aliquando dissident inter se, ut constat ex cap. x. Danielis: licet fixam habeant sententiam eligendi, quod placet Deo, quem necessitate diligentes non possunt odisse. E contra dæmones non omnia, quæ volunt, semper volunt, sed nunc tentant justos ut cadant, nunc a tentatione desistunt, ne meritum illis accumulent; quamquam pervicaces sunt in avertendo se ab incommutabili bono, quod non possunt casto amore diligere. Ita ergo comparate ad finem ultimum immutabiles sunt Angeli ac dæmones: illi adhærent Deo immutabiliter propter plenitudinem beatitudinis; isti a Deo avertuntur propter inflexibilem obstinationem: at relate ad media, habent utrique libertatem, & Angeli sancti diversa eligere possunt servato ordine finis; Angeli mali divertendo se ab ordine finis: quorum primum est libertatis perfectio, alterum autem defectus, ut inquit S. Thomas q. 62, art. 8. ad tertium.

Quando argo idem S. Thomas quæst. 64. art. 2. ait caussam obstinationis dæmonum esse, quod *Angelus apprehendit immobiliter, sicut & nos apprehendimus prima principia: homo apprehendit mobiliter discurrendo de uno ad aliud; unde voluntas hominis adhæret alicui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere, & contrario adhærere; voluntas autem Angeli adhæret fixe & immobiliter*; quando, inquam, hæc ait S. Thomas, ita exponendus est, quod Angeli post electionem *immobiliter* adhæreant summo bono, cujus vident essentiam, itaut ad amandum Deum naturaliter sint determinati, quomodo intellectus hominis ad prima principia, & voluntas ad bonum in communi. Et quoniam post primum actum caritatis, statim plenam beatitudinem sunt assecuti, ideo adhærent summo bono *immobiliter*. Id vero manifestum est, si articulum hunc 2. quæst. 64. conferas cum art. 8. quæst. 62. Dæmones pariter, qui statim post lapsum ad sempiternum supplicium damnati sunt, inflexibiliter adhæserunt peccato, privati totaliter cognitione affectiva, quæ producit amorem Dei, uti docet art. præcedenti. Verum per liberum arbitrium diversa media possunt eligere, & consequenter sunt adhuc in his flexibiles ac mutabiles: quemadmodum colligitur ex resp. ad tertium memorati articuli 8. Quapropter neque nos a D. Thoma recedimus; quod implorata discipulorum ejus venia dictum sit: neque, ut opinor, illum oppugnant, qui Scholæ Thomisticæ, circa inflexibilitatem Angelorum, sensum, & opinationem rejiciunt.

Joannes Damascenus cit. cap. 3. lib. 2. inquit dæmonem non esse capacem pœnitentiæ, *quoniam corporis est expers*. Sed hæc non eo pertinent, ut velit incorpoream substantiam non posse natura sua a proposito resilire; sed insinuant tantummodo, dæmonem statim damnatum, & divina gratia destitutum fuisse, quod ut corpore, (inquit Petavius) sic imbecillitatis excusatione careret. Nam præter definitionem Angeli supra ex Damasceno productam, post hæc eadem verba de Angelis bonis habet: *Difficulter in malum mobiles, sed non immobiles: nunc vero & immobiles non natura, sed gratia, & adhæsione ad id, quod solum bonum est*. Quibus, nisi me animus fallit, hactenus dicta valide confirmantur.

CAPUT XIV.

Quomodo Angeli assumunt corpora, & certo in loco constituuntur.

ANGELOS sive bonos, sive malos nonnunquam corpora assumere colligitur ex variis formis, quibus hominibus apparuerunt. Nam dæmon sub serpentis imagine Evam decepit: tres Angeli in humana specie in conspectu Abrahæ extiterunt: duo alii Sodomam tamquam peregrini petierunt: Raphael Tobiæ eunti in Rages Civitatem Medorum ducem comitemque se præbuit: Gabriel ad Mariam Virginem ingressus mysterium reparationis nostræ ipsi nuntiavit; aliasque innumeras spirituum apparitiones certissimæ narrant historiæ. Hæc imaginatrici potentiæ tribui non debent, tum quia tactu aliquando hujusmodi corpora deprehenduntur, tum quia, ut ostendemus cap. ultimo, a nulla quantumvis vehementi apprehensione fieri possunt, quæ efficiuntur ab Angelis, dum hominibus utentibus etiam exteriori sensu apparent, & res occultissimas manifestant.

festent. Corpora eutem assumpta ab Angelis sunt potissimum aerea, atque ex vaporibus, & exhaletionibus compacta, quæ cum extensionem aliquam habeant, & variis terminentur figuris, possunt etiam epparere diversa, quam revera sint, v. g. ipsa corpore hominum, aut feratum. Angeli enim perspectivæ artis periti, materiam miscere possunt, ut pro varia luminis reflexione, aut refractione diversæ appareant figuræ, diversi colores, & quæ egregiam formam & polchritudinem habent, videantur fœda ec turpissima; & e converso quibus eit corporis vitium, & deformitas, inesse credatur species liberalis, & eximie facies. Si enim radii solis per prisma triangulum transmissi pingunt in opposito patiete imaginem varia distinctam coloribus, propterea quod radii retractione separantur; etque corpora quælibet naturalia, dum per idem prisma conspiciuntur, videntur ex una parte tubea, & flava, ex eltera autem violacea & cerulea, quoniam radii prout magis minusve refringuntur, extrema imaginum exhibent a loco objectorum plus eut minus remota: quæ, aliaque experimenta exponit clarissimus Newtonus: si ope microscopii minima corpuscule distincte cernuntur, & conspicillo concavo magis confuse, quoniam illo dispersi radii in unum retinæ punctum coguntur, hoc vero disperguntur amplius ut non possint in idem punctum retinæ collineare; quemadmodum ostendit Dioptrice: si, inquam, hæc diverso radiorum aufractu flexuque fiunt; non erit laboriosum Angelis miscendo ac perturbando corporis aerii materiem multimodis radios inflectere, pluraque unius objecti effingere simulacra.

Hinc multa delusionum genera, quibus dæmones, ac si monstra essent, aut volucres, aut formosæ adolescentulæ in hominum conspectum veniunt. Singulare exemplum refert parte ultima de universo Guilelmus Parisiensis, cujusdam militis, qui cum crederet complecti elegantis formæ puellam, se deprehendit jacere cum belluino cadavere tabe macieque soluto. Quamobrem etsi recentiorum Philosophorum sententia est, posse Angelos apparere sub quacunque forma absque assumptis corporibus, eo quod sensibilia objecta non eliem agendi rationem habeant, quam movendo localiter, aut motui locali resistendo, ut defendit Maignanus cap. 33. Philosophiæ naturæ, & Le-Grand cap. IX. Dæmonologiæ: constat tamen etiam experientia posse eb illis assumi corpora, assumique nonnunquam. In his autem corporibus, quomodo sentire queant, & opera vitæ exercere, dixi cap. IX. ad 4. oppositionem. Quod etiam in his corporibus prolem generare non possint, affirmavi cap. II. ed primam; neque necesse est plura de Angelorum corpore inquirere.

De loco autem Angelorum varias invenimus opinetiones: quas tamen re inspecta videntur mihi posse facile conciliari. Quidam putant nullam spiritualem substantiam esse in loco, & hæc essertio communis eit inter recentiores Philosophos, qui docent locum interiorem esse corpus, quod extensione sua spatium replet, exteriorem vero superficiem corporum ambientium: nequa aliam ideam loci haberi contendunt, quoniam putant non posse percipi locum sine spatio, neque spatium sine extensione: de qua sententia vide Rohaultium cap. 8. Physices, Purchotium p. 2. Meth. sect. 2. cap. 2. quæst. 6. Institutionem Philosophiæ Cart. p. 3. cap. VII. Theologi Angelos esse in loco tradunt communiter, asserentes non quidem e loco ambiti, & circumscribi, quod fatentur convenire tantum corporibus, definiri tamen, hoc eit, certo ac determinato loco fieri præsentes: quod dicunt esse in loco *definitive*. Hanc vero rationem essendi in loco alii asserunt competere Angelis ratione substantiæ, ut S. Bonav. in 2. dist. 2. q. 1. Scotus eadem dist. q. 6. Gregorius Arimin. ibid. quæst. 2. ert. 2. Frassen tract. 1. de Ang. disp. 2. art. 3. ceterique Scotistæ ac Nominales: alii rationem illem repetunt ex Angelorum operatione, ut Thomistæ omnes, pluresque nostratium. Animadvertit autem J. B. Du-Hamel dissert. 1. de Angelis cap. 4. dupliciter rem aliquam esse in loco, 1. per indistantiam sive præsentiem, quomodo una res eit, ubi est altera, 2. per applicationem & contactum, quo pacto una res alteri applicatur, eamque tangit. Quibus prænotatis sequentes statuo positiones.

PROPOSITIO I. Angeli non sunt in loco, quomodo sunt corpora, per extensionem.

Ita Patres, & quilibet ratione præditus. Nam S. Pater Augustinus lib. VIII. de Gen. ad lit. cap. 19. ait: *Necesse est esse partes iis, quæ in locis sunt*. Greg. Nyss. in 1. contra Eunomium, Didymus de Spiritu sancto, Nemesius, aliique complures docent Angelos non esse in loco, quod esse in loco sit affectio rei corporeæ & extensæ; & Boetius in libro, cui titulus eit, *An omne quod est bonum, sit circa principium illius*, ait communem esse animi conceptionem, *Incorporalia in loco non esse*. Et revera corpora ita sunt in loco, ut eorum partes loci dimensionibus respondeant, spatium repleant, & situm, sive majorem aut minorem positionem acquirant: Sed substantia incorporalis & cogitans partes, dimensiones, & situs ordinem habere non potest: Ergo hæc substantia nequit esse in loco more corporum.

PROPOSITIO II. Angeli sunt certo ec definito loco præsentes.

Demonstratur I. Quia ex 2. Petri cap. II. v. 4. constat Deum *Angelis peccantibus non pepercisse, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidisse cruciandos*. Apoc. XII. 8. legitur: *Neque locus inventus est eorum amplius in cælo*. Et Angelos Sanctos in cælis permanere, ad homines mitti, de loco in locum transire, plura divinarum Scripturarum evincunt exempla. II. Probatur ex PP. dicente Augustino de Agone Christ. cap. 3. *Non ergo arbitremur in summo cælo habitare diabolum cum Angelis suis, unde lapsum esse credimus*. Et Damasceno lib. II. de Fide cap. 3. *Angeli quando sunt in cælo, non sunt in terra, & cum in terram a Deo mittuntur, non manent in cælo*. III. Confirmatur ratione, quam affert Theodoretus quæst. 3. in Genesim: Divinitas non est in loco, sed ubique, quia est infinita; ergo substantia, quæ finita est, non ubique consistit, sed in loco. Igitur si quæ sunt opposita Patrum testimonie, probant tantummodo Angelos non esse in loco per extensionem, sive, ut inquiunt, *circumscriptive*: quod fuit superiori propositione comprobatum.

PROPOSITIO III. Angeli sunt in loco per indistantiam ac præsentiam, ratione substantiæ suæ, non operationis aut virtutis: & vera est Nominalium, & Scoti sententie.

Expresse hæc propositio definite est epprobatione Doctorum e Stephano Parisiensi, ut ait Gregorius Arim., in damnatione sequentis articuli: *Quod substantiæ separatæ sunt alicubi per operationem, & non possunt moveri ab extremo in extremum, nec in medium, nisi quia possunt velle operari, aut in medio aut in extremis. Error, si intelligatur sine operatione substantiam non esse in loco, nec transire de loco ad locum*. Habetur modo hic articulus tom. XXV. Bibl. PP. pag. 332. & est 4. capitis 1. *De Deo & Intelligentiis*. Sed hac damnatione prætermissa, thesis probatur 1. argumento Theodoreti cit. q. 3. in Genesim scribentis: *Omnia ea, quæ in tempore cæperunt, finita sunt, & habent circumscriptam substantiam, & ideo loco opus habent: quia ideo divinitas non est in loco, quia minime est circumscripta*. Rude argumentum quidam eppellant, reponentes substantiam Angelorum finitam esse, idest, coarctatam in sua *specie*, non determinatam ad locum: at excutitur peracuta hæc cavillatio, siquidem ita ratiocinari fas est: Substantia Angelica cum non sit infinita, est seipsa limitata in aliqua *specie*: Ergo, cum non sit immensa, est semetipsa terminata in aliquo loco; sicut Deus e contra, cum sit perfectissimus, & immensus, omnia definita locorum spatia transcendit. Præterea: In cælo Empyreo nihil Angeli operantur exterius; contemplatio enim divinitatis, & caritas qua illic inflammantur, operatio immanens est; & si quidam spiritus inferiores illuminant, id agitur in mente spirituum, non in loco, in quo immutabilia sunt omnia, & lux sempiterna coruscat. Neque ornatum aliquem cælesti Jerusalem, cujus lucerna est Agnus, superaddunt, nisi quetenus sunt primores cives illius, & civitatis sanctæ pars princeps. Invenimus ergo Angelos esse in loco sine operatione aliqua transeunte. Deinde quælibet operatio supponit præsentiem, & in Thomistarum Schola approximatio, (ita consuetum est colloqui) agentis ad passum est operationis conditio *sine qua non*. Igitur primum percipio Angelum esse loco præsentem proximumque, deinde in loco operari: primum, ut exemplo utar Frassenii, Gabrielem ingressum ad Virginem, quam eam ellocutum; primum Angelum accessisse ad Christum, quam ei ministrasse. Quam sane mentis meæ perceptionem quidquid reponunt Thomistæ nequeunt perturbare: eorum enim cum responsa, tum objecta eo collimant, ut probent Angelum non esse in loco per contactum substantia sua, quod non difiteor.

Ulterius dæmones desistunt nonnunquam a consuetis corporum vexationibus, nec tamen inde recedunt: patiuntur eb igne, quia huic inviti alligantur, non ignem ipsi movent, aut exterius agendo percellunt; & nihilominus illic commorantur: & si contingat, ut pro lubitu nunc in rectam lineam, nunc in obliquam corporum motiones efficiant, habetur quidem diversa operatio Angelorum, non diversa in loco præsentia. Postremo: Dummodo percipiatur coexistentia substantiæ angelicæ ac temporis, ebsque ulla operatione intelligitur Angelum esse in tempore: Ergo ut concipitur existentia loci simul & Angeli, sine eliqua operatione percipimus Angelum esse in loco.

PROPOSITIO IV. Angeli sunt quoque in loco per contactum non sola ratione substantiæ, sed etiem operatione, & epplicatione virtutis, ut placet Thomistis.

I. Demonstratur, quoniam substantia angelica expers est partium, neque seipsa tangit res corporeas, sed eas potius permeat, ac penetrat: est ergo in loco per contactum operatione, & quantitate virtutis, non semetipse. II. Quia substantia Angelorum indifferens est ad occupandum locum majorem, aut minorem, cumque determinari non possit nisi applicatione virtutis; hæc est unica ratio, cur Angelus hoc vel illud loci spatium tangat, & impleat. III. Quantites molis constituit corpora in loco *circumscriptive*, prout locus dimensionum commensurationem designat: igitur quantitas virtutis constituet spiritum in loco *definitive*, quatenus locus latitudinem & extensionem importat; in quo loco nequit esse substantia Angeli per semetipsam, ut constat ex Proposit. 1.

Habes omnium sententiarum conciliationem: quare ut solvas quælibet argumenta, teneto hæc duo verba Ariminensis: *Ad hoc ut aliquid sit in loco definitive tantum, non requiritur aliquis contactus, sed solum, quod ipsum sit illi præsens & ab eo contineatur*. Ipse D. Thomas q. VIII. art. II. tradit hanc duplicem rationem essendi in loco; quamquam modum proprium loci declarat esse *in quantum locata replent locum*. Probatur etiam mihi opinio Vasquesii asserentis Angelum esse in loco per unionem ad corpora, si per unionem solam coexistentiam loci & substantiæ angelicæ, ac nihil præterea intelligamus. Si dicas substantiam Angelorum esse indifferentem ad hanc vel illam coexistentiam; respondeo id verum esse, & determinari sua libera voluntate, aut si in loco violento axistat, voluntate & proposito Dei. At hæc determinatio est in genere causæ efficientis, non *formalis*: & est ratio, cur Angeli sint in loco, quemadmodum motus corporis ac transmigratio, cur hac vicinia circumscribantur; aut approximatio ignis, cur lignum istud comburat. Si reponas corpora non circumscribi nisi per extensionem, & ignem non comburere nisi per qualitatem: præsto erit responsum, neque Angelum tangere, aut movere corpora nisi per applicationem virtutis; sed hac præcisa, esse in loco per indistantiam, quomodo sunt duo corpora, quæ invicem penetrantur. Denique si dixeris, Augustinum rationem reddere cur universæ moli corporis adest anima, dum ait lib. de Immortal. animæ cap. 6. *Tota singulis partibus simul adest, quæ tota simul sentit in singulis*: Et Damascenum lib. I. cap. 17. *Natura incorporea circumscribitur, ubi & operatur*; primo respondeo loqui Patres de existentia in loco per contactum: posthac animadverto aeque Augustinum, neque Damascenum asserere quod spirituales substantiæ ubicunque sunt, ibi operantur; quamquam affirmant, quod ubi operantur, ibi sunt. Possunt ergo esse, tametsi non operentur, in loco; ut III. diximus Propositione.

APPENDIX.

Quæri solet, an Angeli localiter moveantur. Bernardus serm. 5. in Cantica ait: *Non est discurrere, & de loco in locum transire, nisi corporum*. Localem tamen motum Angelis tribuunt Scripturæ, ex quibus constat illos ad homines, ac terrarum regiones appellere, discedere & egredi, perambulare & vagari, ejici ac detrudi: unde Chrysostomus hom. 3. in Epist. ad Hebræos, inquit: *Angeli loca mutant, & prioribus relictis in quibus sunt, ad alia pergunt in quibus non erant*. Est autem duplex species motus localis; prima dum mobile variis partibus locorum propria extensione respondet; altera dum diversis locis se præsentem sistit spiritus: & illa quidem, ut Bernardus loquitur, rerum corporalium est propria.

Angelorum motum momento fieri scribit in Apologetico cap. 22. Tertullianus, & de Pythio dæmone, qui eodem tempore nunciabat quæ a Crœso agebantur in Lydia, *Momento*, inquit, *apud Lydiam fuerat*. At S. P. Augustinus lib. XII. de Civ. Dei cap. 15. ait: *Etiamsi immortalitas Angelorum non transit in tempore, nec præterita est quasi jam non sit, nec futura quasi nondum sit; tamen eorum motus quibus tempora peraguntur ex futuro in præteritum transeunt*. Et Bern. serm. 78. in Cantica: *Angelus non absque motu operatur tam locali, quam temporali*. Tertullianum ergo exponere possumus de celeritate motus Angalici, qui a nullo corpore retardatur, ut diximus supra de Divinatione Dæmonum cap. XII. notatione V.

Tandem quærunt, num idem Angelus possit essa in pluribus locis, aut in uno loco possint esse plures Angeli. Sed constat ex dictis substantiam omnem finitam, uti essentia, ita loco esse coarctatam; unde Damascenus lib. I. cap. 8. ait: *Non potest Angelus secundum idem in diversis locis operari*. Ad primam ergo quæstionis partem, nos quidem respondemus negative, ita tamen, ut ad plures partes ejusdem loci possit pro lubitu motus & operatio angelica extendi juxta virtutam, qua unusquisque pollet in aliquo genere terminata. Ad alteram vero partem, si quæstio instituitur de existentia in loco per indistantiam ac præsentiam, liquet plures Angelos posse in eodem spatio, quantumvis minimo, contineri, quoniam nullam faciunt, dum simul sunt, extensionem, idque aperte docent Richardus in IV. de Trinitate, Ochamus in Quodl. q. I. & Gregorius de Arimino dist. II. q. 3. art. 2. & est veluti corollarium præcedentis Propositionis III. Si autem loquamur de existentia in loco per contactum, & applicationem virtutis; quemadmodum sentiunt Philosophi eumdem effectum non posse produci a pluribus causis ejusdem generis adæquatis, sed tantum a pluribus causis quæ ex parte agant & moveant; ita absque ulla hæsitantia asseverandum est, multos Angelos posse in uno loco residere, si paulisper & aliqua ex parte agant, non vero si adæquati sint perfectique motores: quod est planissimum IV. Propositionis consectarium.

CAPUT XV.

De merito, atque de lapsu Angelorum.

BONAM voluntatem, qua Angeli Sancti merito perseverantiæ meliores facti sunt, ax Dei gratia fuisse, malam vero, qua dæmones ceciderunt, a solo libero arbitrio profectam, adversus Pelagianos & Manichæos concordissime Theologi affirmant. At quando illi promeriti sint beatitudinis plenitudinem, isti autem fuerint præcipites, contentiosa, nec valde utili disquisitiona disceptant. Nam inter creationem Angelorum ac terminum quidam duo instantia temporis constituunt, nonnulli quatuor aut quinque, aliqui diem integrum naturalem, aliquipiam sex dies creationis, quos corporeos esse firmissima tenent permulti. De priori autem instanti Scotus, & qui ei militant viri docti, noster Ariminensis, Vasquesius, Arriaga, aliique sentiunt potuisse Angelos & mereri & peccare: de merito consentit, de peccato negat cum perillustri discipulorum manu magnus Thomas Aquinas: ad meritum simul ac demeritum pro eo instanti comparandum defuisse Angelis potestatem docet cum non obscura Interpretum multitudine Ægidius noster. In tanta hominum discrepantia videtur mihi Augustinus acu rem tetigisse, & præclaram S. Patris doctrinam, quam cap. VIII. & IX. pro modulo ingenii mei axplicavi ratione quadam diversa ab his Theologis, qui Peripateticam philosophiam sunt arcte & mordicus consectati, a qua non semel Augustinum, & jure quidem recedere arbitror: præclaram, inquam, S. Patris doctrinam demonstrare, præcipuas ex narratis Doctorum opinationibus veras esse simul, & falsas.

Diximus ergo, Angelos principio a Deo fuisse conditos *lucem*, idest, cum ideis inditis, & ingenitis, in quibus perciperent sempiternas rationes rerum, & simul cum bona voluntate, qua Deo adhærerent, & cum actuali adjuterio, *sine quo* non poterant in beatitudine permanere, non tamen ad particulare bonum prædeterminante voluntatem naturaliter tantum inclinatam ad bonum in communi: deinde convertisse se ad contemplandam sui, aliarumque creaturarum axcellentiam in propria natura, cognitiona, quam S. P. appellat *vespertinam*. Tum Angelos sanctos in liberam Dei laudem caritatemque consurrexisse, & factum in eis *mane*: Angelos autem malos seipsis delectatos nequaquam laudibus & amore fuisse Deum prosecutos, sed in tenebras noctemque sese commutasse. Demum Angelis sanctis donatam beatitatis plenitudinem, malos autem factos esse miserrimos; atque ita inter lucem tenebrasque divisum. Quæ satis arbitror ex IX. capita manifesta.

Jam animadverte hæc omnia absque intervallo temporis fuisse peracta; *Non secundum temporum moras, sicut fiunt dies isti, cum oritur & occidit sol, & in locum suum redit ut rursus oriatur, sed secundum potentiam spiritalem mentis angelicæ*, inquit S. P. lib. IV. de Gen. ad lit. cap. 32. & paullo post rationem reddit, quoniam hoc interest discriminis inter mentem angelicam & humanam, quod illa *cuncta, quæ voluerit, notitia facillima comprehendit*: hæc ex adverso *quanta tarditate ac difficultate agat, & quanta temporis mora propter corpus corruptibile, quod aggravat animam, quis ignorat?* Quare per Augustinum potentia spiritalis mentis angalicæ sine temporis mora fit & dies, & vespera, & mane; unde cap. XXIX. præcedenti scripserat: *Simul ergo habent & vesperam, & mane*: nempe quia sine temporis intervallo Angeli, ut ibidem ait, *& possunt, & faciunt*.

Quamquam vero hæc uno eodemque momento temporis perficiantur, est tamen in his ordo causalitatis, cum una cognitio præcedat alteram, ut scite docet eodem cap. 32. Augustinus dicens: *Nec ideo tamen sine ordine, quo apparet connexio præcedentium, sequentiumque caussarum*. Quem ordinem e vestigio explicans ait: *Etiamsi nulla hic morarum temporalium sint intervalla, præcessit tamen ratio condendæ creaturæ in verbo Dei, cum dixit: Fiat lux. Secuta est ipsa lux, qua angelica mens formata est, atque in sua natura facta est, &c.* Sequenti autem cap. XXXIV. explanat quomodo unico instanti temporis da una in alteram cognitionem, de vespertina in matutinam procedat Angelus, etiamsi una cognitio sit caussa alterius, exemplo solis, quem orientem uno ictu videt acies oculorum nostrorum, licet *pervenire non possit ad solem orientem, nisi transeat aeris, cælique spatium, quod inter nos, & ipsum est*. Oportet ergo, ut distinguamus moras & instantia temporis, quod peragitur motu rerum corporearum, & moras & instantia operationum Angelorum, qui de una cognitione transeunt in alteram, sed tanta celeritare, ut harum ordo & caussalitas perficiatur absque ullo intervallo *morarum temporalium*. Quibus ex Augustino decerptis, sit

PROPOSITIO I. Angeli peccare & mereri potuerunt initio temporis, & revera alii meruerunt, alii peccarunt, priusquam percurrerent intervalla morarum temporalium.

De merito consentientes habeo Thomistas, & quamquam his non omnes subscribant, *multo rectius sentiunt, qui docent omnes angelos primo instanti, quo facti sunt, beatitudinem meruisse*, inquit Cl. Estius in II. Sent. §. II. dist. 3. Quod etiam peccare potuerint, docent Scotistæ, aliique superius laudati: & quod nulla fuerit mora inter creationem & lapsum angeli, & in primo instanti suæ creationis in actum libe-

liberi arbitrii proruperit, asserit S. Thomas q. 63. art. 5. Thesim autem universam sic demonstro. I. Angeli absque ulla temporum mora simul fuerunt & dies, & lux, & simul habuerunt *vesperam*, *& mane*. At *vespera* est contemplatio rerum creatarum, *mane* est relatio amoris & caritatis in Deum: Ergo absque ullu temporalium morarum spatio & per intellectum sese cognoverunt, & per liberum arbitrium Angeli sancti caritate in Deum ordinati sunt, reliqui seipsis delectati. Major propositio est Augustini cap. 32. & 29. lib. iv. de Genes. ad lit.: & minor pariter est Augustini lib. xi. de Civit. Dei cap. vii. Hæc argumentatio sequenti corroboratur: Ut angelus de une in alteram cognitionem, & de hac in actum liberæ caritatis erumpat, ut Augustinus docet, non eget spatio temporis, quo movetur animus noster pressus tarditate ac difficultate propter corpus corruptibile, quod aggravat animam: sed, ut acies oculorum per ampla, immensaque spatia ad orientem solem transit ictu uno; absque temporis mora a mentis contemplatione ad diligendum Deum potentiæ spiritali transcendit. Quid ergo prohibet, ut initio temporis eodemque creationis momento sibi meritum ac demeritum comparasse affirmemus? Huc etiam pertinet argumentum Gregorii Ariminensis & Scoti, quo saltam potestas peccandi, & merendi in primo instanti evincitur. Est autem: In primo instanti habuerunt Angeli quod ad merendum, ac demerendum requiritur, videlicet notitiam rerum, liberum erbitrium, necnon supernæ gratiæ adjutorium, atque ut actum amoris sui in Deum vel in seipsos referrent, non opus habebant, ut illum mora alique temporis suspenderent. Potuerunt ergo in illo creationis momento & Deo adhærere amore casto, & mereri; atque in seipsis delectari, & peccare.

Deinde profertur exemplum Christi, qui in primo conceptionis momento revere promeruit, & licet non potuerit peccare, quoniam erat Deus homo, & fruebetur visione Dei, per quam, ut explicatum est cap. xiii. naturaliter amor erga ultimum finem determinatur, & sola remanet indifferentia relate ad media; tamen promeruerit reapse. Angeli ergo, qui nondum videbant Deum facie ad faciem, in priori momento non solum mereri poterant, sed etiam culpam & nequitiam contrahere. Neque audiendi sunt, qui ajunt Christum meruisse duntaxat post primum instans; hæc enim responsio apertissime falsa est, & adversatur Magistro sent. in 3. dist. 18. Divo Thomæ 3. p. q. xxxiv. art. 3. Theologis fere omnibus: auctoritati Sanctorum Patrum, præsertim Gregorii Magni, & Augustini apud Magistrum, ec D. Thomam loco nuper laudato: rationi etiam apertissimæ, quoniam nisi Christus meruit in primo instanti, potuit juxta animæ meritum proficere, quod erroneum est, & Patribus adversatur. Tamen Thomistæ docent non eamdem esse rationem de potestate merendi, ac peccandi; quod, inquiunt, liberum arbitrium ad bonum se habeat naturaliter, ad malum vero præter naturam: & rursus, quidquid est in merito, est a Deo, quidquid est in peccato, a libero duntaxat arbitrio: sed ut hæc vera sint, ratiocinationis nostræ vis non infringitur. Nam quamvis meritum sit a Deo, requiritur tamen ut liberum arbitrium, dum meretur, agat indifferenter, habeatque liberam ad utrumlibet potestatem: si ergo in primo creationis momento liberum arbitrium indifferenter se habet ad actum, ad quem potest se determinare per gratiam, in eoque momento mereri; poterit etiam indifferenter prorumpere in actum, ad quem potest voluntas suapte indole flecti, ideoque etiam peccare. Quod enim præcedat in Angelis voluntatis nequitiam gratia, sanctitas, & rectitudo naturæ; efficit tantum, ut Angelus peccare nequeat in primo instanti operationis angelicæ, quæ tamen sine temporis mora perfici potest, aut dehonestari.

Illud denique accedit, quod ad meritum, vel demeritum necesse non est ut voluntas mora aliqua temporali suspensa maneat, deliberatura postmodum quid eligat, & prosequatur; sed sufficit, si velit & eligat cum indifferentia judicii, idest, cum potentia ad oppositum. Voluntas ergo Angelorum, quæ temporali mora ad eligendum non indigebat, statim ac producta est absque plenitudine beatitudinis & cum libera potestate convertit se ad laudandum & diligendum Creatorem suum, & libere meruit: quemadmodum voluntas dæmonum in delectationem sui flexa est, culpamque suscepit.

PROPOSITIO II. Si loquamur de instantibus Angelicis, sive de ordine, quo una cognitio præcedit alteram, & illuminatio mentis antevertit, causatque delectationem voluntatis, Angeli non potuerunt in primo instanti mereri aut demereri.

Hanc thesim breviter demonstro. Ac primo S. P. Augustinus postquam lib. 4. de Genes. ad lit. cap. xxix. dixerat in Angelis fuisse simul absque temporis intervallo *& diem, & vesperam, & mane*; proximo capite xxxi. ait, quod si loquamur de ordine præcedentium & sequentium caussarum, *non fuerunt simul omnia & dies, & vespera, & mane, sed singillatim per ordinem*. Quem ordinem cap. 32. exponit, quod primo præcessit ratio condendæ creaturæ, deinde Angeli in propria natura creati sunt, postea se in propria substantia noverunt, tum aliqui conversi sunt in Dei amorem & laudem, ceteris delectatione conditionis suæ tumescentibus. Igitur si de tali caussarum ordine, & diversitate operationum verba faciamus; initio Angeli nullo merito operati sunt, neque operari potuerunt. Præterea antequam Angeli per liberum arbitrium in Dei amorem, vel in sui delectationem converterentur, præcessit causalitate & ordine creato eorum substantiæ exornatæ rerum notitia, originali sanctitate, & gratiæ actualis auxilio; ad quæ omnia, priusquam voluntas angelica libere determinatione flectatur, *passive* se habet; quippe non potest bonum diligi nisi præcedat cognitio, neque cognitio ipsa, nisi præexistat res cognoscenda: Ergo in illo priori momento creationis nulla fuit Angelis libere agendi facultas. Huc spectent etiam argumenta ex D. Thoma petita; idest, quod ad motum voluntatis debet præcedere apprehensio, ut ait q. viii. art. 4. & quod non potest liberum arbitrium in unam vel alteram partem flecti, nisi ab aliquo esteriori principio moveatur, ut docet in. 1. 2. q. 109. art. 2. &c. In primo ergo instanti angelico, quod est apprehensio, & motus voluntatis ad bonum in communi, in quod trahitur naturaliter, Angelus non poterat aliquid promereri; licet necessarie ei non fuerit temporis vicissitudo, ut de apprehensione ad amorem, & de motione ad bonum universaliter ad præeligendum particulare bonum deflueret. Vide Ægidium in 11. Dist. 3. p. 1. q. 1. art. 2., & 3.

Ex quibus constat pluribus instantibus angelicis cælestium spirituum salutem ac perditionem esse confectam, & hæc plura instantia respondere unico temporis nostri momento. Atque primum instans est creationis, quo omnes Angeli *lux* facti sunt, idest conditi cum participatione lucis æternæ ut possent beate & sapienter vivere, cum justitia & sanctitate, & cum actu bonæ voluntatis, & adjutorio eam præmovente ad bonum in communi. Alterum instans est meriti, in quo Angeli Sancti per actum deliberatum liberi arbitrii adhæserunt summo bono in Deum ex præcedente notitia & motione laudem caritatemque referentes, mali vero superbia inflati absque relatione ad Creatorem propria delectatione capti sunt. Postremum instans est retributionis, in quo illi majorem acceperunt abundantiam caritatis & beatitudinis plenitudinem, & isti in sempiternam miseriam ceciderunt. Hinc S. Thomas q. 62. art. 5. docet Angelos post primum actum caritatis, quo beatitudinem meruerunt, statim fuisse beatos, & in resp. ad 2. ait: *instantia diversa in his, quæ ad Angelos pertinent, non accipiuntur, nisi secundum successionem in ipsorum actibus*. Quæst. etiam 63. art. 6. docet Angelum peccasse *post primum instans suæ creationis*. Hæc eadem instantie paucis immutatis enumerat Scotus, atque in his *omnes jam pene recentiores conveniunt*, inquit tract. 1. disp. iii. art. 1. q. 3. Claudius Frassen.

QUORUMDAM ARGUMENTORUM REFUTATIO.

Adversus 1. Proposit. videtur obstare, quod si in primo instanti temporis Angeli peccassent, eorum nequitia foret Deo tribuenda; prima enim operatio, quæ simul incipit cum esse rei, est illi ab agente, e quo habet esse, ut inquit S. Thomas cit. art. 5. q. 63. Sequeretur etiam eodem momento fuisse simul in Angelis cognitionem *vespertinam*, qua viderunt in propria natura res creatas, & *matutinam*, qua se converterunt in Deum; quod perinde est, ac si dicamus extare simul lucem ac tenebras, sive diem noctemque. Falsum præterea esset quod scribit Anselmus cap. 13. de casu Diaboli, primam voluntatem non esse nisi a Deo.

Respondeo hæc statutæ a me positioni nihil officere. Ad primum enim respondeo peccatum Angelorum non esse Deo tribuendum, quoniam a Deo omnes Angeli creati sunt recti, & cum gratia, qua poterant, si voluissent, perseverare: ideoque nequitia debet refundi in solum eorum arbitrium, quod sine ulla temporali mora potuit flecti ad utrumlibet; tametsi ordine causalitatis creatio præcedet illuminationem mentis angelicæ, illuminatio vero voluntatis affectum. Quod adeo verum est, ut S. Pater xi. de Civit. Dei cap. xiv. loquens de ordine præcedentium, & sequentium causarum ait: *Et illud quod ab initio diabolus peccat, non ab initio, ex quo creatus est, peccare putandus est, sed ab initio peccati, quod ab ipsius superbia cœperit esse peccatum*: quippe ante peccatum, quod naturale non est, præcedit natura, quam etiam *in extremis infimisque bestiolis* Deus constituit; & consequenter *initium ejus figmentum est Domini*. Sed de initio temporis, quod motu corporalium metimur, idem Augustinus lib. xi. super Genes. cap. 23. inquit: *Quod putatur nunquam Diabolus in veritate stetisse, nunquam cum Angelis beatam duxisse vitam, sed ab ipso suæ conditionis initio cecidisse, non sic accipiendum est, ut non propria voluntate depravatus, sed malus a bono Deo creatus putetur; alioquin non ab initio cecidisse diceretur: neque enim cecidit, si talis est factus. Sed factus continuo se a luce veritatis avertit superbia tumidus, & propria potestatis delectatione corruptus: unde beatæ atque angelicæ vitæ dulcedinem non gustavit. Quam non utique fastidivit acceptam, sed nolendo accipere deseruit, & amisit*. Habet similia præcedenti cap. xvi. En quomodo absque ulla temporis mora initio cecidit. Ad alterum vero, ex dictis liquet inter cognitionem *vespertinam* & *matutinam* non temporalem moram interfluxisse, sed ordinem naturæ & causalitatis duntaxat; quod animadvertit etiam Guilel.

Estius

Estius magni nominis Theologus lib. 2. dist. 3. §. 11. Quod ait Anselmus pariter verum est; nam priusquam creata voluntas per liberam determinationem eligat bonum aliquod particulare, est ab auctore naturæ determinata ad bonum in communi, & hæc determinatio illam ordine caussalitatis, at non semper temporis successione, antevertit. Præclare itaque Anselmus primum *velle* Deo tribuendum esse affirmavit.

Adversus alteram thesim facit primo, quod Aug. XI. de Civit. Dei cap. 13. disputans contra Manichæos de origine malæ voluntatis ait non sentire cum illis hæreticis, quisquis afferat Diabolum ab initio peccare, hoc est, ex quo creatus est justitiam recusavisse. Potuit ergo Angelus in 1. instanti operationis suæ demereri, nec tamen culpa foret Creatori imputanda. Deinde si ad meritum, ut dictum est, non requiritur suspensio actus, sed sufficit potestas ad oppositum: eccur prima angelica operatio, cum tali potestate conjuncta, effici non potuit cum merito? Ad extremum primus actus, quem in nobis excitat efficax gratia Christi, meritorius est; & cum sit vitalis a voluntate interius se movente progreditur. Hujus generis eccur non fuit operatio prior Angelorum?

Resp. neque his cuniculis firmatam a nobis sententiam concuti, sed muniri validius. Jure enim Augustinus scribit non sentire cum Manichæis, quisquis afferat diabolum ab initio propria voluntate cecidisse, quod enim malum est, & voluntarium, non est naturale sed liberum; & ipsa mala voluntas eum sit a libero arbitrio, *grande testimonium est naturæ bonæ*. Sentiret tamen cum Manichæis qui assereret apprehensionem, & inclinationem, cum qua Deus naturam angelicam condidit, & quæ liberam voluntatis deliberationem antevertit, fuisse naturaliter malum; hoc enim est facere dæmonem natura malum, non voluntate. Non sunt ergo ad anxias morarum inquisitiones trahenda verba Augustini: sed hoc tantum tenendum asseveranter, naturam bonam præcessisse ante malam voluntatem. Ita meritum non antegreditur necessario anceps suspensaque consultatio: antevertit tamen apprehensio, & inclinatio ad bonum in communi ordine saltem caussalitatis; quoniam cognitio *matutina*, per quam Angelus convertit se ad laudandum diligendumque incommotabile bonum, subsequitur ad *vespertinam*, per quam in propria natura res creatas agnovit. Actus æque prior, quo fulti victrici adjutorio commeremus, deliberatus est, fitque cum potestate ad utrumlibet: sed actum deliberatum antecedit ordine efficientiæ gratia actualis, quæ est actus indeliberatus mentis & voluntatis, scilicet sancta cogitatio, & inspiratio dilectionis. Ita ergo actum deliberatum Angelurum præcessit aliqua cogitatio & inspiratio, non temporis successione, sed ordine caussalitatis: eaque cogitatio & inspiratio est primum instans angelicum; aut, si mavis, sunt duo instantia actibus mentis, & voluntatis distincta.

CAPUT XVI.

Quis fuerit desertorum Angelorum princeps: in quo deliquerint: quo sint post culpam detrusi.

SEQUITUR, ut de malorum Angelorum peccato disseramus: quorum Coryphæum *Satanam* dicunt, vel *Diabolum*. Satan vox hebræorum est derivata a שטן, & adversarium, hostemque significat: unde III. Regum XI. 14. Adad Idumæus dicitur in Codice hebraico שָׂטָן לִשְׁלֹמֹה *Satan Salomoni*: Et Petro obsistenti Christo, ne ad crucem properaret, dictum est Mat. XVI. 23. *Vade post me Satana*. Διάβολος græcum nomen est, ab διαβάλλω, *traduco*, *calumniam infero*. Atque hoc vocabulo designatur erga homines livor & invidentia, &, quæ hinc ortum habent, mendacium, homicidium, & cohortatio ad malum: quare Pharisæi invidi, & morti Christi inhiantes Joan. VIII. 44. esse dicuntur ex *patre Diabolo*: & cap. VI. 71. *Diabolus* appellatur Judas Iscariotes, & quisquis innocentibus malum struit. *Dæmonis* appellatio communior est, significatque, ut dixi cap. XII. not. 8. *scientem & divinum*, & hoc nomen accitum est a δαίω, *scio*. Quapropter, nisi sermonis usus vetaret, in pretio & honore posset haberi, ut olim apud Græcos vulgare erat, τίμα τὸ δαιμόνιον, *Deum cole*: at post Evangelium dignum est Dæmones tantum appellare nequissimos illos spiritus divinitatis æmulatores.

Horum spirituum quærimus primo Ducem ac principem; ignoratur enim, & tamen disputatur, quis fuerit dux & columen ceterorum. Deinceps agendum est de perpetrato ab his crimine; quod alii dixerunt stuprum illatum feminis, alii invidentiam, superbiam alii; & multi multa commenti sunt. Videndum postea, an statim post culpam dæmones omnes in abyssum relegati fuerint, an adhuc plures per aerem vagentur.

PROPOSITIO I. Verisimile est Satanam fuisse ceteris spiritibus nobiliorem.

Apud Ezech. enim cap. XXVIII. 2. Satan princeps Tyri appellatur; quod ut concedamus literaliter accipiendum esse de Ithobalo, aut alio Tyriorum Rege divitiarum copia, præsidiisque urbium potentissimo; designat nihilominus etiam desertorem Diabolum, qui ceteros Angelos decore & ordine antecellebat. Tertullianus enim lib. 2. adversus Marcionem cap. 10. scribit Satanam Tyriorum principi comparatum, *quia erat eminentissimus Angelorum, & Archangelus omnium sapientissimus*. Ac videntur in hanc sententiam PP. conspirare. Nam Gregorius lib. Moralium IV. cap. 13. ait: *Apostata Angelus, qui ita conditus fuerat, ut Angelorum ceteris legionibus emineret, superbiendo succubuit*. Bernardus etiam serm. de Adv. *Superbia* (inquit) *non modo Angelum, sed Angelorum principem in Diabolum commutavit*. Atque Auctor Comment. quæ Hieronymi nomen præferunt in Psalm. 23. habet: *Diabolus novem ordines Angelorum sub sua hebuit dominatione sive bonos, sive malos*.

Posset opponi, quod in eodem cap. 28. Ezech. v. 14. Diabolus vocatur *Cherub*: sunt autem Cherubim inferiores Seraphinis: & S. P. Augustinus lib. 11. de Gen. ad litt. cap. XVII. videtur distinguere duo Angelorum genera, unum supercælestium, alterum aereorum ac mundanorum, quibus tantum Satan præesset.

At responden juxta regulam septimam Tichonii apud Augustinum c. 37. libri III. de Doctrina Christiana, in Scripturis, quæ sunt de Diabolo, qui est caput impiorum, & simul de membris ejus, non omnia verba capiti necessario congruere: quod S. Pater demonstrat ex Prophetia Isaiæ cap. XIV. quæ est de rege Babyloniæ ac de Satana, in qua plura sunt in contextu sermonis, quæ diabolo nequeunt aptari. Itaque verba Ezech. quæ simul de Rege Tyri & de dæmone sunt intelligenda, non omnia utrique conveniunt. Rex ergo Tyri est *Cherub extentus*, sive, ut hebræus legit, כרוב ממשח, *Cherub unctus*, scilicet, *Princeps illustris*: & כרוב, quoniam, ut Cherubim arcam obtegebant, Tyrorum fines munierat: ממשח, quia reges omnes & magnates ita appellabantur. Non autem oportet etiam Satanam *Cherub* dicere: quamquam si dicatur hoc sensu, ipsius potius demonstratur dignitas, quam inferior conditio. Inspecta quoque significatione verborum *Seraph* ardorem significat; perdiditque Diabolus sortem Seraphim, quia in amore casto, & bona voluntate non steterit. In 11. de Gen. ad lit. cap. XVII. Augustinus aliorum narrat opinationem, de qua proximo cap. XIX. inquit: *Sed afferant hæc duo genera bonorum angelorum qui potuerint, unum supercælestium, in quibus nunquam fuit, qui cadendo diabolus factus est; alterum autem mundanorum, in quibus fuit: mihi autem fateor unde hoc secundum Scripturas afferam, non interim occurrit*.

PROPOSITIO II. Peccaverunt angeli apostatæ superbia, ductaque a magnitudine animi contumacia.

Id Scriptura, PP., & promiscua argumentatio suadent. Primo Tob. IV. 14. legitur: *Superbiam unquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio*. Apud Isaiam XIV. 11. *Detracta est ad inferos superbia tua*. Vicesimo octavo Ezech. 17. *Elevatum est cor tuum in decore tuo*. Et in 1. ad Timoth. III. 6. *Ne in superbiam elatus in judicium incidat Diaboli*; idest, in pœnam, quam ob superbiam Lucifer pendit. Deinde hæc est SS. Patrum traditio. S. P. Augustinus XI. de Gen. ad lit. cap. 23. *Continuo*, inquit, *se a luce veritatis avertit superbia tumidus*. Et XXII. contra Faustum cap. 87. *In veritate non stetit, sed a luce sua superna, quam de Deo habebat, superbiæ merita abscissus est*. Athan. in Orat. de Virg. *Superbia ipsum in inferiores abyssi partes præcipitavit*. Cyrillus lib. 2. in Isaiam: *Cecidit tumida & turgida cogitans, & honorem ac gloriam soli summæ naturæ congruentem rapere cupiens, quantum molimine & vi & animo poterat*. Vide Propos. præcedentem. Suppetit etiam triplex ratio. I. quia elevare cor suum, & proprio fastu tumescere est arrogantiæ, & fastidii argumentum: & diabolum inflati animi contumacia deliquisse, constat ex dictis. II. quoniam superbia nihil est aliud, quam inordinatus propriæ excellentiæ amor. At angelum hoc inordinato amore corruisse aperte evincitur: quisquis enim peccat avertit se ab incommutabili bono, vertitque ad aliquod creatum & mutabile. Angelus vero non convertit se ad res corporeas, quarum delectatione non capitur, sed ad semetipsum; ideoque peccavit prava propriæ potestatis delectatione: unde S. P. XII. de Civ. Dei cap. 6. ait: *Ab illo qui summe est aversi ad seipsos conversi sunt, qui non summe sunt; & hoc vitium quid aliud quam superbia nuncupatur?* III. Ut Damascenus scribit lib. II. cap. 3., ad nullum peccatum pronior est spiritus, quam ad superbiam: quamvis enim possint in eo inveniri invidia, malevolentia, aliaque plura; hæc tamen amorem proprium consequuntur; quum E. G. nemini soleat quis invidere, nisi propriæ potestatis ita afficiatur amore, ut nullum sibi dignitate compatiatur æqualem: ut infra in resp. ad 2.

PROPOSITIO III. Non omnes dæmones in abyssum dejecti sunt, sed permulti in aeris regionibus adhuc versantur.

Quibusdam videtur omnem angelorum malorum multitudinem in tartarea loca fuisse relegatam, ibique in vincula conjectam; propterea quod in II. Petri cap. 2. v. 4. indiscriminatim scriptum sit: *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, &c.*, & in Epist. Judæ v. 6. *Angelos, qui non servaverunt suum principatum .... vinculis æternis sub caligine reservavit*. Vera tamen est præmissa conclusio, scribente Apostolo ad

lu ad Ephes. vi. 12. nobis colluctationem esse *adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*. Quæ verba exponens Hieronymus inquit: *Hæc omnium Doctorum opinio est, quod aer iste, qui cælum, & terram medium dividens inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus*. Dixerat Apostolus c. 11. ejusd. Epist. 2. dæmonem esse *principem potestatis aeris hujus*. Etiam Lucæ VIII. 31. dæmonia Christum *rogabant ne imperaret illis ut in abyssum irent*. Quippe noverant posse cum aliis ante judicii diem per aerem volitare. Assentiuntur huic sententiæ auctore Hieronymo nuper laudato Doctores omnes. I. Patres, Tertullianus c. 22. Apolog. Lactantius lib. 1. c. 6. Chrysostomus hom. 11. in epist. 1. ad Thessalonic. Fulgentius lib. 1. de Trinit. c. 8. Rupert. in 1. Commentariorum in Genes. c. 17. &c. Quid Augustinus? ut mittam loca alia permulta, scribit ille in VII. de Civit. Dei c. 22. *esse spiritus nocendi cupidissimos a justitia penitus alienos, superbia tumidos, invidentia lividos, fallacia callidos, qui in hoc quidem aere habitant*. II. Assentiuntur Hebræi, quorum est vetustissima traditio in libro Aboth expressa, & in libro, qui inscribitur, *Cedrus Libani*, nec non in altero, qui dicitur מנחת חרושה apud Grotium tom. 3. p. 887. III. etiam Philosophi, præsertim Platonici, qui frequenter dixerunt *δαίμονας ἠεροφοίτους dæmonas in aere oberrantes*, &, *δαίμονες ἀέριον γένος, dæmones genus aereum*. Denique etiam Poetæ, qui *in hoc aere totam illam inferiorum Deorum fabulam constituerunt, Proserpinam, Summanum, Ditem, & Manes, & furias*: inquit Vives Comment. in cit. c. 22. de Civit. Dei.

Erit ergo in epist. 2. Petri, & in Canon. Judæ nomen inferni, & caliginis accipiendum pro aere, qui comparate ad cælum aut splendidissimum ætherem merito dicitur tartarus, abyssus, infernus. Ita enim declarant Patres, Augustinus in Psalm. 140. Gregorius lib. XIII. Moral. cap. XVII. & Beda in epist. II. Petri c. II. Aut dicas, omnes quidem Angelos statim ac peccaverunt fuisse in infernum detrusos, ibique sempiternis suppliciis esse mulctandos: occulto tamen Dei judicio factum esse, ut Satan inde exiret, ut Evam Adamque tentaret, ac post horum transgressionem datum quoque plurium dæmoniorum turmis illinc erumpere, & per aerem vagari, ut Adæ posteri peccati effecta sentirent, gererent se humiliter & demisse, luctam haberent cum adversario nequissimo, ab eoque interdum vexarentur, donec expletis Christianæ Fidei triumphis in profundum dejectus penitus vagandi & nocendi potestate privetur.

QUÆ FACIUNT CONTRA PROPOSITIONEM SECUNDAM.

Nullius, aut saltem parvi negotii erit contrarias repellere objectiones: quarum prima est, colligi ex cap. 6. Genes. v. 2. *Videntes filii Dei filias hominum &c.* Quod prima Angelorum iniquitas fuerit cum mulieribus concubitus; ita enim textum exponunt Clem. Alex. lib. 1. Pedagogi c. 2. Athenagoras legatione pro Christianis, Tert. in lib. de Idololatria, Joseph etiam Hebræus in 1. Origin. cap. 4. Lactantius, Methodius, &c. Verum hujus loci legitimam dedimus explicationem cap. II. ad 1. Interim ut concedamus dæmones incubos, quos Silvanos, Faunos, & Dusios nuncupant, improbos mulieribus extitisse, & cum illis peregisse concubitum, ut asseverare videtur S. Pater XV. de Civit. Dei c. 23. certum est Angelos primum hoc peccato labi non potuisse. Peccatum enim Angelorum antevertit culpam Adæ; quippe legimus Sap. II. 24. *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum*: atque apud Augustinum ibidem: *qui primum hominem per invidiam serpentina fraude decepit*. At Adam non cognovit uxorem suam nisi post lapsum; ideoque Angelorum peccatum omnem generationem filiarum hominum antecedit.

Præterea non desunt qui existiment primum Angelorum flagitium fuisse invidiam: pro qua opinatione proferri possunt apertissima testimonia Irenæi lib. IV. cap. 78. Cypriani in libro de Zelo & Livore, Gregorii Nysseni Catech. 6. necnon Augustini in 4. de Baptismo contra Donatistas, & tract. V. in Joannem. Sed respondet idem S. P. lib. XI. de Civ. Dei cap. 14. *Cum superbia sit amor excellentiæ propriæ, invidia vero sit odium felicitatis alienæ, quod inde nascatur satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet quia ei coæquantur, vel inferioribus ne sibi coæquentur, vel superioribus quod eis non coæquetur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quisque superbus est*. Oppositæ ergo auctoritates ita sunt exponendæ, ut quoniam invidentia est primogenita filia superbiæ, & superbus non potest esse non invidus, statim ac diabolus sui delectatione inflatus est, cœpit invidere Deo summum honorem & cultum, ceterisque spiritualibus creaturis justitiæ meritique ornamenta; atque ita ex elatione superbiæ etiam invidia contabuit.

Tertia argumentatio est Scoti, ejusque assectatorum, quibus placet diaboli crimen appellare *spiritualem luxuriam*. Inquiunt enim: diligere semetipsum aut alium inordinato amore amicitiæ est unum specie scelus: at amare hoc pacto alterum luxuries est & libido, non contumacia superbiæ. Addunt superbum esse, qui se super alios extollit: Angelum vero non appetivisse sui eminentiam comparate ad alios, sed absolute fuisse excellentia præstantiaque sua delectatum. Quæ opinio, præter catachresin, & abusionem verborum, communi etiam judicio repellitur. Immodica enim effrænisque delectatio est ratio communis cuique peccato, & ex diversitate objectorum varias nequitiæ species constituit; ut si fuerit delectatio cibi vel potus, fiat crimen edacitatis & gutturis: si appetitus laudis, ambitio; si aliorum adversitatis atque infortunii, malevolentia; si propriæ potestatis ac magnitudinis, superbia. Non est ergo luxuries delectatio & amor cupiditatis tantummodo, sed oblectatio de re venerea & turpi carnis voluptate: nisi propinquis verbis abutamur, ut quando dicimus *in ubertate luxuriam*, aut *luxuriem in herbis*. Neque requiritur ad superbiam comparatio ad alterum; cum aliquando quis superbiat se se bonum existimando, aut dum jactat collatum sibi pro meritis donum aliquod: qui duo sunt primi actus superborum, ut scribit Gregorius capite quarto libri Moralium tertii ac vicesimi. Site est ergo superbia in immodica & irrationali propriæ præstantiæ oblectatione; & velle præesse aliis hujusmodi oblectamentum, tamquam effectus caussam, insequitur.

Quæres quænam fuerit hæc malorum Angelorum superbia.

Resp. multa quidem & varia esse doctissimorum virorum responsa. Nam quidam asserunt cum Scoto, Vasquesio, aliisque, in hoc superbiam Diaboli sitam esse, quod concupierit esse Deo similem, non absolute, quippe optime noverat se plurimum a Dei majestate distare, neque posse ad illam pertingere, sed conditionate, videlicet, si id foret aliquo modo possibile. Gulielmus Parisiensis, & Gregorius de Valentia inquiunt noluisse Diabolum Deo subjici quantum ad ministeria exercenda, sed esse sui juris, neque communi Angelorum lege teneri: quod affirmare videtur etiam S. P. Aug. in Psalmum 70. Gregorius lib. 34. Moral. cap. 13. & Anselmus de Casu Diaboli cap. 4. Theologorum permulti cum D. Thoma q. 63. art. 3. & Ægidio in II. dist. 5. q. 1. art. 2. docent, avertisse se a beatitudine supernaturali, dum naturalibus viribus voluit eam adipisci: quo sensu Ambrosius ait in Ps. 118. *Ipse sibi ad beatam vitam sufficere voluit*. Contendunt quidam in hoc deliquisse, quod naturalem beatitudinem ad finem ultimum, nempe Deum, noluerit referre, ut Cajetanus, Ferrariensis, & alii ex Thomistis. Villalpandus in cap. 28. Ezech. censet affectasse dæmonem divinos honores, & Angelorum latriam, quod fieri potest etiam a creatura, quæ se Deum non esse, sed a Deo productam agnoscit; quo scelere infecti sunt Reges Babylonis, & Tyri, nec non Alexander Macedo, Antoninus Verus, Domitianus, & alii. Ego hæc omnia sic approbo, ut Diabolus superbia tumidus propriæ potestatis delectatione corruptus fuerit, ut inquit S. P. lib. XI. de Genes. ad lit. c. 23., neque ex propriæ naturæ contemplatione surrexerit ad amandum & laudandum creatorem suum, sicut fecerunt Angeli Sancti, ut legitur in XI. de Civit. Dei c. 7. atque ita dæmones ultimum finem in seipsis collocavisse *per elationem, qua ipsi sibi ad beatam vitam sufficere vellent*, quemadmodum habetur in cap. 1. libri XXII. ejusdem Operis. Hinc comes illa superbiæ super ceteros inflatio, & nimia illa divinorum honorum cupiditas, qua etiamnum cor Satanæ mirifice tangitur.

Hoc etiam pacto intelligitur, quomodo peccare potuerit, cum esset particeps lucis & sapientiæ: quandoquidem videndo se in propria natura per cognitionem, quam dicimus *vespertinam*, non utique erravit; sed ut assurgeret in laudem & amorem Creatoris caruit propria voluntate judicio practico, ad quod indifferens erat ob rationem prolatam capite XIII.

CAPUT XVII.

De æterno igne, qui Diabolo & Angelis ejus paratus est.

PECCATO finitima pœna est: eique dæmones addicti sunt, expulsi a regno Cælorum, privati gratia, & inferorum igne damnati. De hoc igne disputari solet an sit materialis & corporeus, & an futurus sit sempiternus. Et hæc quidem postrema quæstio dogma Catholicum est, certissimaque fide tenendum adversus Origenem, qui, ut scribunt Epiph. in Epist. ad Joan. Jerosolymitanum, & Hieronymus Epist. 55. ad Pammachium, negavit pœnas dæmonum esse æternas. Altera autem quæstio de Igne corporeo, si a gehennæ & inferorum loco præscindas, communis quidem est inter Romanæ communionis Catholicos, & excepto Catharino vix aliquem invenies qui defendat oppositam, imo & ex Novatoribus quidam in eandem nobiscum sententiam conspirant, repugnantibus tamen quamplurimis; sed videtur nullum de hac extare decretum.

Dixi autem, *Si a gehenna & inferorum loco præscindas*: hunc enim adversus Calvinum, Bezam, & nuperos Unitarios materialem esse firmiter credendum est. De hujus infra terram incolatu tractat in Psalm. II. Hilarius, Tertullianus lib. de Anima cap. 55., & quamquam definire locum Inferni noluerint veterum aliqui, & nonnulli extra hunc mundum statuerint: *Infernum sub terra esse nemo jam ambigit*, inquit in Epistolam ad Ephesios c. 14. Hieronymus.

Au-

Augustinus vero, qui in lib. xII. de Gen. ad lit. cap. 32. anceps videtur, & in eam opinationem propender, quod inferorum substantia spiritualis sit, non corporalis, in II. libro Retract. cap. 24. *De inferis*, inquit, *magis mihi videor docere debuisse, quod sub terris sint, quam rationem reddere cur sub terris esse credantur, sive dicantur, quasi non ita sit*. Et quidem ex cap. xI. Mat. 23. Capharnao dictum accipimus, *Usque in infernum descendes*; quod dictum etiam de Babylone apud Esaiam xIV. 15. non solum ad significandam urbium & murorum eversionem, sed etiam civium interitum atque pœnam. In Apocalypsi quoque in abyssum detrudendum serpentem antiquum, qui est Diabolus & Satanas, & una cum eo mittendos in stagnum ignis quotquot scripti non erunt in libro vitæ, legimus cap. xx. v. 2. & 14. Atque ne loca omnia producam, Paulus ad Philipp. II. 10. scribens, *In nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*, aperte indicat triplicem animarum locum in cælis, in terra, & in inferis. Nolumus iccirco de hac re dubitare: Sed his paucis præmissis, quæ ad refellendum Calvinianum errorem possunt sufficera, priores illas quæstiones, nimirum de æternitate, & qualitate infernalis ignis aggredimur.

PROPOSITIO I. Perpetuus atque æternus erit ignis, quo dæmones & damnati torquentur.

Origenistarum error ex Platonicis haustus, ut scribit in lib. xxI. de Civit. Dei cap. 13. S. P. Augustinus, quamquam Plato in fine Gorgiæ, & Virgilius etiam in 6. Æneid. non omnium omnino iniquorum ad temporalem emendationem pœnas post mortem duraturas esse pronunciant; sed ille sceleratioribus sempiternas infligi, is infelicem Theseum asserit sedere, æternumque sedere: Origenistarum, inquam, error sacris literis, Patrum auctoritate, ac syllogismis, idest, ductis a ratione argumentis convellitur. Ex Scripturis hæ sunt apertissimæ: Isaiæ lxvI. 24. *Ignis eorum non extinguetur*. Danielis xII. 2. *Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium ut videant semper*. Quo in loco legunt hebræi quidam, לְדִרְאוֹן עוֹלָם *ad opprobrium sempiternum*, & Græci εἰς ὀνειδισμὸν καὶ αἰσχύνην αἰώνιον, *in convitium, æternumque pudorem*. Matthæi xxv. 41. *Discedite a me maledicti in ignem æternum*, & infra 46. *Et ibunt hi in supplicium æternum*. Lucæ xvI. 26. *Chaos magnum inter nos, & vos firmatum est: ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare*. Eo pertinent testimonia, quibus asseritur improbos nunquam fore cælesti regno potituros; ut Marci III. 29. *Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum non habebit remissionem in æternum*: Pauli in I. ad Corinth. 6. 9. & 10. *iniqui regnum Dei non possidebunt*: Et 2. ad Thessalon. I. 9. *Pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini*. Apocalypsis denique xx. 10. *Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*.

Hæc simul conjuncta elidunt responsum Origenistarum autumantium supplicium damnatorum dici æternum quod diu, non autem semper duraturum sit. Quod sane ineptum est, mentitum, dictisque repugnans. Principio enim licet tam hebraicum עוֹלָם, quam græcum vocabulum τὸ αἰών; pro sæculo, pro mundo, & pro diuturna duratione nonnunquam accipiantur, αἰώνιος tamen nonnisi pro æternitate, sive nunquam desitura successione desuper usurpatur: unde Augustinus contra Priscillian. cap. 5. ait: *Αἰὼν autem græce aliquando æternum, aliquando sæculum significat: tamen quod ex hoc nomine derivatur, & appellatur αἰώνιον, nec ipsi græci quantum existimo solent intelligere, nisi id quod non habet finem*. Præterea ita ignis inferni æternus dicitur, ut extingui non debeat, apud Esaiam 66. 24. unde Augustinus ibidem cap. 6. ait: *Qualiscunque pœna significata sit nomine vermis, atque ignis; certe si non morietur, neque extinguetur, sine fine prædicta est*. Rursus tam capite III. Danielis, quam xxv. Matthæi ex æquo dicitur æternum opprobrium ac supplicium impiorum, & æterna vita bonorum: hanc vero finem habituram esse non credunt Origenistæ. Ad hæc: si finis miserrimi apud inferos incolatus expectari posset quodammodo, haberetur tandem omnium peccatorum remissio, & posset Epulo ad sortem Lazari transmeare; quod ceteris testimoniis evincitur esse contrarium. Denique in xx. Apocalypseos dicuntur improbi cruciandi *in sæcula sæculorum*. At neminem latet hanc Latinorum emphasim, quemadmodum Græcorum εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Hebræorumque מֵעוֹלָם עַד־עוֹלָם terminum exitumque prorsus excludere: ut animadvertit S. Pater lib. xxI. de Civ. Dei cap. 23. Quod vero alii reponunt ignem quidem futurum æternum, at non æternum supplicium, iisdem momentis retunditur; præsertim cum Matthæi xxv. v. 41. & 46. similis occurrat repetitio vocis αἰώνιον, sicut & in xII. capite Danielis. Ut ergo erit æterna requies Sanctorum, & æternus ignis inferni; ita æternus erit cruciatus impiorum, æterna combustio, æternumque supplicium. Præclare Augustinus de Fide & Operibus cap. 15. *Neque illud dici hic poterit, in quo nonnulli seipsos seducunt, ignem æternum dictum, non ipsam combustionem æternam; cum & hoc prævidens Dominus sententiam suam conclusit dicens sic, Ibunt illi in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam. Erit ergo combustio æterna sicut ignis*. Atque de Civit. Dei loco nuper laudato: *Si utrumque æternum, profecto aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque sine fine perpetuum debet intelligi. Par pari enim relata sunt: hinc supplicium æternum, inde vita æterna. Dicere autem in hoc uno eodemque sensu, vita æterna sine fine erit, supplicium æternum finem habebit, multum absurdum est*.

Cum Augustino eadem ceteri Ecclesiæ PP. tradiderunt. Chrysostomus hom. 2. de Lazaro, Epiphanius hæresi 59. contra Catharos, & Auctor QQ. ad Orthodox. q. 60. docent improborum animas non posse post exitum quicquam emolumenti percipere. Cyprianus Tractatu I. ad Demetrianum 22. scribit: *Quando istinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus*. Habet consimilia lib. de Bono Mortis cap. 2. Ambrosius. Tertulliani, Minutii, & Lactantii profert insignia testimonia etiam H. Grotius tom. 2. p. 240. Gregorius Nazianz. in Carm. de rebus suis ait: *Post hanc vitam omnia esse vinculis adamantinis alligata*. Hieronymus in caput Matthæi quintum ac vicesimum hæc graviter, sane, & probe conscribit: *Prudens lector adverte, quod & supplicia æterna sint, & vita perpetua metum deinceps non habeat minarum*. Greg. Magnus lib. xxIV. Moral. cap. 16. totus in hoc argumento versatur. Quid me in sylvam abstrudo? *Firmissime tene, & nullatenus dubites iniquos omnes ituros in combustionem æternam*, inquit Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 43. & Symbolum Athanasianum: *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum*.

Hujus vero dogmatis quintæ generalis Synodi, & earum, quæ consecutæ sunt, auctoritate definiti, cum etiam ratiocinationes possint afferri, ex Augustini libris aliquas mutuabor. Sit prima: Qui super fundamentum, quod est Christi fides, ædificaverit *aurum, argentum, & lapides pretiosos*, ut inquit Apost. ad Corinth. epist. I. cap. III. 14. *mercedem accipiet*. Si autem superædificaverit *fœnum, ligna, stipulam*, idest cum fide, quæ per dilectionem operatur, quodam carnali præpeditus affectu deliquerit venialiter, *salvus erit per ignem*, sive in hac vita per tolerantiam tribulationum, sive in altera per ignem Purgatorii: qui vero fundamentum non habuerit, scilicet, fidem & dilectionem, atque *homicidium, adulterium, fornicationem, idololatriam, & similia quæque commiserit, non propter fundamentum per ignem salvabitur, sed amisso fundamento æterno igne torquetur*: ait S. P. Augustinus in libro Quæst. ad Dulcit. cap. I. Apostolicam sententiam egregie pertractans. Illi ergo, qui hæc flagitia patrarunt, nec veraciter pœnitentiam egerunt, salutis fundamentum deperdunt, sera & infructuosa pœnitentia atque dolore inutili afficiuntur, neque emundari possunt per ignem, quo salvatur duntaxat quisquis super fundamentum ædificat *ligna, fœnum, & stipulam*. At everso, dirutoque fundamento salutis, concepta inutili cum desperatione pœnitudine; & premente cruciatu ignis, qui non purgat aurum, non emundat lateres Jerusalem, sed Babylonem incendit, ac præterea nullo supernæ gratiæ lumine coruscante, & creatura rationali in termino constituta, stultissime non sempiternum crediturt inferorum supplicium. Alterum argumentum depromitur ex lib. xxI. de Civ. Dei cap. 23. & 24. In extremo enim Judicio hæc pro justis sententia ferenda est: *Venite, percipite regnum*; in impios vero hæc alia, *discedite, ite in ignem æternum*: eaque lata *ibunt hi in supplicium æternum, illi autem in vitam æternam*. Sed utraque sententia vera est, utraque extrema, utraque definit absque termino justis, reprobisque mercedem, vel pœnam: Ergo sempiternum erit regnum electorum, & sempiternum pariter damnatorum supplicium. Audias Augustinum cit. cap. 23. *An forte Dei sententia, quæ in malos & angelos & homines proferetur, in angelos vera erit, in homines falsa? Ita plane hoc erit, si non quod Deus dixit, sed quod suspicantur homines, plus valebit. Deinde quale est æternum supplicium pro igne diuturni temporis non extimare, & vitam æternam credere sine fine, cum Christus in eodem ipso loco, in una eademque sententia utramque complexus sit: Ibunt isti in suplicium æternum, justi autem in vitam æternam?* Et proximo capite: *Cum dictum fuerit a judice vivorum atque mortuorum, Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: & aliis e contrario, Discedite a me maledicti in ignem æternum: nimiæ præsumptionis est dicere, cuiquam eorum æternum supplicium non futurum, &c.* Vide & lib. ad Orosium adversus Priscillianistas, & Origenistas cap. vI. His accedit, quod sicut vera beatitudo non consistit absque æternitate: sive, ut etiam Cicero scribit de Natura Deorum, sine animi securitate: ita non esset damnatorum plena miseria, si aliqua eis foret summi boni, cum magna pœna supplicioque, expectatio. De quo argumento vide Augustinum in xI. de Civit. Dei cap. xI.

EORUM, QUÆ OBJECTANTUR, DISSOLUTIO.

Objiciuntur adversus Catholicam veritatem plura Scripturarum divinarum testimonia, quæ ad tres classes reducenda videntur. I. Quædam sunt, quibus Deus gratiam & gloriam

gloriam pollicitus est fidelibus manducantibus corpus suum, & eleemosynam largientibus. De fidelibus enim legimus in I. ad Corinth. cap. 3. salvos futuros, *sit tamen quasi per ignem*: Et Marci ultimo 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*. De accedentibus ad Sacramentum Dominici Corporis habetur Joan. VI. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*. Et de stipem erogantibus constat ex eadem Judicis sententia Matt. XXV. v. 35. his regnum a constitutione mundi fuisse paratum: & cap. XIX. 21. legitur: *Da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo*. Hi ergo aliquando inferorum teterrimis subtrahendi erunt suppliciis. II. In altera classe locari possunt, quæ impiis pœnam parem delectationi, quæ transiit, minitantur, ut Apocalypseos XVIII. 7. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*. Eam ob rem cruciabuntur in inferis impii, *donec novissimum minutum reddant*, ait Lucas cap. XII. 59. atque *pro mensura peccati erit & plagarum modus*, ut habetur Deuteron. XXV. 2. Sed reddito novissimo quadrante debet cessare cruciamentum. In tertia sede locari possunt quæ maximam Dei misericordiam contestantur, ut Psal. LXXVI. 8. 9. 10. *Numquid in æternum projiciet Deus: aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? Aut in finem misericordiam suam abscindet a generatione in generationem? Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?* Et Psalm. CIX. 9. *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur*.

Data opera hæc omnia expendit Augustinus in libro XXI. de Civit. Dei, in libro de VIII. Dulcitii quæstionibus, & in lib. ad Orosium contra Priscillianistas. Itaque eo duce ac Magistro ita prioris classis momenta expediuntur. Apostolus in I. ad Corinth. loquitur de iis, qui super fundamentum ædificant *fœnum & stipulam*, non de his, qui fundamentum amittunt, ut supra explicavi, & melius percipies si legeris q. I. Dulcitii, & cap. 26. laudati libri de Civit. Dei, & de fide & operibus cap. XIV. *Quid proderit, ait Jacobus, fratres mei, si fidem dicat se quis habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Dicit etiam, Quia fides sine operibus mortua est. Quousque ergo falluntur qui de fide mortua sibi vitam æternam pollicentur? .... Falsa erunt illa, quæ obscuritatem, & ambiguitatem non habent: Si habeam omnem fidem, ita ut montem transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum?* Hæc, aliaque lectu dignissima Sanctus Pater. Ille ergo salvus erit, qui crediderit & baptizatus fuerit, ac præterea impleverit quod scriptum est Matth. XIX. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Qui autem manducant carnem filii hominis, habent vitam æternam, dummodo sint in ejus corporis unitate, idest, in Christianorum compage membrorum, & maneant in Christo & in corpore ejus, quod vivit in æternum per caritatem & gratiam; unde manducare corpus Christi non tribuit vitam hæreticis, qui sunt ab unitate & compage membrorum separati, neque fidelibus, qui licet sint in unitate corporis, non manent in illo. Vide cap. XXV. memorati libri de Civit. Dei. Eleemosyna pariter salvabit impium, *si prius eam facere incipiat a seipso. Indignum est enim, ut in se non faciat, qui facit in proximum, cum audiat dicentem Dominum, Diliges proximum tuum tamquam teipsum: itemque audiat, Miserere animæ tuæ placens Deo*. Inquit cap. 27. S. Pater.

Producta secundo loco solvuntur capite ejusdem libri XI. quippe *non propter æquale temporis spatium, sed propter vicissitudinem mali, idest, ut qui mala fecerit, mala patiatur*, est inter culpam, ac pœnam mensura. Alias injusta foret lex, quæ propter osculum fœminæ infixum jubet ad horam vapulare, punitque diuturno dolore suavitatem voluptatis exiguæ. Injusta, quæ ad vincula damnat servum, qui transeunte verbo Dominum lacessivit. Injusta, quæ pro gravi crimine brevi momento patrato hominem morte mulctat, eumque a societate viventium perpetuo divellit. Quæ exempla illic Augustinus fusiori stylo persequitur. Neque vero ipse Origenes temporis cum scelere mensuram potest exigere; dum angelos pro uno actu superbiæ plurium sæculorum intervallo puniri fatetur. Est præterea in damnatis obstinata in malo voluntas; atque dum actu peccarunt, optassent illicitæ voluptatis perpetuitatem. Habet ergo sempiternum supplicium etiam mensuram temporis comparate ad cupiditatem voluptatis præteritæ, & ad præsentis inflexibilitatem malitiæ. Neque obest versus 59. cap. XII. Lucæ; primo enim hunc, & alium consimilem Matth. v. 26. rectissime possumus accipere de igne Purgatorio: deinde si concedamus dictum de infernali, respondebimus particulam *donec* interdum æquivalere adverbio *nunquam*, ut Genes. VIII. 7. *Corvus non revertebatur, donec siccarentur aquæ*: Et Matth. I. 25. *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*. Nam pro summo atque infinito debito ad ultimum quadrantem reddere, est res impossibilis. *Ad nummum solvere*, inquit etiam Cicero Epist. ultima ad Att. pro eo, quod est satisfacere pro summo jure.

Quæ dicta sunt de magna Dei misericordia locum habent in his, qui resipiscunt, in pœnis quæ in hac vita infliguntur, & in vasis misericordiæ, non iræ, & vindictæ. *Omnium itaque miseretur vasorum misericordiæ. Quid est omnium? Et eorum scilicet quos ex gentibus, & eorum quos ex Judæis prædestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit, non omnium hominum, sed istorum omnium neminem damnaturus*. Ait Augustinus cap. 24. ejusdem libri.

Objiciuntur deinde complura veterum Patrum testimonia, qui rationalem animam mortalem dixere, eamque putarunt in inferorum cruciatibus interire. Sed nullus est inter Ecclesiæ Patres, cujus auctoritate magis novi Origeniani in contentionem veniant, quam beati Hieronymi. Ex hoc maximo, præclarissimoque Doctore plura depromunt. Afferunt primo illius Commentaria in cap. 66. Isaiæ, ubi exponens ea verba: *Ignis eorum non extinguetur*, ait: *Porro qui volunt supplicia aliquando finiri, & licet post multa tempora, tamen terminum habere tormenta, his utuntur testimoniis, Cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiet: & iterum, Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur: & rursum, Benedicam te, Domine quoniam iratus es mihi, avertisti faciem tuam a me, & misertus es mei: & Dominus ad peccatorem, Cum ita furoris mei fuerit, rursus sanabo; & hoc est, quod in alio loco dicitur, Quam magna multitudo bonitatis tuæ, Domine, timentibus te, &c.* Ex quibus constat Hieronymum recitare, & non refellere, imo pluribus Scripturarum textibus confirmare Origenistarum opinionem. Lege tom. III. novæ Paris. edit. pag. 514. Adverte etiam S. Doctorem hæc commentaria edidisse jam provectum ætate, adeptumque maturæ senectutis scientiam, ut in Præfat. demonstrat eruditus P. Jo. Martianæus. In hujus argumenti confirmationem accedunt quæ scribit in Epistolam ad Galatas to. IV. pag. 295. *Nullam rationabilium creaturarum apud Deum perire in perpetuum*.

Possunt secundo loco produci ea loca, in quibus Hieronymus affirmat saltem animas omnium fidelium, & Christianorum aliquando ab inferni cruciatibus liberandas: in qua opinione illum perstitisse contendit Stanislaus Pannonius Anabaptista. Atque id ex duplici Hieronymi testimonio videtur evinci. Extat primum lib. XVIII. super Isaiam post recitata verba: *Sicut Diaboli, & omnium negatorum, atque impiorum, qui dixerunt in corde suo non est Deus, credimus æterna tormenta; sic peccatorum ac impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementia sententiam judicis*. Testimonium alterum, atque illud apertissimum habetur in I. adversus Pelagianos dialogo, ubi non ex Origenis sententia, sed ex propria inquit: *Si autem Origenes omnes rationales creaturas dicit non esse perdendas, & Diabolo tribuit pœnitentiam; quid ad nos, qui & Diabolum & satellites ejus omnesque impios & prævaricatores dicimus perire perpetuo: & Christianos, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas?* Itaque saltem Christiani sempiternis gehennæ tormentis non cruciabuntur.

Alia sunt, quæ ex Comment. in caput I. Nahum opponi possunt, etiam præcedentibus duriora. Docet ibi Hieronymus, probatque ex verbis Prophetæ versu 9. *Non consurget duplex tribulatio*, salutem fuisse consecutos etiam habitatores Sodomæ & Gomorrhæ, qui temporalia supplicia fuerunt perpessi. *Quod si vobis* (inquit) *videtur Deus crudelis, rigidus, & cruentus quod in diluvio genus delevit humanum: super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphurem pluit: Ægyptios submersit fluctibus: Israelitarum cadavera prostravit in eremo: scitote ideo ad præsens reddidisse supplicium, ne in æternum puniret*. Addit fidelem, *si deprehensus in adulterio decolletur*, æternos evadere cruciatus: ac de omni peccatore concludit, *Si quis autem punitus sit, ut ille in lege, qui Israeliticis maledixerat, & qui in sabbato ligna collegerat, tales postea non puniri; quia culpa levis præsenti supplicio compensata est*. Sempiternæ itaque non erunt pœnæ damnatorum, si aut fidem servarunt, aut puniti fuerunt supplicio aliquo temporali.

Resp. nihil adversus Catholicum dogma evincere sententias PP. qui aut animas dixere mortales, aut inferni pœnas mortem atque interitum appellaverunt. Quo enim sensu anima mortalis dicatur, exposui supra capite III. Mors autem & interitus appellatur pœna gehennæ etiam in sacris literis, ubi dicitur sempiterna; ut liquet ex prima hujus thesis demonstratione, idque per oppositionem ad felicitatem Sanctorum, quæ ob Dei consortium dicitur *vita æterna*. In his ergo non opus est immorari. Veniamus itaque ad Hieronymum. Is quidem Comment. in Esaiam sententiam Origenis recitat, nec refellit; sed illam alibi impugnat, atque hic sequitur consuetudinem suam plura aliorum placita etiam erronea propriæ aliorumque Catholicorum sententiæ permiscendi. Nec refert quod producat aliquos scripturarum textus, qui confirmare videntur errorem Origenis. Nam tota illa Orationis complexio ad verbum reperitur in Origene ipso to. II. hom. 9. super Matthæum; ideoque recitatur a Hieronymo, non probatur. Omnia vero, quæ Origenes ex scripturis deprompsit, adducta supra Augustini interpretatione expunguntur. Idem dicendum de Comment. in Epist. ad Galatas præsertim cum post verba, quæ opponuntur, adjecerit: *Hucusque Origenes*. Hæc respondent Doctores Scholastici, necnon Sixtus Senensis lib. IV. Bib. S. v. *Hieronymus*, Vellosillus Adv.

in v. tomum ejusdem Hieronymi q. 3., ac summa eruditione noster Alphonsus Mendoza in Controversiis Theologicis quæst. 1. de numero Prædestinatorum.

Nititur hæc responsio apertissimæ D. Hieronymi in Apologia 1. ad Ruff. protestationi. Cum enim illi Rufinus objecisset, quod circa inferni cruciatus Origenianis adhæreret erroribus, respondet S. Doctor cap. 4. *Ego in Commentariis ad Ephesios sic Origenem, & Didymum, & Apollinarium secutus sum, qui certe contraria inter se habent dogmata, ut fidei mea non amitterem veritatem*; additque censendum non esse reum, *qui in uno opere quod edisserit expositiones posuerit plurimorum*. Habet similia de suis super Epistolam ad Galatas Commentariis, in Epistola ad S. P. Augustinum xi. nunc lxxv. num. 4. Et revera quid tradat Hieronymus ubi proprio loquitur sensu, apparet ex ejus verbis super cap. xxv. Matth. tom. 4. pag. 124. de quibus supra. Accedit Sancti Doctoris præclara sententia in cap. iii. Jonæ, ubi adversus illos, qui asserebant Diabolum in die Judicii pœnitentiam acturum, ideoque illius figuram fuisse expressam in Rege Ninive, & in Nabuchodonosor, *Sed hoc*, inquit, *quia sacra Scriptura non dicit, & evertit penitus timorem Dei, dum facile homines labuntur ad vitia, putantes etiam Diabolum, qui auctor malorum est, & omnium peccatorum fons, acta pœnitentia posse salvari, de nostris mentibus abjiciamus. Et sciamus peccatores in Evangelio mitti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus: de his dici, Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Et post pauca: *Si omnes rationabiles creaturæ æquales sunt, & vel ex virtutibus, vel ex vitiis sponte propria aut sursum eriguntur, aut in ima merguntur; & longos post circuitus, atque infinitis sæculis restitutio fiet, quæ distantia erit inter virginem, & prostibulum? quæ differentia inter Matrem Domini, & quod dictu quoque scelus est, victimas libidinum publicarum? Idem Apostoli, & Dæmones? Idem Prophetæ, & Pseudoprophetæ? Idem Martyres, & persecutores? Finge quod libet, annos & tempora duplica, & infinitas ætates congere; si finis omnium similis est, præteritum omne pro nihilo est: quia non quærimus quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri simus.* Ex Hieronymi itaque protestatione, & tam expressa de perpetuis gehennæ cruciatibus sententia manifestum est alibi Origenianam hæresim retulisse, non approbasse.

Quod secundo loco opponebatur, diluitur hac responsione. Dum ait Hieronymus pœnas fidelium aliquando finiri, accipiendus est de fidelibus, qui cum solo venialium peccatorum reatu decesserunt, ut animadvertit citato loco Mendoza. Atque in Commentariis ad Esaiam videtur aperta S. Doctoris sententia, dum loquitur de peccatoribus Christianis, *quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda*. In Dialogo contra Pelagianos, cum aperte scribat *omnes prævaricatores perire perpetuo*, docet Christianos salvandos esse post pœnas, nisi *prævaricatores* fuerint, & reatu graviorum criminum inquinati. Licet hæc sufficiant pro solutione argumenti; ad retundendam Hæreticorum in carpendis Sanctorum Patrum traditionibus intemperantiam atque impudentiam, paucis Hieronymianæ sententiæ vim, gravitatemque demonstro. Cum Pelagius assereret posse hominem propriis viribus vitare omne prorsus peccatum, illud etiam opinabatur consequi ex omni peccato in hoc sæculo non remisso sempiternam animarum damnationem. Hinc in Palæstina Synodo, & in libello exhibito adversus eumdem Pelagium sancto Episcopo Eulogio accusatus est, quod hanc propositionem protulerit, *In die judicii impiis & peccatoribus non esse parcendum, & æternis eos ignibus exurendos*. Verum callidus Hæreticus respondit hoc se dixisse secundum Evangelium, ubi de peccatoribus legitur. *Ibunt in supplicium æternum*; atque ita damnatus non est a Christianis judicibus, *his absentibus, qui libellum contra Pelagium dederunt, & quando nullus urgebat, ut peccatores per ignem salvandos a peccatoribus æterno supplicio puniendis distingueret*; ut refert S. P. Augustinus de Gestis Pelagii cap. iii. n. 9. Ea igitur propositio, *In die judicii iniquis & peccatoribus non parcendum, sed æternis eos ignibus exurendos*, alioquin Catholica & Evangelica, in ore Pelagianorum non distinguentium inter peccata & peccata, blasphema est, atque Hæretica. Ergo Hieronymus adversus Pelagianos disputans dum ait *Christianos, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas*, loquitur de peccato veniali tantummodo. Atque id etiam ex verbis Hieronymi comprobatur. Principio enim ponit in ore Critobuli referentis personam Pelagii illam propositionem: *In die judicii iniquis & peccatoribus non parcendum*, iisdem omnino vocabulis, quibus expressa est in Synodo Palæstina: quod sat est, ut quisque percipiat Hieronymum sensa Pelagiana insectari. Deinde distinguit inter peccatorem & impium, affirmans non omnem peccatorem impium esse; & impietatem, cui sempiterna pœna respondet, *ad eos pertinere, qui notitiam Dei non habent, vel cognitam transgressione mutarunt*. Affirmat deinceps iniquitatem & peccatum recipere sanitatem, sed ea adhibita cautione, *pro qualitate vitiorum*. Addit quod si vera est Pelagiana sententia, *solus salvabitur qui nunquam fuit, nec est, sed futurus est, & forsitan nec futurus*; quia scilicet perpauci sunt, vel nulli, qui sine aliqua veniali culpa decedant. Addit tandem verba, quæ nobis opponuntur, *Si autem Origenes, &c.* quibus affirmans *impios & prævaricatores perire perpetuo, & Christianos, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas*, exponendus est de Christianis, qui præventi sunt in culpa levi, nec Dei notitiam gravi *transgressione mutarunt*.

Quæ objiciuntur ex Comment. in primum caput Nahum, si aliquid probarent, probarent neminem eorum damnari, qui temporalia supplicia subierunt, etiamsi scelestissimi, quales fuerunt habitatores Sodomæ, & Gomorrhæ, ideoque ad præsentem quæstionem non attinent. Respondemus tamen breviter, eo loci impugnare Hieronymum errorem Marcionis affirmantis Deum auctorem legis crudelem esse, & iterum sumere de peccatis supplicium. Falsum id S. Doctor demonstrat, quoniam Deus peccatoribus pœnas irrogat temporales, ne puniat in æternum; si tamen a Deo in hoc sæculo puniti agant scelerum suorum pœnitentiam. Nam si moriantur impœnitentes, non tam commissa flagitia, quam ipsa impœnitentia, & voluntaria obduratio suppliciis punitur sempiternis. Nec aliter possunt intelligi verba Hieronymi scribentis in caput 1. Sophoniæ: *Certe in finem mundi, & in consummatione lugebunt qui suum baptisma non servaverunt; lugebunt qui non egerunt pro peccatis dignam pœnitentiam.*

Objiciunt præterea, in die judicii Sanctorum intercessione Deum esse placandum: & Sanctos tunc pro miseris oraturos facile suadent. *Si enim* (inquiunt Origeniani apud Augustinum citato libro de Civit. Dei cap. 18.) *orabant pro illis, quando eos patiebantur inimicos, quanto magis quando videbunt humiles, suppliciterque prostratos? Neque enim credendum est, tunc amissuros Sanctos viscera misericordiæ, &c.* Quod si Sancti pro reprobis intercedant, profecto quod rogaturi sunt, impetrabunt. Nam historiæ tradunt precibus Magni Gregorii Trajani animam ab inferis revocatam, & Falconillam sine lavacro & fide sepultam ab inferis Theclæ orationibus fuisse servatam. Plura sunt in libris Metaphrastæ istiusmodi: necnon Historiographi nostrates scribunt Nicolai Tolentinatis intercessione defuncti patruelis spiritum incendia gehennæ evasisse.

Augustinus autem recte sapienterque cap. 24. respondet, Ecclesiam *nunc propterea pro eis orare, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ*. Ubi ergo pœnitentiæ locus non erit, neque orabunt Sancti; de quibus ait Psalm. xxxi. 7. *Pro impietate peccati mei orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno*. Hac de caussa fit, *ut nunc Ecclesia non oret pro malis angelis*, inquit eo loco Augustinus. Quod de Falconilla & Trajano quidam scripserunt decepti, ut arbitror, Pseudo sermone Damasceni pro defunctis, est inter aniles fabulas rejiciendum. Trajanum quippe etiam puerorum deliciis captum, aucturibus Dione, & Spartiano, nec inter minores Deos ad convivium admittendum censuit Julianus, nisi prius in custodiam tradito Ganymede. Jactatum igitur de Trajano commentum cordati quique refellunt, & ad ludibrium Ecclesiæ in vulgus dispersum queritur Cl. Annalium Parens ad annum 100. n. 17. & ad annum 604. n. 30. Acta quoque Sanctorum, maxime quæ collegit Metaphrastes, judicio eruditorum virorum sunt a plusibus quisquiliis purganda. Quod autem de Ordinis nostri Divo, & Ecclesiæ Patrono Nicolao narratum est, & si quæ consimilia leguntur, aut in historiis antiqua credulitate inserta sunt, aut eorum, qui a gehenna liberati dicuntur, fuit a summo Judice sententia suspensa, ut Sanctorum precibus, quibus certo credimus prædestinationem nostram juvari, aliquibus ad vitam revocatis pœnitendi gratia sit data, aliquibus vero in extremis laborantibus vehemens peccatorum contritio: atque hoc modo patratum a Nicolao miraculum scribit in gestorum ejus Narratione §. ix. pius ac disertus Orator Ægidius Crapols Bononiensis. Ceterum in Inferno nullam redemptionem esse sacra nos docent eloquia; fuitque Origenianis sapientior qui scripsit in Ibin,

Nec mortis pœnas mors altera finiet hujus,
Horaque erit tantis ultima nulla malis.

Sed de priori quæstione hactenus.

PROPOSITIO II. Exploratum theorema est, non tamen ad fidem spectans, inferni ignem materialem esse & corporeum.

Sunt theorematis partes duæ: quarum priorem initio Scripturarum locis firmabo. Hujusmodi sunt: Deuter. xxxii. 22. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima*. Eccli. xxi. 10. *Consummatio illorum flamma ignis*. Esaiæ xxxiii. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Matth. xxv. 41. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus*. 2. Petri iii. 7. *Igni reservati in diem judicii, & perditionis impiorum hominum*. Appellatur etiam infernus Matth. v. 22. *Gehenna ignis*. Apocalyp. xx. 15. *Stagnum ignis*. Ps. xx. 10. *Clibanum ignis*: ut sexcenta istiusmodi missa faciam.

Ex quibus hæ Theologicæ rationes depromuntur. Recepta est ab omnibus regula, Scripturarum verba, quæ ubique cohærent invicem, eademque phrasi non solum in propheticis, verum etiam in historicis libris efferuntur, nisi cum aliis pugnent, esse proprie ac literaliter accipienda, serva-

tis

vis tamen regulis aliis, quas tradit in III. de Doctrina Christ. S. P. Aug. cap. x. & seqq. Cum ergo omnes ferme divinæ literæ ignem in inferis ardere testentur, neque alicubi offendatur oppositum, idque perhibeant etiam historicæ narrationes; quis, nisi velit ad eludenda & extorquenda oracula quæque divina latissimam viam sternere, asserere audeat infernalem ignem tropice & figurate enunciari? Deinde quis, nisi forte quærat patrocinia peccandi, Judicem postremam sententiam coram universa justorum, impiorumque multitudine pronunciantem, metaphoris uti crediderit; præsertim cum in hujus sententiæ complexu nullum sit vocabulum, nullus apex, in quo non appareat plana, accommoda, gravisque locutio? Ulterius eodem igne dæmones, & damnatorum corpora fore concremanda, ex eadem Christi sententia colligitur: ignem vero corpora comburentem, quisnam negat esse corporeum? Tandem quid opus erit infernum comparare gehennæ, idest Valli Hinnom, & Topheth, ubi idolo Moloch pueri incendebantur, ut ait cap. VII. 31. Jeremias; & vocabulo *gehennæ* addere alterum *ignis*, ut fieret hypallages & phrasis hebraica: quæ, ut acute notavit Erasmus, significat *gehennam incendiam*, *gehennam ardentem*?

Negari ergo non potest in inferis verum ac proprium esse ignem tortorem spirituum, ac sensuum; qui, cum fuerint plurium delictorum instrumenta, æquum est, ut simul cum animabus excrucientur. Porro Patres ignem hunc materialem esse tradiderunt. Hieronymus enim epist. 59. Origenem arguit, quod ignem inferni metaphorica translatione explicaverit. Gregorius lib. IV. Moralium cap. 29. percunctanti Petro, num ipse infernalem ignem fateretur corporeum, respondet: *Ignem gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari*. Atque ut alios prætermittam, S. P. Aug. postea quam lib. XXI. de Civit. Dei cap. x. plura disseruit, hæc demum pronuntiat: *At vero gehenna illa, quod etiam stagnum ignis & sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & hominum & dæmonum, solida hominum, aerea dæmonum, aut tantum hominum corpora cum spiritibus, dæmones autem spiritus sine corporibus hærentes sumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus. Unus quippe utrisque ignis erit, sicut veritas dixit*. De priori ergo theseos parte Ecclesiæ Doctores, sacræ literæ, & petita inde argumenta hoc constituunt.

Alteram partem certam mihi reddunt hæc tria. Primum, quod nulla extet de igne corporeo Ecclesiæ definitio scribunt Cl. Theologi, Vasquez disp. 243. cap. I. Petavius lib. III. de Ang. cap. 5. L'Herminier Tom. 2. pag. 539. quamquam aliqui veritatem Catholicam esse tradant, ut Cardinalis Gotti Q. IX. de Angelis Dub. 3. At veritatem Catholicam non faciunt privati homines, neque numerus Theologorum exiguus. Alterum, quod in Florentino Concilio Græci, qui asserebant Purgatorii ignem materialem non esse, in Ecclesiæ communionem recepti sunt, neque tamen hic error in definitione fidei, quæ habetur sess. ult., damnatus est; cum illic sint Græcorum errores alii proscripti. Tertium, quod Catharinus secutus est sententiam, quam præter Origenem quidam Ecclesiæ Patres tenuerunt; inter quos beatissimus Ambrosius, qui eadem ferme Origenis verba mutuatus lib. VII. in Lucam cap. 14. ait: *Ergo neque corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis: sed hæc ideo, quia sicut ex malta cruditate, & febres nascuntur, & vermes; ita si quis non decoquat peccata sua, veluti quadam interposita sobrietate abstinentiæ, sed miscendo peccata peccatis tamquam cruditatem quamdam contrahat veterum, & recentium delictorum, igne aduretur proprio, & suis vermibus consumetur*. Itaque sententia Catharini licet minus probabilis altera, nequit absolute appellari damnata & hæretica: esset tamen, si ut ignem, etiam reliqua ad inferos pertinentia, locum videlicet, atque æternitatem pœnarum negavisset.

AD QUÆDAM IN CONTRARIUM ARGUMENTA.

Contra priorem propositionis partem opp. I. Esaias cap. LXVI. 24. de reprobis ac damnatis ait: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Atqui vermis spiritaliter & metaphorice accipitur pro synderesi, & angore conscientiæ. Ergo etiam tropice, & figurate erit accipiendus ignis, & ardor.

Resp. I. Posse negari minorem, nam etiam vermis literaliter ac proprie accipiendus videtur, tametsi etiam significet figurate aculeum, & vexationem conscientiæ. Habetur enim in Eccles. cap. VII. 19. *Vindicta carnis impii ignis, & vermis*. Et Judith XVI. 21. *Dabit enim ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum*. Quare S. Basilius in Psalmum 33. ait: *In inferno vermium innumerabilium genus venenosum, & carnivorum erit*: quod & alii plures asserunt apud Corn. a Lap. Comment. in hunc locum. Neque repugnat, quod alii permulti scribant vermis nomine significari malæ conscientiæ agitationem & stimulum: eadem enim Scripturæ verba sensum cum literalem, tum mysticum patiuntur. Respondeo secundo, non eamdem esse vermis, ignisque rationem. Ille quippe, cum sit animal vivens, excruciat corrodendo, & partes alienæ substantiæ discerptas vorando ac dilaniando: ideoque non est proprie vermis spirituum, qui divellendas partes non habent, neque corporum, quæ licet habeant modo, erunt tamen post resurrectionem incorruptibilia, neque distrahi poterunt, vel discerpi. De verme itaque sentias, ut libet; at ignem firmiter corporalem esse teneto. *Eligat quisque quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem, hoc proprie, illud tropice: aut utrumque proprie corpori*: inquit S. Pater lib. XXI. de Civit. Dei cap. IX. exponens prædictum Eccli. *Vindicta carnis impii ignis, & vermis*.

Ut autem argumenta istiusmodi, quæ varia esse possunt, E. G. *de aquis nivium*, quas commemorat Job XXIV. 19. & de *stridore dentium*, in parabola Matth. XIII. 50. quibus utitur Catharinus, verbo uno exsufflentur; meminit me cap. XVI. usum fuisse regula Tichonii; qua docemur in scripturis, quæ literaliter de uno, figurate de altero sunt accipiendæ, non omnia utrique pariter convenire; quam etiam regulam in parabolis tenendam esse neminem fugit. Ergo Esaias literaliter prænuntiat interitum eorum, qui in partibus fuerunt Antiochi, μυστικῶς diem judicii: & illorum quidem vermes corpora insepulta vorarunt, & in oppidis incensis *ignis* usque ad consumptionem permansit. Quare necesse non est, ut etiam in damnatis tam *ignis*, quam *vermis* literaliter intelligantur; sed proprie accipitur solus *ignis*, quoniam de igne fit repetitio in Judicis sententia, quæ proprie, & historice pertinet ad damnatos. Atque hoc pacto quæ in Jobo, in Psalmis, & in variis Evangeliorum parabolis conscripta sunt, ad eamdem sententiam Judicis erunt exigenda, & quæ in illam apte & per omnia quadrabunt, transferri non poterunt ad Metaphoram.

Secundo loco objiciuntur PP. auctoritates. Nam Hieronymus Comment. in Esaiam recitata opinione Origenis, nulla eam censoria virgula notat. Gregorius lib. XV. Moralium cap. 17. *Gehennæ ignis*, inquit, *cum sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis*. Damasc. in fine libri IV. de Fide Orthodoxa docet *ignem æternum non materialem esse, qualis est apud nos, sed qualem novit Deus*. Augustinus denique in XXI. de Civit. Dei cap. x. scribit posse congruenter responderi, *talem fuisse illam flammam*, in qua apud inferos dives ardebat, *quales oculi, quos levavit, & Lazarum vidit, qualis digitus Lazari*, &c. Quo testimonio nonnulli adversarii prægestiunt; & Vellosillus ait Augustinum efficaciam illorum verborum *Crucior in hac flamma* infirmare.

Resp. autem Gregorii sententiam manifestam esse ex lib. IV. cap. 29. de quo supra: unde incorporeum dixit ignem inferni, quatenus non eget fomentis, neque per congesta ligna nutritur, ut colligitur ex recitatis ipsius verbis. Ac præterea probabile est in his legendum esse *cum sit corporeus*, ut habetur apud S. Thomam in IV. Sent. dist. 44. q. 3. Sixtum Senensem lib. IV. Bibliothecæ, Vellosillum in Advert. in tom. I. Gregorii quæst. VI. & Petavium lib. III. de Angelis cap. 5. Damascenus, quem inurbane scribit Durandus errasse, ait duntaxat non esse materialem qualis est noster, qui indiget pabulo, certisque proprietatibus ab infernali igne secernitur. Et Hieronymus refert quidem opinionem Origenis, at illam nequaquam approbat, ut vidimus supra.

De verbis Augustini facit me honor Patris magis sollicitum: & breviter demonstro, disertissime ab illo ignem inferni affirmari corporeum, & de verbis divitis *Crucior in hac flamma* concinnam, veram, & absolutam tradi interpretationem. Primum enim a cap. II. ejusdem libri usque ad IX. impugnat incredulos asserentes non posse damnatorum corpora in ustione ignis esse perpetua, exemplis quorundam animalium, quæ vivunt in ignibus, ut salamandræ stellatum quoddam genus lacertæ, adamantis aliarumque gemmarum, quæ neque igne, neque ferro teruntur, necnon vermium, qui stant sine ulla læsione in aquis per venas sulphureas defluentibus, quarum fervorem nemo impune contrectat; asseverans mirabilius esse vivere in ignibus nec dolere, quam dolere in ignibus & tamen vivere. At quorsum tam perpolita & exacta disputatio, quorsum allatæ comparationes, si non est in inferis ignis corporalis, quo corpora, qualia nunc sunt hominibus, quamprimum redigerentur in cinerem? Capite autem IX. *ignem* proprie accipiendum semel atque iterum declarat; cum de *verme* ob varia Doctorum placita sentire nobis permittat quod magis libet. In x. etiam, in quo explicat quomodo corporali igne spiritales dæmones adurentur, in principio & fine capitis animadvertit eumdem ignem corpora damnatorum, ac dæmones concremare. Quæstionem vero solvit juxta antiquorum Patrum diversas sententias, scilicet, quoniam aut dæmones aerea corpora habent, aut si non habent, poterunt *pœna corporalis ignis affligi*, quomodo *spiritus hominum & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari*. Atque ita incredulis omnem evadendi aditum præcludit, sive corpora tribuant Angelis, sive non: de qua altera quæstione propterea ait non esse *contentiosa disputatione certandum*, cum quidquid Origeniani sentiant, eorum error de spiritali igne, & hæresis de temporali damnatorum supplicio apertissime ex illis verbis, *Ite in ignem*

æternum, refellatur. Ex qua prædictorum Capitum Synopsi arbitror satis apparere, quam scite & circumspecte Augustinus pro veritate, ac fide certaverit.

Circa narrationem divitis exclamantis, *Crucior in hac flamma*, quidam putaverunt parabolam esse, non historiam; in qua sententia fuerunt Theophylactus, & Euthymius in Lucam, & Auctor quæstionum apud Athanasium quæst. 21. Alii historiam agnoscunt, ut Ambrosius, & Beda, & idem Augustinus Tractatu xxiii. contra Faustum c. v. Itaque hanc sententiam præponens in cap. x. laudato, ait: *Dicerem quidem sic arsuros sine ullo suo corpore spiritus, sicut ardebat apud Inferos ille dives, quando dicebat, Crucior in hac flamma.* Quod si dicamus, historiam, non parabolam esse credentes; non erit consequens flammam non esse veram corporeamque, ut corporalis non est lingua, digitus, manus: quoniam certissimum est partes corporis non posse enunciari de animabus atque spiritibus, nisi per metaphoram: ignis vero & flamma non describuntur ut partes ac membra divitis, sed ut locus, in quo cruciatur; nec repugnat substantiam spiritalem esse violenter in loco corporeo, eique alligari. Quæ ut vera sint, sapientissimus Augustinus animadvertens quosdam Catholicos opinari, quod in c. 6. Lucæ narratur, non historiam, sed parabolam esse, aut, si historia est, visionem saltem fuisse imaginariam, cum hæc quoque sententia sit probabilis, noluit propriam aliorum auctoritati præferre: ideoque e vestigio addidit, *convenienter responderi, talem fuisse illam flammam, quales oculi, quos levavit, &c.* nimirum, non proprie visum a divite Lazarum, sed ecstasi quadam, ut sunt visa dormientium, in quibus res corporales cernuntur habentes similitudines corporum. At post hæc ad quæstionem propositam reversus, de sententia Dominica, *Ite in ignem æternum*, perspicue, & absque hæsitatione concludit: *At vero gehenna illa, quod etiam stagnum ignis & sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, &c.* Abeant ergo mali interpretes, rigidique Augustinianorum librorum censores.

Facit denique adversus nos, quod percipi nequeat quomodo spiritus igne corporali torqueantur, & quod in aere, ubi dæmonum turmæ discurrunt, *ferant secum tormenta flammarum suarum*, ut inquit Glossa in cap. 3. Jacobi. Neque enim credibile est dæmones infernalem ignem secum deferre; si non volumus continua miracula perfici, dum mali spiritus circumsepti materialibus ignibus corpora omnia quantumvis concreta ac densa pervadunt, dum regiones quas transmittunt minime incendunt, & dum viventium corporibus, in quibus commorantur, incendia facessque non inferunt.

Contorta difficilia sunt hæc, nec uno modo a Scholasticis dissolvuntur. Quantum enim ad primum pertinet, sunt qui putant dæmones ad ignis præsentiam sola apprehensione torqueri: aliqui confici affirmant per speciem ex igne illis impressam: quidam arbitrantur elevari flammam, ut divinæ justitiæ instrumentum, ad physicam in spiritus incorporeos efficientiam: nonnulli contendunt produci ab igne qualitatem spiritualem, quæ etiam dæmones & impiorum hominum animas supplicio mactat. Quatuor sententiarum primam sectatur D. Bonaventura & Albertus Magnus: alteram Ægidius, & Okamus: tertiam recentiores quidam Thomistæ; quartam post Henricum Gandavensem cum aliis Junioribus Suaresius. Verum his omissis, dico spirituales substantias cruciari igne corporeo per alligationem, quam invitæ patiuntur, & a qua digredi sponte non valent. Ita namque videtur docere Augustinus citato capite x. his verbis: Cur *enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhærebunt ergo, si eis nulla sint corpora, spiritus dæmonum, imo spiritus dæmones, licet incorporei ignibus cruciandi, non ut ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum junctura inspirentur & animalia fiant, qua constent spiritu & corpore, sed, ut dixi, miris & ineffabilibus modis adhærendo accipientes ex ignibus pœnam, non dando ignibus vitam.* Et revera nulla ex præmissis sententiis mihi plane satisfacit. Non prima, nam in ea non salvatur dæmones revera torqueri igne, cum tamen Scriptura testetur hunc Diabolo, & Angelis ejus fuisse paratum; quamquam vera & realia tormenta sentiri possint etiam in malis imaginariis, quorum species gerimus, ut scripserat idem Augustinus in xii. de Gen. ad lit. cap. 32. At jam inferni ignem imaginarium non esse, reddimur ex ipsomet Augustino certiores. Illorum autem opinio, qui censent immitti ab igne aliquam sive speciem, sive qualitatem; eo titulo falsa est, quod si qualitatem dixerint spiritalem, hæc ab igne materiali proficisci non potest; si corporalem sensibilemque, eadem de igne, ac de qualitate ista emerget dubitatio. Sed & ignem caussam esse instrumentalem justitiæ Dei, nullus inficias ibit: at elevationem, quam plures tutantur, non poterunt omnibus venditare. Respondebunt enim docti viri, nullam rem ut instrumentum ad aliquid efficiendum assumi, nisi habeat in illud suapte natura præviam aliquam operationem; quam nullam esse in igne materiali relate ad spiritus videtur satis manifestum. Et erunt forte, qui dicant se legisse apud S. Thomam in iv. contra Gentes cap. 90. hæc verba: *Substantiæ incorporeæ non habent naturam corporalem, ut possint a rebus corporeis immutari, neque etiam formarum sensibilium susceptivæ sunt, nisi intelligibiliter. Talis autem susceptio non est pœnalis, &c.* Hoc vero testimonium non videtur quadrare quorumdam Thomistarum opinioni, qui cum Goneto disput. xiv. de Ang. art. 2. §. 2. docent ita ignem esse divinæ vindictæ instrumentum, ut efficiat *formam realem ad prædicamentum qualitatis pertinentem.* Illam quippe qualitatem spiritus per D. Thomam corporaliter nequeunt suscipere, suscipiendo autem intelligibiliter nullo afficiuntur dolore. Ideo instrumentum est quidem ignis inferni justitiæ Dei, quatenus eidem spiritus alligantur, quod aliis rejectis opinationibus ibidem Thomas affirmat: sed hoc instrumento formam aliquam aut qualitatem supernaturaliter produci, quæ saltem sit caussa effectrix pœnarum, pugnat cum allatis verbis Angelici Præceptoris. Nam si dicas formam illam ab igne productam esse intelligibilem, non corpoream: *talis susceptio* (inquit S. Doctor) *non est pœnalis.* Teneo igitur Augustinianam de alligatione sententiam. Objicienti autem sequi ex hac, quod dæmon patiatur etiam ab aere, a glacie, & a quocunque alio corpore, cui sit intime præsens, respondeo falsam esse illationem, quoniam his corporibus non est violenter alligatus, ita, ut aliquando non possit alio divertere, quomodo devinctus est in tenebris exterioribus & in ardoribus sempiternis. Atque hæc de priori parte objectionis.

Quod ad alteram attinet: fuerunt, qui assererent dæmones, qui extra inferos degunt, nondum pati ignis cruciamenta, sed iis macerandos esse post diem judicii. Nitebantur hi Theologi quorumdam Patrum auctoritate, & ipsorum dæmonum testimonio, qui dum ab hominibus ejicerentur, Matthæi viii. 29. clamaverunt: *Quid nobis & tibi, Jesu Fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos?* Hanc vero sententiam damnatam non esse scribit Feuardentius in Scholiis ad Irenæum lib. v. cap. 26. & Petavius in iii. de Angelis cap. iv. num. 21. eamque videtur tenuisse Cajetanus in Comment. ad 2. Epist. Petri. E contra Bellarminus lib. 1. de Sanctorum beatitudine cap. 6. ait, ab errore vindicari hanc opinionem non posse. Atque falsissima quidem & erronea a me judicatur, propterea quod Angelis Sanctis statim ac perseverarunt data est plenitudo beatitudinis; ideoque etiam Angelis malis inflicta est, nulla interposita mora, pœna peccati. Priorem ergo opinionem tenentibus respondeo post diem judicii dæmones in inferno acerbiori pœna esse plectendos, tum quia cum sint *nocendi cupidissimi*, ut ait Augustinus de Civit. Dei lib. viii. cap. 22. non poterunt amplius humana corpora invadere, justisque insidias moliri: tum etiam, quod, cum illiciantur superstitiosis signis *herbarum, lignorum, animalium & rituum*, ut idem S. P. inquit lib. xxi. cap. vi. non recipient ulterius ab idololatris & maleficis honorem aliquem; sed erunt omnibus ludibrio & despectui: quod maximum supplicium est superborum. Quæ sane causa est, ut quidam ex PP. scripserint, nondum dæmones plecti supplicio, quo afficientur post diem judicii; atque ut expulsi ab hominibus clamorem illum profuderint: *Venisti huc ante tempus torquere nos.*

Ea itaque opinatione rejecta, dicendum est Dæmones quoque extra inferos igne torqueri, non quod illum perpetuo secum deferant, aut impressam sensibilem qualitatem disjuncti a flamma retineant, sed quoniam sciunt sibi alligationem ad ignem deberi; ut etiam docet Sanctus Thomas q. 64. art. 4. ad 3. non enim angor ac tristitia minuitur reo in vinculis, aut ergastulo diligentissime asservato, si ad tempus inde emittatur apparitoribus stipatus, & absque spe libertatis. Immo magis sentit squalorem carceris dum videt loci amplitudinem, quam in arctam, asperrimamque custodiam voluntario scelere commutavit. Neque minor est Sanctorum Angelorum lætitia & gaudium, quando animarum regnorumque tutelæ præsident, & cœlestis patriæ domicilium ad tempus relinquunt. Ergo sicut isti *semper vident in cælis faciem Patris*, ut ait Evangelista cap. xviii. 10., neque tamen secum trahunt materialem locum Empyrei; ita dæmones excruciantur in aere flamma infernali, tametsi non ferant extra gehennam ac tartarum ignes corporeos. Atque hæc de pœna æternarum flammarum,

Quas Pater, horrendi barathri per stagna profundi,
Dæmonis horrendi sociis, ipsique paravit;

inquit libro iv. Hist. Evangel. Juvencus Presbyter.

C A P U T XVIII.

De Sanctorum Angelorum, Dæmonumque Exercitibus.

SANCTORUM ANGELORUM EXERCITUM appellant græco vocabulo Ἱεραρχίαν, *Hierarchiam*, idest, sacrum principatum: quo nomine plurium ordines ad sacra ministeria obeunda dispositi significantur. Iccirco in dæmonibus ordinem quidem aliquem ac principatum adstruere possumus, sed non *hierarchiam*: quam vocis etymologia demonstrat in cœlestitan-

tantum, & militante Hierusalem esse admittendam, in illa Angelorum, in hac vero Clericorum. Quamobrem recte dicimus Hierarchiam cœlestem, Hierarchiam Ecclesiasticam, non Hierarchiam infernalem; & de Angelorum dæmonumque ordinibus differentes utimur nos communiori vocabulo *Exercituum*.

In cælesti itaque *Hierarchia* sunt novem ordines Angelorum, quorum numerum recenset post Dionysium Gregorius Papa hom. 34. his verbis: *Novem Angelorum ordines diximus, quia videlicet esse testante sacro eloquio scimus Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, atque Seraphim.* De nomine Angelorum, Cherubim, & Seraphim dictum satis cap. I. Archangeli, ut inquit eodem loco Gregorius, sunt, *qui summa annuntiant*, & legatione quadam speciali mittuntur, quales sunt Michael, Gabriel, & Raphael. Alia quinque nomina more Orientalium pronunciantur, idest, usurpando abstracta pro concretis; atque videntur originem habuisse a Persis, inde vero translata ad demonstrandas beatorum Spirituum classes. Nam in Persico Imperio, sub quo olim fuerunt Hebræi, Optimates vocabantur Principatus, ut constat ex cap. v. Dan. 2. in quo Hebræi legunt רברבני, Græci ἀρχαὶ, Latini *Optimates*. Item Dan. xi. 5. habetur in Hebraico משׂרות, in Græco κυριότητες, in Latino *Dominationes*. Occurrunt quoque in libris Esdræ, & Esther, in quibus de Chaldæorum ac Persarum Regibus frequens est sermo, apud Hebræos vocabula שלטנין-שרין, apud Græcos δυνάμεις, ἐξουσίαι, apud Latinos *Virtutes*, ac *Potestates*; atque his nominibus regni proceres, & Magistratum gerentes in Imperio Persarum significantur. Throni denique appellantur, quasi Reges quidam in Thronis considentes, prædicta Orientalium consuetudine. At quamquam hæc sit origo nominum; decipitur tamen Theodorus Beza, qui Comment. in Epist. ad Ephes. negat cap. I. v. 21. his vocabulis ab Apostolo eximias Angelorum classes notari: cum in Epist. ad Coloss. c. I. v. 16. designentur quæ sunt *invisibilia*, idest, in mundo supremo, iisdem omnino vocabulis, quæ habentur citato loco ad Ephesios: & Christus, de cujus exaltatione ac principatu loquitur Paulus, non solum terrenorum Regnorum ordines, sed etiam classes Angelicas antecellat. Neque enim repugnat Angelos Principum & Potestatum vocabulis denotari, quemadmodum eximii viri describuntur nominibus Angelorum.

Prædictos novem Angelorum choros in tres Hierarchias Dionysius cap. 3. divisit, quem sequutus est q. 108. S. Thomas, & hunc Scholastici fere omnes. In suprema itaque Hierarchia locantur I. Seraphim, idest Spiritus caritate ardentes, quos inquit Bern. serm. 19. in Cantica, *Caritas Dei in eumdem rapuit sanctæ affectionis ardorem, ut unus cum Deo spiritus esse videantur.* II. Cherubim, in quos Deus sapientiæ plenitudinem profudit. III. Throni, in quibus tamquam *in sede divina majestas reclinatur*, inquit Collat. VIII. cap. 13. Cassianus. Spiritus autem ad hanc Hierarchiam pertinentes sunt, quibus Deus sua consilia pandit, & qui Deo semper assistunt, neque ad exercenda erga homines ministeria mittuntur. Ad alteram Hierarchiam spectant Dominationes, Virtutes, & Potestates. Atque Dominationes Gregorius nominari existimat, quod eis ad obediendum cetera sint subjecta. Virtutum appellatio per Dionysium est Angelorum illorum, per quos signa & miracula frequentius patrantur. Potestates vero sunt Angeli, qui malos spiritus arcent, ne prævaleant adversus homines. In tertia Hierarchia sunt Principatus, quibus regnorum cura, præsertim vero principatuum institutio, & directio commissa est, ut docent Bernardus, & Theodoretus. Sequuntur Archangeli, idest, inter nuntios digniores ac principes, qui summa annunciant: atque ultimum locum tenent Angeli, qui ad custodiendos homines, & ad minima annuncianda mittuntur.

His omnibus, quæ probabilia esse fatemur, inconcussam plenamque fidem habere non possumus: sed tamen novem illos ordines agnoscimus, Scripturis ac Patribus contestantibus. Nam Angelos passim legimus; Archangelos etiam in I. ad Thessalonicenses cap. IV. 5. & in epist. Judæ v. 9. Seraphim apud Esaiam cap. VI. 2. Cherubim in X. Ezechielis v. 7. & 9. ceteras cælestium Spirituum classes in epist. ad Ephesios cap. I. 21. & ad Colossens. cap. I. 16. quarum & meminerunt Ecclesiæ Patres, Ignatius in epist. ad Trallianos, Irenæus lib. II. cap. 54. Augustinus contra Priscillian. cap. XI. Dionysius, Gregorius, & Bernardus paullo supra laudati. Numerum ergo novem ordinum Angelorum, quem Scripturæ ac Patres insinuant, præceps ac temerarius est qui repudiat.

Verum an Seraphimi sublimiorem teneant locum, Angeli vero, & Custodes hominum infimum, & utrum in unaquaque Hierarchia recensito ordine singuli sint dispositi, id mihi (quod absque odiosæ arrogantiæ nota dictum velim) valde non probatur. Etenim ex Scripturis talem esse Angelorum dispositionem non liquet: imo ex his colligitur Cherub missum Gen. III. 24. *ad custodiendam viam ligni vitæ*; & Seraphim Esaiæ VI. 6. volavit ad Prophetam: ideoque aut Cherubim & Seraphim ad supremam Hierarchiam non attinent, aut falsum est Angelos illius Hierarchiæ nunquam mitti. Tobiæ etiam XII. 15. ait Raphael Angelus: *Ego sum unus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Ex quibus constat Raphaelem, quem Archangelum esse nullus ignorat, esse unum ex Spiritibus assistentibus, non communi quadam ratione, quatenus divinam essentiam immediate videt, ut explicant quidam Theologi cum D. Thoma q. CXII. art. 3., sed adstantem intime, & peculiari titulo, quomodo adstant septem spiritus, de quibus cap. I. Apocalypsis v. 4. & cap. V. 6. Inquit enim Raphael: *Ego sum unus ex septem, &c.* Michaelem quoque non ad ultimam Hierarchiam, sed ad primam pertinere colligitur ex capite X. Danielis v. 13. *Et ecce Michael unus de Principibus primis*, idest, *supremis*, ut legunt Hebræi שרים הראשנים. Custodes etiam Electorum aliqui putant esse Angelorum præcipuos; quod arbitrantur comprobari ex cap. XVIII. Matth. v. 10. ubi de Angelis pusillorum legitur: *Semper vident faciem Patris.* Nam *videre faciem Patris* non solam contemplationem divinitatis significat, sed etiam præcipuum honorem, classemque eorum, qui assistentes nuncupantur; alias primitias regni sui in pueris figuratas non satis apte assereret Christus contemnendas non esse, quoniam Angeli eorum semper vident faciem Patris; cum fruantur visione Dei etiam Custodes reproborum. Erit ergo idem *videre faciem Patris*, atque esse inter Angelos insigniores, ut exponit Chrysostomus: quem propterea male quidam ajunt intelligendum esse de supremis in ordine infimo. Porro videre faciem, & adstare ante Deum dicitur de supremis ordinibus: uti *videre faciem regis*, & *stare* coram illo non de singulis ministris, sed de Satrapis, regnique proceribus. Atque his quadrat pia quorumdam sententia, quod Custos Deiparæ fuerit Angelus summæ & dignioris classis. Si ergo non repugnat Scripturis, saltem ex his non roboratur præmissa Angelorum ordinum, ac munerum dipositio.

Neque ad hanc adstruendam nos traditio Patrum impellit. Dionysium enim, ex quo alii mutuati sunt illam Hierarchiarum distributionem, esse illum Areopagitam, non juniorem aliquem Scriptorem quinti aut sexti sæculi, non facile omnes fatebuntur. Irenæus lib. II. cap. 54. bis eam Angelorum divisionem recenset, ac primum numerat, *Principia, Potestates, Angelos, Archangelos, Dominationes, & Virtutes*: deinde *Angelos, Archangelos, Thronos, Dominationes, Principatus, Potestates ac Virtutes*, Seraphimis, Cherubimisque prætermissis. Seraphimos etiam ad infimos ordines pertinere asserit vetus Syrorum & Maronitarum traditio, ut constat ex Ritu Ordinationis Archipresbyteri apud Morinum de Sacris Ordinat. P. 2. pag. edit. Parisiensis 411. & pariter ex ritu ordinandi Presbyterum p. 407. Ecclesia ipsa Romana in Festo omnium Sanctorum ad Canticum *Magnificat* primum Angelos & Archangelos, postremo Cherubim, & Seraphim memorat, non ex infimo ordine ad supremum, sed ex supremo ad infimum digrediens, si in censendis Ordinibus Angelorum idem præstat, quod de Sanctorum hominum Classibus, numerando post Seraphimos proxime Patriarchas, ultima autem sede positis Anachoritis. Quod si affirmemus, convenit mirifice Latinorum Ecclesia cum Syrorum; & Angelica cum Ecclesiastica Hierarchia, & Sacerdotes omnes Angelis, Patriarchæ & Episcopi Archangelis, inferiores Clerici Seraphimis comparabuntur. At si placet priorem servare distributionem, liceat per me quidem. Hæc enim dicta sunt non ad illam rejiciendam, sed ad demonstrandum non esse plane inconcussam. Atque ne hanc opinationem meam aliquis carpat, repetam verba Augustini in libro ad Orosium cap. XI. *Esse itaque sedes, dominationes, principatus, potestates in cælestibus apparatibus firmissime credo, & differre inter se aliquid indubitata fide teneo. Sed quo me contemnas, quem magnum putas esse doctorem, quænam ista sint, & quid inter se differant, nescio. Nec ea sane ignorantia periclitari me puto, sicuti inobedientia, si Domini præcepta neglexero.*

Fidentius assero Angelos cujusque ordinis a Deo mitti; quod supra ex Scripturis affirmavi de Archangelis, de Cherubim, & de Seraphim. Hos vero *mitti ad eos, qui purgatione indigent*, diserte scribit Hieronymus ad Damasum. Atque de omnibus Angelis scribit Apostolus ad Hebræos I. v. 14. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* Quæ verba non de illuminatione, sed de missione; non de aliquibus, sed de omnibus Angelis esse accipienda tum ex litera constat, tum ex Apostoli scopo, qui est demonstrare Salvatoris nostri præ omnibus Angelis honorem ac dignitatem. Quare omnes plane Angelos aliquando mitti extraordinaria saltem legatione fatetur maxima pars Theologorum, quos nominatim laudat in primo de Angelorum custodia libro Andreas Victorellus. Me non latet beatum Gregorium lib. XVII. Moral. cap. 9. distinguere inter Angelos assistentes ac ministrantes: verum & illos aliquando mitti commonstrat exemplum supra productum Angeli Raphaelis. Nec prætereundum est quod tandem scribit ipse Gregorius homilia quarta ac tricesima. *Sed quia in quibusdam Scripturæ locis quædam per Cherubim, quædam vero per Seraphim agi didicimus, utrum per se hæc faciant, an per subjecta agmina agantur, quæ, sicut dicitur, in eo quod a majoribus veniunt, a majoribus vocabula sortiuntur, nos affirmare nolumus, quod apertis testimoniis non approbamus.* Ergo nec Gregorius aperte negat mitti interdum a Deo etiam Seraphimos, & Cherubimos.

Ut ut hæc in utramque partem disceptari possint; frivolum,

volum, & pro libidine confictum puto quod de exercitibus Angelorum conscripserunt Thalmudistæ. Hi omnes Angelorum copias distinguunt in Mazaloth, El, Legion, Rihaton, Chirton, & Gisteta. Et Mazaloth constare inquiunt XII. Angelis, nempe quot sunt signa Zodiaci. El dicunt esse triginta cohortes multiplicatu numero XII. per 30. unde fiunt 360. Legion multiplicat numerum 360. per 30. unde resultant 10800. Hunc etiam per 30. multiplicant, fitque Rihaton constans ex 324000. Quo numero pariter per 30. ducto habetur Chirton conflatus ex 9720000. Aucto denique numero illo per 30. habemus Gisteram, scilicet exercitum Angelorum 291600000. Omnium vero summa est trecenta & unum millium millia, sexcenta & quinquaginta quinque millia, centum & septuaginta duo. Hæc ergo est Tabula Thalmudistica:

Mezaloth.	12.
El.	360.
Legin.	10800.
Rihaton.	324000.
Chirton.	9720000.
Gistera.	291600000.
Summa.	301655172.

In dæmonibus Hierarchias statuere non possumus; agnoscimus tamen ordinem aliquem: & hunc arbitramur ipsos inter se constituisse, ut singuli quadam reipublicæ forma instituta in varias classes distributi ad eripiendum Deo honorem, animasque perdendas magis fierent intenti; sibique variis in locis divinum, si possent, cultum compararent. Ita nos civitatis Babyloniæ regimen, non ex perfectione naturæ arbitramur esse institutum, sed ex amore proprio cum Dei odio & invidentia erga homines conjuncto. Cujus Reipublicæ principem appellant sacræ literæ *Beel-zebub*, sæculi, aerisque potestatem primariam. Est autem *Beel-zebub* idem ac *Deus musca*, idque significatur hebraica voce בעל־זבוב, & apud Plinium lib. 29. cap. 6. *Deus Myiodis*, nam Græci muscam vocant *μυῖαν*. Quo nomine appellatus est Diabolus, vel quod Idolum Accaron, de quo in IV. Regum cap. 1. 2. muscæ figuram habuerit, ut scribit adversus Julianum Nazianzenus; vel quod ex agro Ekron crederetur muscas arcere, quomodo apud Phrygios Apollo a fugatis muribus dictus est *Smintheus*: vel demum, quoniam Philisthim ac Phœnices idolum suum appellabant *Beel-samen*, בעל־שמין, hoc est, *Deum cæli*; & illud Hebræi derisionis caussa appellaverunt Deum Dominumque muscarum. Hunc principem dæmoniorum, quidam vocaverunt Serapidem, sive tricipitem canem, quia in tribus elementis aqua, terra, & aere nocumenta molitur: & ad eumdem pertinent versus illi apud Porphyrium:

Tu, qui sceptra tenes scelerata in pectora dæmon
Terrenos super, aerios, subterque recessus.

Dictus est autem Joan. XII. 31. *Princeps hujus mundi*, ob dispersam per orbem terrarum idololatriam: & ad Ephes. II. 2. *Princeps potestatis aeris hujus*, quod ei obtemperent dæmones, qui per aerem discurrunt.

Ordines dæmoniorum ad instar cœlestium Hierarchiarum in novem classes distributos nonnulli scripserunt, præsertim Agrippa ab aliquo forte dæmone edoctus. Is, ut referunt, qui horrendos de occulta Philosophia libros legerunt, constituit in I. ordine *Pseudotheos* sacrificia, cultumque ab idololatris captantes; quorum princeps est *Beelzebub*. Collocat in II. *Spiritus mendaciorum*, qui oraculis ac divinationibus illudunt; & horum princeps vocatur *Python*: unde Apollo dicitur Pythios, & mulier divinatrix I. Regum cap. 28. Pythonissa. *Pythonis* vero nomen alii derivatum putant a Pytho Delphorum urbe; alii ab Hebræorum vocabulo פתן, idest, *aspide*. Statuuntur in III. *Vasa iniquitatis*, idest spiritus malarum artium inventores, quibus præest *Belial*, ita nuncupatus quasi בְּלִי־עוֹל *absque jugo*. Sunt in IV. ordine *Ultores scelerum*, quorum princeps dicitur *Asmodeus*, videlicet, *Faciens judicium*. Tenent V. classem *Prestigiatores*, quibus imperat *Satan*: & hi fictis miraculis homines decipiunt. Habent VI. *Aereæ potestates*, quibus cura est terræ & mari nocere, eisque præses est *Meririm*, vel, ut in Psalmo XC. 6. שר־צהרים, *Dæmonium Meridianum*, sive spiritus æstuans & furens in meridie. VII. mansione stant *Furiæ*, idest, dæmones discordiarum bellorumque Auctores: quorum dux appellatur græco nomine Ἀπολλύων, hoc est, *Vastator*. In VIII. stant *Criminatores*, *& Accusatores* hominum: eisque præsidet *Diabolus*, scilicet, *Calumniator*, vel *Astaroth*, hoc est, *Explorator*. Habent locum ultimum *Tentatores*, aut mali Genii, qui singulos homines ad malum illiciunt: eorumque agmen ducit *Mammon*, quod interpretatur *Lucrum*, vel *Cupiditas*. Hæc an vera sint, ignoramus. Sunt nihilosecius omnia hæc vocabula in sacris literis: quarum explicationi etiam hæc, quæ scripsimus de Republica dæmoniorum, deserviunt nonnihil.

CAPUT XIX.

Quo pacto Angeli ad Animarum custodiam vigilent, & Dæmones ad perditionem illarum.

DE custodia Angelorum, atque dæmonum infestatione nunc simul dicturi sumus: quantum enim illi ad salutem animarum excubant, tantum hi habent de illarum exitio solicitudinis & negotii. Et singulis quidem hominibus deputari tam bonum, quam malum Angelum, cum Ethnici Scriptores, tum Veterum Patrum permulti tradiderunt. At plures etiam, custodes Angelos singulis, non autem dæmones instigatores adesse, arbitrantur. Sunt & plurimi qui docent fidelibus tantum, justisque Angelos sanctos assistere: quas omnes opiniones suis libratas momentis jam subjicimus.

PROPOSITIO I. Deputatur Angelus Custos a Deo omnibus fidelibus, ac probabilius ceteris etiam hominibus.

Innititur pars prima divinis litteris, Patrum testimonio, & rationi. Adfuisse enim Angelum Jacobo constat ex cap. XLVIII. Genes. v. 16. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* De Angelo Judith legimus cap. XIII. 20. *Custodivit me Angelus ejus.* De custode puellæ Rhode habetur Act. XII. 15. *Angelus ejus est.* De pueris, quos humiles Christi sectatores designare est valde probabile, Matth. XVIII. 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Hæc sane est Patrum omnium sententia. Origenes enim Hom. XX. in Num. ait: *Adest unicuique nostrum, etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moveat, qui gubernet, &c.* Eusebius in XIII. de Præp. Evang. & Basilius in III. adversus Eunomium idem adstruunt. Augustinus cap. 17. Soliloquiorum: *Magna cura*, inquit, *& solicitudine Angeli adsunt nobis.* Atque Ambrosius lib. de Viduitate: *Angeli nobis ad præsidium dati sunt.* Idem subodorati sunt etiam Scriptores Ethnici, Menander apud Eusebium citato libro cap. 16. Censorinus cap. 3. de die Natali, Horatius Epist. 2. Virgilius, & Servius in VI. Æneidum, Seneca Epist. XC. & fere omnes Platonici apud H. Grotium Comment. in Matth. p. 174. Huetium in Concordia, & Petavium lib. II. de Angelis cap. 6. Suffragatur & ratio. Primo quoniam in hoc visibili mundo omnia per rationales spiritus disponuntur, ut in tertio de Trinit. c. 4. ait S. Pater; quod postulat etiam ratio providentiæ, a qua ita series rerum connectitur, ut inferiora a superioribus dirigantur, uti observarunt duo magni Theologi S. Thomas q. 110. art. 1. & Ægidius dist. 11. q. 1. art. 1. Deinde homines indigent Angelorum custodia pluribus titulis: præsertim vero, ut contra impugnationem dæmonum præsidium habeant; ut a periculis, quæ passim occurrunt, eruantur, ut bonæ illis inspirentur cogitationes, ut denique eorum oblationes ac preces in sublime altare Dei ab Angelis deferantur. Quæ omnia late persequitur Estius lib. 2. Sent. dist. XI. §. 2. Igitur saltem fidelibus omnibus adesse Vigilem & Custodem, sacræ literæ, traditio, & ratio ipsa demonstrant.

Iisdem momentis altera pars roboratur. Et scripturis quidem; nam quæ superius productæ sunt, phrasi quadam justorum, puerorumque Angelos commemorant, ut singulis hominibus sui Custodes videantur adscripti. Quippe ea verba *Angeli ejus*, *Angeli eorum*, peculiares propriosque Præsides indigitant, ad differentiam reproborum, quibus forte deputantur Angeli inferiores. Præterea Esaiæ v. 5. de reprobis prænuntiatum est: *Ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem ejus, & erit in direptionem.* Hanc vero sepem Glossa, & PP. Angelorum custodiam interpretantur. Quos Angelos omnibus omnino præsidere scribit citato loco Eusebius, Anselmus in Elucidario, Bernardus lib. V. de Cons. cap. 4. Et pervulgata sunt verba Hieronymi in cap. XVIII. Matth. *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu suæ nativitatis in custodiam sui Angelum deputatum.* Eo quoque pertinet ratio a divina Providentia desumpta, quæ omnium hominum saluti prospicit largiendo communia saltem ac generalia adjumenta: & ideo singulis hominibus suum destinari Custodem est pariter rationi, auctoritati, & scripturæ cohærens.

Hanc tamen partem absolute non definivi, sed probabiliorem esse affirmavi, primo quoniam scripturæ nullibi aperte custodes Angelos universis præsidere demonstrant, sed pueris, fidelibus, ac Deum timentibus; necnon Regnis, Provinciis, atque exercitibus, ut non obscure ex Josue V. & Danielis X. capite infertur. Deinde quia solis fidelibus deputari Custodes, tradunt Basilius absque ulla verborum ambiguitate in Psalmum XLVIII. Hilarius Canon. XVIII. in Matthæum, Anastasius Sinaita libro de Hexamer. quinto, & Chrysostomus hom. 49. in Matth. Rursus quia liquet ex Ritu baptizandi, quem servat Romana Ecclesia in tingendis sacro baptismate adultis, custodiam Angelorum deputari regeneratis, quemadmodum constituta fuit filiis Israel cum educerentur de Ægypto: quod in Opusculo XXIII. cap. 4. docet luculenter Petrus Damiani. Atque hæc argumentum faciunt probabile, sed prædicta nequeunt convellere; cum postrema hæc possint aut de alio peculiari Angelo

gelo exponi, quem in locum prioris Deus deleget baptizatis, substituto in his, pro Angelo infimi ordinis, præside digniore, aut de singulari effectu, quem antistites fidelium Angeli studiosius Deo jubente exequuntur.

RESPONSIO AD ARGUMENTUM CALVINIANORUM.

Singularem Angelorum custodiam deridet in Psalmum xc. Calvinus: eaque posset impugnari versu hujus Psalmi 11. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*. Quæ sane angelicæ custodiæ effecta vix aliqui experiuntur electi. Manifestius cap. 1. Epist. ad Hebræos v. 14. legitur, Angelos *in ministerium mitti propter eos, qui hereditatem capiunt salutis*. Ergo illi saltem, qui regni hæredes non sunt, præsidio angelico destituuntur. Deseri quoque ab Angelis homines obduratos, colligitur ex cap. v. Esaiæ v. 5. & 21. v. 9. Jeremiæ. Itaque ad nullos, vel saltem perpaucos custodia Angelorum extenditur. Quod si hanc adversus Calvinum adstruere lubet; quid opus est singulis hominibus singulos Angelos delegare, cum possit unus spiritus plurium mortalium regimini præsidere?

Hæc vero nullius pene momenti sunt. Nam in Psalmo xc. non de singulorum hominum custodia agitur; sed de peculiari electorum, qui ut nos, quæ habemus charissima, gestamus manibus, maxima ab Angelis servantur cura, ne in peccata, saltem finaliter, prolabantur. Id vero commune in ceteris præsidium, clientumque regimen minime tollit: quamquam illud in universis omnino constituere fide, & auctoritate certissima non compellimur. Atque hac eadem Psalmi sententia Angelorum saltem erga aliquos clientela contra Calvinum comprobatur. In Epist. autem ad Hebræos exprimitur præcipuus Angelorum effectus, qui est electos ad salutem perducere, quo carent reprobi propria culpa. Præterea multa largitur Deus etiam reprobis propter electos, quorum omnia esse scribit idem Apostolus in priori ad Corinth. cap. 3. v. 22. Ideo ad Hebræos potius ait omnes Angelos in ministerium mitti *Propter*, quam *Ad* eos, qui salutis capiunt hæreditatem, usus præpositione significante caussam finalem. De perversis obduratisque, videtur nobis eos aliquando Angelorum cura, & solicitudine destitui, quod de Templo & Urbe Jerusalem factum legimus manifesto miraculo: unde D. Bern. Serm. 1. de S. Michaele de peccatoribus ab Angelis derelictis exponit verba Prophetæ: *Et qui juxta me erant, de longe steterunt*. Etsi autem illorum curam remittunt; adstare credimus opem allaturos supplicibus, neque alumnos deserere, donec penitus de illorum salute actum est; quemadmodum nec animas Purgatorii, cum præcipua sit Angelici muneris pars, nos ad gloriæ hæreditatem perducere. Unum Angelum pluribus hominibus præsidere docet probabiliter Magister in 11. Sent. dist. 11. num. 2. eo quod etiam *uni hominum plurium custodia deputetur, ita ut eorum quisque suum dicatur habere Dominum*. Sed respondere possumus singulos singulis delegari ad demonstrandam liberalissimam Dei providentiam, dignitatemque animarum.

PROPOSITIO II. Probabilius est universis hominibus etiam Angelum malum delegari, non quidem a Deo, sed a Principe dæmoniorum; ita ut nequeat homines exercere, nisi quatenus Deus permittit vel ad meritum electorum, vel ad pœnam reproborum.

Magister citato libro 11. eademque distinctione docet unicuique tam bonum, quam malum angelum deputari, quam opinionem jam omnes plane recentiores Scholastici exuerunt, tamquam ex fallaci traditione derivatam. Sed ut hanc paullulum expendi, visum mihi est longe probabilius medium incedere: & cum Magistro malum genium singulis adstare, cum Theologorum caterva hunc a Deo minime deputari, sed a Beelzebub destinari, affirmare pronuntio. Ac primam partem demonstro. I. Quoniam quæ de Angelis sanctis sacræ literæ affirmant, eadem fere narrant de contaminatis impurisque. Esse nobis colluctationem *adversus principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*, monet Paulus ad Ephesios vi. 12. Petrus Epist. 1. cap. viii. ait vigilandum esse, *quia adversarius diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*. Satanam *perambulare terram*, habemus quoque in 1. & 11. capite Jobi. Inhiant ergo, totisque nervis in perniciem animarum incumbunt dæmones invidi, ac truculenti. Iisdem tradentibus Scripturis didicimus Dæmones ad exemplar cælestium Exercituum propriam Rempublicam conformasse. Nam regnum aliquod, & supremum ducem habere constat ex Lucæ xi. 18. Eorum principatus & potestates legimus ad Colossens. 11. 15. Virtutes etiam ad Romanos viii. 38. & in priori ad Corinthios xv. 24. Igitur quomodo in supernis Hierarchiis Vigiles Animarum, ita in Satanæ familia Instigatores et Tentatores esse putamus, imo & singulos dæmones id muneris assumere, avideque captare stimulis invidiæ percitos & concitatos.

Deinde satis explorata mihi videtur traditio, aptaque ad faciendum argumentum saltem probabile. Nam esse antiquissimam traditionem non Christianorum modo, sed etiam Hebræorum, quod singuli homines habeant quoque malum angelum, a quo impugnentur, scribit Joannes Maldonatus in cap. xviii. Matthæi, & Alardus Gazæus in Comment. ad Cassiani collat. xiii. cap. 12. Atque hæc traditio probatur ex vetustissimo libro Pastoris lib. 11. Mandato vi. ubi legimus: *Duo sunt Genii cum homine, unus æquitatis, & unus iniquitatis*. Habentur similia in Epistola Barnabæ num. xviii. scribentis; *Duæ sunt viæ doctrinæ ac potestatis, una lucis, altera tenebrarum: differentia vero multa duarum viarum; uni siquidem præpositi sunt lucis conciliatores angeli Dei, alteri vero angeli Satanæ*. In quem locum plura erudite adnotavit Cotelerius. Idem tradit lib. 11. Instit. cap. iv. Lactantius. Tertullianus in Apolog. & lib. de Animæ cap. 39. & 57. Origenes etiam pluribus in locis, præsertim Hom. x. in Lucam, & prope finem lib. ultimi adversus Celsum. Serenus Abbas in Collatione viii. Cassiani cap. 17. & Ab. Cheremon in collat. xiii. cap. 12. Et quoniam solent istiusmodi Auctoritates parvipendi, principio postulo, ut recitentur oppositæ antiquorum sententiæ, quas certe nondum legimus: sed adversarii duntaxat reponunt Patres alios silere, hos vero quos laudavi, aut apocryphos esse, aut auctoritatis exiguæ. Verum Epistolæ Barnabæ, necnon Pastor Hermæ, licet catalogo divinorum Scriptorum non sint inserendi, debito tamen honore excipiuntur, ut dixi lib. vii. cap. 5. Atque Origenis, Tertulliani ac Lactantii hac in parte dogmata a nullo Veterum censoriæ virgula notari comperimus; ut non diffitemur de pluribus, quæ merito abjiciuntur, & refutantur. Præterea non hos tantum proferre possumus, sed alios plures, ut Bedam in Act. Apost. xii. 15. & Auct. Imperf. Hom. v. in Matth. Sufficit tamen vetustæ traditionis testem compellere Gregorium Nyssenum, qui lib. 1. de Vita Mosis ait: *Est sermo ex Majorum traditione fidem sibi vendicans, qui dicit postquam natura nostra in peccatum decidit, Deum hunc lapsum nostrum providentia sua minime destituisse, sed angelum quemdam ex iis, qui naturam corporis expertem sortiti sunt, adhibuisse ad uniuscujusque vitæ tutelam, ac præsidium: at ex adverso naturæ corruptorem pari machinatione contraniti, & pravo quodam, ac malefico adjuncto dæmone humanæ vitæ perniciem afferre*. Nostra ergo sententia videtur perantiqua traditione fulciri. Et quemadmodum de Vigilibus dictum supra, ita de malo genio consentiunt Gentiles, ut Empedocles apud Alexandrum ab Alexandro Genial. dier. lib. vi. cap. 4., Lucilius Sat. lib. 9. Censorinus de Die Natali, Servius in illud Virgilianum: *Quisque suos patitur manes, &c.*

Adstipulatur etiam ratio. Primo quoniam Dæmoniorum Princeps in Administratione regni sui studet Deum imitari, eique pro sua virili contraniti; & ideo quemadmodum Deus singulis hominibus Angelos, ita Beelzebub dæmones dicendus est delegare. Rursus sicut in Ritu baptismatis oratur Deus ut mittat Angelum suum, ne regenerationis & lavacri impediatur effectus, ita exorcismis expellitur dæmon: quod animadvertens lib. 4. Hist. Donatist. Optatus Milevitanus scripsit in baptismo per exorcismum dæmonem omnibus adstantem *depelli, & in loca deserta fugari*. Aut ergo Angelus custos præest fidelibus, & dæmon infidelibus omnibus, aut in baptismo deputatur a Deo peculiaris præses, cui devictus diabolus opponit spiritum nequiorem: quemadmodum insinuat etiam Evangelium Lucæ cap. xi. 24. Postremo illa ratio Exorcismorum adhibita in omni fere Eulogia, ad humanam perniciem dæmonia ubique invigilare demonstrat. At hæc de priori parte propositionis.

Quod enim Deus malum dæmonem cuique non deleget, certum est, & hac in parte probo Scholasticorum assertum. Nam in primis sicut Deus verax non potest per se, neque per alium fallere, ita Deus bonus non potest per se, nec per alium ad peccatum inducere: unde Jacobus in Epist. Catholica cap. 1. 13. ait: *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat*. Ulterius in iis, quæ directe ad peccatum trahunt, Dei providentia permissive tantum se habet; quippe si in his ageret destinatione ac proposito, ei posset imputari peccatum; & sicuti delegatio Angelorum Sanctorum argumentum est providentiæ Dei Boni, ita deputatio tentatorum dæmonum fieret indicium Dei mali. Hinc apud Ethnicos, qui malum genium cum unaquaque anima produci arbitrabantur, unde a *γεννάω gigno*, Genium nuncuparunt, facile est fermentum Manichæismi deprehendere. Ad hæc, ut Deus electorum suorum virtutem probet, aut reproborum patiatur interitum, sufficit si dæmoni ad nocendum hominibus satis proclivi permittat illos aggredi, præsertim cum *unusquisque tentetur a concupiscentia sua abstractus & illectus*, ut inquit eodem loco Jacobus. In Scripturis denique ac Patribus nusquam legi dæmonem delegari a Deo, sed, ut Nyssenus inquit, *ab adversario, & naturæ corruptore*. Ex quibus constat frustra diabolum contraniti, nec posse ad homines accedere, eosque vexare, nisi Deo permittente: paratum tamen illum esse, ut data facultate adoriatur, decipiat, & perdat, quomodo liquet ex 111. Reg. cap. ult. v. 21. Porro hæc Dei permissio rectissimam servat œconomiam, atque prohibet ne hostes pro lubitu deseviant; unde permisit primum ut Satanas diriperet Jobi substantiam, deinde etiam ut illum percuteret ulcere pessimo; hac tamen lege, ut parceret animæ ipsius. Interdum sinit homines tentari, quo evadant humiliores, sicut de seipso testatur Paulus in 11.

ad

ad Corinth. cap. XII. 7. Si dimittat improbos etiam ad interitum impelli; integerrimum est, rectissimumque judicium.

CONTRA PRIMAM PROPOSITIONIS PARTEM OBJECTIO.

Opponunt itaque adversus I. partem Juenin differt. de Angelis q. 4. c. 5. art. 4. Estius in 2. dist. XI. & alii. I. Hanc de dæmone singulis delegato opinationem derivatam esse a fabulis Ethnicorum, qui omnibus hominibus duplicem Genium, bonum, ac malum attribuunt. II. Falsissimam esse traditionem a nobis jactatam, cum libri Pastoris, & Origenis nullam habeant auctoritatem; Cassianus vero refutetur a Prospero in lib. contra Collatorem cap. 30. & adversus Magistrum pugnant omnes fere recentiores Theologi. III. Plures esse, qui dæmoni voluntarie serviunt, & omnes pravis concupiscentiæ fluctibus absque instigatore dæmone satis jactari. Cetera argumenta, quæ probant malum Angelum non destinari a Deo, non militant adversus sententiam nostram.

Resp. ad I. Ethnicorum de Diis, & Geniis fabulas arte dæmonis ex sacris literis, permixta ad idololatriam spargendam falsitate, fuisse depromptas. *Omnia enim adversus veritatem de ipsa veritate constructa sunt, operantibus æmulationem istam spiritibus erroris*; ut recte inquit in cap. 47. Apologetici Tertullianus. In his ergo malis Ethnicorum Geniis verum a falso debemus secernere. Falsum est præesse gignendis rebus, falsum, esse Deos divini consilii participes, falsum ex necessitate homines malo Genio indulgere. Hæc adversus veritatem ex vera traditione de tentatoribus dæmonibus fuerunt constructa. At his rejectis remanet veritas inviolata; quemadmodum vera est Gentilium traditio de bono cujusque hominis Genio, refutata hujus superstitiosa divinitate. Primum itaque argumentum in Adversarios retorquetur. Sed & secundum; nam præter Pastorem, Cassianum, & Origenem plures alii sunt, ut ostendimus, hujus traditionis assertores; & Liber Pastoris immerito deprimitur. Tam enim Pastor, quam Cassianus in hoc tantum refutatur a Prospero, quod Collator ex libro Pastoris nitatur ostendere, *inter boni & mali contrarias suasiones ita omnem hominem propriæ discretioni esse commissum, ut ei non plus a Deo præsidii, quam a diabolo sit periculi, & idcirco manere in homine liberum arbitrium*. Hæc Prosper in Collatore redarguit, quæ revera docet Cassianus Collat. XIII. cap. 12. Si ergo ab hoc pernicioso errore abstineamus, quo & Christi gratia parvipenditur, & nimis liberum arbitrium extollitur; tenebimus traditionem veterem, & vitabimus Prosperi reprehensionem. Erimus pariter in Magistrum & Scholasticos obsequentissimi asserentes cum illo dæmonem proprium adstare hominibus, cum istis vero illum a Deo minime deputari. Et ad ultimum facilior etiam est responsio; quandoquidem Diabolus Dei πίθηκος, ad inclinationem & concupiscentiæ stimulos addit malorum hortatores, quemadmodum Deus ad gratiæ opitulationem vigiles Angelos.

Consequitur ex dictis dæmonem nec victum ab impugnatione desistere; ut constat exemplo Jobi, & ex cap. XII. Matthæi v. 44. & Lucæ XI. 24. Frequenti tamen oratione invitus recedit; & ideo ait Jacobus cap. IV. 7. *Resistite Diabolo, & fugiet a vobis*. At continuo clamandum est ad Dominum: *Et ne nos inducas in tentationem*, dum Angelus Satanæ, postquam exivit ab homine, non inveniens requiem statim in domum suam, ex qua abierat, revertitur. Implorandum est etiam præsidium Sanctorum Vigilum: quos Hieronymus Vida in quodam hymno ita supplex alloquitur.

Adeste nobis: namque quos vos prælio
Fregistis hostes, nos premunt,
In nosque victi virus omne colligunt,
Et tuto inermes provocant.
Adeste: diris pestibus resistite
Non insueti laureis.

CAPUT XX.

Possint ne dæmones naturali facultate mirabilia patrare.

RERUM mirabilium quatuor sunt genera. Quædam naturalem virtutem, aut artem studio comparatam illius, a quo proxime efficiuntur, minime excedunt; mira tamen sunt, idest, in admirationem trahunt spectatores, qui ignorant latentem caussam, rerumque naturam. Hujus generis sunt ostenta, quæ interdum in planetis fiunt, ut quod narrat Varro de stella veneris, apud Augustinum lib. XXI. de Civit. Dei cap. VIII. item monstra, quæ S. P. describit lib. XVI. cap. VIII. insolita etiam quorumdam opera, ut Restituti presbyteri Calamensis, de quo lib. XIV. cap. 24. res denique gestæ a viris naturalium artium peritis, E. G. a Pico, Ficino, Sarcha, de quibus proximo capite. Quædam sunt sensuum nostrorum illusiones, quæ aut naturali magia perficiuntur, ut dum lychnis anguium adipe, herbarumque succis oleo permixtis animantia, & vireta conspiciuntur; aut fiunt dæmonum illusione modo, quo explicatum est cap. quartodecimo. Quædam mirabilia fiunt revera, & naturalem virtutem, artemque humanam superant, non autem vim effectricem superioris caussæ: & hæc sunt in duplici differentia. Alia enim efficiuntur virtute dæmonis, cui permittente Deo corporalia quantum ad motum obediunt, ut si oraculum reddatur a simulacris, aut ignis de cælo descendat, vel maleficus in sublimem aerem feratur. Alia patrantur supernaturali virtute, neque ullatenus ab Angelo vel homine Deo non operante effici possunt, ut resurrectio mortuorum, scrutatio cordium, certa rerum contingentium vaticinatio, aliaque hujusmodi. Quæ omnia communi vocabulo compellari poterunt Portenta, ac Prodigia; singulis vero videtur nobis esse proprium tribuendum vocabulum. Itaque mirabilia primi generis appellabo (si lubeat) Ostenta: altera Magicas phantasias; tertia Præstigia; ultima tandem Miracula.

Oportet autem, ut in rebus mirabilibus caussam effectricem, operandi modum, & finem inspiciamus, quibus potissimum mirabilia Sanctorum ab operationibus dæmonum secernuntur. Enimvero si quis ultra facultatis suæ vires aliquid perficiat, in exemplo, si ignotis linguis loquatur, si desperatas sanitates extemplo reddat, si rapiatur in aera; erit id a caussa superiore, scilicet a Deo, vel Dæmone. Atque si patrata opera angelicam superent facultatem, qualia sunt contuitus occultarum cogitationum, & revocatio mortuorum ad vitam, erunt vera reipse miracula. Atque hac ratione plura per efficientem caussam poterunt a præstigiis & magicis illusionibus distingui. Ut vero distinguantur a modo, tene Augustini regulam traditam in libro LXXXIII. Q. q. 79. his verbis: *Magi per privatos contractus, boni Christiani per publicam justitiam, mali Christiani per signa publicæ justitiæ miracula faciunt*. Qui ergo utitur signis, characteribus, verbisque ignotis, aut superstitiosa aliqua libaminis, suffiminis, ritusque irreligiosi cæremonia, erit præstigiator & maleficus: qui Christi nomen invocat, & ligno Crucis, vel reliquiis Sanctorum mira perpetrat, sed male vivit, erit illis comparandus, de quibus Matth. VII. 22. *Multi dicent mihi in illa die: Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Qui eximia fide ac sanctitate prodigia faciunt, & per publicam justitiam, ut inquit S. P., hi boni probique censendi sunt. Quapropter miracula quantumvis maxima nullum erunt sanctitatis indicium, nisi primum rectitudo, & virtus eximie fuerit comprobata. Præstigia denique finem habent aut promovendi idololatriam atque superstitionem, aut impiorum hominum vitia magnificandi, aut humano generi, præsertim vero justis nocendi; cum vera miracula Dei cultum, religionis augmentum, justitiæ commendationem respiciant: quod S. Pater animadvertit memorata quæstione, & lib. de Civit. Dei x. cap. 12.

Primum itaque in hoc capite demonstraturi sumus, virtute dæmonum plura mirabilia patrari, & quidem vera, quæ si vis eorum inspiceretur, neque laterent nos rerum caussæ, mira profecto non essent. Deinde ostendemus etiam sceleratos homines supra vires proprias aliquando vera miracula facere, virtute quoque divina. Tertio agemus iterum de discrepantia mirabilium, quæ fiunt Dei efficientia, vel Dæmonis. Postremo probabimus miracula Sanctorum esse certissimam veræ religionis notam, non fieri ope ac virtute Dæmonum, neque a Deo posse fieri in confirmationem erroris. Tabulæ ergo manum apponamus.

PROPOSITIO I. Naturalis virtus Dæmonum prodigia ac portenta plura efficit, aut adverso rerum corporalium motu, aut illusione sensuum, aut caussarum ac seminum applicatione; quæ omnia mira non sunt, si rerum ratio dignoscitur.

Demonstratur auctoritate Scripturæ, testimonio Augustini, & rei etiam experimento. Res enim mira est quod loco virgæ appareat statim & efficiatur verus coluber, quod aqua vertatur in sanguinem, quod ranæ super terram illico educantur, quæ omnia nedum Moses patravit virtute Dei, sed etiam malefici Ægyptii incantationibus suis, ut narrat cap. 7. & 8. liber Exodi. Signum etiam magnum est, si ignis de cœlo descendat, quod facturum esse Antichristum prædicitur in XIII. Apocalyp. v. 13. Deinde Augustinus lib. XXI. de Civit. Dei cap. 6. disputans de lucerna inextinguibili Veneris, ait: *Sunt ergo facta eorum plurima, quæ quanto magis mirabilia confitemur, tanto cautius vitare debemus*. Affert eodem loco S. Pater experimenta quædam, cum memoratæ lucernæ, tum maleficæ feminæ, de qua Virgilius in IV. Æneadum ait, carminibus suis

Sistere aquam fluviis, & vertere sidera retro.

Angelica ergo natura omnibus potentior animantibus plura efficit, quæ nos mirabilia esse fatemur; idque liquet e Scripturis, ex Augustino, ex ipsa rerum magistra experientia.

Hæc tamen, si rerum caussæ a nobis noscerentur, nullatenus admirationem exciterent. Nam serpentes E. G., quos fecerint incantatores Ægyptii, veri quidem fuerunt, neque, ut arbitramur, illuc dæmonum potentia translati; sed producti ex seminariis rationibus, e quibus, ut scribit S. P. quæst. 21. in Exod. cum data fuerit opportunitas temporalis, & causalis, prorumpunt species debitæ, suis modis ac finibus. Dæmones ergo, qui has seminarias rationes optime norunt, cum serpentes, tum arbores, & alia, quæ suis gignuntur seminibus, possunt producere, applicando, ut Scholastici loquuntur, *activa passivis*: nec proinde

majus

majus miraculum est, quam dum agricola jactis seminibus segetes, arboresque producit. Operantur autem Angeli absque longa temporis mora, quoniam noverunt, ut dixi, præbere opportunitates, & caussas, unde ista citius nascantur; quemadmodum arte & industria agricolarum sæpe arbores citius crescunt, & fructus reddunt. In hujusmodi ergo lignis, si aliquid mirabile evenit, tribuendum est Deo, qui solus creator est, & rationes illas seminarias rebus inseruit, collata Angelis potestate supra res quasque visibiles. Ea ratione facile est Angelis sistere aquam, dejicere ignem, sidera etiam vertere, si Deus permittat; cum ad hæc sola requiratur corporum motio, quæ facultatem angelicam non excedit. At hæc visibilium rerum materia transgressoribus Angelis ad nutum nequaquam servit, ut recte observat S. Pater in III. de Trinit. cap. VIII., alias, ut sunt hominibus infensissimi, ad interitum mortalium omnium elementa commoverentur, fierentque in nostram perniciem non lenta nimium frequentia. Privato ergo jure nequeunt de ulla re creata disponere, sed uti tantum facta sibi a Deo potestate, quæ seriem universi immutare non valet; in particularibus autem corporibus quantum possit, difficillimum est definire. Lucernas vero, quas perpetuas vocant, docet S. Pater esse mechanicum opus ex lapide Asbesto: sed candelabrum Veneris, de quo supra, tantam fortasse lucem fundebat, dæmone per radiorum percussionem intuentium oculos fascinante.

PROPOSITIO II. Homines etiam improbi mirabilia aliquando patrare possunt, non solum ea, quæ non superant naturalem Dæmonum potestatem, sed etiam majora, & vere divina: atque rectissime Deus permittit præstigia, rectissime ipse per improbos vera operatur miracula.

I. Probatur ex Scripturis; nam Lucæ IX. 49. legitur quemdam nomine Christi invocato ejecisse dæmonia, cum tamen Christum non sequeretur. Matthæus VII. 22. ait etiam reprobos in Christi nomine virtutes multas quandoque facere; quod etiam liquet ex cap. IX. Marci v. 38. II. Probatur ex Augustino scribente in quæst. 78. superius laudata, *quædam miracula etiam sceleratos homines facere, qualia Sancti facere non possunt*. III. Probatur experimentis: narratur enim miracula patrasse etiam Paulum Episcopum Novatianum, non quidem in confirmationem hæresis suæ, sed in commendationem Baptismi: ut animadvertit doctissimus Bellarminus de Noris Ecclesiæ, not. XI.

Duplici autem caussa Deus miracula operatur etiam per impios. Primum ut Deus Satanam debellando etiam per ministros ipsius magis fidei virtutem extollat, & adversarii deprimat arrogantiam. Deinde ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis majora dona esse, quam in operibus justitiæ, quibus æterna vita comparatur. Quod si mirabilia operentur Dæmonum potestate, permittit hoc Deus juste omnia moderans, ut pro cupiditatibus & electionibus suis, servitutes eorum, libertatesque distribuat. Non enim frustra dicit Apostolus, *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*. Hæc citata quæstione Augustinus.

PROPOSITIO III. Mirabilia Dæmonum a mirabilibus Dei pluribus characteribus distinguuntur.

Etsi videantur specietenus similia mirabilia Dæmonum, & mirabilia Dei, V.G. miracula Mosis, & præstigia Incantatorum Ægypti, sunt tamen quædam regulæ, quibus possunt vera miracula a falsis discerni, & opera Diaboli a virtutibus Deo auctore patratis. I. sit quod Deus non operatur mirabilia, nisi per publica signa justitiæ, aut publicam virtutem, E. G. invocatione divini Nominis, & religionis Christianæ argumentis: unde Marci IX. 38. ait Christus: *Nemo est enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & possit cito male loqui de me*. Si quis ergo Evangelio abrenunciet, mysteria fidei deneget, sacris rebus abutatur, dum actu res miras efficit, harum Satanas erit auctor.

II. Si dissolvantur opera Diaboli carminibus, ritibus ac signis superstitiosis, quibus Dæmones avide divinum honorem captantes alliciuntur, E. G. si energumeni *per occultos*, ut Augustinus loquitur, *contractus* sanentur, aut maleficia solvantur, nullum est miraculum, sed dæmon sponte a nocendo desistit, & corporis sensibus parcit, ut animæ majori triumpho dominetur. Cujus ratio est, quod Satanas non potest Satanam ejicere, alias regnum Beelzebub divideretur, & pugnaret Dæmon adversus Dæmonem. Quare maledictis & exorcismis Dæmones solent a viris Christianis expelli.

III. Idem de vaticiniis & futurorum eventuum prædictionibus dicendum est. Si enim quis futura prænunciet ut avocet a Catholica Religione, vel ad turpia alliciat, & tamen, ut prædicta sunt, eveniant, prævisa erunt virtute dæmonis una vel altera ratione ex his, quas attuli duodecimo capite, neque Deus hujusmodi eventus impediet, sed illos ad fidei nostræ tentationem, probationemque permittet. Quod admonet Apostolus in I. ad Corinth. cap. XII. v. 3. his verbis: *Nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu*. Et Auctor Deuteronomii cap. XIII. *Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum, atque portentum, & evenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos quos ignoras, & serviamus eis; non audies verba prophetæ illius, aut somniatoris; quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra*.

IV. Patratur ab omnipotenti Deo prodigium illud, quod non potest virtute dæmonis superari, quando præsertim agitur de idololatriæ destructione, quam invitus patitur diabolus. Quare non est ambigendum fuisse mirabilia Dei, quæ operatus est Moses in Ægypto, cujus opera non potuerunt ab incantatoribus superari: unde hi cum non possent educere sciniphes, *Dixerunt ad Pharaonem, digitus Dei est hic*: Exodi VIII. 19. Similiter Ignis, qui ad nutum Eliæ Regum III. cap. XVIII. 38. cecidit de cœlo contranitentibus idem agere prophetis Baal, divinitus ad voranda holocausta, ligna, lapidesque descendit.

V. Dæmonum illusiones ac præstigia possunt pluribus notis deprehendi. Etenim si appareat v. g. & e sepulcro mortuus excitetur, neque corpus habeat palpabile, spectrum erit, & phantasma; quoniam objecto reali certæ insunt proprietates, quibus expoliari non debet. Hinc phantasma non erat Christus redivivus a mortuis, qui corpus suum palpabile exhibuit; neque Lazarus, qui postquam e monumento surrexit, loquebatur & epulabatur. Deinde spectrum erit & magica illusio, si a pluribus eadem res sub diversa conspiciatur imagine; nisi objectum talibus partibus instructum sit, ut radiorum inflexione diversas imagines pariat. Rursus transmutationes in volucres, lupos, aliaque animantia, si arte dæmonum fiant, erunt imaginationes aut somnia, epoto veneno, sive alia arte ad inducendam falsam phantasiam materia disposita; nisi dæmon illudat sublatis corporibus, aliisque priorum loco substitutis. Quæ demum aut curiositati deserviunt, aut fiunt ad nocendum insontibus, satis de se ingerunt suspicionem, quod a malo, & nocendi cupidissimo spiritu efficiantur.

Liquet ex dictis vera miracula ea esse, quæ superant omnem naturalem facultatem etiam angelicam, quæ vere ac manifeste talia sunt, non sola imaginatione; & quæ ordinantur ad Dei cultum, ad reipublicæ utilitatem, atque ad incrementa virtutum.

PROPOSITIO IV. Istiusmodi miracula, quæ naturalem potestatem excedunt, veræ religionis sunt nota & character, neque Deus talia operari potest per Cacodæmonem in argumentum erroris, vitiorumque commendationem.

Hanc thesim adversus Novatores I. Scripturarum auctoritate demonstro. Nam Josue III. 10. loquens de prodigiis Arcæ Domini, quibus Chananæorum, Hethæorumque evertenda erat idololatria, ait; *In hoc scietis, quod Dominus Deus vivens in medio vestri est*. Elias quoque devicturus miraculo ignis Prophetas Baal III. Regum 18. 36. inquit: *Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel, ostende hodie, quia tu es Deus Israel, & ego servus tuus*. Ipse Christus Lazarum suscitaturus Joan. XI. 42. oravit ad Patrem: *Ut credant quia tu me misisti*. Atque de ejus Apostolis in fine Evangelii Marci legimus: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*. Scripturis igitur patet, miraculis Dei legem, Christi divinitatem, & Evangelii prædicationem fuisse confirmatam.

Secundo propositionem demonstro auctoritate Augustini, qua potissimum, ut magnum sibi arrogent patrocinium, Heterodoxi abutuntur. Ergo S. Pater in libro de utilitate credendi cap. 17. inter veritatis Catholicæ notas miracula connumerat, traditque hæreticos *partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatos*. Et quoniam scripserat hoc loco, miracula olim facta, non suo tempore; ne quis opinaretur putari ab Augustino incantamenta aut præstigia, quæ Deus identidem ad gloriam Sanctorum operatur, in I. Retract. cap. 14. testatur se id protulisse, quoniam *non fiunt tanta, nec omnia modo*. Illa namque ætate Donatistæ, quos S. Pater *mirabiliarios* appellat, innumera portenta a se fieri jactitabant; quæ profecto talia non erant, ut scribit Tractatu in Joannem XIII. Libro quoque X. de Civ. Dei cap. 17. ubi enarratis mirabilibus divinitus factis, scribit eadem fieri, *ut nos ad Deum colendum, eique cohærendum excitemur*. Atque cap. proximo ait conari Cacodæmones ut falsis portentis divina imitentur, quoniam *non aliter se colendos esse persuaserunt, nisi mirabilibus operum effectibus, quorum historia gentium testis est, quorum Dii se ostentare mirabiles, potius, quam utiles, ostendere potuerunt*. Atque hanc diaboli calliditatem magno cum dedecore sectari tentarunt Polychronius Monothelita, Timotheus Eutychianus, Calvinus quoque & Lutherus, quos non permisit omnipotens Deus, qui mirabilia facit solus, ad falsa dogmata confirmanda virtutes facere, ut laudatus Bellarminus demonstrat. Sed ne ab Augustino discedam; memorato lib. X. cap. VIII. describit mirabilia per Abraham ac Mosem patrata *ad corroborandam*, ut inquit, *fidem priorum*: & cap. 8. lib. XXII. ait *miracula necessaria fuisse priusquam crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus*. Addit *etiam nunc miracula fieri in Dei nomine, sive per Sacramenta ejus, sive per orationes, vel memorias Sanctorum*: narratisque nonnullis quæ circa eadem tempora contigerunt, Mediolani ad tumulum Sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, Carthagine ad suas & Alipii preces, Hippone ad Memoriam viginti Martyrum,

apud Aquas Tibilitanas reliquiis Martyris gloriosissimi Stephani, aliisque apud Cæsaream Cappadociæ; initio proximi capitis, *Cui*, inquit, *nisi huic fidei attestantur ista miracula, in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne, & in cælum adscendisse cum carne? Nam & ipsi Martyres hujus fidei martyres, idest hujus fidei testes fuerunt .... Pro hac fide præcessit eorum mira patientia, ut in his miraculis tanta ista potentia sequeretur*. Sunt ergo per Augustinum miracula testimonium Catholicæ fidei invictissimum.

Ratione denique confirmatur assertum. Verum quippe miraculum, quod omnium creaturarum potestatem excedit, solius Dei opus est. Deus autem, qui est summa veritas, nequit sive per se, sive per alium in errorem inducere. Nam sæpe Deum operari miracula etiam per impios, & paganos, nos præcedenti Propositione concessimus, ut fatetur etiam Estius in II. dist. VII. §. 19. & Joan. Gersonius serm. XIX. post Pentecosten, qui incivilis, gravisque temeritatis notat Scriptores omnia idololatrarum ac gentilium prodigia in dubium revocantes. In quorum historiis sunt quidem multa ab hominibus inventa, quemadmodum alibi dictum est; sed plura tamen, quantumvis mira, credi possunt, dummodo ad adstruendam idolorum divinitatem non dicantur esse patrata. Talia quippe necesse est falsa sint, aut præstigia diabolica, nunquam Deo mirabilibus suis errorem aliquem approbante. Quod explicat illic Gersonius exemplo principis, cui nullus credere teneretur, *si falsarias literas sigillo suo consignari scienter, & absque ulla contradictione permitteret*. Utitur eodem exemplo Cl. Theologus Gummarus Huigens Tomo Brevium Observationum 2. & Juenin Q. VII. de Angelis Concl. 3. Itaque, ut sapienter Augustinus ait in libro contra Epistolam Fundamenti cap. IV. justissime nos tenet in Ecclesia *auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata*.

OPPOSITIONUM DISSOLUTIO.

Faciunt primo adversus hanc propositionem, quæ in duabus prioribus fuerunt concessa. Etenim Magi Pharaonis plura similiter fecerunt, quæ Moses Propheta Domini; verterunt enim virgas in serpentes, & aquam in sanguinem. At hæc in Mose fuerunt vera miracula. Ergo etiam in Ægyptiis Incantatoribus, qui proculdubio ea patrabant, ut veri Numinis impugnarent Divinitatem. Insuper ejusdem generis est prodigium Antichristi, de quo Apocalyp. XIII. & miraculum Eliæ, de quo III. Regum cap. 18. Erit ergo utrumque divinum opus, aut utrumque falsum miraculum. Præterea si possunt ejicere dæmones, & virtutes facere impii, de quibus Matth. cap. VII. & etiam qui Christum non sequuntur, ut ille, de quo cap. IX. Marci, necnon Judæi quidam in Act. Apost. cap. XIX. v. 13. Eccur his miraculis horum mores & religio non confirmatur?

Hæc ex dictis dissolvuntur facillime. Et quidem Moses vera operabatur miracula, primo quoniam hæc non erant opera diaboli, quandoquidem adversus idololatras pugnabat, nec Satanas præliatur adversus Satanam; deinde quia Satanæ virtutem superavit, devorante virga Aaron virgas Incantatorum, atque his minimo in signo deficientibus: præterea quia Moses invocato palam Dei nomine, & per publicum justitiæ signum faciebat prodigia, Magi vero *incantationibus suis*, privato contractu, tacitoque susurro. Porro quod Incantatorum præstigia non excederent naturalem dæmonis potestatem, ostendi supra. Idem discrimen reperitur inter miraculum Eliæ, & portentum Antichristi: nam Elias & adversus Baal decertabat, & Pseudoprophetas ejus devicit; ideoque uti non poterat adversus dæmonem ope dæmonis. Præstigia vero Antichristi vires Satanæ non excedunt; etenim ignem cælo devocare, quod etiam fecit Apollonius apud Philostratum, nihil est aliud, quam corpus violenter impellere: & loqui per imaginem bestiæ, sive per simulacrum vocem emittere, quod in umbra Achillis pariter contigisse scribit Eusebius in libro contra Hieroclem, fieri potest sola aeris percussione. Itaque miracula Antichristi erunt talia tantum hominibus latentem caussam ignorantibus; & forsitan sensuum illusiones, cum ab Apostolo in II. ad Thessalon. c. II. 9. dicantur *Signa & prodigia mendacia*. Quamquam Augustinus lib. XX. de Civit. Dei cap. 19. non audet definire an futura sint prodigia mendacii, *quoniam Antichristus mortales sensus per phantasmata decepturus est, ut quod non facit, facere videatur; an quia illa ipsa etiam si erunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent credituros*. Vera autem prodigia dixit, non quia miracula vera futura sint, sed quia non erunt phantasmata; & revera ignis de cælo cadet, ut quando cecidit absumpsitque familiam & greges Jobi, ac turbo irruens, domumque dejiciens filios ejus occidit: quæ utique fuerunt opera Satanæ, hominibus mirabilia, non phantasmata; nec tamen miracula. Atque hoc exemplum affert eodem loco Augustinus. Quæ ultimo objecta sunt, veritatem Catholicam magis firmant: virtutes enim factæ in nomine Christi, illius potestatem demonstrant, qui diaboli quoque ministris diabolum invitum expellens majorem refert de adversario triumphum. Divinum quippe nomen dæmones exturbat ac percellit; & filiis Scevæ illos adjurantibus per Jesum prædicatum a Paulo respondit spiritus nequam: *Jesum novi; & Paulum scio; vos autem qui estis?* Id vero dæmoni Christi virtutem, & Pauli Evangelium reverenti credendum est, scribente Tertulliano in suo Apologetico: *Nemo ad suum dedecus mentitur*.

Adversatur præterea Catholico dogmati quod nihil mirabilius est mortuorum resurrectione, quam semper Romana Ecclesia existimavit maximum, divinumque prodigium. At suscitare mortuos non supergreditur dæmonum facultatem. Potest ergo dæmon qualecunque prodigium pro lubitu facere, eoque homines decipere. Minor probatur celebri facto Pythonissæ, quæ I. Regum cap. XXVIII. II. excitavit Samuelem, qui Sauli pugnæ exitum miserandumque finem prædixit.

Huic argumento, quod perdifficile aliquibus visum est, clara est, & expedita Augustini responsio quæst. 3. lib. II. ad Simplicianum. Quid enim absurdum est, *ex aliqua dispensatione divina permissum fuisse, ut non invitus, nec dominante & subjugante magica potentia, sed volens atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ & Pythonissam illam & Saulem latebat, consentiret spiritus prophetæ Sancti se ostendi aspectibus regis divina eum sententia percussurus?* Hæc Augustinus. Quæ responsio tum hoc titulo vera est, quod traditur a tanto viro; tum etiam quia non repugnat Deum patrare miracula etiam dæmonum ministerio ad punitionem impiorum, suique nominis exaltationem: neque detrahitur honori Prophetæ, quod evocatus venerit ad prophetandum, cum viri plerique boni vocati ad malos veniant servato decore virtutis suæ, ut agant quod officium postulat æquitatis. Itaque quod Samuel *exaltavit vocem suam de terra in prophetia*, judicium Dei est punientis impium, & gloria Samuelis prophetantis etiam post mortem; atque ideo commendatur ab Eccles. cap. XLVI. 23. Falsum præterea est suscitatum a dæmone Samuelem; nam aliud est revocare animam ad informandum cadaver, quod miraculum est; aliud vero dæmonem cum spiritu hominis loqui, eumque de abditis receptaculis Deo permittente transferre: quæ utique dæmonis non superant potestatem. Quippe Satanas etiam Dominum, quando ei placuit allocutus est, assumptumque super pinnam templi constituit. Insuper ad præsentiam Saulis exaltasse Samuelem vocem suam, ac prophetasse scribit utique Ecclesiasticus; at non evocatum, suscitatumque. Denique fortasse qui apparuit, fuit spiritus fallax & versutus simulans personam prophetæ, noncupatus Samuel, quoniam illius figuram induerat, quemadmodum omnes fere imagines rerum earum, quarum imagines sunt, nominibus appellantur: Ita tabulam intuentes dicimus, ille Cicero est, ille Salustius, ille Achilles, ille Hector. Sed legite Augustinum citato loco, & prope finem libri de Anima Tertullianum.

Ulterius opponi possunt miræ metamorphoses, hominumque conversiones in varia bestiarum genera, sola arte dæmonum factæ; quæ si miracula non sunt, nescio quid mirandum ac portentosum dicendum sit. Recenseri principio poterunt, quæ narrat S. Pater lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 16. de Sociis Diomedis conversis in volucres, quas Servius in 2. Georgicorum scribit barbaris navibus infestas esse, & Græcis lætas occurrere, memores generis sui, ducisque ab Illyriis interempti. In libro etiam eodem, capite proximo, & 18. narrat Augustinus Apulejum sumpto veneno factum Asinum, ut idem Apulejus fatetur in libris, quos *Asini aurei* titulo inscripsit. Italiæ quoque mulieres stabularias viatores in jumenta commutasse, versam Iphigeniam in Cervam, Ulyssis socios, apud Homerum in X. Odysseæ, in porcos a Circe commutatos, Arcades, Neurosque in Lupos conversos, scribit eo loco Augustinus, Olaus Magnus lib. XVIII. cap. 32. & ex veteribus Solinus, & Mela. Lindorum Catanensem in varia animalia se transformasse, narrat Hyacinthus Gimma p. 3. dissert. Academ. cap. 7. Sagas demum transferri ad conventus nocturnos versas in bruta, & exutis aliquando propriis corporibus, vox est popularis.

Quamquam hæc inter fabulas sunt amandanda; diluuntur singula hac generali responsione, quod dæmoni haud difficile est translato humano corpore ferinum supponere, & cibo, potuque venefico adeo hominum phantasiam perturbare, ut videatur ipsis, pelle setisque animalium se indutos esse, membrisque belluarum circumdatos. In particulari autem repono, socios Diomedis perdentibus illos ultoribus Angelis periisse, & fulicas, sive, ut aliis placet, ciconias, eo asportatas; quæ agente dæmone blandæ Græcis accesserint, ut superstitiosa, divinitatisque prodiga gens Diomedem crederet Deum factum. Apulejus, nisi velimus dicere illum Latinas reddidisse fabulas Luciani, fatetur ipse, versum se in Asinum unguine magico delibutum, quo veneficio facile potuerunt sensus ejus perverti, ut etiam crederet Asinum colloqui cum statua Byrthenæ: quod sibi contigisse ipse refert. Hinc magicæ artis accusatus fuit apud Claudium Maximum Africæ præfectum; quem Coquæus noster Comment. in lib. VIII. de Civit. Dei cap. 19. Christianum esse putavit. Perfecta est eodem modo magia Italicarum mulierum, quæ malis artibus imbutæ venenum caseo viatoribus propinabant. Circem sociis Ulyssis *commiscuisse pani venena nocentia*, ait citato libro Homerus. Neuros fieri Lupos cervisiæ poculo a magis propinato, quo ebibito invadit illos lupina rabies, & spiritus

ne-

nequam illos velocissimo motu per sylvas exagitans, narrat idem Olaus, & tom. 2. Chron. Hirsaug. Trithemius. Quod Gimma scribit de Lindoro Siculo, ejusdem farinæ est, phantasma scilicet delusorium, aut animalium pro homine suppositio; ut lepida simul & nefaria Cicchi Asculani (ita hominem maleficum etiam latine appellant,) facinora. Pro regis Agamemnonis filia suppositam cervam putat Augustinus; nec repugnat narratio fabulæ, nam cerva substituta, Iphigenia in Tauricam Chersonesum adducta traditur. De sagis denique, sive de loco in locum a dæmone, cui se mancipia dederunt, permittente Deo, moveantur; sive immisso sopore, & in somnis phantasmata eis obversentur; nihil prodigiosum auditur, sed tantum ærumnosa captivitas, perniciosa dementia, horrendum execrandumque flagitium. At studiose lectitandus Augustinus cap. 16. 17. & 18. memorati libri duodevigesimi.

Sunt hujus generis mirabilia quædam partim fabulosa, partim delusoria, quæ de immundis spiritibus enarrantur, & quibus forsitan imperitis videri potest, eos etiam virtutem procreandi res omnes ad miraculum possidere. Ajunt genitos ab illis homines tam ingentis staturæ, ut cranium quoddam Drepani inventum plura contineat frumenti modia, excedatque corporis altitudo ducentos cubitos. Quod non solum tradunt Siculatum rerum Scriptores, verum etiam in xv. Genealogiæ Deorum libro Jo. Boccaccius Certaldi & Etruriæ decus singulare. Accedit quod arte dæmonis procreantur etiam homunculi elementares, qui non tantum spiritum habent vitæ, sed etiam divinationis virtutem. Hos Nymphas, Gnomos, Salamandrios, & Sylphos Paracelsus, & Borrus appellavere. Etiam gemmas aurumque cultoribus suis afferre dæmonem, & lutum, vel plumbum in margaritas commutare suadet sibimetipsi delira anus, rudisque plebecula.

Ceterum & hæc sunt magna errorum portenta. Gigantes ex stirpe Cain genitos arbitramur: & si aliquando concubitu dæmonum nati sunt, factum id humano semine ab incubo spiritu ad mulierculas delato, ut scribit ad caput 6. Geneseos in Sacro Bibli. Theatro Laurentius a S. Francisca Scriptor Augustinianus. Excedunt vero communem staturam humana corpora, si plurimis spiritibus affluat, sitque crassa & calidissima subacta materies. Hac ratione, & naturali etiam concubitu gigni possunt viri proceri, formæque amplioris, eosque non esse figmenta poetarum demonstrant inventa plerumque ossa, ut repertus in litore Uticensi dens molaris, de quo lib. xv. C. D. cap. 9. Aquila ingeniorum Augustinus. Superat tamen captum nostrum amplitudo Cranii non procul a Drepano inventi: Goliath enim Gigas Magnus Philisthiim sex cubitos, & palmum non excedebat, & Og rex Basan, cujus lectus ferreus servabatur apud Ammonitas, ut legimus cap. III. Deut. v. II. habebat novem cubitos longitudinis. Lectos etiam tertia parte longiores fuisse scribit apud Grutium Maimonides. Cum ergo Gigantes, qui alios corporis proceritate antecellebant, fuerint viri sexcubitales, illas plurium jugerum exuvias credimus fabulosas. At elementares Theophrasti Paracelsi homunculi nihil sunt præter dæmones; quos arte Perspectivæ peritos, aptosque ad fingendum ludicras illas imagines hoc eodem libro demonstravimus. Tametsi dæmon verum aurum & gemmas efficeret applicando, & invicem nectendo particulas, quæ lapides & metalla componunt, mirum profecto non foret: sed videmus fieri his fidentes pauperum plebisque ludibrium. Non latet præterea dæmonem locus, ubi thesauros ferax natura produxit, aut sordida condidit avaritia. Chymica arte fieri aurum quidam opinantur, eisque blanditur quod narrant de Raymundo Lullo, & Arnoldo de Villanova. Extat apud Huetium in libro de rebus ad seipsum spectantibus insigne de hac arte viri doctissimi testimonium, tenentibus possibilitatem Chrysopœjæ complutibus Auctoribus. Experimentorum, quæ hi commemorant, detegit fallaciam venustus ac festivus liber, cui inscriptio Democritus ridens.

Restat ut moneamus quare Augustinus in lib. de Unitate Ecclesiæ cap. 16. ait, *non ideo manifestari Ecclesiam, quia in ea miracula fiunt*; quæ verba opponunt nobis Heterodoxi. Itaque Sanctus Pater eo loci demonstrat Ecclesiam in sola Africa non consistere adversus Donatistas, qui eam esse apud se autumabant ob mirabilia, quæ fecerant Donatus & Pontius. Primo ergo docet ista fuisse *vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum*. Ait deinde, quod *Satanas transfigurat se tamquam Angelum lucis, & multos seduxerunt somnia sua*. Addit aliquando etiam Paganos & Judæos & Hæreticos exaudiri a spiritibus seductoribus, sive etiam ab ipso Deo, *vel ad pœnam malitiæ, vel ad solatium miseriæ, vel ad monitionem quærendæ salutis æternæ*. Post hæc, Donatistis divinas Scripturas recipientibus, inquit veritatem, quæ agnoscitur in Canonicis libris, quærendam non esse *in variis hominum rumoribus, & opinionibus & factis & dictis & visis*. Deinceps narrat opposita fidei Donatistarum argumenta, tradita ab Episcopis igni instrumenta divina, furiosas mortes Circumcellionum, commissa ad eorum sepulcra vagorum vagarumque flagitia. Recensitis demum credibilitatis fidei argumentis, inter quæ enumerat *mirabilia exauditionum, vel sanitatum*, in eam sententiam prorumpit: *Quæcumque talia in Catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in Catholica fiunt: non ideo ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in ea fiunt*. Horum ergo verborum sensus est, unitatem Ecclesiæ Canonicis scripturis probatam non posse labefactari mirabilibus, quæ Donatistæ jactabant; quoniam hæc vel erant portenta fallacia, vel præstigia dæmonum, vel patrata a Deo ad pœnam impiorum, aut solatium miserorum, non ad fidei veritatem firmandam, vel plurimis errorum portentis commaculata, vel mirabilibus Catholicæ Ecclesiæ minime comparanda. Ideo judicare, & distinguere inter hujusmodi miracula ipsam Catholicam, non his Catholicam dijudicari. Manifestum arbitror eo pertinere Augustini verba, ut obstruatur os loquentium mendacia, neque a Catholica Fide maximis jam miraculis confirmata quispiam novorum signorum occasione avertatur. Nam possunt pluribus titulis esse signa mendacii, atque de genere illorum, de quibus mihi videor satis disceptavisse.

CAPUT XXI.

De licita, & superstitiosa Magia, hujus origine, usuque execrando.

QUANDOQUIDEM de mirabilibus dæmonum sermo nuper est institutus; persequar affine, proximumque argumentum de Magia, cujus effecta caussasque varias Franciscus Victoria, Martinus Delrio, Gulielmus Parisiensis, Joannes Thomas Castaldus, aliique docti viri tradiderunt. Sed nos hoc postremo capite dicta ab eis stylo fusiori, & alia fortassis jucundiora, brevi contractoque expediemus. Magi ergo nomine intellexerunt Veteres genus sapientum & doctorum, quod habebatur in Persis, ut de Divinat. ait Cicero; eosque putat eruditus Ordinis Scriptor Fortunatus Scacchus Fanensis Myrothec. I. cap. xx. Magoam regionem habitavisse. Nunc vero eo utimur nomine ad significandos homines, qui nova & mirabilia operantur, accepto potius in partem deteriorem. Et de magia quidem hæc sunt a nobis constituenda.

PROPOSITIO I. Datur aliqua magia, per quam arte, vel naturali scientia plura præter consuetum, & omnibus compertum naturæ ordinem efficiuntur.

Id I. Probatur quoniam inditæ sunt ab Auctore naturæ singulis rebus virtutes non omnibus perviæ. Ut aliqua producam exempla; nesciunt plurimi magnete ferrum attrahi, lapide theamade ex adverso propelli, serpentario sanari venena, assio leniri podagram, hæmatite oculorum abstergi lacrymas, samio, & ætite partum ac decidentem uterum contineri. Sunt & in herbis occultæ virtutes. Ajunt enim plantaginis semina confestim curare vulnera, apium rusticum strumas discutere, dictamnum infixas sagittas evellere, fulmine laurum non tangi, artemisiam itineris tædium suo odore dispellere. Ferunt & Axium Macedoniæ fontem lanarum mutare colorem, Sibarim capillos tingere, Lycum lucernas accendere. Quanta insuper Perspectivæ arte periti lucis inflexione faciant apparere, vel solum prisma demonstrat. Ingenio præterea, atque experimento tantam agendi facilitatem nonnulli acquirunt, ut aliquando ab ignaris malefici etiam habeantur. Gigis annulum, quo se occultabat, naturali arte perfectum non solus testatur Cicero in Officiis, sed & Gregorius Nazianzenus in Monodia. Confici pelves & annulos ad curandas ægritudines utilissimos demonstrat Petrus Crinitus libro IX. de Honesta disciplina cap. 5. Legimus Galenum Medicorum principem ægrotis quæ antea contigissent, & futura pariter enunciasse, & iccirco de consuetudine dæmonum fuisse suspectum. Hac nota non caruit vir doctissimus ac sanctissimus Severinus Boetius, ut in I. de Consolatione ipse refert. Quanta hominum admiratione digni fuerint Albertus Magnus, Picus Mirandulanus, & Marsilius Ficinus, nullus ignorat. Statuas mathematica arte elaboratas moveri, demonstrant per Italiam pinacothecæ. Ludit etiam aliquando natura partubus suis singularem proprietatem largiendo. Esse homines qui aures movent vel singulas vel ambas simul, aut qui immoto capite totam cæsariem deponunt ad frontem, qui etiam voces avium imitantur, & eorum, quæ voraverunt præcordiis contractis, tamquam de sacculo integerrimum quod placuerit proferunt, scribit lib. XIV. de Civit. Dei cap. 24. Augustinus. Natum olim in Germania puerum, cujus objectum corpus clausa hostia protinus aperiret, auctor est in tertio de motibus animalium Albertus. Puerum quemdam in agro Mutinensi impune venenata animantia tractasse, Septimios, ut vocant, contactu manuum sanare tumores, nonnullos eximiis viribus præditos esse, docent naturalium historiarum Scriptores. Ergo quisquis vel a natura insigni aliqua facultate donatus, vel philosophicis disciplinis imbutus, vel studio aut casu cognita vi herbarum lapidumque, insolita & prodigiosa patrabit, is minime damnandus erit magicæ artis superstitiosæ & maleficæ.

Possunt pariter a vehementissima animi apprehensione præter consuetum naturæ modum effici plura, quæ ignarum vulgus censet quandoque diabolica. Ne dicam de maleficiis, quæ sæpenumero suspicatur in puellis amore insano deperditis, perrara quippe sunt veneficia amatoria; legi-

mus ex accepto tragicæ victoriæ nuncio repente Sophoclem, & Dionysium Siciliæ tyrannum corruisse: atque dum Crœsum regem nudato ferro quidam ex Persis aggrederetur, mutum filium linguam ingenti percussum metu solvisse. Hæc licet magica non sint, quatenus arte & nota caussarum applicatione non fiunt, non sunt tamen vera miracula, neque præstigia dæmonum reputanda.

PROPOSITIO II. Datur genus aliud Magiæ, cujus effecta naturalia non sunt, sed a spirituali aliqua separata substantia proveniunt.

Historicis momentis, & manifesta ratione demonstratur. Etenim Numa Pompilius quid esset circa res sacras constituendum, audivit per hydromantiam, idest imagines apparentes in aqua: quo genere superstitionis a Persis derivato etiam Pythagoram usum fuisse Varro commemorat. Evocari etiam spiritus referentes imaginem mortuorum, quod Græce vocant Necromantiam, scribit S. Pater de Civit. Dei capite ultimo libri Septimi, in quem locum Ludovicus Vives ceteras magicæ superstitionis species, illarumque Auctores enumerat. Dari spiritus Pythones, quibus incantationibus nefarii homines divinare præsumunt, sacræ quoque literæ commonstrant. Non semel in elementaribus corporibus dæmones conspici, & homines alloqui narrant Psellus, Cardanus, Kircherus. Omnia hæc nequaquam fieri virtute cœlestium corporum, nec sola imaginatione, suadet manifestissima ratio. Primo namque si idola hæc, & homunculi loquuntur, & occulta revelant, a spirituali aliqua substantia moveri debent; loqui enim & abscondita prodere est naturæ intelligentis officium. Deinde nemini res imaginariæ apparent, nisi interveniat exteriorum sensuum alienatio: hujusmodi vero locutiones fiunt interdum ad homines exterioribus sensibus libere utentes. Præterea non potest ex sola imaginatione acquiri intellectualis cognitio, ultra naturalem proprii intellectus facultatem, sive partam antea notitiam; quemadmodum constat ex somniis. Responsa ergo accepta a magicis simulacris, quibus occulta scelera, furta, & thesauri deteguntur, nequeunt in naturalem caussam referri. Quod valet pari jure de omni ligatione, vel maleficio, in quo caussæ prorsus disparatæ illud efficiunt, quod vi sua præstare alia ratione non possunt; ut dicam Proposit. IV.

PROPOSITIO III. Magica opera ab iniquo & contaminato spiritu efficiuntur.

Etsi hæc propositio ex capite præcedenti consequitur, tamen ne quis plane rudis mira artis magicæ a Deo, vel Angelo bono operari arbitretur, eam ratione, historiisque confirmabimus. Vera enim miracula, quæ ad Dei cultum ac religionem pertinent, patrari non possunt ope dæmonis, quoniam Satanas Satanam non ejicit; neque regnum Beelzebub stare potest, si ejus virtute corroboratur religio idololatriæ, & superstitioni contraria. Ergo nequeunt ex opposito portenta magica fieri Auctore Deo, vel bono Angelo, quoniam Dei virtus non potest adversus semetipsam pugnare, neque cultui idolorum & superstitioni conferre. Quamobrem Magicæ artis professores maximo odio Christianam Religionem semper prosecutos fuisse, narrant Ecclesiasticæ Historiæ. Videatur Sozomenus lib. II. cap. XI., ubi commemorat, quanta adversus Episcopos & Sacerdotes olim moliti sint Magi Persæ. Celeberrimum Maruthæ apud Isdigerdem cum Magis conflictum describit Socrates lib. VII. cap. VIII. Persecutionem Valeriani suscitatam consilio perditissimi Magi Ægyptii, auctor est Dionysius Alexandrinus apud Baronium ad annum Chr. CCLVII. Legimus Julianum Apostatam usum familiarissime Ædesio summo Ethnicæ superstitionis antistite, Chrysantio Sardiano, Prisco, & præsertim Maximo, quo diabolica carmina admurmurante simulacrum Hecatis renidebat. Ut ergo Mosi Incantatores Ægyptii, ita Christo Magicæ artis periti atrocissima bella indixerunt, Theodas primum, de quo Act. Apost. cap. v. 36. & Joseph XX. Antiq. cap. 2., postea Simon, aliique præstigiatores.

PROPOSITIO IV. Quodlibet Magicæ artis portentum habet in se idololatriæ crimen, cultumque dæmonis, aut expressum, aut interpretativum.

Cum enim Diabolus sit divinorum bonorum avidissimus, magiam instituit, ut hujus adminiculo sibi cultum & obsequium hominum captivaret. Quod duplici ratione callidus, invidusque serpens consequitur, expressa, tacitaque pactione. Ad illam vel per se, vel perditissimorum hominum ministerio trahere studet infirmiores atque scelestiores. Hi vel Catholicam Fidem audacter denegant, vel ore impurissimo Deo, Virginique Deiparæ maledicunt, vel jurejurando sese Diabolo devovent, vel turpi aliqua cæremonia frontem illiniunt quasi abradentes baptismum, vel impresso aliquo in carne stigmate captivorum, aut peccatorum more obsignantur. Hæc sunt, quæ pactum cum dæmone explicitum appellare solent Theologi. Qui vero ad tantam impietatem & insaniam flecti non possunt, alliciuntur ad magiam notis aliis occultis, quas dæmones adinvenerunt, ut signa & characteres præstandi sibi honoris; quibus positis, quasi secreto contractu, intentum opus exequuntur; & hæc sunt pacti taciti argumenta. Igitur in omni magico eventu vel expressa, vel tacita conventione, exhibetur dæmoni honor, & cultus.

Expressum quidem cum dæmone pactum facile ex dictis dignoscitur. Erit tacitum, quotiescunque apposita signa non sint suapte natura ad productionem effectus ordinata, sed disparata potius, & omnino disjuncta. Sunt hujus generis pentagoni & circuli, inaudita Angelorum nomina, ignoti characteres, figuratæ laminæ, aliaque plura. Accedunt sacrarum rerum abusio, contortæ in alienum sensum scripturæ, Sacerdotalium indumentorum, lustralis aquæ, vel chrismatis malus usus, & execrabiliora sacrilegia, quorum vel nomen horremus. Hujusmodi sunt instituti in Religionis contemptum novi ritus, ut certus candelarum numerus, determinata corporis positura, illius situs vel horæ superstitiosa observatio. Consimilis est applicatio rerum, quæ omnino superfluæ sunt, ut ad expellendum dæmonem radere pilos, & incedere nudo altero pede, passisque capillis; uti ad maleficia laqueo suspendiosi, culcitra feretri, tædis sepulcralibus, vel denique ad conatum faciundæ amicitiæ ossibus, plumis, vittisque laneis: quæ omnia ex Gentilium superstitione derivasse liquet ex libro III. Propertii, ex IX. Lucani, & ex Ecloga VIII. Virgilii: in qua Alphesibœus commemorans quæ parabantur ad maleficia, ait:

Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnim
Terna tibi hæc primum triplici diversa colore
Licia circumdo: terque hæc altaria circum
Effigiem duco, &c.

PROPOSITIO V. Simul cum idololatria magica ars cœpit exerceri: unde & ipsa a posteris Cham disseminata est.

Hinc exortum Polytheismum, aut saltem per orbem dispersum, opinio nostra est alibi confirmata. Polytheismi autem individuam esse superstitiosam magiam, atque ex posteritate Chami diffusam, hisce momentis demonstro. Idem Apulejus in Apologia I. ait: *Magia est ars diis immortalibus accepta, colendi eos & venerandi prognata, pia, & divini sciens:* Et Plato in Alcibiade, Magicam Zoroastri artem adinventam scribit, *ad plurium Deorum cultum*. Idem observat Lactantius lib. 2. de Origine Erroris cap. 17. Præterea Scriptores omnes Magiæ auctorem faciunt Zoroastrem; quem, licet Historici diversa tradant, firmissime arbitror esse, aut Cham, aut filium ejus Chus, aut filium Chus Nembrodum. Movet me primum auctoritas Veterum; Scriptor Recognitionum, quæ tribuuntur Clementi libro IV. num. XVII., Gregorius Turonensis lib. I. Hist. cap. 5. aliique permulti. Deinde Rerum Æggyptiarum Scriptores animadvertunt Saturnum Ægyptium & Zoroastrem eumdem hominem esse: at Saturnum Ægyptium esse Cham filium Noe, videtur mihi satis manifestum ex columna, quam, auctore Xenophonte, Semiramis Nino regi dicavit, in qua legitur hujus mulieris patrem fuisse Belum, Avum Saturnum Babylonium, idest Nembrod, Abavum vero Saturnum patrem Ægypti, idest, ipsum Cham, qui genuit Chus, & Mesraim; ut habetur Gen. x. 6. Quare si Zoroaster idem est ac Saturnus Ægyptius, nequit alius esse præter filium aliquem Noha. Idem conjicimr, ex quo antiquissimum numen Ægyptiorum appelletur Serapis; ut recte Clemens Alex. lib. I. Strom. & S. P. lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 5. Serapidem vero dictum arbitror a *Seraphi*, scilicet *ardentem splendidumque*; unde Macrobius Serapidem solem esse contendit. Existimabant enim antiquiores idololatræ defunctos Reges symbolis siderum, animalium, aliarumque rerum esse colendos. Porro idem fere significat nomen Zoroastris, quod communiter interpretantur *vivum & rutilans sidus*. Persas etiam Pyræum Deorum maximum habere, & in cultum solis ignem custodire, eique sacrificare Magos ante vaticinia, scribit de bello Persico lib. 2. Procopius: quod & asserit de Ægyptiis lib. 3. de Præp. Evang. cap. 2. Eusebius. Valde ergo probabile est, Chamum errore imbutum a viris pessimis, qui perierunt diluvio, esse Idololatriæ & Magicæ artis propagatorem, dictum a posteris Saturnum, Serapidem, Zoroastrem.

Neque aliquem movere debet, clarissimum Huetium in demonst. Evang. Prop. IV. cap. v. contendere quod Zoroastres sit idem, ac Moses; & alios Scriptores illum etiam posteriorem Mose fecisse. Ethnici enim ad sacram historiam gentis suæ origines addiderunt, ac veritatem cœnosis rivulis conspurcarunt, regibus, satrapisque suis Hebræorum Patrum datis characteribus. Inveniemus propterea non unum esse neque Saturnum, neque Serapidem, neque Zoroastrem. Scimus fuisse Zoroastrem Bactrianum, de quo Augustinus lib. XXI. de Civit. Dei cap. 14., & plures hujus nominis extitisse scribunt Plato in Alcibiade, Clemens in v. Stromaton, Vossius etiam in 1. de Idololat., & Cotelerius in Notis ad IV. Recognitionum. Antiquiorem autem Zoroastrem Chamo invenire non possumus, ideoque ab eo profectam magicam artem idololatriæ germanam, magna cum probabilitate asserimus.

PROPOSITIO ULTIMA. Artes magicas maximum, & summopere detestabile scelus est profiteri, atque exercere.

Hanc propositionem præcedentium consectariam superfluum est demonstrare. Horrendum quippe crimen est Dæmonem coli, & obsequium præstari spiritibus invitatis: quod in omni Magica superstitione ostendimus evenire. Quapropter Levitici XX. legitur: *Vir sive mulier, in quibus Pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur: lapidibus obruent eos; sanguis eorum sit super illos*. Et, *Anima, quæ*

decli-

declinaverit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui. Itaque jure, & merito Christiana Religio unius ac summi Dei veneratrix maleficam artem damnat, libros incendi jubet, & ariolis magisque extremum supplicium infligit.


REFELLITUR OBJECTIO.

In patrocinium magiæ illud objici potest, quod videtur etiam Moses illam exercuisse. Celeberrimum Magum eumdem appellat in altera Apologia ad Claudium Maximum Lucius Apulejus, & Plinius lib. xxx. Hist. Natural. cap. I. Et quidem parum a magica arte distare videntur virgæ usus ad mare trajiciendum adhibitus, gemina petræ percussio, ligni in aquam immissio, manuum ad percutiendum Amalecitam erectio, & serpens æneus exaltatus in pertica. Quin & Magicæ superstitionis consimulari possunt Christiani, Romanæ præsertim communionis, qui Martyrum ossibus ac cineribus, candelarum lumine, lustrali aqua, thurisque suffimento persæpe utuntur: non enim illa a magicis cæremoniis multum discrepant. Hinc ut Christiani in idololatris magiam damnant, ita ipsi apud Ethnicos tanquam magicæ artis professores audiarunt; atque nuncupati sunt a Svetonio, in Nerone, *Genus hominum superstitionis novæ, & maleficæ*; moresque illorum Tacitus lib. xv. Annalium appellavit *superstitionem exitialem*. Falsum præterea est magica opera effici dæmone opitulante. Inter gratias enim gratis datas justis, impiisque aliquando communes, connumerantur dona linguarum ac sanitatum. Scelesti ergo impiique, dum morbos curant, aliaque mira operantur, nulla malefica arte hæc præstant, sed dono Dei. Postremo non omnes magi cultum dæmonibus exhibent, sed exorcismis ac ritibus suis eos compellunt, atque ut sibi obtemperent vi adigunt. Horum ergo artes absque fidei, ac religionis dispendio, dummodo in aliorum perniciem non vergant, permitti poterunt.

Sane ista nullius propemodum sunt momenti. In Mosis enim portentis intersunt omnes veri miraculi characteres Prop. 3. recensiti capite præcedenti; maxime quod adversus idololatriam patrata sunt, neque potuerunt magicis incantationibus superari. Ex quo sequitur non esse opera dæmonum, quæ horum cultum, potestatemque fregerunt. Dictum quoque paullo supra, Mosaicam legem ariolos & Pythonicos mortis supplicio mulctare. Fallitur ergo Apulejus, & suomet testimonio refellitur; quippe in Apol. I. definit Magiam, *artem colendi Deos*: & in religione Mosaica unum coli numen tradit etiam Tacitus in lib. Historiarum v. Plinius tum in his decipitur, cum etiam quod facit Mosen, & Jannem unius factionis, & secutus Hermodorum Platonicum ait Mosen fuisse multis millibus annorum post Zoroastrem. Virga autem, manuum erectio, serpens æneus, aliaque a Mose adhibita, quoniam non poterant commendare idololatriam, erant signa veræ Religionis, & typus crucis, & mortis Christi. Is etiam, ejusque discipuli, cum dissolvant opera diaboli, nequeunt insimulari artis magicæ. Quamobrem usus reliquiarum, lustralis aqua, Crucis signum, & hujus generis reliqua, signa sunt veræ religionis: & his quoque monstratur non servari apud Novatores Ecclesiam Dei. At Suetonius, Tacitus, Plinius aliique Ethnici appellaverunt Christianos superstitiosos & maleficos duplici ex capite. Primum quia Christiani plurium Deorum cultum abjiciunt: deinde quoniam maleficia etiam Romanorum legibus damnata erant, ut referunt Seneca lib. III. Nat. quæst. cap. 7. & idem Plinius lib. XXVIII. cap. 2. & ideo hujus criminis Christianos insimularunt, ut magis illos redderent odiosos.

Errore in magno versantur, qui Magiam quasi gratiam gratis datam honestant. Differunt gratiæ gratis collatæ a magicis artibus: quod illæ a Deo absque disciplina studioque donantur: magia vero comparatur lectione librorum, & Pseudomagistrorum institutione. Præterea gratiæ illæ non pendent a vanis observationibus, nec postulant media quædam indifferentia, cujusmodi sunt colligatio chartulæ, capillorum abrasio, florum manipuli, & cetera, de quibus Proposit. IV. diximus tacitam cum dæmone habere pactionem. Sunt etiam gratiæ omnes Dei beneficia, imo quædam motiones ipsius Dei supernaturaliter operantis, sive habitus supernarum virtutum, quibus ad maleficia nullus uti potest, quemadmodum magicis institutionibus. Fieri tamen potest, ut etiam improbis hujusmodi gratiæ a Deo conferantur, quod vidimus Prop. 2. cap. xx. & posteaquam auctore Deo mira evenerunt effecta, ita ab ingratis impiisque prædicari, quasi ad institutum vitæ eorum decorandum divinitus contigissent.

Rapiuntur pari jure in errorem, qui magica incantatione inquiunt invitum dæmonem compelli, ut probatis ab Ecclesia exorcismis. Adjurant enim spiritus per nomina diabolica, eaque etiam divinis conjungere audent, quasi haberet potestatem eamdem Dei nomen, & Beelzebub: atque inter Angelos Dei etiam dæmones impurissimos ore sacrilego invocant. A quatuor mundi plagis nudo capite, thurisque fumigiis spiritus incestos allectant, & si appareant, salutem nunciant, sibique jurejurando devincunt. Ministros etiam Ecclesiæ habitu, incessu, ritibusque exprimunt ad impudentiæ ludibrium. Sunt ergo sacrificuli, idololatræ mancipia Satanæ, necnon sacrorum irrisores ac mimi. Atque hæc est de Angelis, ac Dæmonibus disputatio nostra præpostera forsitan, & incondita, expleta tamen omnibus suis partibus.



DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS
LIBER UNDECIMUS,

In quo de rebus aspectabilibus, earumque productione atque ætate, quid Candidatis nostris tenendum sit aperitur.



POSTEAQUAM disputatio instituta est de productione, potestate, ac ministeriis Spirituum, contemplanda nobis occurrit rerum corporalium digesta moles, sive mundus iste spectabilis. Hunc quidem, Auctore Eccl. III. II., tradidit Deus disputationi eorum, qui Dei opera non invenerunt: atque ideo plura commenti sunt de anima, vel spiritu materiam universam pervadente, in eaque exercente vim plasticam, permulta de mundi aut sphærica aut indefinita extensione, complura de systemate, atque de fluido, vel denso cælorum corpore: in quibus convenire nequeunt Plato, Pythagoras, Aristoteles, Ptolemæus, Copernicus, Cartesius, ceterique duces Philosophorum. Nos vero, his brevi expositis, aut penitus prætermissis, animadvertentes quod sacræ proponunt literæ, unum esse altissimum Creatorem omnium, præterire, atque advenire mortalium generationes, & cuncta demum tempora transitura, contenti erimus pauca tradere de Mundi creatione atque interitu; ne divina tractantes de fluxis incertisque nimium soliciti videamur.

CAPUT I.

Historiam Creationis ex libris Mosis, non ex Ethnicorum fabulis esse deducendam.

ILLUD tantum in quæstionem hoc loco vertimus, utrum servatis regulis Critices, perlectisque variis Ægyptiorum, Chaldæorum, Græcorumque Historiis, ubi plura de Mortalium origine, vetustate regnorum, temporumque distributione narrantur, Historiam, & Chronotaxim Mosaicam amplectamur, an profanam potius, vel sæcularem; nam an libri Moysis divinam habeant auctoritatem, & sint Deo afflante conscripti, disserendum est alibi.

PROPOSITIO. Disputantibus de mundi, aliarumque rerum primordiis Mosaica narratio est ceteris omnibus præferenda.

Dum quæritur de rebus ab ætate nostra remotissimis, iis Auctoribus major fides debetur, qui sunt ceteris antiquiores, omnesque veritatis notas præseferunt. Ac talem esse Mosem comprobat veritas eliquatissima. Hujus antiquitas principio deprehenditur, quod nulla gens sit vetustior Hebræa, quemadmodum vel ipsa lingua demonstrat, parens, & genitrix ceterarum. Atque inter gentis hujus Scriptores nullus superest ipso Mose antiquior, aut clarior. Verum prætermissa nunc origine Gentis, Mosen Historicis omnibus antecessisse probant Clemens Alexandrinus in I. Stromateon, S. Cyrillus adversus Julianum, & in perpolito Opere demonstrat. Evangelicæ Prop. IV. doctissimus Abrincensis Episcopus: idque nos sequentibus argumentis ducti affirmamus. I. Diodorus diligentissimus rerum antiquarum scrutator ait Mosen primum omnium populis persuasisse, ut legibus scriptis uterentur: de quo Diodori testimonio vide memorato libro primo S. Cyrillum. Eupolemus & Artabanus tradunt fuisse Mosen literarum inventorem, & Mercurium illum, quem apud Græcos omnes Latinosque Scriptores constat literas gentem Ægyptiam docuisse. Hoc tamen de prima literarum inventione ego minime assentior, quamquam literas hunc habuisse auctorem vulgaris sit Nostratium, & Hebræorum opinio, ut affirmat Ludovicus Vives Com. in cap. 39. lib. XVIII. de Civit. D. & P. Haie in Prolegomenis ad Bibliam Maximam. Institutorem tamen illum dicimus, ut Cadmum apud Phœnices, quod scribendi artem coluerit, exornaverit, omniumque mortalium primus in ejus exercitatione claruerit. Vide quæ de Mose scripserunt apud Josephum in priori libro contra Apionem Manethon Ægyptius, & Hermippus viri circa omnem historiam diligentissimi. II. Ipse Apion Grammaticus in IV. Ægyptiarum Historiarum libro fatetur Mosem fuisse synchronum Inacho Argivo. Ex rebus autem Græcis sunt antiquiores Argolicæ, quæ originem ducunt ab Inacho, ut docet Dionysius Halicarnassæus de Temporibus: Argolicis autem recentiores sunt Atticæ quatuor saltem generationibus; & hæc novem Arcadicas præcesserunt. Cadmum quoque græcarum literarum institutorem Thebas advenisse tempore Lyncæi, & septima post Mosen generatione, probat S. Clemens Alexandrinus. Vetustior est ergo Moyses Scriptoribus omnibus, quos proferre potest Græcia mendax & loquentissima, fuitque cum nondum ipsa Grammatices nosceret elementa. III. Nullum Scriptorum, quos superstite fama celebramus, præcessisse Moysis ætatem ex eorum chronologia facile comprobatur. Herodotus historiæ parens, ut in I. de Legibus appellatur a Tullio, vixit sub Xerse, & natus est octennio post pugnam Marathoniam, quæ contigit anno I. Olympiadis LXXII. Hunc subsecuti sunt Thucydides, qui floruit tempore belli Peloponnesiaci, excitatus ad condendam historiam æmulatione Herodoti; Xenophon, quem floruisse Olymp. XCIV. scribit Laertius; proximus huic Anaximander Milesius, aliique posteriores. Inter Ægyptios antiquissimus est Berosus, quem ita dici placet Scaligero & Vossio, quasi Oseæ filium; & hunc natum bieonio ante obitum Alexandri, librosque suos, quibus Chaldaica defloravit, obtulisse Antiocho Θεῷ filio Antiochi Soteris, demonstrat citatus Vossius lib. I. de Histor. Græcis cap. XIII. Post Berosum digessit Ægyptiorum tempora Manethon Sebenita hortante Ptolemæo Philadelpho, eaque perduxit ad Darium Codomanum, quem Alexander Macedo debellavit. Ex quo primum Julius Africanus temporibus Severi Imperatoris, postea Eusebius sub Constantino celebres Dynastias exscripserunt. Horum etiam scripta edita ab Annio Viterbiensi spuria & supposititia esse, recte animadvertit Possevinus lib. I. Biblioth. Select., eaque Eruditi omnes tamquam commenta fluxæ fidei rejiciunt. Theodotus, qui memoriæ tradidit res Phœnicum, est ætatis incertæ; sed meminit suis in libris Judæorum, ut constat ex libro I. Josephi contra Apionem. Historiam Romanam primus omnium soluta oratione scripsit Fabius Pictor, dictus a Livio lib. II. *longe antiquissimus auctor*. Neque poetæ sunt Hebræorum legislatore seniores. Homerum Suidas ex Porphyrio refert vixisse ante primam Olympiadem annis CXXX. Orpheus Linum paullo antecessit, Linus Herculem, Hercules, si credimus Tatiano, unius hominis ætate bellum Trojanum anteverrit; sunt ceteri omnes juniores. Nullus ergo ante Mosem Historias aut edidit, aut incrustavit.

Præterea, ut fruamur assiduis vigiliis, & summa eruditione Danielis Huetii; is demonstrat, ex libris Mosis Priscorum omnium doctrinam promanasse. Sanchoniathonem de rerum principiis, & mundi origine ex Taauto, scilicet Mose narrationem hausisse; illum vero esse Trojanis temporibus longe vetustiorem. Homerum sexcenta narrare ex Mose deprompta: Thaletem lucem posteriorem tenebris, & aquam principium rerum corporearum statuisse ex Theologiæ Mosis rudimentis. Pythagoram Hebræis præceptoribus usum, hominem ad Dei imaginem conditum definire, & prohibere esum morticinorum: Platonicam pariter, & reliquas Philosophorum sectas ex Judæorum doctrina manasse, quomodo apud Clem. Alex. in V. Stromatum ostendit Aristobulus Judæus: Manethonem tradere Israelitici populi historiam a Mose conscriptam, quamquam fabulis pluribus infuscatam, hinc ceteros Scriptores singulos, corruptis ab Ethnicis fontibus, ebibisse: Mosem denique esse Mercurium, Osiridem, Bacchum, Serapidem, & quidquid divinum Gentilium Theologia comminiscitur. Verum an talis revera sit antiquitas Sanchoniathonis, quem constat meminisse temporis conditæ Tyri, extructæ anno septuagesimo sexto ante cladem Trojanam: atque an Dii omnes in unam Mosis Personam sint referendi, ad præsens non attinet institutum. At de Mosis antiquitate otiosum erit verba plura prodigere.

Ingenui autem Scriptoris notas in Mose promptum & facillimum erit deprehendere. Has inter occurrit stylus non fucatus verborumque pigmento illitus, neque fimbriis luxuriantis orationis, & peregrino habitu incedens; sed simplex, gravis, necnon primigeniæ linguæ phrasi, sententiis, nativisque idiotismis consertus. Accedit humilitas, qua de se loquitur ubique demisse, narrans obscuram de domo Levi generationem suam, fugam ex Ægypto, murmurationem adversus se populorum, atque pœnam immissæ sibi mortis extra terram Chanaan, quoniam prævaricatus fuerat in Cades ad Aquas contradictionis. Non simulatum, nec fallacem ejus animum, sed sincerum rectumque, præfert aperta rerum gestarum narratio, criminis quoque patrati ab Aaron, cum vitulum aureum conflavit magno populi sacrilegio obsecutus: tametsi erat ille Pontificali honore condecoratus, & genitus eodem semine ac utero. Nec Mariæ sorori pepercit, ipsius murmur, & elephantiasis, molestum, fœdissimumque morbi genus, commemoran-

morando. Complectitur autem Historia Mosis res majorum traditione confirmatas, peractas coram ingenti multitudine, coram Pharaone & Optimatibus Ægypti, adversus hos, aliorumque Regnorum potentes, strenuosque procaces; qui fictas in gentis suæ dedecus fabulas in ore hominum vagari non permisissent. Quod ubi florescente jam Hebræorum Republica, aut post excidium Hierosolymitanum dispersa aliqui tentaverunt, fuerunt momentis invictissimis refutati. Tradunt insuper Mosis scripta omnium vetustissimarum Religionum integerrimam castissimamque, unius Dei cultum, idolorum contemptum, leges regendis populis percommodas, & reliquarum inviolatum exemplar, sanctissima ad officia virtutum monita, incitamenta majorum, scelerumque debitam pœnam, & definiendarum caussarum, aut puniendorum maleficiorum judicialia sine asperitate arbitrioque, præcepta. Atque hæc illius veritatis, quæ non est a probitate & sanctitate divulsa, veritatis nempe nulla caligine erroris conspersæ monumenta sunt invictissima. Prætereundum non est librorum Mosis auctoritatem etiam divinis miraculis elucescere; atque prætermissis aliis, hoc uno, quod tanta cura asservati inter Hebræorum clades, exilia, captivitates, & urbium ac templorum incendia ad nos usque pervenerint, asservatisque per orbem terrarum exemplaribus populorum omnium lingua translatis, concordia mirabili muniantur. Quæ si non videntur optimi Historici notæ; me fugit quænam auxilia ad veritatis confirmationem possimus asciscere. Igitur nullum invenire possumus Generationis mundi Scriptorem præferendum Mosi, sive spectata hujus antiquitate, siva expensis notis Criticis veritatis: quod erat probandum.

CONTRARIÆ ARGUMENTATIONIS REFUTATIO.

Mosem non esse antiquiorem ceteris Scriptoribus evincitur primo ex vetustissima Ægyptiorum origine, quæ Hebræorum nativitati multis annorum millibus antecessit: quomodo vel e solis Dynastiis a Julio Africano, & Eusebio conscriptis poterit quisque conjicere. Deinde ex libris Mercurii Trismegisti, quos suppositios censent equidem morosi Critici, sed veteres Patres adversus Gentes sæpenumero laudant: quorum Auctor pluribus ante Mosen sæculis creditur floruisse. Ulterius legimus Act. VII. 22. ipsum Mosen eruditum fuisse *omni sapientia Ægyptiorum*: imo Philo libro I. de ejus vita, etiam Græciæ doctissimos ait fuisse ad pueri institutionem accersitos. Mercurii columnas antiquissimorum temporum historiis inscriptas etiam Eusebius & Georgius Syncellus commemorant. Demum in Chronico ejusdem Eusebii legitur Mosem vixisse ætate Cecropis, ideoque tercentis ferme annis post Inachum. Non est ergo Historia Mosis tanti ob meritum antiquitatis facienda.

Expers quoque est notarum, unde veritas elucescit. In sola enim Geneseos historia, (nam de ceteris libris disceptare nostra non refert,) Auctor a mendaciis non temperat. Narrat cap. IV. 17. Cainum civitatem Henoch ædificasse, cum vix quatuor homines viverent. In XXXVI. capite v. 31. meminit Regum Israel, quorum primus fuit Saul inunctus circa annum 2909. & cap. XII. 6. mentionem facit Chananæorum, qui suo tempore nondum erant exterminati, tamquam populorum vix memoria superstitum. Joseph atiam Gen. XL. 15. ait sublatum se de terra Hebræorum; quando scilicet Chananæa nondum terra Hebræorum poterat appellari, vix una, vel altera familia Hebræa inter Chananæos commorante. Libros prætetea legis Mosaicæ ab Antiocho concrematos & conscissos, habetur in I. Machabæorum cap. I. 59. Ergo qui nomine Mosis circumferuntur, spurii sunt, & spongia a mendaciunculis abstergendi. Accedunt argumenta Manichæorum, quæ probant librum Genesis auctore Diabolo editum esse, cum innumera horrendaque scelera celebret, ut Loth cum filiabus concubitum, Judæ cum Thamar, Jacobi cum germanis sororibus, Abrahæ simul cum uxore & cum pellice, aliaqua plura apud Faustum. Ex quibus consectarium est, Scriptorem Historiæ Geneseos neque esse perantiquum, neque veracem, neque probum ac bene moratum.

Resp. mendacissimam esse vanitatem Ægyptiorum, tanta annorum millia in supputatione ævi sui numerantium. *In quibus enim libris istum numerum collegerunt, qui non multum ante annorum duo millia literas magistra Iside didicerunt? Non enim parvus est in historia Varro, qui hoc prodidit, quod a literarum etiam divinarum veritate non dissonat.* Hæc Augustinus lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 40. Fuerunt autem Ægyptiorum anni quatuor dumtaxat mensium, & dynastiæ collaterales, & implicitæ: quod ostendam inferius. Quare conciliari potest ipsa Ægyptiorum historia cum Sacra; & Mercurii Trismegisti antiquitas ad posteriora tempora coarctari. Vetustissimum Mercurium Huetius credidit ipsum Mosem: nos cultum hoc nomine a posteris Chami arbitramur Jubal patrem *canentium cithara & organo*, de quo IV. Gen. 21. Mercurii opera alibi ostendimus esse supposita: neque auctoritati Patrum minimum derogatur; quoniam cum veteres crederent Mercurium literas primo invenisse, Ægyptii Scriptores vetustissimi Mercurii titulo Commentaria omnia inscribebant, atque sapientiæ suæ consecrabant inventa, auctore in capite I. de Mysteriis Ægyptiorum Jamblico. Divinare propterea non possumus, a quo edita sint Mercurii opera a Clemente Alexandrino, aliisque laudata; nec tamen Pœmandrem tenemur agnoscere ut germanum Mercurii fœtum. In hoc enim libro exponitur mundi genesis, ut refertur a Mose: unde hujus Cosmopœeja Mercurii auctoritate nequit convelli. Mercurii columnas vel Sethi nepotes inciderunt, quomodo Josephus scribit in I. Antiq. cap. 3. vel nepotes Misraim, vel Ægyptii posteriores, qui in pretio leges Mosis habuerunt, quem etiam Osiridem hujus nominis tertium possumus cum doctis viris existimare. At vel genealogiam Patriarcharum, vel Hebræorum leges exhibuerint, fuerunt Mosaicis literis consentientes. Institutum Mosem omni sapientia Ægyptiorum, sive fuerint scientiæ Astronomicæ literis hieroglyphicis traditæ, siva aliæ etiam illuc a Joseph filio Jacob translatæ, neminem fugit: at in Ægyptiis nullam sapientiam fuisse contendimus hebraica antiquiorem, a Mose ad hæc usque tempora custoditam. Philo autem Judæus Patriæ potius, quam Hebræorum honori consulit; & quidem male, quoniam ante septem Græciæ Sapientes, ac primam Judæorum captivitatem, nulla apud Græcos extitit Philosophia. Cecropi etiam Augustinus lib. XVIII. de Civit. Dei cap. XI. supparem fecit Moysem: atque hac in parte Chronicon Eusebii probat Scaliger, damnat antilogiæ Georgius Syncellus; nil autem prohibet, ut asseramus plures extitisse hujus nominis, præsertim cum aliqui scripserint a Cecrope primum bovem, fuisse immolatum, & illum victimas abdicasse testetur in Arcadicis Pausanias.

Neque vero sunt in Genesi menda, quæ digna sint ut litura tollantur. Quomodo Cain unam, & plures etiam potuerit condere civitates, demonstrat in XV. de Civit. Dei cap. VIII. Ecclesiæ Sol Augustinus. Primorum quippe hominum vita tam longa fuit, ut unius hominis filii possent etiam urbes amplissimas constituere: neque Henoch fuit unicus Caini filius, sed ille, a quo magna ipsius & celebrior posteritas sata fuit. Refert in hunc Augustini locum Vives fuisse memoria patrum in Hispania haud exiguum vicum, cujus omnes incolæ erant a sene quodam adhuc vivente progeniti. Narrat Brustonius Hist. Ital. lib. 36. Pinem inventa insula ad Australem plagam spatio annorum viginti sexaginta filiorum suorum junxisse connubia, natosque ante obitum e femore suo numerasse 1789., cum ipse nondum explevisset annum ætatis octogesimum. In Gen. cap. 36. Reges Israel Moyses futuros prævidit, quod sibi fuisse a Deo revelatum liquet ex XVII. Deuteronomii 14. Duodecimo autem cap. v. 6. ait Chananæos in ea terra sedem fixisse, quando illuc appulit Abraham: id autem est verum, etiamsi scribente Mose nondum fuissent expulsi. Sublatum se inquit Joseph de terra Hebræorum, ea videlicet, ubi posteri Abraham, & familia Jacob propinquis gentibus notissima commorabantur; & quodam possessionis jure fixerant domicilia. Ab Antiocho non omnes libros legis fuisse conscissos, sed publicos, & qui ad manus militum pervenerunt, constat ex eodem libro Machabaico cap. III. 48. & cap. XII. 9. Manichæorum argumenta diluentur, ubi de lege veteri disputabitur; nunc enim satis est, si ad ea, quæ facta videntur cum probro atque dedecore, respondeamus cum Augustino libro XXII. contra Faustum cap. 45. *Narrata ista sunt, non laudata.*

Quoniam plura hoc loco de Hebræorum antiquitate dicta sunt, addam pauca de ipso nomine; cujus explicatio deservit diluendo alteri argumento adversus Pentateuchi veracitatem; quamvis de priori tantum libro instituta sit disputatio. Itaque Hebræos aliqui dictos putant ab Heber filio Sale, ac pronepote Semi, nonnulli ab Abraham, quidam ab עבר *Heber*, quod est *ultra*. Tenet priorem sententiam S. Pater lib. XVI. de Civit. Dei cap. XI., alteram lib. I. de Consensu Evangelistarum cap. 14, postremam q. 29. in Genesim. Et hæc quidem videtur probabilior, cum Abraham omnium primus Gen. XIV. 13. sit appellatus Hebræus, quoniam profectus erat trans Euphratem. Idem est ergo Hebræus, ac *Transfluvialis*, sive, qui venit ultra fluvium. At particula עבר *Heber*, significat tractum, qui fluvio abluitur, sive citerior sit, siva ulterior, ut observarunt Pagninus, Buxtorfius, Junius, Glassius, & alii: eademque vis est græcæ præpositionis *πέραν*. Nam Esaiæ IX. dicitur Galilæa עבר הירדן *trans Jordanem*: & tamen habita ratione Judææ est utraque Galilæa cis Jordanem. Et Joannis I. 28. Bethania dicitur *πέραν τοῦ Ἰορδάνου*, *trans Jordanem*: licet & hæc sit citra flumen: quod antiqui Græci non animadvertentes pro Bethania *Bethabaram* posuere. His exemplis refelluntur qui conantur probare Mosem non esse Auctorem Pentateuchi, quoniam Deuteron. I. legitur: *Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel* בעבר הירדן *Trans Jordanem*, & ipse nunquam Jordanem pertransiit. Hoc enim loco denotat בעבר citeriora. Satis de Historia Mosis: jam ad instituta pergamus.

CA-

CAPUT II.

De acuta & ingeniosa sententia Augustini exponentis dies Geneseos per varias Angelorum perceptiones.

ERGO Moses Mundi creationem spatio sex dierum perfectam fuisse in sua Historia testatur; ita ut primo die Deus condiderit lucem, in altero firmamentum, & cœlum, in tertio terram, maria, & genus omne stirpium ac plantarum, in quarto solem, & lunam & sidera, in proximo volucres, & reptilia, in sexto jumenta, & præstantissimum animal hominem: in septimo denique ab omni opere requieverit. Quos dies naturales esse, & spatium 24. horarum percurrentes, sentit major numerus & Patrum, & Theologorum, & Interpretum. At Augustinus, qui data opera in eorum inquisitionem mentem omnem intendit, distinguendos putat per diversas cognitiones Angelorum Sanctorum, modo explicato in libro superiori cap. VIII. & IX. Atque Augustinianam sententiam nonnulli quidem, quasi erroneam & cum scriptis a Moyse aperte pugnantem damnarunt, ut Molina, Cornelius a Lapide, Arriaga, & Moraines; alii digna Augustino reverentia tamquam minus probabilem suo reliquerunt auctori, ut Estius, Natalis Alex., & alii juniores Thomistæ: non pauci etiam pro illa, tamquam pro aris focisque decertant, quorum nonnullos sum paullo post laudaturus. Mihi quidem non videtur necessarium pro ea tanta cum pervicacia pugnare, quum ipse Augustinus aliam oppositam defendi posse concedat, cum de Gen. ad lit. lib. IV. cap. 28., tum de Civit. Dei lib. XI. cap. 7. ubi tamquam probabile assertum præmittit, lucem, qua sine sole peracti sunt tres dies primi, fortassis fuisse lucem corpoream, unde postmodum ipse sol fuit accensus. Operæ ergo pretium me arbitror facturum esse, si ut Augustini discipulus illatam ei calumniam depulero; posthac argumentationes sententiæ suæ communiero animadversionibus meis, qualescunque illæ demum futuræ sint: & denique verum absque studio partium judicium de sententia contraria pronunciavero. Itaque sit

PROPOSITIO I. Audaciæ potius & fidentiæ vitio, quam doctrinæ laude debent notari, qui maledico dente carpunt Augustinianam de simultanea creatione sententiam.

Duplici argumento hæc assertio fulcitur. I. Mira est eloquiorum divinorum profunditas, & qui eam humano ingenii acumine non attingunt, si falsitatis arguant aliorum interpretationem, eorum maxime, quibus & perspicaciorem intelligentiam divinitus credimus fuisse concessam, & magnam Ecclesia tribuit auctoritatem; atque huic præferunt planiorem, sibique de cognita veritate mirifice plaudunt, sunt hi singulariter fastidiosi & inflati. Augustinianam sex dierum expositionem Molina, Arriaga, aliique perpauci falsam, erroneam, & hæresi proximam appellant, oppositamque literæ, ut ipsis videtur, conformiorem unice veram ac probabilem arbitrantur: quamquam Augustinus vestigationis acumine cautus, in Ecclesiasticis laboribus operosus, Doctorum præeminentissimus, columna & firmamentum veritatis; Augustinus, qui in exponendis sacris Scripturis omnes excessit, qui post Apostolos dispensandi Verbi Dei primus refulsit gratia, qui in elucidandis quæstionibus omnes Doctores excellit, (hæc enim de Augustino alii Patres posteriores affirmant, his eumdem characteribus exornant) propriam sententiam acute formaverit, accurate expenderit, pluribus in locis examinaverit. Igitur in his, qui atro dente doctorem præstantissimum momorderunt, non specimen apparet eruditionis, non æqua altissimarum literarum ponderatio, non propriæ mentis libramentum; sed fidentia, inflatio, & inconsulta temeritas. Ipse Augustinus adversus futuros obtrectatores hanc sibi paravit apologiam in XII. Confess. cap. 25. *Illud* (inquit) *quod contendunt non hoc sensisse Moysen, quod ego dico, sed quod ipsi dicunt, nolo, non amo: quia & si ita est, tamen ista temeritas non scientiæ, sed audaciæ est, nec visus, sed typhus eam peperit.* Ideo & Augustini, & aliorum Patrum expositio tanti est a temperato Theologo facienda; ut ipsa veritas in concordia sententiarum viriliter defendatur, in discrepantia autem humiliter investigetur.

Deinde inconsulte opponitur censoriæ severitatis notatio alieni doctrinæ, quam alii vel sequuntur, vel plurimum commendant, vel nulla animadversione castigandam esse concedunt. Talem esse Augustini super Genesim expositionem nemo unus ignorat. Eamdem jam tradiderat lib. 6. Stromatum S. Clemens Alexandrinus, & ab ea non abhorruisse Athanasium observat lib. I. de opere sex dierum cap. V. Petavius. It in eamdem manibus pedibusque Isidorus lib. I. de Summo Bono cap. 8. Cassiodorus generis nobilitate, literisque clarissimus in I. Divinarum Institutionum cap. 22. Junilius Africanus in aureo super Genesim libello. Contendit Fridericus Gavardi quæst. I. in Hexam. art. X. neque ab illa recedere Ambrosium lib. I. in Hexam. cap. 3. & Magnum Gregorium lib. XXXII. Moral. cap. 10. Neque alii Patres, qui sex dies distinctos numeraverunt, illico censendi sunt Augustino adversari, nisi hanc dierum distinctionem repetant ex temporum intercapedine; quod faciunt revera plures: sed Augustinus de Genesi aggressus est peculiarem disquisitionem, quam Xistus Senensis lib. IV. Biblioth. S. tam sublimem & eruditam esse judicat, ut neque ante, neque post Augustini tempora talis unquam prodierit. Sunt autem in aliqua definienda quæstione ii Patres præponendi, qui, ut eam assequerentur, vim suam, nervosque omnes adhibuerunt. Quid vero de hac sententia Magistri ac Duces Scholasticorum? Albertus Magnus I. p. q. XII. art. 6. *Videtur*, inquit, *Augustino consentiendum*. S. Thomas in 2. sentent. dist. XII. q. I. art. 2. expositionem Augustini appellat *subtiliorem*; ait *magis ab irrisione infidelium Scripturas defendere* · addit hæc plane verba: *Opinio Augustini plus mihi placet*. Atque in Summa p. I. q. 58. art. 6. admittit in Angelis cognitionem vespertinam & matutinam, per quam S. P. sex dies Geneseos exposuit, illo & sequenti articulo egregie de hac re disputando. Quamquam q. LXXIV. art. 2. *ut neutri sententiæ præjudicetur*, utriusque rationibus respondendum existimavit. In quo & se Augustinianum probavit, & ceteris Theologis præclarum reverentiæ exhibuit erga omnes Patres exemplum. Eumdem imitatus est Ægidius Romanus in Hexamer. I. p. cap. 26. & Cajetanus cap. I. in Gen. Ex recentioribus in partes Augustini accesserunt permulti, Franciscus Macedo, Cardinalis Norisius, Ludovicus de Angelis, Hyacinthus Tonti, Emmanuel de la Cerda, Carolus Moreau, & alii apud Macedo 2. tom. Collat. col. VI. diff. 2. Disputavit in Academia Patavina non semel pro Augustiniana sententia notissimus P. Serry. Mitto Dionysium Carthusianum, Procopium, Philonem Judæum, aliosque complures. Nam satis liquet ex dictis sententiam Augustini clarissimos habere patronos, propugnatores acerrimos, atque ex omni classe Sanctorum Patrum, Sacrorum Interpretum, Scholasticorum Theologorum eximios laudatores: esse denique ranam in solem coaxantem, & corvum crocitantem prope Jovem, quisquis magni Augustini sententiam in circulis vellicat, & sugillat.

PROPOSITIO II. Augustini de simultanea creatione sententia non solum ab omni animadversione immunis est, verum etiam probabilis & prope certa.

Multa Augustiniani huc argumenta congesserunt: sed notiora proferam; & ea (quod pollicitus sum) notulis meis collustrabo. Sit I. Postquam Moses rerum aspectabilium creationem sex diebus peractam esse narravit, cap. II. 4. inquit: *Istæ sunt generationes cæli & terræ quando creata sunt, in die, quo fecit Dominus cælum & terram: & virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis antequam germinaret*; Ergo omnes generationes superius a Mose enarratæ spectant ad unum, eumdemque diem; neque temporis spatium intercessit inter diem primam, in qua creavit Deus cœlum & terram, & diem tertiam, in qua fuerunt producta germina, & ligna. Et quoniam huic argumento reponunt ea verba *In die*, idem esse ac *in tempore*, & singulari numero plures dies significari ex Hebræorum usitatissima phrasi; noto primum apud Hebræos vocabulum יום, *diem*, aliquando significare indeterminatum tempus, aliquando annum, aliquando diem verum ac proprium. Sed cum tempus designat, plurali numero effertur ut Gen. VIII. 22. Regum IV. XX. I. Ps. CI. 12. CII. 15., &c. Quando usurpatur pro anno, tunc ימים repetitur sine addita voce numerali, ut Gen. XL. 4. Exod. XIII. 10. I. Regum I. 3. At citato textu non pro anno, & geminata, sine additione numeri, voce vocabulum יום positum invenitur: nec plurali, sed singulari numero conscriptum est. Igitur verum, propriumque diem significat, non tempus ex pluribus diebus conflatum. Præterea cælum, terram, & omnia enarrata cap. I. Geneseos unico tantum die fuisse producta, insinuat Græcus codex, in quo laudatus versus legitur: *Hic est liber generationis cæli & terræ, cum facta sunt, qua die fecit Dominus cælum & terram, & omne viride, &c.* ᾗ ἡμέρᾳ ἐποίησε, &c. Quibus verbis quænam proferri poterant clariora, ad demonstrandum stirpes & germina creata esse in die illa, in qua cælum terramque condidit Deus, omnesque generationes peregit? Rursus sex illos dies ad unum corporeum spectare etiam manifestius colligitur ex prælaudato versu, ut legitur in quibusdam antiquis codicibus, videlicet: *Hic dies generationis cæli, & terræ cum facta sunt, qua die fecit Dominus cælum, & terram, & omne viride, &c.* De qua lectione vide Ambrosium lib. VII. in Lucam cap. 15. & Notationes ad Biblia LXX. Vaticana. Hæc de priori argumento.

Alterum est: Solem Deus condidit quarta die. At ex luce solis naturalis dies constituitur. Ergo tres dies priores non fuerunt vere naturales. Cui argumentationi respondent, tres illos dies fuisse distinctos luce primigenia, quam Deus creavit prima die, splendorem suum diffundente, seque rursum contrahente, ut scribit Hom. 2. in Hexamer. S. Basilius. Ex qua luce postea quarta die luminaria, & sidera fuere producta. Verum, salva Basilii, aliorumque reverentia, hæc pro Augustini argumentatione animadverto. Primum lucem prima die creatam, & Luminaria facta die quarto Hebraicus textus eodem vocabulo appellat אור *Hor*, cum ad solem designandum habeant Hebræi etiam peculiare nomen

men שמש *Scemesc*: unde Rabbini docent solem prima die fuisse creatum, ut recte observat Calmet, quod etiam demonstrat Eugubinus in Cosmopœeja cap. II., tenentque alii etiam Interpretes, dicentes solem quidem initio primæ diei conditum, ejus tamen productionem recapitulatione quadam narrari die quarta, in qua fecit Dominus cetera corpora luminosa. Itaque solem magna probabilitate creatum ab initio possum asserere, ideoque primum & quartum diem esse unum: atque sex diebus recapitulatione a Mose narrari, quæ in priori fuerunt simul perfecta. Deinde quænam est lux illa a sole distincta, cum sol dicatur, quia *solus* lucet, & ab eo astra omnia lumen splendoremque participent? Porro si primigenia illa lux corpus erat, cetera irradians, retrahens se, ac volvens, nisi Deus statim illud redegit in nihilum, quod de prima ac nobiliori re corporea absurdum est cogitare, illa lux erat sol; quippe nullum illiusmodi aliud corpus invenimus: si erat qualitas, aut lucidarum particularum effluvium, debebat a corpore lucido, quod sol est, emanare. Hinc est, quod Psalm. CXLVIII. ubi omnes creaturæ enumeratæ cap. I. Genes. ad laudandum Dominum invitantur, principio Angeli, deinde immediate sol & luna, ante cælum & superiores aquas commemorantur: quod observatum & in Danielis cap. 3., ubi principio Angeli, cœli, aquæ superiores, virtutes Domini, & sol & luna pariter invitantur ad Deum benedicendum. Lux in præfato Psalmo non enumeratur, & in Cantico puerorum ponitur inter sublunares effectus: ideoque Moses nomine lucis ab initio productæ designavit Angelos & solem, a quo effluit lux, per inferiores substantias diffusa. Ad hæc: dum legimus c. I. Gen. v. 6. *Fiat firmamentum, & dividat aquas ab aquis*; annon per Adversarios recte infertur ante productionem firmamenti nullam extitisse inter aquas divisionem? Utique. Igitur dum versu 14. legimus; *Fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem ac noctem*: optime intelligimus ante creationem majoris luminaris diem noctemque non fuisse divisas. Addit præterea eodem loco Scriptura: *Et sint in signa & tempora, & dies, & annos: ut luceant in firmamento cæli, & illuminent terram*. Legit eo loco Chaldæus *Ut numerentur per ea dies, & anni*. Quare ergo dum compellimur ab Adversariis ad explicanda omnia verba Geneseos proprie & literaliter; fas non erit arguere: Ergo ante creationem solis & lunæ non erant tempora, non erant dies, non erat lumen aliquod in firmamento, non erat ulla terrenorum corporum illuminatio, non erat dierum numerus, vel distinctio? Sed pro secundo argumento jam satis.

Tertium, & illud vulgatissimum est. Eccli. XVIII. v. 1. legimus: *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul*. Si simul omnia producta sunt, non ergo plurium dierum intervallo. Obvia est responsio, quod omnia *simul* dicuntur creata, idest, *universaliter* & communiter, ut habetur in Græco: *ἔκτισε τὰ πάντα κοινῇ*: aut creata *simul* quantum ad materiam, non quantum ad specierum singularum productionem. At hæc postrema responsio etiam in sententia Augustini vera est. Quæ enim propagantur per speciem formamque distinctam, in prima conditione duntaxat creata fuerunt in rationibus seminalibus; & earum propagatio ad primam conditionem non pertinet: unde Scriptura, ut postea dicam, harum rerum duplicem creationem accurate distinguit. Priorem autem responsionem Theologi nostri dispellunt reponendo universitatem creaturarum satis exprimi per *τὰ πάντα, omnia*; & consequenter *κοινῇ*, *simul* non de rebus esse accipiendum, sed de tempore. Quibus e nostro exili penu hæc addimus. Primo etiam *κοινῇ* frequentissime significat apud Græcos, non solum *communiter*, sed etiam *simul*, ut constat ex Lexico Roberti Constantini: ideoque debile est illud ex Græca lingua præsidium. Deinde comparat eo loco Ecclesiasticus Dei omnipotentiam atque æternitatem cum infirmitate hominis, in quo inveniri nequeunt magnalia Dei; quoniam, inquit, *Cum consummaverit homo, tunc incipiet: & cum quieverit, aporiabitur*. Videlicet, non simul omnia perficit homo, sed uno opere consummato ad alterum peragendum convertitur, & hoc expleto, *aporiatur*, scilicet, obstupescit se multa prætermisisse. Ex hac itaque antithesi colligimus ita Deum sempiternum omnia simul creavisse, ut non inceperit aliquod novum opus perfecto altero, neque consummato uno, aliud fuisse aggressum; sed unico momento cuncta operatum fuisse, cuncta consummasse, cuncta statim explesse. Tandem disputantibus Theologis de tempore, quo Angeli fuerunt producti, major illorum pars, nisi certum, probabilissimum sane argumentum profert ex verbis Concilii Later. IV. c. I. definientis Deum *simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & humanam*, ad probandum Angelos eadem die fuisse creatos, qua Deus condidit cælum & terram, idest die prima, quomodo cum Augustino alii tradiderunt Latini. Non dissimili ergo ratione verba Ecclesiastici, *Qui vivit in æternum creavit omnia simul*, argumentum suppeditant, nisi plane invictum & palmare, saltem prope certum & plusquam verisimile, quod universa sempiternus Opifex condiderit eadem die.

Quartum argumentum a me depromitur ex Orat. III. Athanasii contra Arianos pag. edit. PP. Bened. 528. tom. I. Dum Patres adversus hæreticos pugnant pro Catholicorum dogmatum veritate, eosque urgent auctoritate sacrarum literarum, vel traditione: planiorem & magis receptum sensum arripiunt, alias operam perderent, & Adversarios perperam lacessirent. Nullus contra Arianos decertavit validiori conatu, quam Athanasius defensor fidei, & famosorum palma certaminum. Is Orat. 3. postquam scripserat universam aspectabilium naturam intra sex dies factam esse; ne quis dies acciperet spatio mosarum temporalium discretos, addit constare e Scripturis omnia visibilia condita fuisse unico instanti, eodemque mandato; Verbum autem Patris ante omnia fuisse genitum. His vero præmissis ita comprobat Verbi divinitatem: Omnes creaturæ simul productæ sunt; Verbum ante omnia genitum est; Ergo Verbum non est creatura. Audias Athanasium: *Namque dicendo*, Ante omnes vero genuit me, *se alium ab omnibus esse declarat, cum ex supradictis constet, nullam e rebus creatis prius altera factam esse, sed res omnes factas uno eodemque mandato simul extitisse*. Profecto quænam esset ista Athanasii argumentatio, si una creatura primordio temporis extitisset ante aliam? Quo jaculo hæresim trajecisset, si rerum aspectabilium simultanea creatio adversaretur Scripturarum & Patrum auctoritati? Qua dialecticæ versutissimi Ariani fuissent perculsi, si Athanasius deteriori opinationi, extortis sacris literis, & privatæ quorundam sententiæ, tantæ caussæ præsidia superstruxisset? Fuit ergo ætate Athanasii Augustiniana sententia communior, & tanti viri judicio, testimoniis cum Scripturarum, tum Patrum magis consentanea.

Postremum argumentum, (non enim nos singula persequemur) petitur a ratione. Ut sex dies spatio temporis distinguantur, necesse est quod singula in his diebus producta pariter distincta sint; quippe ex parte Dei nullum operationum potest haberi discrimen & omnis differentia se tenet ex parte termini. At non sunt creaturæ omnes sex diebus conditæ discretæ invicem. Tertia enim die creavit Deus ligna fructifera, herbamque virentem, sexta hominem, masculum simul & feminam. Sed omne virgultum, & omnis herba producta die quarta nihil sunt aliud quam terra prima die creata cum semine omnium stirpium & germinum; nam cap. 2. Gen. v. 5. legimus fecisse Dominum *omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis antequam germinaret*. Quid est autem virgultum antequam oriatur? quid herba antequam germinet, præter terram seminibus gravidatam? Similiter mulier non est fabricata ex latere Adami, nisi post diem septimum, quando Deus jam requieverat, & Adam cunctis animantibus nomina propria dederat singillatim: ait enim Scriptura, quod nondum Adæ *inveniebatur adjutor similis ejus*. Mulier ergo creata die sexta non est mulier distincta a viro, sed latitans in ejus costa, neque homo ea die creatus est aliud a limo terræ, quandoquidem inquit eadem Scriptura Gen. II. 5. *Et homo non erat qui operaretur terram*.

Oportet ergo, ut duplex genus rerum distinguamus: aliæ creatæ sunt ex nihilo, ut cælum terra, sol, luna, & firmamentum; quarum rerum productionem significat scriptura unico verbo *fiat*: aliæ ex præcedenti materia, ut herba, lignum, reptilia, bestiæ, necnon homo, quantum spectat ad corpus: quarum conditio exprimitur complexe, & hac phrasi, *Germinet terra, Producant aquæ, Producat terra, &c.* Quæ ex nihilo factæ sunt semel productæ sunt, & illarum generationem semel etiam Scriptura recenset in I. capite Gen. Reliqua primum producta fuerunt in *potentia materiæ*, deinde in propria specie vel forma. Atque harum rerum bis genesis enarratur, idest, in capite I. & II. Geneseos. Quare in distributione operum Dei, omnia quidem spectant ad illos dies invisibiles, in quibus creavit omnia simul, videlicet ad diversas cognitiones Angelorum; sed plura, hoc est, quæ primum in rationibus seminalibus, deinde visibiliter facta sunt, si accipiantur secundum priorem conditionem, pertinent ad dies intelligibiles, & unico momento fuerunt & ipsa producta; si vero inspiciantur, ut in propria forma aspectabili constitutæ, istorum creatio perficitur in tempore, & post sex illos dies invisibiles: spectatque ad dies naturales, in quibus Deus operatur quotidie, quidquid ex illis tamquam involucris primordialibus in tempore evolvitur. Sed legite S. Patrem lib. V. de Gen. ad lit. cap. XI. & XII.

PROPOSITIO III. Non debent Augustiniani sententiam præcedenti oppositam tamquam aperte falsam refellere.

Id quidem ob hæc momenta. I. S. Pater lib. IV. de Gen. ad lit. cap. 28. inquit. *Quis ergo non eum, quam pro meo modulo vel indagare, vel putare potui, sed aliam requirit in illorum dierum enumeratione sententiam, quæ non prophetia figurate, sed in hac creaturarum conditione proprie meliusque possit intelligi, quærat, & divinitus adjutus inveniat*. II. Si carpere audemus aliorum de altissimo Scripturarum sensu opinionem, eique succensere; jure optimo ejusdem arrogantiæ damnabimur, quam Propos. I. reprehendimus in invidis & obtrectatoribus Augustini. III. Si Theologorum, atque Interpretum spectetur numerus: negare non possumus, quin plurimis contraria assertio videatur magis probabilis. Esto itaque judicium nostrum. Sententia de simultanea rerum creatione sublimis est, acerrimi ingenii filia, Historiæ Geneseos germana, probabilis, prope certa, & iis, qui assidua lectione libros Augustini ver-

sarunt, plana quoque, & expressa. Contraria est etiam insignis, atque sua probabilitate non caret.

ADVERSÆ PARTIS OBJECTA DISCUTIUNTUR.

Sed Augustinianam sententiam minus altera esse probabilem conantur quidam sequentibus argumentis evincere. Ac primo demonstrant carere extrinseca probabilitate, petita a numero & auctoritate Doctorum. Enimvero eidam omnes, si unum excipias Augustinum, advarsantur. Is duplici ex caussa ad theseos patrocinium non sufficit; quod scilicet dies Genesis iagenii sui acumine mystice exposuerit, salva melion sententia; & quod huic interpretationi dederit operam in libris super Genasim: quo in opere, lib. 1. Retract. c. 18. & lib. 11. c. 24. ait *plura quæsita, quam inventa, & eorum quæ inventa sunt, pauciora firmata.* Ipsemet Augustinus in lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. 23. aliisque in locis dies distinctos enumeravit.

At hæc 1. argumentatio expungitur his, quæ dicta sunt in 1. Proposit., & in IV. argumento 2. Falsum ast enim hanc expositionem tradi duntaxat ab Augustinu: & falsum etiam, non habendam in quæstionibus dirimendis primam ac potiorem rationem Doctorum illorum, qui illas luculentissime pertractarunt. Quæ afferuntur ad elevandam auctoritatem librorum da Genesi ad literam triplici ratione axsufflantur: primo quod sententia hæc de diebus intalligibilibus traditur quoque in magno Opere de Civit. Dei: præterea in 11. Retract. c. 24. distincte narratur quid in his libris adhuc requirendum foret, inter quæ censetur quicquid illic disputaverat de semine Abraham disposito per Angelos in manu Mediatoris, de imagine Dei per peccatum deperdita, & de loco inferorum; sed de sax diabus, quamquam de illis tam diffuse disseruit, altum ibidam silentium: & denique Sixtus Sen. lib. Biblioth. 4. de Augustini libris super Gauesim, ait: *Quamquam ipse fateatur plura a se quæsita, quam inventa, & ex inventis pauciora firmata; tamen tantus est in eis artium, disciplinarum, & scientiarum omnium thesaurus, ut facile appareat neque eruditius, neque sublimius in expositione horum trium capitum, vel ante, vel post Augustini tempora prodiisse quicquam, nec deinceps futuris temporibus fortasse proditurum.* Cetarum si quis potest meliorem invenise explicationem, *quærat, & divinitus adjutus inveniat.* Nos invenire non possumus; & nihilominus sex dies distinguimus; sed non temporis decursu, sive intervallis horarum.

Paritet argunnt Adversarii dicentes destitutam esse sententiam nostram probabilitata intrinseca, quæ petitur a ratione. Si enim, inquiunt, universa in instanti essent condita, maxime quod Genas. 2. habetur singulari numero *in die*, Eccles. XVIII. 1. particula *simul*, & Job xl. 10. *Behemoth*, idest, *dæmonem* creatum una cum homine. Hæc autem sunt infirmissima; possunt enim axponi vel de tampore plures dies complectente, val de creatione quantum ad materiam, non quantum ad speciem rerum. Quod docet S. Greg. lib. XXXII. cap. 10. his verbis: *Rerum quippe substantia simul creata est, sed simul species formata non est; & quod simul extitit per substantiam materiæ, non simul apparuit per speciem formæ.* Imo Behemuth de quo Job cap. 40. non dæmonem, sed elaphantem, sive cete Nili significat, dictum *principium viarum Domini* ob corporis proceritatem.

Varum & huic argumentationi satisfecimus Prop. 2. Ad Magni Gregorii testimonium dicimus utique simul axtitisse omnem creaturam per substantiam materiæ, & prima die non omnia fuissa quantum ad propriam speciem: sed distingnendæ sunt res a Deo conditæ ex nihilo, & res formatæ ex præexistenta materia. Hæ, ut sunt virgulta, herbæ, pisces, jumenta, volucres, & homo, simul extiterunt per substantiam, quatenus simul cum tarra factæ sunt: atqua hoc pacto pertinent ad primam conditionem: & quatenus visibiliter processerunt per speciem, extiterunt in temporis decursu. Sed hæc productio non spectat ad opera sex dierum, quæ recensentur in cap. 1. Genesis; sad est altera creatio, quæ describitur secundo capite, & peragitur quotidie, dum germinant harbæ, nascuntur arbores, & animalia hominesque gignuntur. Attinent ergo ad primam conditionem Angeli, cælum, & terra, sol & sidera, atiam secundum visibilem formam, quoniam non extiterunt ex præexistente substantia; & simul creaturæ reliquæ, prout simul cum illis potentialiter extiterunt. Vide Gregorium citato loco, & Augustinum lib. V. de Gen. ad lit. cap. 12. & lib. 6. cap. 3. & rursus lib. 5. c. 4. & quæ nos supra diximus Arg. ult. 2. Proposit. Quid sit Behemoth ostendimus de Angelis c. VI. nec repugnat simul Elephantem ac Dæmonem designare; & idem Gregorius ibidem scribit Behemoth conditum ab initio. Versu 14. habat Vulgata: *Ipse est principium viarum Dei*: & Græcus Codex Τῦτ' ἐστιν ἀρχὴ πλάσματος κυρίυ, *Hoc est principium formationis Domini.* Ergu & dæmon simul cum homine, & homo simul cum bestiis, & bestiæ simul cum dæmona factæ sunt; quemadmodum prædicat Augustiniana doctrina.

Tertio opponunt repugnare hanc da simultanea creatione sententiam Historicæ narrationi; id vero tribus de caussis. Quarum prima est, quod in sacris historiis literaliter est accipiendum quicquid a veritate non abhorret, & commode absque figurata locutione potest intalligi. Altera, quod res a Deo conditas non possumus sine Origaniani erroris nota ad translatam significationem detorquere: Ergu neque dies, in quibus dicuntur perfectæ. Tertia, quod Genesis historia fuerit pro rudi populo conscripta; & ideo si præferret sensum alianum a littera, potuisset quamfacillime in errorem inducere.

Respondeo sententiam nostram nihil, vel minimum veritati Historiæ Geneseos derrahere, sed illam reddere planiorem, & arrori simplicium obviam ire, omnemque verborum tollere ambiguitatem. Etenim ubi Augustini mentem attigarit, quisqua percipiat, quomodo omnes generationes cæli & terræ dicantur absolutæ eadem die, & spatio sex dierum productæ, eo quod sine temporis intervallu Angelica cognitio ex uno in aliud objectum transcenderit: quomodo in his diebus vespera præcedat mane, quia videlicet cognitio creaturæ in seipsa decoloratior est, quam cum videtur in Verbo, & in laudam Creatoris assurgit: quomodo præterierint primi dies absqua sole, quoniam lux mentis Angalicæ corporalium luminarium cursum non sequitur. Parcipiet, cur herbarum, stirpium, arborum, & animalium sit reperita productio, quu pactu ista fuerint priusquam germinarent, & nascerentur, & quare nondum extiterit Eva, cum Adam jam nomen singulis animantibus imposuisset. Itaque ad 1. Resp. etiam explicationem Augustini propriam esse & litaralem, non figuratam & mysticam. Vox enim lucis recensetur inter nomina intelligibilia, & ipse Deus in Scripturis lux dicitur, & Pater luminum. Imo mens spiritualis lux potiori jure appellatur, quam corporea, cui minus splandoris inast, dum plus accidit corporalis matariæ. Quate Augustinus lib. IV. de Gen. ad lit. cap. 28. *Ubi ergo* (inquit) *melior, & certior lux, ibi etiam verior dies: cur ergo non etiam verior vespera, & verius mane?* Ergo negandum ait S. P. expositionem esse metaphoricam, & figuratam.

Refellit hanc responsionem Hyacinthus Tonti cap. IX. eo quod Augustinus citato loco ait: *Quis ergo aliam requirit in illorum dierum enumeratione sententiam, quæ non in prophetia figurate*, &c. & Clarissimus Norisius §. IX. Vindic. c. IV. S. Patris explicationem *mystice divisam* appellat. Sed fallitur vir illa vehemens, & acer. Nam S. Patar ibidem hæc etiam habet: *Nec quisquam arbitretur illud quod dixi de luce spiritali, & de condito die spiritali*, &c. *non jam proprie, sed quasi figurate & allegorice convenire ad intelligendum diem, & vesperam, & mane: sed aliter quidem quam in hac consuetudine quotidiana lucis hujus & corporalis: non tamen tanquam hic proprie, ibi figurate. Ubi enim melior & certior lux, ibi verior etiam dies: cur ergo non etiam verior vespera, & verius mane?* Propria igitur, non mystice, non figurate dies Genesis ab Augustinu explicantur: & figurata locutio ab eodem, & a Norisio appellatur, non absolute, sed comparate ad lucem quotidianam, & corporalem. Ceterum illud pariter verum ast, interdum in Historicis narrationibus, atqua in hac præsertim plura μυστικῶς enunciari: quippe namo literaliter acceperit ea verba *Dixit Deus*; naque illa, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*; neque hæc, *Requievit die septimo*; naque ista, *Inspiravit in faciem ejus.* Quibus obstruitur os putidum Phareponi in Augustinum bacchantis, quod vocavarit libros duodecim super Genasim Interpretationes ad literam. Nam quod ad refellandum Clericum affart Hyacinthus Tonti ax cap. XIII. libri 1. Regum; *Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpisset*, & in quo sibi mirifice plaudit; id quidam a me gratis dabitur: sed arunt complures, qui ad Clericum refutandum inepte prosarri arbitrabuntur; quandoquidem potest illud accipi hoc sensu, quod Saul jam annum agebat post devictos Philisthiim, & posteaquam axcusso jugo regnaverat. Hanc enim phrasim hebraicam בֶּן־שָׁנָה *Filius anni* exhibare postremum sansum, Docti quidam viri demonstrant.

Ad 2. loquacissimus ero, si plura fundam; nam cur res explicentur cum Origene spiritaliter, nulla ratio succurrit; quamplures vero causæ postulant, ut dies spiritales constituantur, præsertim cum & isti proprii & vari sint, non allegorici. Ad 3. autam primo nego historiam Geneseos traditam solummodo rudi populo. Præterea nego tam plana esse divina aloquia, ut plebs valeat illa percipere. Rursus nego sacram historiam fuissa Judæis propositam absque vocis oraculo, & traditiona mysteriorum. Denique nego pertinere ad populi institutionem cognoscere, cujus generis sint dies illi; cum potius deceat miram divinarum literarum profunditatem, quædam singulis proponere, quædam meditantibus aperire, quædam humilibus revelare, quædam per solius Ecclesiæ magisterium credentibus patefacere.

Quarto objiciunt. Præcipiens Deus sanctificationem Sabbati Exodi XX. 11. hanc profert caussam. *Sex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram, & requievit in die septimo*, & cap. XXXI. 17. *Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & in septimo ab opere cessavit.* Hæc vero inepte prorsus dicerentur, nisi dies creationis primigeniæ naturales forent ac temporarii. Quæ enim ast inter sex dies hebdomadæ, quibus fas est operari, dicente Domino, *Sex diebus facietis opus*,

opus, & inter perceptiones Angelicas, inter unicum temporis instans, accommodata collatio. Fuerunt ergo dies illi corporei horarum spatiis de mane in vesperam inclinantes. Atque argumentum istud (inquit Pererius lib. I. in Gen. cap. 2.) validissimum est adversus opinionem Augustini.

Resp. falsam esse minorem, quippe ut præceptum de Sabbato sanctificando ob creationem peractam, & ob requiem Domini imponeretur, necessaria non erat plena inter dies Geneseos, diesque hebdomadarum istarum similitudo; sed illud sufficit, si in his illorum habeatur quædam dissimilis comparatio. Enim vero die Sabbati ab omni opere servili cessandum erat, quoniam die septimo Dominus requievit, & cessavit ab opere. Requiem Domini memorat Scriptura divina *humano more*, *& quadam attemperatione ad institutionem nostram*, inquit decima in Genesim Homilia Jo. Chrysostomus. Exodi XXXI. 17. in Hebraico textu legimus שָׁבַת וַיִּנָּפַשׁ *quievit*, *& respiravit*. Est autem cap. XXIII. 12. idem verbum usurpatum de servo recreante se post defatigationem laboris. Dixeris ne, Deum ingravescente labore defatigatum, aut lassas in opificio vires reparavisse? Quemadmodum ergo Sabbatum & requies, qua Deus cessavit a creatione universi, longe differt a Sabbato & requie, in qua Hebræi cessant ab omni opere servili: ita sex dies quibus mundum Deus molitus est discrepant a diebus hebdomadalibus, de quibus in Exodo legimus, *Sex diebus facietis opus*. Plura de hoc argumento Fridericus Gavardi, & Hyacinthus Tonti, quos consulas.

Objicit Estius in Augustiniana sententia maximum consequi absurdum, videlicet simul extitisse, & lucem & tenebras, & diem & noctem, & Angelorum meritum, atque beatitudinem. At disserentes de Angelis ista diluimus. A cognitione enim vespertina ad matutinam, & via ad terminum Angelorum morulas & instantia angelica intercessisse concedimus, sed mentem Angelicam, ut se in Deum converteret, non indigebat temporis nostri intervallo; quamquam inter cognitionem rerum creatarum, & conversionem in Deum ordo intercesserit caussalitatis. Distinguendæ sunt igitur hujusmodi propositiones. Fuit simul vespera & mane, nox diesque; scilicet, inter conditionem & gratiam, inter actum mentis & voluntatis, inter perceptionem rerum simul conditarum & conversionem in Deum non fuit in Angelis ordo caussarum, nego: non intercesserunt aliqua morarum temporalium intervalla, concedo. Vide Augustinum lib. IV. de Gen. ad lit. c. 32. & nostram de Angelis dissertationem c. IX.

Denique contra Augustini sententiam arguitur, quod pluribus vicibus & sex dierum spatio congruum magis erat condi rerum universitatem, ut Deus ostenderet se non necessario, & cæco impetu, ut quidam Philosophi somniarunt, operati, sed summa intelligentia & libertate præditum, quantum vult, & prout vult virtutem suam applicare. Plures enim operationi suæ adhibendo vices, se materiæ totiusque molitionis dominum esse, rectissimaque voluntate omnia agere declaravit. Ita vir clariss. Bossuet II. Parte Historiæ, sive de serie Religionis pag. 165.

His autem respondeo, præter Philosophos, qui Deum necessario mundum condidisse autumarunt, extitisse tempore Mosis cultores Deorum, qui numina non æque universis dominantia, neque infinita potestate prædita superstitiosa religione adorarent; alia Chananæi, alia Ægyptii, alia Philisthim, &c. Imo hos idololatras extitisse certo compertimus; & num Philosophi illi essent eo tempore exorti, ignoramus, ac prodisse videntur conditis jam Athenis, & florescente Græcorum Philosophia. Sed, ut ut extiterint ætate illa veruthori; si Deum ex necessitate operari putaverunt; debuerunt asserere mundum sempiternum, quomodo etiam Athenienses illi Philosophi statuerunt. Moses ergo docens mundum creatum in tempore, & a primo homine annos, & generationes complexus, satis superque errorem Philosophorum illorum confutavit. Atque Deum non agere cæco impetu luculenter ostendit, scribens cuncta creasse verbo, ac mandato. Congruum erat, ut etiam unum Dominum universorum prædicaret; quod fecit initio Geneseos. Ut hunc Deum omnipotentem ostenderet, nec in operibus perficiundis usum tempore (quod opinari, ut inquit Philo lib. I. Allegor., est rusticanæ simplicitatis;) addidit in die, qua creavit cœlum & terram, ceteras quoque generationes fuisse perfectas. Atque ita Dei libertas, consilium, & omnipotentia, juxta interpretationem Augustini, in Historia Genesis elucescunt.

CAPUT III.

Exhibet contractum in Genesim Commentariolum.

PLURA veteres Scholastici, ac præsertim Romanus Ægidius in Hexameron, sive peractam sex diebus Genesim, conscripserunt: de quibus brevissime nobis agendum erit, cum multa & notissima sint, & in sacrorum Interpretum Commentariis satis enucleata. Fuerunt ergo die prima a Deo creata cœlum, terra, aqua, & lux, & hæc, ut Moses ait, *In principio*. Quo vocabulo ostenditur, nihil ante cælum & terram præcessisse, præter Deum conditorem universorum. Hæbrei habent בראשית *In exordio temporis*. Cabbalistæ præter ætatem mundi, de qua infra, ex hac voce בראשית *Berescith* res primo die creatas in singulis literis ingeniose observarunt. Nam prima initium est verbi ברא *Creavit*: secunda רקיע Rachiah *firmamentum*: altera nominis ארץ Heretz *terram*: quarta שמים Sciamaim *cælos*: quinta ים jam *mare*: sexta תהום Teom *abyssum*. Hi ergo diem secundam, ac primam debent unam eamdemque fateri. Terra dicitur initio fuisse inanis & vacua, & spiritus Domini aquis incubasse. Videtur his verbis designari limum, sive humidam materiam, Catholicum rerum omnium principium: quare placet nobis sententia Thaletis, quod rerum creatarum communis substantia sit Aqua: quod ne quis temere pronuntiatum credat, paucis nitendam.

Ac I. S. P. Augustinus in priori libro de Gen. ad lit. cap. V. ait, Mosen v. 2. literaliter designare *aquæ nomine totam corporalem materiam, ut eo modo insinuaret, unde facta & formata sint omnia, quæ in suis generibus jam dignoscere possumus, appellans aquam, quia ex umida natura videmus omnia in terra per species varias formari, atque concrescere*. Hebraica etiam verba *Spiritus Domini ferebatur super aquas* demonstrare divinam virtutem & energiam, qua, ut ova fecundantur ab alitibus, & foventur incubitu, communi materiæ in creatione motus & vis singulas species producendi concessa est, idem Augustinus scribit eodem libro cap. XVIII. & Basilius Hom. 2. in Hexam. & unanimi sensu reliqui Ecclesiæ Patres, ut recte animadvertit Jansenius; necnon Magister sent. in II. dist. XII. & etiam Scripturarum Interpretes, non solum Catholici, sed etiam hæretici, Munsterus, Junius, Grotius, Glassius, & alii. Sacræ ergo literæ declarant omnium rerum corporalium materiem aquam esse, quæ simul appellatur terra inanis, & tenebrosa abyssus, quoniam materia percipitur incomposita, rudis, invisa; quasi creationis primordio fuerit duntaxat humidum chaos, nondum arida a mari extracta, & aere, quem in 2. de Nat. Deorum, ait Cicero esse vaporem ex aquis, (& aquam appellat ipse Moses in I. Gen. v. 20.) ab indigesta mole nondum emisso.

Consentit omnium plane antiquarum Gentium ex sacris literis derivata traditio. Phœnices feminium, & omnium rerum generationem factam ex *aquosa mixtionis putredine* olim tradidisse, demonstrat ex Sanchoniathone Eusebius lib. I. Præp. Evang. cap. X. Zeno apud Hesiodum chaos illud, unde fiunt omnia, aquam esse dicebat; eaque subsidente factum limum, limo concreto terram aridam. Priscorum Indorum sententiam exprimit apud Strabonem lib. XV. Megasthenes, dicens *primordium mundi facti esse aquam*. Thales Milesius *aquam esse dixit initium rerum: Deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret*, inquit apud Ciceronem in I. de Nat. D. Vellejus. Vide Grotium in not. ad lib. I. de Veritate Rel. Christianæ. Observa etiam Milesium a Phœnicibus hausisse philosophiam, & fuisse ducem Jonicæ sectæ: Phœnices autem ab Ægyptiis, hos ab Hebræis: quare opinio Thaletis est omnium Græcorum scitis antiquior. Etiam Poetæ Venerem, idest genituræ energiam, natam inquiunt ex aquis: unde Græci vocant Ἀλιγένην, vel Ἀφροδίτην, idest, *filiam maris*, aut, *spumæ*.

Physicis hæc argumentationibus confirmatur. Nam ex aqua terram fieri liquet ex pluviis, unde gignitur tellus levis & candida: arenulas educi ex aqua litora maris ostendunt; minimos lapillos ex eadem aqua produci conspicimus in alveis fluminum; ideoque narratur in Genesi I. 9. contractis duntaxat aquis *aridam* apparuisse. Cœlum esse fluidissimum ætherem, & naturæ aqueæ cum Cartesiani tenent, tum ceteri debent adstruere, qui lumen ad nos transfusum constituunt in motu. Et quidem Hebraicus textus firmamentum appellat רקיע expansionem aquarum, & cœlos pariter ab aquis שמים. Ignis flamma abit perpetuo in fumum: fumus vapor est aqueus; & in aquam etiam cineres reducuntur. Radix, flos, folia, & cortex vegetabilium facile resolvuntur in aquam, & aqua nutriuntur & crescunt, ut constat ex ocymo & mentha, cujus surculus viridis aquæ immissus, quasi in horto, radices agit & floret. Pisces, volucresque in aqua vel aere gigni, præter quotidianum experimentum, legitur in I. Geneseos versu vicesimo. Quælibet concreta liquore *universali* in aquam elementarem resolvi probant Helmontius, Ettmullerus, David Vander Beck, & Chymici omnes. Aqueo humore gigni animalia, tam reptilia, quam bestias, neminem latere arbitror. Etiam homines ex aqua procreatos, auctore Censorino, placuit Epicuro & Democrito. Ergo vel rerum naturalium principia sint atomi, vel inanis substantia Peripateticorum, vel Cartesii elementa, quod Philosophorum otio definiendum relinquimus; verisimile est communem corporalem substantiam esse aquam, & hanc in varias species mutari, dum ei permiscentur particulæ aut salinæ, aut sulphureæ, aut oleosæ, aut consimiles aliæ: quas ex ipsa aqua, supra quam ferebatur spiritus Domini, primitus erupisse, videtur consentaneum historiæ Mosis, Patrum traditioni, antiquiori Philosophiæ, necnon naturalibus experimentis. Sed hactenus a me dicta de universali rerum omnium principio probet unusquisque, vel rejiciat pro lubitu.

Ut ad institutum redeam; aqua, cui spiritus incubat, est rerum aspectabilium materies, qualiscunque hæc demum sit: & ista causalitatis ordine visibiles formas præcedit. Creata deinde lux *Verbo Domini*, non sono vocis corporeæ, sed cognitione practica, dispositione voluntatis, & mandato atque imperio. Per lucem intelligi substantiam spiritualem, idest, Angelicam, sentit Augustinus in I. de Gen. ad lit. a cap. 9. ad 18. & in XI. de Civit. Dei cap. 9. alii solem, alii corpus aliud lucidum adhuc informe. Hebræi lucem appellant אור *Hor*; luminare, sive corpus lucidum מאור *Mehor*. Recte igitur nomine lucis intelligimus lucem incorpoream, idest, Angelum, etiam literaliter; diemque corporalem cogitare non possumus, sine corpore lucido, sive מאור luminare condito die quarta. Ex hac luce & vespera factus est dies, intelligibilis si referatur ad Angelos; corporalis si referatur ad solem. Primam quoque diem appellant Hebræi יום *Jom*. Hoc nomine notari cursum solis ex ortu in occasum, scribit in Radicibus R. David Kimki, quod observavit & Fagius. Non ergo fuit absque sole corporalis dies; omniaque Augustinianæ de simultanea creatione sententiæ apte quadrant. Vespera hebraice dicitur ערב *Hereb* mixtura, eo quod objecta confuse percipiantur: ideoque & ערב propriissime dicitur de cognitione decolorata. Prodiit hinc fabula Hesiodi, Erebum natum e Chaos, & ex Erebo & Nocte progenitum diem & æthera; nam legitur in Theogonia,

Hinc Erebum simul & Noctem Chaos edidit atram;
Aethera supremum genuit nox atra, diemque.

Erebus itaque, Vespera, & nox præcedit diem: quod magis convenit diei spirituali, quam corporali; hunc enim an a luce, an a tenebris incipiat ambiguum est, nec conveniunt Interpretes. At cognitio vespertina antecedit matutinæ, ut omnibus perspicuum est.

De opere secundæ diei addam pauca. Quippe dictum est paullo ante Firmamentum nihil esse præter extensionem aquarum, & veluti velum expansum inter eas, ut in v. 7. Genesis. Diximus & cælum ab aquis hebraice appellari; & ex veris aquis esse compactum; ut tradunt Clemens in I. Recognitionum, Joseph in I. Antiq., Ambros. in Hexam., & alii plures. Affirmavimus etiam a Cartesianis defendi cœlos esse fluidos; quos Elin apud Job XXXVII. 18. appellans solidissimos, & fusos quasi ære, reprehenditur ut homo *involvens sententias sermonibus imperitis*. At si placet esse solidos; nam inter Ptolomæum & Cartesium arbiter esse nolo; asseram ad instar chrystalli ex aquis coagmentatos: unde Chaldæus in Job legit non, *quasi ære*, sed, *quasi specularia*. Latine *cælum* dicimus, inquit Ambros., quasi stellis cælatum: græce ὁρατὸν, idest, visui pervium, & pellucidum, ait Schrevelius. Hebraica vox שמים *sciamaim* substantiam ex aquis, latina *cælum* pulchritudinem, & ornatum, græca οὐρανὸς diaphaneitatem lucemque demonstrat.

Sequuntur opera tertiæ diei, nimirum congregationes aquarum, idest, maria, & apparitio aridæ, idest, terræ. Maria hebraice dicuntur ימים *Jamim*, videlicet, ים *Jam* fundum, מים *Maim*, aquarum. Hinc hebræis, ut recte Hieron. in quæst., quælibet aquarum congregatio, sive salsæ sint, sive dulces, dicitur *Mare*. Terra, de qua hoc loco, est terra e sinu aquarum educta; nam ea, de qua v. I., erat invisibilis, videlicet communi substantiæ permixta. Facta autem congregatione aquarum *spissata est*, ait Augustinus in I. de Gen. ad lit. cap. 12., nimirum, limus fluidioribus nudatus est partibus. Erant enim principio, inquit Ovidius in I. Metamorph.

Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Cum terra facta sunt gramina, stirpes, & ligna pomifera, modo explicato cap. præcedenti in postremo argumento.

Quartæ diei opera sunt lucidissima firmamenti corpora, sol, luna, & stellæ. Hæc quatenus a luce diei primæ corporalis minime differant, & paullo supra explicavi, & in præcedentis capitis propositione secunda. Cum doceant Philosophi corpora majori splendore illustrata aliis quoque apparere majora, propterea quod illorum radii vehementius capillamenta concutiunt: atque aliunde tradant Mathematici solis magnitudinem superari ab aliis invisis corporibus; consequitur illum Gen. I. 16. appellari *majus luminare* ob ampliorem lucem, non ob quantitatem ac molem. An sol, ut veteribus placuit, sit corpus solidum, an materia fluida fervens, uti aurum liquefactum in fornace, quomodo scribunt Simon Marius, Athanasius Kircher, Raphael Aversa, Le Grand, aliique Sectatores Cartesii, & num ignis sit, habeatque primi elementi majorem copiam, disceptant Physici. Literæ Hebræorum videntur in sole Ignis substantiam ostendere nomine שמש *scemesc*; idest, שם *sciam*, ibi; אש *Hesc*, Ignis: & nomine אור *Hor*, lux, splendoris fontem, & scaturiginem. Hinc *Orus* Ægyptiorum. Præest sol diei, quoniam est juxta Aristot. Top. VI. *ἄστρον ἡμεροφανές astrum in die lucens*. Idem dicendum servata proportione de luna, & stellis.

Die quinta producta fuerunt reptilia, ac volatilia animantia, necnon adnatantia aquis. Quorum prima aut per spiras reptant, ut angues; aut incedunt undulatim contracto corpore & explicato, ut limaces ac lumbrici; & sunt ovipara, hoc est, exploso ovo gignuntur. Eduntur eodem modo volatilia ex ovo prolifico; cui, incubante altero, fibræ excitato calore explicantur, ac gradatim pullus effingitur. Inter natatilia memorantur in Genesi v. 21. *τὰ κήτη τὰ μεγάλα*, *cete grandia*, pisces maximi, balænæ, atque hippopotami; & singula gignuntur more ceterorum oviparorum. His vero ex Phisiologia præsuppositis, intelligimus Augustini de duplici animalium procreatione sublimem doctrinam: juxta quam fuerunt antea producta concreatis in aqua seminariis primordiis; postea progenita in tempore ab involucris primordialibus explicata. Facile etiam percipimus in hac sententia verba Eccles. cap. I. 10., *Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere, Ecce hoc recens est, jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos*: non quidem per circulum, & revolutionem Platonicam; sed quia principio omnia simul creata sunt in rationibus seminariis, quarum decisione aut permixtione generatio præterit & generatio advenit; atque (ut docet S. P. XII. de Civit. Dei c. XIII.) omnium rerum genera oriuntur & occidunt. Pari jure portentosum non est, quod plerique tanta admiratione suspiciunt, marinos pisces etiam in summitate montium generari: cum per meatus terræ, unde vapores maris ascendunt in verticem, etiam semina natatilium possint transmitti. Nam & sal inter montes, salsam aliquorum puteorum aquam, necnon plurimorum fontium scaturigines esse vicissim a mare, tradunt concordissime recentiores Philosophi. Quapropter spem propositam habeo, horum illustriores catervas magni Augustini placitis accessuras.

In operibus sextæ diei non morabor diutius; cum de homine proximo libro disputandum sit. terrestrium vero animalium, non aliter ac præcedentium, duplex est genesis, in semine, atque in hujus explicatione, seu visibili specie. Distinguit divina Scriptura v. 25. bestias, jumenta, & reptilia; atque hæc repetit, quoniam alia in aquis repunt, alia in terris: neque sunt aliud hi dies, quam diversæ Angelorum perceptiones, prius communem naturam noscentium, deinde substantiales materiæ formas. Jumenta dicimus, quæ vectando & arando nos adjuvant: bestias autem animalia reliqua, maxime corpore & feritate majora. Hæc nostra in primum Geneseos brevis rudisque expositio: sed, nisi nos animus fallit, Augustinianæ doctrinæ, & saniori insuper philosophiæ magis accommodata. Cetera esse in singulis Commentariis interpretum explicata & digesta, monitum est in principio.

CAPUT IV.

Paradisum corporeum fuisse locum, & in aliqua mundi plaga ab initio plantatum.

INTER res die tertia productas una cum plantis herbisque virentibus connumeranda est pars illa terrarum, in qua posuit Deus hominem creatum ad imaginem suam, videlicet Paradisus voluptatis. De quo oritur quæstio, an fuerit corporalis, & in qua mundi plaga constiterit, quibus etiam arboribus consitus & ornatus. In hac autem de Paradiso dissertatiuncula tribus positionibus tota quæstio extricabitur.

PROPOSITIO I. Paradisus erat felix innocentis Adæ habitaculum, & locus aliquis corporeus in Orbe terrarum.

Adversus Philonem & Origenem probatur I. Gen. II. 8. ubi legit Vulgata *Paradisum voluptatis*, habent Hebræi בְּעֵדֶן *Be-Heden*, & LXX. pariter *ἐν Ἐδὲμ*. Præfixum autem Hebraicum ב. est nota Chorographiæ, ut observarunt Eugubinus in Cosmop., Salianus principio Annalium, Huetius de Situ Paradisi cap. 2. & præ omnibus luculentissime in Grammatica Sacra Glassius Lutheranus. II. Idem demonstrat collatio locorum, in quibus de Heden fit sermo: Gen. IV. 16. *Ad orientalem plagam Heden*. Ezech. XVII. 23. *Haran, & Chene, & Heden negotiatores tui*. IV. Regum XIX. 12. *Haran, & Reseph, & filios Heden*. Priori enim loco constat describi terram, quam inhabitavit Cain, secundo & tertio homines certorum locorum habitatores. Isaiæ etiam LI. 3. legimus: *Ponet solitudinem ejus, quasi hortum Domini*, hebraice כְּעֵדֶן *Che-Heden*, sicut *Edenem*: quod transferre non possumus (inquit Huetius) *ponet desertum, ut voluptatem*. III. ostenditur auctoritate PP. Chrysost. hom. 13. in Genes. *Iccirco*, ait, *nomen loci scripturis inseruit beatus Moyses, ut non liceat nugari volentibus imponere simpliciorum auribus, & dicere nullum esse in terra Paradisum*. S. Basilius hom. de Paradiso: *Proditum memoriæ est, quo sit loco plantatus, &c.* S. P. Aug. lib. VIII. de Gen. ad lit. cap. I. *Paradisus, nihil aliud, quam locus quidam intelligatur, terra scilicet, ubi habitavit homo terrenus*. Vide & lib. de hæresib. c. 59. & epist. D. Hieron. ad Pamach. IV. Confirmatur ratione; quoniam neque Sacrarum literarum contextus, neque repugnantia aliqua nos cogit, ut Paradisum spiritaliter duntaxat accipiamus: sed e contra alia Scripturæ loca *Edenis* regionem nobis proponunt, neque contradictio aliqua apparet, si hortum voluptatis secundum literam exponamus.

Oppones: Cant. IV. 12. 13. Ipsa Ecclesia appellatur *hortus conclusus*, ac Paradisus; & Prov. 13. Sapientia dicitur *lignum vitæ*. Erit ergo Paradisus cœtus Sanctorum, in quo est lignum vitæ in sapientia & institutione Christiana; lignum scientiæ boni & mali, idest, propriæ voluntatis arbitrium;

bitrium; ligna alia fructifera, scilicet virtutes ac merita; & quatuor flumina terram irrigantia, quæ diffluunt ex uno fonte, hoc est, quatuor Evangelia sparsa per Apostolos in omnem Ecclesiam. Adde Paradisi nomen significare universaliter omnem locum, ubi feliciter vivitur, ut constat ex Lucæ capite XXIII. v. 43.

Resp. neminem negare Paradisum posse ἀλληγορικῶς ad res spiritales transferri; sed hinc non sequitur corporalem locum non esse. Non enim ideo putandum est non fuisse veras mulieres Agar & Saram, quoniam duo testamenta præfigurabant; nec Jerusalem in terris conditam, nec ullam petram a Mose percussam, quia illa cælestem gloriam, hæc Christum Dominum præsignabat. Ergo ex quo Paradiso comparetur Ecclesia, ligno vitæ sapientia mater omnium bonorum, & quatuor fluminibus quatuor Evangelia, minime infertur in Genesi locum aliquem corporeum non esse descriptum. Legite Augustinum lib. VIII. de Gen. ad lit. cap. 4. & XIII. de Civ. D. cap. 21. Pariter eadem vox hebraica *Heden* propria, & appellativa esse potest: nec male Vulgata reddidit hebraicum גַּן בְּ־עֵדֶן *Gan be-Heden*, hortum in Eden, *Paradisum voluptatis*. Nam idem habet Chaldaica Paraphrasis: & Symmachus transtulit *Paradisum florentem*, Tigurini *hortos delicatissimos*, LXX. v. 8. nomen proprium Ἐδὲμ retinuerunt, sed v. 15. substituerunt appellativum τρυφῆς, *voluptatis*. Idem ergo Paradisi nomen proprie significat hortum *Heden*, & appellative locum omnem, ubi animus jucunditate perfunditur.

PROP. II. Inter varias de situ Paradisi opinationes probabilior est illa, quam in Tabulis Geographicis tenet Augustinus Lubin Ordinis nostri asserens fuisse in amœna planicie supra præaltos vertices montium Armeniæ; si tamen potest de hac re certa proferri sententia.

Varias dixi Auctorum opinationes; nam Barcepha Syrus Paradisum locavit ultra Oceanum, Malvenda in India Orientali, Rabbini quidam in cœlo, atque inter nubes, Beroaldus Sectarius, & Clericus in Syria. Communior sententia est situm fuisse in regionibus, quas Tigris & Euphrates præterlabuntur, ut docent Pererius, Torniellus, Salianus. Grotius arbitratur consitum in Babylonia. Huetius, qui hanc quæstionem sedulo examinandam suscepit, in confluente Tigridis, & Euphratis, inter locum ubi hæc duo flumina junguntur, & locum quo iterum separantur, antequam in Persicum Sinum sese evolvant. Consentiunt Huetio Calvinus, & Scaliger. Etiam Pater Lamy in Apparatu Biblico Paradisum statuit in regione, quam abluunt illa duo fluenta simul juncta, & cui adhæret ab Oriente terra Chus, a meridie sinus Persicus, sive potius Arabia felix, ab Occidenta Chaldæa, a Septentrione autem Babylonia. Contendit Augustinus Calmet propius accedendum esse ad Armeniam, & ad scaturigines Tigridis & Euphratis, ideoque consitum Eden in superiori regione ad Orientem, antequam hæc duo flumina jungantur invicem. Appellit is ad sententiam clarissimi Augustiniani Cosmographi Augustini Lubin *Eden* locantis super altissimos montes *Ararat*, idest, Armeniæ, atque in eodem loco, ubi post diluvium arca requievit: nam Calmet loca omnia Paradiso finitima, & flumina inde erumpentia nobis ex Scripture nostro delineat.

Hanc postremam opinionem ceteris probabiliorem esse ex cap. 2. Geneseos ostenditur, ubi v. 10. habetur: *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita*. Situs ergo Paradisi erat ubi aqua erumpens regionem pomiferam irrigabat, atque inde fluenta quatuor celeberrima Phison, Gehon, Tigris, & Euphrates distrahebantur. At hæc regio nulla alia videtur, quam planicies opima letaxque inter montes Ararat, ex quorum radicibus diffluunt capita illa quatuor fluviorum. Nam Phison, quem recentiores Geographi Phasim appellant, ex montibus Armeniæ ducit originem Septentrionem versus percurrens, regionemque Colchidem rigat auro, gemmisque ditissimam, dictam Hevilah a filio Jectan, cujus Posteri in Armenia & Mesopotamia sedem habuisse creduntur. Gehon idem est Araxes ex montibus Armeniæ effluens in Caspium mare, fluctibus & rapido cursu sonans, quod significat hebraicum vocabulum גחון Gehon, inquit Calmet: vergit autem Araxes ad Orientem, irrigatque Æthiopiam, & regionem Chus finitimam Artaxatæ; nam duplex est Æthiopia, una cis, altera ultra æquatorem circulum; ut observarunt Sanson & Lubin. Fluit Tigris e montibus pariter Armeniæ, & labitur ad meridiem per Assyriam, eamque a Mesopotamia dividit. Euphrates e montibus Ararat ex parte Occidentis erumpit, alluit a dextera Armeniam minorem & Siriam, a sinistra majorem Armeniam & Mesopotamiam, & flectens ad meridiem sese in Tigrim effundit, & communi alveo in Persicum sinum evolvitur. Igitur Planicies montibus Armeniæ circumvallata sita est in medio quatuor fluminum: hæc ex aquis illam irrigantibus & terræ meatus pervadentibus ad radices montium scaturiunt, ideoque extra hortum voluptatis dispescuntur; his denique ex omni prorsus parte, ut instituti erat Mosis, natura situsque Paradisi voluptatis describitur.

Demonstratur etiam in hac sententia, quo pacto terra Haran & Chene sit finitima regioni Hedenis; nec ab ea procul distent Gozan, & Haran, & Resph; ut legimus Ezech. XXVII. 23. & Isaiæ XXXVII. 12. nam Haran & Chene spectant ad plagam australem Mesopotamiæ: Gozan ad regionem sitam in confiniis Armeniæ, & Mediæ: Resph in Thalassar: quæ loca omnia non procul a montibus Armeniæ dissita sunt. Sed hæc quadrare etiam possunt sententiæ Huetii, & eorum qui Paradisum collocant in Mesopotamia, & in confluente Euphratis.

Hæc tamen non plane esse certa constat. I. Ex tam variis opinionibus supra recensitis. II. Ex Patribus, qui locum Paradisi a cognitione hominum remotissimum esse tradunt: ita enim docent Tertullianus cap. 47. Apologetici, & S. P. Augustinus VIII. de Gen. ad lit. cap. 7. III. Ex D. Thoma, cui subscribunt Greg. de Valentia, Delrius, Nat. Alexander, Juenin, &c. IV. Ex fluviis Phison, & Gehon, quos veteres tradiderunt esse Gangem & Nilum, ut sentit etiam loco cit. Augustinus. V. Ex ratione; flumina enim complura, quorum antiqui Scriptores fontes commemorant, nunc in longe dissitis regionibus erumpunt, ut Alpheus juxta Plinium, & Pausaniam. Experiamur nihilominus an superior sententia validum habeat adversus ceterarum argumenta præsidium.

Audiendus principio Cl. Episcopus Abrincensis, qui Paradisum consitum tenet ad fluvium, quem appellitant Arabum, productum ex confluente Tigridis & Euphratis, priusquam in mare Persicum se præcipitent. Quod demonstrat pluribus argumentis, quæ possunt ad hanc summam contrahi. I. Paradisus ad Orientem fuisse respectu Arabiæ, ubi Moses creditur scripsisse Genesim, demonstrat hebræa vox מִקֶּדֶם *Mikkedem*, utramque & tempus & locum significans, idest, *in principio*, & *ad Orientem*. Atque hoc postremo sensu aliis in locis usurpatur a Moyse. Est autem Arabia loco delineato ab Huetio occidentalis, & idcirco Paradisus consitus ad Orientem. II. Ea verba Gen. *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum*, significant quod fluvius ex Provincia Eden profluebat in Paradisum; quoniam tam latinum *egrediebatur*, quam græcum ἐκπορεύεται, hebræumque יֹצֵא cursum fluentis indicant, non *fontem*; hic enim propriis vocabulis poterat declarari. III. Falluntur, qui putant fluvium egredientem de terra Heden dividi in quatuor magna fluenta; cum *capita* dicantur brachia, & rami confluentis ejusdem, & Phison quidem occidentalis, Gehon orientalis. Quod præter regionis positionem conjicitur ex eo quod Moses primo Phison nominavit, nam alveus occidentalis est Arabiæ Petrææ magis proximus. Convenit & nomen Phison a פוש *Pusc*, quod est circumfluere & augeri; item terra Havilah huic adjacens; aurumque Arabiæ, & pretiosi lapides Persici: tandem agrorum ubertas etiam a Curtio, ceterisque Topographis celebrata.

Sed facilis est ad hæc omnia responsio. Ad primum enim concedimus hebraicam vocem *Mikkedem* significare sæpenumero plagam Orientalem: sed Armenia Arabiæ Petrææ Orientalis dicitur, quamquam vergens paullulum ad Aquilonem; cum omnis regio Transeuphratæa ad Orientem sita dicatur. Præterea *Mikkedem* juxta literam potius significat *a latere Orientis*, quam in Oriente, ut cap. III. fatetur Huetius: id vero magis montibus Ararat collineat, quam confluenti Euphratis. Addo Gen. II. 8. *Mikkedem* omnium fere Versionum, præsertim Græcarum ac Latinarum testimonio vertendum esse *a principio*; cap. autem IV. 16. קדמת *Chidmad*, ad plagam Orientalem. Ad Orientem ergo habitavit profugus Cain; sed utrum ad Orientem consitus fuerit Paradisus, Scriptura non loquitur. Ad 2. dicimus in ipso loco voluptatis fuisse fontem uberrimis aquis profluentem, & his hortum fuisse irrigatum; aquam vero diversas Paradisi partes subiisse, atque ex ejus scatebris quatuor flumina promanasse: nam hæc duntaxat extra Paradisum dividi Scriptura testatur. Ille autem fons erit forte tempore diluvii deperditus; unde legimus, quod *egrediebatur*, tamquam de fluente a priori scaturigine jam divulso dum Moses hæc literis consignaret. Atque ita cursum aquarum in Paradiso, atque ex his quatuor fluminum scaturiginem plano, obvioque sensu describimus. Ad 3. nemo inficias ibit ראש *Rosc*, *caput*, aut *initium*, aut *primum* ac *præcipuum*, aut *eminentiam* quandam præsignare. Quomodo ergo Phison & Gehon, si brachia sunt & rivi unius confluentis, *capita* nuncupantur? Si diversa flumina sunt Tigris & Euphrates; quare non Phison, & Gehon? Quatuor enim *capita* dicuntur, non duo. Adde olim Tigridem & Euphratem separatis alveis intervallo XXV. milliariorum in mare Persicum influisse, ideoque nec productum ab his confluentem. Neque obstant Huetianæ conjecturæ: quippe Moses undique Paradisum describit, & flumen magis remotum primo commemorat, postremo Euphratem, quasi ob oculos situm, notissimumque. Hinc ceterorum omnium cursum demonstrat: & de ultimo fluvio proximiori, ait tantummodo: *Quartus ipse est Euphrates*. Phasidem aquarum copia, & plurium fluminum vectigalibus tumidum exhibet nobis Cosmographia. Illi propterea convenit nomen פִּישׁוֹן *Phison*, & quod huic affine est, *Phasis*, a radicali פשה *Phasa*, *crescere*, & *augeri*. Colchidem auro, gemmisque abundare scribunt Strabo, Plinius, & alii:

& alii: & hanc esse terram Hevilath, docet Moullart Sanson; cui libentissime subscribimus, inquit Lubin. Eam *Phasis* longa periodo circuit; quod asseritur cap. 2. v. 11. Genesis; nec potest convenire Phisoni Huetiano; qui, ut divellitur a Gehone, in sinum Persicum profluit. Terra denique magis est frugifera & ferax inter Tigrim & Euphratem, solo per venas aquarum resudante, quam inferiori ad mare Persicum regione: atque hoc asserit Curtius lib. v. Plinius XVIII. 17. & Dionysius Periergetes apud Grotium in caput II. Genes. Fuerit ergo Paradisus in Babylonia, ut scribit idem Grotius ad Ezechielis tertium ac vicesimum? Non minor est agrorum ubertas in Mesopotamia, ubi oves dicuntur bis parere. Postrema itaque ratio potest singulorum placitis accommodari.

Qui arbitrantur Paradisum fuisse consitum in India, his momentis ducuntur. I. Inquiunt hanc regionem esse respectu universæ terræ Orientalem. II. Ibidem optimum aurum adinveniri. III. Phisonem præcipuum Paradisi fluvium omnium veterum testimonio esse Gangem.

At hæc sunt facilioris solutionis. Omnes quippe Provinciæ Palæstinæ Orientales in sacris literis *Oriens* nuncupantur, Media, Arabia, Persis, Moab, &c. Vide Ezech. XXV. 4. Esaiæ II. 6. Matth. II. 1. &c. Aurum, tametsi in magna copia nascitur apud Indos, scatet purissimum, atque uberrimum etiam in Colchide. Ganges nimis distat a Tigride, & Euphrate, ut possit effluere ex uno fonte, quantumvis explicato ac diffuso. Potuit ergo a Patribus appellari Phison propter aquarum ubertatem; quemadmodum Nilus Gehon, omnisque aquarum ductus exundans, & agros mollitos, & oblimatos relinquens, Nilus dicitur. Verum appellativa nomina ista sunt, & Moses propria conscripsit. Ita potuit Tigris ab aquarum gurgitibus nomen habere Pisitigridis, & Gihonis; quorum primum occurrit apud Curtium, alterum frequens est in Persica Historia: & tamen quatuor divisa capita fluminum Auctores collocantes Paradisum in India nequaquam denegant. Phison ergo & Gehon magna quæque flumina indiscriminatim possent appellari; licet proprie ille sit Phasis, iste autem Araxes.

Constituentes Paradisum in Mesopotamia, aut citra Euphratem asserunt hanc regionem sitam esse ad Orientem Palæstinæ, proximam Euphrati, ibique olim habuisse sedem posteros Adæ, eo enim illos trahebat amor natalis soli. At frustra illic quærerent quatuor capita fluminum, etiamsi daretur Phisonem & Gehon esse duo brachia Euphratis: quamvis in Mesopotamia duo possint designari Tigris ad Ortum, & Euphrates ad Meridiem, & Occidentem. At Patriarchæ tam Mesopotamiam, quam Assyriam, & Babyloniam incoluerunt: & verisimilius est omnes ab ingressu Eden fuisse prohibitos, antequam diluvio universali (ut contigisse arbitramur) dissiparetur. Ceterum Mesopotamia habet ad Aquilonem montes Armeniæ: eosque a longe spectare poterat Adam, si placeat hujus regionis fuisse colonum. Tantum itaque loco super vertices illorum montium characteres omnes Paradisi conveniunt: oriuntur ex eorum radicibus Phasis, Araxes, Tigris, & Euphrates: abluuntur ab his regiones notatæ a Mose: sunt illic irrigui ac fertiles agri; nec deest loci sublimitas, quam exaggerant Patres, Basilius maxime, & Theophilus in II. ad Autolycum.

PROPOSITIO III. Inter Paradisi arbores duæ præsertim considerandæ sunt, lignum vitæ, lignumque scientiæ boni & mali.

Ita enim II. Geneseos v. 9. Lignum vitæ dicitur usitatissima hebraica phrasi ad demonstrandum effectum, quoniam Dei institutum hominem integrum & incolumem conservabat. Legimus eodem sensu *verba vitæ* Joan. VI. 68. *Spiritum Sapientiæ* Esaiæ XI. 2. *Disciplinam pacis* LIII. 5. & alia permulta. Largiebatur quippe hæc arbor *stabilitatem contra vetustatem*, ait S. P. de peccatorum meritis cap. 3. Disputant Interpretes num hæc vivifica arbor efficaciam reficiendi senectutem haberet naturaliter, an beneficio Creatoris. S. P. Augustinus lib. XIII. de Civit. Dei cap. 20. de primorum parentum immortalitate disserens, *Qui status*, inquit, *eis de ligno vitæ, quod in medio Paradisi cum arbore vetita simul erat, mirabili Dei gratia præstabatur*. Eadem repetit de peccatorum meritis cap. 21. & in VIII. de Gen. ad lit. cap. 5. Sunt nihilominus, qui hanc virtutem ligno vitæ naturalem fuisse defendunt, propterea quod cap. III. 22. dicitur Adam ejectum de Paradiso, ne comederet de ligno vitæ, & viveret in æternum. Pater Calmet opinatur mentem esse Augustini, quod virtus beneficæ arbori indita ne mortalia corpora veterascerent, gratiæ deputetur, eo quod Deo Creatori esset referenda; quod satis est, inquit, ut Augustinus supernaturalem judicaret. Sed certissima duo sunt: primum, immortalitatem primi hominis non fuisse illi naturaliter debitam; alterum, lignum vitæ non potuisse hominem præservare nisi ad determinatum tempus, si nullam virtutem habuit præter insitam ac naturalem. At de immortalitate primi hominis sequenti libro.

Arbor scientiæ boni & mali appellata est, non quod ei inesset vis acuminis ingeniique conferendi, ut vult Josephus lib. I. Antiquit., sed propter experientiæ consequentiam. Primus enim homo comedendo illius arboris fructum, *per experimentum pœnæ didicit, quid interesset inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum*, ait S. P. cit. libro de Gen. ad lit. cap. 6. Fuit autem arbor hæc interdicta, *non quia ipsa erat malum, sed propter commendandum puræ & simplicis obedientiæ bonum, quæ magna virtus est rationalis creaturæ sub Creatore Domino constituta*: inquit idem Augustinus libri XIII. de Civit. Dei capite vicesimo. An fuerit arbor mali, an ficus, an cerasi incertum omnino est, nec in præsentiarum disquirendum.

CAPUT V.

Aspectabilem Mundum non esse Deo coæternum, sed procreatum in tempore.

BREVES erimus in hac quæstione, cum illam etiam Philosophi ad sua jura transtulerint. Sempiternum mundum existimarunt Aristoteles & complures Platonici: sed jam conveniunt omnes, nec mundum, nec creaturam aliquam esse Deo coæternam. Nonnulli tamen illud divinæ tribuunt virtuti, ut potuerit universum, saltem quoad permanentes substantias, ab æterno producere. Habet ergo quæstio duas partes; una ad perfectam hujus Universi conditionem pertinet: altera ad possibilem.

PROPOSITIO I. Non præterierunt infinita durationis rerum creatarum spatia, ut quidam veteres Philosophi commenti sunt; sed omnia fuerunt a Deo condita in tempore.

Sacris literis ac ratione probatur. Erat enim Sapientia Patris *antequam terra fieret, & nondum erant abyssi, & jam concepta erat; necdum fontes aquarum eruperant, nec montes gravi mole constiterant*, ait Auctor Proverb. cap. VIII. 23. &c. Non sunt ergo creaturæ Deo coæternæ: sed creatæ *in Principio* temporis, ut habetur initio Geneseos. Vox quippe Hebraica בראשית *Beresith* significat quamcumque temporis, aut loci, aut operis inchoationem: & durationis primordium Chaldaica בְּקַדְמִין *Bechadmin*. Accedit definitio Lateran. Concilii sub Innocentio III. cap. 1. declarantis creaturam spiritualem & corpoream *ab initio temporis* esse conditam.

Idem ostendunt physicæ ac morales observationes. Physicæ quidem: nam cum pluviæ e montibus ac rupibus continuo arenam glebasque corrodant, quas transferunt in planiciem, vel proximiora litora maris, atque, ut ait V. libro Lucretius,

Pars etiam glebarum ad diluviem revocatur,
Imbribus & ripas radentia flumina rodunt;

si mundus ab æterno constitisset, neque imæ darentur valles, neque juga & vertices montium; sed illæ forent oppletæ terræ lapillorumque congerie, hi vero æquati solo, & in planum redacti. Moralis autem conjectura hæc est. Cum ab hinc retro nondum sex annorum millia de excellenti rerum gestarum memoria supputare possint historiæ, quis non hinc existimet mundum aliquando cœpisse, nec longam esse ejus ætatem? Cur (inquit lib. II. in somnium Scipionis Macrobius) per innumerabilium seriem sæculorum non fuerat cultus, nec quo utimur inventus literarum usus, quo solo memoriæ fulcitur æternitas? cur multarum rerum experientia ad aliquas gentes recenti ætate pervenit? Vide citati libri caput X. Recurrunt Adversarii ad rerum vicissitudines & commutationes; quas Macrobius ipse repetit ab igne, alii a diluviis, quæ mundum labefactaverint, & vetera historiarum rerumque absumpserint monumenta. At vicissitudines illæ aut omnium plane hominum cladem exitiumque intulerunt; aut aliquorum tantummodo. Si universum humanum genus deletum est; quisnam præteritam universorum cladem nuntiavit? Quod si aliquæ tantum nationes perierunt sive naufragio, sive incendio: jure petimus, cur servati ab interitu homines innumera præteritorum sæculorum millia numerare non possint literis ac monumentis vetustissimis consignata, neque ante apparuerint artes, scientiæ, bella, tantaque Philosophorum ac poetarum ingenia? Ergo initium mundi demonstrant sacræ literæ, & physicæ ac morales ratiocinationes.

RESPONSIONES AD OBJECTA.

Ducebantur gentiles Philosophi his argumentis. Si mundus non sit æternus, duos execrabiles errores consequi necessum est, nempe Deum esse mutabilem, & ab actione in actionem transire, ceu mortalem: atque tempus factum fuisse in tempore, vel antequam tempus extiterit, cum sit una cum cœlo generatum, ut inquit Plato. Præterea non potest in animum cadere, ut tanta, quæ mundum antecessit, æternitate Deus mundi creationem distulerit; ut enim arguit Proclus, cur Deus infinito tempore fuisset otiosus? num ignarus creationem futuram esse meliorem? At id quidem absurdum est. Si non ignarus; quare non prius est operatus? Denique: In anteriori æternitate Deus vel non fuit, vel dormiebat, vel vigilabat, vel horum neutrum. Primum est absurdum, est namque Deus sempiternus. secundum quoque nulla ratione stat, quoniam æternus somnus non cadit in Deum. Si vigilabat, aut beatitudine fruebatur, aut non. Hoc postremum efficit, ut Deus seipso beatus non sit, quod implicat. Quod si beatus erat & pulchre degebat ævum, rerum novarum molitione delectari non debuit.

Ad primum itaque dicimus mutationem ejus esse, quod est in potentia; nam & Aristoteles definit motum *actum entis in potentia*. In Deum ergo nulla cadit mutatio, sed

hæc

hæc est solius termini vel effectus: veluti cum per calorem solis aliqua corpora calefieri contingit, nulla in sole, vel calore ejus mutatio fit, quamvis immutetur res calefacta, inquit lib. 3. Introduct. cap. 6. Abaelardus. Purissimus quippe actus Deus est, nulla potentialitate permixtus. Neque enim humano more discurrendum est: *Si æterna est operatio ex parte efficientis caussæ, quare sempiternus non est effectus?* Id enim provenit ex ipsa caussæ ac termini conditione. Nam illa nullo agit animi aut corporis motu, sed incommutabilis est, & stabili ratione operatur, & cum sit perfectissima, libertate carere non potest; quælibet autem mutatio non est sine corporis aut animi agitatione; neque summa libertas stat cum necessitate. Icciroo utrumque in sempiterna caussa salvari debet, incommutabilitas absque transitione de actu in actum, & indifferentia comparate ad terminum vel effectum. Hic natura sua mobilis est aut animo aut corpore, aut utroque; & consequenter nequit esse immutabilis & necessarius. Ad argumentum Aristotelis dicentis fieri non posse, ut mundus sit productus in tempore, nisi tempus præexistat, dicendum est mundum creatum in tempore, quatenus habuit initium propriæ durationis, & semper potuit excogitari aliquod antecedens momentum, in quo non fuerit; quod verificari nequit de re sempiterna. Tempus enim, quod pendet a rerum corporalium mutatione fuit una cum ipsis productum: neque potest rerum proprietas illarum conditionem præcedere.

Quod opponit Proclus facili responsione diluitur. Nulla quippe creatura existente, cujus mutabilibus motibus tempora peraguntur, tempora omnino esse non possunt. Legite Augustinum lib. XII. de Civ. Dei cap. 15. & XI. Confess. cap. 12. & 13. Ipse Plato in Timæo hæc de æternitate scripsit: *Dicimus de illa est, erat, & erit; sed illi revera solum esse competit. Fuisse vero & fore deinceps ad generationem tempore procedentem referre debemus.* Hæc Plato, aliaque ad rem nostram aptissima, quibus ostenditur divinam substantiam neque seniorem fieri, neque juniorem, nec fuisse, nec futuram esse, nec recipere eorum quidquam, quibus creata subjiciuntur, sed perseverare semper immutabiliter. Cum ergo non fuerit aliquod tempus priusquam Deus condidisset cælum & terram: cur dicitur per antecacta tempora ab opere cessasse? quid quæritur quid tunc faciebat? *Non erat tunc, ubi non erat tempus*, ait memorato loco Augustinus. Atque his Proclo, cæterisque Platonicis satisfactum iri confidimus.

Consimile est argumentum ultimum verbis Plutarchi propositum: cui reponimus, Deum perpetuo vigilare, ac beatissimam vitam ducere, neque novam aliquam ex rerum creatarum molitione percipere delectationem. *Fas non est credere* (ait S. Pater lib. XII. de Civit. Dei cap. 17.) *aliter Deum affici cum vacat, aliter cum operatur; quia nec affici dicendus est tanquam in ejus natura fiat aliquid, quod non antea fuerit. Patitur quippe qui afficitur, & mutabile est omne quod aliquid patitur. Non igitur in ejus vacatione cogitetur ignavia, desidia, inertia, sicut nec in ejus opere labor, conatus, industria.*

PROPOSITIO II. Videtur probabilior illorum sententia, qui arbitrantur mundum, seu creaturam aliam non potuisse condi ab æterno.

In hac siquidem conspirarant PP. contra Arium disputantes, hoc argumento probantes divinitatem Verbi: Quod est æternum nequit esse creatum: Verbum est æternum; Ergo verbum creatum esse non potest. Neque nobis satisfaciunt quidam Scholastici reponentes, Patres adversus Arianos argumentari *de facto*: nam hæc responsio pluribus momentis eliditur. Ac primo S. Athanasius in 2. contra hæreticos illos disputatione ait: *Tametsi Deus possit semper facere, at res creatas æternas esse, non potest: quippe ex non extantibus fiunt, & non erant antequam fierent. Quæ autem non sunt antequam fiant, quinam poterant cum Deo, qui semper est, existere?* In quibus proculdubio Athanasius non de eo, quod reipsa factum est, sed eo, quod potest fieri, instituit disputationem. Neque de æternitate *participata* ac mutabili potest commode exponi; cum non semel doceat esse in tempore productum ita rei creatæ competere, ut ei nequaquam convenire possit semper fuisse. *Proprium est* (inquit Orat. III. contra Arianos) *creaturarum & operum non esse antequam fiant, & ex non extantibus subsistere.* Docet præterea in Epist. ad Africanos notas divinitatis esse *vim creandi, æternitatem, & immutabilitatem: quae* (inquit) *creaturæ habere non possunt.* Quemadmodum ergo virtus creandi & immutabilitas nequeunt rebus creatis convenire, ita neque æternitas: idaoque æternitas illa *participata* commentum Scholasticum est, pugnans cum rerum creatarum natura; quarum proprium est fieri ex non extantibus, & consequenter non fuisse aliquando. Ad hæc: Methodius Martyr in libro contra Origenem ait: *Impossibile est id quod initio productionis est circumscriptum, atque sui termino carere.* Methodius vero necessario intelligendus est de æternitate *participata*, quam mundo assignabat Origenes: ut demonstrat Petavius tom. 5. Theolog. Dog. lib. XII. cap. 6. ubi plura ad hanc rem satis idonea. Denique quomodo poterant Patres argumentari contra Arianos *de facto*, cum inter hæreticos illos plures fuerint, qui aliquas creaturas æternas assererent commenti ex Schola Platonicorum æones ac demiurgos?

Neque ex sola oppugnatione hæresis Arianæ veritas Propositionis monstratur, sed etiam ex confutatione dogmatum Aristotelis. Quomodo enim Lactantius lib. VII. de Vita beata cap. 5. probat adversus hunc Philosophum Mundum non extitisse ab æterno? *Quia* (inquit) *quidquid est productum, necesse est aliquando habuisse principium: nec omnino quicquam potest esse, nisi experit.* Justinus pariter Confut. 31. idem demonstrat hoc argumento: *Omne quod fit, antequam fieret non erat: non igitur æternum, & principii expers tempus est.* At hæc adversus errores Philosophorum essent prorsus vana & futilia, si aliquid simul productum esset, & particeps æternitatis.

Advertenti ad rerum ideas magis magisque hæc veritas suadebitur. Idea creationis est, quod per illam res producantur ex nihilo: si ex nihilo, ex non extantibus: si ex non extantibus, necesse est, ut aliquando non fuerint: si hoc necessarium est; ergo repugnat res productas esse ab æterno. Atque ex hoc principio Patres Arianam hæresim vellicant, frangunt, evertunt. Idea temporis est, quod mutabilitate transcurrat, & sit mensura quædam vitæ & operationis creaturæ habentis prioris & posterioris discrimen: in sola enim veritate, quæ manet, præteritum aut futurum non invenitur. Vide S. P. Augustini Tractatum octavum & tricesimum in Joannem. At creatura nequit subsistere, nisi mutabiliter. Ergo duntaxat in tempore habere potest extantiam. Idea denique creaturarum exhibet menti nostræ substantiam finitam, qua semper cogitari potest perfectior; alias non repugnaret creatura perfectissima atque infinita. Igitur data quacunque duratione rei ab alio productæ, necesse est ut alia semper major possibilis percipiatur, alioqui foret ipsa immutabilis Dei existentia. Posita autem creatura ab æterno, quænam diuturnior, ampliorque duratio percipi poterit? Sunt reliqua apud Philosophos pervulgata.

AD EA, QUÆ OBJICIUNTUR, RESPONSIO.

Sententiam oppositam quidam acerrime propugnant propter ea, quæ sequuntur, argumenta. Principio affirmant Dei æternitatem esse undequaque immutabilem, cum quantum spectat ad durationem & vitæ perennitatem, tum ad operationem ac perfectiones reliquas. Est enim interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. At creatura quæ ab æterno consisteret, foret quidem vitæ interminabilis, sed non haberet perfectissimam vitæ suæ possessionem, operatione nova præteritis succedente. Quare Philosophi qui aut mundum, aut materiam fecerunt æternam, nequaquam Deum hæc existimarunt: quoniam *aliud est per interminabilem duci vitam, quod mundo Plato tribuit; aliud interminabilis vitæ totam pariter complexam esse præsentiam:* inquit Boetius de Cons. lib. v. Prosa 6. Igitur non implicas creaturam esse ab æterno; quoniam ejusmodi æternitas, utpote mutationi obnoxia, non est divinum illud attributum incommunicabile rei creatæ. Insuper: ex quo Deus habebat solus immortalitatem, ut in 1. ad Tim. scribit Apostolus, non consequitur rationalem animam non esse immortalem: sed duplex distinguenda immortalitas est, permanens & incommutabilis vita, Dei propria; & vita interminabilis spiritualis substantiæ, quæ sua mutatione peragitur, cum possit scientia & caritate deficere atque proficere, necnon a primæ caussæ voluntate arbitrioque dependeat. Pari jure videtur distinguenda duplex æternitas, prima, & secunda; sive participata, & tota simul existens. Deus præterea ab æterno erat omnipotens, & mundus ab æterno erat possibilis: nulla ergo emergit repugnantia, sive spectetur virtus causæ, sive conditio effectus, in creatione mundi ab æterno. Tandem si sol extitisset in æternitate, lucem perpetuo effudisset: aut si pes, semper potuisset imprimere vestigium in pulvere: & nihilosecius distingueretur lux a sole, & vestigium a pede. Ita, &c.

Resp. duplicem esse æternitatis characterem, unum quod careat principio & fine, alterum, qui ex priori consequitur, quod sit immutabilis: nam, ut scribit Plato in Timæo 2. *quod ortum non habet, & semper est, procul debet esse ab omni temporis vicissitudine.* Hujus rei & nos rationem protulimus: quoniam nisi detur primordium temporis, cogitari non potest initium durationis mutabilis. Igitur Philosophi, qui mundum constituebant sempiternum, etsi non ei tribuebant oretenus sublimiorem illam æternitatem, quæ nulla transitione peragitur, ut sapienter animadvertit Boetius, hanc tamen mundo tribuebant reipsa, & consequentiæ necessitate: merito refellendi, quia docebant quæ rationi quoque adversantur. Profecto immortalitas creaturarum non tollit essentiam, quam destruit æternitas: debent enim res creatæ fieri ex nihilo, atque ex non extantibus, ut demonstratum est supra. Neque tenetur Deus creaturam omnem redigere in nihilum, tametsi istud efficere possit: at debet quamlibet creaturam principio producere ex nihilo, quoniam ratio creationis hoc postulat. Intelligimus etiam creaturam mutabiliter agere vitam, quamvis non moriatur, sicuti videmus hominem ambulare, etiamsi moveri persistat: at non percipitur initium mutabilis vitæ, nisi sit primordium alicujus temporis, quemadmodum non videmus inchoari ambulationem vel cursum, nisi intueamur principium motionis.

tionis. Sunt enim tempus & vita rerum mutabilium prorsus synonima, non minus ac deambulare & moveri. Duplicis ergo æternitatis distinctio comparari nequit cum duplici Immortalitate: qua de re vide superiorem de Angelis dissertationem capite tertio. Nec ad rem est exemplum solis, & pedis imprimentis vestigium, adhibitum a Platonicis, ut refert S. P. Augustinus in x. de Civit. Dei cap. 3. Etenim tria possunt esse simul cum sua caussa: proprietates quæ sunt veluti complementum substantiæ, ut lux est simul tempore cum sole: modificationes, quæ non sunt res per se subsistentes, neque, ut Philosophi loquuntur, absolutæ *entitates*, ut umbra corporis, splendor solis, excavatio pulveris premente pede, & denique simul sunt quæ eamdem habent substantiam, & unum est principium alterius, sicut divinæ Personæ. Cum itaque creatura neque sit Deo consubstantialis, neque proprietas aut modus divinitatis, consequens est non potuisse produci ab æterno. Præclara est hac in parte doctrina Zachariæ Mytilenæi apud Petavium memorato capite vi. num. 6. Vide & Purchotium Exercit. Ontolog. disput. iv. sect. 2. quæst. i. Ab æterno denique esse omnipotentem, ac mundum possibilem nemo ignoret: ac potuit condi creatura quocunque momento distributive accepto; sed quodcunque pro mundi productione designetur, debet ab aliis in infinitum anteverti, alias æternitas non esset infinita, & posset certis intervallis exhauriri & expleri. Atque idem dicendum est de potestate semper agendi in æternitate, quam appellitant *a parte post*. Sed eam provinciam non suscepimus, ut de Philosophicis prolixe, & cumulate dicamus.

CAPUT VI.

Mundi natale ad æquinoctium vernum, non ad autumnum probabilius referri.

EGIMUS de mundi in tempore productione, & refutavimus veterum quorumdam de ipsius æternitate commenta. Sequitur, ut inquiramus quo anni tempore Deus tam præclarum opus molitus sit, an ineunte vere, an autumno; nec enim de hyeme qui id sentiret repertus est hactenus. Æstate mundum cœpisse existimarunt Ægyptii, quorum opinionem propugnavit in Methodo demonstrationis temporum Gerardus Mercator: at nullum antiquiorem Patronum habet vel Judæorum, vel Christianorum, hæc Ægyptiorum opinio. Autumno mundum creatum docuerunt Talmudistæ in Gemare Aboda, Rabbi Eliezer, Cabbalistæ, Lyranus in cap. vii. Gen. Tostatus q. xxi. & cap. xiv. Defensorii, Picus Mirandulanus, & post Adrianum Junium, & Scaligerum, Usserius, Vallemontius, Natalis Alexander, & recentiores Chronologi fere omnes; qui etiam mundi Natali plenis calculis diem assignant tertiam ac vicesimam Octobris anni Periodi Julianæ 710. In æquinoctio tamen verno productum mundum major pars Sanctorum Patrum affirmat, nec dissentiunt veteres Rabbini, ex quibus R. Josue idem statuit. Theologi quoque innumeri idem tradiderunt, imo & Novatores hoc studiorum genere clari, Gerardus Vossius, Jacobus Cappellus, Eduardus Simsonius, aliique innumeri. Veteres Historicos in hanc sententiam conspirasse liquet ex libro ii. Diodori Siculi; de alus Scriptoribus Gentilitatis, videndus Rhodiginus i. p. variarum lectionum. Etiam Astrologi signa Zodiaci ab Ariete constantissime ordiuntur; & assentiuntur Poetæ, quorum inter Latinos clarissimus ii. Georgicon libro ait:

Non alias prima nascentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim. Ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri.

Ex quibus constat validiorem fore sententiam illam, si auctoritate pugnandum sit. Videamus ergo, num jure sit ab hodiernis temporum Censoribus repudiata.

PROPOSITIO. Verno tempore, non autumnali Deus mundum condidit.

Hæc thesis primo probatur ex eo, quod Gen. i. ii. Deus jusserit germinare terram herbam virentem, & proferre ligna pomifera secundum genus suum. Atqui herba germinat verno tempore, & tunc plures plantæ fructus proferunt; cum autumno nullæ germinent aut florescant, ac fruges & fructus omnes, die præsertim vigesima tertia Octobris, collecta sint. Videtur ergo Scripturæ magis consentaneum primordia mundi in verno tempore constituere. Atque argumentum istud non una ratione confirmatur. Prima est, quod si nulla arbor initio temporis germinasset ac floruisset, non tam pulchrum, & visui delectabile fuisset Paradisi, & vicinorum locorum spectaculum. Deinde multæ arbores, illæ nempe, quæ maturescunt vere aut æstate, aspectui primorum parentum se tamquam infructuosas ac steriles obtulissent: cumque post autumnum singulæ flores deperdant ac moriantur, plurium Adam prius vidisset superveniente hyeme ariditatem, quam germen floremque. Præterea fuisset principium anni dum incipit dominari illuvies soli, cœli squalor, nox longior & atra, rerumque omnium interitus. Contra si mundi nativitas accidit verno tempore, conspexerunt Protoparentes in aliis plantis florum venustatem, in aliis ubertatem fructuum, in singulis fertam opimamque fecunditatem: exhibuerunt se Paradisi viciniæ florescentes simul & frugiferæ: apparuerunt fructus omnium arborum ante hyemem; & annus incœpit eo semestri, quo dies noctibus sunt longiores, regnumque obtinet splendor lucis, agrorum fertilitas, hortorum amœnitas, rerum omnium generatio, & conferta messis herbarum, florum, & fructuum.

Secundo probatur Sanctorum Patrum auctoritate. Inter quos Cyrillus Catech. xiv. ait: *Aprili enim mense instante jam ver est reliquum. Quod tempus est hic mensis apud Hebræos primus, in quo festum Paschæ prioris erat typica, nunc autem est vera. Hoc tempus est creationis mundi; tunc enim dixit Deus, Producat terra herbam virentem.* Ambros. lib. i. Hexam. cap. iv. *In hoc ergo principio mensium cœlum & terram fecit: quod inde mundi capi oportebat exordium, ubi erat opportuna omnibus verna temperies. Unde & annus mundi imaginem nascentis expressit, ut post hibernas glacies, atque hiemales caligines, serenior solito verni temporis splendor eluceat.* Theodoretus quoque in Exodum q. xxii. inquit: *Eodem tempore Deus creaturas condidit: cui rei fidem facit arborum germinatio. Incipiente enim vere prata florere solent, segetes semina concipiunt, arbores fructum emittunt.* Atque ut alios omittam Damasc. lib. ii. de Fide Ortod. cap. vii. *Per solem quatuor temporum versiones constituuntur: & prima quidem verna est: in ipsa enim Deus fecit universa.* Vide ceteros Patres apud Salianum Annal. i. & Gerardum Vossium in Isagoge Chronolog. diss. ii. cap. vii.

Tertium argumentum suppeditat nobis conceptio & passio Christi. Ipse enim non incongrue naturam induit servilem, & Crucis patibulum subiit octavo Kalendas Aprilis, recurrente tempore, quo populum Israel liberavit de Ægypto: sed eo consilio Salvator mundi hæc omnia peregit, ut figuræ responderent rebus, & homo repararetur eodem tempore, quo fuerat plasmatus. Flocci faciunt argumentationem illam Recentiores, neque memorata die Christum cruci suffixum fateri volunt: sed alibi dabo operam, ut quisque percipiat etiam recentium miraculorum luce, quam immerito Patrum traditio observationibus Astronomicis fuerit explosa. Nunc missa de anno ac die Passionis Christi, & conceptionis perplexa disputatione, non homo quispiam negaturus est verno tempore Christum Redemptionis opus explesse. At Patres eadem tempestate mundi ortum & reparationem statuerunt. *Ut omnia* (verba sunt Augustini qq. ex novo Testam. 54.) *se voluntate Patris recte condidisse doceret, tunc voluit passione sua mundum redimere, & reformare, quando eum & creaverat, idest in æquinoctio, &c.* Eadem docent Ambrosius & Cyrillus locis laudatis, atque serm. ix. de Passione Domini Magnus Leo.

Argumentum iv. istud erit. Abjiciunt aliqui sententiam nostram, propterea quod Moses omnium primus præcepit ut Hebræi annum supputarent non a mense Tisri, qui ex parte respondet Septembri, ex parte autem Octobri, uti ad ea usque tempora consueverant; sed a mense Nisan, & ab ingressu solis in arietem, ut liberationis a servitute Ægypti consecraret memoriam. Atqui etiam priscorum Patriarcharum ætate annus a Nisan exordiebatur, & Moysi illud quoque consilium fuit, ut revolutiones annorum Gentium consuetudine permutatas revocaret ad veterem numerandi rationem. Perperam ergo sententiam nostram recentiores conantur refellere. Probatur minor: Genes. viii. 13. & 14. legitur aquas diluvii imminutas super terram sexcentesimo primo anno vitæ Noe, primo mense, & egressum Noe de Arca mense secundo, septima & vicesima die mensis. Mensem vero secundum appellat Moses non illum, qui ad Tisrim, sed qui ad Nisan consequitur. Numerarunt ergo annum ab hoc tempore etiam veteres Patriarchæ. Quod autem mensem secundum vernum, non autumnalem exhibeat nobis historia diluvii, conjicere possumus. I. Quod Columba detulit ad arcam *ramum olivæ virentibus foliis*. Ex quamquam poterat Deus arborem oleæ servare, & hæc semper vireat, ut respondent Interpretes; videtur tamen illis verbis commonstrari ramusculus germenque tunc primo frondescens; unde a lxx. redditum est φύλλον ἐλαίας κάρφος, *nascentem oleæ festucam*, & a Symmacho θάλλον, *ramusculum pullulantem*. Atque ramus ille a Columba delatus Patrum testimonio figurabat Dei gratiam, & prædicationem Evangelii, quæ etiam eodem tempore habuit institutionem. II. Cum Christus pro nobis sit crucifixus luna xv. mensis Nisan, & luna cum plenitudine luminis producta credatur, peracta erit passio Christi initio temporis, & resurrectio luna decimaseptima, ascensio autem septima ac vicesima secundi mensis; sunt enim a Resurrectione ad Ascensionem numerandi dies quadraginta. Atque ita typus rei per omnia quadrabit: nam aquæ super terram penitus sunt imminutæ exordio anni; & Noe egressus est de arca mense secundo, die vicesima septima: atque ita imminutio aquarum perfectam mundi reparationem significat, & egressio Noe reditum Christi unde venerat. Si recentioribus fides est adhibenda, non imminutæ sunt aquæ nisi die 23. Octobris, neque Noe retulit de arca pedem ante diem duodevicesimam mensis Decembris. Qua ergo alimonia extra arcam animantia vixerunt, cum diluvium omnia disperserit, nec hyeme sit terra frugifera? Contra si vere ineunte aquæ

re aquæ imminutæ dicantur, & post aquarum recessum Noe duobus fere mensibus fuit commoratus in arca; egredientibus animantibus non poterant deesse pascua, nec hominibus necessaria corporis nutrimenta.

Postremum argumentum sit: Quamvis geminum in sacris literis habeamus initium anni, a Nisan, & a Tisri, & illud sacrum, istud civile sit, ut Adversarii contendunt; mensium tamen unum ac simplex principium adinvenitur, atque, sive de sacris, sive de civilibus occurrat sermo, ubique menses numerantur a verno tempore. Ergo revera ab æquinoctio verno cujusque temporis principium initur. Ostenditur antecedens 1. libro IV. Regum cap. XXV. 8. dicitur Templum succensum anno decimo Sedeciæ, mense quinto: & Nabuchodonosorem obsedisse Jerusalem elapso anno, mense decimo. At Jerusalem obsidione vallata est mense Tebet, qui est decimus a verno æquinoctio, non ab Autumnali; templumque conflagravit mense Ab, qui est quintus post Nisan, non post Tisri, ut constat ex libro Seder Holam, ceterisque monumentis Hebraicis, auctore eodem Scaligero. Igitur in historiis quoque bellorum, urbisque direptione menses putantur a vere. Præterea Num. I. v. 1. jussit Dominus principio mensis secundi numerari viros omnes ad militiam idoneos, quod sane non pertinet ad rem sacram, sed ad civilem ac militarem: & nihilominus mensis secundus intelligendus est Jiar proximus a Nisan, non Hesvat, qui secundus est autumnalis. Vide Ger. Vossium cap. 6. Simplex ergo initium cujusque mensis in Scripturis attenditur, quod nuper probatum ivimus.

SOLUTIO EORUM, QUÆ OBJICIUNTUR.

Opp. 1. cum Lyrano, & Abulensi. Exodi XII. 2. de Nisan legimus: *Mensis iste vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni*. Ergo ante exitum de Ægypto annus nunquam initium habuit a Nisan. Capite etiam XXIII. 16. & XXXIV. 22. præcipitur Filiis Israel solemnitatem agere *in exitu anni*, quando *redeunte anni tempore cuncta conduntur*. Est ergo post collectionem omnium frugum statuendus dies mundi Natalis.

Resp. nego consequentiam: cum enim Israelitæ inter Ægyptios annum a Tisri inchoarent secuti Gentium consuetudinem: Moses ad pristinam rationem, scilicet ad primum mensem verum revocavit principium anni, ut duorum simul beneficiorum, creationis, & liberationis consecraretur memoria. Quod ex iisdem verbis haud obscure colligitur. Non enim ait duntaxat: *Mensis iste primus erit in mensibus anni*; sed: *Mensis iste vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni*: scilicet, Ægyptiis initium anni est circa Autumni æquinoctium, cum Nilo in alveum suum residente ad agrorum culturam se convertunt: at vobis principium anni est circa æquinoctium vernum, quando Deus vos condidit, & redemit: redite ad instituta majorum: ab hoc tempore in posterum menses annosque subducite. Exprimit hunc sensum lectio cum hebraica, tum græca. Habet illa, ראשון הוא *Riscion hu*, *Initium ipse*; pro verbo substantivo *erit* substituto pronomine demonstrante non aliud esse principium anni: & Græca, πρῶτος ὑμῖν ἐστι, *Primus est*, non, *Primus erit*. Nec obstat locus alter cap. 23. & 34. nam Hebræis esse annum Georgicum, qui incipit a satione, & desinit in messe, quemadmodum habent nationes reliquæ, nemo negat. Est utique, & illo utuntur maxime in annis Sabbaticis & Jubilæis: quoniam tunc Dominii in possessionem prædiorum inter sementem & messem est redeundum: unde & in contractibus hujus anni frequens est usus. Jure itaque hunc Moses retinuit, meritoque reconditis frugibus festum tabernaculorum pro agendis Deo gratiis fuit institutum. Verum hunc annum esse antiquiorem eo, qui orditur ab æquinoctio verno, quæ nobis argumentatio demonstrat? Etiam Ægyptii annum supputant, ut scribit lib. VIII. cap. 3. Firmicus, ab Autumnali æquinoctio, & tamen certissimum est constituisse initium anni erumpente Nilo, & sole Leonem ingresso.

Opp. 2. cum Josepho Scaligero: ante Abrahami in Chananæam adventum anni ab autumno numerabantur: primo quoniam Ægyptii non poterant nisi a gente Hebræorum, & filiis Noe mundi primordia cognoscere. Deinde quia diluvium desiisse dicitur secundi mensis die vicesima septima: & Joseph in 1. Antiq. cap. IV. scribit numerari menses ab æquinoctio autumnali. Præterea Hieronymus in caput 1. Ezech. ait, Octobrem esse primum mensem, & Januarium quartum apud omnes Orientales. Scripsit eadem Tullius in II. de Nat. Deorum, & in 1. Instit. cap. VII. Lactantius. Tandem in autumno est hodierna Judæorum *Te Kupha*, sive anni *resolutio*, & tunc illorum incipit Lectionarium.

Resp. Noachidas, maxime posteritatis Chami, a quo originem ducunt Ægyptii, veri Dei cultum deseruisse, nec multum de vera creationis historia, & initio temporum fuisse solicitos, ideoque propter agriculturam, agrosque locandos annum Georgicum putavisse. Quem an Abrahamus inter Chaldæos observaverit, difficillimum est divinare. De mense postdiluviano secundo aliter sentimus, quam Scaliger: & quæ protulimus supra argumentatione quarta, a pluribus etiam Sectariis probantur, ut Mercero, Vossio, Cappello, Simsonio. Apud Orientales populos omnia suis commodis metientes primum mensem fuisse post collectionem frugum & formularia, recte scribit Hieronymus: sed constat hunc esse annum institutum ad civilem societatem, quoniam Ægyptii non in autumno mundi nativitatem statuebant, sed ineunte Canicula. Hac ratione expedimus verba Tullii, Josephi, & Lactantii: quamquam sunt Astronomici peritissimi, qui tradunt primum mensem Ægyptiorum Thoth anno primo Nabonassari cœptum die Februarii sexta ac vicesima. *Te Kupha* non est una, sed quatruplex: *Te Kupha Nisan*, cum sol ingreditur Arietem: *Te Kupha Tamus* in principio Cancri; *Te Kupha Tisri* in Libra; *Te Kupha Tebet* initio Capricorni. Vide finem hujusce Capitis. Incipit Lectionarium Hebræorum in mense Tisri, quoniam Deut. XXXI. 11. præcipitur, ut lex legatur coram omni Israel in solemnitate Tabernaculorum.

Opp. 3. cum R. Eliezer, & Aria Montano: Deus mundum perfectum condidit, providitque statim mox exorituris animantibus. Mundum ergo creavit in autumno. Probatur consequentia ex eo, quod in autumno arbores fructus proferant; fructus vero durabiles sint ad hyemem proximam, & copiosam alimoniam possint suppeditare.

Resp. nego consequentiam; ostendimus quippe argum. 1. verno tempore mundi perfectionem magis patefieri. Ad probationem dico pro vita animantium commodiorem esse veris tempestatem; dum germinant herbæ, pariunt jumenta, aves nidificant, florent arbores, atque generatio omnis instauratur. Pro nutrimento hominis satis erant fructus verni. Cui bono (inquit Vossius cap. V.) omnes fructus maturi, cum duo solum essent homines? Imo repugnasset hoc naturæ, quia sic ex vernis & æstivis fructibus omnes fierent autumnales. Nam Deus tum naturam condidit, qualem deinceps voluit comparere. Hæc Vossius. Perfectissima fuit ergo rerum conditio, si arbores productæ sunt cum fructibus, prout exigebat anni tempus. Quis præterea Paradisum vidit unquam? Fortassis Eden bis in anno fruges fructusque ferebat, ut de India prodidit Plinius. Verisimile quippe est fuisse universorum hortorum uberrimum ac feracissimum.

Opp. ultimo cum Cabalistis. Mundum conditum in Autumno commonstrat Cabala tam גִימַטְרִיָא *Gematraija*, numerice literas sacri textus expendens; quam *Temurà* תְּמוּרָה, quæ fit per literarum metathesim. Utraque elicitur per verba initialia ex versu 1. Geneseos ברא בראשית *Bereseith barà*, In principio creavit. En גימטריא *Gematraja*: בראש השנה נברא *Berosc ascianà nivrà*, In principio anni a Septembri inchoati *Mundus* productus est. En תמורה *Temurà*: בראש תשרי, *In principio Tisri*. Inest primæ idem numerus literarum 1116. secundæ simplex earundem literarum transpositio.

Resp. Hæc, licet non invenuste adinventa, nihil solidi percrepare. Ex anilibus Cabalistarum fabulis derivarunt innumera errorum portenta; ut Æones Gnosticorum, de quibus Irenæus lib. 1. cap. 13. & somnia Marci & Colorbasi apud Tertull. de Præscriptionibus cap. 50. Quod nisi his acquiescant, dico in priori Cabalæ exemplo neque autumnum, neque mensem Septembris ullatenus apparere. In altero ex trajectis literis resultante, quod forte melius fieret nudo anagrammate בא־תשרי *Bà Tisri*: In 1. Tisri, ponitur nomen mensis Chaldaicum, non Hebræum. Constat enim ex III. Regum cap. VI. 1. & 38. & cap. VIII. 2. mensem secundum, septimum, & octavum, quos Judæi avitis mensium nominibus antiquatis appellant, *Iiar*, *Tisri*, *Hesvar* seu *Marchesuan*, primigenia lingua nuncupari *Zius*, *Ethanim*, *Bul*, ut animadvertit magnus Norisius principio Operis de Annis ac Mensibus Macedonum. Ad intelligentiam eorum quæ dicta sunt subjicimus nomina Mensium, eorumque initia primo mundi anno correspondentia.

	HEBRÆORUM.	LATINORUM.		ÆGYPTIORUM.	
I.	Nisan.	Martius Aprilis.	21.	Mesori.	1. Aries.
II.	Jiar.	Majus.	21.	Thoth.	30. Aries.
III.	Sivan.	Junius.	20.	Paophi.	30. Taurus.
IV.	Tamut.	Julius.	20.	Athyr.	29. Gem.
V.	Ab.	Augustus.	19.	Choeac.	28. Cancer.
VI.	Hillul.	September.	18.	Tybi.	26. Leo.
VII.	Tisri.	October.	18.	Mechir.	25. Virgo.
VIII.	Hesvar.	November.	17.	Phamenoth.	24. Libra.
IX.	Cisleu.	December.	17.	Pharmuthi.	25. Scorpius.
X.	Tebet.	Januarius.	16.	Pachon.	24. Sagitt.
XI.	Sebat.	Februarius.	15.	Payni.	25. Capric.
XII.	Adar.	Martius.	17.	Epiphi.	25. Aquar.
Quinque dies adjectitii.		Aprilis.	16. 17. 18. 19. 20. --		25. Pisces.

Fuit ergo primus Anni mensis Nisan, a cujus die vicesima prima originem ducit noster Aprilis, quando prima die Nisan sol constituitur in primo gradu arietis, sicut fuit reapse in die natali hujus mundi; si productus est in æquinoctio verno, fuitque dies sæculi prior vicesimaprima Martii.

CAPUT VII.

De Mundi ætate, & distributione omnis ævi.

ILLI, qui in sacrarum Historiarum mare post nostra Theologica rudimenta vela dabunt, & si quid in hoc Opere ex Chronologorum disceptationibus occurret libenter sunt audituri, debent Mundi tempora in certas Epochas distribuere. Quas antequam proponam, præmittenda videntur quædam postulata, sive asserta historica; quibus, etsi non omnes præbent assensum, petimus tamen jure ac merito, ut vera censeantur propter certiores demonstrationes, & communiorem Eruditorum approbationem.

I. Principio nos minime turbare debet fabulosa Ægyptiorum antiquitas, sed insistendum omnino est sacrorum librorum chronotaxi. Refellitur ipsa mendaciorum discrepantia portentosus annorum numerus, aliis ab Osiride ad Alexandrum decem millia, aliis tria & viginti millia numerantibus, auctore libro Historiarum I. Diodoro. Præterea non una fuit apud Ægyptios annorum forma: sed fuerunt anni lunares unius mensis, duorum, trium, ut scribunt Plinius lib. VII. Censorinus de die Natali, & loco citato Diodorus. Annus quadrimestris a Pisone rege factus est: quare ait S. P. lib. XII. de Civit. Dei cap. 10. 11. *Perhibentur Ægyptii quondam tam breves annos habuisse, ut quaternis mensibus finirentur.* Dynastias Manethos numeravit in prima classe XI. annorum 2277. in altera VIII. an. 2209. in tertia XII. an. 879. & comprehendunt singulæ annos 5365. Ab illo Julius Africanus, ab Africano exscripsit Eusebius. Sed harum Dynastiarum annos fuisse implicitos, cujusmodi sunt E. G. in Europa Imperatorum & Regum, ex eo liquet, quod Saites I. Dynastiæ XV. regnabat in Bucolicis, dum Menis regnum iniit in partibus Thebaidos. Susakim quoque & Semendem fuisse Synchronos demonstrat in I. de idololatria Gentium Gerardus Vossius. Admittenda insuper est Dynastia Diospolitanorum, quæ floruit annis 1055. cœpitque anno decimo Saitis, & consequenter est in aliis implicita. His ergo omnibus Dynastiis receptis, nullatenus quatitur sacrorum Bibliorum Chronologia.

II. Quoniam non omnes conveniunt an præferenda sit Chronotaxis Hebraica, an ea, quam exhibet Versio LXX. neutram damnando, priorem retinendam esse arbitramur. I. Quoniam S. P. Augustinus lib. XV. de Civit. Dei cap. 13. magna probabilitate docet discrimen illud tribuendum esse errori Scriptoris, *qui de Bibliotheca Ptolomæi codicem describendum primus accepit*. Neque enim credibile est, *Judæos cujuslibet perversitatis, atque malitiæ tantum potuisse*, ut in Codicibus tam multis & tam late dispersis annorum seriem perverterent, *nec LXX. illos memorabiles viros de invidenda gentibus veritate unum communicasse consilium*. Irrepsit ergo diversitas illa numerorum in græca Biblia Amanuensium oscitantia & incuria. II. Cuinam commodo Judæi in hanc rem conspirassent, si librorum suorum Chronologia demonstratur Messiam venisse circa annum Mundi 4000. quemadmodum venturum fuisse testatur majorum suorum traditio? Quis facile crediderit, Judæos omnes adversus impietatem suam voluisse mentiri? III. Romana Ecclesia, quæ in Martyrologio die 25. Decembris annos a Creatione Mundi juxta LXX. connumerat ut suam erga venerandam antiquitatem profiteatur reverentiam; in Vulgata tamen Tridentini & Summorum Pontificum definitionibus consecrata non græcam, sed hebraicam sequitur Chronologiam, demonstrans illam non esse prorsus rejiciendam propter veterem consuetudinem, hanc tamen videri antiquiorem & probabiliorem. IV. Hebræi Codices perscripti sunt integris vocibus numeralibus, non vero nudis literis notisque arithmeticis; ideoque in illos potuerunt hac in parte corruptelæ difficilius irrepere. Salva ergo meliori sententia, nos illam cum doctissimis Chronologis Tirino, Petavio, Usserio, Scaligero, Calvisio, aliisque innumeris sequimur supputationem.

III. Priorum Patriarcharum annos non fuisse breviores nostris firmissime tenendum est. Etenim in annis Noe Genes. VII. & VIII. numerantur menses, & in mensibus dies. Atque si vera esset quorumdam opinio decem primorum temporum annos fuisse æquales nostrorum uni, fieret consequens, Adamum genuisse tertium filium Seth anno ætatis suæ tertio decimo, & Cainan genuisse Malaleel anno septimo vitæ suæ; cum Genes. V. 3. scriptum sit Adam genuisse Sethum, cum vixisset centum triginta annis, & Cainan Malaleel, cum vixisset annis septuaginta. *Quis generat homo septennis?* inquit S. Pater XV. de Civit. Dei c. 12. Neque incredibilis erit tanta longævitas, si animadvertamus fuisse illos Deo cariores, & usos cibis vim suam & integritatem retinentibus, nondum a Deo fata hominum natura ebrietatibus, & effrænatis profusisque libidinibus labefactata. Quærenti autem cur cœlibes vixerint, nec habentes propositum continentiæ ante annum septuagesimum filios non procreaverint, respondet Augustinus eodem libro cap. 15. aut tardiorem fuisse pubertatem, aut, quod magis credibile est, non omnes illorum filios commemorari, sed *quos successionis ordo poscebat*.

IV. Cum servata adhuc patrum longævitate, & Chronologia codicum Hebraicorum incertum sit, an Abraham fuerit natus anno Thare septuagesimo, qui erit M. 1948. & Per. Jul. 2056. an vero anno Patris CXXX. M. 2008. Per. Jul. 2718. videtur oportunius Epocham figere anno vocationis ipsius, scilicet M. 2083. P. Jul. 2793. ante Æ. V. 1921. Sciscitanti tamen quid nobis de nativitate Abraham probabilius videatur, respondebimus cum viris doctissimis, natum anno Thare 130. quoniam Thare (Genes. XI. ult.) mortuus est in Haran anno ætatis suæ 205. & Abraham de Haran egressus est (cap. XII. 4.) cum annum ageret quintum ac septuagesimum, statim defuncto Patre. Ergo Thare genuit Abrahamum sexagesimo anno, ex quo cœpit generare, idest, vitæ suæ tricesimo super centesimum. Quare Abraham Genes. XI. 26. inter filios Thare priori loco commemoratus est ordine dignitatis, non temporis; ut Gen. X. 1. Sem inter filios Noe, tametsi fuerit tertius, & genitus duntaxat anno Patris 502.

V. A vocatione Abrahami, missis tricis de mora Hebræorum in Ægypto, progrediendum est ad Epocham legis Mosaicæ, quam latam arbitramur anno M. 2513. & Periodi Julianæ 3223. Liquet enim ex cap. Gen. XV. 13. Semen Abraham peregrinum fuisse in terra non sua annis CCCC. sed Apostolus in III. ad Galatas 16. 17. a promissione facta Abrahæ ad Legem enumerat annos CCCCXXX. Promissionem accepisse Abraham, cum esset LXXV. annorum, idest, anno M. 2083. demonstrat capot XII. Gen v. 4. Quibus additis annis CCCCXXX. pervenitur ad annum M. 2513. Itaque hoc anno promulgata est lex Hebræorum tertio mense, ex quo exierant de Ægypto.

VI. In posterioribus annis frequens est apud Historicos usus sæcularium Epocharum, trium præsertim, a Troja capta, ab institutione Olympiadum, ab Urbe condita. Trojam expugnatam ante Aeram Christianam an. 1184. docent Chronologi concordissime. Videndus Pagius dissert. de Periodo Græco-Romana, Vallemont in Elem. Hist. lib. 1. cap. V. Bossuet in Comment. Epoch. V., Usserius Ann. Eccl. ad ann. P. J. 3530. Erit ergo Trojæ excidium signandum anno M. 2820. A Troja capta ad primam Olympiadem numerant omnes cum Eusebio lib. X. Præp. Evang. annos 408. Fuerunt ergo institutæ Olympiades anno Mundi 3228. P. Jul. 3938. Romanam Urbem, ut scribit Fastorum Pater Onuphrius Ordinis nostri scriptor clarissimus, Fabius Pictor conditam tradidit in VIII. Olymp. Varro Olympiadis VI. anno 3. Quamquam Fabii Pictoris sententia valde probabilis est, eique subscribit Usserius ad annum P. J. 3966. ne perturbetur universa Historia, sequimur exemplo Panvinii, & ceterorum omnium Varronianam supputationem. Erit ergo nativitas Romæ anno Mundi 3250. numerando a Palilibus, idest, a die XXI. Aprilis. Atque ita Romulus urbis fundamenta posuit anno ab excidio Trojæ 430. ut communiter Scriptores tradunt, licet Messala Corvinus enumeret 433. Vellejus autem 437. At conditam anno 3. Olym. VI. cum ipse Vellejus affirmat, tum Eutropius, aliique quamplurimi.

VII. Epochæ annorum Augusti, Herodis, necnon Consulum Romanorum, quæ differentibus de Annis Christi præ manibus habendæ sunt, in libris de Verbi Divini Incarnatione accuratius explicabuntur. Præmittimus modo Augustum natum anno U. C. 691. IV. Kal. Octobris mortuum an. 767. XIV. Kalendas Septembris: regni autem ejus non unum assignari principium, sed multiplex, a nece Julii Cæsaris trucidati an. U. C. 710. a Triumviratu constituto an. 711. & ab Actiaca pugna debellatisque Antonio & Cleopatra, an. 723. Herodem vero obtinuisse regnum vertente anno U. 714. obiisse ante 751. Fastos demum Consulares inchoatos ab anno U. C. 246. creatis primo Bruto & Collatino. Domini nostri nativitatem contigisse arbitramur cum Norisio, & aliis compluribus anno U. 749. atque ita assentimur Usserio, Cappello, Tirino, ceterisque recentioribus, Christum natum esse anno Mundi 4000. Quod præter ea, quæ dicturi sumus pertractantes de ipso Christi Natali, cohæret superioribus Epochis, & est juvandæ memoriæ percommodum.

VIII. Verum juxta Æram Dionysianam Christi Natalis dies illuxit labente anno U. C. 753. & Mundi 4004. juxta illos, qui Mundi initium statuunt die 23. Octobris inchoato: vel decimo jam mense ad finem vergente, in sententia nostra, quæ conditum tradidit verno tempore. Quorum mensium, ut Aera Vulgaris a quadrato numero exordiatur, & quisque inoffenso pede probatam doctissimorum virorum teneat Chronologiam, nulla habenda erit ratio. Primus ergo annus vulgaris Aeræ est annus U. C. 754. Mundi 4004. P. J. 4714. & primus Olymp. 195. Consulatus Caji Cæsaris Augusti Filii, & Æmilii Paulli. A quo anno subducendam esse vulgarem Aeram evincit apertissime Diocletiana, sive Aera Martyrum, quæ cœpit anno Dionysianæ 284. Coss. Carino, & M. Aurelio Numeriano, & U. C. 1037. ut adversus Scaligerum & Cointium demonstrat Norisius in dissert. 2. Numm. Diocletiani & Licinii cap. 1. Cui eruditi omnes plenissimis calculis assentiuntur. Ergo verus Christi Natalis Aeram Vulgarem exacto quadriennio antevertit. Quapropter scite animadvertit Pagius in Apparatu Chronologico num. 138. distinguendum esse duplex Christi Natale, proprium scilicet, & Dionysianum. Itaque inchoantes annos Christi a Kalendis Januariis an. U. C. 754. de Natali Dionysiano loquemur. Dionysii quip-

pe

pe Aeram fnadente Blondo Foroliviensi magna utilitata Eugenius IV. probavit, cum vetus consuetudo adscribendi in publicis monumentis solos annos Pontificum, non unam, neque perpetuam regulam constitueret, sed multiplicem ac variabilem. Nunc improbus studiosorum labor lucem attulit rebus Chronologicis clariorem: & Norisius primus omnium scripsit de Nummo Herodis Antipæ, ex quo manifestissimum fit Dionysium Exiguum serius, quam par erat, consignasse Christi nativitatem. De qua singuli propemodum Historici dissentiunt, ut demonstrat Vossius dissert. de annis Christi, & Vallemontius lib. I. cap. 3. qui fere omnes recensent. Sed jam Dionysii Aera utimur necessario, quippe deflectera a semel recepta Epocha nihil ast aliud, quam tricis universam historiam commiscare.

IX. His præmissis facile est omnem Mundi ætatem certas in partes distribuere, & potest unusquisqua singulas pro arbitrio dispescere. Varro omne ævum in tres classes partitus est: Prima ab hominum principio ad cataclysmum priorem, quæ est incerti temporis: altera a cataclysmo ad primam Olympiadem, cujus finem tantum possumus comprehendera. Tertia initium ducit ab institutiona Olympiadum. Poetæ matallorum nominibus omnis ævi partitionem fecerunt, auream, argenteam, æneam, & ferream ætatem commenti, fortassis ax libro Danielis. Thalmudistæ dividunt ævum in tres æquas partes duorum millenariorum, ut dicam proximo capite. S. P. Augustinus lib. XII. contra Faustum cap. VIII. sex Mundi ætates assignat, & illum sequuntur Isidorus, & Beda. In septem dispescunt Damascenus, Joannes Lucidus, & Recentiores, Antonius Vitrè, Usserius, Alexander, Calmet, & alii. Dividit in partes denas Gerardus Vossius: In XII. Bossnet. In XIV. Vallemontius, sed duæ postremæ pertinent ad Historiam Gallorum. Amplectimur doctissimi Meldensium Episcopi partitionam.

SERIES OMNIUM TEMPORUM.

Distributio Augustini.

I.	Mundi ætas ab Adamo usqua ad Noe, an.	1056.
II.	A Noe usqua ad Abraham, an.	952.
III.	Ab Abraham usque ad David, an.	911.
IV.	A Davide usque ad transmigrationem in Babiloniam, a.	479.
V.	Inde ad humilem adventum Domini, an.	606.
		4004.

VI. Quæ nunc agitur, donec Excelsus veniat ad judicium.

Distributio Aevi in VII. Ætates.

I.	A areatione ad diluvium, ann.	1656.
II.	A diluvio ad vocationem Abrahæ, an.	426.
III.	A vocatione Abrahami usque ad legem.	430.
IV.	A lege lata ad Tamplum an.	479.
V.	A Tamplo ad finam captivitatis.	476.
VI.	A captivitata soluta ad Aeram Christianam.	537.
		4004.

Epochæ XII. illustriores.

		An.M.		Ante Chr.
I.	Adami: Incipit anno P. J. 710. mense Martio, anno ante vulgatem Aeram 4004. anno Mundi primo.	1.	—	4004.
II.	Diluvii: Incipit anno P. J. 2366. anno ante Æ. V. 2348. Mundi 1656. mense secundo Jiar. anno	1656.	—	2348.
III.	Abrahami, sive initi fœderis: Incipit anno P. J. 2793. ante Æ. V. 1921. & a creationa Mundi 2083.	2083.	—	1921.
IV.	Moysis, seu Legis scriptæ: Incipit anno Periodi Julianæ 3223. ante Æ. vulgarem 1491. Mundi 2513. mense tertio Sivan.	2513.	—	1491.
V.	Expugnationis Trojæ: Incipit anno P. J. 3530. ante Æ. V. 1184. & ab Universi creationa 2820. anno 408. ante institutionem Olympiadum.	2820.	—	1184.
VI.	Perfecti Templi: Incipit anno P. Julianæ 3710. ante V. Æ. 1005. Mundi vero 3000. mense octavo Bul, siva Hesnar.	3000.	—	1005.
VII.	Urbis conditæ: Incipit an. P. J. 3960. ante Æ. V. 754. Mundi 3250. m. Aprili.	3250.	—	754.
VIII.	Cyri, siva Judæorum restitutionis: Incipit an. P. J. 4178. Mundi 3468. anta Christum 536. U. C. 218.	3468.	—	536.
IX.	Devictæ Carthaginis: Incipit anno ab U. C. 552. ante Æ. Christ. 202. Per. J. 4512., & 3802. Orbis conditi.	3802.	—	202.
				Anni Chr.
X.	Natalis Christi Dionysiani: Incipit an. U. C. 754. Mundi 4004. P. Jul. 4714. anno 1. Olymp. 145. anno a Nativitate Christi quarto, Kalendis Januariis.	4004.	—	1.
XI.	Constantini, sive Pacis Ecclesiæ: Incipit anno Ch. 312. Mundi autem 4316. P. Julianæ 5206.	4316.	—	312.
XII.	Caroli Magni, siva fundationis novi Imperii: Incipit anno Æ. V. 800. Orbis conditi 4804. P. Jul. 5514.	4804.	—	800.

Agitur nunc annus Æ. V. 1739. Ab Adami creatione 5743. A Diluvio 4087. A vocationa Abraham 3660. A Lega scripta 3230. Ab excidio Troadum 2923. Ab institutis ludis Olympicis 2515. A Templi ædificatione 2774. A condita Urbe Roma 2493. A soluta Babylonica aaptivitata 1743. A pace per Constantinum restitura 1427. A fundationa novi Imperii 939. Hactenus de mundi ætata transacta.

CAPUT VIII.

De Mundi Conflagratione, atque mortalium omnium interitu.

EXPLEBO jam cum libro expectationem quorumdam, quibus libido est exitum quoque temporum, mundiqua finem cognoscendi. Hoc unum compertum ast, quod *adveniet dies Domini, in quo cæli magno impetu transient, elementa calore solventur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur*; ait 2. Ep. c. III. 12. Beatus Petrus. Quod innumera alia loca confirmant: unde S. Patar, *Tunc figura hujus mundi* (inquit lib. XX. de Civit. Dei c. 16.) *mundanorum ignium conflagratione præteribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvii*. Nunc judicii acta minima sunt disquirenda, sed universaliter tantum extrema mundi periodus; nam solam corporalium rerum productionem, ævitatamqua capiunt libri hujus angustiæ. De illa itaque axustiona, mundique interitu quatuor apud Scriptores discrepantia inter se placita offendimus. Mathematici quidam futuram putant anno magno, cum Sol, Luna, & sidera omnia ad idem cæli signum remeabunt, ubi principio simul fuerunt. Nonnulli arbitrantur perfectam redemptionem in medio temporum, ideoque futurum mundi interitum, juxta præcedentis capitis calculos, octavo millenario axeunta. Plurimi totam mundi ætatem ad 6000. annos contrahendam essa scripserunt. Augustinus, cui major Theologorum pars assentitur, scite ac sapienter animadvertit, importune homines hac in quæstiona versari.

PROPOSITIO: Non est mortalium, & res futuras ignorantium hominum noscere finem sæculi, mundique consummationam.

Firmatur primum hæc assertio auctoritate divina: quærentibus enim Discipulis quando restituendum sit Regnum Israel, a Domino Act. I. 7. responsum est: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*. Quæ verba perpendens Augustinus lib. XVIII. de Civ. Dei cap. 53. ait: *Hic quæri solet, quando istud erit? Importune omnino. Si enim hoc nobis nosse prodesset, a quo melius quam ab ipso magistro interrogantibus discipulis diceretur? Non enim siluerunt inde apud eum, sed a præsente quæsierunt dicentes, Domine, si hoc in tempore repræsentabis regnum Israel? Et ille, Non est, inquit, vestrum nosse tempora, quæ Pater posuit in sua potestate. Non utique illi de hora, vel die, vel anno, sed de tempore interrogaverant, quando illud accepere responsum. Frustra igitur annos, qui huic sæculo remanent, computare ac definire conamur, cum hoc scire non esse nostrum ex ore veritatis audiamus*. Hanc extremi temporis incertitudinem commonstrat similis Christi sententia Matth. XXIV. 36. *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater*. Et Pauli in I. ad Thessalon. cap. V. 2. 3. *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus*. Legendus Venerabilis Beda da Ratione temporum cap. 66. Anastasius Sinaites lib. VII. in Hexameron, &c.

Præterea aliarum opinationum conjacturas valde infirmas esse quisqua non axpers rationis intelligit. Corruit prima, quoniam annum illum maximum assa fictitium docent Astronomiæ peritissimi. Deinde eo admisso, incertum ast quando futurus sit, supputanta Aristarcho hujus anni magni vertantas annos 2484. Arete Dyrrachino 5552. Heraclito & Lino 10800. axistimantibus aliis infinitum esse, nec unquam in se revarsurum, Auctore Censorino da dia natali cap. XVIII. Rursus cum hujus anni summam hiamem fecerint cataclysmum universæ diluvionis, & postremam æstatem ecpyrosin, idest, incendium: cum diluvium contigerit anno a creatione Mundi 1656. necesse erat, ut pari annorum revolutione superadvenisset magna æstas: atqua ita conflagrasset Orbis terrarum anno Mundi 3312., regnante Jarosolymis Manasse. Secunda opinio nititur quibusdam Scripturarum locis, ex quibus constat diem unam

apud Deum computari eadem ratione ac mille annos, ut Psalm. 89. v. 4. & II. Petri cap. III. v. 8. unde inferunt, quod sicuti Deus perfecit Mundi creationem sex diebus, ita Mundus sex millenariis perstitet. Verum, uti Beda observavit, videtur hæc sententia prodiisse ex errore Millanariorum. Si enim quælibet dies hebdomadæ annis mille debet respondere; dies requiei septima erit septimum millenarium, in quo Sancti regnabunt in terris cum Christo. Quam opinationem libro III. pro mea virili oppugnavi, damnatque illam infallibilis Ecclesiæ anctoritas. Non tamen cum Millenariis sentit quisquis ad sextum millenarium Mundi vitam coarctat; dummodo in Sabbato non regnum Chiliastarom excogitet, sed Beatorum requiam in cælis: alioqui Patres innumeri, clarissimiqua Thaologi forent hac heresi commaculati. Beda tamen sententiam illam frivolam, hæreticamque compellat, & talem quoque existimat Genebrardus; quod falsum est, nisi accipiatur tantummodo de implicim Millenariorum errore. Ab eo cerissima recessit S. Hieronymus, qui mundi ætatem annis 6000. finit in Epist. ad Cyprianum, & in cap. IV. Micheæ; nec non Hilarius idam docens in cap. XVII. Matthæi. Horum vero argumentationibus cum debito honore respondendum est, mille annos in sacris literis demonstrare maximum numerum indefinite, ut citato libro III. probatum est. Atque hac etiam ratione opinio prædicta satis ast explosa & rejecta. Nam qui Christum in medio temporum venisse putant pauci sunt, nec possunt in sectam coalescere: eorumque fundamentum avertitur quamfacillime. De illo infra. Igitur divina Scriptura, Augustinus, & oppositarum rationum libratio evincunt non posse terminos temporis circumscribi. *Eant nunc* (inquit Vives in citatum caput 53. Augustini) *sive Mathematici, sive Divinaculi quilibet, & pavida plebeculæ, crassisque purpuratis admirabundis definiant tempora, & articulos, quibus hic cursus rerum ordoque cessaturus est.*

CONTRARIA ARGUMENTA REFUTANTUR.

Opinantes mundum 6000. annis duraturum primo opponunt traditionem Eliæ Prophetæ in Talmud lib. Sanhedrin cap. Halec : שתא אלפי שני עולמא : וחד חרב : באלפים תחו באלפים תורה : באלפים ימות המשיח : *Sex millia annorum mundus, at postea interitus: duo millia inanitatis, duo millia legis, duo millia annorum Messiæ.* Addunt Cabalistæ animadversiones suas: in I. versu Bibliorum, & ultimo Paralip. haberi sexies א, quæ nota est millenarii. R. Isaac observavit, quod diximus supra, sex diebus conditum esse mundum, & unicum diem denotara annos mille. Eam ob rem ait septima die prohibitum esse servile opus, septimo anno requiem tam agro, quam cultori indictam, septimum Patriarcham fuissa a morte servatum, septimo mense arcam requievissa, septimo pariter die corruissa muros Jericho: hæc omnia ad demonstrandum quod millenarium septimum pertinet ad alium mundum. Affert glossam quandam R. Salomonis eadem affirmantis lib. IV. cap. 20. Galatinus. Neque a superiori R. Isaac de sex diebus Geneseos observatione PP. abhorrent: eamque tradunt Lactantius Firmianus lib. VII. cap. 14. Justinus q. 71. Irenæus lib. V. adv. Hæres. cap. 28. & Hieronymus locis citatis. Denique diximus supra venissa Messiam circa annum Mundi 4000. quæ proculdubio chronotaxis traditioni *domus* Eliæ cohærens ast.

Quamquam vero non possumus aperte hanc opinionem falsitatis arguere, cum nondum 6000. hujus mundi præterierint anni; nequeunt hæc omnia nobis extrema temporum manifestare. Itaque illam in sua probabilitata relinquimus cum Augustino XX. de Civit. Dei cap. 7. & Leonardo Coquæo doctissimo ajusdem Operis Interprete: sed nullatenus assartum nostrum lacessit. Traditio libri Sanhedrim non ast Eliæ ex Thebis Arabum, ut visum Stratonico Cumano Episcopo apud Sixtum Senensem lib. 2. Bibliothecæ, sed Rabbini Cabalici ajusdem nominis, qui floruit anno a restituto secundo Templo 154. ut observavit Ganabrardus initio Chronicorum, Vossius disp. XVIII. Th. 6. & Justus Venturinus Abbas Camaldulensis in Florentina Academia Professor Theologicorum Dogmatum in Decis. dub. in Gen. pag. 7. Prior hujus traditionis ratio petita ex Psalmo 89. superius explosa est, cum mille anni ponantur pro annis omnibus hujus sæculi, *ut perfecto numero notetur ipsa temporis plenitudo*, ait Augustinus de Civit. Dei libro nuper laudato. Deinde eodem Psalmo comparantur mille anni non solum diei hesternæ, sed etiam vigiliæ noctis. Est antem vigilia trium horarum spatium, ut in versum quintum ejusdem Psalmi scribunt ipsemet Augustinus, Hieronymus, & Beda. Erit argo ætas mundi, si ita nugari fas est, non 6000. annorum, sed 24000. cum numerentur in diebus creationis vigiliæ XXIV. Præterea non est idem annorom intervallum ab Adamo ad Legem, & inde ad Christum, sed illud comprehendit annos 2513. istud an. 1491. Aut si nomine Legis accipiatur fœdus initum, primum est annorum 2083. alterum 1921. Atque ita divinare non possumus, an dies Messiæ futuri sint pares diebus Legis. Neqna sex primi Patriarchæ æquis annis vixerunt: sed Adam 930. Seth 912. Enos 905. Cainan 910. Malalael 895. & Jared 962. Ergo neque paria erunt decantata sex millenaria. Lactantius vidatur cum Millenariis sentire. Liber quæstionum non est Justini: atque in hujus, aliorumque Græcorum sententia, qui sequuntur Chronologiam LXX. sunt anni illi 6000. a pluribus sæculis transacti. Hieronymus Comment. in Psalm. 89. Augustino consentit comparans milla annos non solum uni diei, verum etiam uni vigiliæ noctis. Ex præmissa demum Chronologia de futuris annis non possumus judicara: jam enim anni Christianæ Aaræ superant tempora legis Mosaicæ, & hæc præcedentibus sæculis non æquantur.

A Christo ad mundi finam numerandos esse annos 4000. probant ex Oratione Habacuc cap. III. v. 2. *Domine opus suum, in medio annorum vivifica illud, &c.* Philippus Venuti Cortonansis in III. Georgicorum Virgilii, & Cornelius a Lapida Comment. in Habacuc scribunt etiam Virgilium eamdem mundi ætatem indicavissa, dum ait:

Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas
Cæsaris: & nomen famæ tot ferre per annos
Tithoni prima quot abest ab origine Cæsar:

Ubi Poeta optat nomen Augusti, quo imperante Dei Filius factus est homo, celebratum iri usque ad finem sæculi per tot annos, quot aberat ab origine solis, itaut Cæsar Augustus reguaverit media mundi hujus ætate.

Dictum supra hanc opinionam fundamento destitui, faciliusque dilabi. Et quidem verba Habacuc LXX. reddiderunt ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ, *In medio duorum animalium cognosceris*; vel ob mysterium Nativitatis Christi, qui apparuit inter duo Testamenta, val ob transfigurationem in medio Mosis, & Eliæ, vel ob mortem Crucis in medio Latronum. Legite Augustinum lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 32. & Hiaronymum in Habacuc. Ex Hebræorum consuetudine & phrasi verba illa בקרב שנים *Becherev Scianim, in medio annorum*, idem valent, ac *interea temporis*, videlicet, in tribulationibus paullo antea prædictis. Præterea literaliter Habacuc exponendus ast de captivitate Hebræorum. Incœpit hæc anno M. 3398. perduravit annis 70. scilicat, usque ad annum 3468. Ergo medium annorum erit annos 3433. cum cœpit a Deo puniri Babyloniorum idololatria; nam anno 3435. Nabuchodonosor jam a Deo percussus agebat vitam more bestiarum. Tunc vero respirare Judæos, reviviscere, & ad spem erigi.

Virgiliana carmina nec ad faciendam fidem idonea sunt, nec forte a laudatis Commentatoribus recte axposita. Augustus ex Octavia gente Valiterna testamento avunculi fuit in familiam Cæsarum cooptatus. Hæc a Julio Æneæ filio, Julius a Priamo, Priamus a Laomedonta originem habere dicuntur. Laomedontis Tithonique idam genus est a Dardano filio Jovis, & Electræ. Verisimilius est igitur Maronam eo loco nec verbum de Mundi longævitate proferre: atque affirmara tantum, fore celebrandam memoriam Augusti æque, ac genus nomenque Jovis; a quo erat familia Julia, & dignitas Cæsarum. Atqua hæc de rerum aspectabilium principio, ætate, atque interitu: de quo alter Latinorum Poeta in I. Metamorph.

Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret,

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER DUODECIMUS,

Qui pertractat de universorum hominum Protoparentibus Adamo & Eva.



COGITANTI mihi sæpenumero quanta gratiarum beneficia hominibus in prima mundi constitutione Auctor universorum contulerit, atque memoria repetenti quam exiguo temporis intervallo steterent felix parentum nostrorum conditio; congruum videtur de hac non perfunctorie, sed prolixiori disputatione disserere. Cum enim amplissima sint dona divino munere corpori, animoque nostro tributa, ac sit præstantior animantibus ceteris humana natura; hujus autem labes scelere voluntario contracta, mortis, & multarum, quibus proterimur, miseriarum fons & origo: postulat maximi beneficii recordatio, ut gratias persolvamus liberalissimo Largitori; & superinductæ paterna culpa calamitatis memoria facit, ne divinæ unquam justitiæ, & incorruptæ æquitatis obliviscamur. Recte itaque de Protoparentibus Adamo & Eva instituo disputationem: ex qua percipientes quomodo plasmati sumus, cur a Paradiso voluptatis exulamus, quare ignorantiæ, & cupiditati subjicimur, & quare, ut inquit Venusinus Poeta,

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres,

neque ingrati animi vitio, neque spiritus arrogantia, ne mens nostra particeps fiat nitidissimi divinarum scientiarum splendoris, ei tenebras obduceamus.

CAPUT I.

Exploditur fabula Præadamitarum.

ISAAC Peyrerius, dum adhuc Calviniano detineretur errore, quem Alexandro VII. Pontifice Maximo ejuravit, indulgens fallaci mortalium hominum ingenio, nec non Sectariorum consuetudini, Patrum & Orthodoxorum Conciliorum auctoritatem contemnentium, male feriatam Anteadamitarum fabulam in orbem invexit. Videbatur enim ei, qua ratione Calvinus detrectaverat traditiones Sanctorum, licere sibi has, & Calvinianas simul parvipendere: atque ita scrutatus in Gentilium Historiis fabulosam antiquitatem studuit novitatum adoratoribus venditare, ante Adamum extitisse homines plurimos, hunc vero Hebraici duntaxat generis fuisse satorem. Quæ ut in vulgus sparsa sunt, proscripsit Peyrerii librum primus omnium Namutacensis Episcopus anno 1655. in festo celeberrimo Natalium Domini, deinde illum Scriptores omnes confutarunt, tam Catholici, quam Sectarii. Sed cum Calviniani ipsi non alio argumentorum genere, quam traditione veterum oppugnarent Peyrerium, animadvertit nefas esse adversus traditam a Majoribus doctrinam sentire, atque ita occasionem nactus a suis Calvini sectam valere jussit Romanam Fidem amplexus. Damnavit etiam in sua ad Alexandrum Pontificem deprecatione Præadamitarum hypothesim ab omnibus, ut ibidem fatetur, ejectam & eliminatam sed cum illam nonnulli postea recoquere ausi fuerint, scripturi de primo homine eam & nos breviter impugnabimus.

PROPOSITIO. Adam fuit universorum hominum primus, a quo omnes gentes fuit per Orbem terræ propagatæ.

Validissimis argumentis probatur. & primo communibus e Sacra Scriptura petitis. In 1. Genesis enarratur *In principio*, videlicet in exordio temporis, sive antequam creatura aliqua corporalis esset producta, Deum condidisse cælum & terram, & sex diebus cuncta rerum genera perfecisse; sexto autem fecisse Adamum ad imaginem & similitudinem suam. Quinam fuerunt ergo isti Præadamitæ, si nullus antea Deo auctore prodierat? In qua orbis plaga habitarunt, si anteactis sæculis neque cælum erat, neque terra, neque locus alius corporeus? Neque enim creatio Adam secundo capite repetita est productio hominis diversi ab eo, quem Deus condidit die sexta; cum perfectis prioribus illis sex dierum generationibus Deus requieverit ab omni opere, videlicet, nullam novam molitus fuerit creaturam. Deinde ad sex dierum opera etiam Adamum Hebraici populi Atavum pertinuisse constat ex vicesimo capite Exodi v. 11. *Sex diebus fecit Dominus cælum & terram, & omnia, quæ in eis sunt*: Num Adamus in spatiis imaginariis plasmatus fuit? At Scriptura affirmat fuisse formatum de limo terræ, & positum in Paradiso voluptatis. Quare autem Scriptura hominis creationem iterum memoret, dictum est lib. præced. cap. 2. nec multus ero eadem repetendo. Neque enim hæc loca suppetunt sola, sed innumera occurrunt coacervatim. Adæ uxor Gen. 3. 20. vocata est Eva, *Eo quod mater esset cunctorum viventium*. Itaque fictitii sunt Præadamitæ, quorum genitrix non est Eva. Cap. x. v. ult. asseritur a Noachidarum posteritate, quæ profecto Adæ propago erat, divisas esse gentes in terra. Igitur & Ægyptii, & Chaldæi, & Americani, & nationes reliquæ sunt Adamo posteriores, omnes, ut legimus Act. XVII. 26. ex uno stirpe & sanguine procreatæ: ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος, ut unius hominis creatio unius Dei majestatem præferret, omnesque posteros vinculo naturalis cognationis invicem copularet. Apostolus denique ad Rom. v. 17. unius Adæ peccato mortem regnavisse testatur, per unius hominis delictum atque inobedientiam omnes peccatores constitui, atque uti per unum hominem mors & damnatio ad omnes pertransiit, ita per Christum superabundare gratiam, justitiam, & vitæ perennitatem. Quamobrem si fabulosi illi Anteadamitæ mortui sunt; ex Adami contaminato semine habuerunt originem. Atque argumentatio ista non convellitur, nisi negando mortem pœnam esse originalis peccati cum Pelagianis postea refutandis. Hæc argumenta adversus fabulam Præadamiticam sunt pervulgata. De his Samuel Maresius, Joannes Hilpertus, Philippus Prior, qui data opera Peyretium oppugnarunt, Natalisque Alexander Tom. 1. Hist. vet. testam. dissert. 3. & nonnulli horum expilatores.

Necesse non est afferre Patrum auctoritates. Ipse enim Peyretius laudata deprecatione: *Fateor*, inquit, *me non latuisse hypothesim, quæ mihi venit in mentem de primis hominibus ante Adamum conditis, diversam penitus abire se ab opinione SS. Patrum, nec non aberravisse toto Orthodoxorum Conciliorum Canone; totamque doctrinæ Christianæ fabricam de homine lapso & redempto fundatam fuisse a PP. & Conciliis super hypothesi de Adamo primo omnium hominum formato*. Hujus audaciæ hanc profert excusationem, quod vera esse possint etiam quæ a falsa hypothesi consequuntur, facta comparatione systematis Copernici, & Ptolomæi, quæ pugnantia invicem probant teorem eundem corporum omnium cælestium. Verum nequeunt Catholicorum dogmata confirmari Astronomicis humanisque figmentis. Fabula ergo Peyreriana etiam traditione plene sit eliminatur.

Addam vero in ejus confutationem nonnulla. Principio negari non potest diluvium Noeticum fuisse universale. Nam Genesis VII. legimus aquas nimis prævaluisse super terram, & opertos omnes montes excelsos sub universo cælo: consumptam omnem carnem, quæ movebatur super terram, bestias, reptilia, homines, & cuncta, in quibus est spiraculum vitæ: remansisse in terra solum Noe cum iis, qui cum eo erant in arca. Atque semper capite eodem Scriptura usurpat Hebraicum כל *Col*, rerum universitatem exprimente. Præterea pervenisse hujus diluvii famam ad omnes orbis nationes probat ex Beroso Josephus lib. 1. Antiquit. c. 4. & adversus Julianum 1. ex Abydeno & Alexandro Polyhistore S. Cyrillus: multaque legi poterant apud Georgium Schubartum tom. 2. Antiq. Græcarum. Hinc etiam sparsa fama est diluvii Deucalionis, & Ogygis. De quibus fateor nec Græcam, nec Latinam Historiam tradere esse illud maximum, in quo nulli homines evaserunt, sed unum in Thessalia, alterum in Attica terra contigisse, & plurium annorum intervallo unum ab altero separari. At Græci, Ægyptii, aliique priscorum temporum monumenta ad Deorum suorum fabulas accommodare studuerunt, ideoque nil mirum, si scripta sunt in Gentilitatis historia quæ de cataclysmo Deucalionis, & Ogygis referunt Africanus, Eusebius, & S. Pater Augustinus lib. XVIII. de Civit. Dei cap. VIII.

Diluvium tamen Deucalionis non differre a Noetico hæc momenta demonstrant. Apollodorus sub initium Bibliothecæ ait: *Ubi prolem æneam tollendam Jupiter censuit, Deucalion fabrefacta e ligno arca, rebus necessariis imposita in eam ingressus est*. Quis vero prolem æneam non videt esse Gigantes, de quibus Genes. VI. 4., & Arcam Deucalionis arcam Noeticam? Deucalioni Lucianus de Dea Syria tres filios tribuit: quot natos ex Noe legimus Gen. x. 1. Scribit Plutarchus Deucalioni *Columbam ex arca missam fluctuum decessisse certum indicium*: Quod habetur in Genes.

nef. VIII. capite v. II. Egressum de Arca Deucalionem posuisse altaria tradidit Lucianus: quod & fecit Noe citato cap. v. 20. In vertice montis consedisse arcam Deucalionis liquet ex notissimo Ovidiano carmine:

Hic ubi Deucalion, nam cetera texerat æquor,
Cum consorte tori parva rate vectus adhæsit:

atque arcam Noeticam requievisse super montes Armeniæ ibidem legimus v. 4. Igitur recte Philo in libro de præmiis: *Hunc Deucalionem Græci, Noe vero Chaldæi appellant.* Periisse denique homines universos diluvio Deucalionis scribunt Herodotus in Euterpe, Lucianus in Timone, aliique apud Schubartum. Ergo diluvium Noe, & diluvium Deucalionis unum est, & illud universale: Ethnici vero, ut rerum ceterarum, hujus Cataclysmi e sacris literis habuerunt notitiam.

Idem judicium ferendum est de Ogyge, cujus diluvium referunt ad annum ante primam Olympiadem millesimum ac vicesimum Julius Africanus, & Eusebius, ideoque contigit juxta Chronologiam Usserii anno 2208. ante mortem Ismaelis anno unico, (non, ut Salianus numerat, anno 2258.), atque post diluvium universale, quomodo scribit Augustinus, *annos amplius quam trecentos*. Verum hæc ex Atticorum historia, sive fabula orta ex diluvio Noetico. Enim vero Ogygem alii faciunt filium Neptuni, ut Joannes Meursius demonstrat in Opere, quod inscribitur Regnum Atticum, alii Bœoti. Neptuni filium & Arnæ appellant Isaacius Tzetzes, Nicocrates, & Euphorio apud Stephanum Byzantinum in libro de Urbibus. Quadrat & nomen ab aquis derivatum, unde Oceanus etiam dicitur quasi Ogen, vel Ogenus. Bœotum tradunt filium esse Deucalionis. Neptunus ergo & Deucalio idem est Ogygis, sive Bœoti genitor. At Neptunum quidam maris aquam existimarunt, quod terram nubat operiatque. Quidam Japetum filium Noe, cui obtigerunt insulæ Mediterranei & continens Europæa; ubi ad transmittendum mare & iter terrestre conficiendum, necessarium duxit nauticam instituere, & domitos equos adhibere. Ei namque imperium maris, artemque equestrem omnes adscribunt. Ogyges ergo fuit vel Japeti filius, vel alter Noachida a naufragio superstes. Igitur & diluvium Noeticum universale fuit, & omnibus notum, & ex eo Deucalionis etiam & Ogygis magna probabilitate rumor exortus. Perierunt ergo tempore Noachi homines universi; & nationes, quas advocant in testimonium fabulæ Præadamiticæ, minime ætatem Noachi antevertunt.

Quaslibet præterea Gentes esse a Noetica posteritate deducitur ex priscis singularum historiis, ad quas nos compellat apologi consarcinator. Ejus rei gratia nos Theologicis addidimus præmissa & consequentia monumenta. Etruriæ populi ceteris Occidentalibus antiquiores, (si vera sunt Vulterrana Fragmenta), exorti sunt a Vandimone, qui a Latinis Janus, a Syris Noa vocatur, & post aquas relictis in Armenia & Syria Semete, & Camese apud Nilum, cum Japete in hanc regionem advenit: ita legitur in Scarith IX. XXV. & II. Et quamquam Curtium Inghiramum Critici quidam æquiparant Annio Viterbiensi: testantur viri honestatem qui legerunt servatas Volaterris de inventione Scarithii caussas judiciales. A Jano autem Italos derivasse consentiunt Scriptores reliqui. Latini vetustissimum Italiæ Deum habuisse Saturnum recte tradidit Herodianus lib. Historiarum I. cap. 16. In Saturno necesse est, aut Adami, aut Noachi personam agnoscamus. Si cum Schubarto Saturnum dixeris Adam a Paradiso voluptatis dejectum, optime huic convenient quæ de Saturno narrat Virgilius VIII. Æneid.

Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, & regnis exul ademptis.

Atque ita Latini nullum noverunt vetustiorem Adamo. Si cum Bocharto & Vossio putas Saturnum esse Noachum, cui veteres Rabbini tradiderunt Chametem exsecuisse pudenda, ne liberos procrearet, unde nata est tota Saturni fabula; nullum Noacho antiquiorem pariter inveniemus. Ita Præadamitas damnat tota Etruscorum, Latinorumque vetustas. Vanitatem Ægyptiorum libro superiori refutavimus, & cap. ultimo de Angelis Prop. V. Liquet autem ex Genes. X. 6. Mesraim, a quo Hebræi Ægyptum appellant *Misraim* מִצְרַיִם, fuisse filium Cham. Assyriorum genti initium, & nomen dedit *Assur* filius Semi: ceteris nationibus alii Noachidæ, de quibus citatum caput X.

Idipsum deprehenditur in Gentium, locorumque vocabulis. Magna enim pars ubique terrarum hebraico nomine in Geographicis libris invenitur descripta. Apud Etruscos Vulterram *Cethim* olim dictam legimus apud Inghiramum a כתים, unde & Phœnices Cithiæi, & Rhodii Citii, Cyprii Citienses appellantur Hæresi 30. ab Epiphanio. Aretium derivare ab ארץ scripsit Dempsterus ob insignem argillam; vel antonomastice, ut arbitratur Salvinus. Cariariam esse a קריה, & החרה, quod sita sit ad montes partis lapidibus claros, observat Grotius ad cap. XXIII. Geneseos. Constat Ascaniam Homero memoratam esse ab אשכנז, Aeoles ab אלישה, Riphatæos, quorum meminit Mela lib. I. ab ריפת; Χνᾶ, *Cbna*, quam commemorat Philo Byblius, est nomen contractum כנען. Ita de reliquis urbibus locisque vetustis: ut demonstrat in Annot. 62. ad I. de Veritate Religionis Christianæ Hugo Grotius. Ex quibus consequitur non esse gentem aliquam antiquiorem Hebræa, quam propagatam ex Adamo fatetur Peyrerius. Quæ omnia confirmari possunt ex vetustate Hebraicæ linguæ; nam hanc primigeniam esse demonstrant Eruditi plurimis argumentationibus, quas in Prolegomenis ad Polyglotta Anglica collegit Brianus Waltonus. At non est necessarium has contra refutatam fabulam producere ipsis quoque fabulis adversantem.

Narrant Poetæ primum hominem, qui ex luto ceteros finxit, fuisse Prometheum, qui auxilio Minervæ ausus est in cœlum conscendere: ob quam causam irati Dii immiserunt terris febres ac morbos. Ex illo natum tradunt Deucalionem. Igitur in Prometheo latet Adamus plasmatus de limo terræ, divinæ sapientiæ cupidus, mortalium genitor, omniumque auctor malorum. Ejus uxorem Pandoram esse Evam demonstrant Origenes in IV. contra Celsum, & in III. adversus Julianum Cyrillus. Appellatur enim Pandora a Pausania Γυνὴ πρώτη, *mulier prima*: & de ipsa inquit Hesiodus in Theogonia, ἐκ τῆς γὰρ γένος ἐστὶ γυναικῶν, *Ex qua genus est mulierum*; Plutarchus autem: *Disseminavit omne malum in terras & in maria*. Nullus ergo mortalium extitit ante Adamum, quemadmodum ex sacris literis, ex Patribus, ex historia diluvii, ex Gentium Origine, ex vetustissima appellatione locorum, atque insuper ex ipsis fabulis Poetarum a nobis probatum est.

AD EA, QUÆ PRO SYSTEMATE PRÆADAMITICO SOLENT AFFERRI.

Peyrerius systema suum sacris literis conformari autumabat, maxime ob historiam Caini, & Apostoli ad Romanos Epistolam. De Caino legimus Gen. IV. fuisse agricolam, Abelem autem Pastorem ovium, atque a Deo illum reprehensum his verbis: *Nonne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum erit?* Fuerunt ergo & artes, & judices etiam ante Caini flagitium. Dein vero accepit uxorem: ædificavit urbem Henoch; & traditur etiam cum latronum manu prædæ caussa grassatorem egisse. At quam fœminam tunc generaverat Adam? quibus habitatoribus civitas referta est? Quam peregrinorum catervam iniquus prædo expoliavit? Igitur alios in Orientali plaga homines adinvenit semine diverso progenitos; unde sibi uxorem, concives, & prædonum turbam ascivit. Apostolus autem ad Rom. V. 13. & 14. ait: *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset; sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri.* Duo hic argumenta promuntur. Primum, quod mors dominata est usque ad legem etiam in eos qui non peccaverunt in Adam: igitur præter Adæ posteros alii sunt homines mortales ex alio geniti Protoparente. Alterum, quoniam Paulus ait ante legem fuisse peccatum in mundo, tametsi minime imputabatur. At imputatum est Caino, Lamech, Sodomæ civibus, aliisque omnibus, qui ante legem Mosis deliquerunt. Non ergo hanc legem Paulus designat, sed legem Adamo indictam de fructu arboris non comedendo: ideoque antequam prævaricatus sit Adam, alii fuerunt sceleribus inquinati & mortales.

Ad ea, quæ de Caino dicta sunt, facilis est responsio. Exercuit enim agrorum cultum, quemadmodum & Abel pastoritiam artem, ut in prima institutione orta ex humanæ miseriæ necessitate fieri potuit, absque aratro, ligone, vomere, ceterisque rusticis instrumentis. Nam & fabrilem artem, & rationem pascendi pecoris commorando in tentoriis adinvenerunt Jabel & Tubalcain. Sententia Domini, *Statim in foribus peccatum aderit*, significat ad culpam consequi pœnam, & neminem abire patratam crimine impunem, torquente animum synderesi, & Deo puniente criminum auctores: unde Targum habet: *Ad ostium cordis quiescit peccatum*. Afferunt Theologi exempla Matt. XIII. 29. Jacob. V. 9. &c. Sed locus satis apertus est ex Hebraico texto: in quo cum nomine feminini generis חַטָּאת *peccatum* conjungitur participium רֹבֵץ *excubans* generis masculini; quod signum est *enallages* pœnam commonstrantis. Uxorem Caini fuisse sororem suam recte scribit Augustinus lib. XV. de Civit. Dei cap. 16. principio enim mundi *Viri sorores suas conjuges acceperunt: quod profecto quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius religione prohibente.* Neque vero credibile est Adamum solos mares genuisse; neque illos tantum, quos Scriptura commemorat: sed, ut Josephus ait in I. Antiq. cap. 3. de Adamo & Eva: γίνονται δὲ αὐτοῖς καὶ θυγατέρες: *Natæ sunt eis etiam filiæ*. De constructa urbe Henoch vide præcedentis libri cap. I. Fratricidam timuisse a fratribus, vel nepotibus suis multi respondent; nec repugnat, cum homicidium patraverit anno mundi 128. Sed animadverto illud etiam, quod hæc verba, *Omnis qui invenerit me, occidet me*, sunt hominis timentis fore sibi omnem creaturam adversam, & possunt intelligi tam de homine, quam de bestiis terræ; maxime si conferantur cum hebraicis כָּל־מֹצְאִי, *Quidquid inveniet me*.

Testi-

Testimonium Apostoli primo Peyrerium ipsum perstringit. Nam Paulus eo loco ait v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Itaque ex unius Adæ inobedientia cœpit mors dominari, & omnes moriuntur reipsa, quoniam ex eo contaminato Adami semine procreantur. Nullus ergo mortalium fuit ante Adæ lapsum. Deinde sequentis versus 14. sensus exponitur. *Regnavit mors* (ait Apostolus) *ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* Idest, etiam in pueros, qui non peccaverunt in similitudinem Adæ, *qui in semetipsis, cum jam nati essent, nec ratione adhuc uterentur, qua ille utebatur quando peccavit, nec præceptum accepissent, quod ille transgressus est, sed solo originali vitio tenerentur obstricti, &c.* ait S. P. Augustinus Epist. 89. nunc 157. nu. 19. Regnavit pari jure mors in adultos legis naturæ, tametsi non peccaverint in similitudinem Adæ, videlicet capitaliter, & post latæ sibi legis præceptum: id vero non ob aliam caussam, nisi quia mors in omnes homines pertransiit per ipsum Adam, in quo omnes peccaverunt. Quapropter non ob actualia peccata, quæ nec pueri noverunt, nec ante legem arguebantur in adultis, mors dominata est, sed propter originale, quod contrahunt homines dum propagantur ex Adam. Multi præterea Codices habent: *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen in eos, qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*; ut observavit S. Pater citata Epist. & lib. 1. de Peccatorum meritis, & remiss. c. 10. Ita legit Auctor Commentariorum, quæ tribuuntur Ambrosio, aliique complures. Hæc lectio tamen eodem sensu accipienda est, ut pueri dicantur prævaricati in similitudinem Adæ, quoniam ei similes creantur, *Sicut ex homine homines, ita ex peccatore peccatores*, ait Augustinus. Atque juxta hanc lectionem nulla est argumentatio Peyterii.

Liquet ex dictis sensus alterius sententiæ, *Peccatum non imputabatur cum lex non esset.* Videlicet, ante legem Mosis non erat lex, qua arguente peccatum demonstraretur, *sive lex rationis in parvulo, sive lex literæ in populo*, inquit S. Pater eadem Epist. num. 18. Dictum est ergo, *Non imputabatur*, pro, *non redarguebatur.* Etenim ficti illi Præadamitæ fuissent homines: si homines, & rationales: si rationales, naturali saltem lege teneri debuissent; ideoque si peccassent, peccatum illis fuisset imputatum. Debet ergo & Peyrerius imputationem accipere pro legis latæ animadversione. Quod vero mors dicitur regnavisse *usque ad legem*, ita accipiendum est, ut nec lex Mosaica potuerit auferre peccatum, nobisque impertiri resurrectionem. Vide Augustinum lib. 6. contra Jul. cap. 4. num. 9. Adverbia *donec*, & *usque* frequentissime sequens tempus includunt, ut Ps. cx. 1. Matth. xxviii. 20. Ad Tim. iv. 13. &c. Igitur idem est *usque ad legem*, ac *lege Moysis vigente.*

Itaque verba Apostoli ad Romanos demonstrant peccatum Adæ fuisse unicam caussam, cur singuli homines moriantur: neque in homines regnare mortem propter peccata actualia, quoniam moriuntur & infantes ante rationis usum, & mortui sunt omnes ante legis promulgationem, etiam illi qui nullum præceptum legis acceperant, & fortassis nec noverant quid homo primus patraverit. Apertissima est versio Æthiopica, petitque jugulum tam Præadamitis, quam Pelagianis; est autem: *Et propterea quemadmodum per iniquitatem unius hominis peccatum in mundum introiit, & per illud peccatum advenit mors super omnes homines, eo quod omnibus hominibus imputatur illud peccatum, etiam non cognoscentibus quid illud peccatum sit. Usque dum venit lex, mansit peccatum in mundo non cognitum quid fuit, cum peccatum non reputabatur, eo quod non venerat eo tempore mandatum legis. Verumtamen dominata est mors propterea ab Adamo usque ad Mosen tam in iis, qui peccaverunt, quam in iis, qui non peccaverunt per illud peccatum Adami, eo quod unusquisque in similitudine Adami creatus est.* Extant hæc verba cum Æthiopice, tum Latine in Polyglottis Anglicis tom. v. pag. 649.

Opponunt præterea fabulæ Præadamiticæ assertores antiquitatem gentium plurimarum, ut Ægyptiorum, Chaldæorum, & Sinensium. Verum de Ægyptiis satis dictum est supra, necnon lib. xi. cap. i. & vii. Chaldæos originem ducere a Saturno Babylonico, quem alibi ostendimus esse Nembrod filium Chus, & illorum tempora supputari duntaxat ab *anno* cxxxi., *a salute ab aquis*, scribit Berosus apud Wolfangum Latium lib. 1. de Migratione Gentium pag. 14. Est autem annus cxxxi. post diluvium, mundi 1788. quo quidem tempore vivere debebat Nembrodus. Sinenses non esse antiquiores anno post diluvium ducentesimo demonstrat Philippus Cupletus Jesuita cap. v. Procem. in lib. Confucii. Observat Vallemontius Sumaquam Annalium Sinensium scriptorem clarissimum serius, quam alii fecerint, originem Sinensium statuere annis saltem 250. Huetius in Demonst. Evang. Prop. iv. cap. 6. probat priscam Sinensium & Japonensium Religionem ex Mosaicis libris fluxisse. His enim consentiunt quæ narrant de mundi creatione, de Paradiso, de primo homine, de serpente arbori circumplicato, de interitu Sodomæ & Gomorrhæ, de silice a Mose percusso; quamquam hæc omnia fabulis contexunt & ad Majorum suorum facinora referunt.

Ultimum argumentum produci potest ex Cosmographia. Videtur enim humanam fidem superare, quod filii Adam in oppositam terræ partem vel ante, vel post diluvium transmigraverint. Certo ante Americum Vesputium Florentinum, a quo America dicta est, scilicet ante annum 1497. vel ante Christophorum Ligurem, notissimumque argonautam, idest, ante annum 1492. nulli hominum innotuit ea pars terrarum, quam novum orbem appellitant. Nam si aliquod Americanorum extitisset vestigium, nemo Antipodas negavisset, quos & Augustinus lib. xvi. de Civ. Dei cap. 9. & Zacharias Papa Epist. x. ad Bonifacium absurdum putant excogitare. Neque alia ratione Norisius ab errore vindicat S. Patrem, nisi quod ante Columbum viris omnibus doctissimis videbatur res prorsus incredibilis potuisse homines ab uno Adamo propagatos in Americam pervenire, Oceani immensitate trajecta. Fuit ergo hæc Mundi pars nota postremis tantum sæculis. At si eo filii Noachi, & Adæ posteri transmeassent, uti contigit post Columbum & Americum, cognita fuisset antiquitus, & de ea apud Plinium, Ptolomæum, aliosque Cosmographos mentio haberetur. Americani itaque & Sinenses non sunt homines Adamitæ.

Huic argumento satisfit respondendo Americam a Columbo detectam, vel indicio Alphonsi Sanctii, qui dum Canarias versus solveret, vento abrepta navi ad ignota litora appulit, unde explorata magno labore reditus via Maderam pervenit, ibique moriens Ligori navigationis suæ Ephemerides prodidit, ut refert Franciscus Lopez, vel potius ipsius Columbi ingenio, atque animi fortitudine. Ubi enim naves ex Europæ & Africæ oris nimium Austrum versus procedunt, perveniuntque intra Tropicos, vento perpetuo flante ab ortu in occasum, & mare eadem cursus ratione concitato, feruntur expedita navigatione in Americam. Ex America autem regredi nequeunt, nisi venti petantur circa septimum ac vicesimum gradum ab Æquinoctiali, magna etiam inconstantia extra Tropicos flantes. Itaque primi homines in Americam delati sunt ventorum vi, cum Tropicos transgredi tentassent: reditum vero attentare non potuerunt, sed opus fuit, ut illuc casu abriperetur Navarchus, qui maris pericula, & ventorum conversiones calleret: ac præterea magna afficeretur redeundi cupiditate. Qui autem illuc principio appulerunt, sive Phœnices fuerint, ut videtur Huetio, sive Europæi, vel Africani alii, partim terrarum ubertate allecti, partim memorata contrarietate ventorum deterriti reditum non attentarunt; aut si forte periclitati sunt, perierunt naufragio: atque ita Americana Regio latuit usque ad annum Christianæ Æræ 1492. Aliqui tamen viri docti arbitrati sunt Americam esse Insulam Atlantidem, de qua Plato scribit sitam fuisse ultra columnas Herculis, sed ab hominum aspectu postmodum evanuisse. Idem tradunt Proclus, Ficinus, aliique Platonis Interpretes. Profertur etiam testimonium antiqui Ægyptiarum Historiarum Scriptoris, quem Marcellum appellant. Phœnices olim tempestate in regionem fertilissimam ultra Oceanum asportatos tradidit quoque libro v. Diodorus Siculus. Vel ex antiquorum lectione, vel naturalis rationis lumine novum orbem habitari, & aliquo tempore detegendum præsensit Seneca, ut liquet ex fine Actus 2. Medeæ.

Venient annis
Sæcula seris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, Tiphysque novos.
Detegat orbes, nec sit terris
Ultima Thule.

Valde itaque probabile est Americam veteribus non fuisse prorsus ignotam; & nihilominus Patres de Antipodis merito dubitasse, cum probari non posset eorum existentia per certam Historicorum fidem, vel antiquissimam traditionem. At de Præadamitis dictum satis.

CAPUT II.

De corporeo primi hominis plasmate, & formatione mulieris.

LIBRO superiori, 11. capite explicatum est quomodo in Augustiniana Doctrina de simultanea rerum universarum productione duplex hominis sit distinguenda creatio, secundum caussalem rationem sive in primordiis seminariis, & in singulari propriaque corporis sui plasmatione, atque inspiratione animæ spiritualis. Id vero quoniam ad solvenda Cajetani argumenta expeditum & percommodum est, ne sæpe eadem repetantur, sufficiat modo unicum Augustini testimonium proferre; qui de creatione Adami disserens lib. de Gen. ad lit. vi. c. 15. *De limo* (inquit) *formari oportebat secundum caussalem rationem, in qua primitus factus erat. Nam si aliter factus est, non illum Deus in illorum sex dierum operibus fecerat; in quibus cum dicitur factus, ipsam caussam utique fecerat Deus, qua erat suo tempore homo futurus, & secundum quam fuerat ab illo faciendus, qui simul & consummaverat inchoata propter perfe-*

ctio-

ctionem caussalium rationum, & inchoaverat consummanda propter ordinem temporum. Itaque per Augustinum formatio corporis Adæ de limo terræ descripta II. Geneseos v. 7. ad opera sex dierum non pertinet; nam Adam simul & Eva secundum caussalem rationem jam creati erant una cum ceteris rebus cap. I. v. 27. Atque de peculiari ista formatione ex limo terræ enarrata secundo capite Genesis quæstionis totius cardo vertitur.

De corpore quidem Adæ legimus: *Formavit Deus hominem de limo terræ*: limumque appellant alii liquorem opimum, alii terram aqua permixtam; non enim plasmavit Deus Adam de fumo, aut vapore aquæ, unde est æther, sed de humore crassiori, ut novit etiam Ovidius in 1. Metamorph. atque in Theogonia Hesiodus. Hanc terram fuisse fulvi, rubidique coloris scribit in 1. Antiquit. Josephus, commonstratque hebraicum ipsius limi vocabulum ארמה *Adama*, unde primus homo dictus est אדם *Adam*, quasi, *Rubicundus & rufus*. At de his apud Interpretes plura. Nostra tantum refert dispungere oppositas quorumdam opinationes: asserentibus perpaucis Adamum infantilibus membris fuisse creatum, nonnullis etiam in statura Gigantum. Quam postremam sententiam amplectitur in lib. 1. de Emendat. temporum cap. 4. Joannes Lucidus. Occurrunt quædam & de Eva prima omnium muliere: quæ principio appellata est *Virago* אִשָּׁה *Iscià*, a viro אִישׁ *Isc* postmodum proprio nomine dicta est *Eva* ab חוה *Ava*, esse, & vivere, quod ipsa omnium viventium sit parens. De hujus formatione Rabbini quidam, nec non Eugubinus in Cosmopœeja effutiunt fabulosum errorem, idest, mulierem productam simul cum homine membris omnibus perfectam, & latere lateri media unica ex costis conjuncto. Cajetanus narrationem de mulieris ædificatione ex una costarum viri putavit esse allegoricam, nempe non veram historiam, sed parabolam. Omnia hoc loco sunt a nobis definienda.

PROPOSITIO I. Adami corpus neque infantili ætate, neque statura Gigantis productum est.

Demonstratur propositionis prima pars; quoniam frustra creditur Deum initio temporis ita naturæ ordinem servasse, ut hominem procrearet qualis nunc nascitur. Nunc enim infanti adhæret genitrix illum excipiens, bajulans, nutriens, & infirmæ ætatis curam gerens: matrem autem præter limum non habuit homo ille primus. Fuit præterea Adæ formatio opus solius Dei, qui ad manifestandam omnipotentiam virtutis suæ nullo morarum temporalium intervallo usus est. *Quis nesciat aquam concretam* (inquit S. P. Augustinus lib. VI. de Gen. ad lit. cap. 13.) *cum ad radices vitis venerit duci in saginam ligni illius, atque in eo sumere qualitatem, qua in uvam procedat paulatim erumpentem, atque in ea grandescente vinum fiat, maturumque dulcescat? Num ideo Dominus lignum quæsivit, aut terram, aut has temporum moras cum aquam miro compendio convertit in vinum, & tale vinum, quod etiam ebrius conviva laudaret?* Hoc, aliisque exemplis probat S. Pater Opificem omnium statim formasse hominem adultum, & juvenili robore præditum.

Altera pars comprobatur primo, quod cap. VI. Gen. v. 4. legitur Gigantes originem ducere a connubiis filiorum Dei cum filiabus hominum: de quibus dixi de Angelis cap. III. & XX. Ergo ab exordio mundi non erant proceri illi homines, virique *famosi* super terram. Congruum deinde erat, ut ceterorum hominum protoparens nec pygmæus esset, nec Gigas: haberetque tam eximium Dei opus aptam extensionem membrorum. Adversa insuper opinio nititur verbis Josue cap. XIV. 15. *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim situs est.* Certum est enim ex Num. XIII. v. ultimo, ענקים esse posteros Enac proceræ staturæ, & generis gigantei. At nihil inde evincitur. Ut enim concedamus primum hominem in Hebron fuisse sepultum, ut est vetus traditio Hebræorum, (a qua non recedit S. Hieronymus) existimantium Urbem Hebron dictam primitus קרית ארבע, *Cariath Arbe*, quasi *Civitas quatuor*, quod ibidem humata sint quatuor *Capita*, videlicet Adam, Abraham, Isaac, & Jacob, cum uxoribus suis Eva, Sara, Rebecca, & Lia: ut, inquam, id concedamus; negari potest Adamum dici maximum propter membrorum structuram, cum æque maximus posset appellari ob solam originem, & primi parentis auctoritatem.

Præterea, hæc Hebræorum traditio de primo homine sepulto in Hebron nullam habet ex allato textu confirmationem. Primum quia nomen *Adam* non proprium hic est, sed appellativum & singulis hominibus commune: Deinde quia non est verisimile Hebræos nomen pristinum Civitatis commutasse, quod Patrum suorum sepulcrum nomenque servaret. Atque Adam hoc loco appellativum esse evincitur 1. quod scriptum sit in Hebræo האדם cum præfixo ה, quod nomini proprio Adæ non additur: ceteris autem nominibus propriis perraro & irregulariter, quorum exempla profert Buxtorfius in Thes. Gram. lib. 2. cap. 5. At nomen *Adam*, quod sui notitiam per se exhibet, caret ubique signo notificativo ה, ut scribit in *Michlol* R. Kimchi. Ad hæc: *Arbe* non esse nomen numerale, sed proprium viri constat ex cap. sequenti Josue XV. 13. *Cariath Arbe Patris Enac, ipsa est Hebron.* Ergo Arbe est Pater Gigantum, & maximus ille homo sepultus in Hebron. Idem liquet ex versionibus ceteris. LXX. habent nomen proprium, πόλις Ἀργόβ: Chaldaica latine reddita, *Kiriath Arbagh, homo magnus in fortibus ipse*: Arabica, *Civitas Rabee, hominis scilicet ingentis staturæ*. Ergo neque Adam est ille maximus inter Enacimos, neque hinc eruitur Hebron esse Tetrapolim, ibique tumulo conditum primum hominem.

PROPOSITIO II. Corpus primorum Parentum non fuit Androgynum, idest viri simul & fœminæ ad latus hærentium.

Demonstratur adversus Eugubinum. I. Quoniam in ejus sententia narrationibus Luciani connumeranda necesse est ut Adam simul & Eva fuerint de limo terræ formati: Sed hoc somnium est & improba vanitas: Ergo & Eugubini assertio dignum est Poeta mendacium. Minor probatur; quoniam ex II. capite Genes. v. 28. constat fuisse jam hominem, cum non *inveniebatur adjutor similis ejus*. Et Apost. in I. ad Timoth. II. 13. ait: *Adam enim primus formatus est, deinde Eva*. II. In Eugubini sententia uterque homo tam Adam, quam uxor de terra fuerunt plasmati. At istud etiam scripturis repugnat, ut constat ex eodem cap. Gen. ubi Adam dicitur formatus de limo terræ, Eva ædificata ex una de costis ejus. In Ecclesiastico cap. XVII. v. 5. pariter legimus: *Creavit ex ipsa adjutorium simile sibi*. Ergo mulier de osse Adami, non de limo immediate producta est. III. Homo est caput mulieris, ut inquit Apost. in 1. ad Corinth. cap. XI. 3. atque ideo caput est, quia non vir ex muliere, sed mulier est ex viro, ait ibidem Apost. v. 8. Igitur Eva ex Adamo vere fuit ædificata; alioqni neque homo caput uxoris, nec mulier gloria & imago viri ob productionem appellaretur, sed æque dici posset Adam imago Evæ, & Eva caput Adami.

Opponit Eugubinus. Nisi Eva simul cum Adamo fuisset producta, nec verum esset quod scribitur 1. Gen. 22. *Masculum & feminam creavit eos*: nec statim ei Dominus benedixisset dicens: *Crescite & multiplicamini*; nec mulier diceretur creata *ad imaginem Dei*. Simul ergo Deus hominem & mulierem condidit. Cur enim in I. Genes. hæc omnia narrantur, si nondum mulier tunc erat?

Resp. nos jam declinasse istiusmodi argutationes, dum præmonuimus in Augustiniana sententia creationem descriptam in primo Genesis comprehendere Adamum & Evam, quatenus facti sunt secundum rationem caussalem, in qua uterque continebantur; dies enim Geneseos referendos esse ad perceptiones Angelorum directas ad res omnes unico momento creatas vel in propria specie, vel in rationibus seminariis, Augustini sententia est alibi confirmata. Instituitur nunc quæstio de formatione hominis de limo terræ, quæ cap. 2. narratur, nec pertinet ad opificium sex illorum dierum. Hæc autem non est illa, qua Deus fecit hominem ad imaginem suam, & masculum & feminam creavit eos: sed qua formavit hominem de limo terræ, Evam autem ædificavit de costis ejus. Quæ si difficilia videntur, ad caput secundum præcedentis libri redito. Nec qui negant simultaneam creationem jaculis Eugubini concutiuntur. Respondent sexta die creatum Adamum ac positum in Paradiso, immissum deinde soporem in Adam, subtractam unam ex costis, ædificatam mulierem, illis tandem Dominum benedixisse; atque secundo capite Genesis ampliori narratione referri quæ contracta brevique fuerant præmissa. De imagine autem Dei respondent in anima, non in corpore sitam esse, & argumento illo probari ita primam mulierem fuisse Dei imaginem, ut sunt homines ex utero ipsius propagati. Verum de hac imagine proximo capite VII.

PROPOSITIO III. Quæ de productione Evæ II. capite Geneseos narrantur, accipienda sunt literaliter & historice, non παραβολικῶς ac translate.

Non illud Cajetano negamus in Evæ de latere Adami productione, tamquam in typo latuisse Ecclesiæ mysterium, dicente Apostolo ad Ephes. v. 32. præcessisse in primorum parentum conjugio Christi & Ecclesiæ Sacramentum; quod S. Pater de Civit. Dei lib. XXII. cap. 17. explicans ait: *Ut in exordio generis humani de latere viri dormientis costa detracta femina fieret, Christum & Ecclesiam tali facto jam tunc prophetari oportebat. Sopor quippe ille viri mors erat Christi, cujus exanimis in cruce pendentis latus lancea perforatum est, atque inde sanguis & aqua profluxit: quæ sacramenta esse novimus, quibus ædificatur Ecclesia.* Itaque negamus duntaxat mulierem vere non esse de viri latere detractam, & cap. II. Geneseos parabolam quamdam narrari, & non rei gestæ veram historiam. Id vero primum, quoniam non recte Adam expergefactus oblata sibi a Domino uxore dixisset: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*. Præterea nec verum esset mulierem appellari ab איש *Viro* אשה *viraginem*, quoniam de viro sumpta est; nisi revera Deus costam Adæ in mulierem ædificasset. Rursus nec verum esset Adam formatum de limo, ac postea Evam de Adamo, ut supra contra Steuchum disserebamus. Ulterius non esset in sensu Cajetani vir caput mulieris, & in hujus productione non fuisset præfiguratum

Sacra-

Sacramentum Ecclesiæ. Insuper conveniunt Theologi a proprio literæ sensu recedendum non esse sine magna ratione & auctoritate: utraque autem deest Cajetano. Ad hæc: tenenda est regula Augustini lib. III. De Doctr. Christ. cap. x. discernentis propriam locutionem a tropica, ubicunque in sermone divino traditur quidquid ad fidei veritatem & ad dilectionem honestatemque refertur. At productio Evæ ex una costarum Adami magnopere confert ut vir adhæreat uxori suæ, quomodo legitur II. Genes. v. 24., atque ut mulier viro subdita sit, quemadmodum præcipit Apost. ad Ephesios v. 21. Igitur locutio memorati capitis II. Geneseos est propria & historica in eo, quod attinet ad ipsius feminæ constructionem. Postremo Hieronymus in Epist. ad Philemonem, & S. P. Augustinus lib. IX. de Genesi ad lit. cap. 13. videntur infidelitatis illum arguere, qui non crederet *Adamum ex Deo plasmatum*, (inquit Hieronymus) *Evam ex costa illius, & latere fabricatam*.

Objicit Cajetanus. Nisi productionis Evæ parabolicam narrationem asseramus, plura consequuntur absurda. Sequitur primo Adamum aut fuisse monstrum priusquam formata esset Eva, aut postea sublata costa, imperfectum & mancum. Alterum absurdum est, quod si literaliter accipiatur versus 20. *Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus*; videtur quæsitum inter femellas animantium an esset aliqua in uxorem ei danda: quod futile est admodum, ac Dei sapientiam, & rectam Adami rationem summe dedecet. Consequitur tertio duplicem esse productionem mulieris, unam, qua simul cum viro facta est, alteram, qua fuit de latere illius fabricata. Hoc etiam inverisimile consectarium emergit, quod dixerit Deus protoparentibus: *Crescite & multiplicamini*, quando nondum erat femina. Erit pariter mendacium, quod scribitur v. 27. I. cap. Gen. *Masculum & feminam fecit eos*. Denique si mulier viro dormiente formata est eodem loco, atque ex latere ipsius, quomodo Opifex *adduxit eam ad Adam?* Parabolica est ergo narratio Geneseos, nec *humano more accipienda*, ut hom. XV. monuit Chrysostomus.

Resp. nego ant. nullum quippe ex oppositis consectariis ex præcedente theoremate infertur. Nam ad I. respondetur costam, quam Deus in mulierem ædificavit non fuisse superfluam ac redundantem, cum potius impares nunc inveniantur in homine a vertebris spinæ pertingentes ad sternum, & inferius ad xiphoidem terminatæ, quarum unam pro muliere formanda Deus ex Adamo subtraxit: atque ne mancus remaneret, *replevit carnem pro ea*. Ad 2. Respondeo idem significare *non inveniebatur* ac, nondum fuerat productum: siquidem femellæ animalium irrationalium non sunt a Deo factæ ex masculis, quoniam necesse non erat tantum in bestiis reperiri vinculum necessitudinis, quantum est uxorem inter ac virum. Animadvertunt quoque Hebraicæ linguæ periti, ea verba וּלְאָדָם לֹא מָצָא עֵזֶר *Et Adæ non inveniebatur adjutorium*, usitata phrasi significare, quod Adam non inveniebat *ipse sibi*. Quare Josephus lib. I. Antiq. cap. I. Adamum appellat [illegible], idest, *obstupescentem*, quod ei condita non esset ad societatem femina. Inquisitio itaque & admiratio cadit in solum Adam, non in Deum. Ad ea, quæ consequuntur, responsio obvia est ex duplici creatione, quam Schola Augustini defendit: & si illam nondum quisquam percepit, *redeat ad Scripturam, inveniet sexto die hominem factum ad imaginem Dei, factos autem masculum & feminam. Item quærat quando facta sit femina, inveniet extra illos sex dies. Tunc enim facta est, quando Deus de terra finxit adhuc bestias agri & volatilia cæli; non quando volatilia produxerunt aquæ, & animam vivam, in qua & bestiæ sunt, produxit terra. Tunc autem factus est homo, & masculus & femina: ergo & tunc, & postea. Quæret ex me quomodo. Respondebo postea visibiliter, sicut species humanæ constitutionis nota nobis est; non tamen parentibus generantibus, sed ille de limo, illa de costa ejus. Quæret tunc quomodo. Respondebo invisibiliter, potentialiter, caussaliter, quomodo fiunt futura non facta.* Ita Augustinus lib. VI. de Gen. ad lit. cap. 6. numer. 10. In aliorum sententia respondetur unicam esse mulieris productionem, ut supra dixi ad argumenta Eugubini.

Ingenue fateor perdifficile esse in sententia de simultanea creatione, quomodo sexta die fuerit femina si tantum homo conditus est caussaliter; & quomodo ipse homo factus sit ad imaginem Dei, nondum constitutus in visibili specie, & informatus anima, in qua ratio divinæ imaginis sita est. Sed observandum est in ea sententia, Angelos producente Deo creaturas participatione sempiternæ lucis percepisse quid in involucris illis primordialibus lateret, idest, foret successivo tempore in propria specie formandum. Viderunt ergo limum terræ, & perficiendum ex illo corpus Adæ, cui Deus inspiraturus erat animam rationalem, in qua divina imago principaliter sita est. Atque hæc etiam in seipsis extra caussales rationes conspexerunt, posteaquam prima illa creatio præteriit. In qua multa commemorata sunt, quæ ut fierent visibiliter, erant temporales moræ exspectandæ. Hujusmodi est distinctio sexuum, creatio animæ rationalis, & quæ secundo capite repetuntur: & hæc ad creationem simultaneam non pertinere alibi præmonuimus.

S. Joannes Chrysostomus hom. XV. in Genesim commonet sapientissime, ne *adeo verbis addicti simus, ut minime de Deo, ut par non est sentiamus*. Quandoquidem dum dicitur, *Accepit, & omnia talia, propter nostram infirmitatem ita dicta sunt*. Prohibet ergo ne secundum literam sic accipiamus Deum insufflasse, tulisse costam, ædificasse mulierem, adduxisse ad Adam, quasi & os labiis circumseptum, & manus ad cretam tractandam, & pedes habeat corporeos. In fabricanda autem Eva de costa viri summa virtus artificis, rectitudo providentiæ, futurorum sacramentorum præscientia, & lex dilectionis magnopere commendatur. Quod & nos supra indicavimus, & exprimit eadem Homilia flumine illo aureo singularis, gravissimæque Orationis Chrysostomus.

CAPUT III.

De substantia, & origine Animæ.

ET corporis quidem originem hucusque vidimus: ejus etiam naturam philosophando comprehendimus, sive in dimensione constituatur & extensione partium, sive in hujus aptitudine. Augustinus in Epistola XXVIII. ad Hieronymum corpus describit his verbis: *Corpus est quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur vel movetur, ut majore sui parte majorem locum occupet & breviore breviorem, minusque sit in parte, quam in toto*. Ubi etiam animadvertit rationalem animam *corpus* esse, si nomine corporis intelligatur sola substantia vel essentia; aut si solam naturam, quæ summe incommutabilis & ubique tota est, placeat appellare incorpoream. Quod ad intelligendas veterum quorumdam sententias plurimum confert; etsi modo sermonis consuetudine *corpus* dicimus illud, quod nuper definivimus. Corporeæ naturæ animam esse Athei soli, & homines de grege Epicuri iniquissime autumant. Ex adverso aliqui tam sublimem excogitarunt, ut crederent cum Manichæis esse quamdam divinæ substantiæ portionem. Atque hi duo circa substantiam animæ errores sunt procul eliminandi. De origine autem animæ, quæ est hujus quæstionis pars altera, disquirendum primo an creata sit ante corpus, & in ipsum ob crimina perpetrata ex altissimo domicilio depressa, ut inquit in Catone M. Tullius, atque disseminavit inter Ecclesiæ limites hydra omnium hæreseon Origenes. Videndum posthac an sit propagata ex semine, an saltem fiat per traducem; ut plures ex antiquis Patribus dubitarunt. Disquirendum denique an simul cum corpore moriatur, & si perpetuo vivit, quod profitetur fides christiana, & etiam infideles permulti consentiunt, transmigret de uno corpore in aliud.

PROPOSITIO I. Animus hominum incorporeus est, atque spiritualis naturæ.

Demonstratur I. ex Scripturis, in quibus nomen quidem Spiritus non semel pro flatu ventoque accipitur, sed interdum usurpatur pro re subsistente, maxime si præponatur articulus, ut demonstratum est libro VII. cap. 14. Itaque Paulus ad Corinthios I. cap. 2. vers. II. ait. *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei*. Atqui Apostolus per spiritum hominis significat rem subsistentem, sive naturam a corpore distinctam; ergo est in homine talis subsistens & incorporalis natura, quam animum, vel animam appellamus. Prob. minor; nam in in Græco tam *spiritus Dei*, quam *spiritus hominis* cum articulo reperitur; idest, τὸ πνεῦμα: Spiritus Dei est res subsistens: Ergo & spiritus hominis. Sunt etiam in Scripturis loca innumera, quibus demonstratur Animam a corpore separatam persistere, ut infra de animæ immortalitate: At quod separatur a corpore & perpetuo vivit, corporeum esse non potest. Præterea Lateranense Concilium IV. cap. *Firmiter* hanc propositionem apertissime definivit. Patres etiam illam tradunt concordissime. *Incorpoream esse animam fateor mihi persuasum esse*, inquit S. Pater laudata Epist. ad Hieronym., & in Psalmum 145. *Res spiritualis est, res incorporea est, vicina substantiæ Dei*. Habent reliqui omnes Patres consimilia.

Accedunt physicæ demonstrationes. Prima est Augustini in libro de Quantitate animæ cap. 12. Si mens humana esset materialis, non posset tantas rerum imagines complecti, nec percipere undequaque diffusa corpora, aut saltem cernere cogitatione sua lineam latitudinis expertem, punctum, quod oculo non conspicitur, veritatem, sapientiam, unitatem, aliaque Dei attributa, quæ absque sensuum subsidio possunt apprehendi: sensus enim sola sensibilia attingit, & virtus corporalis corpora tantum. Sed mens humana ingentes capit imagines, & interiori lumine videt quicquid oculorum aciem & vim ceterorum sensuum excedit, minimum punctum lineæ, hujus a longitudine distinctionem, apprehenditque etiam invisibilia, & divina. Igitur mens

hu-

humane materielis non est. *Si corporea*, inquit S. Pater, *corporeis oculis mira quadam rerum cognatione cernuntur, oportet animum, quo videmus illa incorporalia, corporeum, corpusve non esse*. Altera demonstratio præcedenti affinis est: Mentem humanam esse substantiam cogitantem quisquam in semetipso experitur: Sed in idea substantiæ cogitantis nulla occurrit extensionis, & materiæ perceptio: Ergo in idea mentis humanæ non extensio, non materia, non corporis natura relucet. Ideæ autem rerum nobis veritatem exhibent, ut libro primo diximus, & demonstrant Philosophi.

Opp. 1. In idea divinæ justitiæ non concipitur misericordia, & tamen sunt una res indistincta. Ergo licet in idea mentis humanæ non percipiatur corporalis extensio, non sequitur mentem esse a materia extensa diversam.

Resp. Nego conseq. Idea enim justitiæ non repræsentat rem ut in se est, sed prout connotat extrinsecum objectum; ac proinde sat est, si objectum justitiæ diversum sit ab objecto misericordiæ, ut utriusque idea & conceptus distinguatur. At notione *Mentis* percipio substantiam quæ cogitat, quæ vult, quæ dubitat; quemadmodum per ideam *Corporis* concipio substantiam materialem, extensam, & figuratam: ideoque diversa corporis ac mentis perceptio infert discrimen inter mentem cogitantem, & corpus extensum: idest non inter objecta duntaxat, sed inter unam, aliamque substantiam.

Opp. 2. Quod adolescit ac minuitur est corporale & extensum· Mens humana adolescit & minuitur; Est ergo extensa & corporalis. Liquet minor: nam juvenes cognitionem acquirunt, qua carent pueri, & mentis acies, quæ in illis viget, in his hebescit, atque in senibus item obtunditur.

Resp. dist. minorem: Humana mens viget, & flaccescit in officio sensuum, quorum tendines ætate aut durescunt aut laxantur, ita, ut anima conjuncta corpori facile, vel difficulter pro organorum dispositione & motuum vicissitudine agat per oculos, aures, & instrumenta reliqua corporis, concedo. Viget ac decrescit per semetipsam, suamque naturam, nego. Vide librum 1. cap. 3. hæc idoneo aptoque exemplo explicata.

PROPOSITIO II. Rationalis anima non est portio aliqua divinæ substantiæ.

Invictissimo argumento Augustini probatur. I. Divina substantia incommutabilis est: Anima non est incommutabilis: Ergo anima non est divina substantia. *Nos enim credimus* (inquit S. Pater lib. VII. de Gen. ad lit. cap. 2.) *Dei naturam atque substantiam omnino esse incommutabilem. Porro autem animæ naturam vel in deterius, vel in melius commutari posse quis ambigit? Ac per hoc sacrilega opinio est eam & Deum unius esse substantiæ*. Et Epist. XXVIII. *Deum nefas est nisi vere summeque incommutabile credere. Non est igitur anima pars Dei*. II. *Omnis substantia vel Deum habet auctorem, vel ipsum auctorem non habet. Si non habet Deum auctorem, Deus est. Si habet Deum auctorem vel facta est, vel facta non est. Porro quæ facta non est, & tamen ex ipso est, aut genita est ab illo, aut procedit ex illo. Quæ genita est, Filius est unicus, quæ procedit Spiritus Sanctus, & hæc Trinitas unius est, ejusdemque naturæ*. Ita S. Pater libro II. de Anima & ejus origine cap. 3. Atqui anima non est Filius, aut Spiritus Sanctus. Ergo est substantia quæ habet Deum auctorem, & facta est. Substantia vero, quæ facta est, creatura nuncupatur: & *Creatura ita esse dicitur ex Deo, ut non ex ejus natura facta sit*. Plura eo loco Augustinus.

Opp. 1. Act. XVII. 28. & 29. dicimur *Genus*, idest, progenies Dei: Itaque ex ipsa Dei substantia propagati sumus.

Resp. nego consequentiam. Etenim explicat eodem loco Apostolus, quomodo Genus sumus Dei, scilicet, quoniam *longe non est ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, & movemur & sumus*. Quorum verborum sensus est: posse rationales homines Deum quærere, & mente ad illum accedere per contemplationem sui ipsius, & caritate & amore filios Dei nuncupari, maxime quod nobis per Christi gratiam supernum lumen, & dilectio sancta inspiretur. Revocat præterea Apostolus per hæc verba ab idololatria præclaro argumento. Nos, inquit, sumus genus Dei, & ab ipso cum vitam, tum motum nanciscimur. *Non debemus æstimare auro, & argento, aut lapidi, sculpturæ artis & cogitationis hominum Divinum esse simile*. In quibus hæc ratiocinii vis inest. Omne opus est ignobilius opifice: Simulacra sunt sculpta ex auro, aut ex lapide, industria & artificio hominum. Sunt ergo homine ignobiliora. Si autem homine; profecto viliora sunt ipso Deo, qui & vitam & facultatem omnem impertitur hominibus. Nefas est ergo simulacra tamquam divinum quidpiam habere, atque his æquiparare Creatorem omnium, qui habitat in templis non manufactis. Accommodat etiam Apostolus se Poeticæ locutioni recitans *hemistichium* ex Phænomenis Arati illustris poetæ Cilicis, qui floruit tempore Ptolomæi Philadelphi circa Olympiadem 105. Arati verba sunt: *αὐτοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν*: *Ipsius enim & genus sumus*. Producit versus, unde transumpta sunt, Clemens Alexandrinus in V. Stromatum. Sensum autem Arati sic reddit in sua Paraphrasi Festus Avienus.

Flos & flamma animæ, qui discurrente meatu
Mentis primigenæ penetralia dia resolvens
Implevit largo venas operatus amore.

Ita vero Deo aptat Paulus, quæ de Jove dicta fuerunt ab Arato.

Opp. 2. Deus animam creavit inspirando in faciem Adæ spiraculum vitæ; ideoque spiritus hominis est halitus & afflatus Dei. Dei autem halitus est ex Dei substantia. Igitur ex Dei substantia rationalis animus productus est. Deinde non consequitur substantiam Dei diminui ac discerpi ex quo inde sit anima, integer enim manet ignis lucernæ, cum de illa altera accenditur; neque dum a nobis uter inflatur, aliqua portio nostræ naturæ in illum infunditur. Ratione ergo consimili Deus absque substantiæ suæ diminutione creavit animam de seipso. Etiam Elisæus flando mortuum puerum suscitavit, neque portio substantiæ ipsius discerpta est atque abscissa.

Resp. dist. majorem: Spiritus hominis est halitus Dei, idest, spiritus hominis halitu Dei productus est ex nihilo, concedo: idest, spiritus hominis est halitus, qui est halitus naturæ Dei, nego: *Quid est quod dicis* (ait S. P. Augustinus lib. III. de Orig. Animæ ad Vincentium Victorem cap. 3.) *eam particulam esse quamdam halitus naturæ Dei? Numquidnam ipsum halitum natura Dei, cujus halitus est ipsa particula, negas ejusdem cujus Deus est esse naturæ? Si negas, ergo de nihilo & istum halitum fecit Deus, cujus halitus animam vis esse particulam. Aut si non de nihilo, dic unde illum fecerat Deus. Si de se ipso, ergo ipse est, quod absit, materies operis sui*. Distinguo etiam minorem: Spiritus Dei est ex Dei substantia, spiritus creatus a Deo, nego: Spiritus datus a Deo, nempe Spiritus Sanctus, est ex Dei substantia, videlicet, procedens a Patre & a Filio, qui sunt eadem substantia, concedo. At quid inde? Spiritus Sanctus est ipse Deus, eademque cum Patre & Filio substantia, & natura. Quare & ipsa Anima Deus foret, si esset spiritus non de nihilo, sed de ipsa substantia Dei. Vincentii exempla adversus auctorem retunduntur. Ignis enim integer manet dum lucerna altera accenditur, sed alterius naturæ est, non *specifica*, ut inquiunt, sed *numerica*: animam vero ac Deum esse individua ejusdem *speciei*, nisi maximam Deorum turbam invexeris, non poteris ullo modo percipere. Inflando utrem, non de natura nostra, sed de illo aere circumfuso flatum facimus. Ita Deus non de natura sua creavit in homine spiraculum vitæ, sed ex nihilo: nam cum sit omnipotens & incorporeus, nec aerem attrahit ad spirandum, neque indiget arte ut faciat flatum viventem ac sentientem. Ad Prophetæ exemplum: *Ita ne* (ait S. Pater eodem libro cap. 5.) *flatum Elisæi fuisse putas animam pueri? Non usque adeo te a vero exorbitare crediderim*. Verum plura eo loco Augustinus.

CAPUT IV.

Altera pars præcedentis dissertationis, quæ est de Animarum origine.

SIT modo adversus Origenianos, Priscillianistas, ceterosque, qui de animorum origine turpissime desipuerunt,

PROPOSITIO I. Spirituales animæ non sunt creatæ extra corpora, atque in terrenum carcerem ob perpetratum crimen detrusæ.

Exploditur contrarius error his momentis. Principio juxta dogmata Origenis caussa mundi faciendi non fuit ut conderentur bona, sed ut cohiberentur mala, quippe corpora creata sunt ut essent vincula animarum, quæ peccando a Conditore recesserant. At nullam caussam faciendi mundi Scriptura commemorat, nisi ut bona fierent a bono Deo, *Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona*, legimus 1. Genes. v. ult. Non fuissent autem valde bona, si corporibus singulis fuisset alligata anima nefario scelere turpis. Igitur adversatur Origenianum dogma Scripturis. Deprompta est hæc prior argumentatio ex Augustino lib. XI. de Civit. Dei cap. 23. atque iisdem pene verbis contexta. Præterea definitum est Canone VI. Concilii Bracharensis, necnon a Viennense sub Clem. V. animam esse suapte natura *formam corporis*. Non ergo propter demerita quasi mancipium corporis ergastulo subjicitur. Rursus immundi dæmones gravius peccaverunt, quam animæ, & dæmonibus aerium corpus, Animabus vero terrenum ac limosum, si his credimus, pro carcere constructum est. Graviori ergo culpæ, quod repugnat summi Numinis inviolatæ æquitati, levior pœna rependitur; cum solidiora & crassiora hominum corpora sint comparatione ætheris carceres magis tenebricosi ac teterrimi. Atque hanc ratiocinationem pariter ex Augustino deprompsimus memorato libro de Civ. Dei, & adversus Priscillianistas ad Orosium cap. 8. Ulterius, ut eodem loco magnus Doctor animadvertit, si Deus peccatis rationalium spirituum ad fabricandum mundum esset adductus, hoc sequeretur absurdum, quod duos soles, vel tres, vel quatuor, vel centum, dummodo centum animæ æqualiter peccassent, debuisset producere: & consequenter præsens mundi harmonia non est ab Opificis provisione mirabili, sed contigit tanta unius animæ peccantis progressione, ut sola corpus tale, idest, solem promere-

rere-

reretur. Denique ad Rom. v. 12. habemus; quod *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*; non ergo extra Adam animæ peccaverunt, nec in Adam, hoc est, in carnem, quæ ex Adam propagata est, tamquam in carcerem fuerunt intrusæ. Quod etiam argumentum exscripsimus ex Augustino Epist. xxviii. ad Hieronymum prope finem.

Opp. 1. Sap. viii. 19. & 20. legitur: *Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam: & cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum*. Pro conditione ergo meritorum præcedentium corpora aut inquinata, aut munda animabus deputantur.

Resp. nego consequentiam: enimvero planissimus sensus est Salomonem adhuc puerum optimæ indolis & temperiei fuisse, ejusque animam absque notabili vitio naturali; cumque esset magis bonus divinæ gratiæ auxilio, diu continentiam ac munditiem carnis servasse, atque eo pervenisse ut in mortali corpore caste viveret, ex totis præcordiis Deum precatus, ne terrena inhabitatio deprimeret sensum multa cogitantem. Nec patitur textus ille interpretationem Origenistarum: nam si anima hujus pueri erat bona, nec animus terrenum in corpus truditur nisi propterea quod in superiori vita improbus evasit, quo jure anima illa venit ad corpus? Quod certo quantumvis optimæ temperiei, malorum animorum est, non bonorum custodia. Si vero Origenianus reponat animas, quas Deus mittit in corpora, pares natura fuisse, nec discrepantes mala liberi arbitrii voluntate; non erat ergo bona anima hujus pueri, nec melior ceteris differentia morum. Sed nec melior erat corporali temperamento, quoniam puer erat magis bonus antequam veniret ad corpus incoinquinatum. Unde igitur? Vide Augustinum librum x. de Gen. ad literam cap. xvii. & sequenti; in quo etiam hunc locum egregie interpretatur de Christo Domino. Ipsius vero ante Incarnationem præexistentiam & firmissima fide tenemus, & alibi contra Socinianos propugnavimus. Atque hinc eruitur responsio altera, quod verba Salomonis accipienda sunt de Filio Dei, cujus ille typum gerebat.

Opp. 2. S. P. Augustinus lib. vii. de Gen. ad lit. cap. 24. ut suam de simultanea rerum omnium productione tuetur sententiam, ait: *Credatur ergo, si nulla scripturarum auctoritas, seu veritatis ratio contradicit, hominem ita factum sexto die, ut corporis quidem humani ratio caussalis in elementis mundi, anima vero jam ipsa crearetur, sicut primitus conditus est dies, & creata lateret in operibus Dei, donec eam suo tempore sufflando, idest, inspirando, formato ex limo corpori insereret*. Ergo Augustinus in errorem prolabitur, quem ipse in Origenistis reprehendit.

Resp. 1. Nego consequentiam; non enim Augustinus opinatur animam Adæ tamquam captivam ob culpæ demeritum venisse invitam ad corpus: sed eo fine conditam, ut corpus statim formandum sponte subiret. Secundo respondeo, quidquid Vellosillus scribat Advert. in tom. ix. q. 17. falsum esse quod S. P. hanc de anima Adæ tenuerit opinationem. Disputat quidem citato libro vii. an simul cum aliis creaturis anima producta sit; & cap. 22. demonstrat non fuisse conditam secundum caussalem rationem, quoniam hæc ratio caussalis in creatura corporea latere non potuit, cum anima spiritualis sit, & expers materiæ. Proximo capite demonstrat nec latuisse animæ primordialem rationem in natura Angelorum, cum anima filia Angeli non dicatur. Capite sequenti vicesimo quarto ait, *Quod humanæ opinioni tolerabilius videtur*, si potius affirmetur animam creatam quidem ab initio, sed latuisse in operibus Dei, donec formato Adæ corpori insereretur. Quam opinionem esse præcedenti tolerabiliorem nemo non videt. Hanc postremam de anima latente in operibus Dei, fateor Augustinum arbitrio lectorum relinquere, hac tamen prudentissima cautione, *si nulla Scripturarum auctoritas, seu veritatis ratio contradicit*. Imo cap. 25. & 26. totus est in refellendo illorum errore, qui putant animam venisse coactam ad corporis habitaculum. Hæc sane non dogmatizantis cum Origene, sed accurati scriptoris secernentis probabilia ab erroneis, clarissima indicia sunt. Et tolerabiliorem illam opinionem amplectitur ne Augustinus? Minime. Capite 27. ita disputationem absolvit: *Nunc tamen de anima, quam Deus inspiravit homini sufflando in ejus faciem, nihil confirmo, nisi quia ex Deo sic est, ut non sit substantia Dei, & sit incorporea, idest, non sit corpus, sed spiritus*. Libro itaque de Genes. septimo nihil S. Pater definivit. Quid postea? De Civit. Dei xii. cap. 23. potius in eam sententiam flectitur, ut animam creatam asserat homine jam formato. *Et cum virum* (inquit) *terreno formasset ex pulvere, eique animam qualem dixi, sive quam jam fecerat, sufflando indidisset; sive potius sufflando fecisset, eumque flatum quem sufflando fecit, nam quid est aliud sufflare quam flatum facere, animam hominis esse voluisset, &c.* Atque huic Augustinianæ sententiæ subscribo. Nec tamen retracto quæ de simultanea creatione dicta sunt alibi: sed dico in illis sex diebus omnia fuisse condita caussaliter, quæ in rationibus caussalibus latere poterant, a quorum genere segregandæ sunt universorum hominum animæ: necnon asserri in primo capite Genesis plura narrari, quorum duplex distingui debet productio, videlicet, in caussa, & in propria specie. Quare homo pertinet ad creationem simultaneam, & temporariam, ut explicavi præcedenti libro cap. 2. Inspiratio autem, qua homo factus est in animam viventem, spectat ad productionem hominis alteram, videlicet in specie sua. Responderi etiam potest cum D. Thoma q. xc. art. iv. *quod anima humana præcessit in operibus sex dierum secundum quamdam similitudinem generis, prout convenit cum Angelis in intellectuali natura*.

Opp. 3. Videtur hæc opinio de animorum præexistentia omnium hominum sensu firmari. De Ethnicis liquet quod penes ipsos hæc invaluerit opinio ex panegyrico dicto Theodosio Imperatori, ubi legimus, quod *divinus animus venturus in corpus dignum prius metatur hospitium*. Judæos eamdem tenuisse περὶ τῆς προϋπάρξεως τῶν ψυχῶν, ut Græci Philosophi loquuntur, *de præexistentia ac volutatione animarum* opinationem, constat ex interrogatione eorum apud Joannem ix. 2. *Quis peccavit hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Inter clarissimos Ecclesiæ Patres eamdem sententiam recitat, nec redarguit S. Hieronymus Comment. in Epistolam ad Ephesios, & ad Philemonem. Augustinus ipse dubitavit an sol & sidera sint animata. Quod videtur Priscillianistarum errori valde proximum. Ergo, quod probandum erat, Origeni omnes plane gentes quodammodo assentiuntur.

Resp. nullam nobis aut Platonicorum aut Pythagoreorum hac in parte habendam esse rationem; nam intelligibilia, quæ horum philosophorum aliqui contendunt rebus corporalibus antecessisse, simul cum his fuisse producta nobis demonstrant argumenta validiora. Neque enim sapientissimus artifex indigens erat exemplaris & archetypi ut mundum construeret, cujus sapientia sempiternas rationes continet rerum faciendarum: atque congruum erat, ut operam, quam principio molitus est, tanto digna esse opifice, & referta rerum universarum generibus. Apud Judæos lex etiam corporales morbos transgressoribus minabatur; atque in traditione habebant cæcitatem, aliaque vitia corporis pœnam esse peccati. Interrogabant itaque cujusnam peccati pœna esset illa a nativitate cæcitas; videbatur enim illis imperceptibile potuisse hominem ante nativitatem peccare. Difficultatem ergo suam memorata interrogatione proposuere. Nec repugno Judæorum aliquos post exortas Philosophorum sectas etiam de animorum in corpora transmigratione cogitasse: quod apparet ex Philone clam generis hujus scriptore. Sed hæc interrogantibus respondit Jesus: *Neque hic peccavit, nec parentes ejus*, actuali quidem peccato, quale suspicabantur caussam fuisse cæcitatis. Ergo illius hominis anima non fuit ob actuale aliquod crimen damnata ad ergastulum corporis oculorum acie privati. Hieronymus in prima contra Rufinum Apologia a se omnem erroris accusationem propulsat, dicendo se, cum officio Commentatoris fungeretur Origenem Christianæ verecundiæ studio non reprehendisse, & in fine primi capitis Comment. Epist. ad Ephesios satis ostendisse ab ea sententia, quam sub alterius persona retulerat, suam omnino esse discordem. Augustini de anima cælestium corporum dubitatio nihil cum errore Origenis habet affinitatis, cum nullibi in illius mentem venerit rationales spiritus in cæli luminaria fuisse detrusos. Dubitavit tantum an hæc habeant rectores spiritus, & si habent, num ab his vitaliter inspirentur? quod & retractavit in posteriori libro Retr. cap. vii. Quantum vero ætate Augustini rationalis ac prudens fuerit ejusmodi dubitatio, & an explosa sit in literis Justiniani approbatis auctoritate Vigilii Papæ, disserit in Vindiciis cap. iv. §. 2. Cardinalis Norisius.

Opp. ultimo. Anima, dum moritur corpus, non moritur, sed remanet immortalis: Ergo dum producitur corpus, non creatur, sed erat. Resp. nego consequentiam, quippe in interitu corporis anima rationalis non deletur; quoniam ipsa corporalis non est, nec partes habet quæ dissolvantur. Producitur tamen una cum corpore, quod sit ejusdem corporis forma: sed neque eodem modo gignitur decisione materiæ & corporali propagatione, cum fiat ex nihilo dum unicuique singillatim inseritur. Accedit, quod separatio animæ a corpore est pœna, & cum primum Anima creata est, pœna esse non debuit. Ergo nec debuit anima produci a corpore separata.

PROPOSITIO II. An Anima creetur ex nihilo quæstio perdifficilis est, nec sine caussa Magnus Augustinus de hac re dubitavit: certissimum tamen est atque catholicum Dogma, cui nefas est refragari, quod non propagatur ex semine & traduce corporali.

Illud enim perdifficile dogma est, quod nullo certo argumentorum genere potest resolvi. Istiusmodi est quæstio de animarum origine. Ergo hæc quæstio perdifficilis est, & Augustinus juremerito de hac re suam sententiam suspendit. Prob. minor. Quidam Theologi probant animam fieri ex nihilo ex Scripturis, unde quatuor loca producunt: Primum ex Psalmo xxxii. 17. *Qui finxit singillatim corda eorum*. Secundum Is. xlii. & Zacch. xii. ubi legimus Dominum *fingere spiritum hominis in eo*. Tertium ex cap. xii. Ecclesiastæ 7. *Antequam revertatur pulvis in terram suam, & spiritus redeat ad Deum qui fecit illum*. Quartum ex Joan. v. 17. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*. Hæc sunt, unde Theologi quidam probant animam ex nihilo fieri, ut

ri, ut Bellarminus lib. iv. de Amiss. Grat. cap. xi. Gabriel Biel. in 2. sent. dist. 17. q. 1. concl. 3. Estius dist. eadem §. xi. qui etiam addit verba Apostoli ad Hebræos xii. 9. *Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus patri spirituum, & vivemus?* Sed hæc non videntur definire quod singulorum animæ fiant ex nihilo. Quod primo constat ex ipsomet Bellarmino, qui post argumenta nonnulla ex his scripturis petita, ait: *Quare ut Sanctus Augustinus disputat in Epist. 28. ad Hieronymum, nullus fortasse scripturæ locus invenietur, in quo perspicue doceatur animus non fieri ex propagine, sed creari.* Præterea S. Pater quid hujuscemodi testimonia efficiant demonstrat in Epist. 28. nuper laudata, & in 1. libro de Origine Animæ contra Vincentium Victorem. Nam ad 1. & 2. respondet cap. hujus libri 14. *Adjecit, qui fingit spiritum hominis in ipso, quasi hoc negetur. Sed unde eum fingat, hoc quæritur. Nam & corporalem hominis oculum, quis nisi Deus fingit?* Animadvertit & in Esaiæ 42. probabiliter Spiritum Sanctum esse significatum: quem aut creari aut gigni nullus Catholicorum audet asserere. Estius vim inesse putat in adverbio *singillatim*, quo nobis innuitur aliquod peculiare de productione animarum. Verum si illud accipiatur, ut vertit Hieronymus, & valet Hebraicum יחד, pro *pariter*, inanis est hæc argumentatio: si vero idem est, ac *peculiariter*, nihil demonstrat quam specialem animorum productionem, non utique ex aqua, vel terra; Animam quippe Adæ creando Deus inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. Ad tertium reponit magnus Doctor: *Sed omne etiam corpus ipse facit. Quod autem ex propagine corpus humanum faciat, nullus ambigit. Ac per hoc de anima, cum eam constet ab illo fieri, unde eam faciat, utrum ex propagine sicut corpus, an insufflando sicut primam fecit, adhuc utique requirendum est.* Quod sequitur, liquet ex ipso Evangelio, hoc tantum commonstrare quod Patris & Filii opera sint indistincta, & non de animorum creatione istic agi, sed universim de institutæ naturæ conservatione, specialiter vero de Christi miraculis & ejus divinitate. Eam ob rem S. Pater recitato hoc testimonio à Hieronymo modeste respondet: *Ecce volo, ut illa sententia* (quod singulas animas singulis nascentibus etiam modo Deus inspiret) *mea sit, sed nondum esse confirmo.* Ad Hebræos xii. dicitur Deus Pater spirituum, quoniam ipse solus dat spiritus dona: alioqui si *Patrem spirituum* dictum putas quod sit creator animorum, non erit forte satis apta verborum antithesis inter patrem carnis, & patrem spirituum; nam Deus tam carnis, quam animorum est opifex.

Addunt quidam quod formata muliere ait Adam: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Corpus quidem, inquiunt, Evæ ex corpore Adam his verbis insinuatur eductum, sed non unius anima ex anima alterius. Corpus ergo propagatur, non anima. *Sed illis qui propaginem asserunt Animarum, hinc se putant invictius suam munire sententiam, quia cum scriptum sit, detraxisse Deum costam de latere viri sui, eamque ædificasse in mulierem, non est additum quod in ejus faciem sufflaverit flatum vitæ, ideo inquiunt, quia jam de viro fuerit animata. Ad illud vero quod ait Adam, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; nec ait, spiritus de spiritu meo, vel anima de anima mea; sic ab ois responderi potest, ut a parte totum intelligatur hoc dictum, os & caro mea, sed quæ animata fuerint detracta, non mortua.* Hæc S. P. Augustinus citato libro cap. 18. Quantum ergo ad Scripturarum loca pertinet, repetam cum magno Doctore, an anima sit ex propagine sui generis, *Ego nec defendo nec refello: sed si defendendum est, vel refellendum, perspicuis, non ambiguis testimoniis id agendum esse commoneo.*

Secundo pro creatione Animorum plura Patrum testimonia solent proferri. At ex adverso possumus recitare permulta, quibus constat originem animæ non fuisse antiquis omnino exploratam. Apertissima sunt verba Eucherii Episcopi Lugdunensis libro 1. super Genesim cap. 3. Patrum Africanorum in Epistola Synodica cap. x. Fulgentii lib. 3. de Veritate Prædestinat. & Grat. cap. 22. Gregorii Magni Epist. ad Secundinum, Prudentii in libro de Prædest. cap. 16. Hugonis a S. Victore lib. 1. de Sacramentis P. 7. cap. 30. Qui omnes scribunt quæstionem esse insolubilem, dubiam, multum discussam, sed absque certa definitione relictam. Legatur Alipius Reylof Gandavensis lib. vi. de Anima cap. 2., & Norisius in Vindiciis cap. 4. §. iii. Doctissimus Bellarminus ait Augustinum in Epist. ad Optatum 157. sententiam de traduce animarum apertissime refellisse, & sententiam Tertulliani summæ perversitatis damnare. Sed Norisius recte observat in eadem Epistola adhuc Augustinum dubitare: reprehendere tantum inconsideratam temeritatem eorum, qui rem obscurissimam humanis conjecturis definire præsumunt; Tertulliani vero doctrinam perversam esse propterea, quod cum crederet animam esse corpoream, gigni putabat ex semine corporali. Addit Bellarminus S. Leonem Magnum Ep. ad Turibium, cap. 10. hæc scribere: *Catholica fides constanter prædicat, atque veraciter, quod animæ hominum priusquam suis inspirarentur corporibus non fuere, nec ab uno incorporentur, nisi ab opifice Deo, qui ipsarum est Creator & corporum.* Sed demonstrat Norisius ibidem contra Origenis, & Eutychetis perversa Dogmata institui sermonem. Atque hæc de Antiquorum Patrum sententia summatim attigi, ut quisque Norisium & Reylofium adire non prætermittat.

Tertio loco proferunt Scholastici argumenta desumpta ex animi incorporali natura; verum non desunt qui materiam spiritualem defendant: in quorum sententia sunt argumentationes illæ facillimæ solutionis. Deinde si rationi sistendum est, undique angustiis & difficultatibus nos premi sentimus; posita enim sententia de animarum creatione difficilius est explicare quomodo originale peccatum pertranseat ex uno homine in posteros. Quamquam & huic difficultati quid sit respondendum posita animarum creatione ipse Augustinus præmonuit. Scio Bellarminum affirmare Theologos omnes, qui a quingentis annis fluoruerunt, unanimi consensione tradere quod singulorum animæ creentur ex nihilo. At non video quomodo hæc cohæreant cum iis, quæ scribit ad calcem præcedentis cap. x. *Non desunt hoc tempore, qui in ea S. Augustini dubitatione hærendum esse censuerunt.* Multos præterea Theologos propugnasse traducem animarum demonstrat Norisius citato loco, & Vossius lib. 2. Hist. Pelag. P. 3. Thesi 1. Scribit ipse Bellarminus S. Thomam q. 118. art. 2. opinionem de animarum propagine disertis verbis appellare hæresim. Verum cum Angelicus Doctor assertum suum probet ex eo quod virtus activa, quæ est in corpore, extendi nequeat ad productionem immaterialis substantiæ; manifestum est damnare ut hæreticam sententiam eorum, qui putant animam propagari per semen corporale: quod & nos hæreticum esse affirmamus.

Probatur modo prima propositionis pars: Quod non est expressum in Scripturis, neque per exploratam traditionem comprobatum, & si ad solam humanam rationem exigitur, non tollit dubietatem quæstionis; id difficillimum est, & prudentes ab Augustino non definitum: Assertum de animarum origine apertis Scripturis non solvitur, Ecclesiastica traditione nequaquam finitum est, neque illud nostra mediocritas nosse potest, absque ulla saltem ambiguitate. Itaque Augustinus suum de origine animæ judicium suspendens sese demonstrat providentissimum, cautum, & magni consilii virum.

Antequam alteram partem demonstrare aggrediar, ne quis me coarguat quod de propagine animarum videar hæsitare: principio illud in ore vulgi positum repem: *Non est discipulus supra Magistrum.* Compello deinde doctum piumque lectorem Magistri verbis, quibus interpellavit Hieronymum: *Doce ergo quod doceam: nam ut doceam multi a me flagitant, eisque me sicut alia multa, & hoc ignorare confiteor.* Addo quæ S. Doctor scripsit de hac quæstione ad Optatum: *Non erubescendum est homini confiteri se nescire quod nescit, ne dum se scire mentitur, nunquam scire mereatur.* Cum eodem Augustino libro ii. Retract. cap. 45. admoneo, ut cui libet animam singulis nascentibus dari, eam solutionem hujus quæstionis admittat, *quæ contraria non sit apertissimis rebus, quas de originali peccato fides catholica novit in parvulis, nisi regenerentur in Christo sine dubitatione damnandis.* Profiteor hac ætate omnes ferme Theologos consentire, quod singulæ animæ creantur de novo: nec defendendam esse opinionem de animarum propagine nullis certis argumentis stabilitam adversus doctissimorum virorum consensum: quod foret proculdubio inconsideratæ temeritatis. Sciscitanti vero utrum hæc communius assertio spectet ad fidem, respondeo, Bellarminum lib. iv. de Amiss. grat. cap. xi. asserere sententiam de propagatione animorum exploratum errorem esse, nec tutum videri hoc tempore de singulorum creatione hæsitare. Ex adverso Estius dist. xvii. libri 2. §. 14. demonstrat non pertinere ad fidem hoc maxime argumento, quod nunquam Augustinus, Gregorius & alii PP. supra memorati elegissent dubitare de hac quæstione, si putassent esse de Dogmate ad fidem pertinente: insuper quod non possit nec evidentibus scripturis ostendi, nec certa traditione probari; neque ullo Ecclesiæ decreto fuerit hactenus definita. Allegat in hujus asserti confirmationem Victorinum lib. 1. de Sacr. parte 7. cap. 30. Alphonsum a Castro libro de hæresibus tit. Anima, & D. Thomam in 2. sent. dist. xviii. q. 2. art. 2. Cardinalis Norisius prope finem §. iii. supra citati ait: *Suspenderet igitur etiam nunc assensum Augustinus, & tunc gratias tantum ageret, cum certum modum proponerent, quo data creatione animarum peccati originalis propagatio adeo evidenti ratione constaret, ut modus ille a nemine rejici posset.* Nos utique subscribendum ducimus tantorum virorum judicio.

Postremo neque illud negandum est, videri etiam imbecillitati mentis meæ probabiliorem sententiam de creatione animarum non solum ob Scholasticorum auctoritatem, qui, ut dictum est, illam majori numero & consensione propugnant; verum etiam quoniam objectio de transfusione originalis peccati etiam non admissa animorum propagine ex doctrina Augustiniana diluitur. Neque enim Catholica fides humanis duntaxat conjecturis est vindicanda. Quapropter Pelagianis ipsorum hostis acerrimus & debellans invictissimus, & nominatim versutissimo hæreticorum illorum patrono, Juliano nempe, in hæc verba res-

pondet

pondet quinti libri cap. 3. *Quid fugis ad obscurissimam de anima quæstionem in paradiso? Ab animo quidem cœpit elatio, & ad præceptum transgrediendum inde consensio, propter quod dictum est a serpente, eritis sicut Dii, &c. Ut ergo & anima & caro pariter utrumque puniatur, nisi quod nascitur renascendo emendetur, profecto aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tamquam in vitiato vase corrumpitur, ubi occulta justitia divina legis includitur*. Accedit quod non valet exigua vis ingenioli mei traducem propaginemque percipere spiritualis substantiæ. Nam quod propagatur seminis decisione, non potest esse nisi corporeum; si ergo datur animæ semen decisum in prolis generatione, necesse est ut sit extensum, atque partibile: in causa autem, & seminali ratione corporea animam latere non posse demonstrat S. Pater lib. VII. de Gen. ad lit. cap. 22. Quod si animæ semen spirituale est, non videt tarditas mentis meæ quomodo ex generantium semore valeat defluere. Spiritualis enim res partibus caret, neque aliam habemus ideam spiritus, nisi substantiæ inextensæ. Semen ergo animæ, cujus decisione ipsa propagetur, acies intelligentiæ, qua polleo, intueri non valet. Ipse Augustinus laudato libro septimo cap. 7. affirmat spiritualem materiam non satis intelligi. *Quid ipsa est*, inquit, *quod nomen, quam speciem, quem usum in rebus conditis tenet? Vivit, an non vivit? Si vivit, quid agit? Quid confert universitatis effectibus? Beatam ne vitam gerit, an miseram, an neutram? Vivificat aliquid, an ab hoc etiam opere vacat, & in quodam secreto universitatis otiosa requiescit, sine vigili sensu motuque vitali? Si enim nulla prorsus adhuc vita erat, quomodo esset vita futura quædam incorporea nec viva materies? &c.* Sed de priori propositionis parte jam satis.

Probatur secunda pars, videlicet quod anima non propagetur semine corporali. Ac primo: Anima spiritualis est, ut vidimus propos. I. capitis præcedentis: Quod spirituale est, nequit decisione seminis propagari: Ergo anima semine deciso, & corporeo minime propagatur. Secundo: Augustinus, tametsi de Animorum propagine dubitavit, constantissime docuit non fieri rationalem animam hujuscemodi semine. *De ceterarum animarum adventu* (ait lib. X. de Gen. ad lit. cap. 21.) *utrum ex parentibus, an desuper sit, vincant qui poterunt. Ego autem adhuc inter utrosque ambigo, aliquando sic, aliquando autem sic: salvo eo dumtaxat, ut vel corpus esse animam, vel aliquam corpoream qualitatem seu coaptationem non credam, nec quolibet ista garriente me crediturum esse confidam*. Quod & profitetur Epistola 28. nunc 166. & Epist. 157. modo 190. necnon in 2. Retract. cap. 56. Insuper: Spiritualis substantia non potest contineri in creatura corporea tamquam in ratione causali: Si anima fieret semine, lateret in creatura corporea tamquam in ratione caussali: Ergo non producitur anima semine. Major demonstratur ab Augustino lib. VII. super Genes. cap. 21. *Si enim qui hoc sentiunt, hoc dicunt corpus quod & nos, idest naturam quamlibet longitudine, latitudine, altitudine spatium loci occupantem, neque hoc est anima, neque inde facta credenda est. Quicquid enim tale est, ut multa non dicam, in quacumque sui parte lineis dividi, vel circumscribi potest: quod anima si pateretur, nullo modo nosse posset tales lineas, quæ per locum secari non queunt, quales in corpore non posse inveniri nihilo minus novit*. Vide caput III. præced. propos. I. Consimilis est argumentatio S. Thomæ I. p. q. CXVIII. art. 2. quod impossibile sit virtutem cujusque corporalis materiæ productivam esse intelligentis substantiæ. Plura alia argumenta, sed omnia petita ex animæ immateriali natura, vide apud D. Thomam q. 3. de Potent. art. 9. & 11. contra Gentes cap. 86. Victorinum de Sacramentis loco citato, Estium §. XV. dist. 17. & Scholasticos reliquos. Cum vero firmissime tenendum sit rationalem animam esse incorpoream; quisquis eam traduci assereret semine materiali ac partibili, aut de hoc hæsitaret, non solum cum Estio maximæ temeritatis nota a nobis esset insimulandus, verum etiam damnandus tamquam hæreticus cum D. Thoma memorato loco de potentia, & q. 118. Et quoniam enunciando hoc vocabulum *semen* communi sensu percipimus *materiam serendi*, nomine autem *materiei* substantiam corporum generationi subjectam; etiam *semen* animorum nolumus in posterum nominari.

ADVERSÆ OPINIONIS ARGUMENTA SOLVUNTUR.

Rationalem animam semine propagari quidam evincere student pluribus argumentationibus, quas omnes collegit in libro de Immortalitate animæ Antonius Roccus: qui mentem humanam & corpoream, & materiali semine propagatam esse iniquo ac pertinaci stylo contendit; irrepsitque in animum philosophorum suis imaginationibus, non fidei obsequentium tam perniciosa contentio. Horum argumenta præcipua hæc sunt. Primum: Ad creationem requiritur quod sit productio rei ex nihilo, quod sit ab agente supernaturali, & quod terminet ad verum esse reale. Anima non fit ex nihilo. Non ergo creatur. Probatur minor: si anima fieret ex nihilo, nullam haberet a materia dependentiam; dependet autem hæc anima ab hujus corporis temperie, alias quælibet anima in quodlibet corpus ingredi posset. Insuper si anima esset a corpore independens, nec ex passionibus corporis doleret, nec pereunte ac dissoluto corpore invita recederet. Diruta enim domo vel navi, nauta & hospes recedunt, quoniam corporei corporibus indigent, vel ad commodum, vel ad fulcimentum. Res autem spirituales non sic se habent. Itaque anima si spiritualis esset, nullo pacto a corpore dependeret.

Resp. concessa majori, nego minorem. Ad prob. dico animam non dependere a corpore ut sit, neque ut res spirituales percipiat, sed tantum ut exerceat munus *formæ* corpus vivificantis ac moventis, atque ut in corpore sensus dirigat, constituatque creaturam mediam inter Angelos, & mortua elementa, idest hominem præditum corpore & spiritu. Atque ideo liberum non est animæ ingredi quodcunque corpus, quoniam huic regendo ac vivificando a Deo Conditore destinatur, neque omnium indiscriminatim, sed hujus est *forma*, cum naturæ auctor rectissime statuerit, ut singula humani generis individua formam habeant peculiarem. Ulterius anima non producitur extra corpus ut ad illud sponte suoque arbitratu devolvatur, sed illi inseritur eodem, quo creatur, momento. Quis ergo nisi insipiens cogitare potest ut spiritus hominis sit indifferens ad unum corpus, vel alterum, modo sit incorporeus? Esset, nisi produceretur hac lege, ut una cum hoc corpore constitueret hominem individuum, neque huic corpori foret alligatus, ut illud regeret, sibique melioris vitæ meritum compararet. Quod autem resoluto corpore anima recedat invita, pœna est originalis peccati. Exemplum nautæ, vel hospitis, ipsius animæ a corpore independentiam commonstrat. Nauta homo est ad regendam navim aut sponte, aut principis jussu destinatus. Quatenus homo non opus habet navigio, quo est ipse longe nobilior, nam & vitam interdum agit in continenti. Ut nauta, cujus refert maria navigatione transmittere, indiget navi. Hac dissoluta & dissipare, cogitur aut in litore miserrimam vitam ducere, aut feliciorem in portu. Refecta autem navi cursu & remis ad patriam tandem revertitur. Anima pariter est spiritualis substantia, sed corporis forma, & quasi navicularia: nam illud regit, movet, & explorate ad portum tentat appellere. Ut spiritualis substantia, præstantior est corpore, neque aliquid commodi ab illo captat: ut *forma* corporis, ab eo dependet, non quidem ut sit, sed ut mare perambulet, vitam nempe mortalem. Morte corpus, ut navis tempestate, dissolvitur: atque anima pro meritis vitam agit sive miseram, sive tranquillam. Resurget mortale corpus ad vitam perennem: & est resurrectio quasi dirutæ navis instauratio. Itaque hoc eodem navitæ exemplo apte explicatur quomodo rationalis anima a corpore sit pendens, & independens. Quod de corporalibus passionibus addit Roccus, primo in eum retorquetur; nam sæpe numero mens dolore afficitur etiam sublata caussa, quæ excitat motionem corpoream. Dolet enim ac tristatur homo non solum in mutilatione membrorum, sed etiam dum se mutilum considerat, atque ad peragenda vitæ corporalis officia magis ineptum. Neque solis passionibus corporum afficimur, sed perturbationibus quoque animorum. Deinde ea est lex inter animam & corpus, ut illa hoc veluti instrumento in vitæ functionibus utatur: per vitia autem instrumentorum etiam artifices opera majori difficultate perficiunt; idoneoque calamo scriptitamus, labefacto autem non ita: nec tamen sumus nos naturæ ejusdem cum plumis anserum.

Arguit 2. Si anima natura sua sit *forma* corporis, & cum eo simul constituat unum per se, educitur de potentia materiæ: Quod de potentia materiæ educitur propagatur per semen. Ergo, &c. Præterea anima est talis *forma*, quæ ab agente naturali inducitur mediis subjectæ materiæ dispositionibus: Quod creatur, non producitur mediantibus materiæ dispositionibus: Igitur rationalis anima non creatur.

Resp. nego majorem. Non enim quælibet forma educitur de potentia materiæ, sed quæ corporea est, & extensa, atque a materia necessario dependet ut fiat, & conservetur. Petit ergo hæc argumentatio principium; & a calce ad carceres revocatur. Ut enim fateamur animam educi de potentia materiei, demonstranda prius est ipsius animæ extensio, quæ sane non evincitur ex eo, quod inseratur corpori jam disposito. Nam primi hominis anima non a generante, sed a Creatore producta est, formato prius corpore de limo terræ: & tamen animam primi hominis creatam esse fatetur Roccus; quandoquidem a supernaturali auctore nihil ad extra producitur per veram generationem, cum ipse materia in operum suorum molitione non indigeat; & si aliqua fiunt ex materia præexistente, hanc non requirit facultas Conditoris, sed operis constitutio. Dispositiones autem corporum necessariæ non sunt, ut anima rationalis subsistat, sed ut sentiat, & peragat vitæ corporalis officia. Ergo sejuncta a corpore sentire non poterit? Non utique, si sensionem dixeris passionem sui corporis, sive impressionem agitationemque partium corporearum, quæ animum non latet. At si sensatio accipiatur pro mentis humanæ perceptione, etiam excitata per occasionem & præsentiam corporis peregrini, E. G. ignium infer-

nalium,

nalium, aut supernorum cælorum, non video cur anima a corpore divulsa sentire non possit. Quamquam, ne illam existimemus corpoream, sufficit si possit vel seipsam, vel Angelos, vel Deum intelligere: quod utique facere poterit etiam a terreno corpore separata.

Præterea arguit Roccus. Si anima rationalis crearetur, non contraheret ex semine Adæ originale peccatum. Atqui contrahit. Non ergo creatur. Majorem probat 1. auctoritate Augustini, qui in libro de Origine Animæ, sive Epist. ad Hieronymum 28. ait parvulos originali peccato non obstringi, si animæ singillatim a Deo singulis nascentibus inferantur. Addit & rationem: Qui affirmant animam creari, & tamen originale contrahere peccatum, docent illam ex infecto corpore, cui inest, inquinari. Sed aliud est verba profundere, aliud sapere. Demonstrent, inquit, quomodo anima trahat ex semine Adæ peccatum, si anima nullam ex semine Adæ ducit originem. Nullum accidens absque subjecto potest existere, sive positivum illud sit, sive privativum: Peccati originalis subjectum est anima: Ergo si anima ex Adæ semine non propagatur, neque peccatum propagatione diffunditur. Hæc Roccus.

Resp. Nego majorem; & quoniam Adversarius abutitur etiam auctoritate Augustini, ei respondendum est, ut diximus S. Patrem responsum dedisse Juliano: *Quid fugis ad obscurissimam quæstionem?* Nam salvatur ex æquo peccatum originale, sive anima vitiata traducatur ex Adam, sive inferatur corrupto ac sordido corpori. Quod Roccus opponat verba Augustini, facit ejus maxima & inconsiderata temeritas. Primum quoniam S. Pater nunquam dubitavit de propagatione animæ per semen corporeum, ut Philosophus iste contendit. Deinde quia S. Pater nec de propagine spirituali loquitur assertive, sed ambigit ubique, & difficultates scite prudenterque proponit. Immo in memorato libro prope finem affirmat se illam opinionem quod ex una sunt omnes animæ, nolle discutere. Ad rationem productam respondendum est, Animam, licet non propagetur per semen, infici ex consortio corporis, cum quo unum hominem constituit, sicut aqua vitiato in vase corrumpitur. Id vero quo pacto fiat, erit proximo libro inquirendum. Originalis maculæ subjectum esse animam concedimus: atque etiam ex hoc capite infertur animam esse incorpoream; peccatum enim aut justitia non sunt affectiones corporum, sed spirituum. Falsum quoque est accidentia absque subjecto nunquam traduci. Transeunt de uno in alterum (inquit Estius in 2. dist. 17. §. 16. ad 10.) subjecto non transfuso hæreses, errores, vitia, lepra, pestis, aliaque morum & morborum contagia.

Insistit. Si est animus a Deo insertus corpori, non ex propagine ac semine, recte Pelagiani objiciebant Catholicis, quod Deum faciant injustum. Quæ est enim justitia spiritum incontaminatum nihil habentem commune cum carne huic alligare, peccati maculæ, pœnisque subjiciendum?

Resp. Nego malam injustamque consecutionem. Non enim peccatum ex divina institutione, & spectata vi creationis traducitur, sed humano reatu, & primi parentis malitia: cujus caussa corporeo vase polluto, quod Deus terrenum sane, sed defæcatum & absque sorde formavit, non debet instituendæ naturæ ordinem immutare. Quod apposite docet ad quartam objectionem Vincentianam Beatus Prosper in hæc plane verba: *Prævaricatio hominum deposita a sæculis creationis ordinem turbare non potuit, & merito creatura peccatrix pœnalem dominationem illius patitur, cui relicto vero Domino, sponte se vendidit. Hæc quippe servitus non institutio est Dei, sed judicium, &c.*

Argumentatur rursus memoratus Peripateticus. Humanum semen habet secunditatem, quæ attingit terminum *formalem* generationis: Terminus generationis est anima: Ergo anima gignitur seminis secunditate. Minor probatur primo, quoniam semen canis animam canis producit: Igitur semen hominis animam hominis. Ulterius Brutorum animæ excedunt perfectione brutorum semen, & nihilo secius per illud propagantur. Gigni ergo & propagari potest rationalis anima per semen hominis, quamvis eodem semine sit perfectior. Amplius: Si anima vegetativa aut sensitiva educta de potentia materiæ, nollet Deus creare animam rationalem, quidnam ex illo homine nasceretur, brutum animal, an homo? Insuper naturalissimum est omnium viventium non *orbatorum* generare sibi simile: Itaque vel simile sibi generat homo, vel erit *orbatus* & putrigenitus. Generat ergo simile. At similitudo non consistit in materia, sed in specie, natura, & forma: Igitur etiam *forma*, quæ est anima, ab homine generatur.

Resp. nego minorem. Etenim homo generat hominem, non quod secunditas seminis attingat productionem animæ; sed quoniam inducens dispositionem materiei, cui Deus ex instituta naturæ lege inserit animam spiritualem, est efficiens caussa unitionis partium, quibus constituitur rationale animal, homo. Et quoniam Philosophus, cum quo disputo, catholicus videri vult, & Sanctorum Conciliorum recipit auctoritatem, respondeat an Virgo Maria sit Dei Mater, si neque divinam naturam, neque Verbi personam potuit alia ratione generare, quam subministrando materiam, cui substantialiter unitus est filius Dei? Aut ergo desinant Roccus, Pomponatius, & reliqui hujus furfuris se jactare Catholicos, aut fateantur necessarium non esse ad veram generationem, quod secunditas seminis cujusque termini productionem attingat. Quoniam vero nos provocant ad solam physiologiam; nego hominem deterioris esse conditionis, quam sint bruta animalia, propterea quod nequeat animam generare. Imo ex quo præditus sit anima spirituali præstat viventibus ceteris, quantum rei corporeæ substantia spiritualis; & etiam hominis generatio generationibus irrationalium, quantum dispositio materiæ & partium unitio est in hominibus, quam sit in reliquis, mirabilior. Quod sequitur de perfectione animæ brutorum, falsum est in eorum sententia, qui nullam animam agnoscunt, præter mentem humanam, a corporis figuratione distinctam. Figuratio enim & dispositio partium est quidem rerum corporalium perfectio, sed quæ sita est in modificatione materiæ, non in productione novæ substantiæ. Atque materiam explicare & disponere possunt singula quæ moventur. Rationalis autem substantia non est quædam corporalis materiei dispositio; nam quantumvis materia elaboretur, nequit esse principium percipiendi invisibilia & divina. Atque hæc philosophandi ratio videtur in hac quæstione satis idonea ad solvenda Adversariorum Sophismata. In sententia autem Peripatetica recurrendum est ad eductionem formarum ex præexistente materia. Anima quippe sensitiva neque existere potest, neque munus aliquod exercere nisi dependenter a corpore, & iccirco de potentia materiæ potest educi. Sed rationalis, cum non dependeat a materia in omni prorsus operatione, nequit produci ex præexistente subjecto. Disposito corpore tenetur Deus Animam ei conjungere, non absolute, sed hoc providentiæ ordine præsupposito: unde tertia argumentatio futilis est, & inepta. Si Deus alium naturæ ordinem instituere, & animam non crearet, nasceretur homo irrationalis, non hujus institutionis. Ad ultimum vero constat ex dictis, hominem generare simile quatenus ita materiem disponit, ut ei Deus inserat animam, qua species & natura humana perficitur. Nam inserta anima corpori filius gerit imaginem & similitudinem Patris, tametsi anima non sit ex ejus semine propagata.

Insuper objicit: Anima rationalis, sensitiva, & vegetativa est in homine una eademque: Homo generat animam vegetativam & sensitivam: Igitur generat & animam rationalem.

Resp. Falsam esse in sententia plurium Philosophorum majorem: nam in animalibus nullam aliam animam sensitivam agnoscunt præter quamdam musculorum, spirituum, artuum, fibrarumque dispositionem, & præter subtiliores partes sanguinis, quibus corpora apta disposita moveantur. Hæc vero, nisi anima rationalis insit, omni sensu destituuntur. Est enim sensus, inquiunt, mentis perceptio excitata fibrarum nervorumque concussionibus. In quorum principiis distinguenda erit minor. Homo generat animam vegetativam, & sensitivam, idest corporea membra quæ dilatantur & crescunt, atque ad illorum concitationem præsens Anima, quam Deus creat, percipit sensibilia, concedo: Generat animam vegetativam, & sensitivam, idest quamdam substantiam a materia corporali, ejusque modificatione sejunctam, nego. In Peripatetica autem Schola respondetur animam vegetativam & sensitivam perfecto jam fœtu, & adveniente anima rationali interire, quoniam hæc illarum virtutem præcontinet, & sola movere potest, & vitam tribuere corporalibus membris: aut, si magis placet, tres simul animas consistere in eodem corpore, & vegetativam ac sensitivam traduci, rationalem creari.

Adhuc argumentatur. De ratione cujusque animæ est informare materiam, & ei adæquate aptari: Rationalis anima informat materiam: Ergo ei aptatur adæquate. Aptari autem quid est, nisi partes materiæ partibus formæ respondere? Partibus itaque constat anima, & gignitur corporali propagine. Tandem qui animam docent creari a Deo, asserunt illam totam esse in qualibet parte corporis. Hinc vero sequitur manifestissima contradictio: nam abscisso brachio ubi tota erat anima, jam remota est a toto corpore reliquo, & remanet tota in eodem corpore. Tota ergo divulsa erit, & tota remanet. Hactenus Antonius Roccus.

Resp. Et hæc in sententia modernorum Philosophorum nihil urgere. Distinguunt hi in homine duplicem *formam*, materialem, quæ est ipsa humani corporis figuratio, & spiritualem, scilicet mentem in unaquaque parte corporis alicujus sensus fungentem munere, modo organa sint apte disposita. Idem videtur sentire Augustinus, qui de Fide & Symbolo cap. 3. inquit: *Homo excepta forma membrorum, quæ diversis generibus animantium diversa tributa est, non differt a pecore, nisi rationali spiritu, qui mens etiam nominatur.* Itaque respondemus *formam* illam, quæ partibus materiæ divisibilitate sua coaptatur, esse illam *formam* quæ consistit in figura & dispositione membrorum, per quam homo nihil differt a pecore, non mentem ac formam spiritualem, per quam hominis species constituitur nobilior reliquis animantibus. At Peripateticus reponet, animam singulis membris aptari, quoniam licet inextensa, virtualiter divisibilis est, idest habet virtutem, quæ singulis partibus corporis applicatur. Diluent pariter utrique Philosophi argumentationem postremam. Illi enim respondebunt animam in ea parte cerebri considere, ad quam nervorum o-

minimum pertingunt filamenta, quibus corporalia membra tuetur, atque sentit quicquid accidit exterius, fibrasque aut comprimit, aut divellit. Quare scisso brachio non anima dividitur, sed venæ, arteriæ, aliaque filamenta, per quæ ab anima residente in cerebro movebatur. Similia reponent qui statuunt animæ sedem in corde. Nec tamen si totam etiam illi brachio inesse arbitraris, infertur animam una fuisse conscissam, sed tantum a scisso membro discessisse. Imo neque anima sensitiva, quæ tamen corporea est, dividitur juxta Peripateticos, dum brachium abscinditur: sed secantur duntaxat animæ imperfectorum, quorum corpora sunt paribus segmentis conglutinata, ut lacertæ & lumbrici.

Oppones ultimo. Quod anima fiat ex propagine, & de femore parentum egrediatur, videtur sacris literis magis conforme. Ergo anima propagatione seminis generatur. Probatur antecedens I. Genes. II. 23. dicitur mulier sumpta a viro, neque in ejus formatione legitur Deum inspirasse in faciem ejus spiraculum vitæ. Ergo anima Evæ ex anima Adæ facta est, neque Deus aliam, quam primi hominis animam produxit ex nihilo. II. Ejusdem libri cap. XII. 5. legimus, quod Abram profecturus de Haran tulit Sarai uxorem suam · *Et animas, quas fecerant in Haran*. Et cap. XLVI. 26. habetur; *Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius, &c.* Fiunt ergo animæ a generantibus, atque illorum ex femore egrediuntur. III. Apostolus ad Hebræos cap. VII. 9. demonstrat Sacerdotium Christi esse nobilius Levitico, quoniam illud præfiguratum est in Melchisedech, cui decimas omnium divisit Abraham; ideoque, *Et per Abraham Levi decimatus est: adhuc enim im lumbis Patris erat, quando obviavit ei Melchisedech*. At Levi non erat in lumbis Abraham ratione solius carnis, sed etiam animæ; alias etiam Christus decimatus fuisset, cum natus sit ex semine Abraham secundum carnem. Igitur universorum hominum, excepto Christo, tam caro, quam anima propagatur ex femore, lumbisque parentum.

Resp. nego ant. Ad priorem probationem dico in Genesi nec legi animam Evæ fuisse traductam, sed tantum quod corpus illius fuerit extractum de corpore Adæ: unde hoc argumento non probatur nec creatio, nec propagatio animorum. Dicitur autem mulier *Virago*, quoniam est os de osse viri, & caro de carne, ut habetur eodem versu: non quod sit anima de anima, & spiritus de spiritu. Vide Augustinum Epist. 28. ad Hieron. Ad alteram respondet S. Pater in Epist. ad Optatum num. 19. filios Abraham, & Jacobi appellari Animas modo quodam locutionis, quo significatur per id quod continetur illud quod continet, sicut Virgilius ait septimo Æneid. *Vina coronant*, cum coronentur vasa vinaria. Animadvertit etiam Gen. 46. haberi pronomen relativum masculini generis, *Qui egressi sunt de femoribus ejus:* quo manifeste significatur exiisse de femore patris homines, non animas. Id vero secundum versionem LXX. in qua legitur: *οἱ ἐξελθόντες ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ*; nam Vulgata habet ut supra recitatum est. Ad ultimum respondet lib. X. de Gen. ad lit. cap. 20. Christum non fuisse cum Levi decimatum in femore Abrahæ, quoniam non venit in uterum matris per viri concubitum, sed a virgine conceptus est absque semine. Pergamus itaque ad reliquas controversias, nam de origina Animæ videmur satis superque dixisse.

C A P U T V.

Sequitur quæstionis pars tertia, quæ est de immortalitate Animorum.

ITAQUE cum spiritus nihil habeat commune cum corpore non potest simul cum ipso interire. Quod nunc breviter demonstraturus sum adversus rudiores, qui sibi hanc apertissimam veritatem nequeunt persuadere. In quorum numero inique nonnullos Catholicos recensent Lucas Osiander Cent. XVI. lib. I. cap. 16. & Daniel Classenius lib. I. Theolog. Gentilis cap. XIV. viris doctrinæ spectabilis, ac summæ dignitatis nequaquam parcentes. Sed prodidit sese stylus ipse mendacii. Nam de his unum referunt dixisse, se animæ immortalitatem firmiter non credidisse, cum jam mortuus esset: cui autem hæc mortuus significaverit, ipsi nesciunt. Videatur Classenius septimo Thesauri Græcarum Antiquitatum volumine pag. 76. Immortalitatem Animæ negant, qui nullam substantiam admittunt præter corporalem, divisibilem ac solubilem, & omnem animam constituunt in quadam dispositione materiæ, sive congerie atomorum. Sunt aliqui tamen, qui materialem putant animam & nihilominus immortalem; id vero non ratione, sed fide tenere se profitantur. Hi sunt, qui existimant animam generari corporeo semine: quos refutavimus capite præcedenti.

PROPOSITIO: Anima rationalis non moritur simul cum suo corpore, sed perpetua vita fruitur.

Nam primo id eloquia divina testantur. Sap. III. I. legitur: *Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori.... illi autem sunt in pace.* II. Machab. XII. 44.: *Nisi eos qui ceciderant resurrecturos speraret, &c.* Joan. XII. 25. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eum.* Matthæi XXV. 46. *Ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam.* 2. ad Corinth. V. I. *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.* Sunt alia generis hujus innumera.

Consentiunt Ecclesiæ PP. quorum verba necessarium non videtur producere. Legatur Coccius in Thesauro, & in lib. 2. de Operibus sex dierum Franciscus Suarez. Nedum Patres, verum etiam *multi tam Græci, quam Barbari persuasum habent quod vivat anima humana post discessum a corpore*, ait in VII. contra Celsum Origenes. Et recte quidem. Nam ut mittam Pythagoram, & Platonem in Phædone, & XII. de Rep., Diodorum Siculum lib. XVIII. Macrob. in Somn. Scipionis, Salustium in Catilin. aliosque nominis celebritate præclaros; immortalitatem animorum tenuisse Thraces scribit lib. II. cap. II. Pomponius Mela. Idem tradit de Chaldæis & Indis Pausanias in lib. quarto. Certissimum est ergo probari immortalitatem animarum Scripturis, Traditione, atque plurium etiam Gentilium consensu.

Tertio probatur demonstrationibus. Quarum prima est. Anima humana incorporea est, & caret partibus; Ergo est suapte natura immortalis. Antecedens demonstratum est supra cap. 3. prop. I. consequentia pariter probata est in libro de Angelis cap. 3. prop. 2. *Quomodo enim dissolvi potest quod non est compositum?* inquit Greg. Nys. Orat. Catech. c. 8. Huc reduci possunt argumenta Philosophorum, quod principium intellectionis sit per se subsistens, atque, ut Peripatetici loquuntur, *per se forma*: de quo plura S. Thomas in II. contra Gentes cap. 55. 57. & I. p. q. 75. art. 6. Vide & Melchiorem Canum lib. XII. cap. 14. In his tamen argumentationibus nos ab horum Philosophorum principiis aliqua ex parte distamus; non enim *species omnes intelligibiles* a phantasmate dependere arbitramur: atque ita deridere possumus ratiocinationes eorum, qui probant mentem humanam, ex quo a corpore per sensus species debeat emendicare, aut cum corporibus interire, aut solutam a corpore in modum glirium somno otioque torpere. Atque hinc est quod Peripatetici multi, præditi etiam magno ingenio & magna philosophiæ Aristotelis eruditione, pronuntiarunt immortalitatem animorum fide credi, sed nullo certo physico argumento patescere. Quos cum disertissime Canus insectetur, & perpolito dicendi genere hanc propositionem confirmet; tamen prope finem disputationis hæc scribit de argumentis, quibus Peripatetici demonstrant animæ immortalitatem: *Quod si hujusmodi argumenta tibi evidentia non sunt, memento nec ceteros ex tuo ingenio æstimandos esse, neque hic evidentiam mathematicam requirendam.* Nos ergo ex Augustinianis principiis probamus rationalem substantiam esse omni corpore nobiliorem, quoniam illius naturam perspicue intelligibilem novimus absque omni extensione, & ideas rerum defendimus superinditas, non a corporibus emendicatas.

Nisi omnem perceptionem oriri dixeris a sensu, & phantasmate juxta Peripateticam doctrinam; assequeris optima argumenta Augustini in libro de Immortalitate Animæ: de quo tamen commoneo, ut legatur libri I. Retract. caput XV. Probat enim S. Pater Animum esse immortalem ex quo sit subjectum scientiæ ac disciplinæ immutabilis, atque ei insit ratio perfectior quocunque corpore, necnon lex & ordo invariabilis numerorum, & veritas, qua nihil potest esse præstantius. De quo argumentorum genere arbitror eum, qui præcedentes lucubrationes attente legerit, plane fuisse informatum.

Firmissimæ sunt argumentationes ex Dei providentia petitæ. Deum esse & ratio demonstrat, & probat hominum universorum conscientia. Atque Deum justissimum esse remuneratorem bonorum operum, & malorum vindicem liquet ea idea summi & incommutabilis boni: non enim bonum rectumque Dominum judicat quisquis illum absque præmiorum pœnarumque lege constituit. Atqui nisi sit perennis animorum vita post mortem, boni plures mercede, & improbi supplicio debito privabuntur; quod est Deum facere improvidum, rerumque humanarum inscium & negligentem. Est ergo post interitum corporis, Animi perpetua & interminabilis vita. Hoc argumentum primo nobis exhibuerunt sacræ literæ: Job. XXI. a versu 7. *Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis?* Psalm. LXXII. a versu 3. ad postremum. Habacuc I. & II. capite. Idem urget Chrysostomus hom. 4. de Providentia: nec latuit Ciceronem in libro de Senect. & in primo Tusculan. Qq. Hinc est quod impii ut suis indulgerent cupiditatibus Dei providentiam sustulerunt, ut legimus Psalm. XIII. I. & Sap. II. I. 2. & 3. S. P. Augustinus in libro Confessionum suarum VI. cap. ultimo, *Disputabam*, inquit, *cum amicis meis Alipio & Nebridio de finibus bonorum & malorum Epicurum accepturum fuisse palmam in animo meo, nisi ego credidissem post mortem restare animæ vitam, & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit.*

Accedit inditus amor beatitudinis, & omnium hominum solicitudo & cura eorum, quæ post mortem futura sunt. Hujusmodi anxietas aliud non est, quam certa & constans prænotio, sive instinctus naturæ omnia ab bonum congruens recta trahentis. Instinctus autem & inclinatio

naturæ

naturæ fallax esse non potest, alioqui melior foret conditio pecudum, quam hominum, cum illæ ab auctore naturæ ad finem sibi debitum dirigantur. Oportet ergo, ut sit revera immortalis vita, quam appetit creatura quælibet rationalis. Quam argumentationem non solum urgent Theologi ac Patres, verum & Tullius memorato loco, ubi antiquorum Philosophorum sententias exponit, & in Epist. 117. Seneca.

Objicies. Animam simul interire cum corpore scribit Ecclesiastes cap. 3. v. 19. Apostolus in 1. ad Timotheum c. vi. 16. atque evincitur ex Levitici xvii. 7. 14. Ecclesiastes enim ait: *Idcirco unus interitus est hominis & jumentorum, & aqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius: cuncta subjacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt, & in terram pariter revertuntur. Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum?* Paulus vero expresse affirmat quod *Deus solus habet immortalitatem*. In Levitico sunt hæc verba: *Anima omnis carnis in sanguine est*. Non animam dixit divinus Auctor pecudum tantum, vel jumentorum, sed *omnis carnis*. Et *carnis* nomine etiam homines designari constat ex cap. vi. Gen. 12. & Joannis iii. 6. Ad summum animorum immortalitas, si ulla est, erit gratia mortem coercens, ut definit vi. Synodus Act. xi. Erit ergo suapte natura omnis homo quantum ad animam corruptibilis & mortalis.

Resp. ad locum Ecclesiastæ, unum esse interitum & jumentorum & hominum quantum attinet ad vitam corpoream communem omnibus animantibus: nam & homini, cui dederat Deus posse non mori, posteaquam sese avertit a Creatore suo, & perdidit originalem justitiam, dictum est Gen. iii. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Ita nihil habet homo jumento amplius ratione corporis & vitæ animalis in carne prætereuntis; & cuncta ad eamdem terræ conditionem redeunt, unde facta sunt, quoniam humani corporis molem Deus de limo formavit. Mens ergo in terram non revertitur, cum de terra non sit producta. Reliqua verba sunt admirantis, & reprehendentis improbos, quorum animus adeo terrenis cupiditatibus illaqueatur, ut nonnisi terrena sapiat, & solum corporis interitum, ut jumentorum mos est, perhorrescat. Conferenda sunt cum his verba Sap. ii. *Dixerunt enim cogitantes apud se non recte: Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, &c.* Etiam citato capite Eccl. v. 17. habetur: *Et dixi in corde meo: Justum & impium judicabit Deus, &c.* Quibus commonet nos alteram manere vitam, in qua non videtur, quomodo sub sole contingit in loco judicii impietas, sed merces æqua rependitur. De testimonio Apostoli, & auctoritate & sensu vi. Synodi vide lib. x. cap. 3. Legatur & Augustinus libro septimo de Genesi ad literam sub finem, ubi ait quod anima *sit immortalis secundum quemdam vitæ modum, quem nullo modo potest amittere: secundum quamdam vero mutabilitatem, qua potest vel deterior vel melior fieri, non immerito etiam mortalis possit intelligi, quoniam veram immortalitatem solus ille habet, de quo proprie dictum est, Qui solus habet immortalitatem.* Consimilia tradit in Epistola ad Hieronymum de Origine animæ cap. 2. num. 3.

Ad Levitici verba reponent non vulgares Philosophi animam quidem omnis carnis aut immolandæ super altare Domini, aut ad mensam comedendæ, cujus profecto generis non est homo, nihil esse quam subtiliores partes sanguinis; nec in brutis reperiri animam sensitivam, quæ sit substantia aliqua distincta a materia, qualem propugnant Peripatetici. Sed de brutorum anima viderint alii. Longe hac præstantiorem & ab interitu liberum animum esse humanum, persuasum habent qui defunctorum spiritui etiam funerum cæremoniis sacros honores impendunt. Vix enim invenies aliquem, qui animum suum tanto dedecore afficiat, ut corpus illius sedem tumulandum credat asini sepultura. Respondendum itaque cum Augustino quæst. 57. in Leviticum, animam omnis carnis esse in sanguine, quatenus in hac vita vivitur dum sanguis per corporis membra omnibus in venis diffunditur; vel animam hoc loco significare duntaxat vitam temporalem, quomodo Apostolus, ut se ostenderet paratum ad sanguinem pro Evangelio fundendum, inquit, *Non enim facio animam meam pretiosiorem quam me*. Reliqua argumenta soluta sunt cap. iii. Prop. 1. & cap. iv. Prop. 2.

CAPUT VI.

Absolvitur disputatio de Anima hominis refellendo errorem de ejus transmigratione, & revolutione Platonica.

Μετεμψύχωσιν, ut Græci appellant, sive animorum de uno in aliud corpus transitum, vel, ut loquitur Tertullianus, *recidivatum* dicitur primus omnium tradidisse Pythagoras. Verum arbitror derivasse ab Ægyptiorum idololatria: hanc enim gentem principio Regum suorum memoriam astrorum symbolis, rerumque corporalium imaginibus coluisse, deinde tamquam numina sempiterna sydera ipsa, & alia Majorum symbola habere cœpisse, commonstrant quæ a nobis scripta sunt de Origine Polytheismi. In ea opinione magis confirmamur, quod Photius in Bibliotheca p. 1004. affirmat errorem illum ad Pythagoram ex Ægyptiis manasse. Eodem laborasse Stoicos omnes auctor est in libro iii. cap. 18. Lactantius. Idem de antiquis Germanis scribit Appianus in Celtico, & de Indis lib. 3. Physiologiæ Stoicorum dissert. xii. Justus Lipsius. Quanto insuper honore Brachmanni Boves, Elephantes & animalia cetera prosequantur, scribit in Itinere ad Orientales Indias Vincentius Maria Carmelita Excalc. lib. iii. cap. 22. & 26. Etiam Plato animas hominum volvi post mortem credidit ad corpora bestiarum, auctore Augustino in x. de Civit. Dei cap. 30. Sic in Phædro scribit, sic in Timæo, sic in extremo de Republica. At non fuit Plato primus hujus erroris assertor, ut visum Irenæo lib. ii. cap. 58. nunc 33. sed idololatræ Ægyptii, aut saltem Pythagoras, a quo nefarium Dogma accepit Empedocles, cujus extant apud Tertullianum de Anima cap. 15. & Diogenem Laertium in vita Philosoph. ea verba: *Thamnus & piscis fui*. Etiam Manichæi eodem errore imbuti sunt, apud Augustinum Hæresi 46. & in libro contra Adimantum cap. xii. Platonici quidam non solum *Transanimationem* defendunt, sed ulterius animarum reditum ad astra, unde sumptæ fuerunt; quamquam non conveniunt an exacto anno magno ibi in æternum debeant permanere, an infinitis revolutionibus cogantur iterum ad corpora terrena descendere. De hac animarum perpetua revolutione Virgilius in vi. Æn.

Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno,
Scilicet immemores supera ut convexa revisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reverti.

Exprimit autem Poeta per aquam Lethæi fluvii oblivionem; nemo quippe mortalium vitæ in alio corpore anteactæ juxta Platonem reminiscitur, propterea quod animæ in aliud corpus migraturæ exhibet Dæmon medicamentum, quo in gravem incidit aporiam. Refellendus modo est tam supinus & pervulgatus error quambrevissime possumus, ut ad munus pensumque persequendi lucubrationem de primo homine revocemur.

PROPOSITIO I. Non datur animorum de uno in aliud corpus migratio.

Manifestissima hæc veritas sacrorum librorum auctoritate firmatur. Ecclesiastæ xii. 7. habetur: *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. At non rediret ad Deum, si in aliud corpus migraret. Apostolus ingemiscebat, dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*. Cupiebat corporis resolutionem, ut esset cum Christo: & dissoluta hujus habitationis domo alteram non manufactam firmissime sperandam esse monebat. Si autem daretur transanimatio, esset de domo terrestri in terrestrem, & de corpore mortis in corpus mortis transeundum.

Refutatur etiam opinio Pythagoreorum ratiocinationibus naturalibus. Prima est Irenæi lib. ii. cap. 33. & potest hac brevi forma proponi. Nemo reminiscitur eorum, quæ in alio corpore perpetravit. Ergo qui putat se in alio corpore vitam egisse, id nulla ratione affirmat, nec probabili ducitur conjectura. Reponunt Platonici, quod animæ priusquam in corpora intrent, potantur oblivione. Verum Beatus Irenæus ita Platonem perstringit: *Si oblivionis poculum potest, posteaquam ebibitum est, omnium factorum obliterare memoriam: hoc ipsum unde scis, o Plato, cum sit nunc in corpore anima tua, quoniam priusquam in corpus introeat, a Dæmone potata est oblivionis medicamentum?* Deinde si posset corporum admixtio omnium præteritorum delere memoriam; dum quis a somno evigilat non reminisceretur eorum, quæ soporatus & quiescente corpore vidit in somniis. Id vero experientiæ quotidianæ adversatur, cum anima recordetur, quæ apud se vidit, & in phantasmate egit, eaque post plurimum temporis nuntiet proximis. Insuper aggravat quidem corpus animam, quæ illo utitur tamquam organo & instrumento, & si corporea moles disrumpitur, mens humana nequit operari per sensus, quemadmodum artifex extremum opus sine instrumentis non perficit: sed quæcumque corporis permixtio & effectio non potest efficere, ut anima, quæ est suapte natura substantia cogitans, omnem prorsus internam cogitationem & reminiscentiam deperdat: quemadmodum nec defectus instrumentorum potest impedire atque omnino delere ideam, ac perceptionem artificis. Sed legendus est memorato loco Irenæus.

Altera argumentatio potest depromi ex Tertulliano lib. de Anima cap. 33. Si animabus, dum in alia corpora migrant, ea deputantur, quæ ipsorum meritis videntur congruere, E. G. porcorum immundis, luporum falsariis, glirium otiosis, asinorumque socordibus & ignaris: congruum est, ut etiam scelerum suorum reminiscantur, quibus talia corpora promeruerunt, maxime cum hoc fine ad ea volutentur, ut adimpleant quod negligenter prætermiserunt, & pœnam luant commissorum: Atqui nemo præteritorum factorum conscientia torquetur, nisi illorum tantum, quæ in hoc humano corpore perpetravit: Ergo ad hoc non venit, ut superioris vitæ corrigat vitia, pœnasque persolvat. *Si demutantur* (inquit Tertullianus) *non ipsa dispungentur*

quæ

quæ merebuntur: & evacuabitur ratio judicii, si meritorum deerit sensus. Deerit autem sensus meritorum, si status verterit animarum.

Tertio loco nonnulla argumenta producam ex magno Ecclesiæ Doctore Augustino. Sit primum. Deus hominem condidit ad imaginem & similitudinem suam: atque hæc divina imago in animo potissimum sita est. Si daretur animorum transmigratio, corpora quoque brutorum fierent habitaculum spiritualis animæ. Igitur etiam bellnæ essent procreatæ ad imaginem & similitudinem Dei. *Anima humana facta est ad imaginem & similitudinem Dei. Non dabit imaginem suam cani, & porco.* Inquit S. Pater in Psalmum 146. v. 9. Alterum sit: Jumenta, quæ hominum usui deserviunt, absque ullo crudelitatis scelere vapulant, freno reguntur, neque ulla est inter illa hominesque consuetudo. Nemo quippe non miratur extremam quorumdam Indorum stultitiam, qui bestias ingenti pretio redimunt, excipiunt hospitio, & ab earum carne abstinent, stercore etiam religiose servato, maxime boum atque elephantum. At si daretur animorum transmigratio, jumentis esset peculiaris honor habendus, & Indorum superstitionem docti quique probarent; quum in bellnina corpora essent detrusæ animæ parentum & amicorum. Non ergo, nisi prorsus desipiat, hanc animorum revolutionem quipiam audebit asserere: *Quid ergo faciet de tanto scelere* (ait S. Pater contra Adimantum discipulum Manichæi cap. 12.) *si quando tardum jumentum plagis, aut concitatum freno fatigavit, in quo forte patris ejus anima fuerit? Ut non dicam quod etiam occidere parentes suos inter pediculos, & pulices poterit, a quorum isti interfectione non temperant.* Tertio: Cum olim Manichæi, tum memorati Brachmani fatentur animas hominum in corpora quidem jumentorum, pecudum, boumque revolvi, at non in minutissima cimicum, pulicum, aliaque hujusmodi: At si hominum spiritus migraret in bestias, etiam in tenuissimas revolveretur: Ergo non transmigrat: *Cur in vulpeculam* (inquit eodem loco Augustinus) *revolvi anima humana possit, & non possit in mustelam, cum catulus vulpeculæ fortasse etiam minor sit, quam magna mustela? Deinde si in mustelam potest, cur in murem non potest? Et si in istum potest, cur in stellionem non potest, deinde in apem, dein in muscam, deinde in cimicem, atque inde usque in pulicem, & si quid est aliud multo minutius, pervenire?*

PROPOSITIO II. Non datur circulus Animorum, seu revolutio Platonica, qua anima Deum secuta sine ulla pœna ad alterum circum pervadat, confectoque omnium siderum cursu ad primam conditionem evolutis perpetuo sæculis revertatur.

Ad præcedentia argumenta, quibus animarum volutatio fuit generaliter impugnata, accedit ratiocinatio Augustini in x. de Civit. Dei cap. 30. & xii. cap. 20. Ea sic proponitur: Anima purgata, Deum secuta, & beatitudinem adepta juxta Platonicorum placita revolutis sæculis ad secundam vitam redit, optione unicuique proposita, ut corpus eligat, quod velit, E. G. Anima Orphei corpus cygni, Ajacis leonis, Thamyræ philomelæ, Agamemnonis aquilæ; ut in Phædro ait Plato. Hoc autem est omnino incredibile. Ergo commentitius est circumitus & circus animorum. Minor probatur; quoniam stultum est credere ex illa vita, quæ beata esse non potest, nisi certa sit anima de sua futura æternitate, *desiderari corporum corruptibilium labem, & inde ad ista remeare, tamquam hoc agat summa purgatio, ut inquinatio requiratur.* Confirmatur: nam animæ juxta Platonis doctrinam nunquam beatitudinem consequuntur, quam instinctu appetunt naturali, cum post temporum volumina sciant se iterum ad miseriam, terrenamque calamitatemredituras: aut si id ignorant, non sint veram felicitatem consecutæ. Recte ergo Tullius in vi. de Republica dicit ex sententia Platonis vitam ubique jugi malorum fonte circumseptam esse; & præceptoris doctrina jure displicuit Porphyrio: quem puduit illud credere, *ne mater fortasse filium in mulam revoluta vectaret.* Legendus in locis, quæ innuimus, S. Pater, & Alipius Reylof Gandavensis lib. vi. de Anima cap. 3.

Oppones: Transmigratio animorum non videtur repugnare Scripturis. Nam in Joannem Baptistam revolutum spiritum Eliæ, constat ex apertissimo Christi testimonio Matth. xi. 14. *Ipse est Elias.* Transmigrant ergo animi de corpore hominis unius in corpus alterius. Revolvi etiam ad bestias & volucres colligitur ex Psalmo 146. 9. ubi legimus Deum præbere escam *pullis corvorum invocantibus eum.* At non invocarent corvi Dominum, nisi anima spirituali præditi essent. Venit itaque interdum spiritus hominis ad corpora ferarum & volatilium.

Resp. ad i. Si animus Eliæ vere in Joannem migraverat, eccur interrogantibus Levitis Jo. i. v. 21. num esset Elias, respondit, *non sum?* Itaque, ut Augustinus scribit Tractatu in Joannem quarto, *si figuram Præcursoris advertas, Joannes ipse est Elias; quod enim ille ad primum adventum, hoc iste ad secundum erit. Si proprietatem personæ interroges, Joannes Joannes, Elias Elias. Dominus ergo ad præfigurationem recte, ipse est Elias; Joannes autem recte ad proprietatem, non sum Elias.* Idem scribit Tertullianus de Anima cap. 17. Hieronymus Epistola ad Algasiam 151. q. 1. & Gregorius hom. vii. in Evangelia. Pulli autem corvorum dicuntur Deum *invocare* metaphorice, quatenus clamitant crocitando: unde vertit Hieronymus *Filiis corvi clamantibus.* Atque Psalmista nobis providentissimam Dei curam hoc exemplo commendat. Pulli enim corvorum antequam plumescant, non pascuntur a parentibus, ut mos est volucrum ceterorum, & postea enutriti pelluntur e nido, & tamen quærunt a Deo escam sibi. Videatur Isidorus in xii. Etymolog. cap. 7. & Ælianus lib. 2. Hist. Anim. cap. 49. Corvorum pullos magnus Augustinus interpretatur Gentiles, *Qui simulacra colere videbantur parentum suorum, & conversi sunt ad Deum.*

CAPUT VII.

Reditur ad primum Hominem, & inquiritur, quomodo conditus fuerit ad Imaginem Dei, & cum originali justitia.

PRIMUM hominem creatum esse ad imaginem & similitudinem Dei aperte divina Scriptura testatur. Ad rationem imaginis requiritur, ut rem, cujus imago est, peculiariter repræsentet. Epiphanius ait Hæresi 70. incertum esse, an hæc imago in anima vel corpore sita sit: sed errasse scribunt cum Gregorio de Valentia disp. viii. quæst. 3. p. 1. Theologi alii. Quoniam vero Magister sententiarum in ii. dist. xvi. demonstrat auctoritate Augustini similitudinem non solum consistere in essentia, quæ immortalis & incorruptibilis est, verum etiam in amore virtutis, atque innocentia & justitia; etiam de originali integritate est disquirendum.

PROPOSITIO I. Homo factus est ad imaginem Dei secundum Animam; & hæc imago in facultate intelligendi & volendi, atque in arbitrii libertate consistit.

Etenim Genes. i. 26. hominem creatum legimus ad imaginem Dei, ut præesset *piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, universæque terræ.* Atqui homo ceteris animantibus præest non proceritate aut robore corporis, sed facultatibus animi. Ergo non in corpore, sed in animo Imago Dei sita est. Deinde conveniunt in hoc Ecclesiæ Patres, & Theologi; quorum princeps Augustinus lib. 24. contra Faustum cap. 2. inquit: *Eum ad imaginem suam non fecit, nisi secundum id quod interius est, non solum incorporeum, verum etiam rationale, quod pecoribus non inest.* Insuper lib. vii. ex libris Augustini de Trinitate, Patris, Filii, & Spiritus Sancti imaginem in mente ejusque notitia & amore peculiariter expressam ostendimus. Præterea, ut idem Augustinus docet in lib. 83. Qq. q. 51. inter creaturas omnes, *Quæ sapiunt, Deo similitudine proxima sunt.* Et ratio est, quoniam creatura intellectualis, & sapientiæ capax & est, & vivit, & cognoscit, cum creaturæ aliæ aut non cognoscant, ut bruta, aut non vivant, ut lapides: ideoque substantia intelligens est id, quo nihil melius in creatura invenitur. Oportet ergo, ut imago Dei existat in Anima, per quam homo divinitatis substantiam, idest, plenitudinem essendi peculiari modo repræsentat.

Ex quibus sequitur primo etiam Angelum, cum sit spiritualis substantiæ, & præditus vi intelligendi, ad imaginem Dei fuisse creatum, & quidem peculiari quadam ratione, cum majori intelligentiæ polleat acumine. Sequitur ulterius etiam mulierem in se imaginem divinam referre, ut colligitur ex primo Geneseos 27. *Ad imaginem Dei creavit illum, masculum & feminam creavit eos.* Quamquam mulier rectissime appellatur ab Apostolo in priori ad Corinthios xi. 7. *gloria viri*, quatenus ex viro producta est, eique subjicitur. Consequitur tertio hominem peccando imaginem Dei penitus non amittere, quoniam in eo non extinguitur lumen rationis, neque omnino perit liberi arbitrii facultas; tametsi dum actu peccat, erratque extra rationis semitas, comparandus sit jumentis insipientibus, & fiat similis vanitati. Sequitur præterea hominem & Dei imaginem appellari, & ad imaginem Dei procreatum, ut distinguatur a Verbo, quod est divinæ substantiæ perfectissima imago, a sapientia Patris, non creata, sed nata; nec diceretur recte ad imaginem Patris, quæ verba demonstrant imparem quamdam similitudinem. Legendus Augustinus xv. de Trinit. cap. 2. & 3. Magister sent. in ii. dist. xvi. §. ultimo. Postremo sequitur divinam imaginem etiam in corpore quodammodo relucere, ut idem Aug. docet in vi. de Gen. ad lit. cap. 12. & in i. de Genesi contra Manichæos cap. 17. *Omnium enim animalium corpora, sive quæ in aquis, sive quæ in terra vivunt, sive quæ in aere volitant, inclinata sunt ad terram, & non sunt erecta, sicut hominis corpus. Quo significatur etiam animum nostrum in superna, idest in æterna spiritualia erectum esse debere. Ita intelligitur per animum maxime, attestante etiam erecta corporis forma, homo factus ad imaginem, & similitudinem Dei.* Atque poterunt hoc pacto conciliari Patres, qui etiam in corpore humano divinam imaginem agnoverunt; ut in Dracontii Hexamerone:

Sed dominatorum dominator summus & auctor
Limavit per membra virum de pulvere factum:
Limus adhuc deformis erat; membratur in artus
Corporea species hominis cælestis Imago.

PROPOSITIO II. Similitudo Dei præter substantiæ intelligentis naturam, etiam dona virtutum, divinarumque gratiarum munera videtur complecti.

Id innuunt primum sacræ literæ. Nam Apost. ad Ephes. IV. 24. & ad Coloss. III. 10. hortatus nos ad caritatem, & exercitia virtutum, ut spiritu renovemur *secundum imaginem Dei*, ad quam creatus est primus Adam. Igitur præter rationalem naturam, quæ Dei imago est naturalis, impertitus est universorum Creator homini gratiarum dona, in quibus splendescit imago quædam supernaturalis, cujus caussa nuncupamur Dei filii, eique speciali titulo similes. Ait etiam Joannes Epist. I. cap. III. 2. quod in Patria *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. Divina ergo similitudo non qualemcunque cognitionem, sed supernaturalem, & sanctæ dilectioni conjunctam commonstrare videtur. Nec tamen hic sequitur primum hominem ab initio vidisse Deum facie ad faciem, ut quidam commenti sunt; non enim habuit plenitudinem beatitudinis, & caritatem adeo fervidam, ut non posset ad commutabilia bona converti, quomodo ipse probavit eventus. Similitudo ergo Patriæ in hoc est perfectior, quod justi per liberum arbitrium excidere a caritate non possunt, orta ex manifesta visione Dei sanctæ dilectionis necessitate, quæ cum flexibili hominum viatorum arbitrio nequit connecti.

Etiam Patres similitudinem Dei in amore virtutis constituerunt. Irenæus lib. 5. adversus hæres. cap. 6. docet *imaginem haberi in plasmate, similitudinem vero assumi per spiritum*: hac autem improbos & carnalibus cupiditatibus deditos propria culpa carere. S. Hieronymus in Comment. ad cap. 28. Ezech. ait Dei similitudinem compleri *in baptismate*. S. P. Augustinus adversus Adimantum discipulum Manichæi cap. 5. eamdem similitudinem apparere scribit *in dilectione inimicorum*: quod conforme est testimonio Evangelico Mat. V. vers. 45. Plura Patrum testimonia affert Bellarm. de Gratia primi hominis cap. 2. quibus *cogimur* (inquit) *admittere non esse omnino idem Imaginem & similitudinem, sed imaginem ad naturam, similitudinem ad virtutes pertinere*. Quod & Magister docet memorata distinct. XVI. §. 4. & D. Thomas q. 93. art. 9. Suffragatur & ratio; nam similitudo addit ad rationem imaginis rectitudinem ac perfectionem, quæ proculdubio in creatura rationali est virtus & ordo dilectionis. Ex quibus infertur hominem peccando similitudinem Dei, non imaginem perdidisse: unde Augustinus, qui in VI. de Gen. ad lit. cap. 27. & 28. scripserat *Adam imaginem Dei perdidisse peccato*, in II. Retract. cap. 24. ita accipiendum esse animadvertit, *non tamquam in eo nulla remanserit, sed quod tam deformis, ut reformatione opus haberet*. Quam reformationem Apostolus in justitia & sanctitate consistere non uno in loco declarat.

PROPOSITIO III. Adam cum gratia gratum faciente productus est: non tamen id ab Ecclesia definitum videtur.

Demonstrata est a nobis hæc thesis libro hujus X. cap. VII. Prop. secunda. Nunc de homine breviter confirmatur; cum producta ibidem argumenta sint homini Angelisque communia. Primo Apostolus ad Ephes. 4. 23. ait: *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis*. Qui renovatur ad priorem conditionem regreditur. Prior ergo conditio hominis fuit in justitia & sanctitate. Insuper Concilium Tridentinum sess. V. can. V. definit: *Primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse*. Præterea hæc est sententia Augustini, aliorumque Patrum rationi etiam consentanea, ut demonstratum est loco nuper citato de Angelis.

Secunda pars probatur. Jansenius de Grat. I. hominis cap. I. contendit spectare ad fidem ob allatam Tridentini definitionem. Sed hæc conjectura est valde infirma. Nam Estius in 2. dist. 25. respondet: *Aliud est creatum esse in sanctitate & justitia, aliud in ea constitutum. Constitui enim in ea potuit post creationem. Nam & in Paradiso constitutus, idest, positus fuit primus homo Gen. 2. non tamen in eo creatus. Unde satis liquet Patres Concilii Tridentini, dum ita circumspecte locuti sunt, ut constitutum dicerent, non creatum aut conditum, studio voluisse abstinere a definienda quæstione inter Catholicos disputata, an homo fuerit creatus in gratia*. Addit Juenin Tom. 3. Inst. dissert. 3. q. 1. Sacræ Synodi jussu deletam fuisse vocem *Conditum*, quam illius Canonis editores primum inseruerant. Contendunt alii Concilium per *justitiam & sanctitatem veritatis*, non habitualem gratiam intellexisse, sed rectitudinem originalem, quam sitam putant in recto ordine ac dominio rationis, nullo reluctante motu concupiscentiæ, necnon in libero arbitrio actuali gratia suffulto; quam utique rectitudinem merito primi peccati perdidimus; nam etiamsi nobis gratia uberior per Christum subministretur, remanet tamen concupiscentia ad agonem, quæ ex peccato est, & ad peccatum inclinat, ut eadem Tridentina Synodus docet proximo Canone quinto. Denique Cardinalis Pallavicinus lib. VII. Hist. Conc. Trid. cap. X. testatur, *Patrum consilium fuisse se prorsus abstinere a supervacaneis articulis, ab illis nimirum qui Catholicas inter scholas in dubitatione versantur .... nec enim Synodus collecta fuerat ad decidendas opiniones, sed ad errores recidendos*. Quanti autem Scholastici scripserint primum hominem absque gratia habituali fuisse conditum, neminem puto ignorare.

Neque probatur hujus de Adamo condito in gratia sanctificante assertionis definitio ex Canone 19. Concilii 2. Arausicani, quem urget Bellarminus capite de Gratia primi hominis tertio, & Cl. Auctor Operis, quod inscribitur *Mens Augustini* lib. I. cap. 4. Sunt autem Concilii verba ex Augustini Epistola sexta ac centesima: *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam Creatore suo non adjuvante servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine gratia poterit reparare quod perdidit?* Quibus in verbis demonstratur tantum adversus Pelagianos necessitas gratiæ actualis ad consequendam salutem, & reparandas vires ad servanda, *ut oportet*, divina præcepta ob Adæ culpam deperditas, argumentatione quam appellitant Scholæ a fortiori. Neque irrefragabile monumentum subministrant verba Augustini lib. I. de lib. arb. cap. II. dicentis firmissima fide tenendum esse, *Hominem tam perfecte conditum a Deo, & in beata vita constitutum, ut ad ærumnas mortalis vitæ ipse inde propria voluntate delapsus sit*: Aut quod in synopsi fidei Monachi Scythæ, vel quod Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 25. absque dubitatione credendum esse profitentur, *Primos homines, idest, Adam & mulierem ejus, bonos & rectos, & sine peccato creatos esse*. Respondere etenim poterunt antiquorum Scholasticorum defensores ad perfectionem & rectitudinem originalem hoc tantum requiri, ut humana natura esset instituta absque ullo vitio & peccato, atque cum bona voluntate, & gratiæ sufficientis adjutorio, ut posset sibi habitualem caritatem comparare, & ad plenitudinem beatitudinis pervenire. Quamobrem nulla censura veteres Scholasticos perstringendos arbitramur: etsi rectitudinis ac sanctitatis nomine planiori sensu fatemur significari justificationem & gratiam, in qua permanentes jure quodam hæreditario consequimur beatitudinem. Hanc vero assertionem nostram commemorato lib. I. cap. VII. satis præmunivimus.

Profecto justitia Originalis præter gratiam habitualem alia dona complura importabat: idque ex eo constat, quod nemo filiorum Adæ in peccatu conceptus dum baptismate abluitur, & gratia ac sanctitate exornatur, in hac vita assequitur primigeniæ institutionis uberrimam plenissimamque felicitatem. Assequeretur autem, si rectitudo originalis nihil fuisset præter gratiam gratum facientem. Itaque primus homo ita constitutus est bonus & rectus, ut in anima superni luminis illustrationem, & beatitudinem participaret; imperfecte tamen, & quomodo explanavi libro X. cap. VIII. In qua beatitudine nulla rixa a se ipso adversus seipsum turbatus atque tentatus sua secum pace fruebatur. Quamvis vero esset futuri casus ignarus, propterea quod plenitudo scientiæ & major abundantia caritatis futura erat merces arbitrii, si in accepta justitia stetisset; nulla tamen animi angebatur solicitudine, cum non miserum fieri, & a tanta bonorum affluentia non cadere in sua potestate esse sentiret. In corpore pariter tranquillitate, securitate, & immortalitate fruebatur; nullo enim concupiscentiæ motu rationi contrario, nullaque rixa carnis integer animus gravabatur: atque licet mortalis factus conditione corporis animalis, erat immortalis beneficio Conditoris. Præerat etiam omnibus animantibus terræ, piscibus maris, & volatilibus cæli, ampliori etiam dominatu, quam modo exerceat non solum pecora & jumenta suis usibus subdita regendo, sed feris etiam imperando potentia non corporis, sed rationis. Atque hæc omnia manifesta reddentur capite libri hujus penultimo, ubi ostendam ignorantiam, concupiscentiam, & mortem, non esse conditionem humanæ naturæ, sed pœnam peccati. Diluenda nunc erunt eorum objecta, quibus arridet veterum quorumdam Scholasticorum opinio de homine in justitia quidem originali, sed non in gratia sanctificante creato.

Ob. I. Apostolus in I. ad Corinth. cap. XV. 46. ait: *Factus est primus homo in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem*. Adam ergo sine gratia, Christus in sanctitate & justitia creatus est. Confirmatur ex eo, quod S. P. Augustinus in II. de Genesi contra Manich. cap. 8. hoc Apostolico testimonio utitur ad probandum tunc spiritualem Adam fuisse effectum, *cum in Paradiso, hoc est in beata vita constitutus præceptum etiam perfectionis accepit, ut verbo Dei consummaretur*. Quod manifestius affirmat in libro Quæst. novi ac veteris testamenti q. 123. ubi eos refellit, qui putant primum hominem Spiritum Sanctum in sua conditione accepisse.

Resp. Apostolum disertis verbis loqui de resurrectione mortuorum; in qua corpus, quod seminatur in corruptione, surget in gloria, & quod seminatur animale, surget spirituale: nos vero qui portamus imaginem hominis terreni portaturos imaginem cælestis, dum resurgent mortui incorrupti, & corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem. Est enim Apostolus eodem loco verborum suorum interpres. *In eo ergo quod scriptum est, Factus est primus homo in animam viventem, voluit Apostolus intelligi corpus hominis animale. Spirituale autem*

quo-

quodammodo intelligendum esse ostendit, *addendo*, *novissimus autem Adam in spiritum vivificantem; proculdubio Christum significans*, *qui jam ex mortuis ita resurrexit*, *ut mori omnino deinceps non possit*. Ita Augustinus XIII. de Civit. Dei cap. 23. Itaque distinguendum est antec. Factus est per Apostolum primus homo in animam viventem, idest, in corpus animale, vita præditum, sed natura mortale, quamvis non moriturum nisi peccasset, concedo: Factus est in animam viventem, videlicet, absque divinæ gratiæ muneribus, & rectus perfectione naturæ, non sanctificationis ornatu, nego.

Ad verba Augustini deprompta ex libro 2. de Genesi contra Manichæos solent nostri respondere cum eximio Auctore librorum, quorum titulus est, *Mens Augustini*, S. Patrem tradidisse simultaneam rerum creationem nullis temporum intervallis distentam, ideoque ordinem narrationis designasse, non autem rerum gestarom, sive discrimen posuisse inter id quod facit hominem animalem, & quod illum spiritualem reddit, non inter tempus creationis, & justificationis. Non est tamen vera hæc responsio. Ea quippe creatio, qua homo in propria specie productus est, & positus in Paradiso, per Augustinum temporis intervallis fuit peracta, & ad simultaneam sex dierum operationem pertinet sola creatio hominis secundum causalem rationem. *Verumtamen* (inquit S. Pater lib. VI. de Gen. ad lit. cap. 15. n. 26.) *sic factus est homo*, *quemadmodum illa prima caussa habebant ut fieret primus homo*.... *secundum caussalem rationem*, *in qua primitus factus est*. *Nam si aliter factus est*, *non illum Deus ita illorum sex dierum operibus fecerat*: *in quibus cum dicitur factus*, *ipsam caussam utique fecerat Deus*, *qua erat suo tempore homo futurus*. Et cap. 3. nu. 5. scripserat: *Huc accedit*, *quod etiam ipsa verba*, *quibus narratur quomodo Deus paradisum plantaverat*, *in eoque hominem quem fecerat collocarit*, *&c. satis nos admonent hæc non ad illam operationem pertinere*, *unde requievit in die septimo*, *sed ad istam potius*, *qua per temporum versus etiam nunc operatur*. In ea ergo hominis productione commemorata secundo capite Genesis, & qua homo formatus est de limo terræ & positus in Paradiso, non solum reperitur rerum gestarum distinctio, sed etiam morarum temporalium: adeoque si Adam spiritalis effectus est cum primo præceptum accepit in Paradiso, fuit aliquando animalis, & nondum sanctificatione exornatus. Respondetur ergo Augustinum quod scripserat l. 2. de Genes. contra Manich. retractasse l. 1. Retract. cap. X. his verbis: *Nec illud Apostoli*, *ubi adhibet testimonium de Genesi*, *dicens*: *Factus est primus homo Adam in animam viventem*, *sicut ille voluit*, *intellexi*. *Apostolus enim ad hoc adhibuit illud testimonium*, *ut probaret esse corpus animale*, *ego autem hinc putavi hoc esse monstrandum animalem factum prius hominem*, *non corpus hominis solum*. Hinc est, quod in VI. de Gen. ad lit. cap. 21. 22. 23. opinionem de homine creato prius animali, postea spiritali, luculenter impugnat, eodemque modo Apostolica verba exponit, quem nos paullo supra tradidimus.

Librum Quæst. novi ac veteris Testamenti non esse Augustini tenent viri omnes eruditi, Bellarminus, Macedo, Alexander, PP. S. Mauri, Caveus etiam, & Oudinus. Enim vero q. 2. scribitur mundum a Deo fuisse creatum ob Diaboli præsumptionem, q. 21. feminam non esse ad imaginem Dei, q. 109. Melchisedech esse Spiritum Sanctum, aliaque plura digna notis, severisque castigationibus. Respondet tamen S. Thomas q. 95. art. 1. legi in eodem libro fuisse aliquo modo in Adam Spiritum Sanctum sicut in aliis justis; non tamen quomodo nunc est in fidelibus, qui statim post mortem æternæ vitæ percipiunt hæreditatem.

Opponit celebris Commentator Aegidii Fridericus Gavardi Tom. 3. quæst. VIII. art. 2. Si Adam in gratia sanctificante creatus fuisset, quantum ad spem attinet futuri boni fuisset magis beatus, quam justus in statu naturæ lapsæ. Hoc autem falsum est. Non ergo fuit Adam conditus in gratia. Ad hæc: adversatur superior assertio Augustinianæ doctrinæ. Primo quoniam S. Pater de corrept. & grat. cap. X. scribit: *Erat adhuc quod eorum adderetur beatitudini*, *si per liberum arbitrium in veritate stetissent*, *ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia caritatis cadere ulterius omnino non possent*. Sed gratia habitualis est inhabitatio Spiritus Sancti. Ergo gratiam habitualem Angeli & primus homo accepturi erant, si per liberum arbitrium in veritate stetissent. Deinde cap. XI. ait S. Pater: *Prima gratia est*, *qua fit*, ut *habeat homo justitiam si velit*. Poterat ergo Adam habere justitiam, sed non habuit. Ulterius docet eodem loco Augustinus Deum primo homini fuisse largitum *Adjutorium sine quo non*. Hoc adjutorium non est gratia sanctificans, sed actualis sufficiens. Solam ergo sufficientem gratiam in prima conditione habuit Adam. Insuper lib. XII. de Civit. Dei cap. 9. docet, *non ad solos sanctos homines pertinere*, *verum etiam de Sanctis Angelis dici posse*: *quod caritas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum*. Itaque caritas habitualis non omnibus Angelis principio collata fuit. Denique homo in eo peccavit, quod appetiit Dei naturam ac sapientiam: non ergo divinæ naturæ particeps erat per gratiam.

Resp. ad primum, Adam in statu innocentiæ majorem beatitudinis spem habuisse, quatenus ignarus erat futuræ miseriæ, & non mori & non miserum fieri erat in sua potestate, atque si per liberum arbitrium in accepta justitia perseverasset, plenitudinem beatitudinis consecutus fuisset sine ullo mortis & infelicitatis experimento. Quatenus vero justis confertur gratia per Jesum Christum, qua non solum donatur perseverantiæ potestas, sed etiam felicitas perseverantiæ, est in homine lapso vividior spes; dum interim non lætiore, sed potentiore gratia fulcitur. Augustinus hæc expressis verbis docet de Corrept. & Grat. cap. X. & XI. Neque ait Angelos per liberum arbitrium promeruisse Spiritum Sanctum, sed majorem abundantiam caritatis, scilicet caritatem consummatam, sive plenitudinem beatitudinis, ut cadere non possent ulterius, & hoc certissime scirent. Quare non gratia, sed gloria fuit Angelis, & futura erat homini, dummodo in veritate stetisset, merces arbitrii. Dum ait Magnus Doctor primam gratiam fuisse ut homo haberet justitiam si vellet, demonstrat discrimen inter gratiam actualem Conditoris, & Redemptoris, quarum una dat posse, altera dat etiam velle, & carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincit. Quod paullo post explicans inquit: *Tunc ergo dederat homini bonam voluntatem*, *in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum*. *Dederat & adjutorium*, *sine quo in ea non posset permanere si vellet*. Idem est ergo posse habere justitiam, ac posse per adjutorium actualis gratiæ acceptam rectitudinem perseveranter tenere. Atque his excutitur altera Gavardi argutatio: non enim Augustinus ait collatum Adæ solum adjutorium sufficiens, sed ulterius bonam voluntatem, & statum rectum ac sine vitio, in quo si permanere voluisset, recepisset debitam cum Angelis sanctis mercedem, plenissimam scilicet beatitudinem. Status autem ille rectus & sine vitio, in quo permanendo pervenitur ad gloriam, est conditio sanctificationis & gratiæ: quam ad Sanctos Angelos pertinere cum debita laude Creatoris confitemur, ut cap. IX. libri de Civit. Dei XII. declarat Augustinus; nam sine bona voluntate, hoc est Dei amore, nunquam illos fuisse credendum est. A qua bona voluntate cum mali sponte defecerint, non habent caritatem, per quam Deo adhæreant; habuerunt tamen, quia simul ac facti sunt, ei a quo facti sunt amore cum quo facti sunt adhæserunt. Atque hæc omnia sunt ex iisdem locis, quæ ex Augustino opponuntur, deprompta. In solutione vero ultimi argumenti lectorem non moror; nam gratia sanctificans & participatio divinæ naturæ non efficit quin possit homini irrepere amor propriæ potestatis, & superba præsumptio, nisi summum bonum, cui amore adhærendum est, perspicua cognitione videatur in gloria.

CAPUT VIII.

Primo homini etiam gratiam actualem fuisse collatam, *sed ei necessariam non fuisse ad perseverandum ab intrinseco efficacem & prædeterminantem*.

GREGORIUS Ariminensis in 2. Sent. dist. XXIX. q. 1. concl. 3. in eo potestatem supernaturaliter operandi, quam habuit Adam, a præsenti statu corruptæ per peccatum naturæ distinguit, quod innocens homo cum adjutorio habitualis gratiæ per liberum arbitrium, ejusque nativam ac naturalem potentiam poterat perseverare ac mereri, absque speciali actualis gratiæ adjumento: quod infirmis & perduelli cupiditate lacessitis hominibus est maxime necessarium. Hanc authentici Doctoris sententiam ita nostrates solent interpretari, ut quamcunque actualis gratiæ largitatem a prima innocentis creaturæ conditione Gregorius excluserit: eum tamen possit intelligi de gratia, sive auxilio efficaciter excitante, ac faciente ut homo reipsa uteretur habitu justitiæ & generalis *influentia* & præmotionis: quo speciali auxilio Adam non eguisse etiam Bellarminus defendit in libro de gratia primi hominis cap. 4. citato cum aliis insignioribus Scholasticis ipso Gregorio. Nos, quoniam non sumus de verborum sensu nimis soliciti, ad res animum convertentes illud inquirimus, num Adam, præter gratiam sanctificantem, etiam actuali donatus fuerit; & an ad actu perseverandum indiguerit adjutorio prædeterminante, pro quo inter Scholasticos plures doctique viri decertant. Quæ duo alibi a nobis discussa quidem sunt: sed cum libro IV. polliciti simus facturos hoc loco quasi post messem spicilegium, hæc subjicimus.

PROPOSITIO I. Adamo præter gratiam sanctificantem etiam actualem Deus impertitus est.

Facili negocio demonstratur ex Augustino, qui in Ench. cap. 106. de primo homine scribit: *Etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum*, *non tamen justitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium*, *nisi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur*. Et in Ep. 106. ad Paulin. *Natura humana* (inquit) *si in illa integritate*, *in qua condita est*, *permaneret*, *nullo modo seipsam Creatore suo non adjuvante servaret*. Ergo præter justitiam & integritatem originalem Deus primo homini etiam adjutorium largitus est, ut posset in bona voluntate & sanctitate perseverare. Quod & confirmat S. Pater de Corrept. & Grat. cap. XI. his verbis: *Tunc ergo dederat homini*

Deus bonam voluntatem: in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat & adjutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet. Ubi aperte bona voluntas & originalis rectitudo ab auxilio *sine quo non*, sive possibilitatis, aut sufficientis gratiæ distinguitur. Adde Augustiniana testimonia a nobis producta lib. x. cap. vis. Proposit. i.

Probatur etiam ratione. Primo quoniam oculus quantumvis sanus indiget candore lucis, ut possit videre; ergo anima licat recta & sancta eget superna gratiæ actualis illustratione, ut possit virtutum supernaturalium officia exercere. Quod argumentum est Augustini in lib. de Nat. & Grat. cap. 26. ubi ait: *Sicut enim oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere; sic homo etiam perfectissime justificatur, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.* Præterea habitus, ut suos exerant actus, sunt excitandi, & movendi. Indigebat ergo primus homo gratiæ præmotione & excitatione aliqua, ut caritatis habitus in actum sanctæ dilectionis exiret. Nec sat erat illius habitus conservatio, & simultaneus caussæ primæ concursus: quoniam iste, ut Theologi docent, non causam movet ad operandum, sed comitatur & adjuvat operantem.

Hanc gratiam actualem necessariam Adamo innocenti docti quidam viri in sola illustratione mentis constituunt, ita ut gratia Christi præter certam scientiam & illuminationem mentis moveat etiam voluntatem per sanctæ dilectionis inspirationem. Luculenter Augustinum adversus Pelagianos pugnasse pro necessitate hujus gratiæ, quæ sita est in illuminatione intellectus, & voluntatis impulsu, demonstrant Dionysius Petavius in lib. de Hæresi Pelagiana cap. 8. & 9. Stephanus Dechamps lib. iii. de hær. Jansen. cap. 55. Vossius etiam lib. iii. p. 2. art. 6. Quibus subscribit Tournely de Grat. Christi q. 2. art. 5. pag. 25. Hi omnes videntur gratiam innocentis naturæ in sola mentis illustratione statuere. Illud autem certissimum est, S. Patrem adversus Pelagianos ita gratiam Christi prædicare, ut ei tribuenda sit bona voluntas, sancta delectatio, & talis inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus. Controvertitur inter Catholicos, an gratia Christi hanc dilectionem inspiret præmotione quadam indifferenti, an congrua, an ab intrinseco efficaci & victrici. Hanc nos propugnamus, & defendimus, ita tamen, ut in hoc statu etiam gratiam sufficientem, quæ dat pugnandi vincendique virtutem, sed a duris corde respuitur, contra recentiores hæreticos asseramus. Itaque Theologi, qui gratiam victricem & efficaciter præmoventem nolunt admittere, aut admittunt duntaxat specie tenus, non possunt invenire discrimen inter gratiam Conditoris & Redemptoris, neque hanc uberiorem demonstrare, nisi affirment illam mentem collustrasse, hanc vero etiam corda inflammare suavi, blandaque delectatione. Nos ergo in hoc latissimam discrepantiam invenimus; quod in hoc statu gratia præmovet ad hoc vel illud bonum particulare, inspiratque determinatam delectationem, V. G. sanctam voluntatem amandi Deum, diligendi inimicum, orandi, pœnitendi, &c. Atque hæc delectatio nunc effectum consequitur & super carnalem concupiscentiam exercet gloriosa certamina, & est gratia efficax; nunc ipsa a prava cupiditate vincitur & oppugnatur, & est adjutorium sufficiens. Legatur libri quarti caput xi. Auxilium ergo actualis gratiæ collatum Adæ erat illuminatio mentis & quædam inclinatio voluntatis ad bonum in communi, qua poterat liberum arbitrium hoc vel illud bonum specialiter eligere, & in bona voluntate permanere, si vellet: illuminatio & inclinatio ad bonum supernaturale, ut donum gratiæ distinguatur a proprietate naturæ.

Opp. S. P. Augustinus in lib. de Natura & Gratia cap. 51. ait: *Si enim iste, qui hunc librum scripsit* (Pelagius) *de illa hominis natura loqueretur, quæ primo inculpata & salva condita est, utcumque acceptaretur hoc dictum.* At Pelagius dixerat possibilitatem non peccandi esse in arbitrii potestate, nec aliam gratiam requiri præter legem & doctrinam, atque revelationem Spiritus Sancti. Ergo homini innocenti hæc sola revelatio, non adjutorium actualis gratiæ fuit necessarium. Utitur hoc argumento Cl. Tournely pag. 26.

Resp. non illum esse verborum Augustini sensum, ut significet Pelagianam doctrinam locum habere in statu innocentiæ; maxime quod Tournely eodem loco, & Petavius citato cap. vii 15. docent Pelagium tandem agnovisse non solam gratiam doctrinæ & legis extrinsecus sonantis, sed internam quoque revelationem, licet non absolute & simpliciter necessariam. De qua re opinionem nostram in libro de Hæresi Pelagiana explicabimus. Quamobrem si in statu innocentiæ requirebatur adjutorium supernæ intrinsecæ illustrationis, quod Pelagius non agnovit nisi ad facilius operandum; quomodo dicta a Pelagio de integra hominis natura acceptarentur? Dogma ergo Pelagianum de non peccandi possibilitate loquendo de prima hominis conditione *utcumque* est tolerabile; quoniam infirmitas & concupiscentia, ad quam superandam necessaria est gratia victricis delectationis, unde fit suave quod antea non delectabat; non erant in priori hominis institutione; ideoque erat in libero arbitrio possibilitas non peccandi magis, quam nunc sit, expedita, & validior.

PROPOSITIO II. Adam ad perseverandum non opus habebat adjutorio gratiæ prædeterminantis & victricis.

Hæc est Augustini sententia, ut probatum est lib. 4. cap. viii, & nunc breviter confirmatur. Sanctus enim Augustinus de Corrept. & Grat. cap. xi. de primo homine ait: *Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti cum dicunt, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Atqui auxilium quod isti, nempe Adæ posteri, implorant, est auxilium gratiæ prædeterminantis. Non ergo auxilio istiusmodi indiguit Adam. Et quoniam responderi solet primum hominem non opus quidem habuisse auxilio actualis perseverantiæ, ut vinceretur concupiscentia, & liberi arbitrii sanaretur infirmitas, sed ut perseveraret actu, & dependeret a prima causa tam bene operandi potestas, quam ipsamet operatio: pluribus evertitur hujus responsionis infirmitas. Nam i. S. Pater gratiæ medicinalis hunc expressum characterem describit, quod potentior sit, & faciat, ut *homo velit*; cum e contra adjutorium Adæ esset tale, *quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret, ut vellet.* Fatentur autem Adversarii Adamum non indiguisse adjutorio, quod efficeret, *ut vellet.* Deinde S. P. hanc gratiam, quæ dat non solum posse, sed etiam velle, & ipsam efficit perseverantiam, necessariam tantummodo tradidit ob infirmitatem naturæ lapsæ, & carnem contraria concupiscentem; ita ut, nisi foret hæc naturæ infirmitas, cupiditasque vitiosa, nullatenus homini necessaria esset alia gratia præter illam quæ dat posse perseverare: Atqui in statu innocentiæ nullum erat naturæ vulnus, nec adversus rationem pugnans cupiditas: Ergo in hoc innocentiæ statu necessaria non erat gratia, quæ efficit prædeterminante & indeclinabili impulsu ipsam perseverantiam. Major liquet ex verbis Augustini cap. 12. ejusdem operis: *Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint quia sic volunt, ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint; nam si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent: aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent.* Sed legenda sunt etiam præcedentia & subsequentia verba contentione animi ad discendum assidua.

Præterea eodem libro S. P. Augustinus docet Angelos Sanctos stetisse per liberum arbitrium, & beatitudinem fuisse in illis mercedem meriti; cum post Adæ lapsum ipsa perseverantia donetur electis, & gloria in his qui liberantur sit donum gratiæ. Atqui per Augustinum stare per liberum arbitrium est perseverare in bona voluntate & justitia cum solo adjutorio sine quo non poterat permanere. Ergo hoc solum adjutorium erat homini ante culpam transgressionemque Adæ necessarium. Major est Augustini scribentis citato cap. xi. *Posset ergo permanere, si vellet, quia dederat adjutorium per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & hujus mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros.* Et infra, *quæ futura erat & homini, sicut facta est & angelis sanctis, merces meriti.* Minor etiam propositio est Augustini. Stare enim per liberum arbitrium, non est perseverare sine gratia; nam, *si hoc adjutorium vel angelo vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Ergo stare per liberum arbitrium est permanere in sanctitate cum solo adjutorio, *sine quo*, videlicet cum gratia quæ dat posse habere justitiam, si homo velit, non qua fit etiam *ut velit*.

Respondet cum Thomistis eruditus Theologus Ant. Boucat dissert. iv. de Hominis creatione art. 2. concl. 2. primum hoc argumentum nimis probare, nam etiam sub gratia præmovente efficaciter, quisquis in justitia perseverat, stat per liberum arbitrium, non enim Christi gratia infert, ut Janseniani dogmatizant, necessitatem. Insuper ex eodem cap. de Corrept. & Gratia xi. demonstrat etiam Adamo gratiam singularem magnamque fuisse collatam; quomodo insinuant ea verba: *Quid ergo Adam non habuit Dei gratiam? Imo vero habuit magnam, sed disparem*, & cetera, quæ subsequuntur. Addit liberum arbitrium etiam a Deo motum & excitatum posse dissentire si velit, ut definit sacrosancta Tridentina Synodus sess. vi. can. 4. & 6.

Hæc adversus Jansenianos pervicaciter in hoc statu negantes libertatis indifferentiam bene sapienterque dicta sunt: sed quatenus posita ad elidendam superioris argumentationis vim, Augustini discipulis nihil negotii facessunt. Ad primum enim respondent, liberum arbitrium Adæ

indi-

indiguisse quidem adjutorio, *sine quo non*, sed in hoc a præsenti arbitrio differre, quod modo præmovetur gratia Christi, quæ carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincit. Demonstrata est ergo in primo homine potestas liberi arbitrii; *quoniam sic adjuvabatur* (notentur verba Augustini) *ut sine hoc adjutorio in bono non maneret, sed hoc adjutorium si vellet desereret*. Non itaque argumentum illud nimis probat; quia licet consistat sub utraque gratia libertas: gratia primi hominis erat adjutorium, *sine quo* perseverare non poterat; nunc autem parum est non posse sine gratia permanere, nisi etiam ab ea efficiatur, *ut homo velit*. Et quoniam primus homo accepit *posse si vellet*, sed non habuit *velle quod posset*, & hoc ita liberum erat, ut bene posset velle vel male; ideo perseverare in bono dicitur ab Augustino, *stare per liberum arbitrium*. Nunc vero, cum per gratiam Christi detur nobis in bono recipiendo, & perseveranter tenendo *non solum posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus*; propterea perseverantia dicitur peculiari titulo donum gratiæ. Quæ cum Augustinus prædicto in loco iterum iterumque declaret, & a nobis iisdem verbis repetantur; miror quomodo viri docti in nos insurgant, quasi a libertate Adæ gratiam, a gratia Christi libertatem divellere studeamus. Ad secundum responsio est manifestissima, nam Augustinus, posteaquam scripsit Adam habuisse gratiam, eamque magnam, sed disparem; ipsemet hanc disparitatem demonstrat. *Hæc est prima gratia* (inquit) *quæ data est primo Adam, sed hac potentior est in secundo Adam. Prima est enim qua fit, ut homo habeat justitiam si velit: secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat*. Teneamus ergo hanc manifestissimam disparitatem. Canones Tridentinos suscipimus, probamus, defendimus: stat enim cum gratia excitante indifferentia judicii, ideoque vera libertas, & potestas dissentiendi: viget adhuc arbitrium, nec est inanime quoddam mere passive se habens, manere tamen concupiscentiam vel fomitem Sancta Synodus fatetur & sentit; & ideo necessariam dicimus in hoc statu gratiam victricem, ut non consentientibus sed viriliter repugnantibus nocere non valeat. Ergo nisi talis concupiscentia maneret, necessaria esset gratia, sed non illa, quam nunc imploramus, dum *caro concupiscit adversus spiritum*.

Opp. 1. Hæc de gratia Adæ necessaria opinio negans in statu Innocentiæ necessitatem auxilii specialiter præmoventis, & efficaciter excitantis, nova est, Janseniana est, & hoc solo titulo redditur suspecta, quod probetur uno tantum, vel altero textu libri de Corrept. & Grat., nullo in aliis plurimis ab Augustino editis adversus Pelagianos hujus doctrinæ apparente vestigio.

Resp. Hanc sententiam non esse novam, sed ab antiquis Scholasticis traditam, & ab his omnibus, qui docent Adamum non egisse auxilio excitante, & motione, qua fieret ut homo bene uteretur concursu Dei indifferenti: quod asseri unanimiter a Scholasticis innuit Bellarminus, & fatentur recentiores omnes, qui non sunt physicæ prædeterminationi Thomistarum prorsus addicti. Quorum aliqui in eo tantum a nobis discrepant, quod auxilium actuale primi hominis in sola mentis illustratione constituunt, gratiam vero Christi in sanctæ caritatis inspiratione; ut aliquo discrimine inter utramque gratiam posito, facilius ab hoc statu gratiam suapte natura victricem removeant. At nos pro tali genere gratiæ tamquam pro caussa meliore pugnamus; quod nemo verterit vitio, studioque novitatis. Ea propter in utroque statu, integræ scilicet, corruptæque naturæ auxilio Dei tribuendam putamus sanctam delectationem, sed disparam, tunc præmoventam ut posset homo in bona voluntate persistere, nunc autem ut velit, & tantum velit, ut adversantem cupiditatem viriliter superet. Nam primi hominis voluntas, ut Augustinus scribit lib. XIIII. de Civit. Dei cap. 13. *Illustrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret*. Neque Janseniana Dogmata possunt nobis objectari; non enim arbitramur victricem delectationem trahere liberum arbitrium inevitabili necessitate, neque gratiam Christi semper tali impulsu voluntatem impellere, ut nunquam homo dissentiat: sed cum gratiam sufficientem, cum libertatis indifferentiam in statu naturæ lapsæ defendimus ac propugnamus. Quod si affirmasset Jansenius, seque intra hos limites continuisset, ut hoc unum contenderet, Adamum eguisse solo auxilio gratiæ sufficientis, nihil foret, quantum ad præsens institutum, in eo reprehendendum, inquit Honoratus Tournely in Prælect. de Gratia pag. 20. Observat. 3. In libro quidem de corrept. & Gr. S. P. Augustinus absque ulla ambiguitate tradidit utriusque status discrimen, ut Monachorum Adrumentinorum controversias compesceret: sed in omni Opera adversus Pelagianos demonstrat necessarium esse, ut gratia Christi non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat caritatem; non solum aperiat veras revelationes, sed etiam bonas voluntates; non tantum certam scientiam, sed etiam victricem delectationem. Videatur lib. de Grat. Christi cap. 6. 13. 24. 28. de peccatorum meritis & remissione cap. 19. de spiritu & lit. cap. 3. & 12. &c. Palagii vero sententiam solam gratiam legis & doctrinæ, sive revelationem admittentis, in lib. de nat. & grat. cap. 51. de hominis natura loquendo, quæ primo inculpata & sana condita est, censet *utcunque* tolerabilem: non tolerabilem *omnino*, quoniam & illa natura ab immutabili bono illustrabatur, ut videret, & accendebatur ut amaret: sed tolerabilem *utcunque*, quia: *De homine sanis pedibus tolerabiliter dici potest, velit, nolit, habet ambulandi possibilitatem: confractis vero, etsi velit, non habet*: Delectationem ergo victricem exigit Augustinus duntaxat in natura vitiata: ubicunque enim disputat contra Pelagium, *non de illa gratia quæstio est, qua est homo conditus, sed de illa, qua fit salvus per Jesum Christum Dominum nostrum*. Legendum est caput ejusdem libri de nat. & grat. quinquagesimum tertium. Atque hoc Augustini monitu constat perperam afferri adversus ea, quæ diximus de gratia primi hominis, quicquid Augustinus ipse profert de Gratia Salvatoris.

Opp. 2. S. Augustinus de Corrapt. & Grat. cap. XII. docet ad omnem hominem pertinere quod scriptum est, *Ut non glorietur omnis caro coram ipso*; & ad omnes justos illud, *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. At si Adam potuisset perseverare absque prædeterminante adjutorio, potuisset gloriari quod viribus liberi arbitrii haberat perseverantiam, quam a Deo non accepit. Ergo perseverare absque gratia prædeterminante non potuit.

Resp. Proculdubio quod ab Apostolo in priori Epist. ad Corinth. scriptum est, neminem posse gloriari nisi in Domino, ad omnem prorsus hominem pertinera, sed dispari quadam ratione. Pertinet ad hominam innocentem, quia habuit adjutorium, *sine quo perseverare non poterat*, ideoque si stetisset, gloriandum ei fuerat in Domino, a quo accepit *posse perseverare*. Pertinet ad hominem in peccatis & iniquitate conceptum, quoniam habet interdum a gratia Christi, *ut perseverare possit & velit*, adeoque gloriari debet in Domino, qui in hoc statu *donat etiam perseverantiam*. Nego itaque minorem: nego consequentiam; & retorqueo argumentum. Ut enim homo gloriari non possit se in hoc statu habere robustum libertatis arbitrium, in quo conditus est primus homo, *virtus in infirmitate perficitur*, eique perseverandi possibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donatur. *In hoc loco miseriarum*, (ait eodem loco Augustinus) *ubi tentatio est vita humana super terram, virtus in infirmitate perficitur: quæ virtus, nisi ut qui gloriatur in Domino glorietur?* Ergo dictum istud Apostoli in hoc infirmitatis statu peculiarem vim habet, propterea quod gratia Christi non solum dat adjutorium quale primo homini dedit, sine quo non possumus perseverare, sed etiam operatur & velle, & in infirmitate propter elationem reprimendam virtus perficitur: & ideo non spectat eadem ratione ad statum innocentiæ, neque in illo donanda erat gratiæ largitate tam perseverandi possibilitas, quam voluntas.

Quærenti autem, an ex isto Apostoli testimonio demonstretur pro utroque statu necessitas divinæ gratiæ, respondemus comprobari necessitatem in statu innocentiæ adjutorii *sine quo non*, quia sine hoc adjutorio primus homo *non poterat permanere*: & si non poterat permanera absque divino adjutorio, non poterat gloriari nisi in Domino de possibilitate perseverandi. In hoc vero statu ex ipsomet testimonio probatur necessitas adjutorii *quo*, quoniam *virtus in infirmitate perficitur*, nec solum per Jesum Christum adest adjutorium, sine quo permanere non possumus etiam si velimus, verum etiam tantum ac tale, ut velimus; & consequenter non possumus gloriari nisi in Domino neque de potestate, neque de voluntate perseverandi. Quod si in hoc infirmitatis statu tale adjutorium, quo fit ut velimus, necessarium non foret, sed illud tantummodo sine quo non possumus perseverare; posset infirmus gloriari se habere virtutem quam perdidit Adam; quod non esset gloriari in Domino Christi gratiam confitendo, sed gloriari in seipso virtutem propriam laudando. Libenter gloriabimur in infirmitatibus nostris, ut in nobis virtus Christi permaneat, ut monet Apostolus.

Opp. 3. Angeli Sancti habuerunt præ ceteris *majorem abundantiam caritatis*: Major abundantia caritatis est donum perseverantiæ: Ergo hoc donum perseverantiæ Angelis Sanctis collatum est; ideoque etiam primo homini necessarium erat, ut actu perseveraret.

Resp. Nego minorem: quippe major illa abundantia caritatis non est donum perseverantiæ Angelorum Sanctorum, sed præmium, scribente Augustino cap. x. de corrept. & gratia: *Diabolus vero & Angeli ejus, etsi beati erant antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tamquam præmium ipsius permansionis acciperent, idest, ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia caritatis Dei, cadere ulterius omnino non possent, & hoc de se certissime nossent*. Hanc plenitudinem beatitudinis & uberrimam caritatem Sanctos Angelos accepisse *merito permansionis* paullo post Augustinus declarat.

Opp. 4. Cum Ant. Boucat. Contraria est præcedens assertio divinarum literarum auctoritati, testimoniis Augustini, & multiplici rationi ex Divo Thoma depromptæ. Non ergo propugnanda est, maxima cum Theologis plurimis,

rimis, nec infimi subsellii displiceat. Probatur antecedens; enim vero Jerem. xxx. 21. legimus: *Applicabo eum, & accedet ad me: quis enim ille est, at applicet cor suum, & appropinquet mihi, ait Dominus?* Ezech. xxxvi. 27. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.* Ad Philipp. II. 13. *Deus est enim qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* Et ad Corinthios I. XII. 3. *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.* Atqui applicare aliquem ut appropinquet ad Dominum, facere ut ambulet in præceptis, & custodiat judicia, operari velle & perficere est illum efficaciter præmovere. Ergo nemo, nisi a Deo efficaciter præmoveatur, potest in accepta justitia perseverare.

Resp. Hæc literarum sanctarum verba, si de homine primitus condito accipiantur, tantummodo evincere Deum applicasse illum ad bonum, quatenus eum condidit in bona voluntate, & in Angelis Sanctis ab ipso Deo custodiam legis, & meriti perfectionem fuisse derivatam, in quantum ab eo acceperunt gratiam, sine qua mereri per liberum arbitrium non poterant. Verum de homine lapso prolata sunt, qui cum sese ignorantiæ & cupiditati sponte subjecerit, & sanam robustamque libertatem amiserit, eget potentiori auxilio, quo certa scientia, & victrix delectatio inspiretur. Nam Jeremias eodem loco ait: *Obducam enim cicatricem tibi, & a vulneribus tuis sanabo te, dicit Dominus.* Et Ezechiel: *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.* Quæ sane de hominibus impiis, inquinatisque sunt dicta. Apostolus etiam ad Philipp. ea verba profert, ut quisque salutem suam operetur *cum metu & tremore.* At in statu innocentiæ non erat metus, qui aut hominem, aut Angelos miseros esse compelleret. In I. vero ad Corinth. cap. XII. demonstrat Sanctorum de Christo prophetias esse dona Spiritus Sancti, quomodo oracula simulacrorum opera Dæmonum, quod nemo loquens in spiritu Dei dicit anathema Jesu, & nemo prophetans in spirim Satanæ confitetur Dominum Jesum: ideoque necesse est, ut qui prophetarunt de Christo fuerint Divino Spiritu afflati. Quod si ita accipiendum putas, ut nemo possit Christum invocare, nisi præveniatur gratia Spiritus Sancti, non ego repugno, qui gratiæ prævenientis necessitatem profiteor, non eo tamen sensu, ut creatura innocens indiguerit gratia præveniente ac præmovente efficaciter. Addit Boucat testimonium Apostoli ad Ephesios II. 10. *Creati in Christo Jesu in operibus bonis.* Sed Jesum prædestinatum fuisse prævisis jam Adæ lapsu, ac perseverantia Angelorum; & consequenter hanc non fuisse effectum gratiæ Redemptoris, sed Conditoris, fateri debent qui Incarnationem definitam credunt in humani generis redemptionem. Quamobrem hæc Apostoli verba nequeunt ad primam hominis, vel Angelorum conditionem detorqueri.

Probat antecedens idem Auctor etiam Augustinianis testimoniis. Ex quo nempe S. P. Augustinus lib. III. de Trinit. cap. 4. num. 10. doceat omnia, quæ fiant per corporales motus, operari a Deo, qui movet primitus invisibilia. Et in XII. de Civit. Dei cap. 9. voluntatem, qua Angeli meliores facti sunt, eosdem non habuisse, *nisi operante adjutorio Creatoris.* Quod repetit S. Pater Epist. 106. nunc 186. cap. XI. & S. Thomas I. 2. q. 109. art. I. 2. & 9. Sed hæc nostram sententiam non impetunt. Gratiam enim præmoventem etiam in statu innocentis naturæ admittimus, & sine ea fatemur non fuisse bonam voluntatem Angelorum: sed negamus in hac bona voluntate perseverasse gratia efficaciter prædeterminante excitatos. Non enim quælibet gratia præmovens est victrix; alioqui non daretur auxilium sufficiens ab efficaci distinctum, quod hæreticum est affirmare. Hinc S. Thomas seq. art. X. in Respons. ad tertium affirmat, quod etiamsi homo in primo statu accepit donum per quod perseverare posset, non autem accepit ut perseveraret; nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt & donum gratiæ quo perseverare possunt, & ulterius eis datur ut perseverent; tamen facilius homo per gratiæ donum perseverare poterat in statu innocentiæ, in quo nulla erat rebellio carnis ad spiritum, quam nunc possimus. His autem verbis quid luculentius possit pro nostra assertione proferri, me latet.

Insuper probatur idem antec. ratione. Ac primo quoniam motio moventis ratione & caussa præcedere debet motum mobilis, ut tradit Angelicus Doctor in III. contra Gentes cap. 149. Deinde quia Deus non solum est prima caussa, sed etiam universalis; non esset autem universalis, nisi operaretur & velle. Rursus D. Thomas in III. libro nuper citato cap. 98. demonstrat Deum esse caussam non tantum voluntatis, sed etiam volendi. Ulterius, quia non salvantur jura primæ caussæ per solum concursum simultaneum, cum iste non in caussam influat, sed in effectum. Quibus addenda sunt quæ eruditus Theologus affert Conclu. præced., ut probet ex D. Thomæ omnem caussarum secundarum operationem esse in Deum tamquam in primum principium referendam.

Respondeo hæc pariter nihil nos deterrere, qui tamen magni Thomæ Aquinatis præceptiones pluris, quam aliqui faciant, æstimamus. Arbitramur enim viri docti, quibus subscribimus, his limitibus Doctoris hujus præclarissimi contineri doctrinam. Principio docet Angelicus Deum prævia quadam motione creatam voluntatem flectere & inclinare ad bonum universaliter, tali etiam impulsu, ut extra ordinem boni nequeat discurrere: *Deus* (inquit I. 2. q. IX. art. 6. ad 3.) *movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum in communi; & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle.* Deinde voluntas creata vi hujus præmotionis determinat seipsam per rationem, sive judicium practicum, ad volendum hoc vel illud bonum in particulari, quod est bonum aut verum, aut apparens; ut docet eodem loco Thomas, necnon q. 3. de malo art. 3. ad 4. & lib. 3. contra Gentes cap. X. Habetur ergo determinatio hujus individuæ voluntatis non a prima caussa, sed per consilium rationis, quemadmodum sensitivus appetitus determinatur ab hoc vel illo sensibili, aut motio universalis cælestium corporum ab inferioribus. Quæ duo exempla adducit ipse beatissimus Thomas lect. 3. cap. 9. Epist. ad Romanos, & q. 2. de Verit. art. 4. Quoniam vero etiam consilium rationis aliquam caussam præmoventem habere debet, non enim humana ratio est prima caussa, & repugnat processus in infinitum; præmotio omnium prima, per quam secundæ caussæ operantur modo, qui propriæ formæ conveniat, est in caussis liberis impulsus supremi motoris, quo inclinatur voluntas ad bonum universaliter. Atque hæc in operibus naturalibus locum habent. Nam in supernaturalibus indiget liberum arbitrium *speciali motione*, ut ait S. Thomas: quæ præmotio est auxilium gratiæ, quæ homini integro dabat posse perseverare, nunc vero interdum dat lapsis ut perseverent. De his legenda sunt, quæ scripsimus fusiori calamo in libro IV. cap. VI. Prop. 2. & seqq. Legendus & J. B. Du-Hamel in dissert. de Deo primo Motore. Itaque Deus est primum movens, quoniam prævenit omnem motum caussarum secundarum, nec impertitur solam, ut inquiunt, formam, sive naturam & operandi facultatem, sed etiam adjuvat ut possint operari. Est etiam caussa universalis, & id in operibus quoque liberi arbitrii, quia præmovet ad universale objectum voluntatis, quod est bonum in communi. Item est primum prædeterminans eo, quod in serie & connexione caussarum prior determinatio est ad bonum universaliter; vi autem hujusce motionis voluntas sese per rationem determinat ad hoc, vel illud bonum particulare, ut ipsa ratio ex cognitione præmissarum determinatur ad assentiendum propositionibus inde illatis. Est etiam in operibus supernaturalibus motor specialis, quoniam collustratio mentis & delectatio ab auxilio gratiæ inspirata sublimioris sunt ordinis ac perfectionis, quam proprietates naturæ. Denique & est prædeterminator particularium effectuum, si caussæ necessariæ sunt, nec possunt se per rationem, qua carent, determinare; aut, si ratione & libertate pollent, est in eis reprimenda voluntas carnis, & adversus rationem pugnans concupiscentia.

Hæc sane displicere nequeunt, nisi iis, qui victricem gratiam Salvatoris nolunt juxta sensa Augustini prædicare. Quibus lectitanda erit Epistola Hilarii inter Augustinianas 226. ubi de Semipelagianis etiam hæc offendent: *Moleste ferunt, ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam, non qua fieret ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset: nunc vero sanctis in regnum per gratiam prædestinatis non tale adjutorium perseverantiæ detur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur, &c.*

Opponit ultimo memoratus Theologus. Habuit Adam gratiam habitualem, omnium donorum ac scientiarum largitionem, exercuit actus moralium virtutum, nec defuit in eo summus amor, qui consequitur ad cognitionem, & eo ferventior evadit, quo est perspicacior ipsa cognitio, & rationalis creatura summo bono proximior. Quisnam igitur æquus æstimator rerum negaverit primum hominem innocentem habuisse præmoventem gratiam, eamque efficacissimam?

Resp. Ex hoc eodem capite quod Adam fuerit tot tantisque gratiarum muneribus cumulatus infertur non eguisse ad perseverandum adjutorio efficaciter præmovente. Condito enim homine recto, cum bona voluntate, sine ullo vitio & cum originali justitia, Deus rerum omnium auctor ac Dominus *fortissimo dimisit atque permisit facere quod vellet.* Neque nos negamus bonam illam voluntatem, castum amorem, aliaque gratiarum munera primitus fuisse a Deo rationali creaturæ concessa, & actus virtutum principio inspiratos ab eo, qui cum sit optimus, omnia valde bona creavit. Quæritur hoc unum, an indiguerit creatura innocens adjutorio *quo*, ut in acceptis bonis perseveranter maneret. *Istam gratiam* (de Corrept. & Grat. cap. XI.) *non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus: sed sane habuit in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset .... Tale quippe erat adjutorium quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet. Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam.*

CA-

SCHOLION.

„ HACTENUS propugnata præcedenti propositione sententia est inter Augustinianos, posterioris saltem ætatis, Theologos valdè communis, Ægidianis tamen atque Thomistis, ut sæpenumero advertimus, acerrime repugnantibus; quibus ut morem geramus, operamque nostram, qualiscunque demum sit, lubenter, fideliterque impendamus, ea quæ subjiciuntur proferre, & expendere deliberavi. Ac primum negari nequit discrimen versari maximum inter gratiam, qua ad perseverandum indigebat primus homo, & inter eam, quam modo imploramus in hoc lapsi hominis statu, legem in membris nostris experientes, legi, quæ in mente sita est, repugnantem, idest, voluntatem carnis contraria concupiscentem, & oppositam spiritus voluntati. Id enim & Augustinus docet, & evidens quoque ratio commonstrat. Nam S. P. de Corrept. & grat. cap. 11. de Adam inquit: *Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti cum dicunt, video alium legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis; Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum: quoniam in eis caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem; atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes dari sibi pugnandi, vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille vero nulla tali rixa a seipso adversus seipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur. Proinde etsi non interim latiore nunc, verumtamen potentiore gratia indigent isti &c.* Quod, ut dixi, aperta etiam ratio suadet. Neque enim in illo felicitatis statu erat perduellis & lacertosa cupiditas, quam certum est prævaricatione primi parentis esse nobis inseminatam, atque soluto etiam per baptismum originalis peccati reatu, in nobis permanere ad agonem; ideoque necessaria non erat, si integræ naturæ, atque primævæ justitiæ perseverasset conditio, quæ modo requiritur, hujus concupiscentiæ victrix, Gratia potentior.

„ Deinde certum est, Angelos & protoparentes nostros, qui ceciderunt, non habuisse gratiam, sive adjutorium *quo*, nimirum, auxilium efficax, quo Deus Perseverantiam ipsam largitur, nec tantum dat posse, sed etiam velle & operari. Enimvero in eodem libro S. Pater cap. 10. inquit, Deum, Dominumque rerum omnium sic ordinasse angelorum, & hominum vitam, *Ut in ea prius ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium.* Addit cap. 11. de primo homine: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum. Dederat adjutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet, ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere si vellet, quia deerat adjutorium per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est; cujus meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, &c.* Duo itaque, quæ dixi, certissima sunt; unum, non habuisse primum hominem, & angelos, qui ceciderunt, adjutorium *Quo* perseverantia in justitia & rectitudine datur; & quod non solum tribuit *posse*, sed etiam *velle*, & actu *perseverare*; quoniam cum tali adjutorio non nisi perseverantes fuissent: alterum vero inter gratiam utriusque status discrimen maximum intercedere, sive in utraque gratia *efficax* necessaria adstruatur ad actu perseverandum: sive gratia istiusmodi necessaria tantum dicatur in hoc statu corruptæ per peccatum naturæ, in quo caro concupiscit adversus Spiritum, & in quo virtus in infirmitate perficitur. Atque discrimen illud summopere displicuisse Semipelagianis, in epistola ad Augustinum affirmat S. Hilarius.

„ Hæc cum ita sint, in eam sententiam Augustiniani Theologi abierunt, quæ tenet ad perseverandum non indiguisse hominem primum adjutorio gratiæ efficacis, neque illo Angelos sanctos, qui perseverarunt, fuisse adjutos. Cujus utique sententiæ, cum superius momenta produxerim, non opus est, ut illa cum lectoris fastidio iterum rapetamus. At docti Thomistæ, servato status integræ, & lapsæ naturæ supra explicato discrimine, docent Angelos, qui steterunt, ampliori gratia, scilicet, efficaciter præmovente fuisse adjutos, eamque ad actu perseverandum in quolibet creaturæ rationalis statu requiri. Sunt vero istorum præcipua, neque contemnenda argumenta, quæ ex ratione primæ causæ, & caussarum secundarum dependentia, & subordinatione petuntur: tum quæ suppeditant verba Apostoli in prima ad Corinthios cap. 4. scribentis, *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti?* Quæ itidem de sanctis Angelis, eorumque bona voluntate, & divino eis collato adjutorio, docent S. P. Augustinus lib. 12. de Civit. Dei cap. 9. & S. Fulgentius in libro de fide ad Petrum cap. 3. de Trinit. cap. 119. aliisque in locis; quibus an idoneam aptamque adhibuerimus responsionem, nostra non interest dijudicare. Ægidiani cum Friderico Gavardi quæst. 5. de volunt. Dei art. 3. media quadam via incedentes, docent adjutorium *sine quo non* collocatum in prima conditione Adæ & Angelis, satis utique fuisse ut permanerent in accepta justitia; sed accedente gravi tentatione indiguisse, ut ampliori, & quidem efficaci gratia roborarentur. At de hac sententia opportuniori agendum est loco. Fas autem sit cuique illam, quæ magis arrideat, tenere.

CAPUT IX.

Immortalitatem Adæ fuisse donum supernaturale, non proprietatem ei naturaliter debitam.

PRIMA hominis immortalitas erat posse non mori, non autem non posse mori; quod nobis repromissum est ob merita Christi, eritque implendum quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, cunctis e tumulo resurgentibus. Illud vero *posse non mori* naturale fuisse Adamo, prout naturale idem est, ac id, quod simul cum natura ab initio collatum est, aut naturam ipsam perficit & exornat, nemo, ut arbitror, negat. Num autem naturale fuerit, prout naturale est illud quod ex intrinseca virtute tamquam proprietas diffluit, neque ad sui conservationem aliquo indiget supernaturali beneficio, solet a Theologis disputari.

PROPOSITIO UNICA. Immortalitas primi hominis non fuit naturæ proprietas, sed gratiæ beneficium.

Spectat hæc propositio ad fidem, est enim ab Apostolicæ Sedis divina auctoritate proscriptum contrarium assertum Michaelis Baji: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.* Et probatur apertissimis Augustinianis testimoniis. *Illud quippe* (inquit S. P. de Corpore Adæ lib. VI. de Gen. ad lit. cap. 20.) *& mortale secundum aliam, & immortale secundum aliam caussam dici poterat: idest mortale quia poterat mori, immortale quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam creaturas immortales creavit Deus: aliud est posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis; quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ: a quo ligno separatus est cum peccasset, ut posset mori, qui nisi peccasset posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris.* Vide & librum adversus Julianum IV. capite 14. necnon de Civ. Dei lib. XIII. cap. 20.

Probatur etiam ratione. Corpus enim humanum elementis compactum est, quæ propter qualitates contrarias tendunt ad mixti dissolutionem. Itaque ne dissolveretur, nec homo rediret in terram suam, conservandum erat absque pugna istiusmodi elementorum temperamentum; quod est quidem supra naturalem humani corporis conditionem. Unde Augustinus post verba superius relata ait: *Si enim corpus animale, utique mortale, quia & mori poterat.* Et lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. cap. 3. explicat primorum parentum immortalitatem exemplo vestimentorum & calceamentorum Israelitarum, quæ in deserto per tot annos non sunt obtrita, necnon Eliæ & Henoch, quorum corpora, etsi in spiritualem qualitatem nondum sunt commutata, non tamen per tam longam ætatem senectute marcuerunt. Atque ita primus homo *habebat quantum existimo & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem.*

Quæri solet an hæc virtus ligni vitæ esset naturalis. Naturalem fuisse existimant Cornelius a Lapide, Tostatus Episcopus Abulensis, Pererius, Calmet, aliique sacrarum Scripturarum Interpretes, hac ducti ratione, quod Dominus ejiciendo Adam de Paradiso Gen. III. 2. ait: *Ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ & comedat, & vivat in æternum.* Satis enim erat, inquiunt, ut moreretur, lignum vitæ indita supernaturali virtute expoliare: nec necesse erat hominem de horto voluptatis expellere. Contrarium tamen censent antiquiores Scholastici, Magister Sent., D. Bonaventura, & Ægidius in II. dist. 19. Quorum sententiæ prælusit Augustinus lib. VIII. de Gen. ad lit. cap. 5. dicens: *Illud quoque addo, quamquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed inspiratione salubritatis occulta.* Et de Civit. Dei cap. 20. libri XIII. *Qui status ei de ligno vitæ, quod in medio Paradisi cum arbore vetita simul erat, mirabili Dei gratia præstabatur.*

Hæc autem sententia, licet nonnulli sint qui Augustini verba de gratia improprie dicta interpretantur, quatenus & gratia fuit Paradisus voluptatis, & quicquid primo homini liberalitate Conditoris collatum est, magis mihi placet, quam alia. Primo enim, quod sola naturali virtute servatur non est donum supernaturale; si ergo immortalitas primi hominis donum supernaturale est, non poterat sola naturali vi alicujus cibi perenniter conservari. Deinde Augustinus occultam illam salubritatem ex ligno vi-

vitæ repetit, *non sicut ex alio cibo*, qui aderat ne homo esuriret, & corpus animale naturali virtute alimenti reficiebat. Præterea Anastasius Sinaita, aliique perpauci cibos Adami non fuisse corporales hoc argumento demonstrant, quoniam etiam bestiæ, aliquæ saltem, quæ arborum fructibus vescuntur, potuissent de ligno vitæ comedere, atque ita non fuisset primi hominis immortalitas singulare aliquod beneficium. Anastasio autem in hac sententia facile occurritur, respondendo lignum vitæ Dei gratia ejusmodi vim habuisse, quæ ad solos homines pertineret, dum ipsi, inquit Petavius lib. 2. de op. sex dierum cap. VII. num. 6. *in officio manerent*. Denique ratio quam afferunt recentiores nulla est, cum Deo tam facile fuerit ligno vitæ occultam vim salubritatis subtrahere, quam arborem maledictione sterilem reddere, ne ulterius pro homine prævaricatore poma ptuferret: nisi dicere velimus ea verba, *Ne vivat in æternum*, fuisse ejusdem generis cum præcedentibus, *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*, ironicam scilicet objurgationem.

Illud vero, quod diximus, cibos Paradisi fuisse corporeos, cum auctoritate Augustini, tum ratione probatur. Nam S. Pater lib. IV. contra Julianum cap. 14. n. 69. ait: *Sed ego cum eis sentio, qui sicut illud quod dictum est, Masculum & feminam fecit eos, & benedixit illos Deus dicens, Crescite & multiplicamini, & replete terram, secundum sexum corporalem atque conspicuum intelligunt dictum; ita etiam quod paullo post sequitur, Ecce dedi vobis omnem fœnum sativum seminans semen, quod est super omnem terram, & omne lignum quod habet in se fructum seminis sativi vobis erit in escam ..... non aliter accipiunt, nisi quia ille uterque sexus his alimentis, quibus & animalia cetera, corporaliter utebatur, & habebat ex hoc victu sustentaculum congruum, licet modo quodam immortali, tamen animali corpori necessarium, ne indigentia læderetur, de ligno autem vitæ, ne senectute perduceretur ad mortem*. Ex quibus Augustini verbis etiam theologica ratio depromitur: verba enim versus 27. prioris Capitis Geneseos, *Crescite & multiplicamini, & replete terram*, sunt proprie & literaliter accipienda: Ergo & quæ proximo versu sequuntur, *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna quæ habent* in *semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam*.

Inquirunt etiam Interpretes, an Adam perennem vitam consecutus esset, si de ligno vitæ semel comedisset. Et aliqui cum Abulensi Episcopo respondent affirmative: sed Theologi cum D. Thoma q. 97. art. 4. tenent virtutem ligni vitæ fuisse finitam, ideoque præservasse a corruptione usque ad determinatum tempus, quo transacto vel homo translatus esset in vitam spiritalem, vel iterum de ligno vitæ comedere debuisset. Ex qua D. Thomæ sententia infert Estius virtutem hujus arboris fuisse naturalem, quoniam, inquit, omnis virtus corporalis finita est, nec virtus supernaturalis in corpore naturali absque necessitate est ponenda. Sed hujus consequentiæ necessitatem non satis percipio. Etenim virtus supernaturalis finita esse potest, maxime comparate ad præceptum factum Adæ exercendi obedientiam tam abstinendo ab arbore vetita scientiæ boni & mali, quam vitam alendo ac servando esca arborum ceterarum. Nam etiam virtus Sacramentorum illorum usu quodammodo instauratur, & si despectui sint, arbitrii culpa deperditur; hanc tamen virtutem nemo dixerit naturalem. *Sic ergo immortalis & incorruptibilis condita est caro hominis, ut suam immortalitatem & incorruptionem per observantiam mandatorum Dei custodiret. In quibus mandatis hoc continebatur, ut de illis lignis concessis manducaret, & ab interdicto abstineret, & per horum edulium immortalitatis dona conservaret*: ait Mag. Sent. dist. XIX. §. 4. Ut ad Abulensem redeat oratio; si comedere semel de ligno vitæ perennem præstitisset immortalitatem, profecto Adam mortuus non esset, cum in Paradiso degens aliquando ejusdem arboris fructus gustaverit: *Quid enim obsurdius, quam ut credatur ex aliis arboribus alimenta sumpsisse, non autem etiam ex illo, quod & similiter permissum fuerat*, ait S. Pater lib. 2. de Peccatorum meritis & remiss. cap. XXI. n. 35. Profecto Adamum si divini præcepti observantia custodisset originalem justitiam, consecuturum fuisse illam immortalitatem, qua etiam non posset mori, non utique expoliandum corpore, sed supervestiendum incorruptione, ut absorberetur mortale a vita, & ab animali in spiritale transiret, expresse docet idem Augustinus in Opere mox laudato lib. I. cap. 2. de Corrept. & grat. cap. 10. & XIII. de Civit. Dei cap. 19.

Unum est, quod contra superiorem propositionem opponi potest, Animam rationalem esse suapte natura formam corporis, formam vero naturaliter exigere materiei propriæ unitionem. Cum ergo Anima sit immortalis exigit etiam corpus indissolubile: alioqui posset naturaliter a corpore divelli, & absque culpa miseram fieri. Cum enim a corpore separata consisteret, ejusque societatem summopere appeteret, nec naturaliter habere posset, desiderio compertis suæ plurimum torqueretur. At quod a rerum naturali constitutione exigitur, nequit supernaturale beneficium existimari. Igitur supernaturalis non est primi hominis immortalitas.

Qui puræ naturæ possibilitatam propugnant, huic argumento respondent spiritualem animam modo perpetuam corporis unionem etiam a corpore sejunctam appetere, quoniam homo conditus est immortalis, & separatio animæ a corpore pœna est violati præcepti, non conditio naturæ. At si homo in puris naturalibus productus esset, nec perpetuam corporis societatem, nec ejus post mortem resurrectionem naturali instinctu exoptaret, cum optime nosceret utramque constitutioni corporis sui non deberi. Qui vero statum puræ naturæ possibilem negant, respondent appetere quidem rationalem animam perpetuam cum corpore vitam; hanc tamen esse hominis conditionem, & quidem perfectiorem, quam sit natura quælibet irrationalis, ut omne, quod appetit, naturali facultate consequi minime possit, sed opus habeat supernaturalibus auxiliis, maxime ut perenni vita fruatur, & finem, ad quem fertur, assequi valeat. Utramque sententiam ad trutinam revocabo in dissertatione ad finem libri hujus apponenda.

CAPUT X.

De libero arbitrio pymi hominis, & in quo essentialis ratio libertatis consistat.

NIHIL liberi arbitrii prolato nomine soleo mentis animadversione percipere, quam voluntatem ipsam rationalis substantiæ, quæ pro suo arbitratu quod ei a ratione proponitur eligere potest, vel rejicere. Constituitur ergo libertas voluntate & ratione: non tamen ex æquo: sed voluntas est ipsa potestas, quæ potest in utramlibet partem inclinari: ratio autem vis intelligendi, qua voluntati objectum proponitur, & sine qua non potest in bonum libera deliberatione propendere. Etenim, ut Augustinus ait in VIII. de Trin. cap. 4. *Nemo amare potest incognitum*. Et quidem ea propensio, qua natura quælibet fertur in bonum absque ductu rationis, non potest opus voluntatis appellari, alioqui prædita forent arbitrio etiam animalia bruta, & creaturæ reliquæ, in quibus philosophi plures appetitum quemdam constituunt sensitivum aut naturalem: quamquam sunt Philosophi non vulgares, qui in rebus inanimatis nullam inclinationem agnoscunt præterquam divinæ ordinationis legem, & superiorum caussarum impulsum, cui necessitate insallibili obsecundent, & veluti jaculum emissum a perito sagittario dirigantur ad scopum, quem illæ nullo modo deprehendunt. Profecto in ratione liberum arbitrium consistere nequit *formeliter*: cum non sit in nostra potestate objecta percipere & cogitare; alias peccaret quisque ante consensum voluntatis, dum mentem subit cognitio aliqua falsa & perversa, nec ulla daretur ignorantia, quæ a peccato excusaret, quandoquidem esset in potestate hominis & libera ipsamet ignoratio. Quapropter S. P. Augustinus in lib. de Sp. & lit. cap. 34. ait: *Nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem; sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est*. Ex quibus satis revincitur error Durandi statuentis in II. dist. 24. naturam libertatis tam in voluntate, quam in ratione.

Cum itaque ratio motum voluntatis præcedat, in illius judicio *radicem*, ut inquiunt Scholæ, liberi arbitrii statuunt juremerito docti celebresque Theologi. Et quoniam ad bonum in communi & ad Deum in se visum dari nequit indifferentia judicii, cum nulla in his apprehendi possit species mali, etsi voluntas in hujusmodi objecta sponte ac lubenter protendat, non habet veram libertatem, quæ est potestas ad utrumlibet, nulla necessitate impellente. Necessario enim amatur quod adeo bonum apprehenditur, ut alio animus a vero aut apparenti bono rapi non possit. Quæ satis lib. IV. cap. ultimo, & lib. X. cap. XIII. sunt explicata.

Ut modo libertas hominis in unoquoque statu facile possit dignosci; advertendum est voluntatem appellari liberam *a necessitate, a peccato, a miseria*. Dicitur libera a necessitate suapte natura, & essentiali constitutione: unde quicquid ex necessitate agitur, nequit opus liberi arbitrii appellari. *Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus*, ait Augustinus lib. III. de lib. arb. cap. 3. Quapropter errant turpissime Calvini, & Jansenii Gregales, qui libertatem putant cum indeclinabili necessitate consistere. Observandum hoc loco indifferentiam, in qua libertas sita est, non esse ad bonum & malum, quam appellant Theologi indifferentiam *contrarietatis non servato, sed prætermisso ordine finis*; cum objectum voluntatis sit bonum, neque in malum tendat, nisi propter aliquem defectum, ut recte S. Thomas in II. Sent. dist. 25. q. 1. art. 2. Hinc est, quod Augustinus Julianum constituentem liberum arbitrium in facultate æquilibrata, & sese ad bonum, vel ad malum pro suo arbitratu inclinante, merito his verbis exprobrat lib. I. Op. Imperf. *Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem?* Sita est itaque libertatis essentia in potestate eligendi pro lubitu hæc vel illa media, etiam ad invicem contraria, quæ valeant ad debitum finem conducere: unde S. Thomas libertatem definit I. p. q. 6I. art. 8. *Libertas est vis electiva mediorum servato & non prætermisso ordine finis*. Quod

argo

ergo possit voluntas ad malum flecti, id non habet ex intrinseca ratione libertatis, sed conditione creaturæ defectibilis: cujus liberum arbitrium definitur ab Augustino: *Media vis, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest*: atque a Magistro Sent. in II. dist. 24. §. 5. *Facultas rationis & voluntatis, qua bonum eligitur gratia assistente, vel malum eadem desistente*. Hanc liberam a necessitate voluntatem habuit primus homo, qui *potuit non peccare, potuit non mori, potuit bonum non deserere*, inquit lib. de Correpe. & Grat. cap. XI. S. Pater.

Eadem *a necessitate* libertas etiam in hoc infirmitatis statu certissime perseverat. Etenim Deus, ut idem Augustinus ait in VIII. de Gen. ad lit. cap. 23. *Nunquam ita punit voluntatem malam, ut naturæ perimat dignitatem*. Est tamen inter libertatem Adæ, & libertatem quæ post Adæ transgressionem permansit, discrimen serio advertendum; nempe, quod in prima hominis conditione arbitrium erat liberum *a necessitate & a peccato*; homo enim creatus est rectus, sine vitio, cum bona voluntate, & cum adjutorio perseverandi, si vellet. Nunc vero est quidem homo liber a necessitate, sed servus peccati, nisi gratia Redemptoris liberetur, idest, habet adhuc liberam voluntatis potestatem, sed cupiditate, quæ est pœna peccati, tamquam visco glutinoque taliter implicata, ut bonum, sicut oportet, non agat, nisi caritate, quæ inspiratur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum contraria concupiscentia vincatur. Nam *ubi Spiritus Domini, ibi libertas*, Auctore Apost. in 2. ad Corinth. III. 17. Cum itaque Pelagiani originale peccatum, & gratiæ Salvatoris necessitatem negarent eo quod libero arbitrio inesset ad utrumlibet æqua potestas, rectissime Augustinus adversus hæreticos illos disputans ait *amissam peccati merito libertatem*, in Ench. ad Laurent. cap. 30., in Epist. ad Vitalem, & lib. XIV. de Civit. Dei cap. XI. Quod sane intelligendum est de voluntatis potestate libera a lege peccati, & explicata a glutino concupiscentiæ, non de potestate libera *a necessitate*, quæ etiam post Adæ prævaricationem in hominibus perseverat. Nam in libro I. ad Bonifacium cap. 2. non libertatem periisse scribit, sed illam magnam, *quæ fuit in Paradiso*: quod repetit de Correpț. & gratia cap. 12. de Spiritu & lit. cap. 31. de lib. arb. cap. 18. & aliis in locis compluribus. Eo enim Augustini disputationes collineant, ut adversus Pelagianos respuentes gratiæ Christi adjutorium, nimiumque arbitrii possibilitatem extollentes, originalem culpam, & gratiam Salvatoris propugnet. Ea propter scribit lib. I. Operis imperf. *Non satis esse ad operandum bonum liberum arbitrium, nisi Dei gratia liberatum*: & lib. de nat. & grat. cap. 67. *De gratia quippe Dei agitur, qua nobis per Mediatorem medicina opitulatur, non de impossibilitate justitiæ. Potest peccatum caveri, sed opitulante illa, qui non potest falli*. Solvit vero nodum omnem de Gratia & lib. arbitrio cap. 15. scribens: *Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim a justitia libera est, quando servit peccato, & tunc est mala: aut a peccato libera est, quando servit justitiæ, & tunc est bona. Gratia vero Dei semper est bona, & per hanc fit, ut sit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ*. Quamobrem Augustinus in hoc statu miseriarum non negat libertatem *indifferentiæ*, sed libertatem *a peccato*, neque de illa lis unquam fuit inter ipsum atque Pelagium, sed de libertate expedita a servitute pravæ cupiditatis: quam libertatem hostis gratiæ Christi in filiis Adæ æque ac in homine primo asserebat. Ex quibus colligitur perperam gloriari de patrocinio Augustini, qui negant veram in hoc statu libertatem, & irrito molimine Phereponum, sive Clericum, conari Animadv. in c. 30. Enchirid. pag. 560. Append. August. ut Augustinum apertum liberi arbitrii hostem demonstret.

Liberamur itaque *a peccato* per gratiam. *Ex quo enim primus homo libero arbitrio venumdatus est sub peccato, ideo mala cœpit esse libertas hominis, quia ipsa libero arbitrio ablata est bonitas voluntatis*: inquit in Respons. ad I. Inq. Ferrandi S. Fulgentius. Nondum tamen in hoc statu liberi sumus *a miseria*, cum etiam in justis remaneat concupiscentia ad luctam, & mors stipendium peccati. Etenim libera voluntas dicenda non est, quando subditur vincentibus cupiditatibus. A quibus erit penitus libera, cum a summo bono viso facie ad faciem ad illud perenniter rapietur, non solum restituta libertate prima, qua Adam poterat non deserere bonum, & quæ nobis per Christi gratiam redditur cumulatius, sed etiam libertate, qua fruens indeficienter æternorum gaudiorum jucunditate non poterit amplius servire peccato. *Prima ergo libertas voluntatis erat posse non peccare: novissima erit multo major non posse peccare. Prima immortalitas erat posse non mori: novissima erit multo major non posse mori*: ait S. P. de Correpț. & Grat. cap. 12. de Nat. & Grat. c. 35. & in Ench. ad Laurent. cap. 105. Ex quibus etiam obiter animadverte S. Patrem asserentem in patria perfectissimam libertatem non loqui de *libertate indifferentiæ*, quæ ad meritum & demeritum in hoc statu necessaria est, sed de *libertate a miseria*. Hæc omnia traduntur a Magistro sent. lib. II. dist. XXV. his verbis: *Est namque libertas triplex, scilicet a necessitate, a peccato, a miseria*. Ubi etiam docet Adam peccando libertatem arbitrii perdidisse, non quidem omnem, sed libertatem *a miseria & a peccato*: libertatem *a necessitate* reperiri tam in bonis, quam in malis, nec sine illa meritum dari: libertatem a peccato illis solis inesse, quos Christi gratia liberat & reparat, non ita, quod in hac mortali carne penitus sint sine peccato, sed ut in eis peccatum non dominetur nec regnet: libertatem denique a miseria illam esse, de qua Apostolus ait, *Et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*; quam libertatem habebat Adam ante peccatum, sed plenius habent Sancti in beatitudine. Hæc Magister. Divus quoque Bernardus de Gratia & libero arbitrio, *Triplex est* (inquit) *nobis proposita libertas, a peccato, a miseria, a necessitate. Hanc ultimo loco positam contulit nobis in conditione naturæ: in pristinam restauramur a gratia: media nobis reservatur in patria. Dicatur ergo prima libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia vitæ vel gloriæ*.

De arbitrio indito primo homini, ac permanente sub captivitate peccati, idest libero a necessitate aliquid modo dicturus exponam quid sit, & unde proficiscatur: nam utrum revera persistat sub dominatu concupiscentiæ, ut indubitanter supponimus, non videtur spectare ad institutam de primo homine disputationem, sed ad statum ærumnosæ mortalitatis, & ad gratiam Christi medicinalem. Istud itaque arbitrium quidam in quodam habitu a ratione & voluntate diverso male, ut arbitror, constituerunt. Habitus enim, quemadmodum a Scholasticis accipiuntur, sunt affectiones animorum ad unum specie actum inclinantes, E. G. ad caritatem, ad humilitatem, ad temperantiam: & per liberum arbitrium potest voluntas nedum ad istiusmodi actus flecti: verum etiam ad oppositos, idest, malevolentiam, superbiam, atque immoderationem. Quod si habitum dixeris facultatem potestatemque rationalis substantiæ; liberum arbitrium habitum esse fatebor, maxime cum a D. Bernardo definiatur *habitus animi liber sui*. Pariter non satis apte liberum arbitrium appellarunt nonnulli *actum*, cum maneat voluntas libera tametsi nihil agat: quamvis & actum dicere non detrecto, quatenus actus nominat etiam proprietates, ac formas, vulgaris sermonis consuetudo. Definiri ergo liberum arbitrium potest. *Facultas rationalis creaturæ agendi & non agendi, prout lubet, positis omnibus ad actionem requisitis*.

Sane cum ejusdem potentiæ sit velle & eligere, liberum arbitrium ab ipsa voluntate nequaquam distinguitur: unde opus est, ut liberæ cujusque operationis sit rationalis voluntas principium efficiens. Quod commonstrat argumentationibus pluribus selectisque authenticus Doctor Ariminensis in II. sent. distinctione quinta ac vicesima. Et revera Magnus Augustinus in III. de lib. arbitrio cap. I. motum culpabilem esse in voluntate, & a voluntate demonstrat. In voluntate, quoniam eo motu animus movetur a voluntate, quo movetur libere, non necessario. Profert eo loco S. P. exemplum lapidis, cui similis est prævaricator animus in eo, quod ut ille pondere gravitatis in ima fertur, ita iste premente cupiditate inclinatur ad commutabile bonum, in hoc tamen dissimilis, quod lapis ita movetur ut non habeat potestatem activam, qua possit impressam sibi motionem cohibere, animus vero potestatem istiusmodi habeat. Ex quibus vellem diligenter notari, Jansenianos ac Novatores reliquos liberum arbitrium non melius saxu putasse, dum ausi sunt dogmatizare voluptatem ita animum dejicere, ut necessario moveatur, nec potis sit contraniti. Sed præstat audire Augustinum. *Restat* (inquit) *ut ejus sit proprius iste motus, quo fruendi voluntatem ad creaturam a Creatore convertit: qui motus si culpæ deputatur, non est utique naturalis, sed voluntarius: in eoque similis est illi motui, quo deorsum versus lapis fertur, quia sicut iste proprius est lapidis, sic ille animi. Veruntamen in eo dissimilis, quod in potestate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferius, animus vero, dum non vult, non ita movetur, ut superioribus desertis inferiora diligat: & ideo lapidi naturalis est ille motus, animæ vero iste voluntarius*. Et infra, *Motus, quo huc atque illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius atque in nostra potius potestate, neque laudandus cum ad superiora, neque culpandus homo esset cum ad inferiora detorquet quasi quemdam cardinem voluntatis*. Motus ergo liber erit tantummodo, ubi sit in voluntate potestas illum cohibendi. Satis enim constat Augustinum voluntarium pro libero usurpavisse; cum potestas illa animi motum cohibendi ad voluntarii rationem minime requiratur. Quamobrem ad Novatorum vitanda sophismata distinguendum accuratius est inter voluntarium & liberum, sive, ut recentiores quidam loquuntur, inter libertatem voluntatis, & libertatem arbitrii. Libertas enim voluntatis opponitur coactioni, libertas arbitrii adversatur necessitati. Enimvero voluntas, auctore Augustino in libro de duabus Animabus, *Est animi motus, cogente nullo, ad aliquid non admittendum vel adipiscendum*: voluntas autem tunc libera est, quando *actus volendi est in nostra potestate*, ut ipse Augustinus docet in I. Retract. cap. 22.

Quoniam, ut diximus, voluntas non fertur ad incognita, etiam ratio & judicium ad actum voluntarium ac liberum prærequiritur, unde libero arbitrio carent res inanimes, & bruta Animalia. Etiam quando amamus scire incognita, amor ille cognitionem supponit; non enim hoc

idem est cum dicitur, *amat incognita*, &, *amat scire incognita*: quoniam qui scire amat incognita, non ipsa incognita, sed ipsum scire amat. Videatur Augustinus in x. de Trinit. cap. I. Quomodo autem ad ipsam cognitionem actus liber consequatur, meminit me non semel disseruisse. Addam nunc Angelici Doctoris declarationem tanto dignam Magistro ex I. p. q. 82. art. 2. *Intellectus*, inquit, *naturaliter ex necessitate inhaeret primis principiis, & voluntas ultimo fini. Sunt autem quaedam intelligibilia, quae non habent necessariam connexionem ad prima principia: sicut contingentes propositiones, ad quarum remotionem non sequitur remotio principiorum. Et talibus non ex necessitate assentit intellectus. Quaedam autem propositiones sunt necessariae, quae habent connexionem necessariam cum primis principiis: sicut conclusiones demonstrabiles, ad quarum remotionem sequitur remotio primorum principiorum. Et his intellectus ex necessitate assentit cognita connexione necessaria conclusionum ad principia per demonstrationis deductionem. Non autem ex necessitate assentit, antequam hujusmodi necessitatem conclusionis per demonstrationem cognoscat. Similiter etiam ex parte voluntatis. Sunt enim quaedam particularia bona, quae non habent necessariam connexionem ad beatitudinem, quia sine his potest aliquis esse beatus, & hujusmodi voluntas non de necessitate inhaeret. Sunt autem quaedam habentia necessariam connexionem ad beatitudinem, quibus scilicet homo Deo inhaeret, in quo solo vera beatitudo consistit. Sed tamen antequam per certitudinem divinae visionis necessitas hujusmodi connexionis demonstretur, voluntas non ex necessitate Deo inhaeret, nec his quae Dei sunt. Sed voluntas videntis Deum per essentiam de necessitate inhaeret Deo, sicut nunc ex necessitate volumus esse beati.* His autem ea, quae alibi de libertate arbitrii disputavimus, sunt plenissime comprobata.

Illud tantum moneo, nos, dum liberum arbitrium ex duplici facultate conflatum praedicamus, idest, ex ratione & voluntate, minime unum ab alia discerpere, sed eamdem humanam mentem esse intellectum & voluntatem, quatenus diversimode percipitur, ut apprehendit, aut vult. Quod non soli recentiores Philosophi tenent, sed etiam Nominalium princeps Gregorius Ariminensis in 2. dist. XVI. & XVII. q. III. art. 2. Et nihilominus intellectum quasi facem voluntatis concipimus, & illum necessariam aliquam facultatem, istam indifferentem ac liberam rectissime nuncupamus. Idque diversa connotatione terminorum & consignificatione rerum facillimum est explicare. Mens enim prout rerum ideis formatur, & recipit rerum imagines, atque ad eas contemplatione convertitur, Ratio & intellectio appellatur; prout eligit, & quod menti obversatur, amplectitur, aut fugit, dicitur voluntas. Atque ita de imaginatione, sensibusque philosophi bene multi ratiocinantur, nec ea distinguunt, nisi objectorum ratione, ita, ut nihil sint aliud, quam animae ad corporeum objectum, sive ad ejus imaginem se convertens. Hinc arbitrantur plures animam, dum intelligit, pati; dum vult, agere, quoniam intelligendo recipit ideas, volendo se libere aut spontanee determinat. Verum placet nobis etiam in intellectione actum aliquem constituere, mentis scilicet conversionem, & advertentiam. Ut enim oculus non cernit colores nisi animus ad imaginem pictam in oculis se convertat; ita mens non deprehendet veritatem, si non ad ideam vel speciem adverterit.

Nullus quidem in lectione Augustini aliquantisper versatus arbitrabitur me doctrinam ejus repellere. In x. de Trinit. cap. II. docet, haec tria, *memoriam, intelligentiam, & voluntatem non esse tres vitas, sed unam vitam, nec tres mentes, sed unam mentem, nec tres essentias, sed unam essentiam*. Et lib. XII. cap. 4. *Cum disserimus* (inquit) *de natura mentis humanae, de una quadam re disserimus; nec eam in haec duo, quae commemoravi, nisi per officia geminamus*. Quicquid autem potest ex adverso objici, per ordinem ad connotata facillime diluetur. Ita rationem dicimus esse id, quod excellit in anima, & praestantiorem illam fatemur quocunque sensu; quoniam primum animi officium est perceptio veri, & longe sublimior est contemplatio rerum spiritualium, quam corporearum atque mutabilium. Brevi dicam: Anima est plurium operationum caussa effectrix, & ab his plura etiam sortitur vocabula. Potest intelligere, potest velle, potest sentire. Intelligitur verum: eligitur bonum: sentitur corpus certis quibusdam extensionis aut qualitatis modis, quos *accidentia* appellant, affectum. Ergo vocabulum illud *Intellectus* significat animam, & consignificat ipsius potestatem, aut operationem, quae est cognoscere *verum*: Alterum *voluntas* demonstrat eamdem animam, & connotat illius virtutem, aut actum eligendi *bonum*: Tertium *sensus* denotat ipsam substantiam animae, & commonstrat ipsius ordinem ad *sensibilia*. Quapropter ipsamet Anima, quatenus percipit verum, & eligit bonum, est illa creaturae rationalis eximia ac singularis proprietas, de qua dissertatiuncula nostra ad hunc modum se habet, videlicet, Liberum Arbitrium.

CAPUT XI.

An generatio hominum in Paradiso fuisset per carnalem complexum, si nemo peccasset?

CARNALEM hominum propagationem minime in statu Innocentiae futuram nonnulli Patres tradiderant, quibus placuit nullum usum fore nuptiarum, si Adam stetisset. Quod traditum a Damasceno lib. II. de Fide Orthodoxa cap. 30. & libro IV. cap. 25. a Gregorio Nysseno in libro de Opificio Mundi cap. 17. scribit Petavius lib. 2. de Op. sex dierum cap. VIII. & Vellosillus Adv. in Tom. I. Chrysostomi q. 3. Estius etiam in 2. dist. XX. §. I. Addunt eumdem Chrysostomum Hom. XVIII. in Genesim, & Procopium in caput ejusdem libri IV. Idem Estius affirmat aliquando ita sensisse Augustinum, ut constat (inquit) ex lib. I. de Gen. contra Manichaeos cap. 19. & de vera Relig. cap. 46. incertum quodammodo fuisse lib. de bono conjugali cap. 2. sed priorem repudiasse sententiam. Prioris vero dubitationis suae meminisse lib. XIV. de Civ. Dei cap. XXI.

Revera S. Pater citato libro super Genesim cap. 19. inquirit, num verba Geneseos I. 28. *Crescite, & multiplicamini*, sint carnaliter, an spiritaliter accipienda, & respondet: *Licet nobis tam etiam spiritaliter accipere, ut in carnalem fecunditatem post peccatum conversa esse credatur.* Ubi etiamsi carnalem generationem commode possimus accipere, quae est humanae naturae propagatio per turbidam libidinem, declarat tamen plenissime filiis saeculi tantum quadrare verba Christi apud Lucam XX. 34. *nubunt, & traduntur ad nuptias*, quod negat ante peccatum Adae futurum. Atque de vera Religione cap. 46. & lib. I. de verbis Apostoli cap. 15. scribit carnales necessitudines ex peccato oriri, nec futuras si natura humana in istam corruptionem non fuisset relegata. Sed haec duo loca retractat lib. I. Retract. cap. 13. n. 8. scribens: *Nondum enim videram fieri potuisse, ut non morituri de non morituris nascerentur, si peccato illo magno non mutaretur in deterius humana natura: ac per hoc si & in parentibus & in filiis fecunditas felicitasque mansisset, usque ad certum Sanctorum numerum, quem praedestinavit Deus, nascerentur homines non parentibus successuri morientibus, sed cum viventibus regnaturi. Essent ergo & istae cognationes & affinitates, si nullus delinqueret, nullusque moreretur.* Repudiavit ergo Augustinus priorem illam opinationem.

PROPOSITIO: Fuisset etiam in statu innocentiae per copulam conjugalem filiorum propagatio.

Ex Scripturis, & Augustinianis testimoniis breviter demonstratur. I. Deus cum hominem condidit, masculum & feminam fecit eos, & benedixit eis dicens, *Crescite & multiplicamini*: Est Ergo fecunditas generationis benedictio priori hominum institutioni conveniens, non occasione peccati superinducta; alias ad multiplicationem humani generis, & memoratae benedictionis effectum necessarium fuisset peccatum, quod valde absurdum est cogitare. *Quisquis autem dicit non fuisse coituros, nec generaturos nisi peccassent, quid dicit, nisi propter numerositatem Sanctorum necessarium hominis fuisse peccatum?* ait S. P. Aug. lib. XIV. de Civit. Dei cap. 23. II. Mulier Gen. II. 18. appellatur viri adjutorium: *Si autem quaeritur, ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quam propter filios procreandos, sicut adjutorium semini terra est, ut virgultum ex utroque nascatur*: ait ipsemet Aug. lib. IX. de Genes. ad lit. cap. 3. num. 5. III. Adam adhuc innocens & proximae calamitatis ignarus inquit Gen. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhaerebit uxori suae: & erunt duo in carne una.* Quae verba affert Christus Matth. XIX. 4. ut probet matrimonium esse ex sua institutione indissolubile, nec licitum esse quacunque ex caussa libellum repudii. Viguissent igitur in prima quoque conditione connubia. Ita ratiocinatur ipse Augustinus laudato libro XIV. de Civit. Dei cap. 22. In eodem cap. Genesis v. 18. legitur: *Non est bonum esse hominem solum.* At mulier, quae viro caussa fuit perditionis, non bona extitisset, nisi ei futura esset gignendae prolis adjutrix. Deus ergo hac de caussa mulierem producendam esse probavit. *Mulierem viro* (Ambrosius) *nonnisi generandi caussa perhibet institutam. Haec enim sunt verba ejus in lib. de Paradiso: Si igitur viro culpae auctor est mulier, quemadmodum pro bono videtur adjecta? Verum si consideres quia Deo universitatis est cura, invenies plus placere Domino debuisse id, in quo esset caussa universitatis, quam condemnandum fuisse illud, in quo esset caussa peccati. Ideo quia ex viro solo non poterat humani esse generis propagatio, pronuntiavit Dominus, non esse bonum hominem solum esse.* Verba sunt Augustini libro II. contra Julianum cap. VII. n. 29. Satis ex his liquet feminae, virique conjugium ad societatem & propagationem prolis fuisse primitus institutum, atque ad naturae conditionem, non ad peccati statum fecunditatem pertinere. Quae omnia rationi etiam consentanea sunt; non enim homini ubertas fecunditasque videbatur deneganda, quae animantibus ceteris fuit ab hujus universitatis Auctore concessa.

RE-

REFUTATUR OBJECTIO.

Oppones: Homines in statu innocentiæ minime propagandos saltem conjunctione gignentium, cum ipsorum conditio, tum generandæ prolis constitutio, ejusdemque generationis natura commonstrant. Et generantium quidem conditio: enim vero, si masculus & femina adulti ac virili ætate fuerunt producti, & institutæ naturæ conveniens erat confestim prolis & posteritatis generatio, quare ante prævaricationem procreandis liberis operam non dederunt? Proles vero quonam statu fuisset ex materno utero in lucem edita? Si corpore exiguo membrisque infantilibus, obnoxii fuissent pueri innumeris calamitatibus, & deteriores bestiis, quibus nutrices in os inserunt mansa quæque minima & emollita. Quod si robusta virtute, & corpore valenti & confecto; non essent pueri ab hominibus progeniti hujusce naturæ. Generatio denique & libidine perficitur, & corporalis feminis abscissione, quarum una rationem antevertit, & est pœna peccati; altera est mortalitatis & corruptionis indicium: unde Lucæ xx. 34. solis, ut diximus, filiis sæculi degentibus sub necessitate mortis, & contagione peccati res uxoria dicitur convenire. Pugnat ergo præcedens assertio cum parentum, natorum, & generationis conditione & natura.

Respond. Adam & Evam, licet adultos aptosque ad maritalem complexum non minus, ac modo sint desponsati ætate progressa, statim se ad faciendam generis sui progeniem non applicavisse: *Quia mox creata muliere facta est illa transgressio, cujus merito in mortem destinati etiam de loco illius felicitatis exierunt. Posset etiam dici, quia nondum Deus jusserat ut coirent. Cur enim non ad hanc rem divina expectaretur auctoritas, ubi nulla concupiscentia tanquam stimulus inobedientis carnis urgebat? Ideo autem non jusserat Deus, quia secundum suam præscientiam disponebat omnia, in quo & eorum casum proculdubio præsciebat, unde jam mortale genus propagandum esset humanum.* Hæc S. Pater lib. ix. de Genes. ad lit. cap. 3. In quibus verbis non ait Augustinus expectandum fuisse universale mandatum, quod jam acceperant, sed peculiare, ut jure nobiliori, quam belluæ, suo obtemperarent Auctori.

Quod ad prolem attinet, diluitur a D. P. August. in lib. 1. de Peccatorum meritis cap. 37. & 38. *Propter uteri capacitatem* (inquit) *fortasse necesse fuerit parvulos nasci, quamvis cum exigua sit pars corporis costa, non tamen propter hoc Deus parvulam viro conjugem fecit, quam ædificavit in mulierem, unde & ejus filios poterat omnipotentia Creatoris mox editos grandes protinus facere. Sed, ut hoc omittam, poterat certe quod multis etiam pecoribus præstitit: quorum pulli, quamvis sint parvuli, neque accedentibus corporis incrementis etiam mente proficiant, quoniam rationalem animam non habent, tamen etiam minutissimi & currunt, & matres agnoscunt, nec sugendis uberibus cura & ope admoventur aliena, sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdita posita mirabili facilitate noverunt. Contra homini nata, nec ad incessum pedes idonei, nec manus saltem ad scalpendum habiles, & nisi opere nutrientis admotis labris papillæ uberis ingerantur, nec ubi sint sentiunt, & juxta se jacentibus mammis magis possint esurientes flere, quam sugere. Proinde infirmitati mentis congruit hæc omnino infirmitas corporis.* Vide & quæ scripsimus lib. 1. cap. 3. opp. 2.

De æstu libidinis & corruptione naturæ hæc sit ejusdem Augustini responsio in libro adversus Julianum iv. cap. 5. num. 35. *Cur autem non creditis, hominibus in paradiso constitutis ante peccatum divinitus potuisse concedi, ut tranquilla motione, vel commixtione membrorum sine ulla libidine filios procrearent, aut in eis saltem libido talis esset, cujus motus nec præcederet, nec excederet voluntatem?* Et lib. xiv. de Civ. Dei cap. 24. *Seminaret igitur prolem vir, susciperet femina genitalibus membris, quando id opus esset, voluntate motis, non libidine concitatis.* Proximo cap. 26. solvit etiam quod de violata virginitate opponebatur, his verbis. *Ita tunc potuisse utero conjugis salva integritate feminei genitalis virile semen immitti; sicut nunc potest eadem integritate salva ex utero virginis fluxus menstrui cruoris emitti. Eadem quippe via posset illud injici, qua hoc potest ejici. Ut enim ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus feminea viscera relaxaret: sic ad fœtandum & concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius usus naturam utramque conjungeret.* Ad hæc autem oratio nostra deducta cohibere se debet, ne ulterius progrediatur; nam posthac sapientissimus Augustinus, *De rebus loquimur* (inquit) *nunc pudendis, & ideo quamvis antequam eorum puderet, quales esse potuissent, conjiciamus ut possumus; tamen necesse est ut nostra disputatio magis frenetur ea, quæ nos revocat, verecundia, quam eloquentia, quæ nobis parum suppetit, adjuvetur.*

CAPUT XII.

Quomodo Protoplasti suasione Serpentis præceptum Domini transgressi sunt.

SED jam ad ærumnas, quæ propter malitiam & carnis necessitudinem nos premunt, ventum est. Præceperat Dominus Adæ & uxori, ne de ligno scientiæ boni & mali comederent facta copia arborum ceterarum. Serpens mulierem decepit, hæc virum; is nos miseram ejus progeniem in cumulum miseriarum dejecit. Hæc omnia brevi complectar, de mandato Dei, de tentatione serpentis, de lapsu protoparentum hac sectione dicturus.

PROPOSITIO I. Æquissima fuit lex principio homini lata, ut certæ arboris, cujus speciem ignoramus, fructum non tangeret.

Ratio enim æquitatis postulat, ut creatura suo Auctori subjiciatur, eique præstet obedientiam. At Deus brevissimo illo, levissimoque mandato, *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*, ut Augustinus ait in libro de Civitate Dei quartodecimo, cap. 15., *Se esse Dominum commonebat*. Postulabat itaque jus æquitatis, ut rationalis homo latam sibi legem inviolabiliter custodiret. Deinde, quoniam magnum est obedientiæ meritum, rectissime autem Angelorum hominumque Creator statuerat, ut plenitudo beatitudinis esset merces arbitrii divinæ gratiæ adjutorio suffulti, quomodo idem Augustinus docet de Corrept. & Grat. cap. x. xi., sapientissime institutum est, ut aliquo præcepto servando suam exerceret obedientiam. Utramque caussam complexus est S. Pater in ii. de Peccatorum meritis cap. 21. scribens: *Absit enim ut bonorum Creator, qui fecit omnia bona valde, mali aliquid in illius etiam corporalis Paradisi fertilitate plantaret. Sed ut ostenderet homini, cui esset sub tali Domino utilissima servitus, quantum esset solius obedientiæ bonum, quam solam de famulo exegerat, cui obedire non propter ipsius dominatum, sed propter servientis utilitatem potius expediret, ab eo ligno sunt prohibiti, quo si uterentur non prohibiti, nihil mali omnino paterentur, ut quod illo post prohibitionem utentes passi sunt, satis ostenderetur quod hoc eis non intulerit arbor cibo noxio perniciosa, sed tantum obedientia violata.*

Illius arboris speciem incompertam esse non male diximus præced. libro prop. 3. cap. 4. Nam quod traditur in Alkorano fuisse triticum septem spicarum, refutatur ex Genes. ubi legimus non de genere segetum herbarumque, sed de lignorum fuisse. *Quod ergo lignum esset, non est dubitandum*, ait Augustinus lib. viii. de Gen. ad lit. cap. 6. Opinio Theodoreti & Mosis Barcepha, quam non improbant Isidorus Pelusiota, Gennadius & Procopius, fundamento nititur nimium labili. Ajunt enim fuisse ficum, propterea quod Gen. iii. 7. legimus, *Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata:* putant enim ex eadem planta fructum ac folia Protoparentes legisse. Sed nostri Interpretes inquiunt inverisimile esse quod iterum ausi fuerint arborem illam contingere, unde accidisse sibi maximam calamitatem sentiebant. Addit David Ziegra cum Remonstrantibus aliis, videri probabilius, quod Adam prope arborem non steterit, eo quod non ipse propria manu carpsit fructum, sed hunc ei detulit mulier. Fecerint ergo subligacula ficus, quod ad tegendam nuditatem habeat hoc arborum genus lata folia; sed, ut S. Pater admonet in viii. de Gen. ad lit. cap. 5. *Melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis.*

Objicies: Videtur lex nimium rigida tam minimæ transgressioni pœnam innumerabilium calamitatum addicere.

Resp. non minimam ac levem, sed gravissimam fuisse priorum hominum culpam. Primo quoniam facillimum fuit in tanta integritate naturæ & magna ciborum copia ab unica arbore in Dei honorem abstinere, nec potuit melius & diligentius commendari quantum malum sit sola inobedientia, ut Augustinus demonstrat lib. viii. memorati Operis de Gen. ad lit. cap. xiii. & ii. de Peccator. meritis cap. 21. Deinde quia ubi magna est inobedientiæ pœna proposita, & res a Creatore facilis imperata, nequit satis explicari quantum malum sit non obedire tantæ potestatis imperio, & tanto terrenti supplicio, inquit Doctor maximus xiv. de Civ. Dei cap. 15. Insuper quia in hac primordiali Dei lege, quam in arboris fructu Deus observari mandaverat, omnia præcepta legis posterioris continebantur, ut luculenter demonstrat Tertullianus in libro adversus Judæos cap. 2. Sed videamus quis fuerit tam perniciosæ inobedientiæ primis Parentibus Auctor.

PROPOSITIO II. Suasor primi peccati fuit Diabolus usus, ut mulierem alloqueretur, vero ac naturali serpente, tamquam organo & instrumento.

Ita cum ceteris Fidei luminibus S. Pater xi. de Genesi ad literam cap. 2. & xiv. de Civit. Dei cap. xi. paucis Catholicis repugnantibus. Origenes tamen & Philo serpentis nomine designari putant aut appetitum sensitivum interius percellentem, aut Diaboli suggestionem nullo visibili corpore assumpto peractam. Ab his non dissentit Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus. Nonnulli apud Fagium Comment. in Genes. serpentis nomine significari tradunt linguam animalis a serpente diversi. Rabbi Aben-Esra ait Diabolum, nullatenus Evam aggressum, sed colubrum naturali facultate loquentem. Ophitæ, quibus Marcionis & Manichæi asseclæ assentiuntur, inquiunt serpentem illum fuisse spiritum Deo meliorem: cui gratias agunt, quod per ipsum hominibus cibus, per cibum visus, per visum mulieris cognitio, per hanc nuptiæ, per istas vero mundo bona innumera accesserint. Hos omnes parum negocii est refutare.

Ac primo verum ac naturalem serpentem assumptum a Dæmone demonstratur, quoniam Genesis III. 1. ubi legimus: *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ*, habetur hebraicum vocabulum נחש *Nachase* quod genus quoddam reptilium significet, ut constat ex lib. Exodi IV. 3. Deuter. VIII. 15. & Jeremiæ VIII. 17. Præterea huic vocabulo præfigitur litera pedagogice ה, *He*: quæ juxta regulas Grammaticorum nota est aut pronominis, aut articuli & regiminis, aut interrogationis, aut significationis propriæ, ut demonstrant Joannes Paschius, & Salomon Glassius. At hoc loco neque articuli, neque pronominis, neque interrogationis nota est: Ergo significationis propriæ & literalis. Rursus comparatur eodem versu *Serpens* cum ceteris animantibus terræ. Igitur est etiam ipse terrenum animal. Affert non solum Gulielmus Estius in 2. dist. 21. §. 1. & alii Scholastici, sed etiam memoratus Paschius, & Jo. Frischmuth Acatholici maledictionem in serpentem prolatam; sed non desunt qui hanc ad solum Diabolum pertinere arbitrentur, ut idem Estius scribit sequenti §. quartodecimo: unde ex hac maledictione naturæ serpentis nequit certo deprehendi: etsi, ut mox dicam, defendi possit serpentem quoque naturalem fuisse a Deo maledictum.

Delituisse in colubro Diabolum & scriptura & ratio suadent. Nam legimus lib. Sap. cap. II. 24. *Invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum*. Et Jo. VIII. 44. *Ille homicida erat ab initio*. Apocalyps. etiam XII. 9. appellatur Diabolus *Serpens antiquus*. Neque poterat animal ratione carens mulierem alloqui, eum ac differere, ac tanta vafritie illam ad exitium impellere. *Non itaque serpens verborum sonos intelligebat, qui ex illo fiebant ad mulierem. Neque enim conversa credenda est anima ejus in naturam rationalem; quandoquidem nec ipsi homines, quorum rationalis natura est, cum dæmon in eis loquitur in passione cui Exorcista requiritur, sciunt quid loquantur*. Ait S. Pater XI. de Gen. ad lit. cap. XVIII. Et paucis interjectis naturam humanam primitus seductam dæmonis in serpente colloquio conjicit etiam ex eo, quod nullum aliud genus animantium soleat moveri incantationibus, ut serpentum, quasi ad primæ tentationis memoriam commendandam quædam sit illi, idest dæmoni, cum hoc genere familiaritas.

Ophitarum vero deliramenta recitasse, ac refutasse idem est. Nuptiæ enim sunt ante suggestionem serpentis institutæ, atque etiam in statu innocentiæ fuisset humani generis propagatio. Neque credendum est, spiritum bonum fuisse auctorem mortis, & inobedientiæ præconem. Aperti sunt autem post culpam oculi prævaricatorum ad intuendum quod novum in eorum corpore acciderat patentibus eorum oculis nudo. Audiatur Augustinus, qui Marcionitas Ophitasque aperte refellit in libro I. de Nuptiis ad Valerium Comitem cap. 5. *Quomodo a se adductis animalibus terrestribus & volatilibus omnibus, Adam clausis oculis nomina posset imponere, quod nisi discernendo non fecerat, discernere autem nisi videndo non posset? Quomodo ipsa mulier ei demonstrata est, quando ait: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea? Postremo si usqueadeo quisquam fuerit contentiosus, ut hæc eum dicat non cernendo, sed palpando potuisse cognoscere, quid dicturus est, quod ibi legitur mulier lignum, de quo fuerat cibum sumptura, prohibitum vidisse quod esset speciosum oculis ad videndum? Erant itaque nudi, & non confundebantur, non quia non videbant, sed quia nihil unde confunderentur in membris senserant quæ videbant*. De specie serpentis hoc unum dicam, ab Eugubino credi fuisse basiliscum, a Pererio Scytalem ornatam præfulgida tergi varietate, ab aliis viperam: sed incerta res est, nec multum Theologi refert in eam inquirere.

Arguit Aben-Esra a naturali serpente Evam fuisse tentatam. Nam Satanas super ventre non graditur, nec vescitur pulvere. At serpenti ait Dominus Gen. III. 14. *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Non ergo serpens ille erat Satanas. Contra hoc eodem argumento quidam probant serpentem illum nonnisi Satanam fuisse. Enimvero, inquiunt, serpenti progredi humi rependo est inditum a natura, non pœna: Atqui serpenti Evæ deceptori in pœnam datum est, ut gradiatur sine pedibus ventre: Ergo serpens tentator mulieris verus serpens non fuit. Et quidem verum non fuisse serpentem pluribus argumentis evincitur. Primo quod in tertio Genesis dicitur *callidus*, in versione LXX. φρονιμώτατος *plurimum prudens*, a Hieronymo *nequam & versipellis*, in multis Latinis Codicibus, teste Augustino XI. super Genesim cap. 2. *sapientissimus*: quæ non possunt stupido & irrationali serpenti convenire. Deinde inverisimile est Deum cum reptili rationis experte eodem modo, ac hominibus fuisse locutum, eique peccandi nescio tanta indignatione probra ac maledicta dixisse. Præterea cur Satanas corpus serpentis ingressus est; non vero animantis alterius membrorum forma venustioris? Quomodo etiam fieri potuit, ut mulier colubrum non horreret, aut saltem eo loquente non detegeret latentis spiritus fraudem? His suaderi potest non aliud fuisse Serpentis nomine significatum, quam aut sensitivum hominis appetitum, aut dæmonem.

Resp. ad argumentationem Aben-Esræ præfatam maledictionem ad serpentem antiquum, idest, Diabolum certissime pertinere: quippe non minus cum serpente, quam cum ceteris venenatis, & feris animantibus nobis inimicitiæ sunt, & verisimile non est ea, quæ de serpente dicuntur, pœnam esse reptilium terrestrium, non insitas a natura proprietates. Etsi enim Interpretes recentiores inquiunt, facile esse hanc maledictionem etiam de vero serpente exponere, nam labefactato per culpam dominio hominis super bestias serpens homini noxius & abominabilis factus est, & quod erat conditio naturæ, transiit in pœnam, quemadmodum nuditas, & partus mulierum, aliaque permulta; hæc tamen me plane non convincunt, cum serpens nec pudoris, nec pœnitudinis sit capax, nec fortassis ullius doloris, ac sensus. &, quod nuper dicebam, non foret singulariter serpens maledictis illis vexatus, ceteris quoque noxiis belluis & repentibus plurimis, & talo hominis insidiantibus. Atque hæc adeo vere sunt, ut Didymus, Basilius, Ephrem Syrus, & Chrysostomus, qui maledictionem de vero serpente accepere, senserint olim pedes habuisse, hisque postmodum vi maledictionis divinæ deperditis repere. Proinde Augustinus cap. 36. libri super Genesim XI. *Tota (inquit) ista sententia figurata est, nec aliud debet ei Scriptoris fides, narrationisque veritas, nisi ne illam dictam fuisse dubitemus*. Haud me fugit viros doctos reponere historicam narrationem esse: pœnam inflictam non propter serpentem, sed propter hominem; & Diabolum ipsum ante aggressionem feminæ damnatum & exosum fuisse. Verum hæc parum urgent: nam & nos literaliter omnia explicabimus, ita tamen, ut conditiones serpentis, ad quas fit allusio, sint velut cortex parabolæ, & maledictio cadat in diabolum, qui sub anguis exuviis seducta Eva, pœna etiam in naturalibus serpentium proprietatibus expressa mulctandus erat. Neque tanta ei fuerat tentandi homines potestas, clanculum præsertim, & veluti calcaneum mordendo, per sensuum illusiones, atque vicissim tanta in eum humani generis abominatio, & pugnandi etiam & conterendi caput ejus facultas, quanta miserandum Adæ lapsum fuit consecuta. Ita ergo literalem sensum recipiendum arbitror, ut quatenus sententia maledictionis prolata est, sit figurata, & appellet Diabolum puniendum spiritaliter supplicio significato in proprietatibus vere ac proprie inditis naturæ serpentis: quemadmodum colloquium fallax, & fraudulenta tentatio fuerat solius spiritus nequam reapse tamen per lubricum animal tortuosis anfractibus mobile; ut Augustinus ait in XIV. de Civit. Dei c. XI. Quod si adhuc contendas maledictionem illam ad utrumque serpentem pertinere, nullatenus repugnabo: nam & pro hac sententia sunt modo a me momenta quædam inserta, & plura suppeditabunt Estius in 2. dist. XXI. §. 14. Sylvius opusculo VIII. in c. 3. Geneseos, Spondanus An. Mundi I. num. V., qui tamen fatentur in ea maledictione sensum mysticum primario a Deo intentum, referendum utique ad Diabolum, qui malefícii, & casus miserabilis auctor extitit. Graditur autem Diabolus super pectus, & terram comedit, quoniam invidentia, dolis, & superbia homines circumvenit, serpitque, & fluctuatione cupiditatum egit, terrenosque & voluptatibus deditos quasi devorat, & depascitur. Sed vide hæc apud Augustinum citato loco, & lib. 2. de Genesi contra Manichæos cap. 17. exposita & enucleata. Ac de maledictione serpentis hactenus.

Nunc ex ordine ad argumenta, quæ probare videntur Diabolum non assumpsisse verum serpentem, est respondendum. Atque ad primum dico serpentem prudentiæ & astutiæ laude commendari, quod sit animal præ aliis dexteritatem habens ad malum vitandum, caudam in via medio corpori inserens ne a viatoribus detruncetur, & caput erigens ut videat an quisquam veniat ei nocumentum allaturus. Dormiens etiam sese torquens corpus totum plectit, ut caput communiat, & senium sentiens in rimam petræ se insinuet, ac pronus per foramen nititur, exuitque vetustatem. Hinc prudens dicitur, callidus, sapiens; ut columba laudatur ob simplicitatem, & formica ob sagacem industriam. Potest etiam ille serpens, *non irrationali anima, sed alieno spiritu, idest, Diabolico, sapientissimus dici omnium bestiarum*, ait Sanctus Pater XI. de Gen. ad lit. cap. 2. Joannes Frischmuth cum Drusio reprehendit Hieronymum, quod in lib. de Tradit. Hebraicis interpretatus sit ערום *Harum*, callidum, *nequam & versipellem*; cum omnia, inquit, essent valde bona: sed inconsiderata, aut audaci animadversione; primo quoniam ita reddiderunt etiam Aquila, & Theodotion: deinde, quia sermo est de serpente, & malo spiritu illum exagitante: rursus quia Fagius ejusdem cum Frischmutho religionis Comment. in 3. Gen. scribit: ערום *Hebræis æquivocum est ad nuditatem, astutiam, versutiam, & calliditatem*. Revera cap. 2. versu ultimo Adam, & Eva eodem vocabulo appellati sunt ערומים *Harumim*, nudi.

Quod sequitur nullius est momenti; cum Deus etiam rebus sensu carentibus nutu & voce imperet in summæ auctoritatis, & omnipotentiæ testimonium. Erat insuper Domini reprehensio principaliter ad seductorem spiritum directa; unde serpens cur hoc fecerit non est interrogatus:

Quia

Quia non ipse in sua natura & voluntate fecerat, sed diabolus de illo, & per illum, & in illo fuerat operatus, inquit S. Pater XI. de Gen. ad lit. cap. 36. num. 49. Assumpsit vero Satanas corpus serpentis, non bestiæ alterius, quia illud assumere permissus est, & non aliud, *ut per naturam serpentis significaretur generi hominum, omnis diabolicæ tentationis similitudo*; ait eodem libro Augustinus cap. 28. n. 35. Est autem hæc similitudo, quod per infirmiores potentias spiritualiter serpendo, & suavi persuasionis sibilo permulcendo, venenum sensim instillat. Addit Spondanus, libentissime diabolum elegisse serpentem, ut hominem per vilissimum animal prosterneret ac superaret.

Ad illud vero, quod postremo loco sequitur, hoc habeto responsum. Mulier colubrum non timuit, non quod animalia tunc loquendi facultatem haberent, ut in I. Antiquitatum libro cap. 2. Joseph commentus est; sed quoniam nulla erat caussa timoris, ubi cuncta ad nutum hominis serviebant, quomodo Chrysostomus ait homilia in Genesim sextadecima. Cur vero non sit admirata, non unam caussam apud Scriptores invenimus. Existimat S. Thomas q. XCIV. art. 4. mulierem putavisse, quod serpens loquendi officium accepisset supernaturali aliqua operatione. Docent alii ignorasse, num naturaliter sermonem habere posset etiam animal, quod noverat a Deo creatum: sed nihil prohibet quin ultro concedamus fuisse Evam demiratam, & rei tam novæ eventum expectavisse, ut Jansenius scribit in tertium Gen. v. 1. Notatione tertia.

PROPOSITIO III. In transgressione primorum parentum plurium peccatorum reperitur complexio, sed est primum, & radix ceterorum superbia.

Non uno peccato Evam deliquisse satis constat; fuit enim *superba* Dei scientiam affectans, *inobediens* divinum mandatum transgressa, *curiosa* fructum vetitum contemplando, *impœnitens* malitiam propriam excusans, & viro suo *scandalosa* eumdem trahens in perditionem. Sed tribus præsertim modis Satanas illam tentavit: infidelitate, ne crederet se morituram; immoderata cibi aviditate, ut de ligno scientiæ comederet; & inani gloria, & promissione deitatis, cum dixit, *Eritis sicut Dii*. His omnibus sceleribus sese Adam coinquinavit, qui etiam peccavit amore in mulierem inordinato, eo iniquior, quo in dignoscendis diaboli fallaciis sapientior, & fortior ad has repellendas.

Horum peccatorum primum fuisse superbiam, demonstrant divinæ scripturæ, & ratio ex Augustino deprompta. Etenim Prov. XVI. 18. legimus, *Contritionem præcedit superbia: & ante ruinam exaltatur spiritus*. Et Eccl. X. 14. 15. *Initium superbiæ hominis Apostatare a Deo: quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus, quoniam initium omnis peccati est superbia*. Augustiniana ratio hæc est in lib. XIV. de Civit. Dei cap. XIII. *In occulto autem mali esse cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset mala voluntas; porro malæ voluntatis initium quid potuit esse, nisi superbia? Initium enim omnis peccati superbia est. Quid est autem superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus?* Ita ergo casus miserandus accidit. Præcessit serpentis interrogatio, deinde timoris expulsio, posthac suggestio, & divinitatis ac summæ scientiæ promissio. Tum mulier Dei similitudinem transgressione præcepti appetere, mentis elatione superbire, averti a bono incommutabili, in pœnam præsumptionis decipi, fidem præbere suadenti, fructum comedere, exhibere marito. Quod callidus serpens ad extremum pollicitus est, primo muliebrem animum contaminavit, traxitque ad arborem, a qua fuerat exordium sermonis. Hinc facile est conciliare sententias Patrum, quorum alii primum peccatum infidelitatem, alii inobedientiam, alii inanem gloriam appellaverunt. Nam infidelitas & mendacium principio apparet in suasoris sermone: inobedientia & vetiti fructus degustatio primum peccatum est operis; elatio autem & præsumptio est malæ voluntatis initium. Legite lib. XI. de Gen. ad lit. cap. 30. & memoratum caput XIII. de Civit. Dei.

Adam vero postquam ab Eva certior factus est suggestionis diabolicæ, appetens & ipse præter ordinem rectum divinitatem ac sapientiam, quamvis forte amplius Satanæ promissis non fideret, noluit uxorem contristare, & fructum, quem porrigebat, comedit magis deceptus benevolentia mulieris, quam fraude serpentis. Nec tamen primum Adæ peccatum fuit in uxorem studium & amor: *Quoniam si voluntas in amore superioris immutabilis boni, a quo illustrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret, stabilis permaneret; non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc tenebresceret, & frigesceret, ut vel illa verum crederet dixisse serpentem, vel ille Dei mandato uxoris præponeret voluntatem, putaretque se venialiter transgressorem esse præcepti, si vitæ suæ sociam non desereret etiam in societate peccati*. Hactenus loco nuperrime laudato Augustinus.

CAPUT XIII.

De pœnis, quæ justa retributione Adæ inobedientiam consecuta sunt.

ADAMI transgressionem innumeræ propemodum calamitates subsequuntur. Primo desertor factus æternæ vitæ, etiam æterna, nisi gratia liberasset, morte damnatus esset. Tum, cum posset antea quicquid vellet, nunc, sicut in ejus stirpe cognoscimus, cupiditatibus noxiis abripitur. Harum vero motus obscœnos, atque ad turpes voluptates incitamenta non solum comitantur pudor & verecundia, quæ in probis honestisque juvat moderandæ libidini, sed etiam interitus libertatis, non quidem a necessitate, ut contendunt hæretici, sed a concupiscentia & lege peccati, quæ ad malum inclinat. Posteaquam enim facta est præcepti transgressio, confestim gratia divina deserente de corporis nuditate confusus est, sensitque motum inobedientis carnis suæ tamquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ. Cœpit deinde lucem formidare divinam, refugit in tenebras atque in devia, umbras appetens. Corpus quoque miseriis, quas modo experimur, affectum est, fame, siti, exilio, agrorum sterilitate, alienatione, & simultate ferarum, & necessitate moriendi. Videndus Augustinus de Civit. Dei lib. XII. cap. 15. de Peccatorum meritis & remiss. lib. I. cap. 3. & sequentibus, de Gen. contra Manich. II. cap. 19. & de Gen. ad literam lib. VI. cap. 25. & lib. XI. cap. 39. De quatuor præsertim pœnis hoc loco disputare proposui, de morte corporis, de ignorantia, de concupiscentia, & de pudore nuditatis.

DE MORTE.

Et de morte quidem disquirendum est non tantum propter hæresim Pelagianorum negantium hanc pœnam esse peccati, verum etiam propter Socinianos, quorum columen acutus & callidus Faustus cum Francisco Puccio Florentino anno 1577. congressum habuit contentiosum. In quo tergiversator ille ita hominem natura mortalem fuisse contendit, ut suapte natura morti fuerit subjectus, nec in ipsa creatione donatus tali gratia, qua potuisset a morte perpetuo immunis servari. Hujus autem assertionis prima pars vera esse potest, & poterat eam Puccius salvo catholico dogmate declinare; non enim immortalitas primi hominis erat conditio naturæ, sed gratiæ Dei beneficium: & quod Faustus tanta ingenii alacritate, & ambiguitate verborum frequentissime inculcat, primi hominis corpus fuisse animale, dissolubile, & mortalitate affectum inspecta natura sua, poterat ultro concedi. Sed ita fuisse mortale, ut etiam fuerit morti subjectus, antequam Adam laberetur, atque, ut Socinus ait pag. 258. & 276. tom. 2. Bibliot. Fratrum Poloniæ in sua creatione divina gratia fuisse destitutum, nec conservationi ejus vitæ fuisse prospectum, sapit aperte antiquiorem hæresim Pelagianam.

Ut audaciam, qua Sociniani divina testimonia solent contortis interpretationibus eludere, refellere quisque valeat, observandum est, quod cap. 9. præmonui cum Augustino lib. VI. de Gen. ad literam cap. 20. aliud esse non posse mori, aliud posse non mori; aliam immortalitatem, quæ est conditio naturæ solis incorporalibus substantiis conveniens, aliam immortalitatem quæ est beneficium Conditoris, & potest etiam rei corporeæ concedi, si quotidianæ corruptionis reparetur supernaturali virtute defectus. Animadvertendum quoque discrimen esse inter *mortale*, *mortuum*, & *moriturum*. Mortale est enim quod potest mori; moriturum quod mori debet: mortuum quod jam vita caret: Potest autem corpus esse mortale, quamvis non moriturum, *sicut hoc nostrum potest, ut ita dicam, esse ægrotabile, quamvis non ægrotaturum*, inquit Augustinus in I. de Peccatorum meritis cap. 5. Male ergo distinguit Socinus inter immortale & mortale, quod illud sit morti subjectum, illud nequaquam; quod enim morti subjectum est, non est *mortale* tantum, sed *moriturum*; quemadmodum quod est vulnerabile, potest quidem vulneribus perfodi, sed necesse non est, ut vulneretur reapse. Recte tamen quod morte subjicitur, appellatur mortale, ut infra.

PROPOSITIO: Mors est pœna peccati; idest, poterat homo sibi mortem consciscere, ut fecit, sed non erat moriturus nisi peccasset.

Definita est hæc veritas a Synodo Palæstina, ut S. Pater refert de Gestis Pelagii cap. 3. a Carthaginensi V. & Tridentina sess. V. can. 1. At Adversarii, cum quibus congredimur, nullam Sanctorum Conciliorum, ac Patrum rationem habent. Eos itaque ex sacris literis refellere instituimus. Genes. enim II. 17. ita Dominus Adamum allocutus est: *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: In quacunque die comederis ex eo, morte morieris*. Legunt Hebræi מות תמות *moriendo morieris*, idest, erit tibi mors inevitabilis, & eris obnoxius morti certo superventuræ: quam significationem inesse istiusmodi reduplicationi constat ex Gen. XXXVII. 33. Exodi 19. 12. 3. Regum II. 37. Vertit hunc locum Targum, *Eris reus mortis*: Symmachus, & Hieronymus, *Mortalis eris*: Vatablus, *Morti eris obno-*

obnoxius: Robertus Stephanus, Pagninus, Arias Montanus, Antiquior Itala, *moriendo morieris*: Fagius, *tunc incipies esse mortalis*: Græci, θνητὸς ἔσῃ, *eris mortalis*: Omnium ergo consensione Hebræorum, Latinorum, Græcorum, Syrorum cum primum Adam peccavit, sese obstrinxit moriendi necessitate, & antea poterat non mori. Mors ista, cui homo prævaricator se subjecit, non solum certitudinem, sed etiam vehementiam quamdam habere ex memorata hebraici sermonis phrasi certo certius colligitur, & pro utraque morte animæ, & corporis verba Geneseos apposite explicantur ab Augustino lib. XIII. de Civit. Dei cap. 12. Esse quoque accipienda de morte corporis, imo ad ista principaliter, ex ipsa scriptura, & ex ratione manifestissime evincitur. Enim vero Deus hominem puniens dixit, *Terra es, & in terram ibis*, quod *nisi de morte corporis, quomodo intelligi possit, ignoro*, inquit idem Augustinus in primo de Peccatorum meritis cap. 3. Ratio autem satis aperta hæc est, quoniam in citato Genesis textu Deus pœnam comminatur, & mors animæ est ipsa culpa, per quam convertens se ad commutabile bonum libere e Deo recedit. Non ergo de morte animæ sola accipiendus est locus Genesis, alias sola culpa, non pœna esset a Deo prænunciata: & verborum illorum, *Quocunque die comederis, morte morieris*, sensus foret non satis aptus, *Cum peccabis, peccabis*. Atque hæc etiam communi sensu probantur, Hebræorum quoque, ut constat ex Sixto Senensi lib. V. Bibl. Sanctæ annot. 43. & 52. nec non Buxtorfio in Append. ad dissert. 2. Hujus argumentationis summa est: Ex versu 17. secundi capitis Genesis liquet Adam mortalem factum esse, idest morti subjectum, atque interitu lata lege superventuro rediturum in pulverem, quoniam mandatum de non comedendo ligni vetiti fructu trangressus est. Non esset ergo morti obnoxius, nec moriturus, si præcepto Domini obtemperasset.

Excipit hæc Socinus respondens Deum, postquam homo lapsus fuit, perspicue declarasse quid per mortem Gen. II. v. 17. intellexisset. Ait enim: *Quia audisti vocem uxoris tuæ & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris panem tuum, donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Gen. III. 17. 18. 19. Vides mortis, non tamquam pœna mentionem fieri, sed tamquam termini, ad quem ipsa pœna duratura sit, nec infligi mortem a Deo, nec tamquam aliquid pristinæ hominis naturæ contrarium, vel dissimile commemorari; sed solum declarari hominem subjectum morti, tamquam rei, quæ ipsius hominis naturæ, & materiæ ex qua constabat, propria esset, eique valde consentanea. Addit Socinus: Cum moriturum aliquem pronunciamus, cum ut mortem caveat monemus, cum mortis reum esse affirmamus, cum mortem alicui minitamur, & similia innumera quotidie dicimus, nunquam de morte ipsa naturali loquimur, sed vel de violenta, aut quæ nobis immatura videtur, vel de infelici vita verba facimus; atque hoc sensu verba Genesis esse explicanda.

Sed hæc nullius sunt momenti; excurrit enim Socinus de secundo ad tertium caput Geneseos. In cap. II. versu 17. Deum mortem minitari, aperte probatum est. Socinus ipse pag. 260. fatetur ex hebraici sermonis proprietate illa verba, *morte morieris*, significare, *certissime morieris*, sive incurres in necessitatem moriendi, ut annotatum in Bibliis Roberti Stephani; & hominem ante lapsum, quamvis natura mortalis esset, non tamen obnoxium morti penitus & necessario. Ergo necessitas moriendi pœna est. Etiam sterilitatem terræ & reliqua cap. 3. commemorata pœnam esse, imo mortis præludia, aut etiam mortem defluentem, & sensim dissolventem corpora, donec in pulverem revertatur, puto neminem diffiteri. Abit etiam homo in cineres, & materiæ, ex qua constet, consentanea est dissolutio; non enim erat homo immortalis natura, sed gratia; ideoque nullus negat redire hominem in pulverem, quia de pulvere sumptus est. Sed contra naturæ defectum plantavit Dominus in medio Paradisi lignum vitæ tribuens *stabilitatem contra vetustatem*, ut Augustinus ait, & ostendimus cap. IX. Quod ergo tam salubri ac mirabili cibo homo privatus sit, debetur merito transgressionis; & ideo naturalis conditio appellari non potest. Nam ut ipsius Socini exemplo utar, violentam mortem, & illatam sublato alimento, nemo unus dixerit naturalem. Illud vero quod ait hanc solam mortem, quam immaturam & violentam appellamus, infligi propter peccatum, non mortem absolute, quæcunque ea demum sit, ipsis Scripturæ verbis apertissime refutatur. Non enim Adamo dictum est, quacunque die comederis, morieris aut veneno, aut laqueo, aut ferro, sed *morte morieris*, idest, certissime morieris; nec illius genere mortis, violentæ scilicet, legimus Adamum fuisse interemptum. Violentum quippe dicere consuevimus, quod ab exteriori caussa vim patitur. Si autem violentum appellas quicquid est contra inclinationem naturæ; do utramque manum, & mortem violentam esse profiteor. Verum quis, nisi omnino desipiat, affirmabit esse naturale quod naturæ inclinationi adversatur? Nunc sane cum mortem prænunciamus & lamentamur, loquimur sæpenumero de morte violenta, vel immatura; sed posteaquam incurrit homo in necessitatem moriendi: qua posita fit pœna actualis peccati mortis acceleratio vel turpitudo, quemadmodum facta est pœna originalis culpæ ipsa necessitas moriendi.

Secundum pro Catholico Dogmate argumentum fit: Sap. I. 13. legitur: *Deus mortem non fecit*; & cap. II. 23. *Quoniam creavit Deus hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum*. At si homo conditione naturæ morti esset obnoxius, non regnaret mors propter dæmonis invidentiam, nec Deus hominem creasset *inexterminabilem*. Igitur homo non est morti naturaliter subjectus.

Reponit Adversarius primo, Sapientiæ librum ad confirmanda nostræ Religionis decreta nullam vim & auctoritatem habere. Deinde ait, mortis nomine, non illam significari quæ est naturalis, & omnibus communis conditio, sed immaturam, miseram, & violentam. In primo enim cap. v. 12. Auctor hominem hortatur ad evitandam mortem; & mors quæ omnibus dominatur vitari non potest. Manifeste, inquit, idem ostendunt verba postremi versus: *Impii autem manibus & verbis accersierunt illam*. Sequenti autem capite ait duntaxat, impiorum Diabolum imitantium proprium esse alicui perditionem & mortem machinari, quemadmodum ille homicida fuit ab initio. Ac de impiis mortem alteri inferri conantibus scriptorem loqui manifestum est ex verbis sequentibus: *Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius*.

Verum & hæc levissima sunt. Sacrorum librorum Canonem non privatorum hominum judicium, sed universalis Ecclesia debet definire. Sapientiæ liber in divinorum voluminum serie tertii Carthaginensis Concilii, Romanorum Pontificum Innocentii & Gelasii, Tridentinæ Synodi notissimis decretis, & Patrum testimonio censetur; eumque laudarunt *etiam temporibus proximi Apostolorum egregii Tractatores*, ait S. Augustinus de Prædest. SS. cap. 14. Videant nunc Sociniani, qui nollent calliditatis insimulari, quanta vafritie Faustus apertissima divinorum librorum verba contorqueat. Concedo Auctorem loqui de morte violenta, & adversus impios, qui illam proximo machinantur. Peto autem, quo sensu creavit Deus hominem *inexterminabilem?* Quoniam creavit illum integrum & incorruptum, ac propterea sui similem, inquit pag. 161. *in animi incorruptione*, quam significat vocabulum græcum ἀφθαρσία. ait pag. 328. Veruntamen si Auctor scribit adversus eos, qui morte turpissima corporis inimicos afficiunt, & Diabolum imitantur, per quem mors violenta introivit in mundum, occiditque hominem creatum a Deo integrum & incorruptum; quis non videt hominem etiam in corpore a Deo *inexterminabilem* conditum esse? Græcum autem vocabulum non solius animi integritatem, sed immortalitatem quoque absolute significat. Ἀφθαρσία *non minus pro integritate, quam pro immortalitate usurpatur*, ait, egre licet, ipse Socinus. Immortalitate ergo, non minus, ac integritate animi Deus hominem exornaverat. Cap. I. v. 12. ubi legitur, *Nolite zelare mortem*, monemur, ne illam quasi summo studio arcessamus, pota vino, veneri, & vitiis reliquis indulgentes. Sunt enim ζηλωταὶ *vehementer studiosi*. Et recte; quæ enim invidia Diaboli, ac inobedientia primi hominis intravit in mundum, peccati stimulo celerat & accersitur. Versu sequentis cap. ultimo habent Græci pro, *imitantur illum*, πειράζουσι αὐτὸν, *irritant illam*, idest, mortem, quæ invidia Diaboli seducto Adam communis est, impii advocant & attrahunt. Itaque Socinus *sequitur semper ancipitem sensum, statum quæstionis turbare nititur, & frustra laborat in inveniendo alia morte, cujus auctor fuerit Deus, ante eam, quæ intravit per peccatum, cujus perhibetur auctor Diabolus*: inquit non male in defensione argumentorum suorum Franc. Puccius.

Præterea ad Rom. VIII. 10. scribit Apostolus: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum*. Recte de his Augustinus lib. I. de Peccatorum meritis cap. 4. *Puto quod non expositorem, sed tantum lectorem apus habet tam clara, & aperta sententia. Corpus, inquit, mortuum est, non propter fragilitatem terrenam, quia de terræ pulvere factum est, sed propter peccatum: quid amplius quærimus?* Nec est cur aliquis objiciat Augustinum ibidem asserere corpus Adæ fuisse ante peccatum *mortale*; ut enim superius diximus, mortale appellat quatenus mori poterat, non mortale, quasi obnoxium morti; & *mortale* distinguit a *morituro*: *Sed & illud corpus* (inquit) *jam erat mortale, quam mortalitatem fuerat absumptura mutatio in æternam incorruptionem, si in homine justitia, idest, obedientia permaneret: sed ipsum mortale non est factum mortuum, nisi propter peccatum*. Sive mortale erat quia poterat mori, immortale, quia poterat non mori; ut non uno in loco explicavimus.

Idem Apostolus ad Rom. V. 12. *Per unum hominem* (inquit) *peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*. Hæc verba, quatenus originale peccatum diserte probant ab interpretamentis Pelagianorum, & a cavillis Erasmi, & Joannis Phereponi libro proximo vindicabimus. Sufficit nunc animadvertere, quod sola lectione satis

pa-

patet, mortem peccati stipendium esse. In Epistola pariter ad Corinth. I. cap. xv. 21. scribit Paulus: *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*. Non potest explicari Apostolus de sola morte animæ, cum & peccatum e morte distinguat tamquam effectum a caussa, & sermonem instituat de corporis resurrectione. *Hanc illi mortem non corporis, sed animæ intelligi volunt, quasi aliud dictum sit ad Corinthios, Per hominem mors, ubi omnino animæ mortem accipere non sinuntur, quia de resurrectione corporis agebatur, quæ morti corporis est contraria:* ait Augustinus lib. I. de Peccator. meritis cap. VIII. Itaque mors corporis per Adæ culpam in mundum ingressa est.

Occurrit Socinus, Apostolum non esse de morte naturali ulletenus accipiendum. Primo quia Apostolus eodem loco appellat corpus Adami *animale*, dicens: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*. Atque ut demonstret corpus *animale* esse, versu 45. affert verba Genesis II. 7. *Factus est primus homo in animam viventem*. quæ proculdubio de corpore Adæ innocentis dicta sunt. *Animale* autem corpus quale sit, jam Paulus expliceverat, nempe vile, corruptibile, infirmum. Ergo antequam peccaret, corpus vile, corruptibile, infirmum habuit primus homo. Deinde subjicit Apostolus corpus hoc nostrum destruendum esse, quod terreni simus, ut immortalitate donemur, quemadmodum semen non vivificatur, nisi prius moriatur. Atqui erat *primus homo de terra terrenus*, teste ipsomet Apostolo ibidem v. 47. Destruendum itaque erat illius corpus, etiamsi non peccasset. Ulterius Apostolus opponit corpori *animali*, quod generatur ex Adam, corpus *spiritale*, quod vivificatur per Christum. Istud erit immortale & incorruptibile. Erat ergo illud natura sua morti, & corruptioni subjectum.

Hæc ejusdem cum præcedentibus farinæ sunt. *Animale est hoc corpus sicut primi hominis fuit, sed hoc jam in ipso animalis genere est multo deterius; habet enim necessitatem moriendi, quam illud non habuit*: inquit Augustinus lib. VI. de Gen. ad lit. cap. 26. Itaque corpus Adami erat *animale*, quia poterat mori, & etiam ante lapsum utebatur escis ad reparationem calidi, & humidi, unde animalis vita pendet. *Sed ligno vitæ a mortis necessitate prohibebatur, atque in juventutis flore detinebatur: & ideo non spiritale, sed animale fuisse non dubium est, nequaquam tamen moriturum, nisi in Dei prædicentis, minantisque sententiam delinquendo corruisset:* ait idem Augustinus lib. XIII. de Civit. Dei cap. 23. Destruendum est hoc corpus corruptibile, ut resurgat in gloria, propterea quod induimus imaginem terreni hominis propagatione, & prævaricatione mortis, quam nobis intulit generatio: & corpus, ut idem Apostolus ait, *mortuum est propter peccatum*; ideoque instar seminis emori debet, ut reviviscat. Quoniam vero resurget, *ut mori omnino deinceps non possit*, erit *spiritale* etiam per oppositionem ad Corpus Adami, quod mori poterat. Hæc adversus Socinum, qui ut aliorum hæreticorum, etiam Pelagii malitiam callide argutéque superavit.

Restat, ut veteratoris hujus, idest Pelagii, argumenta refutentur, quæ ex Scripturis æque, & ex ratione petuntur. Ex illis objici potest, quod eadem die, qua Adam comedit de ligno scientiæ, quantum ad corpus attinet, non est mortuus, sed annos vixit triginta & nongentos. Itaque ea verba, *Quacunque die comederis, morieris*, animæ, non corporis interitum minitabantur. Apostolus quoque dum ait: *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*, haud recte de morte corporis exponitur; quandoquidem non omnes per Christum vivificantur, ideoque nec omnes in Adam moriuntur. At morti corporis unusquisque subjicitur. Ergo de hac morte Paulus non loquitur. Hanc mortem naturalem esse etiam ratio commonstrat, primo quoniam pugnantibus elementis humanum corpus constructum fuit: & quod talibus constat, tendit naturaliter in corruptionem: posthac poterat obrui Adam molis alicujus subversione, percuti fulmine, mergi aquis, aut alio inopinato eventu interire. Sunt hæc pervulgatæ Pelagianorum captiunculæ.

Ad primum respondeo Gen. II. 17. in comminatione & prohibitione Domini proprie utramque mortem intelligi, eam nempe, quæ naturalis vitæ privatio est ob animæ divulsionem a corpore, & hanc maxime & principaliter, & eam quæ est spiritualis vitæ privatio ob animæ e Deo per peccatum separationem; & hanc utique Adæ ipso transgressionis die contigisse. Legendus Gregorius Papa Epistola prima ac tricesima libri sexti. Attamen etiam mors corporis cœpit eodem momento in hominem debacchari: primo ob necessitatem moriendi; deinde ob frigus, æstum, lassitudinem, & quotidianæ corruptionis defectum, *qui nihil est aliud, quam quædam prolixitas mortis*, ut idem Gregorius scribit Hom. 47. in Evangelia, necnon Augustinus de peccatorum meritis cap. 16. Priori sensu etiam in humanis judiciis, postquam in reum pronunciata sententia est, & is in carcerem adducitur, *jam in mortuis extinctisque degit*, inquit hom. 17. in Gen. Jo. Chrysostomus, & Apostolus ad Rom. 5. 12. *in omnes homines mors pertransiit*. Posteriori autem sensu metonymice idem est mors, ac id, quod trahit ad mortem: quo sensu Exodi x. 17. ait Pharao, *auferat a me mortem istam*. Sunt denique, qui ea verba *In quacunque die* referenda putant ad *comederis*, non ad *morieris*: & qui diem pro mille annis interpretantur, quorum annorum summam primus homo non attigit.

Secundum argumentum nullius est roboris. Verborum enim Apostoli, ut Augustinus ait lib. XIII. de Civ. Dei cap. 23. sensus est, quod *sicut nemo corpore animali, nisi in Adam moritur, ita nemo corpore spiritali, nisi in Christo vivificatur*. Præterea quemadmodum S. Pater observat tum hoc loco, tum in I. de Peccatorum meritis cap. 8. non agebatur ab Apostolo *de justitia qua contrariatur peccato, sed de corporis resurrectione, quæ contraria est corporis morti*: idque extra controversiam omnem evincunt proxime verba: *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum*. Atqui licet plurimi sint destituti vita justitiæ, omnes tamen mortui corporaliter resurgent, ut eodem loco Apostolus contestatur. Sunt ergo omnes per Adam, in quo singuli peccaverunt, morti corporis ob illius prævaricationem addicti. Ad priorem ratiocinationem responsum dedimus cap. IX., allato exemplo vestimentorum, calceamentorumque, quæ in deserto plurium annorum spatio non sunt obtrita, atque Henochi, & Heliæ, quorum corpora nondum senectute contabuerunt. Ita metuendum non erat, ut Adam habens de ligno vitæ stabilitatem *senectute gravaretur, & paulatim veterascendo perveniret ad mortem*. Pari jure de impendentibus periculis est discurrendum. Ut enim per interiorem gratiam, *nullis agitabatur perturbationibus animi*, ita per gratiam externæ protectionis *nullis corporum lædebatur incommodis*. Legendus Augustinus lib. XIV. de Civ. Dei cap. 10. Sed de corporis morte satis.

DE IGNORANTIA.

Plenitudinem scientiæ, & clarissimam summi veri revelationem, quæ futura erat merces perseverantiæ, utique homo in prima conditione non habuit. Illuminatus tamen fuit, ut bene ac sapienter vivere posset, & Deo per liberum arbitrium adhærere, ea prorsus ratione, qua de Angelorum mente dictum est lib. X. cap. 19. Quare non poterat homo decipi, & errare invitus, nec *Diabolus eum cepisset, nisi jam ille sibi placere cœpisset*, inquit Augustinus XIV. de Civ. Dei cap. 13. Nunc plura a nobis ignorari etiam eorum, quæ ad nos spectant, experientia compertum est. Hanc ignorationem naturalem esse, non pœnam peccati, audebant asserere Pelagiani, apud S. Patrem lib. de Dono Persev. cap. XI. & in I. de Peccatorum meritis cap. 36.

PROPOSITIO. Ignorantia & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suæ, & qua approbat falsa pro veris, ut erret invitus, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.

Ita Augustinus citato loco, & in III. de lib. arbitrio cap. 18. in I. Retractat. cap. 9. in VI. adversus Julianum cap. 16. & in Enchiridio cap. 24. Cujus argumenta sunt: quia ignorare est malum, per quod a nescientibus innumera perpetrantur mala, & cujus caussa animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. At malum nequit esse naturalis conditio, sed est pœna peccati. Itaque ignorantia, & difficultas, sine quibus nullus hominum nascitur, supplicia sunt, non primordia naturæ. Rursus quia sanat Gratia Christi vulnera propter peccatum inflicta, & ignorantia minuitur veritate magis magisque lucente, concupiscentia vero animi caritate magis magisque fervente: & ideo Pelagiani gratiæ Christi necessitatem negabant, propterea quod fateri nolebant utramque, ignorantiam, & concupiscentiam, pœnam esse peccati: At gratiæ Christi deputanda est tam superne mentis illuminatio, quam inspiratio sanctæ dilectionis. Igitur ignoratio, quæ per hanc illuminationem dispellitur, vulnus nunc est, priorisque damnationis effectus. *Ignorantia* (inquit S. Pater lib. II. de Dono Persev. cap. 17.) *Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, qua hominum adjuvat voluntates*. Vide Christianum Lupum cap. 1. de Opin. Probab. & Card. Norisium in Respons. ad Append. scrup. Anonymi. Accedit depromptum e ratione argumentum: quippe Adam conditus est cum tali potestate, qua bestiis terræ, & ceteris animantibus dominaretur; atque his nomen dedit, eoque, ut ex Hebræorum lingua colligitur, deprehenditur natura singulorum. Illam itaque perfecte noverat. At nunc qualem hominem adinvenies, qui, nisi longo studio sese maceraverit, possit vel domesticorum animalium proprietates dignoscere, easque simplici vocabulo designare? *Sunt ergo revera animæ duo ista pœnalia, ignorantia, & difficultas*. Lib. III. de lib. arb. cap. 18.

Opponés: Adam & Eva a serpente seducti sunt: Ergo priusquam laberentur, ignorarunt dolos in seductoris interrogatione latentes.

Respondetur, Evam a supplantatore fuisse in fraudem deductam, postea quam divinitatem singulari animi insolentia affectavit: eam enim aucupaturus hostis versutus, & arti-

ficio

ficio eruditus, illicere ad sapientiæ fastigium curavit; atque ita jam arrogantem & inflatam elusit. *Quando his verbis crederet mulier a bona atque utili re divinitus se fuisse prohibitos, nisi jam inesset menti amor propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio, quæ per illam tentationem fuerat convincenda & humilianda?* Hæc Augustinus libro xi. de Gen. ad literam cap. 30. num. 39. Et xiv. de Civ. Dei cap. 13. *Illud itaque malum, quo cum sibi homo placet tamquam & ipse sit lumen, avertitur ab eo lumine, quod ei si placet, & ipse fit lumen; illud, inquam, malum præcesserat in abdito, ut sequeretur hoc malum, quod perpetratum est in aperto. Verum est enim quod scriptum est, Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur.* Prov. xvi. 18.

Potest idem affirmari de Adam, nisi mavis asserere, hunc non fuisse deceptum, sed peccasse sociali quadam necessitudine, ut Augustinus explicat memorato libro cap. xi. exemplo Aaron, & Salomonis. Quorum alter populo, ut Idolum aureum conflaret, *non consensit inductus, sed cessit obstrictus*: alter vero, quamquam non crederet Deorum simulacra esse colenda, fuit tamen *blanditiis femineis ad sacrilegia compulsus*. Atque in hanc rem profert S. Pater testimonium Apostoli scribentis in I. ad Tim. cap. II. v. 14. *Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* Hoc tamen Apostolicum testimonium ita quidam interpretantur, quod Adam non fuerit deceptus a serpente. Hortatur enim Paulus mulieres, *ut in silentio discant cum omni subjectione*, ac jubet, ne docere permittantur: cujus monitionis ac præcepti duplicem caussam affert, dignitatis viri, qui primus formatus est; & imbecillitatis mulieris, quam serpens, ut infirmiorem, circumvenit. Quamquam vero Augustinus Adamum a serpente negat supplantatum; nihilominus laqueo erroris implicatum asserit, & *eum fefellit quomodo fuerat judicandum*, forte quod veniale crederet ab uxore commissum, inquit S. Doctor in eodem illo loco. Hujus erroris fontem in exitu præcedentis capitis demonstravimus.

DE CONCUPISCENTIA.

Concupiscere, si vim attendas grammaticalem, idem est, ac *velle*, *appetere*, *cupere*; & definiri potest concupiscentia bonarum æque & malarum rerum appetitus. Hinc in utramque partem, non solum Latini scriptores vocem hanc usurparunt, inter quos Cicero usitata phrasi ait, cum perniciosum aliquid, tum res magnas & maxime expetendas *concupisci*; verum etiam Auctores sacri; inter quos Psalmista bono utique sensu ait: *Concupiscit anima mea in atria Domini*; Jacobus contra, *Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum*. Atque tam de rerum spiritualium, quam sensibilium desideratione vocabulum illud *concupiscentiæ* adinvenitur prolatum. Sed nunc de ea *agimus concupiscentia, qua caro concupiscit adversus spiritum*, inquit Augustinus lib. vi. contra Julianum cap. 18. & quæ est generale vocabulum omnis cupiditatis: *Est enim libido ulciscendi, quæ ira dicitur, est libido habendi pecuniam, quæ avaritia, est libido quomodocunque vincendi, quæ pervicacia, est libido gloriandi, quæ jactantia nuncupatur*, auctore eodem Augustino xiv. de Civit. Dei cap. 15. Proximo tamen capite docet concupiscentiam peculiari ratione appellari, non quamcunque libidinem, sed illam, *qua obscœnæ partes corporis excitantur*.

Nequit ulla concupiscentia reperiri sine anima; *nam concupiscere viventis, & sentientis animæ est*. Non est tamen concupiscentia ipse animæ sensus, sed illud, quod nos habere sentimus; *sicut in passionibus corporis non sensus est morbus, sed ille sensus est, quo nos morbum habere sentimus*: Verba Augustini sunt lib. vi. contra Julianum cap. 14. & 18. In unoquoque autem animi sensu distinguenda est sentiendi vivacitas, necessitas, & libido. *Vivacitas sentiendi est, qua magis alius, alius minus in ipsis corporalibus rebus, pro earum modo, atque natura, quod verum est percipit, atque id a falso magis, minusve discernit. Utilitas sentiendi est, per quam corpori vitaque, quam gerimus, ad aliquid approbandum, vel improbandum, sumendum, vel rejiciendum, appetendum, vitandumque consulimus. Necessitas sentiendi est, quando sensibus nostris etiam quæ nolumus ingeruntur. Libido autem sentiendi est, quæ nos ad sentiendum sive consentientes mente, sive repugnantes, appetitu carnalis voluptatis impellit.* Hæc est concupiscentia, de qua agimus. Julianus ista quatuor invicem confundebat, sed distinguenda esse demonstrat S. Pater lib. iv. cap. 14. allatis sensuum omnium experimentis. Inter quæ ingeniose observat etiam Virgilium nulla imbutum fide, divinaque scientia inter famem unde oritur edendi necessitas, & libidinem sive intemperantem appetitum epularum posuisse discrimen; dum enarrans frugalem Æneæ ac sociorum refectionem post naufragii pericula, in viii. Æn. libro ait:

Postquam exempta fames epulis, mensæque remotæ.

De regio autem, splendidoque convivio, quo ab Evandro postmodum fuerunt excepti, inquit Poeta:

Postquam exempta fames, & amor compressus edendi.

Ex quibus constat concupiscentiam non esse appetitum sensitivum aut rationalem duntaxat, sed appetitum ipsum inordinatum & reluctantem, sive impetum animi, aut sensus ad turpia & immoderata trahentem. *Motibus igitur suis anima, quos habet secundum spiritum, adversatur aliis motibus suis, quos habet secundum carnem: & rursus motibus suis, quos habet secundum carnem, adversatur aliis motibus suis, quos habet secundum spiritum; & ideo dicitur: Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*: ait Augustinus lib. vi. adversus Julianum cap. 14. num. 41.

Ipse tamen motus non est concupiscentia, sed actus ejus; quemadmodum exponit S. P. eodem lib. cap. 19. Quare concupiscentia est prava illa affectio, unde istiusmodi inordinatus motus exoritur. Hinc e Schola nonnulli, quibus consentiunt ex nostris Thomas de Argentina, & Gregorius Ariminensis in distinctionem libri II. tricesimam appellarunt concupiscentiam sensu non malo *morbidam qualitatem*. Est autem morbidum, quod tabe confectum est, & vim habet morbi inferendi, ut morbida pecus, morbidus aer: quod nomen *morbidæ qualitatis* eatenus approbamus, quatenus significatur *qualitatis* nomine, animi, aut corporis habitudo; quæ talis esse potest, etiam carentia prioris temperamenti, uti malam qualitatem dicimus languorem infirmitatis. Nam S. P. Augustinus lib. I. de Nuptiis cap. 25. de concupiscentia scribit, *Affectio est quadam malæ qualitatis, sicut languor*. Atque manifestius xi. de Gen. ad lit. cap. 32. appellat concupiscentiam eodem vocabulo, *morbidam, & mortiferam qualitatem*. Certum est autem, hanc non esse malam substantiam a principio malo productam in homine, ut S. Pater adversus Manichæos non uno in loco demonstrat; quoniam malum nihil est aliud, quam sola a bono deficientia. Importat vero concupiscentia aliquid positivum, videlicet, esse impetum, motumque animi, aut sensus; & aliquid privativum, nempe esse motum non rectum & moderatum. Atque ita facile percipitur quomodo, etsi non est substantia, aut qualitas positiva, inficit, titillat, & inclinat ad malum: quia ut moveat & afficiat habet a vivacitate & natura sensus vel animi, ut afficiat moveatque inhoneste, id nanciscitur a vitio, & privatione ordinis inter carnem & spiritum; quemadmodum ut claudus currat, officium est animalis, sed ne recte incedat, fit læsione atque imbecillitate membrorum. Quamobrem nisi homo infirmus esset, sed inferior pars obtemperaret rationi, nullus impetus animi, aut sensuum foret idem ille, quem libidinem & concupiscentiam promiscue appellamus: habuisset enim homo obedientiam inferiorum membrorum, *quam sua inobedientia perdidit*. Legendus Augustinus lib. xiv. de Civ. Dei cap. 24.

PROPOSITIO: Concupiscentia vitium est inseminatum persuasione Diaboli, naturæ vulnus, & pœna peccati.

Ita definit Tridentinum Concilium sess. v. can. 5. & probatur I. Joannes cap. 2. v. 16. ad Parthos hæc scribit: *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, & concupiscentia ejus.* Apostolus autem ad Romanos cap. vii. v. 23. *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Et ad Galatas v. 17. *Caro enim concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis.* Jacobus etiam cap. I. v. 14. scribit. *Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum.* Ex quibus S. Pater hæc argumenta adversus Pelagianos vibrat. Primo concupiscentia, quam Joannes affirmat a Patre non esse, & cui nos admonet, ut resistamus, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati; munera quippe Dei debemus custodire ac diligere, nec naturam, quæ bona est, exsecrari possumus & odisse: *Quomodo autem Joanni Apostolo obtemperamus, si concupiscentiam carnis diligimus? Respondebis, Non est ipsa, quam laudo. Et quæ illa est, quam Joannes dixit a Patre non esse? Luxuria, inquies. Sed luxuriosi non erimus, nisi istam, quam laudas concupiscentiam diligamus. Ac per hoc nolite diligere carnis concupiscentiam, cum dicebat, luxuriosos nos esse nolebat. Ab hac igitur abs te laudata concupiscentia diligenda prohibemur, quando a luxuria prohibemur: hæc autem, quam diligere prohibemur, non est a Patre. Hæc igitur concupiscentia, quam laudas, non est a Patre.* Aug. lib. xvii. contra Julianum cap. 13. num. 64. Deinde liquet ex Apostolo concupiscentiam cum castitate pugnare: & unum bonum cum altero minime pugnat. At castitatem bonam esse demonstrant sacræ literæ, quæ nos ad eam conservandam hortantur. Oportet ergo, ut carnis concupiscentia sit mala, & homini adhærens ob vitium, non ob naturalem conditionem. *Duo enim bona, quæ a Patre sunt, inter se pugnare non possunt; pugnat autem inter se continentia, & concupiscentia: quid horum a Patre magis esse velis, responde:* sequitur e vestigio Augustinus. Præterea ex præmissis Scripturarum Divinarum testimoniis constat concupiscentiam ad peccatum nos inclinare, eaque, nisi Christi gratia succurrat, arbitrium hominis lege peccati quasi mancipium Diaboli captivari. Sed quod ad peccatum allicit & prolectat, est natura sua malum & pœna; ma-

lum

fum itaque, & peccati pœna est concupiscentia, seu pugnax & lacertosa libido. *Quis autem ita sit imprudens atque impudens, ita procax, pertinax, pervicax, ita postremo insanus & demens, qui cum peccata mala esse fateatur, neget esse malam concupiscentiam peccatorum, etiamsi adversus eam concupiscente spiritu peccata concipere ac parere non sinatur?* Lib. VI. ejusdem adversus Julianum argumenta S. Pater jaculat, quæ operose constringunt eruditi Ordinis Theologi, Norisius in Vindiciis cap. 3. §. 2. Fulgentius Bellelli lib. 3. cap. 14. 15. & 16. Aurelius Piette de Peccato Originali Quæst. 6. aliique complures.

Etsi permulta a Pelagianis objectabantur, possunt tamen omnia ad hæc revocari. Principio, concupiscentiam ad prolis generationem inditam esse ex eo colligitur, quod illa etiam pecudes illiciuntur, in quibus nulla culpa esse potest. Deinde stante etiam integritate naturæ fuisset filiorum propagatio: igitur & concupiscentia. Tum: Si hæc mala sit, damnandæ erunt nuptiæ, quarum officium nonnisi indulgendo libidini exercetur. Præterea nihil est aliud concupiscentia, quam naturalis appetitus, in quo, ut in cibo vel potu usuvenit, solus est culpandus excessus. Insuper etiam peccati pœna aliquod bonum est, non enim est malum peccatorem punire: bona erit ergo concupiscentia, quam contendimus pœnam esse peccati. Postremo concupivit Eva ligni vetiti fructum, de quo comedens prævaricatrix evasit: fuit itaque ante mulieris prævaricationem ipsa libido.

Respondet Augustinus ad primum lib. IV. contra Jul. cap. 5. n. 39. ideo hanc libidinem in belluis malam non esse, *Quoniam non repugnat rationi, qua carent.* Addit de Orig. Peccato cap. 40. tantam excellentiam esse homini comparatione pecoris, *ut natura istius in homine vitium sit.* Subdit lib. IV. Operis imperfecti num. 56. habere animam *asininam*, qui, cum libido sit natura pecoris, *negat in homine pœnam esse.* Ait bruta non inhiare in prægnantes, atque in actus obscœniores; ideoque in homine libidinem longe esse turpiorem, quam sit in belluis. Narrat lib. VI. contra Julianum cap. 14. num. 41. exemplo Calligoni, etiam Eunuchos meretricis amplexibus inquinari, quam turpitudinem in exsectis belluis non offendimus. Quod sequitur de propagatione prolis in statu innocentiæ solvitur lib. VI. adversus Julianum cap. XI. lib. II. de Nuptiis & concupisc. cap. 13. & lib. XIV. de Civit. Dei cap. 23. & 24. dicendo tunc libidinem aut nullam futuram, aut ita subditam voluntati, ut nunquam posset sollicitare nolentem, ita, ut absque noxia cupiditate homo uteretur genitalibus membris, ut modo movet pro lubitu manus, aut pedes. Tertium argumentum in ipsum Julianum retorquetur lib. III. cap. 15. nam cum nuptiæ sint concupiscentiæ remedium, ut fatebatur Julianus, consequitur illam esse *languorem quemdam & morbum*; nemine providente remedium sanitati. In I. autem de nuptiis cap. 14. demonstrat culpabilem non esse generandi intentione concubitum, qui proprie nuptiis est imputandus; has vero illud, quod non pertinet ad se, carnalem videlicet voluptatem, venia dignum reddere propter se. Addit lib. VI. contra Julianum cap. 18. hoc libidinis malo bene uti pudica conjugia, cum eo utuntur generandi caussa, atque illud certa lege refrænant, ne ad alienas mulieres laxatis extra pudorem habenis discurrat. Ad quartum negat concupiscentiam esse naturalem appetitum; nam velle etiam salvum esse, & velle suscipere filios, eosque nutrire & educare naturalis est appetitus, idemque rationis, non libidinis, ut S. Doctor ait lib. II. de Nuptiis cap. 5. quare concupiscentia ad appetitum addit inordinationem, qua rationem antevertit, eique repugnat, ideoque, nisi cum Pelagianis sensuum vivacitatem, libidinemque permixte accipiamus, semper in hac aliquis excessus deprehenditur. Proxima argumentatio exploditur exemplo mortis, & cæcitatis, quæ licet bonæ sint comparate ad Deum juste eas infligentem, quod præstat beneficia indebita subtrahens; nihilosecius peccatori, cui decernuntur, pœna sunt. Ultima etiam eliditur, respondendo præcessisse in Eva malam voluntatem, qua serpenti subdolo crederet, & consectam malam concupiscentiam, *qua cibo inhiaret illicito*; ut scribit Sanctus Doctor lib. IV. Operis imperf. cap. 56. & nos supra diximus Prop. 3. cap. 12. De Concupiscentia, quam in statu naturæ puræ propugnant quamplures Theologi, paullo infra: nunc enim de ea, quam modo experimur, tantummodo verba fecimus.

DE PUDORE NUDITATIS.

Hujus concupiscentiæ etiam pudor nuditatis est invictissimum argumentum: quod cum negare ausus sit post veteres Pelagianos immoderatus Augustinianorum librorum Censor Joannes Phereponus, breviter demonstratur. Etenim Genesis II. 25. de Adam & Eva antequam laberentur, scriptum est: *Erat autem uterque nudus, & non erubescebant*: post transgressionem vero, ut habetur cap. III. 7. *Aperti sunt oculi amborum; cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Atqui non sunt aperti primorum hominum oculi, quasi ante lapsum cæci fuerint, ut supra adversus Ophitas demonstratum est: nec ut viderent interiorem peccati maculam solummodo; quippe ad hanc contegendam nihil conferre poterant perizomata ficus. Itaque aperti sunt, ut erubescerent, turpisque nuditatis afficerentur pudore. *Merito hujus libidinis maxime pudet, merito & ipsa membra, quæ suo quodam, ut ita dixerim, jure, non omnimodo ad arbitrium nostrum movent, aut non moventur, pudenda dicuntur, quod ante peccatum hominis non fuerunt. Nam sicut scriptum est, Nudi erant, & non confundebantur; non quod eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa præter arbitrium commovebat, nondum ad hominis inobedientiam redarguendam sua inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat, &c.* Legito Augustinum lib. XIV. de Civit. Dei cap. XVII. Hinc est quod merito Sanctus Pater ex pudore nuditatis, atque ex eo, quod concubitus feminei, ceterique actus voluptuosi nunquam palam perficiantur, & ingenuus quilibet homo ne turpia verba proferat continetur a verecundia, evincit libidinem malum esse tam hoc ipso loco, quam in altero libro de Nuptiis cap. 5. & contra Julianum lib. IV. cap. 16. & lib. V. cap. 2. Quo in loco etiam hæreticum redarguit, quod ut argumentum ex allatis verbis Geneseos petitum callide eluderet, periaomata idem significare æstimabat ac vestimenta. Verum putide prorsus, ac pertinaciter. Enim vero Græcum vocabulum *περιζώματα*, & Hebraicum חֲגֹרֹת *Hagorod*, Chaldæumque זְרָזִין *Zerazin* idem esse ac subcinctoria, subligacula, & lumbaria, ipsum etymon demonstrat, atque consensio Interpretum universorum.

Objicit Phereponus Animadv. in cap. 13. libri XIII. de Civit. Dei, & in cap. 17. libri XIV. motum aut nullum fuisse in Eva, aut certe minime conspicuum, & qui in eam roborem posset intexere. De nuditate primorum parentum videndos cum alios Interpretes, tum præsertim Joannem Clericum in Genesim: gentes in Africa & America plane nudas incedere, nec olim magis vestitas fuisse, quidquid scriptat in suo Apollonio Philostratus: nuditatis pudorem hinc potissimum natum, quod cum Adam & Eva liberos habuerint, tecti esse debuerunt, ne hi genitalia membra contrectarent, suisque eitius æque abuterentur: mulieres a pubertate tectas esse oportere, ne singulis mensibus oculos fœdum quidpiam offendat: conjugatos quoque nuditati consulere, ne per oculos concitata libidine, optimæ conjugiorum leges violentur. Belle his verbis censorium calamum retrahit: *Sed de his pluribus non agemus, ne in pudorem & ipsi peccemus.*

Respondeat idem Augustinus, ut quisquis videat tam exulcerato animo Phereponum Sancti Doctoris libros legisse, ut tela Juliani jamdiu ab illo protrita nonnisi in sui perniciem tractare præsumat. Itaque S. Pater lib. IV. contra Julianum cap. 13. num. 62. hæc habet: *Quid autem de motu feminæ, cujus & ipsam puduit, inaniter argumentandum putasti? Non utique femina motum visibilem texit: sed cum in eisdem membris tale aliquid sentiret occultius, quale vir senserat, ambo texerunt, quod alterutrum videndo in alterutrum commoti ambo senserunt, & vel unusquisque sibi, vel alter alteri erubuerunt.* Næ peracuta est prior illa Phereponi argutatio, nova, ac peremptoria! Deinde nos Phereponus hortatur, ut adeamus Interpretes, præsertim vero Joannem Clericum, idest seipsum, pro recta intelligentia versus 7. capitis III. Geneseos, quem de nuditate animi, idest, privatione gratiæ, ac peccato intelligendum esse contendit. Sed audiatur Augustinus lib. V. adversus Julianum cap. 2. num. 7. hæc edisserens: *Ubi manifesta res est, scripturæ divinæ sensui nostrum sensum addere non debemus: non enim hoc fit humana ignorantia, sed præsumptione perversa. Adam, & mulier ejus, qui nudi erant ante peccatum, & non confundebantur, mox ut peccaverunt quas partes corporis amicierunt, perizomatum nomine satis evidenter expressum est. Videmus quid texerint: nimiæ insipientiæ est adhuc quærere, nimiæ impudentiæ adhuc negare, quid senserint.* De nuditate itaque corporis, non solius animi, sunt verba Genesis accipienda, & de velamine pudendorum membrorum, quorum motu sentitur turbida ac perversa libido. Atque hæc est omnium fere Interpretum expositio; cui nec repugnat interpretatio eorum, qui docent Adam & Evam aperuisse oculos mentis ad discernendum inter bonum & malum; nam & his assentitur S. Pater XI. de Genes. ad lit. cap. 32. & XIV. de Civit. Dei cap. 17. scribens, se primos parentes cognovisse nudatos illa gratia, qua prios vestiebantur. Quod sane noverunt, quia hac gratia remota, *extitit in motu corporis quædam impudens novitas, unde esset indecens nuditas, & fecit attentos reddiditque confusos.* Joannem autem Clericum, inquit eruditus Auctor librorum de Ingeniorum moderatione lib. III. cap. 3. virum & eruditione & ingenio critico revera celebrem, sed licentia quoque opinandi famosum, adeoque in Sanctos Patres animatum, cum audit; alterum, imo ipsum Phereponum audire te putes. Unde apparet hominis arrogantia, qui non solum Phereponum, idest, *laboris patientem* seipsum nominat, verum etiam præ ceteris sese divinarum scripturarum Interpretem nobis lectitandum proponit. Quod rursus opponitur de caussa pudoris, eadem facilitate ab Augustino retunditur in II. de Nuptiis cap. 5. num. 14. his verbis:

Quare illud opus conjugatorum subtrahitur & absconditur etiam oculis filiorum, nisi quia non possunt esse in laudanda commixtione sine pudenda libidine? Idem dicendum est de adolescentibus, & puellis egressis ex ephebis, ceterisque nuda membra tegentibus: quare, nisi forte ob turpitudinem libidinis, nuditatem suam erubescunt? Sed accedit ad refellendum Phereponum, quod primi parentes consuerant subcinctoria, ac tegumenta verendorum, cum nec filii essent, qui contrectarent pudenda, nec alienæ mulieres, quibus Adam commisceretur, neque caussæ aliæ, quas imprudens Criticus prætexit. Nec minus est portentosum in gentibus Americanis, quod nudæ prorsus incedant, quam quod sint anthropophagæ, & natos, parentesque immaniter cædant: quæ facinora si laudanda sunt, etiam laudanda erit libido; sin minus, neque hæc erit cum moribus summe vituperandis perpaucorum hominum celebranda. Denique & quod vereatur Criticus ne peccet in pudorem, ita ab Augustino carpitur lib. IV. contra Julianum cap. 13. num. 62. *Sed loquens vana petis, ut ignoscant verecundæ aures, & congemiscant potius, quam indignentur necessitati tuæ. Quare petis, ut ignoscatur tibi? Nonne abs te veniæ postulatio etiam ipsa est libidinis accusatio?* Et lib. II. de Nuptiis cap. 9. num. 22. *Quid enim potuit Deus facere, quod ejus prædicatorem pudeat dicere?* Ita Augustinus fregit in Pelagianis Phereponi audacissimam temeritatem. Hæc de pudore nuditatis primorum hominum, quorum oculi, *ad discernendum inter bonum quod amiserant, & malum in quod ceciderant*, aperti sunt;

Quosque aluit misero fallax insania pomo,
Vestivit folio: sæva quos arbore nudos
Reddidit, hos gravius tenui de cortice texit,

Alcimus Avitus lib. 3.

DE TUNICIS PELLICEIS,

Ad tegendam femorum nuditatem perizomata ficus sibi primos homines consuisse, Deumque eis addidisse tunicas pelliceas divina narrat Historia. Has tunicas Origenes esse putat ipsum mortale corpus ob prævaricationem præteritam interitu conficiendum. Hunc allegoricum sensum etiam Augustinus comprobat in II. de Genesi contra Manichæos cap. 21. dicens: *Ipsi enim fecerunt præcinctoria de foliis fici, & Deus illis fecit tunicas pelliceas; idest ipsi appetiverunt mentiendi libidinem relicta facie veritatis, & Deus corpora eorum in istam mortalitatem carnis mutavit, ubi latent corda mendacia.* Pro qua Origeniana sententia stare videtur evidens ratio; non enim decebat Deum lanium fieri, mactare animalia, & pellium esse sutorem. Cum etiam bina cujusque *speciei* animantia produxerit, & nihil novi condiderit die sexta transacta; inverisimile est aliqua deglubisse, uno bestiarum genere perdito.

Verumtamen affirmandum est, vere Adamo & Evæ *Tunicas* e pellibus consutas Deum fecisse: non enim alium sensum patiuntur hebraica nomina כָּתְנוֹת עוֹר *Catnod-hor*, quæ significant vestimenta ex pelle bestiis detracta: nec sine caussa in historiis a literali sensu est ullatenus recedendum. Cui sane non adversatur Augustinus, qui XI. de Gen. ad lit. cap. 39. n. 52. scribit: *Hoc significationis gratia factum est, sed tamen factum.*

Ad rationem prædictam, quæ videtur confirmare Origenianum errorem, responderunt veteres Rabbini fuisse pelles, quas stato tempore serpentes abjiciunt; sive animalia adhuc viventia sponte, Dei jussu, se pellibus expoliasse; aut forte *pellium* nomine significari pilos, vel lanam. At hæc partim fictitia sunt, partim aspera & contorta; partim quoque temporis angustiæ, & necessitati convenire non possunt. Procopius Gazæus Comment. in Genesim putat hujusmodi pelles vel productas ex nihilo, vel per conversionem præexistentis materiæ, ipsa die sexta post Adæ lapsum, & die ad vesperam inclinante. Torniellus tom. I. Annal. p. 102. scribit tunicas ab ipso Adamo, Deo inspirante, fabrefactas, nec Deum, sed hominem animalia occidisse. Factum id ministerio Angelorum, scribunt Abulensis, a Lapide, Salianus, alii. Ego non video, cur teneamur asserere, Deum ex animalibus singulis bina tantum creasse, cum hæc inter non sit, quomodo in hominibus, dominium ac regimen, cui dependentia ab uno necessaria est; aut si bina fuerint producta, non potuerint, antequam mactarentur, ad *speciei* conservationem feminas gravidare. Ut ut sit, falsum est, quod de primis hominibus scribit in quinto Lucretius;

Necdum res igni sciebant tractare, nec uti
Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum.

CAPUT XIV.

De Adami resipiscentia, ac salute.

TATIANUS Syrus auctor Orationis ad Græcos editæ circa annum vulgaris Aeræ 172. Marci Aurelii Imp. XII. primus omnium Adami saluti contradixit, ut Irenæus scribit lib. I. cap. 38. olim 30. & verbis Irenæi Eusebius H. E. lib. IV. cap. 29. Et doctissimus quidem Valesius Irenæi verba reddidit, *Nova præterea argumenta ad subvertendam Adami salutem excogitans*, quibus videtur Tatianum non fuisse hujus erroris auctorem, sed in Græcis habetur, *τῇ δὲ τοῦ Ἀδὰμ σωτηρίᾳ παρ' ἑαυτοῦ τὴν ἀντιλογίαν ποιούμενος*, idest, *Adami autem saluti ex seipso, ingenioque suo contradictionem faciens.* Post Tatianum damnationem Adæ asseruerunt Encratitæ, sic nuncupati *ἀπὸ τῆς ἐγκρατείας, a continentia*, quod nuptiis adversarentur; unde diversi non fuerunt a Marcionitis, ut recte eo loco Eusebius. Hi & Severiani dicti sunt a Severo quodam Tatiani discipulo, de quo Nicephorus lib. IV. H. E. cap. 4. & lib. I. Hæretic. fabul. cap. 21. Theodoretus.

Revocavit in dubium salutem Adæ, non tamen inter damnatos illum connumeravit Rupertus Abbas Tuitiensis, qui floruit sub initium sæculi XII. Illum aliqui benigne excusant, quasi aliorum sententiam, non propriam exposuerit. Verum etsi Rupertus temeritatis notam inurit iis, qui temere quæstionem hanc, subscribentes Encraticis, finirent; nihilo tamen minus postea quam dubitationis suæ caussas attulit, nulla pro Adamo producta, pergit rotundis quadratisque verbis: *Salvatio ejus, & a multis libere negatur, & a nullo satis firmiter defenditur.* Excusandus potius Rupertus, quod non satis ei constaret de auctoritate libri Sapientiæ, de qua olim dubitarunt nonnulli: nullo enim alio divinæ Scripturæ testimonio salus Adæ apertissime comprobatur. Id tamen Tatiano, asseclisque minime suffragatur; quoniam hi non in ancipiti dubitatione prudenter versati sunt, sed temere in protoparentem damnationis sententiam pronunciaverunt. Nunc autem ob memorati libri certam divinamque auctoritatem, atque ventilatam traditionem Majorum, neque fas est judicium suspendere.

PROPOSITIO: Adam patrati criminis pœnituit, & salutem æternam est consecutus.

Demonstratur primo ex cap. X. Sapient. v. 1. & 2. *Hæc illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus custodivit, & eduxit illum a delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Deinde probatur Traditione PP. Irenæus in III. adversus Hæres. cap. 34. plura contra Tatianum argumenta producit, de quibus infra. Fuit autem Irenæus huic hæretico synchronus, atque strenuissimus Adversarius. Sæculo 3. damnarunt hunc errorem Tertullianus lib. II. contra Marcionem cap. 25. & Origenes hom. 35. in Matthæum. Proximo sæculo Eusebius loco citato, Athanasius libro de Passione & Cruce Domini, Hilarius in Matthæum Canone VIII. Gregorius Nazianzenus Oratione XVIII. de laudibus Cypriani. Postremo Patres ac Theologi universi, quorum ductor, & columen Augustinus Epistola ad Evodium 99. nunc 164. cap. 3. ait: *Et de illo quidem primo homine patre generis humani, quod eum ibidem solverit, Ecclesia fere tota consentit: quod eam non inaniter credidisse credendum est, undecunque hoc traditum sit; etiamsi Canonicarum scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas. Quamquam illud quod in libro Sapientiæ scriptum est, Hæc illum, qui primus factus est, patrem orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum a delicto suo, & dedit ei virtutem continendi omnia, magis pro hac sententia, quam pro ullo alio intellectu facere videatur.* Collegerunt testimonia Patrum Bellarminus lib. III. de Amiss. gratiæ cap. 12. Turniellus ad an. m. 930. num. 9. Pererius lib. 7. comment. in Genes. Nat. Alex. dissert. XVII. sæc. 2. Sam. Andreas, & alii; itaut nullus plane tam ex Catholicis, quam ex Protestantibus neget, de salute Adæ universos, Tatianis exceptis, convenire. Unum addo quod alii prætermiserunt, in Litaniis, quibus utitur Clerus S. Mariæ Majoris Romæ, legi: *Sancte Adam, ora pro nobis.*

His ego pro definiendo dogmate contentus ero: nam ubi constat de auctoritate literarum Sanctarum, & de consensu antiquorum, necesse non est ad humanam rationem confugere. Irenæus tamen hoc etiam telo petit Tatianum, & salutem Adami demonstrat primo, quia sententia Tatiani nova est, ab eo conficta, & in parentes impia & injuriosa. Insuper, quia Deus non maledixit Adam & Evæ sicut serpenti; imo illos ad resipiscentiam invitavit, & eis veniæ salutisque spem dedit, facta promissione Christi Redemptoris: per quem mulier Ecclesiæ, ac Deiparæ typus debebat serpentis caput conterere. Deinde quia in signum pœnitentiæ se asperis perizomatis induerunt. Ulterius, quoniam Pastor non invenisset ovem perditam centesimam. Postremo, quia Diabolus gloriari posset, se a Christo non fuisse devictum, si primi parentes non fuissent ab ejus captivitate liberati. Pareus adversus Bellarminum, qui memorato loco hæc argumenta ex Irenæo produxit, tertium de perizomatis, & alterum de ove centesima parum firmum judicat, cum responderi posset, perizomata illa propter nuditatem fuisse consuta, hanc vero ovem significare quemvis peccatorum resipiscentem: cetera esse probabilia fatetur. Verum Irenæo assentitur etiam Ambrosius lib. de Parad. cap. 13. nec opus est, ut sint omnia prorsus invicta & palmaria. His accedunt conjecturæ aliæ, quod Adam & Eva Christi & Ecclesiæ typum gesserint, quod ab illis Abel sacrificiorum rationem, Deique cultum fuerit edoctus, & quod una cum Christo a mortuis surrexerint, ut Patres nonnulli tradiderunt.


Valde probabilem de salute Adæ fidem facit traditio de sepultura ejusdem Adæ eo ipso loco, in quo crucifixus est Dominus. Cujus traditionis, ut mittam quæ citari solent ex libro II. Carminum contra Marcionem, & ex Augustini sermone 71. de Temp. nunc 6. Append., quæ, etsi spuria habentur a Criticis, comprobant tamen antiquorum temporum opinionem; locupletissimos testes laudare possumus Cyprianum Tract. de Resurrect. Christi, Origenem hom. in Matthæum 35. Epiphanium lib. 1. adversus hæreses, Jo. Chrysostomum hom. 84. in Joannem, & alios plures laudatos a Bellarmino, & a Hyacintho Serry Exercit. 56. n. 5. & in Prologo Galeato operum Melchioris Cani cap. 5. & a Toleto Annot. 12. in cap. 19. Joannis, &c. Qui omnes tradunt Christum mortuum super Adæ sepulcrum, ut is salvaretur divini sanguinis aspersione.

Erit, qui reponat, S. Hieronymum Comment. in cap. 27. Matthæi hanc traditionem rejicere, quod in Jesu filii Nave volumine legatur Adam sepultum juxta Hebron, & Arbee, & Calvariæ locum dictum sit a capite decollatorum, uti asserunt & Beda, & Paschasius, & Doctor Angelicus 3. p. q. 47. art. 10. Magnus enim Hieronymus de hac traditione scribit: *Favorabilis interpretatio, & mulcens aurem populi, nec tamen vera*. Et ad 5. caput Epist. ad Ephesios: *Hec utrum vera sint, nec ne, lectoris arbitrio derelinquamus*. Remanet tamen satis firma, aut saltem non refutata, illa de busto Adæ sententia; propterea quod Hebræorum opinio de Adamo sepulto in Hebron, nequit ex libro Josue confirmari, ut aperte me demonstrasse confido in prima secundi capitis propositione. Imo vera esse potest utraque simul sententia, nuncupatum Golgotha a cranio Adæ, & a cervicibus decollatorum. Cum debita ergo Hieronymo reverentia, ad partes aliorum accedimus; maxime quod ipsemet in Epistola, quam ad Marcellam dedit nomine Paulæ & Eustochii, quæ est inter familiares lib. 2. ordine septima, est pervetustæ traditionis adstipulator. In ea siquidem Epistola hæc de Hierosolyma habet: *In hac urbe, imo in hoc tunc loco, & habitasse dicitur, & mortuus esse Adam: unde & locus, in quo crucifixus est Dominus noster, Calvaria appellatur, scilicet quod ibi sit antiqui hominis Calvaria condita: ut secundi Adam, idest, Christi sanguis de cruce stillans, primi Adam, & jacentis protoplasti peccata dilueret, & tunc sermo ille Apostoli compleretur: Excitare qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus*. Itaque Scripturæ divinæ testimonio, consensione Patrum, & conjecturis plurimis, quarum aliæ probabiles sunt, aliæ prope certæ, tollitur omnis hæsitatio circa resipiscentiam Adami, circa quam pauci fuerunt ancipiti cogitatione distracti.

CONTRARIA OBJECTIO DILUITUR.

Sed ita argumentaberis. Salutem Adæ nec scriptura, nec traditio, nec aliqua ratio potest comprobare. Non scriptura: nam, ut Rupertus ait, liber Sapientiæ de Canone non est, & majori libertate parvipenditur, quam suscipitur, quia quando, vel ubi Adam peccatum suum agnoverit, non ostendit. Amplius autem quod dictum est, *Et dedit illi virtutem continendi omnia*, nullum certum sensum præsentat, quia præter unicum Dominum Jesum Christum nullus est homo tali virtute præditus. Adde legi in pluribus codicibus: *Et eduxit illum de limo terræ*, non, *a delicto suo*. Præterea Apostolus in 1. ad Corinth. xv. 22. novum Adam opponit veteri; ut ergo in illo omnis salus, ita in vetere Adamo est omnis punitio, & damnatio. Rursus idem Apostolus ad Hebræos xi. 4. Ecclesiam fidelium non ab Adam, sed a filio ejus Abel exortam ostendit. Ex Scripturis igitur salus Adæ nequit evinci. Sed nec ex traditione. Etenim Rupertus, ut dictum est, circa eam pendet animo: Bernardus in libro de modo beate vivendi scribit: *Adam in infernum cecidit, quia inobediens fuit*: Et Gelasius Papa librum, qui inscribitur, *Pænitentia Adæ*, inter apocryphos amandavit. Ratio autem æquitatis postulat, ut ex quo Deus non pepercit angelis peccantibus, nec veniam daret homini, quem conditione inferiorem paribus beneficiis ornaverat. Scripturis itaque, auctoritate, & ratione Adæ oppugnatur.

Resp. falli Rupertum, qui a Canone divinarum scripturarum expungit librum Sapientiæ: in quo retinendam esse Vulgatæ lectionem, constat ex Græcis, Romanisque Codicibus, & ex Patribus, qui legerunt, *a delicto suo*, ut supra vidimus in Augustiniana ad Evodium Epistola. Ea autem verba, *Et dedit ei virtutem continendi omnia*, non plenissimam potentiam, sed dominium ac regimen demonstrant rerum terrenarum; cum sit in græco *κρατῆσαι πάντων*, *omnibus dominari*. Cœpisse Adæ pœnitentiam ex quo dominicæ sententiæ cervicem inflexit, & rudibus brutorum pellibus contextus vitam miserrimam egit, pie, & probabiliter credimus. Apostolum in Epist. ad Corinth. agere de morte & resurrectione corporum, diximus capite præcedenti; quamquam & in hoc novus Adam opponitur veteri, quod unus gratiæ, alter peccati sit auctor: sed tamen ad Rom. v. 14. appellatur primus Adam *τύπος τοῦ μέλλοντος forma futuri*. In Epistola autem ad Hebræos fideles præcipue laudantur, qui fidei caussa aut mortem perpessi sunt, aut futurorum promissionem singulari mysterio acceperunt; quorum utique primus est Abel. De Ruperto non opus est plura edisserere. Liber de modo bene vivendi non est genuinum opus Bernardi, ut demonstrat Bellarminus de Script. Eccles. an. 1130. e stylo, & inscriptione ad Sororem virginem: & præterea possunt verba, quæ inde objiciuntur, ad solum reatum, & meritum damnationis referri. Gelasius certum librum, non pœnitentiam Adami reprobat; ut dum declarat apocryphos, qui inscribuntur, *De Infantia, & de Nativitate Salvatoris*, derogat librorum auctoritati, non autem substantiæ rerum gestarum. Adamo denique, non Angelis Deus pepercit; sive quod ille fuerit imbecillioris naturæ, ut Gregorius docet lib. iv. Moralium cap. 9. & Damascenus lib. II. cap. 3. sive quia Dominus beneficiorum suorum Angelos justo judicio, hominem misericordiæ decreverat reservare. Pro quo maximo benefacto, aliisque innumeris, quibus nunquam non afficimur, inter quæ & illud connumerandum est, quod finem attigerim hujusce libri, Deo patri misericordiarum gratias refero.



PRÆCEDENTIS LIBRI XII.

ADDITAMENTUM,

In quo de statu naturæ, quam puram vocant, disquiritur.



ON sine caussa, ubi dissertandu de variis Theologicæ doctrinæ capitibus incidit disputatio mea in dubia quædam, quæ circa statum hominis in nulla supernaturali gratia, atque in nullo peccatu constituti versantur, abstinoi a sententia dicenda, ne magnam hinc Doctorum multitudinem irritarem, inde vero Sodalitii nostri scriptores mihi facerem adversarios. Noveram enim tamquam Baji, & Jansenii gregales illos passim traduci, qui statum naturæ, quam *puram* vocitant, repugnare arbitrantur; & ex adverso haberi a plurimis Augustini desertores, qui possibilem adstruunt. Proferre autem sententiam, quasi temere aleam jacere nolui, ratus me lectori operam haud inutilem locaturum, si dubia ipsa juxta utramque opinionem dissolverem. Jam vero ne surda aure utrinsque argumentationes prætercam, in hac quæstione me continebo aliquantulum, illamque rationem suspendendi judicium, cur hactenus servaverim, demonstrabo, ita tamen, ut a nostratibus dispellam errorum damnatorum nubeculas, & modeste aperiam quid possit a nobis majori probabilitate defendi. Illud tantom præmittendum est, eam appellari a Theologis *naturam puram*, in qua præter naturales proprietates nihil ei superadditum esset, nullum videlicet supernaturalis gratiæ beneficium, nullumque vitium; haberet tamen illa naturales defectus, qui ex animæ aut corporis constitutiune proficiscuntur, & esset obnoxia fami, siti, morti, & languoribus ex pugna elementorum exorituris.

CAPUT I.

Doctorum, qui statum puræ naturæ censent esse possibilem argumentationes præcipuæ.

ITAQUE status *puræ naturæ* possibilitatem Theologi hisce argumentis stabilire nituntur. Romani Pontifices Pius V. an. 1567., & Gregorius XIII. anno 1579. damnarunt constitutionibus suis sequentis Michaelis Baji Decani Academiæ Lovaniensis propositiones: *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio: Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur: Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio: Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari, & institui sine justitia originali:* quæ sunt inter alias ab Apostolica Sede proscriptas urdine vicesima sexta, quinquagesima quinta, septuagesima octava, & nona. In quibus apertissime eorum sententia reprobatur, qui naturæ puræ impossibilitatem defendunt. Nequit ergu salva fide ac religione opinio hæc sustineri.

Hoic argumento respondent contrariæ sententiæ patroni, Baji propositiunes nun esse omnes absolute hæreticas, sed alias pruptet acre in aliorum opiniones judicium, & nimiam in vellicandis Doctorum sententiis arrogantiam, alias vero respective, & in sensu ab assertoribus intento fuisse damnatas. Quod Gabriel Vasquez in 1. 2. disp. 109. cap. 18. probat ex verbis, quæ recensitis propositionibos Baji in Bulla Romani Pontificis subjunguntur: *Quas sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo modo sustineri possent, in rigore tamen, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respective, & quæcunque super iis verbo, scriptoque emissa præsentium auctoritate damnamus.* Ex qua damnatione, addit Vasquesius, non satis apparet, qualis unicuique propositioni censura sigillatim conveniat; nec prædictis propositionibus omnibus illas notas & censuras simul, sed singulatim convenire, hoc est singulas singulis tribuendas esse, ex prædictis verbis aperte constat. Nec poterat Vasquesius rem ignorare, qui de articulis Bajanis sermonem frequenter habuerat cum Francisco Cardinali Tuleto, qui in hac caussa Lovanium fuerat delegatus. Hæc non solum Theologi nostri confirmant, Cardinalis Norisius in Vindiciis cap. 3. §. 2. Fulgentius Bellelli lib. 3. cap. 27. Lafosse tom. 3. q. 1. §. 11. & alii, verum etiam Vincentius Contensunus Thomista doctissimos tom. 1. lib. VIII. dissert. 1. cap. 1. §. 1. celeberrimus Estius in 2. dist. 25. §. 6., qui laudat etiam declarationem Facultatis Theologicæ Lovaniensis, Natalis Alex. in Historia Eccl. tom. VIII. cap. 2. art. 14. aliique propemodum innumeri.

Quibus præmissis respondent propositionem illam vicesimam sextam merito esse damnatam, quoniam integritas primi hominis complectitur gratiam, quæ huminem rectum & justum constituit; quam certissimum est non esse naturalem conditionem, sed Dei beneficium. Id vero manifestum est, inquit Estius, ex articulo vicesimo primu præcedenti, atque ex doctrina Auctoris in eo capite, unde propositio transcripta est. Et Gonet alteram propositionem ita recitat; *Deus non potuisset creare hominem, qualis nunc nascitur, idest destitutum justitia originali, & gratia sanctificante.* Itaque comparate ad hunc capitalem errorem Baji, memorati articuli damnati sunt. Falsi sunt etiam, propterea quod Bajus naturæ rationalis integritatem, justitiam, & partis inferioris subjectionem, naturæ proprietatem, non gratiæ beneficium commentus est, & *naturam puram* non impossibilem esse, sed actu a Deo conditam autumavit. Nostri autem Theologi ea omnia gratiæ deputanda esse fatentur; quamquam spectata decentia oportuerit rationalem creaturam hujusmodi gratia fulciri. Sunt etiam articuli illi scandalosi, & hæretici relate ad propositionem 74. in qua Bajus in errorem Lutheranurom condemnatum a Tridentina Synodo miserrime prolapsus est, asserens concupiscentiam esse peccatum. Quare Norisius: *Longo intervallo*, inquit, *a damnata sensu distamus, non enim dicimus, Deum non potuisse condere hominem cum concupiscentia rebelli, quod illa sit formaliter peccatum, sed quia licet ipsa peccatum non sit, est tamen ad peccatum inclinans, & quidem vehementius, quam quilibet alius habitus vitiosus ab homine contractus.* Addit Scriptor clarissimus juxta amplam propositiunum illarum expressionem, consequi posse Deum hominem condere cum originali peccato, cum quo modo nascimur, quod sane absque impietate affirmare non possumus.

Cardinalis Aguirre Tom. 3. Theologiæ S. Anselmi Tract. v. disp. 106. sect. 4. ait responsionem Norisii asserentis propositionem Baji LV. damnatam respectu prop. LIV. nullum fundamentum habere: subdit quam facillime explodi, cum certum sit Bajum, sicut & olim Pelagium nunquam putasse Deum non potuisse creare hominem cum concupiscentia rebelli, quæ sit *formaliter* peccatum, sicut exploratum ipsi erat non potuisse condere hominem in statu peccati. Solum ergo (inquit) negavit Bajos huminem potuisse condi a Deo cum concupiscentia rebelli, in qua modo nascimur, & quæ ad peccatum alliciat. Idem Aguirre scripserat supra sect. 2. cap. 16. quod Norisius ait articulum illum damnatum ob censuram, quam Bajus jaculatur adversus Theologos sentientes oppositum: &, quod caput est, Norisium tueri propositionem Bajanam, ut jacet, scribit Bruno Neusser in Prodromo Velitari p. 1. cap. 5.

Verum hæc retunderet Norisius noster, eaqoe repeteret, quæ scripserat ulim ad Germanitatem v. sub nomine Aonibalis Ricci. Ubi adversus Parallelistam demunstrat se in Vindiciis diserte affirmavisse Propositionem Baji qoinquagesimam quintam merito damnatam esse, non quod offendicolo pateret, quemadmodum lib. III. cap. 23. inquit Jansenius, neque ob illatam Pelagianæ hæreseos ceteris Theologis nutam, tametsi hæc nonnullis articulis Baji convenire bene sapienterqoe Norisius animadvertit; sed damnatam jure meritoque relate ad vicesimam septimam, in qua gratia sanctificans, humanæ naturæ exaltatio, & integritas prima appellatur a Bajo naturalis conditio, non beneficium divina superadditum largitate. Unde vides & qoo fundamento Norisius nitatur, & Adversatiorum suorum, saltem Brunonis Neusser, malam fidem. Quod vero addit Aguirre damnatum Bajum propterea quod negaret possibilem statum, in quu inesset homini concopiscentia rebellis; non soli Norisio Bajani erroris calumniam impingit, sed iis omnibus, qui licet statum puræ naturæ arbitrentur possibilem, concupiscentiam tamen rebellem ab illu statu removendam apertissime doceut, propterea quod sit intrinsece mala: ut defendunt Petrus Aoreolus, Gregorius de Arimino, Martinus de Esparza laudati in Vindiciis Norisianis, atque cordati Theologi plures, inter quos Nicolaus L'Herminier Tom. 4. pag. 56. præmittens ad hujus quæstionis solutionem, nullam fore in statu naturæ poræ rebellionem carnis adversus spiritum, sed excitandos duntaxat motus partis sensitivæ, non quales nos post Adæ lapsum titillant, sed qui præcise ad naturam huminis pertinerent. At de Concupiscentia hac rebelli posthac iterum.

Ad evincendam præterea possibilitatem *naturæ puræ* producunt Theologi celebre Augustinianum testimoniom ex

lib.

lib. I. Retractat. cap. 9. *Quamvis ignorantia & difficultas, etiamsi essent homini primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus, sicut in eodem tertio libro* (idest de libero arbitrio cap. 20. & 21.) *disputavimus*. Quæ verba repetit S. Pater de Dono Perseverantiæ cap. XI. Itaque Augustinus possibilem illum statum aperte declarat, in quo difficultas & concupiscentia, atque ignorantia essent naturæ primordia, non vitia, suppliciumque peccati.

Occurrunt adversæ partis Theologi, Augustinum revincere Manichæos ex illorum hypothesi; nam adversus Manichæos illam disputationem tertii de libero arbitrio libri se habuisse testatur eodem loco Retractationum, nec non de dono Perseverantiæ. Erat autem supinus Manichæorum error, dati caussam supremam cujusque mali effectricem: quod suadere conabantur ex rebelli concupiscentia, & ignorantia inditis rationali naturæ. Utramque malam esse, & vitium ad turpia propellens, Augustinus, & Manichæi simul fatebantur, cum hoc tamen discrimine, quod hi asserebant malam esse substantiam, & Augustinus fœdam discordiam ex prævaricatione primi hominis derivatam. Hæc ex lib. V. Operis Imperf. contra Julianum cap. 30. satis manifesta sunt. Cum ergo Augustinus ubique concupiscentiam malam esse profiteatur: quomodo disputandum illi erat adversus cum Pelagianos, qui ei objiciebant Manichæorum errores, quasi cum iis assereret carnis concupiscentiam esse substantiam diabolicam, tum contra Manichæos ipsos, quibuscum circa hujus vitii turpitudinem quodammodo sentiebat? Et Pelagianos quidem retundit, demonstrans locupletissimis Scripturarum testimoniis pertransisse in omnes homines maculam originalem, cujus pœnæ sunt cæcitas mentis, carnisque lacertosa libido, quas non esse Dei opera, sed vitia peccato contracta argumentis supra productis evincit. Adversus autem Manichæos, qui & veteris Testamenti auctoritatem rejiciunt, novumque pro suo quodam privilegio, imo sacrilegio depravant, ac mutilant, quid consilii erat illorum debellatori Augustino ineundum? Eos undequaque vellicat, & exagitat. Necesse est, inquit, unam ex his hypothesibus admittamus, vel animam venire ex parentum propagine, vel singulis nascentibus novam dari, vel divinitus in corpora mitti alicubi jam existentem, aut in ea suapte sponte dilabi. Porro in nulla harum hypotheseon Deus foret auctor peccati. Et in prima quidem, tertia, atque ultima satis liquet: tunc enim ignorantia excæcans turpisque libido, aut vitiatæ propagini, aut corpori, quod de pœna peccati, hoc est, de mortalitate primi hominis nascitur, aut liberæ voluntati, qua animus sese in hanc miseriam devolveret, esset attribuenda. Quod si infundatur corpori, cui naturalis esset utraque pœna, ignorantia & libido, & hæc talis esset proprietas naturæ, ut sine ea creari non posset homo constans animo, & corpore, quomodo visum est Manichæis; esset tamen laudandus Creator, & non culpandus, quoniam hæc naturalia primordia, sine quibus in hypothesi Manichæorum non potest homo produci, non ei pro crimine objicerentur, neque homini deesset gratiæ facultas, per quam posset hanc ignorantiam & difficultatem studiose reprimere, atque inde ad veritatem proficere. Hæc Augustinus in III. de libero arbitrio cap. 20. 21. & 22. Ex quibus facile infertur, hypothesim, quam disputandi caussa contra Manichæos S. Pater admittit, non esse hypothesim *puræ naturæ*, sed alteram, in qua cum ignorantia, & concupiscentia inhærente homini naturaliter, adesset & adjutorium eas reprimendi. Atque hæc est responsio nostrorum: nam quod regerunt Jansениani, in hac hypothesi Augustinum supponere originale peccatum, vel animam venire ex propagine, aut quæ scripserat de libero arbitrio postmodum retractasse, sunt inanes elusiones, & manifesta præmissarum hypotheseon confusio.

Insistit Franciscus Macedo Collatione in III. partem IV. sect. 3. & Tournelius de Grat. Christi pag. 38. Augustinum hypothesim status naturæ puræ evidentet probare. Scribit enim in III. de lib. arbitrio cap. 20. num. 56. *Si ergo anima altera esse cœpit non solum ante peccatum, sed etiam ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet, unde creatori suo gratias agat: quia ipse ortus ejus, & inchoatio quovis perfecto corpore est melior. Non enim mediocria bona sunt, non solum quod anima est, qua natura jam omne corpus præcedit, sed etiam, quod facultatem habet, ut adjuvante creatore seipsam excolat, & pio studio possit omnes acquirere, & capere virtutes, per quas & a difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur.* Datur ergo (inquit Macedo) concupiscentia, quæ non sit pœnalis, nec ad peccatum inclinet. Cui similia ait Tournely citato loco.

At falsa est hujusmodi consecutio. Hoc enim testimonio, quod invictissimum putant, constat Augustinum loqui de libidine cruciante, de ignorantia excæcante; de illa eadem ignorantia & libidine, qua altera anima afficeretur post vitam culpabilem. Has vero si quis autumat non esse suapte natura vitiosas, legat paullo supra cap. 18. n. 52. ea verba Augustini: *Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia & difficultas. Ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, & resistente, atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* In hypothesi autem, quod pœna non essent, sed naturalia primordia, adhuc laudandus esset Deus, quoniam homo facultatem haberet, ut *adjuvante Creatore* omnes virtutes acquireret, & ex ipsa naturali ignorantia, & difficultate auxilio gratiæ proficeret.

Reponunt Adversarii, Augustinum per ea verba *adjuvante Creatore* nullam gratiam ordinis supernaturalis intellexisse, cum statim addat: *Non enim parum est accepisse naturale judicium, quo sapientiam præponat errori, & quietem difficultati, ut ad hæc non nascendo, sed studendo perveniat.* Ceterum quis dixerit S. Patrem, qui passim adversus Pelagianos disputans repetit ex hac ignorantia *cæcante*, & difficultate *cruciante* necessitatem gratiæ effectricis, existimasse, posse absque ulla gratia supernaturali, solo naturali lumine has separari? Gratiæ itaque supernaturalis non meminit, quod non de Gratia contra Pelagianos, sed de natura mali contra Manichæos disceptaret. Quare hoc idem Augustino Pelagianis objicientibus, quod in libris de libero arbitrio concupiscentiam & ignorantiam naturæ inditas propugnasset, respondet de dono Persev. cap. XI. & XII. se illam disputationem habuisse contra Manichæos, *qui non accipiunt Scripturas sanctas veteris Testamenti, in quibus peccatum originale narratur*; ceterum revera ignorantiam, & difficultatem pertinere ad miseriam justæ damnationis, *nec ab iste malo quemquam liberari, nisi Dei gratia*. In eo ergo statu, in quo hæc eadem difficultas, hæc eadem ignorantia esset non supplicium peccati, sed conditio naturæ; quo pacto per solum rationis lumen possit homo proficere, & hoc lumen *ad hanc ignorantiam & difficultatem evincendam, & ad coronam gloriæ valeret*, quomodo Augustinus ab his Theologis explicatur; dum certa est, constans, & manifesta S. Patris doctrina, nec primum hominem nulla adversus se carnis pugna tentatum potuisse sine gratia in accepta justitia perseverare? *Frustra itaque mihi de illius libri mei vetustate præscribitur, ne agam caussam, sicut debeo agere, parvulorum, & inde gratiam Dei non secundum merita hominum dari perspicua veritatis luce convincam*; &c. inquit S. Pater de Dono Persev. cap. XII. n. 30.

Et quidem non posse absque Dei gratia inferiorem partem rationi rebellem contineri, videtur esse manifesta doctrina etiam D. Thomæ: qui in Compendio Theologiæ cap. 186. hæc habet: *Non erat ex natura animæ, quod vires etiam sensibiles absque repugnantia rationi subjicerentur: cum vires sensibiles naturaliter moveantur in ea, quæ sunt delectabilia secundum sensum, quæ multoties recta rationi repugnant. Erat igitur hoc ex ratione superiori, scilicet Deo, qui sicut animam rationalem corpori conjunxit, omnem proportionem corporis, & corporearum virtutum, cujusmodi sunt vires sensibiles, transcendentem, ita dedit animæ rationali virtutem, ut supra conditionem corporis ipsum continere posset & vires sensibiles, secundum quod rationali animæ competebat. Ut igitur ratio inferiora sub se firmiter contineret, oportebat, quod ipsa firmiter sub Deo contineretur, a quo virtutem prædictam habebat supra conditionem naturæ. Fuit ergo homo sic institutus, ut nisi ratio ejus subduceretur a Deo, neque corpus ejus subduci poterat a natura animæ, neque vires sensibiles a rectitudine rationis.* Quæ a Divo Thoma sunt utique de institutione Adami pronuntiata, sed tenent adhuc pro statu *naturæ puræ*, in quo appetitus sensitivus naturaliter moveretur in delectabilia secundum sensum. Quapropter nisi regeretur homo supernaturali auxilio, continere inferiorem partem non posset, & in peccata indeclinabiliter prolaberetur. Atque hoc etiam argumento negant viri docti potuisse Deum condere hominem absque perfecta subjectione partium inferiorum, ut Estius, & alii.

Plura alia ex Augustino depromi solent pro statu *naturæ puræ*, & in primis quod habet in III. de libero arbitrio cap. 23. num. 66. *Non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media inter recte factum, atque peccatum, & sententia Judicis media esse non possit inter præmium atque supplicium.* Item quæ leguntur in Psalm. 70. num. I. *Quis enim diceret, quid fecisti, si damnaret Justum.* Similiter loca permulta, ubi docet immortalitatem, & cetera dona Adamo collata magnam fuisse gratiam, ideoque sine iis potuisse hominem condi; ut docet XII. de Civit. Dei cap. IX. lib. XIII. Confess. cap. 3. de Corrept. & grat. cap. II. de Genesi ad literam lib. VI. cap. 20. contra Julianum lib. IV. cap. 16. & alibi quamfrequenter.

His vero qui contra sentiunt nullatenus percelluntur. Enim vero testimonium primum pro statu puræ naturæ nullam vim habet; in quo creatura rationalis vel Deum Auctorem naturæ diligeret, vel odio haberet, ac se dignam redderet supplicio, vel præmio, ut Doctores illi contendunt; ideoque non esset in eo statu, quem opinantur possibilem, media illa vita: de qua Augustinum hypothetice disseruisse, dicemus & nos libro proximo de parvulorum pœnis quæstionem instituturi. Alterum vero petitum ex I. Enarrat. in Psalmum 70. liquet ex Mss. optimæ notæ esse corruptum, ut Patres Benedictini adnotarunt, & ibidem non *justum*,

sed

sed *injustum* esse legendum: quod iis confirmatur, quæ nos agentes de reprobatione ex Augustino protulimus. Ac præterea lectione priori recepta, posset quis respondere etiam justum aliquo sensu damnari, in quantum propter originale peccatum ei præparatum non est magnum donum finalis perseverantiæ, ut de Reprobatione, quam Scholæ appellitant *negativam*, late disserui. Sed responsio prior corroboratur consimili sententia num. 15. ubi pro *injustum* invenitur scriptum *iniquos*. Ubicunque autem S. Pater Adæ integritatem fuisse donum gratiæ definit, non adversatur illis Theologis, qui gratiam rationali creaturæ debitam esse propugnant, non spectata ejusdem creaturæ substantia, aut absoluta Dei potestate, sed inspecta duntaxat decentia quadam, sive, ut nonnullis placet, rectissima erga hominem factum ad imaginem Dei providentia.

Denique pugnant pro statu puræ naturæ ratiocinationibus Theologicis. Quarum prima est, quod omne donum ordinis supernaturalis nequit debitum esse naturæ, alioquin gratuito, & pro liberalitate ac beneplacito Conditoris minime foret collatum. At naturæ rationalis integritas, sublimatio in consortium divinitatis, inferiorum partium subjectio, & elevatio ad finem sublimiorem, cujusmodi est visio Dei, supernaturalia dona sunt, nemine Catholicorum contradicente; conferuntur ergo creaturæ rationali, non exigente justitia, sed beneficentissima Dei liberalitate donante. Sequitur altera huic affinis: nam creatura origine sua serva Dei est, nec potest ad hæreditatem Domini sui jus habere, nisi adoptetur in filiam, quod præstat ipsius Domini munificentia; & consequenter tam Adam, quam Angeli potuerunt, cum primum facti sunt, non adoptari in filios, & jure ad hæreditatem privari. Denique si naturalis finis creaturæ sit visio Dei per essentiam, posset ad hanc naturalibus mediis pervenire; nam inter finem & media necesse est, ut quædam inveniatur proportio. Quod possit creatura rationalis naturali conatu, propriisque viribus usque ad Dei visionem pertingere, nemo prorsus affirmat. Ergo non est visio Dei rationalis creaturæ finis, ad quem naturaliter ipsa protendat: atque si ita est, absque tendentia in hunc finem creari potuit.

Habent & quæ hic reponant alterius partis Doctores. Docent gratiam Adamo, & lapsis hominibus collatam in hoc convenire, quod utraque est donum supernaturale, & non proprietas naturæ, neque comparata est meritis præcedentibus; differre tamen, quod si illa homini, vel Angelo defuisset, non utique sua culpa cecidissent, quoniam non est talis creaturæ constitutio, ut possit sine gratiæ adjutorio vitare peccatum: nunc vero quibus hæc gratia deest, pœna est originalis peccati, unde cui denegatur justo judicio denegatur, cui autem confertur, misericordia est Dei liberantis. Atque his lubenter assentior, agnosco enim Augustini Doctrinam in libro de Corrept. & Gratia cap. XI. & in Epistola ad Sixtum nunc 194. apertissimis verbis expressam. Ex his videntur sibi posse tuto asserere, gratiam utique Redemptoris nullo prorsus titulo debitam esse, imo indignis divina misericordia donari; sed gratiam illam priorem, quam Conditoris appellant, etsi naturæ perfectiones supergredientem nec meritis comparatam, aliquo tamen titulo debitam esse, ne creatura fatali necessitate averteretur a Deo, & inferiore parte rebellante, quam frænare pro sua virili non posset, in scelera ac damnationem sempiternam abriperetur. Quod ex hypothesi Adversariorum confirmant: qui urgente præcepto singulis sufficientem gratiam adesse mordicus tenent, sine quo putant non imputandam fore transgressionem in crimen. Id tamen non esse inquiunt plane certum, cum ex peccato Adæ omne jus ad gratiam homo perdiderit, & merito Redemptoris auxilium illud sufficiens, & aliud etiam validius sit restitutum; quo etiamsi Adam fuisset spoliatus, ad legem tamen servandam fuisset obstrictus, quia sponte sua fecisset divinæ gratiæ jacturam. Atque his argumentationem illam priorem arbitrantur elidi. Jure eodem alteram expungunt, asserentes in Adæ posteris, qui adoptantur in Dei filiationem, restitui meritis Redemptoris jus proximum ad hæreditatem cœlestem per gratiam sanctificantem, qua in consortium divinæ naturæ justus adsumitur, & jus remotum, quo pollet rationalis creatura eo ipso quod sit Dei imago, & nullo coinquinata peccato. Utrumque enim jus propter prævaricationem Adæ perdidimus. Ergo, inquiunt, gratiæ effectus est jus proximum ad hæreditatem Dei, ad quam pertinent soli filii promissionis: sed jus remotum fundatur in ipsa substantia animæ, quæ cum sit imago Dei, nequit in creato aliquo bono quiescere. Nec responsionem hanc labefactare possunt exempla humanitatis Christi, aut servorum, qui a Dominis temporalibus adoptantur, cum & illa potuisset suæ felicitatis potiri etiam a Verbo non assumpta, nec naturali instinctu appeteret hypostaticam unionem: & servi tam uni, quam alteri Domino possint ex æquo servitutem præstare; creatura autem sit uni Deo subjecta, atque sine illius hæreditate miserrima. Negant denique fieri non posse, ut naturalis instinctus feratur in bonum, quod comparari non valeat nisi supernaturali auxilio: cum infirmus expetat quandoque sanitatem, quæ nequit haberi etiam adhibitis medicamentis, imo illam per se, hæc autem ægre tantum, & caussa sanitatis exquitur: & anima affectet uniri corpori, cui non potest nisi divinitus iterum alligari. Non ergo semper est inter media & finem proportio: imo est hominis singularis perfectio, ut naturaliter tendat ad finem, quem assequi non potest nisi supernaturali adjutorio. Hæc vero omnia perspicua fient, postquam Theologorum istorum fundamenta explicavero.

CAPUT II.

Eorum, qui statum puræ naturæ impossibilem esse contendunt, proponuntur momenta.

AUDIENDI sunt modo Theologi, qui statum *puræ naturæ* putant esse impossibilem. Hi ita ratiocinantur. Creatura rationalis condita est ad Imaginem Dei, non solum ob gratiarum munera, quibus in sui conditione fuit exornata, sed suapte natura, cum sit rationis capax, ut possit illum percipere, a quo facta est. Quare naturaliter Deum intueri desiderat, quem esse unicum & incommutabile bonum facile ex ipsis creaturis potest conjicere. Esse in creatura rationali hujusmodi desiderium naturaliter inditum, fatentur Scoti discipuli. Eadem est, quicquid nonnulli in contrarium sentiant, S. Thomæ doctrina. Qui in III. contra Gentes c. 50. pluribus argumentis demonstrat, naturale desiderium animæ tendere ad cognitionem Dei, prout est in se; quod & affirmat in 1. 2. q. 3. art. 8. & 1. p. q. 12. art. 1. in corpore. Neque loquitur D. Thomas supposita elevatione ad finem supernaturalem, sed urget ubique tritam ac pervulgatam rationem, quia *inest in homine naturale desiderium cognoscendi caussam, cum intuetur effectum*. Cum itaque mens creata naturali acumine percipiat supremæ caussæ existentiam, inflammatur naturali desiderio videndi essentiam ipsius caussæ, in qua visione sita est perfecta beatitudo. Unde Augustinus in 1. l. Confess. c. 7. *Inquietum est* (inquit) *cor nostrum, donec requiescat in te*. Cum ergo, si creatura defraudetur desiderio suo, magna pœna conficiatur, nec sub justo Deo pœna sine culpa possit infligi; atque in illo statu, de quo disputamus, non posset anima pertingere ad Dei visionem, nec Auctoris, cujus imago est, essentiam videre, angeretur maximo, gravissimoque dolore. Huc spectant omnia argumenta, quibus Pelagianis asserentibus parvulos nasci in eo statu, in quo Adam fuit ante lapsum, & sine ulla gratia, sine ullo vitio, & tamen sine baptismo a regno cœlorum excludi, objectat Augustinus sæpenumero, quod Deum facerent impium atque injustum, qui innocentem imaginem suam a regno cœlorum expelleret: *Quæro qua caussa innocens imago Dei vitæ privatione punietur, si nullum peccatum ex humana propagatione contrahitur?* Ait S. Pater lib. 1. contra Julianum c. 5. n. 19. At si status *naturæ puræ* daretur, homo creatus ad imaginem Dei nulla labe originali contracta excluderetur a regno; atque tot Augustini contra Pelagianos argumenta nihil prorsus efficerent. Neque enim satisfacere videtur eorum responsio, qui ajunt S. Patrem hac ratione Pelagianos impetere supposita elevatione hominis ad finem supernaturalem, ejusque constitutione in gratia. Primo enim argumentatione illa utitur magnus Doctor, non memorato loco duntaxat, sed etiam præcedenti cap. 4. num. 13. atque lib. V. cap. XI. num. 56. Operis Imperf. lib. II. n. 30. & lib. III. num. 9. nec non in 1. de Peccatorum meritis c. XXX. n. 58. aliisque in locis compluribus, nec ullibi hujus suppositionis minimum extat vestigium. Deinde si Pelagiani parvulos & sine gratia, & sine culpa nasci affirmabant; quomodo Doctor eximius, maxime disputans cum Juliano peracuto, ac versutissimo Dialectico, poterat supponere quod erat cardo & caput institutæ disputationis? Et denique si Augustiniana argumentatio petitur ex ipsa natura imaginis, quæ proculdubio inesset creaturæ rationali quacunque hypothesi facta, consequens est illam numquam sine culpa posse a regno cœlorum excludi. Istud ergo est præcipuum hujus sententiæ fundamentum. Impossibilis est ille status, in quo innocens imago Dei nullo prohibente impedimento peccati non posset ad regnum Dei pervenire, *quod sine magno malo fieri qui dicit, nec amorem habet, nec timorem Dei*, ait lib. V. contra Julianum cap. 15. S. Pater. In statu *puræ naturæ* Imago Dei, tametsi innocens, regno Dei privaretur. Ergo status *puræ naturæ* impossibilis est.

Diximus sub finem præcedentis capitis, & libro III. cap. X. quomodo in horum sententia possit naturaliter clara visio Dei appeti, etsi ad illam sine gratiæ adjumentis nullus perveniat: unde facile sese hi Theologi purgabunt, si a contentioso aliquo Baji, aut Quenellii damnatorum errorum insimulentur. In promptu eis erit exemplum animæ, quæ cum sit suapte natura *forma* corporis, ab hoc divulsa appetit resurrectionem, naturaliter non possibilem. Atque hanc certum est esse sententiam Scoti Quæst. 1. Prolegom. num. 20. Quam Mastrius disput. 6. de Vis. Dei q. 2. explicat verbis Augustini scribentis de Prædest. SS. cap. V. *Posse habere fidem, sicut posse habere caritatem, naturæ est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere caritatem, gratiæ est fidelium*. Ita ergo, inquiunt Scotistæ, naturalis inclinatio est posse habere beatitudinem, habere autem donum est gratiæ. Hoc autem exemplum nescio an sit ad

rem;

rem; nam aliud est posse habere beatitudinem, aliud appetere, sicut aliud est posse habere, aliud appetere fidem: nec ex Augustinianis verbis puto aliquem illaturum, quod possit aliquis fidem appetere naturaliter; atque ita nec infertur quod possit naturaliter appeti visio Dei. At Claudius Frassen in Scoto Academico Tract. 1. disp. 4. art. 7. hanc naturalem inclinationem docet *passivam* esse, non autem *activam*, in qua sententia Augustini verba possunt in Scoti opinionem quadrare: sed appetitum hujusmodi, qui nihil sit aliud, quam inclinatio *passiva*, & capacitas beatitudinis comparandæ per gratiam, nisi animus me fallit, nullus negat: & inquiritur tantum de appetitu, qui est quidam impetus & motus animi, & certe in sola potentia passiva nequit consistere. Hæc obiter de Sententia Scoti, quæ a suis absque ulla erroris nota defenditur.

Videamus modo quid præmissæ argumentationi soleat reponi. Vulgaris est Thomistarum opinio, appetitum innatum esse propensionem in bonum connaturale: unde inferunt hominem fide & gratia destitutum, qualis esset in *pura natura*, non appetere intuitivam visionem Dei, sed beatitudinem in communi, cum visio Dei non sit bonum homini connaturaliter debitum. Hunc appetitum præcedere ajunt cognitionem, nam qui ex cognitione procedit, elicitus appellatur. Est autem appetitus elicitus, aut efficax, aut inefficax: efficax, cum haberi possunt media, quibus finis acquiritur, & hæc media applicantur; inefficax, cum hujusmodi media vel in nostra potestate non sunt, vel iis uti nolumus. Atque hujusmodi appetitus inefficax tendit aliquando etiam in rem impossibilem, ut dum appetimus semper vivere, aut maximam acquirere copiam thesaurorum. Legite Gonetum disp. 1. de Visione Dei art. 5. & Salmanticenses tract. 2. disput. 1. dub. 5. Respondebunt itaque in statu *naturæ puræ* creaturæ rationali, etsi foret imago Dei, & Dei existentiam naturaliter apprehenderet, non tamen magnam pœnam futuram, si divinam essentiam non conspiceret, quia eam non appeteret appetitu innato & connaturali, neque appetitu elicito efficaci; sed inefficaci tantummodo, qui fertur etiam in bonum quandoque indebitum, & impossibile. Sed hæret, ut dici solet, paulisper aqua. Enim vero qui statum *puræ naturæ* negant esse impossibilem, ad exordium redeunt argumenti. Instant, hominem esse Dei imaginem natura sua, ideoque propensionem in Deum esse illi connaturalem: addunt appetitum elicitum inefficacem boni impossibilis, creati tamen & imperfecti, ut sunt semper vitam agere corporalem, amplissimaque opulentia locupletari, non admodum torquere animum, quoniam non sunt ista hominis finis ultimus, sed media, quæ possunt ex æquo diligi, & odio haberi, nec explere possunt immortalis sub antiæ cupiditatem: negant quoque nonnulli, inclinationem illam innatam, quæ omnem cognitionem præcedat, affirmantque omne pondus animi esse amorem, hunc vero partum esse intellectus; nam de beatitudine, cujus desiderium singulis hominibus insitum est, scribit Augustinus lib. XIII. de Trinit. cap. 4. *Quomodo ergo amant eam, si nemo potest amare quod nescit?* Et lib. VIII. c. 4. *Quis diligit quod ignorat?*

Ego tamen prædictam Thomistarum doctrinam non refellam, imo & animadversionibus meis collustrabo. Docet S. P. Augustinus citato libro de Trinitate cap. 3. omnes homines naturali instinctu appetere beatitudinem: *Si dixisset*, inquit, *Ennius Poeta, omnes beati esse vultis, dixisset aliquid quod nullus in sua non agnosceret voluntate*. Inquirit sequenti cap. 4. unde existat de ipsa beatitudine tanta diversitas voluntatum, *cum capessendæ atque retinendæ beatitudinis voluntas una sit omnium*, idest, cur aliquos maxime delectet voluptas ut Epicurum, alios virtus ut Zenonem, alios aliquid aliud, quod vel turpi vel honesta delectatione vellet adipisci. Respondet proximo cap. 6. id esse ob pravitatem generis humani, *qua interdum eligitur unde magis a beata vita receditur*. Infert ex his cap. 7. necessariam esse fidem, quæ nobis veram beatitudinem proponat; *non enim*, inquit, *quæcunque bona, maximeque illa quibus quisque fit bonus, & illa quibus fiet beatus, unde nisi a Deo in hominem veniant inveniri potest*. Vide & librum IV. contra Julianum cap. 3. num. 19. Itaque præcisa fide, quæ nobis visionem Dei pollicetur, non potest in hanc ferri hominis appetitus, qui naturali instinctu trahitur ad beatitudinem in communi, peculiariter vero inclinatur in hoc, vel illud bonum, quod voluntati a pravo, aut recto judicio proponitur. Cum ergo Pelagiani faterentur nobis vitam æternam promitti, recte Augustinus ab exclusione Imaginis Dei a vita æterna probat in parvulis originale peccatum, supposita lege, & promissione beatitudinis, quam Pelagiani minime denegabant. Fertur ergo amor creaturæ rationalis in Dei visionem, hujus revelatione supposita: & Augustinus c. 1. Confessionum fidem aperte commemorat, & manifestius lib. XIII. c. IX. ubi ait, quod desiderio accendimur, & sursum ferimur, inardescimus & imus, *quoniam jucundati sumus in his, quæ dicta sunt nobis, In domum Domini ibimus*. Hæc ad perdifficile argumentum. In quo nondum contrariæ opinionis Theologi penitus a caussa cadunt, quippe S. Pater citato cap. VII. de Trinitate, loquitur de statu naturæ lapsæ, & de vita mortali *erroribus, ærumnisque plenissima*, & in *natura pura* non esset vitiosa cupiditas, quæ sine gratia hominem ad amorem boni commutabilis traheret, & contentione acerrima a Deo averteret, sed esset Dei naturalis cognitio, & in Deum naturalis propensio.

Ex iisdem principiis eruitur aliud fundamentum ad hypothesim *naturæ puræ* oppugnandam. Nam creatura in hac ipsa hypothesi ad diligendum Deum teneretur; cum primum, maximumque præceptum legis naturæ sit, *Diliges Dominum Deum tuum ex tota corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*, Matth. XXII. 37. At si Deum diligeret, vitam æternam promereretur, quia & Deus diligit diligentes se, & diligentibus se mercedem hanc repromisit, & ipse qui amatur propter se præmium est et, qui gratis & pro viribus amat. Debetur ergo creaturæ Deum diligenti æterna vita, ad quam comparandam vires naturales non suppetunt. Cui argumento solvendo incumbit animus Theologorum: qui respondent in hypothesi *naturæ puræ* posse quidem diligi Deum ut auctorem conditoremque naturæ, non ut largitorem supernaturalium bonorum, atque hujus dilectionis tantum fructum esse beatitudinis retributionem.

Facile hæc dicuntur, sed nolunt Adversarii pedem referre. Contendunt non solam creaturam rebelli concupiscentia turbatam, sed nec integram posse sine gratia amare Deum ut auctorem naturæ. Nam Arausicanum Concilium Canone 25. hoc definit: *Prorsus Donum Dei est diligere Deum*. Et Tridentinum sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, & diligere, ut oportet, anathema sit*. Augustinus vero prope finem c. 3. libri quarti contra Julianum, *Amor*, inquit, *Dei, quo pervenitur ad Deum, non est nisi a Deo Patre per Jesum Christum Dominum nostrum*. Quibus in locis agi de gratia supernaturali perspicuum est. Si dixeris exponenda hæc esse de Deo auctore supernaturali; ubinam, inquiunt, apud Augustinum, & memoratas Synodos, distinctio hujusmodi? Ubinam legimus posse hominem naturali facultate, & gratia non opitulante Deum diligere, tamquam summum bonum, summum verum, & universarum rerum supremum Dominum ac rectorem? Potius invenies apud Augustinum de Grat. & lib. arbitrio cap. 18., *præcepta dilectionis nullo modo bene, nisi ex Deo adimpleri; legem sine gratia non posse conducere ad Dei amorem: gratiam nos facere dilectores*: ubi, cum adversus Pelagianos disputet, non possumus gratiam ordinis naturalis fingere, ut quidam venditant ex ludo & officina recentiorum Scholasticorum. Quod si opponas condemnationem tricesimæ quartæ, ac sextæ propositionis Michaelis Baji; poterunt respondere fuisse damnatam utramque ob censuræ acrimoniam, & quod Bajus amorem Dei naturalem negaverit etiam respectu objecti: nam ut Auctorem naturæ Deum diligi non posse nisi per gratiam, docent & Vasquesius, & Bellarminus, & alii Theologi probatissimi. Nec te moveat particula illa, *ut oportet*; quippe in hypothesi *puræ naturæ* diligeretur Deus recte, atque *ut oportet*, dummodo creatura illum amaret propter se, & tanquam ultimum finem, & omnia in suum Auctorem referret: quod in Augustiniana Schola est amare, *ut oportet*; sicut non recte amatur, quod amatur aliqua intentione carnali, & cupiditate perversa.

Huic argumento respondet Estius dist. XXVI. §. 38. homini in *puris naturalibus* non fore præscribendum operandi modum, qui naturæ facultatem excederet; nunc vero ad diligendum Deum ut Auctorem naturæ necessariam esse gratiam, quia per peccatum primi hominis adeo liberum arbitrium attenuatum est, ut nequeat sine gratiæ auxilio illum amare *ut oportet*, quemadmodum definitur canone ultimo Arausicano: & consequenter prædicta argumenta de homine *in puris naturalibus* constituto nihil concludere. Sis lector æquus æstimator.

Postrema argumentatio promitur ex rebelli concupiscentia, quam esse per se malam præcedenti cap. 13. demonstratum est ex pugna, qua motibus carnis, tamquam quibusdam pugiunculis rationem aggreditur, ex immoderato excessu libidinis, atque ex ipso pudore, quo ejus caussa suffundimur. Hujus concupiscentiæ Deus auctor non est: qui si condito homini tantum indidisset languorem, nec valde bona opera molitetur, nec vincerentur aperte Manichæi invehentes ejusdem concupiscentiæ præsidio sempiternum mali principium. Nec potior est ratio, cur Deus producere nequeat hominem cum pravo vitiorum habitu, ut cordati omnes fatentur; possit autem cum libidine omnium turpissimorum scelerum seminario. In natura pura afforet, inquiunt, hæc perduellis concupiscentia, quod fatentur plures, & ratio ipsa suadet, quia inferior pars nequit ab animo contineri, nisi ipse superiori virtute regatur. Quis ergo, nisi forte velit Manichæis arma suppeditare, asserat Deum posse hominem *in puris naturalibus* constituere?

Tria huic argumento reponunt: primum, quod concupiscentia malum est *per accidens*, non autem natura sua; ut enim a Deo est, importat solam propensionem in bonum sensibile, & inclinat ad peccatum tantummodo ex hominis infirmitate, ob quam potest a bonis spiritualibus averti, quemadmodum potest deficere a gratia, nec tamen id vitium est, sed naturalis conditio. Alterum, quod concupi-

scen-

scentia malum est physicum, non morale, nisi enim ratio motibus ejus obsecundet, non ei deputatur in culpam. Tertium, quod hæc concupiscentia remanet in baptizatis, ut Synodus Tridentina definit, in quibus tamen nihil remanet damnationis; ideoque etiam in *puris naturalibus* posset adinveniri.

Responsio prima oppugnatur, quod non distinguat inter appetitum sensitivum, & hujus appetitus languorem, in quo sita est ratio concupiscentiæ: atque hæc erat oscitantia Juliani, ut liquet ex lib. IV. cap. 14. num. 65. & lib. IV. Supplem. num. 29. utrumque callide permiscentis. Appetitus quidem sensitivus non est per se malus, sed naturalis proprietas. Verum hujusmodi appetitus aut subjiceretur rationi, aut anteverteret. Si anteverteret, en inferioris partis rebellio, en pugna, en vitium: *Malum est enim, ut inferiora superioribus reluctentur, id enim contra æquitatem, & rectam rationem est*, inquit Bellarm. lib. VI. de Amiss. Grat. cap. 14. Si vero subjiceretur rationi, non esset id, quod appellatur *concupiscentia*. Præterea ut inferior pars subjiciatur rationi requiritur gratia; quia ut non regitur inferior pars nisi ab anima quæ est supra virtutem corporis, ita ratio non continet corporeos motus nisi virtute aliqua, quæ sit supra naturam animæ. Vide quæ diximus cap. præcedenti ad Argumentationem secundam.

Altera responsio facilius evertitur, quandoquidem cum Julianus similia reponeret, S. Pater lib. VI. contra ipsum Julianum cap. 19. num. 62. ait: *Neque enim nulla est iniquitas, cum in uno homine vel superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiam si vincere non sinantur*. Ergo concupiscentia malum vitium est, & quidem morale cum ad voluptatem alliciat, lactamque iniquam audeat ciere, etiamsi ejus desideria non perficiat voluntas auxilio Dei confortata. Quapropter Apostolus in septimo ad Romanos v. 15. sentiens motum concupiscentiæ cui non consentiebat, imo sentire nolebat, *non enim* (inquit) *quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio*. Imo videtur Augustinus malam appellare non solum concupiscentiam inclinantem ad malum, verum etiam indifferentem illam ad omnem sive licitam, sive illicitam voluptatem, quam passim recentiores deprædicant. Scribit enim citatu lib. VI. cap. 16. num. 50. *Hæc ergo concupiscentia carnis nunquam concupiscitur hominis ullum bonum, si voluptas carnis non est hominis bonum. Si autem ut aliquo loco significasti, placet tibi secta Dinomachi honestatem voluptatemque conjungens, quod Philosophi quoque hujus mundi, qui honestiores videbantur, Scyllæum bonum esse dixerunt, ex humana scilicet natura belluinaque compactum; si hoc ergo monstrum tua opinione sectaris, satis est nobis quod confitearis aliam esse illicitam, aliam licitam voluptatem. Ac per hoc mala est concupiscentia, quæ indifferenter utrumque appetit, nisi ab illicita voluptate licita voluptate frenetur.*

Tertia responsio cito, nulloque labore confutatur. Quod enim Augustinus scribit eodem libro cap. 19. num. 60. solvi in renatis concupiscentiæ reatum, malum tamen remanere, & pœnam peccati, hoc ipsum declarat Synodus Tridentina sess. V. in decreto de peccato Originali. Et iden in baptizatis nihil remanet damnationis, quoniam propter concupiscentiam nemo damnatur, nisi præbeat motibus ejus assensum; imo & meretur, si condelectetur secundum interiorem hominem legi Dei, & malum, quod singulis adjacet, auxilio gratiæ refrenet. Tantummodo Tridentini Patres damnaverunt hæreticos, qui asserunt concupiscentiam natura sua esse vere & proprie peccatum, non languorem peccato contractum; ut constat ex Ruardo Tappero, qui Concilio interfuit, in dissert. de baptizatorum concupiscentia Tom. 1. pag. 107. Bellarmino de Amiss. grat. lib. 5. cap. 13. & Card. Pallavicino lib. septimo Hist. Concilii Trident. cap. 9. ubi refert Cardinalis Seripandi olim Generalis Ordinis nostri, & Præfecti ejusdem Concilii eruditam, gravissimamque disputationem. Itaque concupiscentia etiam in renatis in se, & absolute mala est, non tamen proprie peccatum. Quod postremum cum affirmasset Bajus Propos. 71. illius quoque doctrina merito damnata est. Atque his Theologi, qui negant potuisse Deum condere hominem cum carnis concupiscentia, a se injustas omnes vexationes propulsant, ut fecit Norisius in Vindiciis cap. 3. & in Resp. ad 111. Germanitatem.

Melior est ergo responsio Gulielmi Estii, qui fatetur in puris naturalibus nullam futuram esse concupiscentiam, nisi forte ad nutum rationis, & quæ voluntatem mentis nec præcederet, nec excederet, ut de Adam scribit Augustinus lib. IV. contra Julianum cap. 11. num. 57. non autem vehementem & infrunitam, qualem nunc experimur, & quæ originalis peccati pœna est, firmissimumque argumentum. Ita nimirum opinantur haud vulgares Theologi Bancel tract. de nat. pura q. 1. art. 4. & L' Herminier in hac eadem quæstione ad objectionem ultimam. Poterunt hæc ab unoquoque suo marte aut defendi, aut oppugnari: quod cave facias Constitutionibus Pontificum, & Augustiniana doctrina munitus.

CAPUT III.

Quale tenendum sit in hac dissertatione temperamentum.

IN tam perplexa quæstione servandum arbitror perutile, divinumque monitum Deuteron. V. 32. *Non declinabis neque ad dexteram, neque ad sinistram*. Itaque ab eorum placito, qui *puræ naturæ* statum putant esse impossibilem, non erit penitus recedendum. Pugnant enim pro hac sententia Theologi in Augustinum studiosissimi Norisius, Gavardi, Bellelli, Lafosse, Clenaerts, Panwens, Rolliers, & Lovanienses Augustiniani reliqui omnes. Consentiunt nostratibus nonnulli Thomistæ doctissimi, inter quos Vincentius Contensonus tom. V. disp. 1. cap. 1. ubi plura argumenta producit iis, quæ superiori capite explanata sunt, parum dissimilia. Etiam Dominicus Soto, quem in D. Thomæ Schola clarissimum extitisse, neminem fugit, in IV. dist. 49. art. 1. quæst. 2. demonstrat esse Angelici Doctoris sententiam manifestissimam, inesse creaturæ rationali *appetitum innatum* ad visionem Dei sicuti est. Quod probat locis locupletissimis paullo supra citatis; in quorum explicatione ait Cajetanum *mentem D. Thomæ plane detorquere*. Et revera S. Thomas de appetitu naturali, & de perfecta beatitudine, cum 1. p. q. 52. art. 1. tum 1. 2. q. 3. art. 8. quæstionem instituit; nec opus est Commentatore ullo, aut Interprete. Ex appetitu autem innato videtur sequi assertionem nostrorum necessaria quadam illatione; cum nulla creatura expoliari debeat iis mediis, quibus naturalem finem assequatur. Idem sentire Magistrum Zumel 1. 2. q. 109. art. 2. disp. 2. testatur Eminentissimus Aguirre. Ex alia parte cavendum est, ne gratiam aut debitam naturæ humanæ secundum se, aut naturalem conditionem, aut proprietatem esse, cum Michaele Bajo impie ac temere sentiamus: quod sane hæreticum foret, sacrilegum, & nefandissimum.

Primum itaque asserimus, quod nullo titulo homini in prima conditione teneretur Deus impertiri caritatem habitualem, sive gratiam sanctificantem, & supernaturalium virtutum habitus: & consequenter integritatem & originalem justitiam hæc omnia complectentem primo homini debitam nequaquam fuisse, atque Deum posse creaturam rationalem condere absque talibus ornamentis. Quod manifestum puto ex damnatione articulorum Baji, de quibus supra capite primo hujus supplementi; & ex communi Doctorum Scholasticorum sensu: inter quos opinantur plures, quod habitualis gratia nec Adæ fuerit a principio collata; omnes vero liberalissimum Dei beneficium illam esse fatentur. De gratia autem actuali dico & hanc non fuisse Adæ debitam, quatenus neque promereri illam potuit operatione aliqua præcedenti, neque exigebat eam primus homo, ut in se absolute, & in genere *speciei suæ* præditus esset naturali qualibet perfectione, quoniam per solam nativam facultatem intelligendi & volendi perfecta redditur rationalis creaturæ substantia. Nihilo tamen minus considerata ut est imago Dei, & comparate ad ultimum finem, a quo divulsa incidit in summam miseriam, oportebat ut supernaturali divinorum auxiliorum fulcimento ornaretur. Atque primam hujus assertionis partem demonstrant argumenta capitis primi, alteram confirmant ea, quæ secundo capite prosequebar.

Tres in hujus Thesis patrocinium advocabo summos, clarissimosque Doctores. Sit omnium primus S. P. Augustinus, qui lib. IV. contra Julianum cap. 3. num. 15. ait. *Bonam dicis hominum naturam, quæ talis gratiæ opitulationem meretur: quod gratanter audirem, si hoc propterea, quia rationalis creatura est, diceres: neque enim gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum lapidibus, aut lignis, pecoribusque præstatur, sed quia Imago Dei est, meretur hanc gratiam: non tamen, ut ejus bona voluntas possit procedere præter gratiam, ne vel ipsam prior det, ut retribuatur illi, ac sic gratia jam non sit gratia, dum non datur gratuita, sed redditur debita*. Quis non videt creaturam rationalem, quoniam *imago Dei* est, mereri aliquo pacto gratiam, etsi hæc nullis præcedentibus meritis retribui valeat? Scripserat supra lib. III. cap. 11. num. 23. *In natura hominis ante peccatum parem debebat esse, non bellum*.

Alter sit Doctor Angelicus, qui præter hactenus dicta de naturali appetitu beatitudinis, in 2. dist. 3. q. 1. art. 1. *Oportuit*, inquit, *naturam hominis taliter institui, ut non solum haberet illud, quod sibi ex principiis naturalibus debebatur, sed etiam aliquid ultra, per quod facile in finem perveniret: & quia ultimo fini amore inhærere non poterat, nec ad ipsum tenendum pervenire nisi per supernam partem suam, quæ est mens & intellectus, seu ratio, in qua Imago Dei insignita est, ideo ut illa pars in Deum tenderet, subjecta sunt sibi vires inferiores*. Hæc sane verba Apolline divinatore non indigent. Si legeris Sanctum Doctorem in IV. contra Gentes cap. 52., videbis quam aperte, quam solide ex morte & rebellione sensuum demonstret originale peccatum, quoniam etsi videantur naturales defectus consequentes ex necessitate materiæ; *tamen considerando divinam providentiam, & dignitatem superioris partis huma-*

humanæ naturæ, satis probabiliter probari potest, hujusmodi defectus esse pœnales, & sic colligi potest, humanum genus peccato aliquo esse infectum. Supposita ergo divina providentia, & superiore hominis parte, in qua divina relucet imago, magna saltem probabilitate concluditur, non potuisse creaturam rationalem sine culpa subjici morti, ceterisque animi, corporisque miseriis. Eodem libro cap. 79. totus est in demonstranda futura corporum resurrectione, ex quo anima spiritualis quidem sit, sed natura sua *forma corporis*; ideoque ab eo separata sit in quodam statu violento, qui perpetuus esse non debet. Atque ex his Sancti Thomæ principiis colligitur sensus verborum, quæ pro contraria sententia communiter proferuntur ex qu. 4. de malo art. 1. ad 14. ubi ait, *carentiam divinæ visionis dupliciter competere alicui: uno modo sic, quod non habeat in se, unde possit ad beatam visionem pervenire: & sic carentia divinæ visionis competeret ei, qui in solis naturalibus esset etiam sine peccato. Sic enim carentia divinæ visionis non est pœna, sed defectus consequens omnem naturam creatam, quia nulla creatura ex suis naturalibus potest pervenire ad visionem divinam, &c.* In his enim Doctor Angelicus considerat rationalem creaturam absolute, & secundum se, non comparate ad dignitatem partis superioris, atque ad providentiam, *quæ singulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit, & superiorem naturam inferiori conjunxit, ut ei dominaretur.* Nam ex accurata hujusmodi consideratione & mortem, & concupiscentiam, & reliqua effecta peccati, probat in magno contra Gentiles Opere rationem habere supplicii.

Erit tertius Ægidius Romanus, qui in 2. dist. xxx. qu. 1. art. 1. *Cogimur dicere* (inquit) *fuisse quamdam opportunitatem, & quamdam necessitatem, & quoddam debitum, quod natura humana in sui institutione fuerit cum quodam dono supernaturali & gratuito; sed hujusmodi necessitas non potest esse absoluta & simpliciter, quia tunc gratia non esset gratia.* Quod hi tres docent poterit quisque sartum tectumque tenere, vel hac nostra lucubratiuncula ancillante, vel suppetentibus aliorum libris de hoc argumento egregie splendideque conscriptis.

Explicit Liber Duodecimus.





MONITUM.

DISSERUI De ſtatu, quem vocant, PURÆ NATURÆ, in utramque partem, tum permotus quæſtionis difficultate, tum etiam Theologorum circa ſtatum illud diſſidiis. At in VINDICIIS Auguſtiniani Syſtematis tom. v. diſſertatione 2. accuratius Auguſtini mentem inveſtigare atque exponere ſtudui, & quomodo S. Patris doctrina non cohæreat cum damnatis articulis Michaelis Baji, quidquid adverſarii noſtri obganniant, evidenter oſtendi. Ex prolixa illa diſſertatione unuſquiſque deprehendet ſententiam negantium illius naturæ puræ poſſibilitatem perantiquam eſſe, atque propugnatam etiam in Schola Ægidii. Quod unum foret, quamquam alia deeſſent, argumentum invictum, fruſtra adverſus illam opponi notam novitatis, & Bajaniſtarum, ſive Janſenianorum proſcripti dogmatis.